

MVNDI MARIANI

Pars Prima.

MARIA SPECVLVM MVNDI ARCHETYPI, SEU DIVINITATIS.

AVCTORE
R. P. LAVRENTIO
CHRYSOGONO DALMATA
SPALATENSI SOCIETATIS
JESV THEOLOGO.



VIENNÆ AVSTRIÆ,
Typis Matthæi Cosmerovij, in Aula Coloniensi,
ANNO DOMINI M. DC. XLVI.

FACVLTAS
PROVINCIALIS.

EGo Gulielmus Lamormaini Societatis JESU per Provinciam Auſtriæ Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi factâ ab Admodum R. P. N. Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut liber, qui inſcribitur, Mundi Mariani in tres Partes diviſi Pars prima, quæ appellatur MARIA Speculum Mundi Archetypi, ſeu Divinitatis à Patre Laurentio Chryſogono ejuſdem Societatis Sacerdote conſcriptus, & à Reviſoribus memoratæ Societatis lectus, & approbatus, typis mandetur. In cujus rei fidem has literas manu propriâ ſubſcriptas, & officij Sigillo munitas dedi. Viennæ Auſtriæ 29. Januarij, Anno Domini 1645.

L. S.

Gulielmus Lamormaini
manu propriâ.



ILLVSTRISSIMO COMITI, AC DOMINO, DOMINO

FRANCISCO DE NADASD,

PERPETVO TERRÆ FOGARAS, AC COMITATUS CASTRIFERREI SUPREMO COMITI, SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆq; MAJESTATIS CONSILIARIO, CUBICULARIO, AC PER HUNGARIAM CURIÆ REGIÆ MAGISTRO, &c.

Domino & Patrono mihi obſervandiſſimo.

Salutem, & perpetuam fœlicitatem.



Ernis Comes Illuſtriſſime, *in hoc libri mei Propylæo, omnis huius operis, quod elucubrandum ſuſcepi, velut faciem pulcherrimam, ex qua in totius argumenti facilè devenire potes cognitionem. Cernis tres inter Orbes* MARIAM; *uno* DEI *tangentem viciniam; Cælos alio; tertio Terram, Mundum hunc noſtrum ſublunarem. Stat trinas inter Sphæras, ſupremâ minor, duabus longè ſublimior, capaciorq́;, utpote* DEI *Mater, puriſſimo utero comprehendens eum, quem omnis totius Vniverſi capere nequit creatura. Primam tangit Vertice, ut,* quæ ſolo DEO excepto, *ut Sanctus loquitur Epiphanius,* cunctis major exiſtit, naturâ formoſior, ipſis Cherubin, & Seraphin, omniq́ue ſimul exercitu Angelico ſpecioſior; *Secundam tegit Corpore, eâq́; quodammodo veſtitur, velut illa, quæ mortalitatis noſtræ paludamento veſtivit eum, quem Regius Propheta amictum lumine, ſicut veſtimento contemplatus eſt; Tertiam pede calcat, ut ſuam eandem quoq; eſſe poſſeſſionem, ſimulq́; cum ea, nos terrigenos omnes indicet. Si enim Domini eſt terra, & plenitudo eius, erit ſanè & ipſius, Domini Dominantium omnium Divæ Matris Virginis digniſſima. Fœlix calcantis DEIparæ Scabellum Tellus, fœliciores, qui eam conveſtiunt cæleſtes Orbes, ac Sydera; fœliciſſima Divinitatis Sphæra, liceat ita loqui, ipſa Trias Auguſtiſſima, quæ per Virginem, ut Sanctus Cyrillus Alexandrinus*

Orat. de laud. B.V.

Homil. contra Neſtor.

loquitur, glorificatur. Vnde ipsum charum caput, quod Memoriâ, Intellectu, & Voluntate Personis Divinis nobile exhibuit Triclinium, *Divinumq; illud Os, quod ipsam glorificavit, magnificavitq;, Sinu suo quasi recondit, ut par pari, eam vicissim, Immarcessibili gloriæ, diademate coronando, referre videatur.*

Ternas hascé Sphæras, quas in se DEIpara veluti vivo, animatoq; Speculo repræsentat, totid ẽlibris prosecutus sum. Initiumq;, ab ipsa Divinitatis Sphæra; Siquidem & Plato à Dijs immortalibus rerũ omnium primordia capienda censuit; desumpsi. Quam ego Sphæram dum mente volvo, & in quem tandem devolvam, ut in lucem evolvatur, meditor, Tu Comes Illustrissime *occurristi, itaq; mihi persuasisi sub fœlicissimis tuis auspicijs, Nominisq; tui protectione, hoc quale quale lucem aspiceret, opusculum non modicè fœlicitandum; simulq; tibi vicissim ad cumulum tuæ fœlicitatis hoc accessurum, quod Sphæra hæc Divinitatis in te, quasi in aurea, eaq; nobilissima Basi locum ad conquiescendum invenerit.*

Fœlices olim fuere habiti, quibus Ouũ Horomasdis, quod 24. Deos bonos, malosq; continebat, habere licuit; & quam tandẽ beatitatem nactũte arbitrabimur, in quo Sphæra Diuinitatis, ipsum quodãmodo summum, æternumq; Bonum, bonorumq; omnium Fons, atq; Origo, *ipsaq;* DEI *Ter Optimi Maximi Mater, eandem hanc Sphæram, suis sibi Divinitus indultis perfectionibus, ac gratijs, mirificè repræsentans, velut in Atlanteis, Herculeisq; humeris conquiescit?*

Sanè Magnus ille Areop. Dionysius, dũ ad Magistrum suum Apostolum Paulum de hac Virgine SS. scriberet, eam Fœlicitatis Insignia, siue Characterem appellavit. Quod ij qui pietate, amoreq; in Virginem sunt insignes ad æviternam illam Fœlicitatem jam destinati sint, eiusdemq; post huius vitæ terminum ipsâ patrocinante compotes sint futuri. Siquidem Virgo hæc, ut loquitur S. Epiphanius, est cœlestis Sponsa, & Mater, quæ donorum antenuptialium, sive arrhabonis nomine Spiritum Sanctum accepit; dotis verò gratiâ cœlum unâ cum Paradiso; *De qua adeò opulenta dote ipsâ velut Mater benignissima circa suos filios ita disponit, ut dum in hac vita degunt terrestrem quendam Paradisum, inchoatamq; Beatitatem se possidere arbitrentur, donec tandem ex hoc, virtutibus decorati, terminatâ fœliciter hujuscé miseræ peregrinationis catastrophe, eos ad cœlum deducat. Hæc tam opulenta, tamq; divina bona per Virginem dilectissimis suis clientulis mirâ liberalitate distribui, dum Sapiens ille consideraret Idiota, sapientissimè pronunciavit:* Inventâ Maria, invenitur omne bonum. Ipsa enim diligentes se diligit, & servientibus sibi servit, *quæ non modò de æviternis illis, verùm etiam de temporalibus hiscé bonis, intelligenda sunt. Verissimè enim Ordinis Seraphici Vir in Virginem pijssimus censuit Bernardinus de Bustis, DEI Matris sedulos, amantesq; cultores dormiendo quodammodo locupletari, ut proinde similes esse videantur Timotheo illi Atheniensi, cujus dormientis in retia Fortunæ, civitates, ac terras impellebat. Neq; verò bonis hiscé omnibus* Te Comes Illustrissime *augendum auguror, ob tuam hanc adeò eximiam liberalitatem, ac munificentiam, quod aurea uti dixi Basis Sphæræ huius Virgineæ, Divinarum Personarũ attributa, perfectionesq;, Omnipotentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, &c. repræsentantis, tantâ cum animi alacritate, uti mihi experiri licuit, esse volueris: verùm etiam ominor tuum Genus illud clarissimum, Prosapiamq; antiquissimam, simul ac præstantissimam in Hungariæ olim florentissimo Regno, maiorum indies honorum, dignitatumq; ornamentis augendam, decorandam, semperq; favente Virgine, virtutibus tuis, rebusq; præclarè gerendis aliorum bonorum, dignitatumq; accepturam incrementa.*

Mirificè quidem Tua ex Stemmate Paterno resplendet Nobilitas, siquidem ex pervetusta Comitum Pethenediorum, eaq; clarissima, rerumq; optimè gestarum gloriâ celeberrima Prosapia suam deducit ori-

Lib. de laud. B V.

In Prologo Contemplat. de B. V.

Par. 12. Marialis serm. 1.

originem, quam quoque tui antenati Avi, Proaviique minimè degeneres, rebus tam domi, quàm militiæ præclarissimè gestis, nimium quantùm illustrârunt.

Certè Dominationis Tuæ Parens Paulus is Vir fuit, quem Imperator Ferdinandus II. titulo Cæsareæ, Regiæque Maiestatis Consiliarij, Officioque Generalis partium Regni Hungariæ, Præsidiorumque Canisæ oppositorum, ob insignem eius fortitudinem, magnanimitatemque dignissimum censuerit. Non erat nimirum ille pullus degener à Francisco de Nadasd, Avo tuo Viro nominatissimo, qui sub Rudolpho Imperatore Generalissimi totius Regni Hungariæ Capitanei titulo condecoratus fuit, utpotè miles omnium judicio summus, quem Turcarum Terrorem meritò, ut videre est apud rerum Vngaricarum Scriptores, universa celebravit Pannonia.

Longum foret singulos tuæ nobilissimæ Stirpis percensere Heroes, unicum illum ad instar omnium commemorasse sufficiat Thomam de Nadasd, qui superiori sæculo Sapientiâ, Fortitudine, alijsque tali Comite Illustrissimo dignissimis resplenduit virtutibus, ac præsertim Catholicæ Religionis zelo, ac professione, quâ ille in tanta hæreticæ pravitatis caligine, quæ calamitosissimis illis temporibus toti Pannoniæ incubuerat, velut Sydus quoddam, inter tenebras plusquam Cimmerias coruscasse visus est. Filius hic fuit magni illius Francisci Nadasdij, Filij Ladislai Nadasdij Vice-Bani Taurunensis genealogiam suam deducentis à Parente Casparo Filio Andreæ, quem clarissimus ille Heros simul, atque antiquissimus Thomas de Nadasd, Comes de Petanicz genuit, totamque prosapiam illustravit; huius sicut Nomen, ita omen, resque cum laude gestas suprà memoratus Thomas Palatinus egregiè æmulatus est. Cuius ingenij dotes, præclarissimaque facinora, ex quibus velut è vestigijs animus eius perspicitur, Epitaphium ipsius à lectissima eius Conjuge Leucæ, ubi Gentis Nadasdianæ visuntur Mausolæa, erectum veluti lucidissimum Speculum nobis repræsentat; quod hic ad perpetuam tanti Viri memoriam inserere libuit:

ILlustri Domino Thomæ Nadasdio; summo ingenio, singulari virtute, complurium linguarum peritissimo, pace, belloque clarissimo, de vetusta Comitum Pethenediorum familia prognato, in Italia optimarum artium studijs imbuto, indeque cum Cardinale Cajetano Budam reverso, Regi Hungariæ Ludovico à Secretis; post cujus fata variæ fortunæ vicissitudine acto. Primò auspicijs melioribus Budensi Præfecto; mox Vrbe Budâ, militum inconstantiâ Turcis deditâ, Solimanni potentiâ in arbitrium Regis Ioannis reducto; sed denuò proprio suo, ac perpetuo proposito, illiusque Regis permissu, Patriæ restituto, Sacratissimi, ac Potentissimi Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, Slavoniæ, Dalmatiæ, &c. Regis, ac tandem Imperatoris Ferdinandi Consiliario perpetuum, summisque, ac continuatis apud hunc ad extremum vitæ denuò perfuncto honoribus, ac primum Tabernicorum Regiorum Magistro, mox Dalmatiæ, Croatiæ, & Slavoniæ Bano, deinde Iudici Curiæ, statim supremo Generali Capitaneo. Postremò Palatino Regni, & Proregi optimo, fidelissmo, consilio, armisque Turcarum Profligatori, Patriæ Illustratori, Coniunx amantissima Vrsula Canisai mœrens P.P.

Obijt Anno Domini 1562. 4. Non. Iun. Ætatis suæ Anno 64.

Vrsula porrò hæc quam clarâ, generosâ, potentique Stirpe fuerit oriunda, ipsum eius attestatur Cognomen, quod à celeberrimo Præsidio, ac Dominio Canisa, tanquam Civitatis illius, aliorumque illius regionis complurium Dominiorum hæreditaria Domina, trahit. hæc per æternam lineam à nominatissimo illo Wayvoda Stiborio totius tractus Vagi Dn. & Transylvaniæ olim Principe descendit.

Jam quid de generosissimo tuo Materno dicam Stemmate? Hoc ab illustri Revajorum deducitur familia, quæ apud Reges Hungariæ varijs dignitatibus decorata, fertur; ac in primis Avus tuus Maternus Petrus de Reva Vir hujusmodi fuit, quem Cæsarea, Regiaque Maiestas, in suum Consiliarium fidelissimum, Regiæque Coronæ totius Hungariæ, communibus etiam totius Regni suffragijs, Custodem delegerit.

legerit. Nec hiscé finibus Materni tui Sanguinis circumscribitur nobilitas; Principum hæc, Regumq; eminentissimum genus attigit. Avi siquidem tui uti dixi, rerum præclarè gestarum gloriâ famosissimi Francisci Conjunx fuit Elisabeta Bathoria, nata Georgij Bathorij, Filij Andreæ, cuius germanus Frater fuit Magnus ille Stephanus Bathoreus, primùm quidem Transylvaniæ Princeps, deinde totius Poloniæ Rex omnium præconijs gloriosissimus. Quæ sanè dignitas, adeò magnum Bathoreorum hoc genus in cœlum usq; extulit, ut nil ei addi posse videatur. Huic tamen aureæ Coronidis loco illud addendum censui, quod Pannoniæ insignis Historicus Bonfinius posteritati commendavit: Vetus, *inquit ille,* Bathoreorum familia apud Hungaros magni semper habita; quam à proprio, plerique pago, nonnulli à Batho, Pannoniæ Rege, cujus memor est Strabo, unâ cum pago & Batia Civitate dictam esse arbitrantur. Dec. 1. lib 1. *Repertæ etiam feruntur litteræ An. 1220. in Sancto Monte Thabor, ab Andrea Secundo Hungarorum Rege, de bonis quibusdam Bathoreis collatis exaratæ, eo tempore, quo memoratus Andreas Rex in recuperatione Terræ Sanctæ strenuè laboravit. Imò Historia quædam centum quinquaginta Annis ante hanc, Bathoreorum familiæ meminit.*

Quæ sanè omnia hujusmodi sunt, Comes Illustrissime, *quæ nimium quantum antiquissimæ tuæ Prosapiæ conferunt ornamentum; cui tu insigni in DEVM, ejusq; Matrem pietate, ardentissimo Catholicæ Religionis Zelo, cœlesti Sapientiâ, & prudentiâ, alijsq; Christiano homine dignissimis virtutibus ingens addidisse visus es incrementum, complementum; adeò, ut Tu verè familiam tuam verâ, germanâq;, ac planè singulari nobilitate exornasse dici posse videaris. Quæ profectò nullo modo, cum ea, quæ ex Gentilicio tuo resplendet Stemmate, Sanguineq; comparanda est.*

Illa enim omnia; aliena potiùs, quàm tua sunt. Verissimè siquidem sagax ille pronunciavit Vlysses apud Ovidium:

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco. Metam. lib. 13.

Hinc aptè cecinit Poëta Seneca:
Aliena laudat qui genus laudat suũ;

Vera, propriaq; Christiani hominis nobilitas, Virtus est, sedulus DEI, ejusq; Matris cultus, eorundemq; filialis, tenerq; amor, aliæq; animi dotes, quibus Tu postquam Divinam lucem aspexisti copiosissimè magnâ prudentum Virorum admiratione locupletatus es. Quam præclarè de hac Christiani hominis ingenuitate sensit magnum illud Illyrij nostri Iubar Hieronymus: Sola apud DEVM libertas est non servire peccatis, summa apud DEVM nobilitas est, clarum esse virtutibus. Epist. ad Celantiã. *Quare sapienter Sanctus observavit Ambrosius:* Patriarcham Noë non generationis nobilitate, sed justitiæ & perfectionis meritò fuisse laudatum. Lib. de Noë c. 4. Probati enim viri genus, virtutis prosapia est; quia sicut hominum genus homines, ita animarum genûs virtutes sunt. Etenim familiæ hominum splendore generis nobilitantur, animarum autem clarificatur gratia, splendore virtutis. *Philosophorum deniq; Princeps;* virtutes, ac vitia, determinare servum, ac liberum consuevisse, Arist. lib. 1. Polit. *affirmavit Hæc porrò nobilitas, tam virtutis, quam generis, in Sacra Virgine Deipara præ cæteris creaturis omnibus potissimum resplenduit, cùm in primis DEI Mater extiterit dignissima, & purissimum, animatumq; virtutum omnium Speculum, sanguineq; Regio, ac Sacerdotali fuerit oriunda, ita ut cœlo ipsi eius quodammodo sit affinis origo, siquidem à 40. Patriarchis, 24. Regibus, 14. Ducibus, nobilissimi olim Israëlitici populi, suam nobilitatem, generositatemq; deduxit, eamq; ipsi Salvatori, secundùm humanitatem communicavit, uti insigne illud Pannoniæ Decus Pelbartus de Themisvar Ordinis Seraphici asseveravit. Vnde inter 12. illa lucidissima sydera, quibus dilectus Discipulus verticem Virgineum coronari* Lib. 11. Stell. Par. 2. c. 1.
contem-

contemplatus est, idem in Virginem pientissimus Pater numeravit, Nobilitatem.

Lib. 1. Stel. Par. 2. ac 3. c. 2. *Cùm igitur Virgo adeò clara, & virtutibus, & nobilitate generis extiterit, ejusq; ingenuitas, tam illustris, ac Regia in humanitatem DEI Filij redundârit, in te quoq; cui Virginea hæc Divinitatis, velut aureâ basi innititur Sphæra redundabit, tuorumq; natalium splendor, ac gloria, auro quovis luculentiùs enitescet. Hanc crediderim fortassis etiam ob causam illam Sanctus jam sæpiùs memoratus Epiphanius* Gloriæ radicem *vocitavit,* Lib. de laud. B.V. *quod ex ipsius sedulo cultu, ac veneratione, tanquam fæcundâ radice, etiam hæc cum tempore dilabens, & illa beata, nullis unquam sæculis intermoritura gloria pullulare, ac germinare mirificè consueverit.*

Quod cùm Constantinus Primus Christianitatis Imperator, probè intelligeret Vrbem illam, suo nomine insignitam, alteram Romam Orbis penè Miraculum; non satis nobilitatam autumatus, eam Divæ Virgini, magno totius Orientis Præsulum, Virorumq; illustrium concursu, dedicavit, consecravit. In cujus rei sæculis omnibus duraturam memoriam, Lunam, Symbolum Virginis; quæ pulchra ut Luna dicitur, in omnibus Turrium, nobiliorumq; palaciorum culminibus, ac fastigijs erexit, certò sibi persuadens magis Virginis patrocinio, quam cæterarum rerum quarumcunq;, præclarissimè gestarum gloriâ nobilitandam. Sicut reipsâ verè nobilitata, atq; condecorata est, quam diu cultui eius addicta, impijssimo blasphemia, in Spiritum S. eius Sponsum, non fuit afflata Spiritu, ipsius Divinitatem, per summum nefas, pernegando; quo scelere tam immani ubi se adstrinxit, innumeris calamitatibus, ac ærumnis, malorumq; omnium Iliade involuta fuit, ac demum, quod infœlicitatis omnis caput est, idq; luctuosissimum, acerbissimo Turcarum jugo, justissimo DEI judicio, totius Christianitatis ingenti dolore oppressa est.

Eundem sensum habuisse visus est S. ille, vester, ac verè Apostolicus totius Hung. Rex Stephanus, Heros verè æternitatis memoriâ, coronâq;, uti nominis eius præsefert Ethymon dignissimus, qui regnū illud veram, genuinamq; nobilitatem ut nancisceretur, cum mirificis æstuaret desiderijs, id totum Magnæ DEI Matris gloriæ, honoriq; consecravit, illudq; Familiam, Aulamq; magnæ Dominæ indigitari, pro ardentissimo illo, castissimoq;, quo in hanc pulchræ dilectionis Matrem amoris, ferebatur affectu, voluit, ut testatur Bonfinius. Decade 2. lib. 1. *Quâ Sancti Regis in DEI Parentem, optimam, pijssimâ voluntate Regnum universum mirum quantum, & nobilitatum, & omnibus cœli, terræq; bonis, opibusq; refertum, & pervagatâ ipsius gloriæ ad exteras etiam nationes famâ, evasit celeberrimum. Idem tibi,* Comes Illustriss: *tuâ hâc tam egregiâ in Virginem DEI Matrem pietate, qua illius honorem, gloriamq; ubiq; amplificare ardentissimis desiderijs anhelas, eventurum ominor. Virginis enim nostræ indoles planè est nobilissima, est omninò Regia. Hæc nunquam sese liberalitate vinci, ac superari permittit, pro parvis magna rependit.* Orat. 2. de Dormit. B.V. *Hinc B. Andreas Cretensis Hierosolymarum Episcopus:* Solet, *inquit,* Sanctissima, ut quę semper est munificentissima, maxima reddere pro minimis.

Quare cùm Virgo utpotè Multiocula, ut Sanctus Ephram Syrus eā vocitavit, tuum hunc in se affectum penitiùs, in Verbo, veluti lucidissimo Speculo intueatur, certò mihi persuadeo, in te plenoCornu bonorum omnium tam cœli, quàm terræ copiam transfusuram, est enim ipsa pulcherrima illa Iobi Filia, dicta Cornustibij, cui nunquam formæ elegantiâ, bonorumq; omnium, quæ cœli, terræq; finibus continentur redundantiâ, Virgo alia par, similisq; valuit reperiri; Hoc ut 70. Interpretes afflati divinitus nobis indicarent; Nomen Cornustibij in Cornu Amalthea commutârunt, ut nobis perspicuè ostenderent DEIparam *alteram esse veluti Nympham Amalthæam, quæ cùm summum Cœlitum Patrem, Iovem ipsum, ut Poëtis fabulari libet, cum Sorore sua Mellissa caprino lacte, melleq; pavisset, & Capra illa inter sydera fuisset relata, præmij loco*

ejusdem

ejusdem capræ Cornu bonorum omnium copiæ refertissimum ipsi de cœlo submittere non est dedignatus.

Et verò qui fieri potest, ut Virgo hæc, cuius manûs sunt tornatiles aureæ plenæ hiacynthis, ut Venerab. Richard. à S. Laur. asseveravit, se à suis clietulis, benevolëtiâ, beneficentiâq; triumphari sinat, quæ ut loquitur S. Damascenus à nullo vinci potest Illustrium? Habet illa manus non solùm auro, ac hiacynthis, innumerisq; alijs gratiarum gemmis cœliq; opibus refertas, verùm etiam tornatiles, celeres, expeditas, atq; ad communicanda cœlestia munera promptissimas, maximè ijs, qui ipsius honoris, gloriæq; amplificandæ Zelo exardescüt.

Lib. 2. de laud. V.

Audivit, audivit, imò & clarè intuita est Virgo benignissima ardentem illam tuam in se, promptissimamq; voluntatem, cùm dicenti cuidam ex hoc opere tibi dedicando, magnam in te laudem, immortalemq; quandam gloriam redundaturam, pro tua modestia, reposuisti; te nihil intendere, aut velle aliud, quam purè laudem & gloriam DEI, Virginisq; ipsius Matris, identidem ingeminando, dictum illud Davidicum, ac planè Regium, magnâ animi demissione: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo, tuæque Matris da gloriam. Quibus intimos animi tui sensûs patefecisti, ac perspicuè indicasti, te gloria DEI, Matrisq; ejus amplificandæ abreptum; & quodammodo demersum esse.

Quod & tua Gentilicia, ni fallor Insignia, attentiùs considerata videtur præseferre. Quid enim candida illa Anas aquis, sive limpidissimis piscinis innatans, perq; easdē expatiās, in eisq; sese pascens, vitãq; sustentans, nobis ob oculos proponit aliud, quàm teipsum, qui amore quodammodo Virginis adeò absorptus atq; demersus es, ut in eâ deliciari, in ea, ac de ea pasci, ac vivere videaris?

Nimirum Virgo nostra purissima, piscina è limpidissima, utpote cuius oculi, sicut piscinæ sunt in Esebon, vt loquitur Sponsus; cum enim Piscina sit aquarum Congregatio, & Virgo sit locus ille unicus, in quo DEVS ad vocis suæ imperium omnium gratiarum aquas congregari voluit: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum; & locus ille, sicut & aquarum congregatio mirificè, teste B. Alberto magno, adumbret MARIAM; cum sacræ litteræ congregationem illam aquarum appellant Maria; ipse verò penultimâ productâ: MARIA, consequitur sane te velut niveum quendam Anatem fælici plane ovo, editum, in MARIA velut illimi piscina, immensoq; quodam gratiarum mari habitationem delegisse. Verè enim Virgo beata, ob cœlestium donorum plenitudinem illam, qua ab Angelo gratiâ plena salutata fuit, facta est Congregatio aquarum, tam earum, quæ sub cœlo, quam earum, quæ supra cœlos sunt, gratiarum videlicet, quæ, in Angelicis Hierarchijs, vel hominum sanctorum Choris collectim reperiuntur. Vnde quid mirum si de hac Virginearum gratiarum plenitudine, assiduò ipsius cultu, ac veneratione participando, virtutis, pietatisq; omnis clarissimum evadas speculum, & stemma tuum Illustrissimum, longè præstantiori, cœlesti videlicet, quæ in virtute consistit, Nobilitate condecores?

Cant. 7.

Gen. 1.

Ostendisti te unicum quendam Anatem Marianis hisce aquis temet oblectantem, quando ubi ex me inaudisti in Domo professa Viennensi Soc: IESV, sub Immaculatæ Conceptionis B. V. titulo erectam esse Congregationem; voluntate promptissimâ, alacritate admirabili, tuum Nomen in illam manu propriâ adscribere tibi visum est. Nec hic stitit tua insignis in DEI Matrem Pietas. Mox enim tibi sacrarum huius Sodalicij legum fieri copiam postulasti, quas tu in usum, praximq; perducere mirâ sedulitate contendis, ac præcipuè illam, quæ mensibus singulis exomologesim peccatorum faciendam, sacramq; Eucharistiam debitâ animi puritate suscipiendam præcipit, quo in sancto exercitio adeò sedulus es, ut licet aliquis festus dies cuiuspiam occurrat Sancti, eumq; horum Sacramentorum susceptione proximè honoraueris, primam tamen cuiusq; Mensis Dominicam pari religione

veneran-

venerandam irrefragabili decreto sanxisti. Vnde quid mirum, si Agni immaculati, ob hac Virginea Oue, in lucem editi, quo tu in Eucharistia tam sæpe vesceris; quid, in quam, mirum, si morum purissimorum candor, & Marianarum similiter aquarum crystallina puritas, in te redundet, & velut niueus Anas mentis, animiq; munditiâ magis indies enitescas?

Ab earundem Crystallinarum aquarum claritate, utpote quæ Illuminatam, atque Illuminantem Virginem designant, deriuantur illa præclarissima mentis tuæ lumina, quibus irradiatus, licet & opibus, pro tui status tuenda dignitate locupletatus amplissimis; & Avorum, Proavorumq; illustrissimorum, rerum gestarum gloriâ, planè insignium decoratus genealogiâ: nouisq; ab Augustiss. Cæsare Ferdinando III. propensissimâ in Te voluntate auctus sis Consiliarij, ac Cubicularij honoribus, hæc omnia nihilominus, ut fluxa, ut fragilia, ut mundanæ vanitatis plenissima, susq; deq; præ cælestium bonorum, ad quæ ardentissimo desiderio semper adspiras, ferre consuevisti. Quam tuæ mentis, vix non ultra ætatem sapientis, sublimitatem idem ista tua ex canetis, Mundi inanitatem denotantibus niveâ ad cælos, mirâ penicitate evolans Anas, præ reliquis avibus nobis insigniter ob oculos proponit. Lib. 10. c. 38. lib. 19. Ornithol. c. 29. *Certè naturalis Historiæ describendæ Princeps Plinius, & Vlysses Aldrovandus, cùm de vario avium volatu scribunt, hæc de Anatibus memoriæ prodiderunt:* Anates solæ, quæ sunt ejusdem generis: in sublime protinus se tollunt, atque è vestigio cœlum petunt, & hoc etiam ex aqua. Itaque in foveas, quibus feras venamur delapsæ, solæ evadunt. *Quocirca sapienter niveæ huic tuæ Anati, sapientissimum illud Lemma præfigi voluisti:* Quæ sursũ sunt sapere, Sapientia est.

Hanc porrò Sapientiam, ut humana omnia, uti sunt honores, magni nominis umbra, voluptatum carnalium illecebræ, amplæ possessiones, ac divitiæ, aliaq; Mundi insanientis, ac fallentis planè inania ludibria, ad instar vacuarum arundinum arbitremur, ob eisq; tanquam defluxuris, ac perituris, ad cælestium amorem, desideriumq; evolemus, quis nos edocet nisi ipsa increata Sapientiæ Mater, in cujus utero tanquam deliciosissimo domicilio novem mensibus omnis Sapientiæ Fons DEI Filius requievit. Sic nimirum magni illi DEI Servi Abrahami, Isaaci, Iacobi, aliiq; Patriarchæ, imò Reges ipsi, David, Iosias, Ezechias egisse visi sunt, qui licet ingentibus affluerent divitijs, & eximijs, Regijsq; essent decorati dignitatibus & honoribus, hiscé tamen rebus adeò vanis, ac fragilibus, cor, ut ipse Regius suadebat Vates, minimè apponendum, sed illud ad cælestium amorem, desideriumq; erigendum censebant.

Hanc animi generositatẽ in divitijs despiciendis mirificè inter reliquos præsetulit Magnus ille Patriarcha Abrahã, cùm de quinq; Regibus gloriosissimâ, DEO Auspice reportatâ Victoriâ, Regi Sodomorũ opima spolia sibi offerenti, respondit: Levo manũ meam ad Dominum DEVM excelsum, Possessorem cœli, & terræ; quod à filo subtegminis, usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas; Ego ditavi Abraham. Gen. 14. 22. *Quibus sanè verbis, Vir Sanctus magnam opum, rerumq; fluxarum præsetulit despicientiam levando manûs ad DEVM, cæli, & terræ Possessorem, qui ei dederat victoriam; unde ab illo eam venisse cognoscens, ad eundem qui manûs eius docuit ad prælium, elevabat, ne illas divitiarum quasi sordibus contaminaret.* Lib. 1. de Abrahã cap. 8.

Audiendus hic S. Ambrosius: Perfectæ mentis, *inquit,* est nihil de terrenis, nihil de corporalibus illecebris assumere, abstinere à terrenis. Ideò Abraham dicit nihil summam ab omnibus tuis. Quasi contagium declinaret Intemperantiæ, quasi labem refugit corporaliũ sensuũ, delectationes Mundi reijcit, quærens quæ supra Mundum sunt; hoc est extendere manûs ad Dominum. Manus operaria virtus est animæ, hanc non ad terrenæ arboris pomum, sed ad

Dominum expandit. *Hæc Ambrosius; quibus sanè sublimis super omnia humana Patriarchæ mens fuisse declaratur.*

Quo profectò rerum terrenarum, divitiarumq; contemptu Abraham, ne in minimo depauperatus est, quin potiùs quamplurimis, iisq; copiosissimis opibus à Domino, cuius amore cuncta despexerat, locupletatus. Nimirum verissimè Sanctus pronunciavit Chrysostomus: Misericors Dominus quando videt nos despicere præsentia, etiam ipsa largiùs, suppeditat, reponitque plurimâ, quibus olim fruemur. *Non enim permittit benignissimus Dominus sese à creatura superari; Atque ita fit, ut qui amore eius caduca hæc, ac vana, ipsisque arundinibus inaniora, futiliaq;, fortunæ ludibria aspernatur, centuplum cœlestium, imò & terrestrium bonorum accipiat, & in semetipso circa hascé divitias experiatur verum esse id, quod de honoribus dici cõsuevit*: Quærentem fugiunt, fugientem sequuntur.

Arundinem porrò humanæ vanitatis, Mundiq; amatorum fluxa hæc Mundi consectantium, esse Symbolum apud Sanctos Patres, maximè Gregorium Magnum, ac Chrysostomum, luce meridianâ est evidentiùs,

Anas igitur ista tua Gentilicia, niveo candore insignis, mentis tuæ, internæ animi puritatis studiosæ, inania, fragiliaq; Mundi hujus, de terra orta aspernantis, & ad cœlestia adspirantis, est Symbolum; quo præclarâ sanè, hominéq; Christiano dignissimâ, Comes Illustrisime, *erudiris Sapientiâ. Quod sapiens Iobus ille, omnis virtutis, ac præsertim patientiæ exemplar, voluisse visus est, cùm nos à brutis animalibus, ipsisq; Volatilibus erudiri cupiebat*: Nimirum, *inquit*, interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. *Qui muti cùm sint, suis nos admirandis proprietatibus veram prudentiam edocent.*

Iob. 12: 7.

Aliam quoq; Sapientiam eadem hæc tua nivea nos Anas edocet. Idem enim scribit Aldrovandus, adeò à natura sagacem esse, ut mox atq; aliquam ex rapacibus conspexerit avibus, ut sunt milvi, accipitres, aliaq; hujusmodi, illicò se aquis immergat, ac contegat, velocissimoq; natatu undis abdita, eo perveniat, unde ab insidiatore ampliùs conspici nequeat.

Omnes Comes Illustris: *dũ in hac labili, fluxaq; vita, seù potiùs mortalitate, ad instar aquarum dilabente, degimus, Tartareorum hostium, velut rapacissimarum avium ad pretiosissimas hominum animas deprædandas, inq; infernalem barathrum abripiendas inhiantium, insidijs sumus expositi. Præsentissimum effugium, sive refugium est Sinus Virginis Matris, quæ pro sibi ingenitâ benignitate, protectionis suæ pallio, velut aquarum operimento, nos ita contegit, ita defendit, & ab his fatalibus, funestisq; infernalium milvorum oculis abscondit, pͤsertim in periculosissima illa, ac postrema mortis hora, terribiliũ omnium terribilissima, ut nulla eorum quantũvis varijs technis, dolisq; plenissimæ insidiæ, invasionesq; nobis formidandæ sint.*

Sub hoc Virginearum aquarum tegmine Sanctus Ephræm Syrus Patrum antiquissimus, tutum se forè ab his Stygiorum milvorum insidijs arbitrabatur, cùm ei dicebat: Sub tuum præsidium confugimus ò Sancta DEI Genitrix, sub alis Pietatis, atque misericordiæ tuæ protege, & custodi nos. Miserere nostri, qui sceleribus atque delicijs quam plurimis DEVM nostrum, & Iudicem Vniversorum offendimus, ne adversum nos insolescat, & glorietur Satanas perniciosissimus, ne in nos insurgat detestandus inimicus noster, non nobis alia est, quàm in te ò Virgo fiducia. Ex ulnis siquidem Maternis, tibi Domina nostra dediti sumus, tuique clientes appellati, ne igitur à maligno Satana ad inferni portas abduci nos sinas, tu enim ò Virgo intemerata noster es Portus, tu Præses & pia Auxiliatrix, sub tua denique tutela, & protectione toti sumus.

Quod

Quod si tuam hanc Anatem dicamus ex illo Asiaticarum esse genere, quas adeò audaces, ac strenuas noster Eusebius Nierembergius scribit esse, ut ipsos malos Dæmones exterreant, eisque maxima sint formidini; quod & Turcæ ipsi habent sibi persuasissimum; non erit profectò quod Anas ista tua Stygios pertimescat milvos, cùm ipsa potiùs sit eis formidabilis. Verè enim Christi, ejusq; Matris Cultores, ita comparati sunt, ut omnibus Orci phalangibus horrorem incutiant, easq; ut olim Ægyptios fateri cogant: Fugiamus Israëlem, quia Dominus pugnat pro eis.

Lib. 10. Hist. c. 26.

Quid denique de niveæ hujuscé tuæ Anatis proprietate illa pulcherrima dicam? De qua idem Aldrovandus cum Gualtherio Ruffio de liquoribus stillatijs ita loquitur: Anatum Sylvestrium sanguis varijs venenis adversatur. Itaque Antidotum de ejus sanguinibus conficitur, & loco optimæ theriacæ, cui etiam admiscetur, usurpari potest. *Addit insuper hæc Aldrovandus:* Veteres quidem simpliciter Anatum sanguinem laudant, sed Ponticarum sanguis contra venena præfertur, quas utique sylvestres esse credendum est. Sylvestres enim quales sunt Ponticæ veneno pasci verisimiliùs est. *Nil profectò ad tuam, candidissimam Anatem dici poterat accommodatiùs. Pascebaris olim tanquam Anas quidam Ponticus; Hæreticorum pravis dogmatibus, velut mortiferis venenis; eorum doctrinâ, placitisq; ita oblectabaris; ut tibi sapidissimus cibus ad tolerandam vitam, qui mors ipsa fuerat, esse videretur. Verum postquàm tuæ menti divina affulsit lux, adeò ipsorum plena veneno mortifero execratus es deliramenta, ut Genius, ac Sanguis ipse tuus nobilissimus admirandam modo cum ipsis habere videatur antipathiam; & efficacissima quædam sit Theriaca, insigni ad hanc pestiferam, venenatamq; doctrinam extinguendam pollens, energiâ.*

Lib. 19. Ornith. cap. 29.

Hinc fit, ut ubicunq; tandem sese offert occasio de verâ Orthodoxâ Religione mistis colloquijs, Spiritualibusq; distributis ad conscientiam emaculandam per sacram exomologesim, libellis; Patrumq; Societatis nostræ industriâ præsertim, (quos tu pro innata tibi benignitate nimium quantum diligis, atq; amplecteris) in tuis dominijs, totaq; jurisdictione, venena hæc ex tuorum subditorum animis tollere, atque eliminare studeas. Vnde templis omninò septuaginta, in quibus olim velut excelsis immolabatur Baalim, Catholicò ritu expiatis, Romanæq; fidei Sacerdotibus restitutis; clarè toti Hungariæ patefecisti Genium tuum, Sanguinemq; cum diris, & plusquam Circeis venenis summam habere antipathiam.

O quanta tibi cum hiscé lethalibus venenis, DEVS bone, tunc intercessit Antipathia quando in quodam tuæ jurisdictionis oppido, auditâ famâ, tibi subditos nonnullos in Catholicos Sacerdotes fuisse injurios, eisq; violentas manûs inferre attentasse! Vulgatum enim tunc est, te justissimo, ac sanctissimo Catholicæ Religionis Zelo inarsisse adeò, ut ignes manu propriâ te eorum tectis injecturum, fueris comminatus; nisi ab injurijs hominibus DEO *sacris inferrendis destitissent. Harum à te præclarissimè rerum gestarum ad Catholicam fidem propagandam excitus famâ Romanus Pontifex Innocentius mirificè in te sibi complacuit; unde ad Te Paternâ planè benevolentiâ refertissimas exaravit literas, quibus ardentissimum Orthodoxæ Religionis propagandæ, Zelum collaudat, suspicit, faturq; Paterna ejus Charitatis viscera te usq; adeò tibi demeruisse, nullum, ut à se, atq; Sanctâ Sede Apostolica defuturum uspiam tibi sit constantis benevolentiæ argumentum. Addit insuper, tuo Zelo fretus, tanquam generoso currenti equo calcar, sive adhortationem illam quam totidem verbis hic referre libuit.* Pergere te porrò hortamur, Dilecte Fili, tam mirifica Terræ, & Cœlo exhibere spectacula, quem uno veritatis ductu reliquis præeuntem exemplo, in propriæ Consortium Salutis vocare alios, ac ducere, veræque Cultum Religionis,

DEIque omnipotentis gloriam, cui ditionem, atque opes persanctè addicis, firmare, ac protendere intuemur.

En quam insignem summus Christi in terris Vicarius de ardenti illo tuo Zelo Catholicam fidem ubiq; propagandi concepit opinionem. Quem sanè ego Zelum cordi tuo radicatum, dixerim esse Gemmam illam, quam Indi in Anatis Regionum illarum dissecta corde, ad multa utilissimam, maximoq; in precio habitã, reperiri arbitrantur; ut supra memoratus Nierembergius noster memoriæ prodidit. Lib. 10. c. 3. *Atque hæc de Tuis Gentilicijs insignibus mirificè Te potissimum, inter omnes Ante natos, avos, atavosq;, vivis coloribus exprimentibus, dixisse pro modulo nostro sufficiat.*

Jam quoniam, Comes Illustrissime, *calamitosissimis hiscé temporibus florentissimum quondam Hungariæ Regnum, quod uti dixi Familia, & Aula Magnæ Dominæ dicebatur, variorum hæreticorum, ac præsertim emigrantium colluvione (quod sanguineis penè lacrymis deplorandum) fœdatum est, attrocissimisq; blasphemijs, ore sacrilego in DEVM, ejusq; Matrem, ac Cœlites jactatis, immaniter pollutum, adeò, ut jam luctuosissima illa tempora apprroximasse jure merito arbitremur; In quibus, uti Sanctus Ioannes in sua Apocalypsi prædixit, Tartarea, horrificaq; illa Bellua Antichristum, illiusq; membra repræsentans,* os suum in verba blasphemiæ, ad DEVM, blasphemare Nomen ejus, & Tabernaculum ejus, & eos, qui in cœlo habitant, aperuisse videtur; Apoc. 13. *facilè mihi persuadeo, nonnullorum ora, auditis siue lectis hiscé à Sanctis Patribus, ijsq; antiquissimis concinnatis, & à me conscriptis laudibus DEI Matris, quæ purissimum ejus est, ac Sacrosanctum Tabernaculum, in quo ipse, amore nostri, novem mensibus habitare voluit, consueta sibi licentia reseranda; ideò huic dedicatoriæ Epistolæ, exemplo Doctoris Maximi Hieronymi nostri, Prologum quendam Galeatum, eumq; brevissimum, pro re tanta libuit attexere; quo ipsorum in DEIparam jactata tela retundi possent. Novi quod statim ipsius libri Propylæum, inscriptionemq; dente Theonino arrosuri sint; dum MARIAM Speculum esse Mundi Archetypi, siue Divinitatis audiunt, dum caput eius Sphæra Augustissimæ Trinitatis inseri vident; dicturi sunt absq; dubio nos MARIAM Deam, siue parem DEO facere, cœloq; locare, sicut olim cæca gentilitas suam Fortunam: quod sanè facere aliud non esset, quam contra Vniversorum Creatorem, Vnicum, eumq; ter Optimum, terq; Maximum impijssimè, Antichristi, ejusq; assectarum more blasphemare. Execramur nos Collyridianorum atrocem blasphemiam, qua homines phanatici muliercularũ quarundam amentiam, superstitionemq; Idololatricam (quæ, ut loquitur S. Epiphanius,* stultitiæ plurimum, Sapientiæ ne minimum habere judicatur) Lib. 5. contra Hæreses Hær. 79. *secutì; blaterabant, MARIAM Deam esse, illamq; Reginam cœli, cui quondam Hebræi, pari cæcitate percussi faciebant placentas, eidemq; tanquam Deæ sacrificabant, quod facinus adeò execratus est Vniversorum Dominus, ut justissimâ indignatione plenus dixerit suo Prophetæ.* Tu noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te, Ierem. 7: 18. & c. 44. *Non ergo ullâ ratione cogitandum est, MARIAM Deam, aut cæli eam Reginam esse, cui Sacrificia debeantur, Catholicæ Religionis Professores asseuerare; imò eam puram creaturam, ut ipsa de se profitetur:* Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo; Ecclesiastici 24. *esse dicimus, cum communi hominum lege,* ex Ioachimo & Anna nata sit, neminique Divinitas, aut Sacrificium, nisi Incarnato Verbo nato de Virgine conveniat. Vni conveniebat hoc, *inquit S. Doctor,* qui velut Artifex, ac Dominus semetipsum è Virgine, tanquam è terra formavit, DEVS de cœlo descendens, Verbum è Virgine susceptum corpus induens, non ideò tamen, ut hæc adorari debeat, aut ut

tam Divinam ad naturam, conditionemque transferas, neque ut Sacrificium illius in nomen offeratur, neque tanto intervallo mulieres Sacerdotes instituantur, hoc ne in Salome quidem fieri voluit, nec in Maria, non ei, baptizandi potestatem fecit, non Discipulis benedicere, non in terris præesse mandavit, sed hoc unum voluit, ut Sanctum quid, & consecratum esset, ac cœleste Regnum adispiceretur. *Denique concludit*: Itaque quamvis MARIA vel optima fuerit, & sancta, & honore dignissima, non idcircò tamen adoratione prosequenda, illâ videlicet, qua DEVS, ut primum rerum omnium Principium adoratur, sed Hyperduliâ dumtaxat, cùm Creatura sit hujusmodi quæ inter omnes, est excellentissima, & nulla ipsâ major post Divinarum Sacrosanctæ Trinitatis Personarum Hierarchiam; adeò ut ipsa per se super omnes Angelorum beatissimorum Choros, reliquorumque Cœlitum Ordines, DEO proximam constituat hierarchiam, eademque super omnem Angelicam, humanamque Naturam, utriusque perfectiones, ac dotes longè eminentiori ratione in se complexa, suprema sit hierarchizans, *ut doctissimus Ioannes Gerson Cancellarius Parisinus memoria prodidit.* Tract. 4. in Magnif. *Asserimus denique MARIAM ita quidem puram Creaturam esse, ut tamen præ cæteris omnibus sit nobilissima, atque eminētissima, utpotè, quæ à supremo Opifice omnibus suæ Omnipotētiæ, ac Sapientiæ, quodāmodo exertis viribus, peculiari arte, ac studio, profusis etiam in eā omnibus & Naturæ, & Gratiæ Thesauris, in Templum DEI viventis in ea habitaturi, fuerit ædificata, simulque ad eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem evecta, ipsique in attributis, & perfectionibus facta quam simillimâ.*

Proinde cùm illam Speculum Divinitatis appellamus, nullâ prorsus ratione cogitandum est nos adstruere Divinâ præditam esse Naturâ, sed ejus dumtaxat, sicut & attributorum ejusdem similitudinem repræsentare, quod ipsa vox Speculi nos edocet, in quo utique non vera, vivaque hominis facies, sed sola ejus exprimitur species. Hoc sensu cecinit sine dubio Propheta Regius: Ego dixi; Dij estis, & filij excelsi omnes. *Quod tanti Prophetæ carmen, ipsa Patris luculenter interpretata est Sapientia contra perfidos Iudæos, qui illum DEVM esse, per summum nefas per negabant*: Nonné scriptum est, *inquiens*, in lege vestra: Ioan. 10. quia ego dixi Dij estis. Si illos dixit Psal. 81. Deos, ad quos sermo DEI factus est, & non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit, & misit in Mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi Filius DEI sum?

Quod si hoc verum est, ut est verissimum, quis negare poterit, bono sensu dici Sanctissimam Virginem Deam, ad quam non solùm DEI sermo factus est, sed ex qua verus, & consubstantialis DEI Filius natus est? Vt nihil dicam de alio modo evadendi in DEVM, seu Filiam DEI per gratiam adoptionis, quâ quisquis donatus est, Filius DEI constitutus est. At satis constat Beatissimam DEIparam speciali quâdam ratione, ac planè singulari gratiâ habituali, inter puras creaturas exornatam fuisse, Divinæque factam consortem Naturæ, eâque ratione vocari posse Deam (absit verbo invidia) hoc est, nobilissimā DEI Filiam, cū præsertim præ omnibus Angelis, filijsque hominū de Divinitate participauerit, eâque uti & ipsius proprietates, quoad creatura capax esse potest, fuerit æmulata, earumque similitudinem in se expresserit. Ad quam DEI similitudinem in animis nostris, sive exprimendam, sive renovandam nos ipse Salvator non semel admonet: Estote perfecti, sicut & Matth. 5. Pater vester cœlestis perfectus est. 48. *Et ipse Apostolus Paulus*: Estote imitatores DEI, sicut filij charissimi. Ephes. 5.

Sed quid nos in re evidentissima sacrarum literarum autoritate utimur, cum naturali lumine Duce, Plato ipse in Theæteto docuerit homines DEO similes virtutibus esse posse. Cùm enim præmisisset;

 mala

mala, seu peccata apud Deos locum minimè invenire. Sed ea naturam mortalem, regionemq; inferiorem necessariò circumire, suadet omninò mortalibus, ut hinc ad Deos quam celerrimè effugiamus. Hanc verò peccatorum fugam ait, in hoc consistere, ut DEO similes evadamus pro viribus; quam ille cum DEO similitudinem in virtutibus, ac Sanctitate consistere censuit, quibus decoratus animus, DEVS quidam in carne mortali esse videtur.
Deo, *inquit ille*, similes facit, cum prudentia, cum justitia, simul & Sanctitas. *Quod si ita est, & quæ tandem Imago DEI pulcherrima, omnibusq; numeris absolutissima in anima DEIparæ efformata extitit, quæ Virgo super omnes prudentissima, ac sapientissima, utpotè æternæ Sapientiæ Mater: Speculum justitiæ illius,* quæ virtutes continet omnes, *ac denique Sanctitatis omnis, puritatisq; spirans quoddam fuit in Orbe hoc simulachrum?*

His virtutibus decoratus Magnus ille Legislator Moyses Deus Pharaonis, ipso Deo eum inaugurante constitutus est
Exod. 7. *verbis illis:* Constitui te Deum Pharaonis. *Cujus inaugurationis causam*
Lib. de Abel. c. 2. *affert luculentam Sanctus Ambrosius:* Quia, *inquiens*, ad DEI similitudinem se perfectæ virtutis ubertate
7 Eth. 1. formaverat. *Hinc Philosophus.* Ex hominibus fiunt Dij, ob virtutem Heroicam, & excellentem; *quod ille Homeri in primis probat auctoritate, qui de Hectore insigni virtute conspicuo loquens:* Non videbatur, *inquit*, mortalis esse hominis filius, sed DEI. *Deinde Laconum, qui insignis cujuspiam hominis virtutem admirantes sublato supercilio;* θεῖαν ἄνδρα *appellare sunt soliti.*

Sicut igitur imitatio & similitudo DEI, Divinæ gratiæ beneficio in animis nostris exprimitur; Ita Divinæ Naturæ Imago in DEIpara varijs, ijsq; pulcherrimis plurimarum gratiarum, quæ vel in Angelis, vel sanctissimis hominibus, à primis Mundi incunabulis, reperta sunt coloribus, privilegijs item specialissimis expressa velut lucidissimo, ipsiq; Divinitati vicinissimo Speculo longè perfectiori ratione præ cæteris creaturis repræsentatur.

Quam ob causam D. Antoninus Florentinorum Archiepiscopus cum B. Alberto Magno DEIparam Deam, Deiformitate actuum vocitavit, quia videlicet in DEIformissima actione, generatione nempè dilectissimi Filij Patrem æternum Virginem, Virgo semper intacta permanens, infinitâ illa gratiarum omnium, nostro concipiendi modo exuberantiâ, velut condigna, ad tantam, tamq; eminentem Divinæ Maternitatis dignitatem capessendam, dispotione præparata est. Par. 4. Tit. 15. c. 34. §. 8.

Ob eandem hanc penè infinitam in DEI Parente optima gratiarum, ac perfectionum Divinarum plenitudinem, singulare, rarumq; illud elogium Venerabilis Hesychij Hierosolymorum Presbyteri antiquissimi, celebrarunt mirificè nonnulli doctissimi Theologi, uti pluribus postremo in Discursu declarabitur, quo Virginem gloriosissimam, Universum Augustissimæ Trinitatis Complementum *esse deprædicant; in quo accuratiùs expendendo menteq; Hesychij interpretanda diù laborant, asserere non dubitârunt per Virginem aliquod extrinsecum Beatissimæ Trinitati, nempè relationis ad Incarnatum Verbum advenisse Complementum.*

Quod utique si assereremus, tunc demum eorum arbitrio in ipsam Trinitatem, in ipsum Creatorem omnium, à quo omnis rerum perfectio, injurij, tunc demum superstitiosi MARIÆ Idololatræ haberemur. Proinde his, quæ absque ullo orthodoxæ fidei, cum tam gravibus Theologis dici poterant, præjudicio, libenter omissis, ne ullum cuipiam ponere videamur offendiculum, indubitanter asserimus; DEIparam Matrem Beatissimam per inhabitationem Divinarum Personarum in ipsa, tanquam in Sacratissimo suæ gloriæ Templo habitationem, in tanti, tanquam digni hospitij compensationem, virtutum, gratiarum, omniumq; cælestium donorum mirum accepisse incrementum, ac Complementum. Et hanc esse Hesychij ipsius mentem, patet ex ipsius pijssimo

discursu,

discursu, in quo Virginem Arcæ Noëticæ, genus humanum ab uniuersali Cataclysmo, ac perditione præseruanti ubi contulisset, dixissetq; eã tres habuisse contignationes, mox attexuit; Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum in illis habitasse, ibidemque tanquam nobilissimo Triclinio conquieuisse; Vnde quid mirum, si ex hac tam arcta cum Personis Diuinis unione, Diuinitatem quandam, cujus creatura capax esse potest, participauit, Mundiq; Archetypi purissimum euaserit Speculum? quod mentis suæ perspicacissimis Diuinâ luce irradiatis B. Andreas Cretensis contem- Orat. 2. de dorm. B. V. *plans oculis, in illud pulcherrimum prorupit elogium;* Hæc est à DEO sculpta statua, rectè descripta primi Archetypi Imago.

Ex his omnibus hactenus memoratis procliuè est judicare, quàm meritò Catholicæ Ecclesiæ filij Virginem hanc velut Parentem optimam, peculiari cultu, ac veneratione prosequantur, ejusq; honori, gloriæq; propagandæ sese totos impendant, perq; eam tanquam Mediatricem, Patronam, & Aduocatam, Sanctissimæ Trinitati proximam, ac gratissimam, suas causas, atque negotia, in cœli curia expediendas, quam facillimè, summâ ei cum fiducia commendent.

Quam piam Catholicorum industriam rident more sibi consueto Nouatores, dum ajunt nec MARIAM, nec Sanctos in tanto locorum, temporumq; interuallo, preces nostras audiendi habere aures tam prolixas, aut oculos tam acutûm miserias, necessitatesque nostras cernendi.

Quâ in re Albigensium Hæreticorum stolidissimam, nefandamq; nequitiam videntur æmulati, qui ut DEI Matrem ludibrio (prò nefas) exponerent, eiq; prouidentiam circa res humanas denegarent, Monoculam pingere ausi sunt, ut videre est apud Lucam Tudensem. Lib. 2. c. 9. *Vbi sanè vehementer deploranda est eorum cæcitas, ne dicam amentia. Quasi verò Diuinitas ipsa, atq; ipsa Diuina Essentia, cujus clarissimâ visione, ac fruitione DEIpara cum reliquis Cælitibus Beata est, non sit illi ad instar omnium, lucidissimiq; cujuspiam, ac ingentis Speculi vices suppleat, cui ipsa intimè beneficio luminis gloriæ unita, videt intuitiuè res omnes, quæ geruntur in Ecclesia, cujus illa perpetua Aduocata est, ac Patrona, perindè, atque si præsentes ejus oculis obuersarentur;*

Quam ob causam Concilium Senonense, Diuinam Essentiam Speculum *appellauit* Voluntarium, *quod summa illa Majestas, arbitrio suo Beatis omnibus, rerum, quæ in hac vita geruntur, pro cujusq; statu notitiam in se veluti Speculo manifestet. Quod nobis etiam veteres Philosophi adumbrasse visi sunt, cùm DEVM Sphæram Intelligibilem, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam, nisi in ipsomet, reperitur, esse pronuntiârunt. Hinc Synesius DEVM salutans;* Magnum Centrum rerum, *appellauit.* Hym. 1. *Quemadmodum igitur in Sphæra, siue Circulo punctum, seù Centrum quod est in medio, singulis circumferentiæ partibus correspondet, & ab omnibus est visibile: sic DEVS ter Optimus Maximus in illa æuiternæ Beatitudinis Sphæra in medio, ceù Centrum constitutus, Beatis omnibus, veluti pulcherrimâ periferiâ siue Coronâ circũdatus sese videndum, pro mensura gratiæ, quàm in hac vita, benè, laudabiliterq; operãdo consecuti sunt, exhibet, adeò, ut quo quis plùs in via locupletatus est gratiâ, plùs etiam in Patria augendus, sit gloriâ. Vnde Theologi Gratiam semen gloriæ appellare consueuerunt, quæ in clara, atque intuitiua DEI sũmi Boni visione consistit. Cùm igitur Virgo Beata gratiâ plena, præ omnibus Angelis, Cælitibusq; reliquis extiterit, consequitur sanè uberiori quoque lumine, pfusam fuisse gloriæ, quo ejus roboratus intellectus ad clarè, reuelatâ facie, summam illam Majestatem contemplandam, eleuatus est. Vnde factum, ut ipsi intimè per visionem, fruitionemq; veluti Speculo unita Virgo, in eandem, ut loquitur Apostolus, transformaretur, omniaq; quæ illam tanquam Mundi totius, hominumq; Reginam scire conuenit, clarissimè manifestarentur.*

Et sanè, si beata illa, mysticaq; Ezechielis anima-

animalia, ac Cherubini, ut & illa Apost. Joannis in Apoc. ob plenitudinem scientiæ, dicuntur plena oculis intus, & extra, ante & retro, ut Ecclesia, atque adeò mortalium omnium miserias, necessitatesq; videant, eisdemq; prospiciant; quantò magis oculata esse debebit DEIpara, cujus soliaissima, effusissimaq; charitati, omnium Ecclesiarum multò magis, quàm Apostolo Paulo incumbit solicitudo?

Lib. de laud. B.V. *Hanc ob causam à S. Epiphanio, dicitur* Virgo plurium nominum Multiocula, Seraphin incomprehensæ visionis, & Cherubin transcendens. Illa enim avertuntur, cùm nequeant spiritualem ignem Divinitatis, fixis oculis intueri; hæc autem apertis oculis fixè intuens incomprehensibilem, & somni expertem oculum, Christum cum desiderio & osculo, labra labris conjungendo salutabat; *in ejus videlicet Nativitate; in qua plures graves Doctores eam beatificâ visione. Sicut & alias sæpiùs ad breue tempus clarè Divinam Christi Essentiam contemplatam fuisse asseruerunt.* Serm. de Deip. *Eandem ob causam S. Ephræm Syrus appellat Virginē* honoratiorem, quàm Cherubin, & multis oculis claris, seù perspicacissimis Spiritibus perspicaciorem; *sive ut ipse Græcè scripsit* Πολυομμάτων,

Apoc. 5. *Nimirum Virgo Benignissima suum ubique imitatur Filium, quem Ioannes Apostolus in sua Apocalypsi Multioculum quoque vidit, in specie Agni habentis cornua septem.* Zachar. 7: 9. *Zacharias Propheta quoque vidit eundem in specie lapidis habentem oculos septem. Agnum porrò oculos illos habuisse ita dispositos in suo capite, ait noster Ludovicus Alcazar, ut speciem coronæ exhiberent, & super unum quemque illorum cornu esset surrectum, ad terrendos, quorũ scelera intuetur peccatores. Horum Christi oculorum vices supplevisse Stellas illas 12. Speciem coronæ in capite DEIparæ præseferentes crediderim. Neque enim tot syderibus Cœlum, Mundum hunc Sublunarem irradiat, quot suavissima pietatis suæ oculis Virgo DEIpara mortalium necessitates, ac ærumnas, ad eas sublevandas intuetur.*

Hanc Virgineorum oculorum perspicacitatem mortalium necessitates in Verbo contemplantium, omnium Cherubinorum, qui à scientiæ plenitudine nomen invenerunt cognitionem excedentem, pervenustè descripsit S. Amadeus Episcopus Lausanensis, qui circa Annum Domini 1144. vixit, plurimumq; à Patre nostro Canisio in libro de DEIparâ laudatur. Is igitur ita loquitur: Adstat Beatissima singulari merito præcipua vultui Conditoris, prece potentissima semper interpellans pro nobis. Hom. 8. de laud. B.V. Illo enim edocta lumine, cui nuda, & aperta sunt omnia, cuncta nostra videt discrimina, nostriq; clemens, ac dulcis Domina Materno affectu miseretur. Sancta animalia, de quibus in Ezechiele legitur, quod ante, & retro, intus & foris, atque in circuitu plena sunt oculis, labores hominum, & dolores, casus, defectus, cœcitates, invaletudines, externa pericula, incertos exitus vitæ, & mala quæque humani generis non æquè ut DEI Genitrix valent examinare, examinando cœlesti auxilio diluere, & propulsare. Quò enim sublimiùs immensi Regis cor aspicit, eò profundiùs Divinæ gratiâ pietatis afflictorum misereri, & miseris succurrere novit. Vnde MARIA, id est Maris Stella, provido DEI consilio vocata est, ut Nomine declararet, quod re ipsâ clariùs manifestat. Nam ex quo cœlos cum Filio suo regnatura conscendit, induta decore, induta pariter fortitudine, præcinxit se, mirabiles elationes Maris, solo nutu compescitura. *Hæc ille.*

Ex quibus omnibus luculentissimè colligimus, quàm meritò ad B. V. tota Ecclesia Catholica in cunctis suis necessitatibus, periculis, ac calamitatibus, quas illa in Verbo clarè intuetur recurrere, summâ cum fiduciâ consueverit. Occurrit enim fidelibus, in primis: quod DEIpara fonti illi lucis perenni vicinissima, intuens miserias nostras, quibus assiduè conflictamur, nobis

nobis animitus compatiatur; Occurrit illis deinde, quod summi Regis Regum, & Domini Dominantium, Mater sit dignissima, ac proinde apud illum ob exuberantem illam gratiæ plenitudinem oculis ejus gratiosissima, omnibusq; Divinitatis ferè privilegijs dignissima, cùm etiam jure Cæsareo, Regina Mater omnibus Regis, sibi ab eodem concessis gaudeat privilegijs; quæ profectò cogitatio, miram habeat vim, ac energiam in animis mortalium, ad eos permovendos, ut inprimis summâ cum fiducia, ad hanc DEI, ac misericordiæ Matrem in omnibus suis tribulationibus, atque angustijs accurrant, deinde ut eam summâ post DEVM veneratione prosequantur. De primo audiamus S. Bernardum, qui quam rationi consentaneè discurrat, prudens Lector, sepositâ omni mêtus perturbatione, animadvertat.

Serm. 1. de Assum. B. V.

Advocatam præmisit, *in cœlum videlicet*, peregrinatio nostra, quæ tanquam Judicis Mater, & Mater misericordiæ simpliciter, & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. Ascendens ergo in altum Virgo Beata, dabit ipsa quoq; dona hominibus. Quidni daret? siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est. Denique Mater est Vnigeniti DEI; nihil enim sic potest potestatis ejus, seù pietatis magnitudinem commendare: nisi forte aut non creditur DEI Filius honorare Matrem; aut dubitare quis potest omninò in affectū charitatis transijsse MARIÆ viscera; in quibus ipsa, quæ ex DEO est charitas novem mensibus corporaliter requievit. *Hactenus Doctor mellifluus verissimè, ac de more suo sapidissimè, quæ sanè cujusque intellectum, nisi fortè penitus lumine naturali vacuus, aut plusquam Cimmerijs tenebris circumvellatus sit (quod à vera fide aberrantibus contingere assolet) mirificè afficiant, convincantq; necesse est. Quis enim credat DEI Filium, qui de honoranda Matre legem tulit, eamq; in Cruce suo Discipulo Ioanni, tanto cum affectu commendando, sanguine proprio sanxit, quis, inquam, credat, tam bonum Filium, qui ipsum summum, æternumq; Bonum est, Matrem pro nobis intercedentem aspernaturum? certè ingratum, & admodum discolum, maleq; moratum Filium hujusmodi censeremus, qui Matrem, quæ eum genuit, lactavit, tantâ curâ enutrivit, educavitq; aliquid æquum, justumq; postulantem repelleret. Et quis DEI Filio hanc ingratitudinis notam inurendam, nisi forsitan amens sit, judicabit?*

Postremum denique quod ex eodem tam fideli Virginis apud Filium pro nobis patrocinio, consequitur est summa quædam, atq; excellentissima post DEVM veneratio. Hanc Catholicæ Fidei Adversarij planè cæci, gloriæq; Virginis, hominum omnium amantissimæ invidi, Idololatriam vocitare, aliasq; diras, atque execrandas blasphemias, quas piæ aures fidelium audire perhorrescunt, evomere consueverunt. Quæ sanè cùm audire cogimur, libet cum S. Polycarpo S. Ioannis Apost. Discipulo exclamare: Bone De⁹ in quæ me tēpora reservasti, ut hęc audiam?

Non hic nobis animus Fidei ventilare controversias, solum illud dixisse obiter sufficiat, triplicem à Theologis cultum definiri consuevisse. Primus est Latriæ, qui soli DEO, ut Creatori, rerumque omnium primo Principio debetur: Alterum Duliæ, qui Sanctis DEI charis amicis exhibetur. Postremus Hyperduliæ, qui soli DEI Matri, ob intimam illam, quam habet, præ omnibus Angelis, Cœlitibusq; cum DEO vicinitatem, unionem, gratiarumque omnium; illi divinitus communicaturum plenitudinem.

Qui sanè cultus etiam ipsius imaginibus exhibitus nullâ ratione dici potest Idololatricus. Cùm enim Iconem Virginis, sive pictam, sive sculptam veneramur, non tam Iconem, sive materiam, ex qua constat, ligna nimirum, lapidesq; adoramus, quam illam, cujus nobis Personam repræsentat. Quæ quia DEI Matrem totius creaturæ, etiam Angelicæ Reginam, omnibus cœli, terræq; ornamentis condecoratam, nobis ob oculos proponit, ideò illam

super omnes DEI Servos, super omnem creaturam, etiam Cherubicam, atque Seraphicam, peculiari cultu, qui Hyperdulia, uti diximus, appellatur, censemus adorandam, non tanquam rerum omnium Principium, sed velut Creaturam nobilissimam, alteramq; quandam Pandoram ab ipso increato illo Principio, summa cum Omnipotentiâ, atque Sapientiâ, velut manibus proprijs efformatam; quod & ipsa de se ingenuè fatetur: Ab Initio sive Principio, *inquiens*, creata sum.

Cultu hoc Hyperduliæ DEI Matrem agnovit esse dignissimam Sanctus ille, ac nunquam satis celebratus Rex Stephanus, qui ejus Nomen Divinum aliquid (utpote Tetragrammaton, sicut illud Iehova) præseferre intelligens, id voluit esse ineffabile, cujus loco Dominam intercalabat. Eandem ob causam, auctore Episcopo Canadiensi Gerardo, audito MARIÆ Nomine Sacrosancto, mox capite aperto poplites flecti in toto Pannonia Regno, pro egregia illa sua in Vniversorum Dominam pietate, imperavit.

Mira profectò sunt, quæ Bonfinius in Hungarica Historia de ferventissimo Sancti hujus Regis in DEI Matrem, amoris, fiduciæq; plenissimo posteritati mandavit affectu: Assiduis Divam Virginem, *inquit ille*, precibus exoravit, ut se, suumque Regnum perpetuo magna Mater patrocinio tueretur, cujus tutelæ, ac potestati, se, Hungarosque omnes addixerat, omniaque suorum studia, fortunasq; dicaverat. Quin etiam illud solennè promulgavit edictum, ut omnes diem B. V. quo inter Divos relata fuit, inter celebratissimos haberent, Dominæque diem appellarent, ac cætera ejus festa jejunijs, & singulari solennitate transfigerent. Hanc demum peculiarem sibi Deam, pientissimamque sibi Patronam in cœlo, terrisque ducerent. Quin etiam ut ejus Numen semper Hungaris æquissimum redderet, celeberrimam in Alba Regali Basilicam dicavit, ubi Regum corpora reconduntur, ibique ex instituto creati Reges Diadema suscipiunt. *Quæ quanta magnificentiâ, quam Regiâ planè amplissimorum sumptuum profusione sit ædificata, quot vasis aureis, argenteisq; nec non Iconibus, metallis eisdem conflatis, pretiosissimis gemmis, margaritisq; exornatis, veste item multo auro unionibus, lapillisq; asperâ redditibus denique copiosissimis locupletata, varijsq; immunitatibus donata fuerit, quia partim ex oculatis testibus, partim ex Historicis fide dignissimis constat, silentio prætermittimus. Quâ ejus effusissimâ liberalitate, atque erga Virginem tam insigni Hyperduliâ, crediderim illum intercessione ejusdem apud Filium, Coronâ Regiâ, ingenti sumptu, à summo in terris Vicario fabrefactam, & Poloniæ Duci destinatam, Divinitus fuisse donatum, tituloq; Regis Apostolici, cum innumeris à Sede Romana concessis privilegijs decoratũ.*

Decad. 2. lib. 1.

Quid de illo tam eximiæ ejus Hyperduliæ actu dicam? cùm morti proximus, convocatis Ecclesiarum Præsulibus, Regnique Proceribus, omnes in primis ad initam Salvatoris nostri Catholicam Fidem pertinacissimè (*ita loquitur Bonfinius*) retinendam, omnemque virtutem amplectendam esset adhortatus, tandem Basilicas, & universa Collegia Sacerdotum, item Regnum, animamque suam cum universa fidelium multitudine, profusis lachrymis, & elevatis in cœlum manibus Divæ Genitrici perpetuæ Virgini, ac unicæ Hungarorum Dominæ, Deæque instantissimè commendavit.

Ex quibus omnibus profectò ardens inprimis in DEI Matrem ejus amor & charitas, deinde insignis erga eandem Hyperduliæ cultus, quo post DEVM summè eam veneratus est, eluxit, dum ejus honori Regnum universum, semetipsum totum, animamq; imprimis, ergastulo corporis emigrantem consecravit.

Vnde crediderim omninò, ob propensissimam hanc in summam DEI Parentem voluntatem, favorem illum singularem fuisse consecutum, ut ipso Vir-

ginis

ginis in cœlos ab Angelis assumpta die, ex hac ærumnarum, lacrymarumq; valle ad æviternam Fœlicitatem cum illa proficisceretur.

In qua tam fœlici emigratione id Sancto Regi contigisse visum est, quod Aviculæ illi, quæ Regulus appellatur; Hæc siquidem Aquilam, ut fertur, ad Solis rotam evolantem conspicata, ad eandem ipsa quoque anhelans, nec suis id viribus assequi valens, ipsi innititur, tandemque voti compos effecta, sicut Aquila avium omnium Regina, sic earundem ipsa quoque Regulus creatur. Nimirum Virgo Beatiss: Aquila est illa Ezechielis, grandis magnarum alarum, ut eam S. Bernardinus Senensis nuncupat, quæ Sanctissimum hunc nimium quantum sibi dilectum Regem, suæq; fiduciæ, ac Patrocinio quodammodo innitentem, velut Regulum quempiam secum in cœlos extulit. Coment in Apoc.

Eodem Hyperduliæ cultu S. Gerardus Chanadiensis Episcopus, & Martyr DEI Matrem dignissimam prosecutus est, quando ei thus, quod soli DEO, opinione vulgi, convenit adolendum præcepit. Siquidem erectâ in honorem Virginis arâ, positoq; ante Sacram ejus Iconem argenteo magni precij thuribulo, duos ætate provectos, ac graves, virtutibus conspicuos destinasse memoratur Viros, qui noctu, dieq; vigilarent, curarentq; ne unquam suavissimi odoris in tanta Regina honorem Thymiama desideraretur. Quâ tam insigni erga DEI Matrem veneratione nullo modo cultum soli DEO debitum, in illam velut Principium rerum omnium transtulisse credendus est, hoc enim esset cultum Latriæ, ab ipso creaturarum omnium Auctore in creaturam transferre, quod execrandum Idololatriæ crimen est.

Obversabantur nimirum menti Sanctissimi hujus Præsulis, ut & pientissimi Regis Stephani præclarissimæ Virginis virtutes, excellentissimaq; Divinæ gratiæ ornamenta, quibus præ Angelis, Sanctisque omnibus, uti prius diximus, anima illius erat decorata; obversabatur Divina Maternitas, dignitas hujusmodi, quâ nulla major sub DEO excogitari potest; ad quam cum mirificis perfectionibus, ad Divinas proximè accedentibus fuerit disposita, jure thus ipsi accendendum, non tanquam totius universi Principio, vel Auctrici, sed velut creaturæ eminentissimæ ad confinia Divinitatis, infinitâ illâ propè modum nostro concipiendi modo gratiarum plenitudine quam vicinissimè appropinquanti, sapientissimè censuerunt.

Tanta enim Majestas toto ore, oculisq; Virginis promicabat, ut Divinum quoddam Numen mortali carne circumseptum sibi in DEIpara mortales cernere viderentur. Quod in se Magnus ille Areopagita expertus ad Magistrum suum Apostolum Paulum scribens, sensum hunc suum ita exposuit: Testor qui aderat in Virgine DEUM, si tua Divina mente concepta non me docuissent, hanc verum DEUM esse credidissē. *Hinc jam sæpiùs memoratus D. Epiphanius contra Collyridianos disputans, sensit eam ob causam DEIparam, â Filio in Nuptijs Canæ Galilææ Mulierem fuisse dictam, ne ob Sanctimoniæ splendorem, ac Majestatem quam præseferebat, existimarent aliqui, eam esse Deam;* Sanctum erat, *inquit ille*, MARIÆ corpus, & selectum quoddam Vas, atque eximiū fateor, non tamen Deus illa fuit. Eadem & Virgo extitit, minimè tāmen nobis ad adorandum proposita *(adoratione videlicet Latriæ, quâ DEUS ipse colitur)* sed eum adorans ipsum, qui è sua carne genitus, è cœlo, ac Paterno Sinu descenderat. Quare sanctum quoque nos Evangelium præmunire voluit; in quo ita Christus loquitur: Quid mihi & tibi est Mulier? Nondum venit hora mea. Vbi iccircò Mulierem appellavit, ne quis B. Virginem excellentioris alicujus esse Naturæ, *(nempè Divinæ)* crederet; eoque vocabulo quasi vaticinans ad ea schismata, Hæresesque refutandas usus est, quas in Orbe terrarum excitandas cognoverat; ut nemo Sacrosanctæ Virginis vehementiori quâdam admiratione permotus, sese ad

Lib. 3. cont. Hær. cap. 79.

Joan. 2.

ad illius Hæresis nugas, ac deliria converteret. Hæc Epiphanius.

Epistola ad Epict. *Hinc denique S. Athanasius scribens ad Epictetum Corinthiorum Episcopum contra Hæreticos, ut ostenderet DEIparā non Deum, sed verè hominem fuisse, & verâ carne humanâ, ex ejus purissimis Sanguinibus coalita, DEI Filium, velut Regio quodam paludamento vestiisse:* Gabriël, *inquit*, ad eam ipsam legatur, neque simpliciter ad quamvis Virginem, sed ad Virginem desponsatam Viro, ut Sponso ostenderet, MARIAM verè hominem esse.

Occurrebat demum his Pannoniæ Solibus, S. Regi Stephano, & Gerardo Episcopo, alijsq; Viris Sanctissimis, ac studiosissimis DEIparæ Cultoribus, ac clientulis tam profusâ pietate eam venerantibus, occurrebat, inquam, communis ille hominum conceptus, quod honor, & gloria Matris redundet in Filium, qui juxta legem de honorandis Parentibus à se latam, & ipse Debitorem Matris honorandæ se esse agnoscens, mirificè Matris honore, atque veneratione delectatur, ut pote qui olim in annis puerilibus erat Luc. 2. subditus illi, *ut loquitur S. Lucas; licet tantâ Sapientiâ polleret, quanta cum trigesimum tertiū ætatis annum ageret, ut pote ipsa æterna DEI Patris Sapientia.*

O quam præclarè S. Methodius Græcorum Patrum antiquissimus Olympi, & Tyri Episcopus & Martyr gloriosissimus, Divinā hanc Virginem alloquens, pronunciavit: Orat. in Hypapā. Tu DEO alioquin nullius rei indigo; carnem quam non habebat, mutuata es, ut nimirum hâc ratione Omnipotens, id quod esse dignatus est, homo videlicet, verè appareret. Quid hoc illustriùs, quid sublimiùs? Qui cœlum, & terram implet, cujus præterea sunt omnia quæcunque moventur, atque subsistunt, is tui factus est indigus! Tu enim admirabilem Incarnationem, quam aliquando non habuit, DEO mutuo dedisti. Euge, euge Mater DEI, & Ancilla. Euge, euge quæ debitorem eum habes, qui omnibus mutuatur, DEO enim universi debemus: tibi autem, etiam ille debet. Proinde qui dixit: Honora Matrem tuam; ut is decretum à se promulgatum observaret, atque alios excederet, omnem Matri gratiam, atque honorem impendit. *Hæc Methodius; Quæ sine dubio, ut & alia quamplurima Virginis præconia mentis oculis Sanctissimi Præsulis Gerardi sese tunc objiciebant, cùm apud se statueret, nihil unquam cuipiam negaturum, quod in Nomine MARIÆ fuisset postulatum. Unde cùm dulcissimum Nomen hoc ad aures eius adlabebatur, exæstuantis amoris castissimi in illam flammis accensus, totusq; pietatis dulcedine colliquescens, remittebat offensas omnes, ac injurias, affectuq; amplissimo, atq; liberalissimo, quidquid MARIÆ amore flagitaretur communicabat, ne Nomen tam Divinum in vanum nominatum fuisse videretur. Insignis quoq; fuit plurium Virorum Sanctissimorum, eaq; admirabilis, ut passim videre est in eorum rebus gestis, erga Virginem Hyperdulia.*

Ac ne procul abeam Angelicus ille Iuvenis è minima Societ: nostra Ioannes Berchmannus Belgij Jubar fulgidissimum, adeò impensè totius vitæ decursu DEIparam veneratus est, ut omnes penè ejus actiones non aliud, quàm Magna DEI Matris Hyperdulia viderentur. Unde P. Jacobus Canisius noster accuratè ipsius describendo vitam, ostendit totam Marianam fuisse Hyperduliam, cui proinde hujusmodi titulum præfigendum censuit: Hyperdulia Mariana, à Joanne Berchmanno, primum Mariano Sodali, postea Religioso Societatis JESU exercita. *Innumera alia missa facio, quæ ad DEIparæ defendendum honorem adduci possent; Cùm hæc prolixiùs tractare instituti nostri non sit.*

Sufficiant hæc, Comes Illustriss: *quæ hac mea ad Te Epistola, Tuo Nomini MARIAM Mundi Archetypi, seù Divinitatis Speculum dedicante, ac consecrante præmittenda, imò velut Herculis Clypeum*

peum opponenda, operæ precium me facturum arbitratus sum, quo cavillationes, obtrectationes, ac blasphemias, honori, gloriæq; DEI Matris invidentium, velut plumbea spicula possimus eludere. Meâ Tu quidem instructione, hac in parte non indiges; satis jam in fidei controversijs, pro hoc exiguo tempore, quo lumen veritatis aspexisti, Divinâ Tibi cœlitus mirificè affulgescente luce, instructus es, ut jam Apostolicum Regem Stephanum, erudiendo alios, eosq; ad Catholicam Religionem amplectendam, egregiâ Tuâ in DEUM, ejusq; Matrem pietate, ardoreq; Fidei, Apostolicum, ejus munus obeundo, æmulari videaris. Experti sunt Tuum hunc ardorem in primis Aulæ Tuæ Viri nobiles, quemadmodum & alij complures inferioris sortis homines, quorum amplius sexaginta veritati manus dedere. Experti sunt sanctum hunc, ardentemq; zelum fidei, in tuæ Jurisdictionis, Dominiorumq; tibi subditorum vicinia aliqui Hungariæ Proceres, qui tam præclaro pietatis provocati exemplo, pijsq; colloquijs, saniora consilia meditari incipiunt, ex quibus jam repertus Vir Illustris, qui ejuratâ hæresi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gremio, magno animi sui solatio receptus est.

Non indiget quoque defensione nostrâ adversus malevolorum, atque obtrectatorum ora Virgo ipsa æviternæ Sapientiæ Mater potentissima, cui facilè est horum miserabilium, ac deploratorum hominum malignas voluntates vel flectere, vel plectere, & tantam cæcitatem illuminare, cùm sit Mulier illa Apocalyptica, tota quanta admirabili, à capite ad calcem, luce perfusa, Stellis duodecim coronata, Lunâ calceata, sempiterni Solis Justitiæ radijs convestita. Apoc. 12.

Non est, inquam, indiga Virgo nostra, ullâ ope nostrâ ad se defendendum contra hæreticorum blasphemantium calumnias; cùm ipsa sit fortissima, atque inexpugnabilis illa Turris David ædificata cum propugnaculis, mille clypeis circumsepta, omni armatura fortium, cœlestiq; Panopliâ tota circumvallata. Cant. 4. Ipsa est denique quæ universam pessumdedit Hæreticorum pravitatem, eorundemq; Antesignani, Tartarei nempè colubri caput virulentum, tanquam vilissimum vermiculum contrivit.

An non Virgo hæc humanâ ope, atq; defensione se minimè indigam esse ostendit, cùm nasutulum illum, impiumq; militem, ut scribit Justus Lipsius, ore sacrilego jactantem se expugnato oppido, velle Hallensi Muliercula (statuam Virginis intelligebat) nasum abscindere, tam mirabiliter plexuit: In B. V. Hallensi. Vix enim hæc evomuerat, cùm ecce impuro huic Scurræ glande plumbea nasus excutitur. Hinc factum ut rideretur ab omnibus, & Hallas ad recipiendum nasum amandaretur.

Non ergo potentissima hæc totius Universi Regina ullius hominis, aut Angeli ope, aut protectione contra blasphemos indiget, utpotè, quæ est omninò insuperabilis. Unde B. Georgius Nicomediensis Archiepiscopus, inter Græcæ Ecclesiæ Patres penè antiquissimus, ipsius maximæ potentiæ, virtutisq; validissimæ probè conscius, ita ipsam alloquitur: Orat. de Præsent. B. V. Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile, nihil tuæ resistit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo jussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ potestati serviunt. *Sic ille.*

Quo fine igitur hæc, quasi Galeatum quemdã Prologum præmisimus? Non alio sanè, quàm nostri proximi charitatis intuitu, ne nostræ fidei Adversarijs, DEI Matrem calumniandi, atq; blasphemandi ansam præbere, dum quædam à communi loquendi de laudibus B. V. usu remota, ex sacris literis, Patribusq; deprompta, (quæ tamen nos de fide credenda esse, nullo modo asserimus) in lucem proferri legunt. Quæ profectò cùm audiuntur, nisi quis & benè doctus, & à pravis affectibus, ac præsertim malevolentiâ, atque invidentia adversus Sanctam DEI Matrem liber sit; facili negotio, in Diaboli laqueos, ac pedicas incidet, spirituq; execrando blasphemiæ afflabitur, nec non suam damnationẽ, iramq; justi Judicis in die iræ cumulabit. Verissimè enim de hujuscé farinæ hominibus S. Judas Apostolus pronunciavit:

Quæcunque ignorant, blasphemant; *Licet enim lumen aliquod naturale habere videantur, illud tamen adeò tenue, ipsorum sceleribus obfuscantibus, est, ut Planetarum errantium in cæca nocte, ad res fidei supernaturales perdiscendas, simillimum esse videatur. Vnde & eosdem,* sydera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum, *vocitare non dubitavit. Pergit ibidem eosdem suis coloribus depingere:* Hi sunt murmuratores querulosi, secundùm desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba, *cùm videlicet in DEVM, ejusque Matrem jactant blasphemias. Denique hi sunt illusores illi, quos venturos prædixit idem Apostol.* in novissimo tempore, secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Hi Dominationem spernunt, Majestatem blasphemant, *nempè B. V. maxima post DEVM totius Vniversi Domina, ac Regina potentissima, præclarissimis suis virtutibus, ac privilegijs, Divinam in se Majestatem repræsentantis.* Et hos quidem arguite judicatos, & salvate de igne rapientes; alijs autem misereminì in timore.

Quibus in verbis Sanctissimi Apostoli, pietatis ejus viscera libet intueri, admirari, imitari, quibus ita tenerè erga homines hoscé incredulos, & jam à supremo, æquissimoq; Judice judicatos, sempiternisq; ignibus Inferni destinatos eripiendis, ac salvandis affectus fuit.

Vnde ad ejus imitationem sub protectionis Tuæ umbra, ac patrocinio, Comes Illustrissime, *hæc obiter eorum gratiâ, & amore, in medium adferre volui, non ut arrodi, aut proscindi videantur, sed ut suam cæcitatem, omnemq; malevolentiam, edacemq; illum, qui eos conficit livorem in DEI Matrem, erga mortales omnes benignissimam, eorumq; Salutis cupidissimam, deponant, eandemque ut Matrem pulchræ dilectionis, quæ increatam, substantialemq; Dilectionem, nempè DEI Filium, bonorum omnium Fontem Mundo edidit, tanquam obsequentes filij, castissimo amore complectantur; eandemque, tanquam Creaturam Orbis totius præstantissimam, summo post DEVM, super omnes Angelos, reliquosq; Cælites cultu, qui Hyperdulia est, venerentur.*

Ad quod sanè faciendum, præter hoscé titulos, quorum jam memini, alijs sexcentis obligantur, ac præsertim illo, quod tantâ cum benignitate animarum Zelo exardescat, earundemq; ad veram Catholicam Religionem revocandarum pijssimâ solicitudine afficiatur.

Illius nimirum verba sunt illa ad dilectissimũ suum Filiũ animarum Salvatorẽ, charitate plenissimâ: Veni Dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala Punica: Ibi dabo tibi ubera mea. Cant. 7: 10.
Quæ verba Sancti Patres, alijq; Viri pij, ac docti esse B. Virginis Filium ad salutem, conversionemq; animarum excitantis asseruerunt. Hinc Cardinalis Ioannes Halgrinus: In his verbis, *inquit,* Mater ostendit solicitudinem, quam gerit pro Ecclesia, qualiter solicitet Filium, ut eam visitet, & profectus videat, quatenus, quod minus est, visitando compleat.

Quod si pro Vinea Ecclesiæ, ut proficiat, in virtutibus, alijsq; bonis operibus, quæ per flores, fructúsq; designantur, est adeò solicita, quid faciet pro sua hac inclytæ Pannoniæ Vinea, olim sibi tantopere dilecta, ob merita præsertim Sancti illius Regis sibi devotissimi, ejusq; Filij Emerici Adolescentis verè Angelici, qui DEI Matris Virginitatem, ac Sponsi ejus Joseph castissimum connubium imitatus, Virginitatis florem ad ultimum usque vitæ suæ halitum illibatum DEO, Virginiq; Matri custodiuit; Quid, inquam, aget, pro hac sua Vinea, quæ facta est à fide dilectissimi Filij sui aliena, quam singularis ille, stygiusq; Ferus omnium Hæresiarcharum caput, depastus est, sepem ejus, Observantiam videlicet erga Romanum Pontificem,

quæ

quâ circumsepta, semper illæsa, ab omnibus ferarum incursibus conseruata est, demoliendo; Vnde ea sublatâ facta est in dereptionem Spirituum immundorum, in prædam denique Turcarum acerbissimorum Christiani Nominis hostium, cujus durissimo jugo oppressa, in pœnam avitæ Religionis Catholicæ deserta, in qua quingentis, & amplius annis summâ cum pietate perseuerauit, miserabilem, majori ex parte (licet quamplurimi jam etiam Proceres, quæ DEI benignitas est, Divinâ eorum corda permovente, atque illuminante gratia, Catholicæ fidei lucem aspexerint) seruit seruitutem, producitq́; , prô dolor, non uvas, sed labruscas, imò uvas fellis, & botros amaritudinis; hinc vinum eorum factum vinum Draconum, & venenum aspidum insanabile, uti cum lacrymis, gemituq́; suo magno, Sancta Catholica experitur Ecclesia, omnesq́; ejus filij, qui syncerâ ipsam charitate cõplectuntur. Vt porrò Virgo benignissima ostendat Materna se prorsus pietatis viscera habere erga hujusmodi Fidei avitæ desertores, cupereq́; se ad instar filiorum eos amplecti, ac proprijs uberibus, pietatisq́; lacte velut charos filios enutrire, illa verba subjunxit: Ibi dabo tibi ubera mea; *quæ verba Rupertus Abbas Vir doctissimus, ac Religiosissimus, & Guilelmus Anglicus apud Delrium in Cantica sic interpretatur:* In Ecclesia gentium dabo tibi ubera mea, quæ & in Ecclesia Iudæorum olim tibi dedi. Verè apud Judæos dedi tibi ubera corporalia ad pascendum te; porrò in Ecclesia gentium dabo tibi ubera mea spiritualia ad pascendos tuos (*quos videlicet ad tuam veram, Catholicamque Fidem converterimus, & in Vineas Domini Sabbaoth excoluerimus*) spiritualiter enim pascam parvulos tuos, lacte Maternæ pietatis, quæ te olim pavi lacte corporali, pro veritate carnis. Denique pro eo, quod ego tibi sum Mater corporalis, ero tuis Mater spiritualis, Maternâ charitate quasi proprios parturiens filios, donec plenius formeris in eis; Maternâ ibidem curâ nutriens eos; donec usque in Virum perfectum grandescas in eis. Totum autem hoc faciam eos tibi assiduè commendando, & augmenta gratiarum eis, pijs à te precibus impetrando. *Quæ verba Virginis, charitate plenissimâ, cujus quæso vel ferreum, adamantinumq́; pectus non emolliant; cujus cor glacie frigidiùs ex eis non incalescat, non liquescat, ac fluat?*

Considerent igitur pijssimam hanc DEIparæ de salute eorum solicitudinem, atque interpellationem, & ad hanc adeò benignam, adeò Generis humani, ac præsertim totius Regni Pannoniæ amantem Dominam, DEIq́; ipsius, & hominum Parentem optimam redamandam, summâq́; veneratione colendam, accendantur. Atque hæc pro meo Christianæ benevolentiæ, commiserationisq́; in ipsos affectu, hic perstrinxisse sufficiat.

Veniam dabis Comes Illustrissime, *quòd suauitate argumenti, Zeloq́; juvandi, ac in recta Fide Orthodoxa erudiendi proximi illectus, Epistolæ limites excessisse visus sim.*

Novi te mirifico Virginis amandæ, colendæ, ac imitandæ studio teneri, vehementerq́; cupere, ut omnes, præsertim Pannoniæ Proceres, ad illam similiter diligendam, venerandamq́;, uti par est, accendantur. Eam ob causam Gentiliciam Tuam Anatem niveo candore, (cujus generis, idem noster suprà memoratus Nierenbergius in India etiam, eas q; pulcherrimas reperiri testatur) candorem Marianæ puritatis præseferentem, insignem esse voluisti, quo te, & ipsius amantem, & ejusdem puritatis imitandæ studio cupidum, ostenderes. Cùm enim Virgo ipsa sit Libanus, hoc est, Candor ipse, & candidatio (ipsâ attestante: Ego quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam) *consequitur profectò, ut ipsius clientuli, ejusdem candoris, puritatisq́; æmulandæ, si ejus genuini esse cupiunt filij, studio teneantur. Novi etiam te Virginearũ laudum præconijs, & maximè, eum in finem directis, atque accomodatis; ut pro-*

Lib. 10. c. 26.

Eccli. 24.

ut proximi ad Fidem Catholicam convertantur, perinde oblectari, atque Anatem aquis; ideò, ut tibi rem gratam fecisse viderer, abripi me hic in laudanda Virgine passus sum: in cujus laudibus jure merito Peligni Vatis illud usurpare libet:

Metam. lib. 8.

Non mihi si centum DEUS ora sonantia linguis,
Ingeniúq; capax, totumq; Helicona dedisset,

minimam earum particulam adæquare possem.

Denique omne hoc quale quale opus, quod totum Marianis constat laudibus eâ potissimam ob causam Nomini Tuo dedicandum censui, ut si Mariomastigæ, Virginisq; hujus Immaculatæ osores, ac superciliosi Momi, ejus honori, gloriæq; aliquid detrahere attentarent, ego, imò Virgo ipsa, licet minimè indiga, uti diximus, in te acerrimum Propugnatorem, ac velut Septemplicem Ajacis Adamantinum, inexpugnabilemq; Clypeum invenirem.

Perge igitur, Comes Illustriss.: *macte animo, generosâq; virtute, in hiscé tuis tam ardentibus Virginis colendæ, ejusque gloriæ amplificandæ desiderijs; summam profectò apud* DEUM, *hominesq; rectæ rationis ductum sequentes honorem consequeris, tibiq; Virgo obvians, tanquam Mater à te condigno cultu atque veneratione honorificata, te vicissim honorificabit, ac velut dilectissimum suum Spiritualem Filium, quē tanquam lectissimū IESU Christi membrum, intactâ Virginitate simul cum illo in Spiritu peperit, obvijs amplectetur ulnis, suarūq; plenitudine gratiarum, bonorumq; omnium copiâ, pro ingenita sibi liberalitate, ac munificentiâ cumulabit. Deniq; beabit illa te etiam in hac vita, uti initio memoratum, tibiq; illius æterna Beatitatis delicias, cupediasq; delibandas, altissimâ cum consciētia immaculatæ pace, quæ Divinâ gratiâ continetur, & in Eucharistia Sacramento, velut gratiarum omnium Fonte principali copiosè hauritur, exhibebit. Quæ omnia*, Comes Illustrissime, *propriâ hactenus experientia te didicisse crediderim, ut proinde prolixiori meâ exhortatione minimè indigus esse videaris.*

Menstrua nimirū illa hujus Augustiss. Mysterij frequentatio Solis illuminatio est, quæ tuæ menti affulgescens, præclarissima illa de propaganda passim DEI gloria, ejusdemq; Catholicâ Fide tibi tam insignia dictat lumina. Sol verè est, Ecclesiæ, & cuilibet animæ Eucharistia Venerabile Sacramentum. Quemadmodum enim Sol iste, quem quotidie cernimus, quintâ die à primis Mundi incunabulis, à suo conditus fuit Creatore, unico illo verbo Fiat: Fiant luminaria in firmamento; Gen. 1. *ita quoque eodem die quinto, quinis illis Consecrationis verbulis, Increatum illud, omnipotensq; æterni Patris Verbum, Solem hunc admirabilem in Ecclesiæ Firmamento*, Lumen hoc indeficiens in Eccli. 24. ejusdem cœlo fecit exoriri.

Idem Sacramentum erit tibi alterum luminare, nempè Luna plena lucens in diebus suis, *ut illud Philo Carpàthiorū Episcop. appellat, in hac hujus sæculi nocte, tenebrisq; hæreticæ pravitatis, quæ miserā Pannoniam, velut olim Ægyptum (quod sine gemitu, intimoq; animi mei dolore profari nequeo) occupârunt, inter quas, Tu* Comes *verè* Illustrissime *luces, ut inquit Apostolus*, sicut luminaria in Mundo; *tecumq; in dies singulos virtutes tuæ, cum hac lucidissima Luna purissimi Sacramenti, in tanta infidelitatis nocte, errorumq; caligine, velut Stellæ magis enitescent, tuumq; cor in hac vera fide confirmabit, uti in novo Orbe novellos Christianos Japones; qui licet acerbissimis affecti essent supplicijs, ab infidelibus, ac barbaris, lentis ignibus ustulati, gelidissimis aquis collotenus in corde hyemis demersi, unicum tamen in laudibus hujus Mysterij invenere Solatium, simul cum nostris Patribus:* Sit laudabile Sanctissimum Sacramentum; *pleni gaudio unanimi consensu concinentes.*

Denique ex hac Sacramenti hujus frequentatione menstrua (quam etiam iter faciens magnâ bonorum omnium, uti audio, approbatione nunquam quoad fieri potest, intermittis) alios etiam fructûs admirabiles, dulcissimosq; omnem sensum

exsu-

exsuperantes percipies. Nimirum Epulum hoc Divinum, est Lignum vitæ, & vitæ quidem illius immortalis, ac perennis, quam hic virtute hujus Sacramenti inchoamus, & quasi delibamus. Est, inquam, Lignum vitæ, per singulos menses reddens fructum suum, ut Sanctus loquitur Apostolus Joannes; quos ego fructus jure dixerim esse illos Spiritus Sancti, de quibus D. Paulus: Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.

Apo. 22.

Gal. 22. 5.

Quibus addendus omninò videtur alius quidam fructus sapidissimus, nempè vitæ, morumq; vigor, ac novitas, senij, interitusq; omnis spiritualis expers.

Quidquid enim calor concupiscentiæ, nobis à natura insitus, humidi radicalis Divinæ Charitatis consumit, hoc gratiæ suæ communicatione idem Sacramentum, velut vitalis arbor restituit. Ejusdem Arboris fructus est illa conscientiæ, Luci solari, Lunæq; simillima puritas: ardoris item concupiscentiæ temperamentum, refrigeriumq; dulcissimum, ac denique virtutum omnium, ac gratiæ Divinæ incrementum. Continetur scilicet hoc Mysterio Dominus virtutum, continetur ille, in quo complacuit omnem gratiæ plenitudinem habitare, ac proinde tibi minimè dubitandum est, quin de tanta hac, tamq; immensa Incarnati Verbi bonorum omnium plenitudine sis copiosissimè participaturus.

Non hic Ecclesiastem, aut exhortatorem ago. Abripit me, ut verum fatear, ardens ille, quo Dominationem Tuam Illustrissimam, syncero, ob egregiam indolem, solidam virtutem, Zelumq; Catholicæ Fidei (absit verbis assentatio) in Christi visceribus complector affectus; qui etiam ad Epistolam hanc exarandam, adeò incitavit calamum, sat tardum, ac desidem aliàs, ut alas ei omninò addidisse visus sit, cùm paucis horis omnia hæc currenti pennâ profusa sint. Progredere hoc, quo cœpisti passu, Heros Ecclesiæ fortis, ac Magnanime. Sic enim futurum est, ut in primis DEO, uti Tuum nobilissimum fert Symbolum, deinde Regi, Augustiss: Imperatori Ferdinando III. ac demum Patriæ vivas, Tuaq; vita cum tanta virtute, rectâq; ratione conjuncta fructum uberem experiantur.

Hanc porrò vitam, ut Divina Bonitas tibi longam, vegetamq;, absq; lethali noxa (quod Christiano maximè in votis habendam) concedat: eaq; hujus modi sit, quæ secundùm dies ligni vitæ, ut loquitur Isaias, vitæ, inquam, primigeniæ illi fœlicissimi status Innocentiæ, sit quam simillima, tibi medullitus adprecor, simulq; Divinæ illius Bonitatis Parentem Optimam, Maximamq; obsecro, ut eandem vitam tibi fortunatam, verâ illâ, prosperâq; Christianorum Fortunâ; quæ ipsa Virgo est, communicet. Quod ipsa pro innata sibi benignitate faciet, absque dubio, assiduè te velut propitium, benignumq; Sydus illuminando, castissimo suo amore cor tuum instar Solis, suo calore, à quo nemo se potest abscondere, calefaciendò.

Isa. 65. juxta 70. Interpp.

Quocirca prosperam hanc, beatamq; Christianorum Fortunam, ut olim suam Romani Imperatores aureis simulachris expressam habebant in cubiculis; tu habeto intimis cordis tui penetralibus, pulcherrimis ejus virtutibus, repræsentatam, tibiq; versetur semper ob oculos, velut lucidissimum Divinitatis, ejusq; perfectionum Speculum; quas tuis moribus ubi, pro virili expresseris verè fœlix, verè fortunatus, & divitijs cœlestibus, Divinisq; thesauris, omnibusq; virtutibus locuples evaseris. Nimirum Virgo, ut ait Divus Epiphanius Stupendus est Ecclesiæ, imò & DEI Patris amoris Thesaurus, ut eam Sanctissimus ille Martyr Methodius salutavit; in quo cumulando Divinitatis suæ opes exhausisse quodammodo (liceat ita loqui) visus est. Unde Venerabilis Presbyter Beda, magno pietatis sensu DEIparam alloquens, exclamavit: O Virgo Beatissima, in te sola Rex ille dives, & prædives exinanitus est. Idem Virginis amantissimus Presbyter citatus à P. nostro Quirino de Salazar ait Spiritum Sanctum cui propria est Bonitas, ejusdemq; Communicatio, tam copiosè in Virginem ve-

Lib. de laud B. V.

Orat. in Hypapā.

In cap. 8. Prov. n. 303. *nisse*, ut quantū ipse valeat, ostenderit. *Quo humano loquendi more, ac modo, incomprehensibilem quandam gratiarum Virginis abundantiam indicauit, quibus ad Diuinam quandam æquilitatem; quemadmodum loquitur S. Bernardinus Senensis, ut esset Mater DEI, eleuata est*, (*non tamen ita, ut æqualis ullo modo esse potuerit, cùm pura extiterit, uti sæpiùs diximus creatura*) Tom. 2. ser. 61. art. 1. c. 12.

Quare præclarè idem doctissimus Salazar: Vt Spiritus Sanctus, inquit, suam illam infinitam sese communicandi appetentiam levare, ac relaxare posset, de industria adscripta, & commissa est ipsi Mariæ, ut in illa mirabili quâdam omniū suorum donorum affluentiā superueniret, juxta illa Angeli verba: Spiritus S. superveniet in te. Luc. 1. *Illud enim* superveniet, *magnam venientis, affluentiam innuit, teste Bernardo.* Hom. 4. super Missus est. *Quocirca*, Comes Illustrissime, *Virginem hanc gloriosissimam veram Christianitatis post DEVM Fœlicitatem, & virtutum omnium, charismatumq; Spiritus Sancti Thesaurum, totis medullis cordis, totis præcordiorum affectibus, uti admonet Doctor Mellifluus venerare; age quod agis, operare quod operaris; quotidie uti cœpisti, preces Horarias Magnæ Matri, velut debitam pensiunculam accuratè persoluito, eidemq; simul sertum, de more Angelicis salututionibus, ceù rosulis pertexito; Homerum hac in parte (si sacris profana miscere licitum) imitatus, qui Palladem ita se consalutare solitum fuisse ipse testatus est:*

Hymno in Pallad. Salve Dea da nobis veram Fortunam, Fœlicitatemque.

Dabit illa tibi, quæ vera, sapientissimaq; est Christianorum Pallas, mihi crede, & stabilem Fortunam, & veram Fœlicitatem, simulq; te, ad Beatitatis omnis cumulum, singularium, insigniumq; suarum gratiarum vicissim serto coronabit. Quod ut Tibi contingat, præclarissimum illud Spiritus Sancti ita docentis Monitum imis cordis Tui medullis inserito: Audi Fili, & ne dimittas legem Matris tuæ. Prov. c. 1. *Legem porrò hanc, Regulam illam Virginei Sodalitij, cui te tantâ cum voluntate mancipasti potissimum esse intellige, quæ ad Mensam Eucharisticam quot mensibus piè accumbere præcipit: Ex hac enim, uti ibidem prosequitur Spiritus hic Diuinissimus, id nancisceris*, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.

Siue ut Aquila, ac 70. legêre Interpretes: Coronam Charitum, sive Gratiarum suscipies tuo vertici. *Coronam, inquam, illi simillimam, quam olim Gratiæ summi Jouis Filiæ, ex Cœlitum virtutibus, ceù pulcherrimis flosculis contexuere, & Pandoræ capiti imposuere. Dignum quippè videtur esse, ut is qui Angelicarum Salutationum, ceù vernantium rosarum serto Virginem coronat, ab eadem quoq; & in hac vita gratiarum, & in altera æuiterna Fœlicitatis diademate immarcescibili, coronetur.*

Si enī, ut ajebat Sophocles, in solis Jovis Hortis reperitur beata Fœlicitas; *& Virgo hæc Beatissima Divini Sponsi Hortus est; habitâ Virgine, beatam certè Fœlicitatem habeas, necesse est. Quam sicut initio Epistolæ tibi animitus adprecatus sum, ita quoq; modo ad ejus calcem, ut consequaris geminatis votis etiam, atque etiam augoror, ominorq;. Vale.*

Datum Viennæ in Domo Professa Soc. IESV, Kalend. Maij. Anno à partu Virginis 1646.

Illustrissimæ Dominationis Tuæ

Servus in Christo addictissimus

Laurentius Chrysogonus
Soc: IESU Sacerdos.



INDEX
LOCORUM S. SCRIPTURÆ,
Quæ hoc in Opere explicantur.

EX EXODO.

EX LEVITICO.

&

EX LIB. PARALIP.

EX IVDITH.

EX ESTHER.

EX IOB.

Cap.

sicut

EX PROVERBIIS.

EX ECCLESIASTE.

quam

EX ISAIA.

laudate

EX HIEREMIA.

v. 4. *Misi*

SYLLABUS DISCURSUUM, QUI prima hac Parte Mundi MARIANI continentur.

B. Vir-

⁂:) ✠ (:⁂

BEATA VIRGO DEIPARA MVNDVS,

Mundo mundior, meliorque,

A R. P. LAVRENTIO CHRYSOGONO SOCIETATIS JESU concinnatus; in quem P. Daniel Hainau Sileſius ex eadem Societate ita luſit.

P O E M A.



Fuge Cimerias, fuge Munde immunde
ſub umbras; (mago,
Virgo carmen erit, Mundi melioris i-
Artificis ſapiente manu fabricata Tonantis;
Viſa prius ſimilis nunquam, nunquamq; ſequentē
Secula ſpectabunt ſimilem. Remanete Camænæ
Vertice Pimplæo, Phœboq; adludite plectris.
Delie nolo chelyn, Samia neque lege tacebo:
Suggere metra mihi Virgo, mea Muſa Maria.
Ignifero temone diem, Sol aureus Orbi
Vexerat, & totum, diſpellens nubila, cœlum
Imperio juſſit placido tranſire caballos:
Cùm Mundus roſeo auricomi Titanis ab ortu
Lætior aſſurgit, Lydoque illuſtris in auro
Circumfert oculos, ſpeculoq; acclinis amœnam
Miratur Cœli lucem, poſt talia fatur:
Ergo theatrali ſine Majeſtate peribit
Iſte dies, ô Munde tibi? ſine plauſibus iſtè
Obſcurâ involvet Titan ferrugine vultum?
Ite meæ Volucres, Pauones ite ſuperbis
Ornati ſpeculis; circumluſtrabimus Orbem,
Exorti ſeù quà pronus Phaëthontis adoras
Inde jubar primum; ſeù quà Neptunia viſit
Occiduus Sol Regna comis famulantibus undis.
Suſpicient hodie Mundi ſpectacula vultus
Cæſarei, promptiq; ruent ſub labara Reges.
Magnū eſt ſupremos pōpæ adjunxiſſe Monarchas.
Vix ea: Mundi ad ſervitium ruit Africa: ſervit
Turritis Aſiæ dives portata Camelis;
Accurritq; Europa potens ſpumantibus æquor
Diffindens remis: trabeis decorata Quirinis
Vndiq; mirando famulatur Amærica plauſu.
Atq; etiam Mundi Domitor (miracula!) Mundo
Circumfuſus adeſt ferrato milite pompam
Augens Magnus Alexander: ſic Magnus & alter
Incedit Pompejus ovans, & ſanguine quotquot
Multorum fuſo Regum ſibi nomina Magni
Victrici dextrâ rapuerunt: quotquot auitæ
Induperatores numeravit Gloria Romæ.
Non ſecus, ac quando viridi generoſa juventus
Verè favis dimiſſa volat, cœloque ſereno
Explicat inſignes acies, penniſque ſonoris
Ac fracto ſonitu voces imitata tubarum
In plauſus Regē vocat. Hunc circum agmine facto
Ludit ad obſequium, teneramq; in prælia vitam
Roſtrorumq; offert telum. Sic quicquid in Orbe
Pneumate vitali fruitur famulare theatris
Solicitas mandat dextras, & jubila Mundi
Illuſtrare jubet feſtivæ lampados igne,
Nunquam oculis luſtrata tuis nitidiſſime Titan.
O Pompam! ter mira hujus ſpectacula ſcenæ!
Mundi aulam! Superi quænam hæc ſunt monſtra? Tonantis
Sic nunquam obſequiū colitur; licet ille tremendū
Præcipitet tonitru, totumq; exterreat Orbem.
Scilicet efficta trahimur dulcedine pompæ:
Cùmq; triumphalem, perituro in marmore, vitam
Quærimus, heu miſeros! ſine limite perdimus ævū.
Hæc dū plauſibili geritur mala pompa triūpho;
Lilio amœna magis, nive candidiora recenti
Signa micant Magna Duce Virgine, Virgine Matre.
Diva erat illuſtri peplo circumflua nubis
Virgo, Deæ ſimilis nulli, ſic vicerat omnes,
Seù ſpecies niveum porrecta in fronte decorem,
Purpureaſq; genas, gemini ſeu luminis ignes;
Et benè coralinis depicta coloribus ora.
Indorum ſuperavit ebur manus utraque, toto
Et decor, & ſpecies, & tanta in corpore ſedit
Gratia, ut internum mentis ſine labe pudorem,
Et primi nunquam turpatam fœce Parentis
Quilibet egregiè poſſit deprendere formam
O Munde! ô niveo magè candida Virgo liguſtro;
O centum melior Mundis, in publica Munde
Pegmata Virgo veni! tibi lucida ſidera Cœli,
Inferiorq; Orbis promptâ famulabitur Aulâ.
Nec mora: magnifico Mundi ſub labara greſſu
Virginei, properant Caſimiri Gloria Gentis
Polonæ, Stephani decus immortale parentis
Pannoniæ, & Magnis Maiores agmine denſo
Teutonici Proceres, vultuq;, armiſq; minaces:
Queîs volupe eſt vani proſternere pegmata luxus.
Mundi etiam fallax, quos exultantis imago
Traxerat, haud pauci revocant veſtigia, poſt hæc
Candida Parthenicæ culturi ſigna Parentis.
Obſtupuit, fremuitq; animo, dum talia cernit
Ille ſuperbifico Mundus ſcurrilis amictu,
Præcipitans oculis flammas, & fulmina voce:
Quis te Munde rotat? tanti monimenta triumphi,
Longo confirmata ævo, rigidiſque Potentum
Legibus, excutiet quiſquam majoribus auſis?
Ille ego terrarum Domitor, Regumque, Ducumq;
Rex, libertatis vindex, mea ſubdere cogar
Colla jugo? video video rediviva Gigantum
Robora conſpirare ſimul: properate Volucres:
Accelerate viam: veſtrum aſportate ſub ima

Regna Stygis Regem; placet explorare Senatum
Aulæ Tartareæ: totum ipse à sedibus imis
Iuro! movebo Stygem, mecumq; in prælia ducam
Quicquid atrox, sævúq;, ferumq; enutrit Auernus.
Exolvam curis animum mordacibus, ipse
Quando bella reget Pluto; cùm fraude, doloque
Illi jam dudum solito stratagemate, Mundo
Tisiphone est proprios mihi submissura Cerastas.
Præcipiti modò perge rota, totoq; tumultus
Dite crea: melior Mundus te Munde subactum
Calcabit victore pede, elatumq; Draconis
Conteret ipse caput rigido certamine, de te
Innumeros referens Cœlo plaudente triumphos.
Virginis interea pergunt miracula pompæ
Progressu celeri, surguntq; minacia Cœlo
Pegmata mirandorum operum, quæ lassa Myronis
Praxitelisq; suo fecerunt brachia scalpro.
Non tam solicito surrexit in æthera nisu
Elatum Babylonis opus; nec Memphica tanto
Pyramis altivagas mota est conamine in auras;
Quàm Regum magnis opibus tot Templa Mariæ
Stent fulcris æterna suis. Sudata Deorum
Pergama nolo manu: nolo auri splendida luce
Amphitheatra Phari: veterũ hæc spectacula Regũ:
Virginis unius delectant Laurea Matris
Tecta, sacræq; domus: quales superũq;, hominũq;
Egregia æterno pietas veneratur honore.
Hic ego Virginei celebrarem carmine Mundi
Auspicijs ô Phœbe tuis præconia; magnum
Ni terreret opus, magna Laurentii ab arte,
Et graviore manu summa ad fastigia laudum
Virgineæ evectum pompæ. Huc attollite vultus,
Atq; avidam mentem, quotquot spectacula rerũ,
Per rabidos Ponti fluctus, tragicasq; Charybdes
Quæritis, & totum Mundi usurpare decorem
Lumine solicito: vobis hic aureus Orbis
Panditur, atq; novus sistit se in Virgine Mundus.
Munde novo quamvis Erebi pomposior umbris
In lucem remees fastu: ipsa Superbia quamvis
Lucifero comitata suo, stygioq; Senatu
Elatum attentet luxu exornare Theatrum;
Virginei nunquam Mundi exæquabis amictum.
Nempè ille est Mundus, nudâ tu voce triumphas.
Augustum tu Virgo decus! Tu maxima Mundi
Gloria, Pæstanas messes, violasque, rosasque,
Calthasque, & niveæ candentia lilia mentis,
Et reliquas Floræ gazas, meliore vireto
In tua dona foves. Animum sed plura paratum
Fundere, Laurenti retines florente loquela,
Nectareoq; stylo, solùm hoc acclamo celeusma:
Quisquis amas Mundũ, Mundũ venerare Mariam:
Crede Polum nemo, nisi sic Mundanus adibit.

IN SPECVLVM MVNDI ARCHETYPI siue Diuinitatis.




PErge Notis citior, rue mens velocior Euris;
Antevola Geticâ tela fugata manu;
I fuge, quâ Titan rutilos levat æquore crines;
I fuge quâ rursus tempora fessa locat.
Deme oculis velum, velum deme auribus: Orbis
Divitias avido lumine, & aure bibe:
Quicquid vel rarum pretio, vel nobile visu est,
Audax sollicito lumine cuncta lege.
Aurea Neptunus si pandat littora Gangis,
Si tibi Pactoli viscera pandat, adi.
Illustres mireris opes, mirêre lapillos:
Atque oculis placeat Dives arena tuis.
Delectet Tyrio, quæ Murice lana triumphat,
Et Phrygiâ recreent tegmina facta manu.
Excisos stupeas generosos marmore Achilles,
Seù Lysippe tuos, seù Polyclete tuos.
Aspice, quæ fluitant per dulcia Massica, Classes;
Atque oculos circum stagna Neronis age.
Adde etiam septem miracula maxima Mundi,
Et quicquid rarum prodiga Memphis habet.
Plura gerit Speculum Virgo. Mea Musa perenni
Vnum hoc præ reliquis carmine laudat opus.
Delicias, quas Flora fouet speciosa Vireto,
In Speculo meliùs Virgine cuncta vides.
Sive velis violas, humilis bona symbola cordis,
Candida sive velis lilia, sive rosas.
Ipsa rubet, candetque simul. Rosa Mystica Virgo,
Illæsæ Virgo lilia mentis habet.
Si te stelligeri delectent lumina templi,
Virginis in Speculo lumina quanta micant!
Nempè quod æterno genitum de Lumine Lumen,
Cernis ab hoc Speculo præcipitare faces.
Vestram nolo diem rutilantis sidera Cœli
Nec radiose tuas Cynthie, Luna faces.
Nox est sideribus Phœbi data gratia lucis:
Est tua caligo Cynthie, Luna dies.
Perpetuo ô liceat mihi, cernere lumine quondam
Hoc Speculum! votis annue Virgo meis.

BEATA

IN IDEM MARIANUM DIVINITATIS SPECVLVM.

ODE DICOLOS DISTROPHOS.


Bis MARIA proximum Christo caput,
Fatale nomen Tartaro,
Quocunq; Famæ clangor, & laudis meApollinis feret Chelys: (tro
Quocunq; plectrum ducet impulsum, novem
Grato Sororum verbere.
Assurge Phœbe! surge Musarum Chorus!
Parnasse vires exere!
Quid lentus hæres Phœbe? quid Pindi Iugum
Turpi stupescis otio?
Digitos fatiga. Crevit an unquam magis
Seges beata Barbito?
Virgo est canenda, fulgidum Cœli decus,
Princepsque terræ Purpura.
Adhuc resistis? otij causas noto;
Noto canendi scrupulum.
Intacta Virgo, Numinis Christi Parens,
Dei potentis dexteræ
Opus decorum, tanta Majestas tenet
Phœbo ligatos pollices:
Premuntque Musæ labra, ne læsæ nimis
Parum decoro carmine,
O Virgo Majestatis incurrant scelus
Nullâ piandum victimâ.
Tu sola Vatem Musa non firmum juva.
Virgo novem una doctior.
Cedunt coruscæ siderum faces tibi,
Numeroque cedunt dotibus:
Pontique cedunt guttulæ; cedunt maris
Sine numeris arenulæ.
Ex tot vel unam dotibus solùm canam,
Cogor silere cæteras.
Illustre SPECULUM, quale non visum prius,
DIVINITATIS emicas.
Quod Vniversi spatia non capiunt sinu,
Es Numinis compendium.
Beata cujus viscera immensum DEUM
Cinxêre carnis vestibus.
Hinc ille mentis candor, hibernas nives,
Nitore, qui vincit, suo;
Non conferendus lacteæ in spinis rosæ,
Argenteoque lilio;
Hinc floris illud integri augustum decus,
Patris absque primi crimine,
Vitro relucet æmula Cœli face,
Regisque Phœbi siderum.
Non sic amœno fulgurat Cœlum Jove,
Cùm ridet absque nubibus:
Nec luce tanta verberat lumen suo
Clausus Pyropus annulo:
Tuumque nunquam Lyde sic aurum micat
Rogo probatum flammeo:
Hinc illa vultus comitas, oris decor
SPECULO refulget VIRGINE.
O mira vis! Divinitatis Vnitas,
Hypostasumque Trinitas,
Hic sponte sacro è Virginis vitro jacit
Radios beato lumine.
Vt absque fluxu temporis VERBUM PATER
Intelligendo parturit,
Vnumque Principium PATREM VERBUM, sacro
Spirant Amore SPIRITUM,
Clarè exhibebit (mente sed cerne impigra)
Cristallus ista. Num ambigis?
At ecce, quod LAURENTIUS SPECULUM exhibet,
DIVINITATIS, inspice.

IN SPECULI VIRGINEI AMATOREM.

Seu tibi formosus Narcissus in ore quiescit,
Horridus Æthiopis seu nigrat ora color,
Accede hoc SPECULUM, te contemplare frequenter
Pellem etiam Æthiopis corrigit hoc SPECULUM.


ΘΕΟ-



ΘΕΟΤΟΚΟΣ Η ΠΑΡΘΕΝΟΣ, ΩΣ ΤΟ ΤΗΣ ΘΕΙΑΣ ΚΑΛΛΟΝΗΣ ΚΑΤΟΠΤΡΟΝ ΤΟΙΣ ΝΕΑΝΙΑΙΣ, ΙΝ ΑΓΝΟΙ ΓΙΝΩΝΤΑΙ, ΕΠΙΣΚΟΠΗΣΟΜΕΝΗ·



υμφερέτω σύν τοι χρόνιον τ', ὦ Παρθένε, κῦδος
Θαυμάζους᾽ εὐγηροτάτου ἡ γνῶσις αἰῶνος,
Οὓς ὁπόταν πυρὰς συγκύπλουσιν κεράτεσσι
Ζεύγνυσι, καὶ δίφρου διανυκτερεύουσα θοροῦντος
Ἄρτεμις ἐξείρει ἱδαρὰ φλόγεόν τε πρόσωπον.
Λευκασμόν περ ἔχεις, οἷον Λατώια Φοίβη,
Πορφύρεόν τε τεῷ ἐν λευκῷ σώματι χρῶμα.
Ὅσσῳ ὁμοσπόνδαις ὁπόταν ἀκτῖσι μαραίσσεις,
Πάντες ταῖς σέοθεν ἀναχάζους᾽ ἀστέρες αὐγαῖς·
Τόσσῳ τῶν λιπαρῶν καλλίστη ἐστὶ ΜΑΡΙΑ,
Εἰ ἀπορεῖς, ἀκτῖνας ἔχεις τυφλὰς δὲ Σελήνη.
Ὥσπερ θεσπεσίῳ ἐπλώτιον φωσφόρος ὠπὶ
Εὔδιον ἀκροφανεῖ ἀγγέλλει στόματι ἦμαρ,
Αἰθέρα ποικίλλει φαίνων, γαῖάν τ᾽ ἐπιλάμπει,
Ἀστέρας εἰς πάντας κ᾽ ἤνεγκε τὰ πρῶτα δὲ φωτί·
Ἁγνοτέρα τόσσῳ ἥσῃ περ μορφῇ λάμπει·
Λαμπροτέρα ὅσσῳ κατακλείῳ κυκλόφι φαίνει,
Τῷδε σὺ εὐζώνῳ διαχοῦσ᾽ ἀκτῖνας ἐκ ὠπὸς,
Τῶν δὲ καλῶν προέχεις καλλίστη Παρθένε μορφῶν.
Σοὶ θ᾽ οὕτως καλῶν παραχωρεῖ κύδει τύρβη·
Ἀκτῖς ἠελίου ὡς μείων φωτὶ Σελήνη.
Λείρια νῦν μίγνυς, ῥόδα νῦν αἰδήμων ὠπί.
Σοῦ γὰρ παρθενίας ἐν σώματι λείρια θάλλει,
Καὶ ῥόδα ζωογραφεῖ ἁλιπόρφυρα αἴδεσις ὠπός·
Λάκκοι τοῦ Ἔστεβου τεά εἰσιν τ᾽ ὄμματα, πᾶσαν
Κῆρ᾽ ἐν ἐφορώντων παρελέντες Κύπριδα δεινήν.
Οὔλη ἁπλῶς ἱδανὴ ὦ Παρθέν᾽, ὅλη τε παναγνή·
Ἀλλὰ τί θαυμαστόν; Τριάδος τῆς εἶ γὰρ ἔσοπτρον
Καὶ εἰκών, τριάκις τοίνυν καλή ἐσσι ΜΑΡΙΑ,
Ἐν Πατρὶ μὲν καλή, καλὴ Υἱῷ, Πνεύματι καλή.
Τοῦτ᾽ ἄρα τοιγαροῦν θεότητος καλὸν ἔσοπτρον
Ὦ νεότης ἁγνείας ἐν σώματι, ἔν τε θύμῳ τε
Φιλομαθής, ἢ τοῖς ἀμέτρου τοῦ ἔρωτος οἰστοῖς
Καὶ ἀπὸ τῆς ἀνάγνης οἰστροπλήγοις Ἀφροδίτης
Πυρσόφι πειράζει, αὖθις καὶ αὖθις ἐσάθρει·
Ἠελίου καὶ οὐρανοῦ ἀφιλέστερος ἔσσῃ·



PRÆFATIO AD LECTOREM.



Ggressuri, Benigne Lector, Opus arduum, quo Gloriosissimam Virginem DEIparam ostendere contendimus, MUNDUM quendam esse Mundissimum, Speculumq; quoddam lucidissimum; in quo & ipsius in primis Conditoris essentia quodam modo, ejusdemq; attributa, ac perfectiones, ipsæq; Personæ Divinæ, tum pulchritudo creaturarum Mundi cœlestis ac sublunaris repræsentantur: id faciendum censuimus, quod olim Argonautæ, qui rapto vellere aureo, Cyzici in Hellesponto, annis ante Christum natum mille ducentis, sumptuosissimum in honorem DEI Matris jussu Delphici Oraculi extruxêre Templum; cujus Artifex jam perpolitos lapides, mirifico artificio, filo illigavit aureo, ut testatur Plinius lib. 36. Naturalis Hist. cap. 15. eburneum Jovem dicaturus intus, coronante eum marmoreo Apolline.

Argonautæ Templum B. V. ædificarunt. Vide Tract. 7.

Idem & nos facere pro modulo nostro attentabimus. Assumemus præclarissima Sanctorum Patrum tam Latinorum, quàm Græcorum testimonia, ac sententias velut lapides quosdam politissimos ac pretiosissimos, easq; filo si non aureo, at saltem inferioris alicujus materiæ connectemus, Templumq; quoddam pro nostra tenuitate Virgineo honori ac gloriæ dedicabimus; in quo non eburneum Iovem, sed Incarnatum Verbum in sinu DEIparæ residens, ebore Virgineæ Carnis circumdatum, coronante non Marmoreo Apolline, sed totius orbis creaturâ suæ pulchritudinis ac perfectionis velut florum suavissimorum diademate, statuemus; Atq; ita hoc in Templo laudes ipsius celebrabimus, ut eædem quoq; redundent in Matrem, sintq; ob naturæ carnisq; identitatem utrique communes. Neq; verò timendum hìc nobis est, ne velut Cornicula illa Horatij alienis ornata plumis nos risui exponamus. Cùm & ipsa DEIpara suos dile-

Sententiæ SS. PP. sunt lapides preciosi ac politi

Laudes Filij redundant in Matrem & contra.

 ctos,

ctos electosq; filios lib. 4. Revel. c. 86. S. Brigittæ revelaverit esse apibus simillimos, dum totâ devotione circa ejus honorem amplificandum versantur; & Sapientum Moralium Princeps Seneca; Scriptoribus easdem apes ex varijs floribus favos mellis colligentes imitandas suadeat. Licet enim hæ legant aliena: arte tamen, sedulitate, atq; industriâ admirabili, illa ipsa faciunt sua. Quo argumento usus est Magnus ille ac Doctissimus Parisinæ Academiæ Cancellarius Joannes Gerson Tract. 6. in Magnificat. Cum enim de Oratione B. Virginis dissereret, variosq; Patres citasset, timeretq; ne si novum quidpiam in mediũ minimè protulisset, Cornicula illa ipsi objiceretur, Discipulum ad illos legendos remisit. Mox ubi semetipsum correxisset, sapienter attexuit: Non ita certè desipio, non ita glorior in arrogantia novitatum, ut ita sapiam, sed Senecæ utor consilio, *&c.* Itaq; materiam afferre non possumus nisi communem toti sæculo; forma verò potest esse nostra; ut elementa communia sunt, sed per formas mixtorum in species distinguuntur. *Tandemq; concludit:* Modus noster tractandi quasi formalis est, tollens sui novitate fastidium, & invitans, *l.* irritans ad assensum. *Idem nobis quoq; in tota hac Laudum Virginearum tractatione dicendum est, non posse nimirum nos afferre materiam ex Sanctorum Patrum comportatam monimentis, ad rem tantam pro dignitate comprobandam, nisi communem: in quam, velut in elementa quæpiam, aliam quandam formam inducere conabimur, ut ita Opus hoc, velut mixtum quoddam à reliquis, quæ, tot tantaq;, eaq; elegantissima in dies in honorem Virginis procuduntur, velut specie quadam distinguatur. Si enim aliquid ex nostro sensu depromptum in re tanta in medium afferremus, timendum erat, ne debitâ vi ac robore ad probandum fortassis destitueretur. Unde sperandum omninò Opus hoc quale quale suâ varietate ac novitate, ut idem loquitur Cancellarius,* sublaturum Lectori fastidium, & facillimè ob grauissimam Sanctissimorum Patrum, Ecclesiæq; Doctorum auctoritatem invitaturum atque irritaturum ad assensum.

Filij B. V. Apibus in ejus colligendis laudibus persimiles.

Has porrò Patrum sententias & frequentiùs & fusiùs recitare atq; usurpare libuit, ut Virginis Deiparæ studiosus Lector velut in deliciosissimo constitutus horto, arbores tam varias, tamq; proceras, floresq; tam diversos contemplando, majori afficeretur voluptate, & Concionatores non ita libris instructi, sylvam quandam condensam amœnissimamq; invenirent, in qua nullo negotio Cedros quasdam sententiarum hujusmodi, Cypressosq; cedere valerent, ad Templum quoddam honoris laudisq; Virgineæ construendum, in quo omnes Deiparæ dicant gloriam. Atq; ita ipsa Virgo gloriosissima jure meritissimo in hujusmodi suis Panægyricis gloriari possit ac dicere: Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina. *Cant. 1. Verè enim si-*

Sermo sententiarum floribus SS. Patrum exornatus Lectulus est floridus.

vt Sermo sive Concio ac Panægyris in honorem gloriamq; Dei Matris instituta, crebrioribus ac selectioribus Sanctorum Patrum instructa Sententijs, Lectulus est Verbo Incarnato ejusq; Gloriosissimæ Genitrici floridus; domus ac Palatium est cedrinum, ac cypressinum, suavissimos gratissimosq; cœlitibus ipsis, auditoribusq; odores exhalans, in quo Dei Filius cum Matre Sanctissima, summâ animi voluptate conquiescentes, mirificis delicijs recreantur.

Neq; verò solùm Dei Filius, ejusq; Mater, Beatiq; Cœlites, verùm etiam reliqui omnes, qui eas siue audiunt, siue tractant, incredibili voluptate affici consueuerunt.

Atq; vt ego de me ipso syncerè fatear, quod sentio, dum hisce in lucubrationibus sum versatus, perinde me recreari, & in spiritu refici sum expertus, ac si Mensæ cuipiam lautissimæ, Cœli exquisitissimis dapibus instructissimæ accumberem; nectareq; atq; ambrosiâ, cœlitûm immortalibus ferculis vescerer atque explerer. Nempe Deipara nostra Terra est promissionis lacte ac melle manans, vt eam Divus appellat Augustinus; est manna suauissimum, omnem in se saporis complectens suavitatem, vt eam vocitavit Ambrosius.

B. V. Terra est promissionis lacte & melle manans.

B. V. est Manna.

Cùm igitur Virginearum laudum Encomiastæ Collum sint Deiparæ; sint ejusdem labia favos distillantia; sint lingua, cui gustandi facultas, velut organo adhoc à Natura destinato, insidet, vt Augustodunensis asseveravit Honorius in sigillo B. V. cap. 4. Collum Virginis, *inquiens,* sunt de ea scribentes, qui quasi Collum cibum Verbi Dei deglutiunt, & in alios quasi in corpus transmittunt. Labia Virginis sunt, qui de eâ Dei secreta aperiunt, qui vt fauus distillant, quia omnes sermones de eâ, dulcedine redundant. Lingua Virginis dicuntur, qui ejus præconia loquuntur, de quibus mel & lac manat, quia eorum doctrina sapientes & insipientes satiat. *Cùm inquam præcones Virginis & Collum, & labia, & lingua ejusdem sint, quid mirum eos in ipsius laudibus pertractandis, tantas hausisse delicias ac cupedias, vt quantumvis assiduè sese illis explerent, nunquam tamen aut famem sedare, aut sitim extinguere valerent? Nempe verissimè ipsa hæc sempiternæ Veritatis Mater pronunciavit:* Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt adhuc sitient. *Quare jure merito idem jam memoratus Ioannes Gerson Tract. 4. in Magn. Virginem alloquens ejus jam expertus delicias conclusit:* Ergò tu fons hortorum ad exundationem simul & recreationem cum delectatione mirabili Mundo datus? Tu Puteus satietatis aquæ vivæ salientis in vitam æternam; Puteus aquarum quæ fluunt impetu de Libano candido Paradisi. *Ingredere igitur, benigne Lector, in domum hanc Cedrinam ac Cypressinam, in Paradisum hunc deliciarum*


Scriptores Virginearum laudum sunt B. V. Collum, Labia, Lingua.

B. V. Puteus satietatis.

DEIparæ nostræ; accumbe Mensæ huic deliciosissimæ, tot lautissimis ferculis, quot Patrum sententiis instructissimæ; & experiere Mensam hanc Divinæ illi esse persimilem, in qua, vt canit D. Petrus Card. Damiani:

Vno pane vivunt ciues vtriusq; patriæ,
Avidi & semper pleni quod habent desiderant,
Non satietas fastidit, neque fames cruciat;
Inhiantes semper edunt, & edentes inhiant.

Vale & fruere interim pie Lector, dum reliquas duas hujusce Mundi Virginei elaboramus partes, quibus, Superis faventibus DEIparam Mundum Cœlestem, ac sublunarem esse, perfectionemq; ac pulchritudinem creaturarum vtroque hoc Mundo contentarum in se repræsentare ostendemus.




PROOE-



PROOEMIVM.

Deiparæ Virginis laudes, Negotium esse sæculorum omnium.

I.



Ogitanti mihi de summæ Dei Parentis celebrandis laudibus, illico metus quidam horrificus, & pudor insolitus à tanto tamq; difficili inchoando opere me revocare visi sunt, ita ut carmen illud Poetæ cujusdam apud Platonem in Euthyphro usurpare in re dissimili meritò possim:

Scribere cur metuam, cū scribo de Iove summo?
Namq; metus secum Sociū trahit usq; pudorem.

Orphei Statua ad præsentiā Alexandri M. sudavit.

Contigitque penè mihi id quod Orphei cupressino simulacro in Libethris ad Magni illius Alexandri Macedonum Regis præsentiam evenisse scripsit Plutar. in Alex. Hic enim cum exercitum in Asiam illac transmissurus, fanum religionis causâ Dijs supplicabundus esset ingressus, Orphei signum illud largo sudore diffluere mox cœpit, *Quo portento* inquit Plutarchus, *omnibus exterritis, bono animo jussit illū esse Aristander, res eum gesturum nunquam obliterandas, ac celebres, quæ multum sudoris, ac laboris, decantantibus eas Poëtis ac Musis essent præbitura.*

Quid sudor ille significarit?

O utinam sudor hic laborq; meus, utinam Sacer hic horror, quem in meditandis Magnæ ac Potentissimæ cælorum Reginæ encomijs experior, non vanum sit præsagium, quamplurimos venturis etiam sæculis ipsius Cliētes ac filios ejusdem honoris gloriæque studiosissimos in lucem prodituros, qui in pangendis præclarissimarum ejusdem laudum præconijs, cedro cypressinisque tabulis, atque adeò æternitate dignissimis, tenuitatem meam, & rerum & verborum copiâ suppleturi, desudabunt. Sacrum porrò hunc horrorem pudori verecundiæque sociatum, partim ex singularissimarum Divinissimarumque virtutum contemplatione, ac præsertim Divinæ Maternitatis; quæ velut eminentissima dignitas potissimum reluxit in Virgine, partim ex meæ vilitatis, meorumque peccatorum consideratione exortum fuisse animadverti. Quis enim ad tantam Virginis Deiparæ Majestatem, Divinæ illi propemodum quàm simillimam, totis artubus non contremiscat? quis coram tanta tamque eximia, Angelicam omnē Seraphicamq, longissimè transcēdente Sanctimoniam, lucisque æternæ candorem æmulante puritate non erubescat?

Occurrit deniq; in tanta animi fluctuatione monitū Horatii illud celeberrimū:

Sumite Materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus, & versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

2. Quæ omnia cum attentius mente animoque revolvissem, atq; ad tantorum Mundi hujus Virginei encomiorū pondus sustentandum Athlanteos quosdam humeros requiri intelligerem; & hinc sacro illo horrore, atq; pudore, inde meę imbecillitatis, peccatorumque deterreret conscientia: occurrēre tandem Sanctissimi Patres Epiphanius, atque Anselmus, qui licet in immenso Virginearum laudum sulcando Oceano in primò suæ navigationis initio eisdem timoris jactati essent fluctibus: nihilominus gratia opeq; Divina, ac Virginis velut felici Elicis ac Cynosurę sidere irradiati, virtuteq; protecti, plenis velis in altum hoc ac spaciosum mare ingressi, portum faustissimum

S. Epiphanij & S. Anselmi in B. V. laudibus celebrandis timor & pudor.

tenuerunt. Videte Divum Epiphanium quanto metu, sacroq; quodam horrore in inchoandis Deiparæ laudibus quatiatur, quanto rerum tantarum splendore intellectus ejus repercussus quasi hebetetur; videte quâ ratione amplissimum Virginearum laudum campum ingressus, mox admodum dubius atque anxius certamen aggrediatur, mox receptui canat, Dum pulcherrimam illam Deiparæ Panægyrum sic est exorsus: *Miser ego sum, qui effulgentes splendores Deiparæ, radiosq; terribiles, & incomprahensas facultates, Cæli terraq; inhabitata mysterium, admirandumque Propitiatorium verbis consequi tentavi. Gestiebat quidem interioris animi cogitatio ad exactiorem intelligentiam, quæ exprimere conabatur profunda memoria, & altissima speculationis Miraculum: veruntamen & timor multus, & gravis continuit me. Nam memoria contemplationis horrenda exagitans tremebundam animam meam, & cor exhorrescens non mediocriter afflixit, sed & graviter vexavit. Concutit enim mentem meam incomprahensi Mysterij, memoria, utpote, quæ eloqui illud minime possit. Quis enim hujusmodi Mysterio exprimendo queat sufficere? quale verò os enuntiare, quæ lingua proferre poterit, cum nequaquam dici possit, quod latet?* Dumque ita dubius anxiusque in hoc Virgineo cœli terræque, vt ipse jam dixerat, à Deo ipso scilicet inhabitatæ, explicãdo hæreret Mysterio; resumit identidem animum: *Iam verò,* inquiens, *audebo. Dicam de sola* Deipara, *quatenus assequor. Denuo tamen vereor, utpote, qui linguâ non sim præditus idoneâ, ad ea dicenda, quæ sunt valde magna. Sum enim exili voce, tardâq; linguâ, & minimè disertus; ut verba facere possim de percelebri, Sancta, innupta, &* Deipara Maria *Matre Domini, de qua leviter loqui non debet humana lingua, utpote quæ cælorum virtutes in stuporem convertit.*

3. Observate magnum illum Sanctissimumq; Ecclesiæ Cantuariensis Præsulem Anselmum quanto rubore, puritatis Virgineæ contemplando excellentiam, suffundatur, dum orationem quandam ad Deiparam sic orditur: Maria *tu illa* Magna, *& valde* Magna Maria; *te Domina, te vult cor meum amare, te cupit os meum laudare, te desiderat venerari mens mea, te affectat exorare anima mea: quia tuitioni tuæ se commendat tota substantia mea. Enitimini viscera animæ mea, enitimini quantum potestis. Sed quid potestis interiora mea ut ejus merita laudetis, ut ejus beatitudinem ametis, ut ejus celsitudinẽ admiremini, ut ejus benegnitatẽ deprecemini; cujus patrocinio indigetis quotidi, indigendo desideratis, desiderãdo imploratis, implorãdo impetratis: etsi non secundùm desideriũ vestrum, tamen supra, vel citra certè meritum vestrum? Regina Angelorum, Domina Mundi, Mater ejus qui mundat Mundum, confiteor quia cor meum nimis est immundum, ut meritò erubescat in tam mundam intendere, nec dignè possit tam mundam intueri. Te igitur Mater illuminationis cordis mei, te Nutrix Salutis mentis meæ, te obsecrant quantum possunt cuncta præcordia mea; exaudi Domina, adesto propitia, adjuva potentissima, ut mundentur sordes mentis meæ, ut illuminentur tenebræ meæ, ut accendatur tepor meus, &c.*

4. Observate initia verè aurei illius libelli, quem de Virginis conscripsit Excellentia; observate quantopere sese deprimat, quantopere inter spem metumq; fluctuet, quantopere maximum sese peccatorem esse reputans, verecundetur. Quid enim sibi volunt prima illa verba capitis? dum ait: *Supereminentem omni, quod post hominem Deum creatum est, excellentiam B. Matris Dei quomodocumq;, & saltem lippienti oculo cordis contemplari anhelans, & contemplando, quod mihi inde capere conceditur, ad communem notitiam proferre desiderans, horreo peccatorum quibus premor enormitatem, & valdè timeo ne mihi tam alta petenti mox objiciatur: Tollatur impius ne videat gloriam* Dei. *Verum cùm recogito Sanctum Filium ejus ob hoc ut peccatis hominum mederetur factum esse Filium ejus, nonnihil spei concipio, quod vel parum concipiendi de sublimitate tanta Matris* Dei *scilicet Genitricis, omniumq; tam hominũ quàm Angelorum Reginæ, sciens videlicet illam magis propter peccatores quàm propter justos esse factã* Dei *Matrem. Si igitur ipsa propter peccatores, scilicet propter me, meiq; similes facta est* Dei *Mater, quomodo immanitas peccatorum meorum cogere poterit desperare veniam eorum, cùm tam ineffabile bonum factum sit ex eâ ob curationẽ eorum.* Quâ ex humillimâ Vir Sãctus suorũ peccatorum, pietatisq; Virgineæ consideratione, in spem se se erigens, ad Deiparę deprædicandã excellentiã se se accinxit: *Excitemus,* inquiens, *mentẽ nostram, & enitamur quantùm possumus, vel celsitudinem tantæ Virginis attendamus, & quæ nobis revelatio Filij ejus revelare dignata fuerit, pro laude ejus prolata ruminemus. Erit enim fortassis hoc ipsum optare nobis causa non parva Salutis, & vitiatis ex vitiorum punctionibus animis medicina salubris. Quomodo enim fieri potest*

S. Anselmi humilitas.

potest ut ex memoria laudis ejus salus non proveniat peccatorum, cujus Uterus factus est via, ad sanandum peccatores venienti Salvatori.

5. Cùm igitur hi, alijq; PP. Sanctissimi tam Latini quàm Græci, licet ex metu, & sanctiori quodam pudore, varijsq; difficultatibus à Virginis laudibus deprædicandis ob eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem absterrerentur; eas nihilominus, magno totius Orbis Christiani Catholicæque Ecclesiæ bono, sint felicissimè prosecuti: mecum omnino statui, eorum vestigiis insistendo, aliquid pro viribus in tantæ Virginis laudem, Sæculari hoc minimæ Nostræ Societatis Anno pro innumeris in Ordinem hunc Nostrum collatis beneficijs in lucē edere; ut quæ à primis Ecclesię nascentis imò ipsis Mundi exordijs varijs Ænigmatis, ac figuris, *Negotium omnium Sæculorum*, quēadmodum eam vocat S. Bern. ser. 1. De Pent. esse cæpit: mihi quoque negotium jucundissimum simul atque utilissimum in hoc Nostro Sæculari Anno facesseret, meque tam Sanctum hoc Negotium ita occuparet, ut labore tam fructuoso pro admissis peccatis negligentijsq; aliquam intercessione tantę Virginis, Divinæ Matri exhiberem satisfactionem, liceretq; mihi in tam beato Negotio ultimum spiritum in manus Creatoris, ejusdemque Matris Sanctissimæ exhalare.

B. V. Negotium sæculorū omnium.

6. Porrò Virgineas hasce laudes, sæculis omnibus, varijs & doctrina & Sanctimonia perpolitis hominum ingenijs ingens semper facessivisse negotium; eademque maximopere ita occupasse, ut omni metu ac pudore alijsque difficultatibus superatis, gratissimum Deo, Virgini, orbique universo præstiterint obsequium testes in primis primo nascētis Salutis sæculo sunt Sancti Evangelistæ atque Apostoli, qui cum tantæ Virginis Divinissimam dignitatem, excellentiamque nec mente capere, nec verbo enodare sufficerent, brevissimis paucissimisq; verbis quàm plurima sunt complexi.

Audite pauca quædam ex D. Marci Evangelistæ Lyturgia, qui præmissa Salutatione Angelica ad Virginem, sic sequitur: *Imprimis Sanctissima Immaculata & benedicta Domina Nostra* Dei *Genitricis & semper Virginis* Mariæ, *&c.*

Apostoli & Evangelistæ Præcones laudum B. V.

Audite etiam D Iacobum Minorem Primum Ierosolymorum Archiepiscopum, qui in sua quoque Lyturgia maximo pietatis sensu sic Virginis extollit laudes. *Commemorantes Sanctissimam, Immaculatam, gloriosissimam Dominam Nostram Mariam* Dei, *& Semper Virginem Mariam.* Et rursus: *Commemorationem agamus Sanctissima, Immaculata, gloriosissima, benedicta Domina Nostra Matris* Dei *& semper Virginis Maria.*

Post consecrationem idem Apostolus ejusdem Virginis laudes prosequitur. *Præcipua, Sanctissima, immaculata, super omnes benedicta, gloriosa Domina Nostra Deipara semper Virginis Maria;* cui Cantorum chorus lætitia gestiens respondere consueverat. *Dignum est, ut te verè beatam dicam* Deiparam, *semper beatam, & omnibus modis irreprahensam, & Matrem* Dei *Nostri honorabiliorem, quàm Cherubin, & gloriosiorē quam Seraphin, quæ sine corruptione* Deum *Verbum peperisti, te revera* Deiparam *magnificamus.* Quid verò dicam de S. Andrea Apostolo, à quo illa memorabilis in honorem Immaculatæ Conceptionis prolata fuisse perhibetur Sentētia? *Sicut Primus Adam formatus fuit ex terra antequam esset maledicta ita secundus formatus fuit ex terra Virginea nunquam maledicta.*

7. Quid de duobus illis Apostolorum Sanctissimis Discipulis Ignatio Martyre & Dionysio Areop loquar? qui suorum Magistrorum laudabilissimè insistentes vestigijs, divino hoc plane negotio sese occupârunt; ut eorum posteritati commendata ingenij monimenta luculentissimè contestantur. Nónne Ignatius Virginem *Christiferam*, nónne eandem *Matrem* Dei *omnium gratiarum abundantem*, nónne *in Maria Matre* Iesu *humana Natura, Naturam Sanctitatis Angelica sociatam*; nonne denique *cæleste prodigium, Divinum spectaculum, Sacratissimum Monstrum eandem Virginem Sanctissimam esse asseveravit?*

S. Ignatius Mártyr laudator B. V.

Nónne Magnus ille Areopagita postquam Athenis Ierosolymam usque longissimam peregrinationem ad visendam Deiparam more cęterorum illius tempestatis Christi fidelium instituisset, indeq; esset reversus, pulcherrimas divinissimasque quasdam laudes tantæ Matris, ad Apostolum Paulum dilectissimum suum Magistrum perscripsit: qua in Epistola conscribēda quid negotij fuerit expertus satis abundè declarat, dum eam divino splendore ac gloriæ Majestate plenam, dum super omnes cælicos spiritus Sanctis-

S. Dionysius Areopag: laudator B. V.

Conceptio B.V. immaculatæ omnibus sæculis majorum ingeniis facessivit Negotiũ.

Sanctissimam, dum Deiformem appellat, dum denique varia Divinitatis in illa delitescentis signa commemorat.

8. Excutite singula ab hoc aureo Christi Nati sæcula, reperietis sanè viros & litteris & insigni Sanctitate conspicuos; invenietis eorum ingenijs Deiparę laudes non vulgare semper facessivisse negotium; præsertim verò hoc nostro omnium sæculorum eruditissimo, in quo licet innumeri, Virginis preconia celebrando, omnes ingenij vires exerendo, potissimum verò in ejus Sanctissima Cóceptione omni Originalis sceleris maculâ liberanda strenuè desudarint: uti Religiosissimus ac Doctissimus PaterNoster Quirinus Salazar, omnia ab Incarnato Verbo accuratissimè percurrendo atque indagando sæcula, luculentissimè demonstravit; semper tamen novæ ac novæ occurrunt laudes, ita ut revera vel hoc ipso Mater illius esse comprobetur, de quo Sapiens Eccli 13 *Multa dicemus & deficiemus in verbis; consummatio autem sermonum ipse est, in omnibus glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, supervalebit adhuc & admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis, major enim est omni laude; ne laboretis, non comprehendetis.*

Laudes B. V. sunt illi flores & dulcissimi fructus.

9. Hisce porrò nunquam terminandis omnium sæculorum laudibus mirùm quantùm Sanctissima oblectetur Deipara; oblectatur planè perinde, atque si suavissimi atque amœnissimi flores, dulcissimique forent fructus, quos ipsa incredibili animi voluptate sibi colligere, inque sinum suum recondere videtur. Hinc Beatus Amadeus Ordinis Cisterciensis Abbas, postea Episcopus Lausanensis Hom. 1. de laud. Virg. explicans verba illa Sponsæ in persona Deiparæ prolata. *Fulcite me floribus, stipate me malis quia amore langueo.* Cant. 25, introducit Virginem ad instar cujuspiam Deę Floræ utrâque manu duos calathos aureos pulcherrimis floribus, dulcissimisque fructibus referitssimos gestâtem. Et flores quidem ait esse figuras, ænigmata, ac symbola, quæ illam à primo sæculorum exordio, tam in lege Naturæ quàm in lege Mosaica, aliquo modo adumbratam repræsentabant: *Qui sunt hi flores?* inquit ille, *nisi Divina in laude ejus Mysteria, & olim à sæculo abscondita Sacramenta, quæ jam in carne apparentia in spiritu manifestata, ex dictis Patrum velut quibusdam gemmis arborum proruperunt.* Fructus verò quos manu dextera altero aureo gestabat in calatho, inquit Sanctus Antistes, esse Benedictum purissimi ejus ventris fructum Christum Iesvm; in quo, cùm quicquid boni, ac dulcedinis reperitur in creaturis, longè eminentiori perfectione reperiatur, meritò ad instar omnium dulcissimorum fructuum nobis esse debet; quem proinde Sancti Apostoli atque Evangelistæ absque figurarum ænigmatumque involucris mundo consequendum atque degustandum cum Virgine liberalissimè obtulerunt. Vnde idem Vir Sanctissimus subtexuit: *Ipsa Virgo Virginum vernans floribus & in fructuum suavitate delicians apparet media inter duos calathos aureos, plenos fructibus, & floribus adornatos, velut Arbor salutifera plantata in medio Paradisi attollit verticem in altitudinem cæli, & de superno rore concipiens fructum refert salutarem, fructum gloriæ, fructum Vitæ, de quo qui ederit vivet in æternum, Manna deniq; habens omne delectamentum & omnem suavitatem, quod si primus Adam attigisset, mortem non gustasset in æternum.*

B. V. velut Flora quædam duos aureos calathos florũ ac fructuũ gestat.

B. V. Arbor salutifera. Laudes Fructus vteri Virginalis.

Eodem prorsus schemate videre mihi videor gloriosissimam hanc Cælorum Reginam hodiernum usque diem aureis hiscè calathis florum fructuumque copia refertissimis instructam, Virorum insignium, doctissimorumq; Theologorum huiusce nostri sæculi laudum sibi delata præconia incredibili animi gestientis lætitia ac voluptate colligentem; ut jure merito quisque Virgineo cultui addictus ac mancipatus animum erigere debeat ad Deiparę deprædicandas laudes, siquidem tanti eas fieri à sum̃a hac Cælorum Regina conspicit, ut dignas quæ aureis Calathis recondantur ab eaq; mira cum complacentia gestentur, esse censeat.

Maria Arca & Propitiatorium.

10. Idem B. Amadeus non contentus introduxisse Deiparam Floræ cujuspiam pulcherrimæ floribus fructibusqque exornatæ specie; introducit eandem velut Arcam illam Legis Mosaicæ celeberrimam ac Propitiatorium inter duos Cherubinos, qui defixis in sese invicẽ, ipsamque Arcam oculis, tam insigne Naturæ ac Gratiæ miraculum contemplantes stupore attoniti hærere videbantur. Quos ille Cherubinos duo Testamenta, Vetus, Novumque, Excellentiam Deiparæ, Divinissimamq; ejus dignitatem demirantia,

Quid Cherubini super Arcam?

rantia, esse arbitratur: *Ingrediamur*, inquit Vir sanctissimus: *Sancta Sanctorum, & intueamur Propitiatorium habens desuper duos Cherubin, ipsum versis vultibus respicientia & obumbrantia extensis alis. Illic inter cætera refulget Vrna aurea habens manna reconditum. Illic est Virga Aaron quæ frondust. Duo Cherubim duo Testamenta significant. Cherubim namq; interpretatur scientiæ plenitudo, & scientiæ plenitudo in testamentis est. Vrna Aurea B. est Maria; aurea per excellentiā vitæ, aurea per integritatē ac puritatem, aurea per plenitudinā gratiæ. Hæc Vrna Manna reconditum habuit, quæ Panem Angelorum qui de cœlo descendit, & dat vitam Mundo Sacrosancto gessit in Vtero. Virga dicitur, vtpote gratiosa & recta, subtilis & porrecta. Gratiosa per Verecundiam & formositatem, recta per judicium, & æquitatem; subtilis per contemplationis ingenium; porrecta per vitæ meritum. Effloruit autem per Spiritum sanctum, sicut Virga Aaron floruit ex miraculo. Illa fructum protulit amygdalinum; ista etiam optimum protulit amygdalum habentem nucleum & testam; nucleum vt reficiat, testam vt contegat. Nucleum in Diuinitate; testam in Humanitate. Vis nosse nucleum? In principio erat Verbum. Testam nosse desideras? Verbum caro factum est.* Hæc Amadeus de duobus Testamentis seu Cherubinis non modo Arcam & Propitiatorium, verùm etiam omnia reliqua quæ illis continebantur, Deiparamq; ad vivum repræsentabant, cum laude demirantibus.

Quid Virga Aaron? Quid Vrna aurea?

Virga Aaron B. V. cur dicatur?

11. Quos ego sanè Cherubinos esse dixerim Sanctos Patres ac Theologos S. Ecclesiæ æq; Græcæ ac Latinæ, qui omnibus retrò sæculis ad hoc usq; postremum Virginearum laudum præconia celebrârunt. Verè Cherubini ob plenitudinem Scientiæ rerumq; tam humanarum, quàm Divinarum profundissimam cognitionem; verè Cherubini aurei, expandentes alas super hanc animatam Arcam, totiusq; humani generis apud Deum Propitiatorium, ob excellentissimam, quâ in Deum Virginemq; ferebantur charitatem, quâ succensi, suorum ingeniorum, velut expansis alis Virginem adversus impijssimas Hæreticorum blasphemias, contemplationis oculum in ejus excellentiam rarissimaq; Dei munera defigentes, protexerunt; adeoq; hujus animatæ Arcæ gloriam extulère, vt ejus laudum gratiarumq; admiratione suspensis, & conceptus, & verba ad Virginis pro dignitate celebranda præconia deficerent. Pertractando nihilominus vtilissimum hoc Virginearum laudum omniumq; sæculorum negotiū, tam fructuosè operam suam impenderunt, vt ex hoc incomparabiles non solùm Divinæ gratiæ, verùm etiam vitæ sempiternæ thesauros consecuti sint. Hinc ipsa Virgo hujus vtilissimi suarum laudum Negotij probè conscia jure meritò dicebat: *Qui elucidant me vitam æternam habebunt*: Eccl: 24. Hinc Sapientum Coryphæus Salomon, cùm de hac Sanctissimâ increatæ illius Sapientiæ Matre quę ob summam cum illa similitudinem, per excellentiam à Sanctis Patribus ipsa Sapientia appellata est, loqueretur. *Beatus*, inquit. *homo qui invenit Sapientiam, melior est aquisitio ejus negotiatione auri & argenti, primi & purissimi fructus eius. Preciosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari.* Prov. 3: v. 14.

Duo Cherubini Arcam obumbrantes suis alis sunt SS. Patres Græci ac Latini.

12. Videre cupitis in primis Latinæ Ecclesiæ Cherubinos in hoc difficillimo omnium sæculorum Negotio desudantes? Agmen ducat Magnus ille Theologorum Apex omnium Scientiarum plenitudine conspicuus Augustinus, qui Ser. 35. de Sanctis, Virginearum laudum tractationem difficillimum esse Negotium agnoscens, Virginem alloquens sic exclamavit: *Quid dicam de te pauper ingenio? cùm quicquid de te dixero minor laus est quàm dignitas tua meretur. quid nos tantilli, quid actione pusilli in laudibus Mariæ referemus? cùm etsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus. Altior cælo est de qua loquimur, abysso profundior cui laudes dicere conamur.*

S. Augustinus Cherubinus S. Ecclesiæ.

Audite mellifluum Bernardum Cherubinum verè Scientia rerum Divinarum, maximè verò hujus Virginis nostræ plenissimum ac clarissimum, qui quantum, quamq; arduum sit negotium ipsius laudes pertractare animadvertens Serm. 2. in Salue Reg. exclamavit: *O quam te memorem Virgo, quibus laudibus efferam? Infantissima lingua mea, quæ coinquinata est cum mortuis, incircumcisa labijs, nec purgata igne altaris; inquietum malum habens in naribus spiritum, rimis effluens undiq;, quid dignum laudibus tuis poterit immolare? Eleuata est magnificentia tua super cœlos, & super omnem terram gloria tua, ita vt nec in cœlo inveniatur creatura, quæ tuam di-*

gnè laudare queat magnificentiam, nec in terra sit, quæ gloriam tuam exprimere valeat. Nemo enim inventus est dignus aperire librum prærogativarum tuarum, & dignè soluere septem signacula eius. Plenitudinē gratiæ; adventum Spiritus sancti in te; virtutis Altissimi obumbrationem. Verbi conceptionem; quod sine grauamine gravida; sine dolore puerpera; Virgo pariter & fœcunda, quis enarrabit? Viri divitiarum multi de Civitate Domini virtutum miserunt manus suas ad hæc fortia, & tamen altitudinē divitiarum harum ad liquidum comprehendere non potuerunt, quia investigabiles viæ istæ, & inscrutabilia universa. Conati sunt, & non datum est vltra. Dum adhuc ordirentur succisi sunt. Quis enim loquetur potentias has Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Etsi dignè nullus, quisq; tamen pro viribus. Pro se quisq; viri summâ certabat opum vi. vt quidam ait. Deniq; currebant omnes in odorem vnguentorum tuorum. Trahe nos post te ò Sancta sanctorum, & ostende lumen miserationum tuarum: Sub vmbra alarum tuarum nos protege.

Librum prærogatiuarum B. V. nemo potest aperire vel explicare.

13. Audite alterum Cherubinum, Ecclesiæ Cantuariensis Præsulem, Virgineo cultui addictissimum Anselmum, qui hoc tam graui negotio occupatus, Virginem confidenter alloquens amanter ajebat: *Lingua mihi deficit, quia mens mea non sufficit. Domina, Domina, omnia intima mea sunt solicita, vt tantorum tibi beneficiorum gratias exsoluam. Sed nec cogitare possum dignas, & pudet proferre indignas.* in Medit. de B. V.

14. Audite & Purpuratum illum Cherubinum Cardinalem Petrum Damianum, qui cùm in hoc omnium sæculorum Negotio consuetas reliquis SS. Patribus difficultates reperiret, pronunciavit, Serm. 3. de Nat. V. *Hinc Fratres, hinc rogo perpendite quibus laudibus digna sit Beata, & Gloriosa Virgo Maria, quæ illum nobis de castissimis visceribus genuit, qui nos de tam profundo gutture avidissimi Draconis eripuit: Ad ejus namq; dignè efferenda præconia, non Rhetoricorum diserta facundia, non Dialecticorum subtilia argumenta, non accuratissima Philosophorum apta reperiuntur ingenia. Et quid mirum, si hæc Virgo ineffabilis, in suis laudibus modum humanæ vocis exsuperat, cùm & ipsam humani generis naturam excellentium meritorum dignitate transcendat?* Sermone verò 2. de Nativit. V. *Sed quô pactò*, inquit, *eius festiuitatem dignè celebrare valet infirmitas hominum, quæ gaudium parere meruit Angelorum? Qualiter eam laudare poterit mortalis hominis transitorium verbum, quæ illud de se protulit Verbum, quod manet in æternum. Quæ lingua in eius laudibus reperitur idonea, quæ illum genuit, cui omnia benedicunt, & cum tremore obediunt elementa?* Cùmq; paucis interjectis docuisset in Martyrum, aliorumq; Sanctorum laudibus nec verba, nec conceptus facilè desiderari consuevisse; vti in præsenti evenit materia; hujusce rei mox luculentissimam subtexuit rationem: *Quia in laudibus DEI Genitricis beatissimæ nova & inaudita sunt quæ tractanda suscipimus, nulla invenimus verba, quibus ad hæc exprimenda sufficere valeamus. Tollit enim facultatem sermonis, materia singularis. quæ enim lingua explicare sufficiat, vel quæ ratio humana non obstupescat cùm cogitare cœperit, quod Creator oritur ex creatura, Factor fit ex factura. Iacet intra Materna viscera Parvulus, qui cum æterno Patre rerum omnium jura gubernat immensus.* Sermone item de Annunc. Virginis, quantum sit Negotium pro dignitate ejus extollere laudes, abundè sanè verbis illis declaravit: *Totum me trahit affectio, sed oratio deficit, & dives cogitatio, vocis paupertate confunditur: Fervent interiora, & in vndosam ebulliunt altitudinem; sed frigiditas linguæ cumulos refrigerat exundantes. quid est Beatissima? Numquid ita sensim taciturnus obdormiam, vt ibi mutus sim, vbi omnis loquitur creatura? Veruntamen non tacebo, & non quiescam, donec egrediatur vt splendor Vultus tuus, & sermo de te conceptus, si non vt lampas, saltem vt scintilla accendatur.*

B. V. nullis verbis condignis ornare possumus, siquidem Verbum æternum ex se protulit.

Sermone deniq; 3. de Nativ. Virginis, quantum, quamq; difficile sit Negotium ipsius laudum extollere præconia, paucis declaravit, cùm ad DEIparam facta apostrophe: *Gloriosa*, inquit, *dicta sunt de te Civitas DEI. Sed quidquid de te à mortali homine dicitur, celsitudinis tuæ meritis non æquatur. quàm enim excellens gratia super Angelos eleuat, ad ejus dignè efferenda præconia humana fragilitas non aspirat;*

Maria Civitas DEI.

15. Quid de Sancto Bernardino Senensi dicam, qui amori suo Seraphico quo ferebatur in Virginem, Cherubicam de eâdem Scientiæ plenitudinem associans, difficillimum esse Negotium vel Virginei dumtaxat Nominis laudes pangere, verbis illis contestatus est Tomo 3. Tract. de Nom. B. Virg. Serm. 2. *Non est facultatis humanæ quamdiu in hoc mor-*

S. Bernardino Senensi magnum Negotium laudare Nomen Mariæ.

Maria V. omnem superat intellectū.

mortali corpore vivitur plenè pertingere ad laudem gloriosæ Virginis Matris DEI, quæ omnium & voces excellit, & superat intellectum. quis enim mortalium nisi Divino illustratus oraculo de vnica DEI & hominis Genitrice quidquam modicum seu grande præsumat edicere, imò non timeat hanc pollutis labijs nominare, quam Pater misericordiarum & ante sæcula DEVS, perpetuam prædestinavit in Virginem dignissimam; Filius praelegit in Matrem; Spiritus Sanctus nova gratia Domicilium præparavit? quibus laudibus seruitus hominum Reginam efferet Angelorum? quæ præconiâ dilatet mortalis angustia, vel officia subministret, cui cœlestia parent, & famulantur obsequia? quis dignam honoribus plausus hominum acclamabit in terris, quam spirituum agmina beatorum jugiter venerantur in cœlis? sed quia illam vt meretur non possumus laudare, saltem Nomen ejus extollere procuremus. ita S. Bernardinus.

16. Quid de Viro illo pijssimo dicam Richardo à S. Laurentio, qui Prologo 1. de laudibus Virg. earundem sublimitatem contemplans, adeò Negotij hujus difficultatibus conterritus, adeò depressus est, vt ingenuè pronunciârit: *Si cymbalis benesonantibus præsumpseris addere sonitum cujuspiam fracti tintinnabuli, statim suavitas collidetur harmonia, quæ per se ante dulciter resonabat: Sic si attentavero Mariæ laudibus impolitum quidquam addicere, quam laudant pariter astra matutina, & cui jubilant omnes filij DEI, pertimesco ne fortè laus mea potius derogatio, quàm laudis cumulus videatur. Scio enim quod ineffabilis est laus ejus, nec ad eam poterit homo vivens, etiamsi loqui detur Angelorum linguis vel hominum, vel si planè cœleste noverit idioma, quoniam major est omni laude. Hanc enim gloriam sibi retinuit supernus Artifex, cujus Virgo Mater Opus est speciale, nec alteri daturus est eam. quare de* Maria *apud Prophetam dicit; Secretum meum mihi. Propterea hoc etiam de ejus specie toties replicat sponsus in Canticis: absq; eo quod intrinsecus latet; soli pervium Creatori, sed nulli cognitum creaturæ. Nam quanta sit Mariæ species, ille q. dedit eam solus novit, &c.* Idem Vir in Virginem devotissimus lib. 4. de laud. Virg. exponens ea quæ gloriosè dicta sunt antiquitus de Matre DEI, vt ostenderet eam esse Negotium sæculorum omnium, mox attexuit: *Nec solùm dicta sunt, sed & dicuntur quotidie, & dicentur vsq; in æternum. Christus enim Mariæ filius ipse heri, ipse hodie, ipse & in sæcula. Hebr. c. vlt. Et ipse qui antiquos inspiravit vt de Matre sua sub ænigmatis gloriosa prædicerent, ipse & quosdam modernos illustrat, vt de ea gloriosa non taceant; & vsq; ad finem mundi semper aliquos illustrabit, vt Matris præconijs nova semper aliqua superaddant.* Hactenus Richar.

Mariam laudant astra matutina & jubilant omnes Filij DEI.

Mariæ laudes nec linguæ Angelorū effari sufficiunt.

17. Quid Petrum Blesensem Archidiaconum, Virum & literis & sanctitate, memorabilem, commemorem? qui in Virginearum laudum Negotio, omnium hominum Angelorumq; linguas minimè sufficere ob earum profunditatem, affirmavit, Serm. 19. de Annunc. *Et ego*, inquit, *fortè si linguis hominum loquar & Angelorum, tamen in irritum cadet labor meus, quia puteus altus est, & in quo hauriam non habeo. Veruntamen obmutescere non possum, vnde omnis loquitur creatura. Tantum jucundum sit ei eloquium meum, & non erit infructuosum.*

18. Non defuerunt etiā Poëtæ Christiani, quibus Panægyris DEIPARÆ ingens Negotium facessivit. Audite Baptistam Mantuanum Ordinis Carmelitani decus, qui postquam lib. 1. Parthen. cecinisset Virginem hanc Sacratissimam, nulla peccati Originalis labe fœdari unquam debuisse, utpote DEI Matrem, Reginam Angelorum, totiusque Vniversi Dominam.

Poetæ Christiani. B. V. laudant.

Maria quia Mater DEI futura ideò ab orig. peccato libera.

Quod si syderei tanto splendoris honore
Fulget, ut aeterno qui temperat ordine Mundum
Gestârit gremio, lactarit & ubere, dulci
Strinxerit amplexu, summoq; vocarit Olympo,
Quare illam in nostras opus est detrudere sordes,
Et turpi infestare luto? Mortalibus æquas
Cui Pater æthereas Mentes subjecit & astra?

Postquam inquam hæc cecinisset, subjunxit, novas potius singularesque laudes, tanta Virgine dignas, quibus exornetur, adinveniendas, cùm omnia Dei dona nova penitus singulariaq; nulli puræ Creaturæ hactenus concessa in illa reperiantur, dum ita canit:

Scrutandum potius si qua preconia jungat
Ejus ad inventas per plurima sæcula laudes.
Nulli adeò vivax animi solertia, nulli
Tam felix aderit florentis gloria linguæ,
Vt Maria possit laudes æquare canendo.
Quæ data sunt illi, nunquam mortalibus ullis
Antea concessit, nec post conedet Olympus.

Sannazarius quoque Partum DEIPARÆ pro dignitate uti par est volens extollere, suis ob tanti Negotij molem diffisus viribus ad Virginem recurrit, canendo lib. 1.

Tuq; adeò spes fida hominum, spes fida Deorum
Alma Parens, quā mille acies, quæq; ætheris alti
Militia est, totidem currus, tot signa, tubæque,
Tot litui comitantur, ovantiq; agmina gyro

Adglomerant, niveis tibi si solennia templis
Serta damus, si mansuras tibi ponimus Aras
Tu Vatem, ignarumq; via, insuetumq; labori
Diva Mone, & pavidis jam lata adlabere captis.

Petrus Comestor denique tantum tamque arduum in Divæ Virginis pandendis laudibus negotium reperiri censuit, ut si creaturæ omnes tam cælestes quàm sublunares, tam sensibiles, quam sensu destitutæ, Divinâ illâ, nullis limitibus circumscripta Dei omnipotentia in linguas transformarentur, minimè suffecturas esse arbitratus est, dum ita cecinit.

Si fieri posset, quod arena pulvis & unda,
Vndarum gutta, atque rosa, lux, lilia flamma,
Aethera, Cælicola, nix, grando, Sexus uterque;
Ventorū penna, volucrum, pecudum genus omne;
Sylvarum rami, frondes, avium quoq; penna
Ros, gramen, stella, pisces, angues, & Arista,
Et lapides, Montes, Conualles terra, Dracones
Lingua cuncta forent, minimè depromere possēt,
Qua sis, vel possis, Virgo Regina Maria.
Qua tua sit pietas, nec litera, nec dabit atas.

19. Missos facio alios innumeros Latinæ Ecclesiæ Cherubinos, qui Virgineam hanc, Animatamque Arcam celebrando, Negotium difficillimum sunt experti. Veniam⁹ ad Græcæ Ecclesiæ Sapientissimos, ac Sanctissimos Patres scientiarum omnium plenitudine famosissimos. Agmen ducat S. Ioannes Damascenus qui manu illâ prodigiosâ à Virgine restitutâ memorabilē illam literis sententiam commendavit, orat. I. de Dormit. Deiparam *Virginē non hominum lingua, non Mundo sublimior Angelorum Mens sat dignis laudibus efferre potest, per quam Domini gloriam perspicuè intueri nobis datum est.* Idem S. Doctor Orationem secundam de Assumptione Deiparę exordiens: *Nemo,* inquit, *est mortalium, qui Sacrosanctam* Dei *Genitricem pro dignitate laudare queat, ne quidem si sexcentas linguas, totidemq; haberet ora, imò nec si toto orbe dispersa lingua in unum coirent, siquidem ipsa encomiorum omnium excedit leges.*

Græci Patres sunt Cherubini in laudibus B.V. perspicaces ac desarti.

20. Audiamus S. Gregorium Thaumaturgum Ser. 2. de Annunc. qui Virginem alloquens. *Tua sanè laus,* inquit, *ô Sanctissima Virgo, omnem prorsus laudem propter Deum, ex te Incarnatum, ac hominem natum excedit. Tibi omnis creatura, in calis & in terra, inferisq; reverentiam ac cultum convenientem offert.* Vbi clarè videre est, quâ ratione Vir Sanctus totam Negotij hujus Virginis laudes pertractandi difficultatem in Divinę Maternitatis penitus referat dignitatem, quæ ex Deo mirificam quandam nacta est infinitatē.

21. Audiamus S. Basilium Seleuciæ Archiepiscopum, qui legationem SS. Trinitatis Missam ad Virginem celebraturus, Orationem suam hujusmodi verbis exorditur, ex quibus facilè quivis intelligere poterit quam arduum sit Negotium Deiparę encomia pro dignitate explicare, dum argumentum hoc; *Negotium hominum perspicacissimorum* appellat: *Qui Sanctissimam,* inquiens, *Virginem Deiq; Matrem collaudaturus est, plurimam laudum materiam inveniet. Sed ego cum propriam infirmitatem cognitam habeam tantarum rerum magnitudini imparem, diu multumq; animo perculsus id facere me continu. Velut enim si quis onerosa sarcina pragravis in aquor etiam immensum supra vires dare se non sine animi reluctantis certamine refugit: Sic ego peccatorum oppressus pondere, cunctanter ejusmodi orationum materiam sumo, Negotium id esse arbitratus hominum perspicacissimorum, qui à corpore & animo sincere expurgati, nec non emicatione ei quadam Divina gratia affatim illuminati debitam* Dei *Matri laudationem plenè concinnent. Verùm hinc nulla mihi loquendi libertas parta est. Neq; enim ut Isaias Seraphinorum contemplator, cælesti carbone mihi labia expurgata sunt, neq; spirituales pedes calceonem vinculis exsoluti uti Divo Moysi.* Cumque timorem illum, quem Sanctissimus ille Legislator in Revelationibus ipsi à Deo factis expertus est, exposuisset, subintulit multo magis sibi extimescendum esse in laudibus Sanctissimæ Dei Parenti deferendis: *Me verò,* inquiens, Dei *Matri laudem afferre volentem, quantus timor uti par est, circumstare debet? ne à veritate aberrem, néve per imprudentiam dum dictis ornare me autumo, quidquam quod dedeceat effutiam.* Concludit tandem nullam hac Materia difficiliorem reperiri posse, cùm tota penitus Divina esse videatur: *Age verò ecqua sublimior Materia esse potest, præterquam hac est? Nihil certè inter Divina & humana medium proferet quis, aut cogitabit. Vt enim in facili non est* Deum *nosse, aut eloqui, imò ex eorum numero est, qua fieri minimè possunt: Sic Magnum Deipara Sacramentum omni ratione celsius est, & oratione.* Quamobrem virium suarum imbecillitatem agnoscens Sanctus hic Præsul, humillimâ oratione ad Patrem luminum recurrens, lucem menti suæ cælitus ad Virginis Dignitatem penetrandam, proq; dignitate ad fi-

Laudes B. V. totæ Divinæ.

ad fidelium utilitatem explicandam sibi infundi postulauit.

22. Quid memorem Hesychium Præsbyt. Hierosol. qui serm: 1. de B. Virgine, quam sit arduum negotium Virgineas laudes prædicandi ostendere visus est ex eo, quod licet justorum, DEIque amicorum memoria diesq; festi, votis omnibus celebrandi sint ob res fortiter ab illis gestas, laboresq; pro fidei Confessione susceptos, variaque, ductu Divini Numinis adita pericula, quibus immortalitatis coronas consequi sunt promeriti: *Dies tamen* DEI*paræ sacros omnem gloriam superare asserit, vt pote qui contineant*, ut inquit ille, *Solennitatem Virginis, quæ usq; adeo omnibus antecellit, ut ipsum* DEUM *Verbum volentem susceperit, quem ipsa citra ullam loci angustiam comprahendit.* Cum igitur virgo nostra comprahenderit incomprahensibilem, consequens sane est, & ipsam à nulla creata mente comprahendi, à nulla lingua prædicari condignè posse. Quare Serm: 2. fateri debuit, idcirco omnibus linguis celebrandam esse, vt quod singulæ non valent, saltem omnes simul unitæ debitum laudum tantæ Virgini persoluant pensum: *Jure procul dubio*, inquit ille, *omnis grati animi lingua salutat Virginem, &* DEI*param, ac pro viribus Gabrielem Archangelorum Principem imitatur dicendo: Ave.*

B.V. omnibus linguis laudanda.

23. Non videtur hîc silendus Leo V. Orientis Imperator, re verè, & nomine Magnus, obq; naturalium rerum scientiam, Philosophus appellatus, qui in ingenij sui monimentis, quæ posteritati reliquit, ob ardentissimum quo in Incarnatum Verbum ferebatur, affectum, Christi amantissimum se se nominauit.

Leo Imperator Orientis laudator. B. V.

Hic Hom: 6. qua DEI Genitricis in Cœlos Assumptionem extulit, sciens arduum nimium quantum esse Negotium tam illustrem triumphum, quo DEIpara in Cœlorum Capitolium innumeris Beatarum Mentium cateruis stipata ascendit, hiscé verbis sui sermonis desumpsit exordium: *Matri* DEI *festum diem honoremus. Atquæ, qualisq; lingua illius, quæ celebratur, honorem pro dignitate ipsius ac meritis exæquabit? quæ enim omnium est Domina, in præsenti argumentum suppeditat. Quænam oratio sua magnitudine, & granditate illius par erit magnitudini, eiusq; respondebit granditati? Etenim si in alijs ob virtutem illustribus, probatisq; personis, quarum dignitas & præstantia tanto est minor, quanto Servus Domino est inferior, orationis tamen commendatio longè est inferior: quid ei necesse est euenire, qui ad omnium virtutum culmen accedit? Cæterum licet dignitatis tantæ dicendo adæquandæ nulla spes suppetat, nihilominus ejus nos honori decantando impendamus, cuius beneficio hunc diem obimus. Præbebit suggeretq; orationem Verbum cui placuit, ut ipsius Filius diceretur.*

Idem pijssimus Imperator de Annun. Virginis, insinuarum prorsus laudum reperire non valens finem, exclamavit: *Et quis conetur gloriæ tuæ magnitudinem metiri? facilius arbitror cœli sidera oratione complecti, quam hanc.* Agnoscens deinde quod quæcunq; in ejus laudem hactenus deprompserat, mera gratia donumq; ipsius foret DEIparæ, subtexuit: *At ô Virgo & Mater, quæ sola cælestibus his opibus affluis, quæ dicere concessisti, ea jam diximus. Nihil enim meum, sed lingua, oratio, & Regnum, & quod aliud, id omne tuæ curæ & benevolentiæ munus dico.*

Facilius cœli sidera numerantur, quàm laudes B. V.

Leonis Imperatoris in B. V. affectus

24. Dùm igitur cœlestes hi utriusquæ Ecclesiæ tam Latinæ quàm Grecæ Cherubini Virgineam hanc animatamq; Arcam ejusq; perfectiones ac excellentiam irretorto mentis oculo contemplantes tam arduum, tamq; difficile in ejus prædicandis encomijs Negotium omnibus seculis sint experti, erit jure, merito recurrendum ad DEUM universorum Conditorem, ejusque Diuinissimum spiritum, qui solus tantæ Virginis comprahendit dignitatem. Vnde jure merito Divus Bernardinus Senésis pronunciauit: *Tanta fuit perfectio Virginis ut soli* DEO *cognoscenda reseruetur juxta illud Eccl: 1. ipse creavit eam in Spiritu sancto suo, vidit, dinumeravit, & mensus est.* Recurrendum, ad hunc Diuinissimum Spiritum, qui hujus DEI Ancillæ humilitatem, seu ut legunt alij, nihileitatem benignissimis, amoreq; plenissimis oculis respiciendo, eam creauit, inq; Arcam, Tabernaculúq; DEI Altissimi consecravit, recurrendum ad illum qui solus ejus perfectiones dinumeravit, ad illum qui earundem altitudinem, longitudinem, latitudinem, ac profunditatem sapientissimè dimensus est. Ad hunc, inquam, reccurrendum ut benignissima suauissimaq; aspiratione, velut cœlesti fauonio vela intellectus nostri impleat; hortumque cordis nostri perflando, inflammet

In laudibus B. V. invocādus Spiritus S. auxilium.

affectum, tandemq; liquefactis Virginearum virtutum aromatis, in suavissimum earundem odorem, Deiparæ Sanctissimis insistendo vestigijs curramus, illud identidem cum Sponsa Cant. 1. repetentes: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.*

S. Ildephonsus laudaturus B. B. invocat Spiritum S.

25. Ad faciendum hoc, exemplo suo Magnus ille Toletanæ Ecclesiæ Antistes Ildephonsus nobis præluxit Serm. 2. de Assumpt: *Vnde,* inquiens, *quantum debemus, quia non possumus, implorandus est Spiritus Sanctus, qui eam replevit & ornavit, innumeris largitionis suæ muneribus. Implorandus etiam ipse Vnigenitus* Dei *filius, ut pro modulo infirmitatis nostræ suscipere laudes utcunq; pro ipsa quas offerimus, quia nemo mortalium est, qui dignè possit hujus Sacratissimæ Virginis laudes dicere, neq; Mysteria, quæ in illa completa sunt verbis explicare.* Idem Vir Sanctissimus Virginisq; Cultor Eximius sentiens quàm arduum atq; difficile Virginearum laudum prædicandarum sit Negotium, librum illum pulcherrimum de Virginitate S. Mariæ auspicaturus hanc plenam castissimi amoris affectibus ad eandem Virginem ut ei gratiam huius Sanctissimi Spiritus impetret, præmisit orationem: *O Domina mea atq; Dominatrix mea, Dominans mihi Mater Domini mei, Ancilla filij tui, Genitrix Factoris Mundi, te rogo, te oro, te quæso, habeam Spiritum Domini tui, habeam Spiritum Filij tui, habeam Spiritum Redemptoris mei, ut de te vera & digna sapiam, vera & digna loquar, vera & digna quæcunq; dicenda sunt dicam.* Cumque paucis interpositis Divinæ Maternitatis eminentissimam dignitatem contemplatus esset in Virgine, amore ardentissimo anhelans desiderans; sempiternis tantam dignitatrm attollere laudibus, in illa prorupit verba: *Ecce enim ex hoc Beatam te dicunt omnes generationes, beatam te noverunt omnes Cœlestes virtutes, beatam prædicant omnes Vates, beatam celebrant omnes nationes. Beata tu fidei meæ, beata tu animæ meæ, beata dilectioni meæ, beata præconijs & prædicationibus meis. Prædicem te donec prædicanda es; diligam te donec diligenda es; laudem te donec laudabilis es, serviam tibi donec serviendum est gloriæ tuæ.*

S. Ildephonsi Oratio ad B. V. ut impetret gratiam Spiritus S.

Cur B. V. æternum laudanda sit?

26. Scire porro desiderat quispiam cur infinito amoris affectu, sempiternisque laudibus celebrandam Virginem hanc Sanctissimam censuerit Antistes hic Religiosissimus? En idem causam attexit luculentissimam: *Tu enim concipiens solum* Deum, *& hominem, postremum Sponsa facta es filij* Dei. Ecce vobis duos insignes titulos, quibus tantam Virginem interminato quodam amore perpetuisq; encomijs ad cœlum usq; attollere tenemur, quia videlicet Sponsa est filij Dei Altissimi, quia ejusdem est Dei Mater Dignissima.

27. Affectus hos devotissimi hujus Antistitis, omnes qui Virginis Clientuli ac Cultores esse contendimus imitemur quam studiosissime, eosq; in nobis continuis ad eandem pijs aspirationibus, ac jaculatorijs orationibus excitemus. Curandum proinde est ut ardentissimum semper quoddam studium ac desiderium Deiparam amandi, semper & ubique ejus præconia celebrandi dum vivimus, dum spiramus hîc, & in perennis, beatæq; illius vitæ æternitate in cordibus nostris exardescat. Sic enim revera prædicabimus illam dum prædicanda est; amabimus dum amanda est; laudabimus dum laudanda est, Serviemus ei dum serviendum est, in infinita nimirum sæcula, in ævum, in æternitates omnes, ob infinitam ipsius Divinæ Maternitatis dignitatem, adeo ut si æternũ in hac vita duraturi essemus, nunquam parem illius honoti, ac gloriæ prædicationem, amorem, laudem, servitium obsequiumq; essemus delaturi. Dicamus illi proinde cum S. Bonaventura medullitus Psal. 17. Diligam te Domina cæli & terræ, & in gentibus Nomẽ tuum invocabo. Stilla nobis Domina gratiam uberum tuorum, & manante lactè dulcedinis tuæ refice viscera puerorum tuorum.

28. Et quoniam Sanctissimus ille Spiritus qui eam obumbravit queq; hic invocandum dixeramus & gratia copiosissima, omnibusque suis cælestibus charismatis eandem replevit, penetrat, ut ait Apostolus, etiam profunda Dei, & consequenter multoque magis secreta ac profunda Mysteria hujus Matris Dei Sanctissimæ, tanti Viri exemplo identidem Spiritus hujus Divinissimi opem imploremus, ut discussis intellectus nostri nebulis, quæ tartareus Aquilo, ob Protoplastorum crimen in mortalium omnium invexit animos, fulgentiori calentiorique luce mentibus nostris, velut serenus Auster affulgescat, & resoluto cordis nostri torpore Virginearum laudum copiosins fluant affatimq;

Invocandus S. Spiritus qui Mysteria Deiparæ penetrat.

timque exuberent aromata: Dicamus identidem igitur dicamus: *Surge Aquilo, & veni Auster perfla hortum meum, & flant aromata:* Cant. 4. 16.

In laudibus Virgineis celebrandis ipsius Virginis auxilium implorandum.

29. Recurramus denique ad ipsam hanc nostram Virginē gloriosissimam, quæ cùm Mater sit omnis veræ Sapientiæ fontis atque Oceani, Mater, inquam æterni illius luminum Patris, porriget sine dubio ipsa clarissimos menti nostrę lucis suæ radios.

Eadem cùm sit Mulier illa Apocalyptica, quam sempiterno sole Iustitiæ amictam contemplatus est Ioannes Apoc. 12 jubare diviniori nos perfundet, ut illo irradiata mens ad tanta, tamque divina laudum ipsius præconia, velut quodam lumine gloriæ corroborata, celebranda sublevetur.

30. Imitemur pijssimum illum simul ac Doctissimum Virum Ioannem Gersonem Cancellarium Parisinum qui arcana quædam Mariani Cantici intellectu admodum difficilia expositurus, opem ejusdem Virginis hisce verbis imploravit. Tract. 2. super Magnificat. *Sentio necessariam tuam ô Beata Beatorum opitulationem, quam supplex imploro, per Beatitudinem tuam quam omnes prædicant generationes; per illam gratiæ plenitudinem, quam invenisti apud* DEUM, *per illam exultationem spiritus tui in* DEO *Salutari tuo dicam & Nostro, quia nobis datus est & nobis natus. Da Magnificare in te, per te, & propter te, animam meam Dominum. fac exultare spiritum meum in Deo Salutari tuo, & suo. Da spiritualium gratiam gaudiorum qualis adfuit Elisabethæ cognatæ tuæ, qualis & Infanti exultanti in utero, dum adveniens cum festinatione per montana intrâsti in Domum Zachariæ. Beatus siquidem Vir cujus est auxilium à te, ascensiones in corde suo disposuit.*

31. Agamus & id quod Seraphicum Bonaventuram egisse legimus, qui aureum illum planè libellum Speculum B. M. V. appellatum, speculo huic omnis Iustitiæ ac Sanctitatis dedicando, magnâ pij cordis teneritudine exclamavit.

S. Bonaventuræ affectus in B. V.

Eja ergo Benignissima Domina Maria illud exiguum munus, quod dat tibi pauper Amicus accipito placidè. Te enim cum hoc Munusculo; te cum hoc Opusculo, Salutationis tuæ saluto, te genibus flexis, te capite inclinato, te corde & ore Saluto, Salutemq; dico: Ave Maria.

Concinamus cum eodem hoc Sanctissimo Virginisque studiosissimo Doctore Psalmum illum, quem decursu Psalterij Magnæ hujus DEI Matris castissimo ipsius Amore exæstuans modulatus est Psal. 107. *Domina laudem meam ne despexeris, & hoc debitum tibi psalterium digneris acceptare. Respice voluntatem cordis mei, & affectionem meam fac tibi bene placētem. propera ad visitandos servos tuos sub tegumento manus tuæ illæsi conserventur. Illuminationem Spiritus Sancti per te suscipiant, & refrigerium contra cupiditatis æstum.*

32. Exclamemus cum pientissimo P. Bernardino Senensi, qui septem verba dumtaxat hujus Virginis Sacratissimæ, quæ dum in terris degeret est effata, expositurus, sic illam To. 3. Ser. 9. deprecatus est *Dignare me laudare te Virgo sacrata, nec modicam despicias tui famuli servitutem, cujus non modicam tuis in laudibus attendis devotionem. Dignare cælestis Regina mihi per sublimium sensuum tuorum misericordiā, qua si vasta per æquora, sine remige naviganti, cælestis auræ favore succurrere, ut qui altissimos tuorum verborum sensus saltem balbutiēdo declarare desidero, gratia tua confisus, tuo adjutorio valeam explicare. Aspiret & ille Divinus habitator hospitij tui, ut qui in laude suæ Matris studium pietatis attendit; pius adjutor adesse non dedignetur è cælis. Quis enim mortalium nisi Divino tutus vel fretus oraculo, de vera Dei & Hominis Genitrice quidquam modicum, sive grande præsumat incircumcisis, imo pollutis labijs nominare, quam Pater ante Sæcula* DEUS *perpetuam prædestinavit in Virginem dignissimam; Filius elegit in Matrē; Spiritus Sanctus omnis gratiæ domicilium præparavit? Quibus verbis ego homunculus sensus altissimos Virginæi cordis Sanctissimo ore prolatos efferam? quibus non sufficit lingua omnium hominum, atq; etiam Angelorum?* Hactenus S Bernardinus.

33. Horum Patrum Sanctissimorum nos quoque relegendo vestigia te Virgo Sacratissima Salutamus, affectu quam ardentissimo, quam humillimo, tibique hoc qualecunque tandem dicamus ac consecramus Opusculum, quo veluti Phidias eburneo illo simulacro Palladis vivam sui spirantemque expressit effigiem, ita nos in te velut à DEO sculpta statua, uti te B. Andreas Cretensis appellat, supremi illius universorum Artificis, Divinæque Matris Mundo repræsentare sumus conati, similitudinem. Quod licet opusculum tantâ, tamque cælesti tuâ dignitate atque Majestate minimè dignum noverimus, ut digniori aliquo loco, velut in arce tanquam illa Miner-

Minerva Phidiæ collocetur; confidimus tamen, licet illud rude admodum impolitumq; sit, pro congenita tibi benignitate ac facilitate gratum acceptumque, saltem pro nostri animi quo illud tibi devovemus affectu, atque alacritate, evasurum. Memini enim exhortationis tui venerabilis illius Chrysippi Præsbyteri Hierosolymitani quâ & se aliosque ad obsequia tibi exhibenda quam studiosissimè excitabat; *Agite ergo & vos, inquiens, & si munera digna offerre huic Virgæ Iesse, semper virenti nequimus, pro viribus tamen bonam voluntatem offeramus.*

34. Meminimus enim Virgo Benignissima ad Tabernaculum illud fœderis, quod te adumbrabat, exornandum, varios varia contulisse, ut Moses in suo testatur Exodo c. 25. 3. alios nempe aurum, & argentum; alios æs, hyacenthũ & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum; alios, nempe Principes obtulisse gemmas, & lapides Onychios planè pretiosissimos. Meminimus denique alios pelles Arietum dumtaxat, pilosque Caprarum pro sua tenuitate Tabernaculo illi consecrasse. Quæ omnia quia, ut idem Sanctus loquitur Legislator *mente promptissima atq; devota fuerant dono data*, superis gratissima extiterunt.

Maria Tabernaculum fœderis.

35. Meminimus etiam in procera illa cælos ipsos attingente Danielis Arbore (tuæ Magnitudinis atque Majestatis uti tuus attestatur Bonaventura præclarissimo symbolo) conversatas volucres cæli utique diversissimi generis, tibique suavissimum melos, modulosque concinuisse. Fuerit ibi licet Gabriel Angelus. & reliqua multitudo Militiæ cælestis, verè sonoræ, ac suavissimæ cæli Volucres, tibi felicissimũ illud gratissimumque *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in Mulieribus, gloriamq; in altissimis* DEO concinentes. Fuerint ibi Nobilissimæ Achantides illæ, Lusciniæ, atque Philomelæ; Augustini, Ambrosij, Bernardini, Amadei, Ruperti, Epiphanij, Hesychij, &c. Fuerint ibi pulcherrimi illi purpuratique Cardueles Hieronymi, Bonaventuræ, Damiani, Hugones, Halgrini, Bellarmini, insignes Dei Ecclesiæ Cardinales, qui honori glorięque tuæ per universum orbem propagandæ suavissimos ac elegantissimos concentus, harmonia planè cælesti modulati sunt. Inter hos si Corvus quispiam vel Pica comparuerit, & raucum aliquod tibi χαῖρε crocitaverit, te ô Virgo dulcis pro innata tibi morum suavitate boni consulturam omnino speramus. χαῖρε igitur Maria Ave illuminatrix mentium Mundique lucidissima. Ave Stella Maris (nomen siquidẽ hoc tuum dulcissimum hæc omnia nobis adsignificat) maris, inquam, tuarum laudum spatiosissimi atque immensissimi.

Maria Arbor in qua cœlestes volucres Angeli & Sancti laudes ipsi concinũt.

Affulgesce affulgesce ô Maris Stella splendissima mentis nostræ naufragantis cymbæ, luce tuâ saluberrimâ, ac benignissimâ, & veluti polaris illa, unica naufragantium consolatio, Stella Elice atque Cynosura cursum dictionis nostræ dirigito inq; felicem portum emẽsis tam immensis gloriæ encomiorumq; tuorum spatijs introducito. Nam ut cum tuo Baptista Mantuano laudum tuarum celeberrimo Præcone canam, verè esse consuevisti, ô Virgo.

Maria Stella maris navigantibus propitia.

Tu placidum terris Sidus, quod liberat omnes
A pelagi fervore rates, quod luce benigna
Saturni Martisq; graves eliminat iras,
Tu nobis Elice, nobis Cynosura per altum
Te duce vela damus portus habitura secundos,
Tu Mare, tu ventos, tu sydera cuncta, Deumq;
Concilias, tu tuta salus, tu pacis Origo. l. 1. Part.

36. Verè laudes tuæ ô Virgo sunt tuta salus, verè iter sunt ad sempiternã salutem consequendam tutissimum. Quare níl meo obstante imperfecto quod oculi tui vident, sapientissimis servi tui Hieronymi consilijs acquiescens me tuis celebrandis encomijs totum impendam. Cùm enim præmisisset Doctor Sanctissimus Ser. de Ass. *De tali tantaque loqui me indignum fateor, sed & puto quod nemo sit qui præsumat, nisi qui quanta sint, quæ panduntur penitus ignorat. Tamen etsi adhuc nemo idoneus invenitur, votis omnibus cessare non debet etiam quilibet peccator à laudibus, quamvis explere non queat, quæ sentit*: mox attexuit: *Vnde sermo Divinus cum de peccatore ageret in Psalmis: Sacrificium, inquit, laudis honorificabit me, protinus addidit: & illic iter, quo ostendam illi Salutare* DEI. *Quasi diceret, illic iter est laudis, ad æternam laudem sine fine mansuram.* Vnde concludit: *Propterea quia iter Salutis nostræ, in laudibus est Salvatoris; hortor vos in hac solennitate* DEI *Genitricis. Mariæ nolite cessare à laudibus.* Non cessabo igitur & ego à laudibus tuis Virgo dulcissima, quamdiu spiravero, efficiamque ut laus ac memoria tua ad instar asiduę cujusdam mihi sit respirationis. Siquidẽ

Laudes B. V. sunt iter ad sempiternas laudes & ad visionẽ beatificã.

Laus B. V. sit nobis ad instar respirationis.

vère

Memoria B.V. vtilis.

verè tuus dixit Anſelmus li. de Excell. V. c. 6. *Nihil utilius poſt* Deum *memoriâ Matris ejus*: ſiquidem in laudibus tuis iter eſt ad ſempiternas laudes, vt paulò ante tuus dixit Hieronymus, iter eſt jucundiſſimum ad videndum ſalutare Dei, tuum, inquam, dulciſsimum Filium, cujus viſione vera germanaq; noſtra fœlicitas continetur; & in quem omnes tuæ laudes redundare conſueverunt. Et quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, ut tuus, te laudaturus loquebatur Anſelmus, opto ut tu Divinâ tuâ ſpecie ac venuſtate rudi meo impolitoque ſtylo aliquid elegantiæ pro tua benignitate addere non dedigneris: Poſtulo hoc à te confidenter, exemplo devotiſsimi tui Petri Riga edoctus, qui Legationem Angelicam ad te cælitus miſſam explicaturus commentarijs ſuis in Lucam, ita cecinit:

Pulchritudo B. V. ſtylum etiam rudem de ipſa ſcribentem pulchrum reddit.

Nunc metra formare, de forma Virginis opto.
Ornet deformem Virgo ſerena ſtylum.

37. Tu igitur ò Virgo ſacratiſſima, quæ à tuo cœleſti Sponſo Formoſa diceris, Opuſculo huic meo ſat deformi atq; incompto, quo potiſſimum Divinam illam animi tui formam, Auguſtiſſimæ Triadi, quantum creatura capax eſſe poteſt, quam ſimillimam depingendam, exornandamq;, pro modulo noſtro ſuſcepimus, de formâ illâ tuâ communices, quâ Angelis, reliquiſq; Cœlitibus, atque adeò ſupremo Numini ita reddita es admirabilis, vt Sponſus ſui decori, Majeſtatis, ac gloriæ oblitus quodammodo Cant. 1. ſtupore hærens attonitus non ſemel exclamârit: *Ecce tu pulchra es Amica mea, ecce tu pulchra!*

B. V. ſuâ pulchritudine Angelis, Cœlitibus, & ipſi Deo reddita admirabilis.

Et rurſus Cant. 4. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra! Oculi tui columbarum, abſq; eo quod intrinſecus latet;* quod ſoli videlicet Deo, cordis penetralia rimanti patet.

38. Nec hic Virgineæ hujus pulchritudinis terminantur elogia. Nam iterum Cant. 6. addit: *Pulchra es amica mea, ſuavis & decora ſicut Ieruſalem:*

Denique Cant. 7. Virgineâ hac ſpecie, pulchritudineq; cœleſtibus delicijs pleniſſima captus, nec oculos, nec animum explere valens, tandem in ſpecioſiſſimum illud, admiratione perculſus, erupit encomium: *Quam pulchra es, & quam decora Chariſſima in delicijs!* ſive vt legêre 70. Interpretes: *Quam pulchra, & quam ſuavis es Charitas in delicijs!* Quam Sponſi laudem eleganti ſanè paraphraſi reddidit Guilielmus Abbas apud Delrium: *Quam pulchra es,* inquiens, *in Virginitate fœcunda, & quam decora in Fœcunditate Virginea. Non enim ſimplex Virginitas tua, ſed fœcunda; non ſimplex Fœcunditas tua, ſed Virginea. Hinc non ſimpliciter dicitur, Pulchra es, & decora; ſed: Quam pulchra & quam decora! Et non tantùm chara, ſed & chariſſima in delicijs dicitur: per quod in ſuis delicijs, DEO inſigniter placuiſſe monſtratur. Non enim illæ tam caſtæ ſanctæq; deliciæ vigorem animi ejus molliebant, ſed potiùs fovebant. Tales deliciæ etiam in hac vita mortali decebant Matrem vitæ, Matrem Majeſtatis. Si quæritis de delicijs iſtis, quales! Dico quod Maternæ quædam deliciæ erant, ſed Virgini Matri ſingulares. Nulli Virgini vel Matri ante eam, nulli poſt eam datum eſt experiri delicias iſtas. Maternæ deliciæ erant, Matris ſuper Prole gaudentis. Quantis putas illa Materna ſuavitatis affluebat delicijs, cùm ei ad conceptum virtus Altiſſimi obumbravit, dum corporatum DEVM in vtero geſtaret, dum novo Partu æternum Lumen, in luce ſæculi funderet. In quantis agebat ſanctæ jucunditatis delicijs, cùm DEVM Verbum maternis amplexibus ſtringeret, & ſacra illi oſcula materni oris imprimeret; cùm illum, qui in cœlo de ſe paſcebat Angelos, maternis vberibus aleret, & cetera maternæ pietatis officia, pro tempore miniſtraret; Deniq; in his omnibus Divini myſterij, & ſui privilegij non ignara, optimè noverat, ſe eſſe Matrem Majeſtatis, & hoc noſſe, ſingulares, ac juges illi erant deliciæ.*

Præcipua Deiparæ Pulchritudo in Virginitate, fœcunditate & Charitate conſiſtit.

Deliciæ B. V. erant ſingulares dum Verbum Incarnatum vtero geſtavit, dû lactavit, dum oſculabatur.

39. Quibus verbis Vir hic Virgini addictiſſimus, pulchritudinem, ac decorem ſuavitatemque ejus, Virginitate, ac Fœcunditate potiſsimum conſtare nobis oſtendit. Quod ſi cum ſeptuaginta Interpret. addiderimus & Charitatem, (quâ ita in Deum proximumque, cor viſceraque ipſius, quæ eſſentialem illam Charitatem novem menſibus portaverunt inflammata ſunt, vt Virgo tota, ipſa ignita Charitas eſſe videretur) ſpeciem, decoremque Deiparæ omnibus numeris abſolutum, intelligemus; cùm Charitas virtutum omnium ſit forma, venuſtiſsimumque ornamentum. Hac igitur ò Virgo benigniſſima, pro innata ſibi facilitate, ineffabili tuâ pulchritudine, ac formâ, rude hoc Opuſculum, vt exornes humillimè depoſco. Virginitate itaque tuâ, quæ ſerenare, atque illuſtrare intellectum conſuevit, vt in dilecto tui Filij diſcipulo patuit, pijs cogitationibus, velut cœleſti

B.V. adeò plena charitate, vt ipſa Charitas eſſe videatur. Charitas eſt forma virtutum.


Virginitas B. V. ſerenat intellectum, Fœcundi-

lesti luce, menti meæ illas suggerendo, affulgesce. Fœcunditate quoque tuâ eamdem mentem conceptibus tua Majestate dignis reple ac fœcunda. Ardentissimâ denique tuâ Charitate styli rubiginem excoque, vt tuarum laudum præconia, vti par est, lucubrare valeam.


tas eundē pijs cogitationibus, ac conceptibus fœcundat.

Obsecro te tandem Virgo benignissima per Virginitatem hanc, Fœcunditatemque tuam, per illa Charitatis tuæ plenissima viscera.

Obsecro, inquam, te, vt quæ es Humanæ Naturæ Decus, ac Venustas, quemadmodum te tuus appellavit Damascenus; gloria luti sæculique nostri vti Hesychius, vt hasce tuas quales quales laudes, quas pro mea tenuitate deprædicare aggredior, Divino tuo decore venustare atque exornare; ignitâ tuâ Charitate; siquidem ipsa videris esse Charitas; animos sive legentium sive audientium, inflammare, pro majori tui Nominis toto terrarum Orbe amplificanda gloria, non dedigneris.







DISCVR-



DISCVRSVS I.

Virgineas laudes Divinas esse, eo quod sint ineffabiles, & cum Filio communes.

Nunquid Sion dicet homo? Psal: 86.

I. MAGNVM illud Theologorum lumen, ac Scholarum Angelus D. Thomas 1. p q. 25. a. 6. ad 4. tria inter creata omnia esse adeò perfecta, atque infinita pronunciavit, vt à supremo illo Artifice DEO Ter Opt: Maximo nec meliora nec perfectiora fieri etiam de potentia ipsius absoluta valeant. Primum est Humanitas Christi vnita hypostaticè sempiterno DEI Verbo. Alterum MARIæ Virginis Divina Maternitas. Visio denique beatifica creaturæ. *Humanitas Christi*, inquit ille, *ex hoc quod est vnita DEO; & Beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio DEI; & B. Virgo, ex hoc quod est Mater DEI, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est DEVS, & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse DEO.* Hinc Seraphicus Doctor in Speculo B. V. c. 10. Angelico Doctori consentiens: *Ipsa est qua Majorem DEVS facere non potest. Majorem Mundum posset facere Deus, Majus cœlum posset facere Deus, Majorem Matrem quàm Matrem Dei non posset facere Deus.* Hoc nimirum inter illa magna, quæ Divini Numinis Sacratissimæ Virgini nostræ facere non est dedignata Omnipotentia, maximum, summumque & ad instar omnium computandum est, de quo præcipuè summa animi gestientis lætitia ipsa concinebat. *Fecit*, inquiens, *mihi magna qui potens est.* Quæ verba D. Bern: Sen: expendens To: 3. Serm: 9. ar. 2. c. 1. sic Virginem loquentem introducit: *Magnum est, quod Virgo sum, magnum quod vtrumque simul Mater & Virgo sum, sed maximum, si cujus Mater sum attendatur, scilicet Vnigeniti Filij DEI, & omnium Salvatoris. Qualia autem sunt non exprimo. Hæc enim plenè nec auris Angelica intelligere potest. Ista quippe magna non solùm creaturis sunt maxima, sed etiam maxima & insuperabilia sunt illi qui potens est, imò omnipotens est, & Sanctum Nomen ejus. Et tamen nec potentiora, nec Sapientiora ille facere potuit, quàm quæ in me ipse fecit, dum scilicet hominem Verbo vniuit, vt idem sit factor, qui & factura, sed æternâ dispositione, & immensâ meâ dilectione facta sunt ad meam gloriam singularem.* Hactenus Bernardinus.

Divina Maternitas est dignitas infinita.

Deus non potest aliquid majus facere quàm Virginem Matrem sui Filij.

2. Hinc idem D. Thom: 1. p. q. 57. a. 5. cum reliquis Theologis communiter, D. Bonaventura, Richardo, Alexandro Alensi, Paludano, Soto, Vasquez, alijsq; quamplurimis luculentissimè asseveravit nullum intellectum creatum nequidem Angelicam solo Duce Naturæ lumine in cognitionem incompræhensibilis illius Incarnationis, essentiâ suâ omnem naturam transcendentis Mysterij in Vtero Sacratissimæ Virginis

peracti devenire posse. Quare praeclarè Magnus ille Areopagita Dionysius c. 2. de Divin: Nomin: doctissimè pronunciavit: *Ipsa IESV in carne apparitio, & ineffabilis est sermone omni, & omni ignota intelligentia, quin etiam ipsi Antiquissimorum Angelorum Primati non satis perspecta.* Capite verò 7. de Cœl: Hierar: Angelos inferiores, ait, illuminari à Superioribus, & Superiores ab ipso DEO, lucis omnis fonte, atque ita Mysterium hoc Divinâ Revelatione cognovisse. Agathon denique in Epistola ad Imp: recitata in 6. Synodo Act. 4. superare notitiam Angelorum asseruit.

Incarnationis Mysteriū lumine naturali intelligi nequit.

3. Audite de hoc arcano inscrutabili S. Basilium Seleuciæ Archiepiscopum Orat: 39. differentem: *Ad hanc orationis partem appulsus*, inquit ille, *& ad miraculi magnitudinem respectans præ admiratione mutus sū & elinguis, neq; enim res verbis exæquare possum. Quomodo inopinatò concelebrabo inopinam illam Incarnationis gratiam? quibus laudibus afficiam fontem Charitatis? quomodo profusæ Charitatis in homines flumen prædicabo? quomodo Virgineum pelagus audens tentabo, magniq; Mysterij scrutabor altitudinem, nisi vt inexpertum Vrinatorem ò DEIpara doceas veterem hominem qui corrumpitur secundùm desideria erroris, deponere? nisi mentis os misericordia compleas quo tui partus fundum pervadat, vt tua miserationis luce circumfulgens, in te veritatis Margaritam deprahendam.*

B. V. immensum quoddam pelagus.

4. Audite S. Chrysologum Ser: 143. qui Divinam Maternitatem, humano sermone ait esse inexplicabilem: *Virgo peperit*, inquit ille, *quod natura non habet, & vsus nescit, ignorat ratio, mens non capit, pavet cœlum, stupet terra, creatura miratur, quomodo Sermo narrabit humanus?* Et Sermo 144 *Virgo peperit, quis loquetur? Verbum Caro factum est, quis enarrabit? Si Verbum DEI infantiæ dat vagitum, homo imperfectus quomodo clamabit in Verbo?* Sermone tandem 146. Nativitatem Christi ex Vtero Virginis Orienti soli comparans sic loquitur: *Quoties transcursis anni metis dies Dominicæ Nativitatis adventat, & Virginei Partus fulgor flammeo coruscò toto Orbe diffunditur, voluntatis est, non pavoris quod tacemus. Quæ enim mens in ipso ortu Divini Regis obijcere se præsumat? Solis radij cùm erumpunt, visus hebetatur humanus, radiante DEO quomodo non totus animorum sauciatur aspectus? Reparatis ergo sensibus novi luminis post stuporem, tempus est quo jam nobis per Carnem ipsius Divinitatis visu, generationis Christi contemplemur arcana. Fratres si volumus intelligere Christi generationem, Divina verba modis non pensemus humanis; seponendus est humanus sensus, vbi totum quod dicitur est Divinum. Christus qui nascitur non est consuetudo, sed signum. Non est natura, sed Virtus; non ordo est, sed potestas. Est cœleste Miraculum, ratio non humana. Hic mundana Scientia quid capiet? hic carnis intelligentia quid requiret?*

Partus Virgineus est ineffabilis.

Nativitas Christi Sol oriēs.

PartumV. nec sensus nec mens capit humana.

5. Quod si SS. Patres ac Theologi incompræhensibile atque ineffabile Divinissimum hoc Sacramentum in Vtero Virginis purissimo, velut Aula Regia omnium cœlestium gratiarum, donorumque decorata peripetasmatis celebratum, arbitrati sunt, consequens sanè est & ipsam Virginem, ejusque laudes, ob infinitam illam Divinæ Maternitatis dignitatem nec humanâ, nec Angelicâ mente concipi, vel lingua edici, vti par est vnquam potuisse. Quam ob rem jure merito Regius Propheta David Virginis hujus suæ Consanguineæ arcana omnia dignitatemque eminentissimam, Divinô irradiatus lumine acutissimè penetrans, sub Symbolo Arcis, seù Civitatis Sion, eandem adumbrans, exclamavit: *Nunquid Sion dicet homo?* quasi dicere voluisset: Possibiléne est, vt animatam hanc Sionem, quam DEVS ipse inhabitare non est dedignatus, homo ex humô lutoque compactus dicat, atque deprædicet? cùm idem Altissimus ejus Creator ac Fundator Homo in ea factus & natus sit? *Et homo Natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus.* Vbi copulatiua *Et;* ponitur pro causativa illa; quia. Ideò igitur, inquit Propheta Sanctus, purus homo lingua exprimere nequit laudes animatæ hujus Civitatis Sion, quia tota Divina est, superni illius Artificis manibus fundata & fabricata. Quis enim mente capere, quis lingua exprimere valeat, quod fundator Civitatis cujuspiam in ea nascatur, cùm multò priùs Reges Vrbium fundatores nasci contingat, tum vbi nati fuerint easdem fundare & inhabitare consueverint. Hinc inter ceteras laudes Virgineæ hujus Civitatis admirandas gloriæque plenissimas, hoc inter postremas non est numerandum, quod Altissimus atque Sapientissimus hujus Civitatis Architectus nasci in ea non sit dedignatus. Vnde præcipuam hanc ipsius gloriam prædicavit sine dubio idem Prophe-

Incomprænensibile Incarnationis Myst. incompræhensibilē reddit & Virginem.

Maria Civitas Sion, eaq; ineffabilis, quia in ea ipsius Architectus natus est.

pheta, cùm dixit: *Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI.* Non enim simile elogium de vlla celeberrimarum hujus mundi vrbium auditum est, non de Alexandria, non de Roma, non de Constantinopoli, quas licet Alexandri, Romuli, Constantini summis impendijs, Regiâq; prorsus Magnificentiâ construxêre, in ijs tamen nasci nullo modo potuêre. Soliùs sempiterni illius Architecti Sapientissimi hoc fuit privilegium. Dicat ergo, lætitiaq; supra sese efferens Vates Regius canat: *Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI.*

6. Quæ verba expendens S. Bruno Religiosissimi Ord: Carthusiani Fundator ac Patriarcha, preclarè eandem hanc Virginis extollendo laudem ac privilegium disseruit: Serm. 1. de laud. B. V. ostenditq; merito eam Civitatem appellari: *Ad laudem,* inquit, *Matris Domini invitat nos Spiritus Sanctus per os David Patris ipsius Virginis canendo; Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI. Non incongruè verò Virgo Maria Civitas DEI appellatur, quam Virginitas mentis & corporis quasi murus, ita omni ex parte vallavit, vt nullus vnquam libidinis accessus adesset, & omnis inimicus ab ipsius Virginitatis corruptione deesset. Vnde laudi ipsius applaudens Salomon ait: Pulchra es & decora Filia Hierusalem, terribilis vt Castrorum acies ordinata. Merito V. M. filia Hierusalem vocatur, quia ipsa fuit filia Visionis pacis, idest, filia & Mater illius qui fecit pacem. Hæc filia Hierusalem pulchra est per internarum decorem Virtutum, & decora est per exēplum Virginitatis, quod toti exhibuit Mundo. Est etiam terribilis vt Castrorum acies ordinata, ad quam omni virtute circumunitam non audet hostis accedere, vtpote quæ Spiritus sancti protegitur obumbratione. De hac Civitate jure gloriosa, & magnalia dicuntur, non solùm ab hodiernis, sed & ab antiquis Patribus & Angelis: Nónne valde gloriosum est, quod de ea David Pater eius dicit? Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus. Impossibile enim est quantum ad alios homines, vt aliquis fundator sit Ciuitatis in qua nascitur; quia antequam sit natus non potest fundare Civitatem. Sed Christus qui est Altissimus per hoc quod DEVS est ante omnia tempora fundavit Civitatem hanc, id est, Matrem creavit, & tum vt homo in fine temporum natus in ea, sumendo carnem ex ea. Mirabile est ergo & gloriosum in hac Civitate, quod ille qui fundavit eam, natus est in ea.* Hæc S. Bruno.

Muri Virgineæ Civitatis castitas mētis & corporis.

Maria filia & Mater illius qui fecit pacem inter Deum & hominem.

Terribilis B. V. hostibus Inferni.

Virgineæ Civitatis fundator in ea natus.

7. Pari dictionis venustate hanc Virginis celebravit gloriam B. Petrus Damiani Cardinalis Ordinis Benedictini illustre Sydus Serm: 3. de Nat: B. V. *Immensum,* inquiens, *concepit, æternum genuit, genitum ante sæcula parturivit. qui sibi & munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus Virginitatis non abstulit natus. qui antequam nasceretur talem creavit eam, vt ipse dignè nasci potuisset ex ea; de qua Propheta David multò antè prædixerat, secundùm aliorum lectionem: Mater Sion dicet homo? & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus. Creatus est ex ea quam creavit; portatus est manibus quas formavit; Suxit vbera quæ replevit; Puella confovebatur in gremio, quem vastissima cœli non recipit latitudo; puerilibus fascijs cingebatur, qui immensitatem Orbis terræ pugillo complectitur. Matris parebat arbitrio, qui omnium rerum jura suo gubernabat imperio. Vagiebat in cunabulis, qui Angelorum gaudium erat in cœlis. Vilibus tegebatur crepundijs, qui electos suos stolâ induit immortalitatis; imperabat illi Puella, cui cuncta obtemperant, & obediunt elementa. Nam in Evangelio scriptum est: Erat subditus illis. Meritò igitur B. Maria dicitur Parens Parientis, Oriens Orientis; Fons Fontis vivi; Origo Principij; quia ille ex ea prodijt per materiam carnis qui caput & initiū est omnium rerum per essentiam Deitatis.* Hæc S. Cardin.

B. V. excellentia in Deo immenso & infinito concipiēdo, generando, nutriendo.

Varia miracula in Virginea Civitate peracta.

8. Audite deniq; Richard. à S. Laur: qui lib. 2. de laud. V. Partic. 5. quærens cur Venter B. V. dicatur Beatus? Respondit: *Dicitur Beatus, quia qui fecit ventrem, factus est in eodem ventre. Hoc est Magnum Mirabile: sicut si quis priùs faceret domum, & postea nasceretur in eadem domo. Ideò Psal. 86. Gloriosa dicuntur de Civitate DEI, id est, MARIA, quod homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus. Quis audivit vnquam tale?* Alia quoq; mirabilia his similia in Virginali vtero peracta enumerat D. Bern. Sen. Tom 3. Serm: 6. a. 3. c. 2. *Quis,* inquiens, *sperare posset cœlorum Dominum in vtero Matris clausum Summum, esse infimum: Dominum, servum; in cœlo regnantem, in terra ministrantem? omnia continentem, à Virgine contentum; omnia reficientem, à Matre alitum; omnia regentem, à fœmina rectum; & tandem Verbum æternum, in tempore carnem factum. Verè igitur hoc Admirabile, fuit summè mirabile.* Sic Bern.

9. Quæ ergo humana lingua hanc hujusce animatæ Sionis gloriam singularem, eximiumque nulli vnquam hactenus concessum privilegium edicet? Hactenus sanè reperta est nulla, nec reliquis retrò sæculis reperiendam arbitror.

Vnde idem B. Cardinalis Serm. 3. de Nat. Virginem hanc dixit ineffabilem: S. Bernard: Serm. 4. de Assump. Indicibilem. D. Bonaventura in Prologo sui Speculi B. Virginis; Incompræhensibilem. B. Arnoldus denique Abbas Carnot. & Petrus Blesensis ad Gloriosissimæ Virginis prædicandam gloriam, linguam plusquam Angelicam desiderabat.

B. V. ineffabilis & incompræhensibilis.

10. Ex hisce omnibus facilè quivis inferre poterit, sacro quodam ac reverentiali silentio potiùs Virginem hanc sacratissimam esse venerandam, quàm vlla humana eloquentia, dicendique quantumvis vberrima facultate. Vnde D. Hieronymus ex textu Hebræo verba illa Davidis: *Te decet hymnus DEVS in Sion,* transtulit: *Tibi silentium ò DEVS, laus est in Sion.* Quasi dicere luculentiùs voluisset: Licet, ò Devs, hujus Virgineæ & Animatæ Sionis Architecte Sapientissime, varijs modis structura hæc tua admirabilis atq; Divina, in qua infinitã tuam Potentiam, inscrutabilem Sapientiam, immensamque tuam Bonitatem exerere visus es, nullam tamen aptiorem, tuam Divinam Majestatem, opusque hoc tuum omnibus perfectionum numeris absolutissimum extollendi rationem invenio, quàm ori apposito digito, sacrum sibi, atque reverentiale indixisse silentium.

B. V. sacro silentio veneranda.

11. Hæc enim Sion, hæc Virgo Gloriosissima est illa turris *David quæ ædificata est cum propugnaculis,* vel ut alij ex Hebr. legunt: *quæ ædificata est ad suspendendum ora.* Cuivis enim hoc sumptuosissimum æque ac Magnificentissimum superni hujus Architecti Ædificium ejusq; gloriam contemplanti, mentem verbaque deficere, & hianti suspensoque ore tantorum prodigiorum admiratione attonitum, hærere necesse est.

Virginea Civitas, laudantiũ mentes, oraq; suspendit præ admiratione.

12. Quare jure merito infert Propheta Regius: solius Dei esse animatæ hujus Civitatis, in qua tam mirabiliter natus est, enarrare præconia. *Dominus narrabit.* Narravit, inquam, in scripturis populorum, in monimentis ipsorum Gentilium, in carminibus Sybillarum & Argonautarum, Templorumque inscriptionibus, alijsque; qualis fuit illa celeberrima, qua temporibus Constantini Imperatoris, & Irenes in sepulchro quodam supra pectus hominis Mortui (quem Platonem fuisse censuit Rutilius Benzonus Episcopus Lauretanus) laminæ aureæ incisa reperta est, ut testatur Baronius, & ante illum D. Tho. 22. qu. 2. a. 7. & 3. *Christus Nascetur ex Virgine, & ego credo in eum. O Sol sub Irena & Constantini temporibus iterum me videbis.* Narravit in Scripturis populorum Ægyptiorum, Chaldæorum. & Albumazaris insignis Astrologi, qui licet à fide Christianâ esset abhorrens, testatur tamen, quod in prima facie signi Virginis *oritur in terra Virgo munda, puella Immaculata, corpore decora, vultu venusta, habitu modesta, crine prolixa.* Vtq; omnis dubietas eximatur apertè affirmat hanc esse Virginem, *quæ puerum in Iudæa nutriat, eumq; puerum à quibusdam* Iesum *vocari, quem nos,* inquit, *Græci Christum dicimus.* Vide plura apud Canisium lib. 2. de Deip. c. 7.

Solus Deus Virgineарũ laudum idoneus narrator.

Sybillæ ac Ethnici B. V. præcones.

13. Narravit denique in scripturis Principum eorum qui fuerunt in ea, Principum inquam, Apostolicorum, qui Virginem hanc viderunt, cumq; ea familiarius conversati sunt. qualis fuit Ioannes Dilectus Iesu Discipulus, Evangelistæ Sanctissimi, Lucas ejus Secretorum conscius, cum Matthæo alijsq; Ecclesiæ Dei Principibus, quos in contemplatione Virgineæ excellentiæ sæpius hæsisse attonitos, admirationeque suspensos crediderim, ideoq; pauca admodum de Virgine hac gloriosissima posteritati transmisisse. Hinc B. Thomas de Villanova cum diligentiùs investigaret causas, cur in Evangelijs, præsertim verò S. Matthæi immensæ, infinitæque Deiparæ sileantur laudes? Respondit: *quoniam ineffabilis est ejus Magnitudo, satis fuit de ea dicere; de qua Natus est* Iesus *qui vocatur Christus.*

Apostoli Præcones laudum B. Virginis.

Summa laus B. V. quod Christum peperit.

14. Hujus enim animatæ Sionis prima ac summa laus atque gloria hæc unica ad instar omnium est, quia homo Dei Filius in ea natus est, & idem ipse Altissimus ac supremus Architectus Filius eandem fundavit, infinitamque quandam atque ineffabilem ei hoc ipso Divinæ Maternitatis dignitatem contulit. Ex qua, velut ex ungue Leonem, eximiam præstantissimamque D. Virginis deprehendimus excellentiam. Vnde pulcherrimum hoc ejus esse potest Panægyricum. *De qua Natus est* Iesus. Panægyricum verè ob Divinitatem, quam in sese complectitur non modò humanis mentibus, verùm etiam Angelicis incompræhensibile, eorumdemq; linguis indicibile. Quare Ioannes Gerson Cancella-

Ex Filio præstantia Matris colligitur.

B. V. nulla major laus, quã quod ex illa natus sit Iesus.

cellarius Parisien. Ser. de Nat. B.V. habito in Concilio Constantiensi præclarè asseveravit: *Invocandam te judicamus imprimis ô Maria, de qua natus est* IESUS *qui vocatur Christus. Neq; enim laus altera præclarior tibi dari potest, quàm quod ex te natus est Dominus* IESUS *Christus.*

Laudes B. V. immensus Oceanus.

15. Hoc accuratiùs expendens Panægyricum S. Germanus Archiep. Constantin. orat. 1. de Dormit. Deip. Virgineas laudes immenso cuipiam Oceano locupletissimoque Thesauro contulit: suam verò dictionem exiguæ aquarum stillulæ, tenuique cujuspiam pauperis marsupio. Vnde quemadmodum illa aquarũ gutta immissa in Oceanum, nullum prorsus illi afferre potest incrementum; & bursa mendici illius, Thesaurum divitis non exhaurit: *Ita nemo,* inquit, Sanctus Antistes, Virginem alloquens, *tuarum celsitudinem laudum oratione satis extollere valet, cùm laudem tibi propriam habeas, quod* DEIPARAM *te esse constet.* Virginem porrò inexhaustum quẽdam esse donorum cælestium thesaurum, immensumque Oceanum fatetur inprimis S. Andreas Cretensis Episcopus, qui ex tantarum opum consideratione in illud prorupit epiphonema. *O Sancta & Sanctis Sanctior, ô omnis Sanctitatis Sanctissime Thesaure.* Fatetur & Richardus à S. Laurentio lib. 1. de laud. V. c. 3. eam Oceanum ac Mare amplissimum esse. *Quia sicut Mare non potest exhauriri,* inquit ille, *omnes enim aquas recipit, easq; emittit, & semper plenum remanet, ideoq; recipit, ut emittat: sic Maria, à Deo recipit omnes gratiarum aquas, omnemq; universorum bonorum plenitudinem, ut ea nobis distribuat sine diminutione plenitudinis suæ. Et ideò ad locum unde exeunt flumina beneficiorum, revertuntur, per gratiarum scilicet actionẽ, ut iterum ad nos fluant. Et sicut Maris profunditas, sic nec Mariæ liberalitas potest exhauriri;* indefessè enim & sufficienter dat gratiam universis, *nisi per eos steterit, quam etiam facillimè invenit apud Deum.*

B. V. donorũ cælestium Thesaurus.

Maria mare gratiarum.

Mariæ liberalitas ad instar maris nũquam exhauritur.

16. Hanc porrò Virgineo huic Mari incredibilem immensitatem ipse DEI filius dum ejus purissimum ingressus est vterum velut rivus aquæ illius immensæ paterni sinûs, illi tribuisse videtur; qui cùm ipse sit immensus; immensitatem quoque quandam Matri concessisse cẽsendus est, cùm ipse de se dicat Eccli. 24. *Ego Sapientia effudi flumina,* gratiarum nempe omnium in Matrem, velut mare amplissimum. *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio* Paterni pectoris; *ego quasi fluvij Diorix, & sicut aquæ ductus exivi de Paradiso & dixi; Rigabo Hortum meum,* quæ est videlicet Ecclesia, & Mater mea dilectissima, siquidem ipsa Hortus Conclusus nominatur. Laus igitur immensa & infinita Virginis, est ipsius infinitus & immensus Filius; laus incomprehensibilis, atque ineffabilis, est idem ipse Filius, quem nulla mens concipere atque sepire, quem nulla lingua nisi Divina sit, effari valet.

B. V. tanquam Mari Dei Filius dum in ea 9. mensibus habitat dedit immensitatem quandam.

Increata Sapientia flumina gratiarum in Marianum Mare profudit. Laus immensa & infinita B. V. est ipsius immẽsus & infinitus Filius.

17. Hic Filius nempè est vera atque genuina laus præconiumque Matris hujus Sanctissimæ, non secùs atque dulcissimi illi fructus ingensq; ille Botrus, quem duo illi Heroes humeris de vecte suspensum ad terræ illius cælitus Israëlitico populo promissę demonstrandam ubertatem, gestârunt. De quo Moyses Num 13. *Pergentesq; usq; ad Torrentem Botri absciderunt palmitem cum uua sua, quem portaverunt in vecte duo Viri. De malis quoq; granatis, & deficis loci illius tulerunt.* Vnde præclarissimè D. August. Serm. 100. gloriosissimam DEIPARAM, Terram promissionis vocitavit, postquam enim duorum exploratorum qui Botrum de terra promissionis attulerant, factum exposuisset, mox attexuit: *Sicut Vua illa Christum Deum figuravit, ita & terra promissionis in qua natus est, Sancta Maria Imaginem videtur pratulisse. In ipsa enim impletum est: Veritas de terra orta est. Quomodo autem B. Maria non fuit Terra promissionis, quæ per Prophetam multò ante promissa est? Nam per Isaiam multò ante dictum est: Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Præclarè quoque Vir Virgini addictissimus Richardus à S. Laur. lib. 1. de laud. Virg. verba illa S. Elisabethæ; *Benedictus fructus ventris tui;* exponens: *Congruè.* inquit, *Christus appellatur fructus, quia sicut fructus ex herba nascitur, vel ex arbore, aut à terra, ipsam non violans; sic & Christus de Virgine, Et sicut bonus fructus arborem vel terram de qua nascitur commendabilem reddit, sic & Christus Virginem gloriosam, de qua tota benedicta, totus est natus benedictus. Deniq; sicut fructus facit agnosci qualis sit terra aut Arbor, unde exoritur, sic Christus Virginem: A fructibus enim eorum cognoscetis eos, quia non potest arbor bona fructus malos facere, ait ipse filius ejus benedictus.*

Maria terra promissionis, Christus Botrus ingens.

B. V. excellentia ex IESV vteri ejus fructu agnoscitur.

Vt autem Vir pijssimus tantò luculentiùs Virgineæ hujuscè terræ elucesce-

cescere faciat laudes, encomia benedicti hujus fructus venustissime declarat: *Fructus autem iste miri est odoris*, inquit, *optimi coloris*, *& vivifici vigoris. odore alliciens; sapore reficiens; colore jucundans: vigore corroborans; tactu lenis; aspectu delectabilis; gustu suavis; durabilitate perennis; Hunc appetit esuriens, sine tormento, manducat sine fastidio; ipso satiatur sine superfluo; per eum sanatur sine recedivo. Fructus Optimus, & Sapidissimus, suavissimus. & jucundissimus, omne delectamentum in se habens, omnisq; saporis suavitatem, his tamen qui gustauerant, quoniam suavis est Dominus. Vnde & sapit pro diversitate gustantium; sitq; alijs manna propter dulcedinem; alijs sapit favum propter contemplationem, alijs butyrum propter devotionis pinguedinem; alijs panis ob fortitudinem; alijs vinum ob compunctionem; alijs oleum ob consolationem; alijs lac ob humanitatem; alijs mel ob Divinitatem. Atq; hic est Fructus Ligni vitæ, id est B.V. qui crevit in Paradiso Virginalis uteri, de quo qui dignè comederit mortem non gustabit in æternum.* Hæc Richardus de laudibus fructus illius benedicti uteri Virginalis; ex quibus tanquam è vestigijs in cognitionem laudum hujus Terræ benedictæ & Virginalis devenire possumus, eique omnes jam commemoratas illius benedicti ac suavissimi Fructûs laudes jure attribuere; utpote utriq; communes.

Laudes fructus uteri Virginalis.

18. Vnde D. Hieron. Ser. de Assump. præclarè disseruit: *si* Devm inquiens, *ore prophetico in Sanctis suis laudare jubemur, multò magis eum in Virgine Matre cum canticis & hymnis diligentiùs oportet extollere, & dignis* Deo *jubilare præconiis, mysticisq; honorare muneribus. Nulli enim dubium quin totum ad gloriam laudis ejus pertineat, quicquid dignè Genitrici ejus impensum fuerit, ac solenniter attributum. Ex quo timeo satis & valdè pertimesco ne fortè sicut improbus, ita & indignus laudator inveniar. Cùm nec Sanctitas, nec facundia suppetat, ut Beatam ac gloriosam V. Mariam dignè laudare queam. Quoniam ut verum fatear, quicquid humanis dici potest verbis, minus est à laude cæli; quia Divinis est, & Angelicis excellentiùs prædicata, & laudata præconijs. A Prophetis quidem prænunciata; à Patriarchis, figuris & ænigmatis præsignata; ab Evangelistis exhibita & monstrata; ab Angelo venerabiliter atq; officiosissimè salutata.* Hæc Hieron. Ex quibus clarè colligimus laudes Matris terræ illius benedictæ esse laudes Filij, benedicti illius Virginei ventris Fructûs.

19. Hanc fortassis ob causam de hoc benedicto fructu, tanquam uberrimâ gloriæ suæ messe in persona Sponsæ gloriabatur Deipara in Cant. 1. Botrus *Cypri. dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Qui Dilectus utpote immensus immensi infinitique Dei Filius, dignus sanè est, qui immensis infinitisque laudibus unà cum Virgine Matre Sanctissima de qua ortus est in omnes generationes celebretur.

20. Has porrò laudes æternum in omnes generationes ob uteri sui Virginalis fæcunditatem sibi olim deferendas in spiritu prævidere clarissimè sibi visa est Deipara, quando cælestibus gratijs gaudijsque, ob Dei Filij in utero suo peractam Incarnationem, redundans canebat: *quia respexit humilitatem Ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Vbi expendendum illud: *Ex hoc;* quasi diceret: Ex quo ad altissimam Divinæ Maternitatis dignitatem sum provecta, me generationes omnes, me tempora omnia in quacunque differentia, me sæcula infinita beatam fælicissimamque, hoc ipso quod Dei filium infinito honore laudibusque immensis dignissimũ mundo pepererim, deprædicabunt. *Ex hoc*, inquit S. Bern. Senens. To 3. ser. 5 ar. 1. c. 11. *ex humilitate mea, quâ placui Altissimo beatam me dicent omnes generationes cælestium, terrestrium, & Infernorum, quia omnibus his mea humilitas attulit utilitatem, Angelis restaurationem, hominibus reconciliationem, captivis Inferni liberationem, quia genui Angelorum Restauratorem, hominum Reconciliatorem, captivorum in limbo Liberatorem. Hoc est quod Virgini dicitur sub Persona Iudit. 15. Tu gloria Hierusalem, cælestis scilicet, quia ruinam in Angelis reparasti: Tu lætitia Israël, quia captivos liberasti: Tu honorificentia populi nostri, hominum videlicet, quibus Christum* Iesum *& Fratrem & Reconciliatorem genuisti.* Sic Bernard. Ex qua Virginis humillima gloriatione, quod eam generationes omnes, beatam dicturæ sint facilè colligimus Deiparæ laudes, nescio quid de Divinitate participare, cùm à Sacris litteris: præsertim verò à Regio Propheta laus generationum omnium Deo ter opt. Max. potissimum exhiberi consueverit. Legite Psal. 134. *In generationem & generationem annunciabimus laudem tuam.* Et Psal. 101. *Domine Memoriale tuum in generatione & generationem* Psal. deni-

Ob Divinam Maternitatẽ Deipara ab omnibus Generationibus Beata prædicatur.

Laus omnium generationũ Deo propria.

denique 144. *ut alia* quam plurima prætermittam testimonia ita cecinit: *Generatio & generatio laudabit opera tua, & gloriam magnificentiæ Regni tui.*

Laus omnium generationū Deo propria.

21. Causas porro, ob quas Generationes omnes beatam prædicaturæ sunt DEIPARAM, affert Ioannes Gerson Tract. 5. super Magnif. Cum enim Discipulus quæsiisset: quâ ratione Beatam nostram dicant omnes Generationes; Respondit in Persona Magistri: *Ratio petenda est ex fine, quia omnes generationes sunt ei affines, non qualitercunq; , sed ut Matri.*

B. V. omnes generationes sunt affines velut Matri.

Debent iccircò beneficiorum largitiones, ex ipsa procedere. Hæc autem recognitio, est sua benedictio. Dic ergò, quod omnes generationes beatam dicunt Mariam, sicut ad ipsam omnes habent pietatem saltem naturalem, ob naturalem amorem quem habent in suo genere post Dominum nostrum IESVM Christum. Dic quod Mater est effecta, & iccircò clamat: Venite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini: Memoria mea in generationes sæculorum; sicut misericordia DEI à progenie in progenies timentibus eum. Dic quod generationes hominum degeneres sint habendæ, quæ non piè colunt Mariam, nec beatam spontanee recognoscunt. Spontaneè, inquam, quia velint, nolint ipsam naturali pietate venerantur & colunt, quemadmodum de dæmonibus ait Iacobus, quod credunt & contremiscunt. Dic præterea quod ab initio & ante sæcula creata sit, hoc est prædestinata causa, finis, & affinis omnium generationum quæ debent recognoscere genus ipsius; imò regenerationis initium post Christum. Dic quod apud generationes sæculorum, generatio præterit, & generatio advenit: ipsa verò est terra permanens Eccles. 1. 4. *de qua veritas orta est, & manet in æternum. Dic quod nobis omnibus affinis est velut in omni genere affinitatis ista quam benedicunt, & beatificant omnes generationes. Est Soror ab humana specie; est Mater ex nostra post Filium regeneratione; Est cognata cum Angelis & nobis ex similitudine intellectualis Naturæ. Est unum cor nobiscum, una anima, unus animus, & unus spiritus ex dilectionis obligatione. Dic quod proindè fiduciam magnam habemus adire in omnibus necessitatibus nostris ad ipsius Thronum pietatis. Planè despicere non potest genus suum, quæ Mater est pietatis; cujus origo progreditur ex generis unitate.* Hæc Gerson de omnium sæculorum laudibus, Virgini delatis, earumque causis.

Ad B. V. pietatem habent naturalē post Christum omnes generationes.

Generationes hominū habendæ degeneres quæ B. V. minimè colunt.

B. V. Terra in æternum permanens.

B. V. nobis affinis in omni genere affinitatis.

M. Soror nostra, Mater & cognata

M. vnum cor, vna anima nobiscum.

22 Cùm ergò hæc omnium generationum ac sæculorum laus, Davide teste, Deo sit propria quodammodo, & nihilominùs glorietur Virgo humillima sibi quoque in omnes generationes hujusmodi deferenda præconia, facilè inferre possumus Virginē hanc quodammodo esse Deificatam, Deumque ter optimum Maximum, cujus Natura est Bonitas, suas laudes nescio quomodo communes illi esse voluisse. tùm ob Divinæ Maternitatis titulū, tùm ob illam, ad humanam Redemptionem, tanta cū charitate factam cooperationem, quæ fieri vix poterat nisi à persona quæ Deificationem quandam esset sortita. Audite hac de re pientissimum illum Græcorum Imperatorē Leonem Magnum, qui Homil. 6. DEIPARAM alloquens: *Beatam te dicunt*, inquit, *omnes fines terræ; quod ineffabiles res tuô ministeriô sunt peractæ, quod brachium Altissimi per te, propriam potentiam notificaverit, formavitq; ex te super omnem intelligentiam corpus; ut humilitate suâ; excelsum, & turgentem superbia deyceceret, & humiles exaltaret.* Observate ut devotus Imperator, ex eo D. Virginem Mundi salutis cooperatricem ostendat, quod Brachium Altissimi, Verbum videlicet illud æternum, ipsâ mediantè, humanâ nostrâ fragiliq; carne circumdatum, potentiam suam infinitam ad salvandos homines, Tartareosque hostes, Divinâ suâ virtute prosternendos demonstravit. Hoc nempè est Brachium illud, quod Isaias 53. difficillimè cognoscendum canebat: *quis credidit auditui nostro, & Brachium Domini cui revelatum est?* Hoc est Brachium illud, quod idem postulabat, ut antiqua prodigia suæ potentiæ in humano genere de captivitate Satanica eripiendo demonstraret cap. 51. *Consurge, consurge*, inquiens, *induere fortitudinem Brachium Domini, consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti Draconem? Nunquid non tu siccasti Mare, aquam abyssi vehementis. Qui posuisti profundū maris viam, ut transirent liberati.* Vbi notandum ter ingeminâsse; *consurge*; ad indicandum, quod licet secunda Persona Carnem assumens ad liberandum hominem de Solio Majestatis suæ consurrexerit, nihilominùs tamen ad hominis redemptionem totam Sanctissimā Triadem, (cum *opera Sanctissimæ Trinitatis ad extra juxta* commune Theologorum axioma, *sint indivisa*)

B. V. Deificata quodammodo quod ad salutem humani generis fuerit cooperata.

Dei Filius Brachium Patris, quô Infernum debellavit.

Tota Trinitas ad hominis redemptionem concurrit.

divisa.) adlaborasse. Hoc est denique Brachium illud, de quo absque ænigmatis clarissimè cecinit ipsa Deipara: *Fecit potentiam in Brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.*

23. Intelligere cupitis, quânam ratione, ob Divinam Maternitatem generationum omnium laudes eadem Deipara Virgo sit promerita? Audite Richardum de S. Victore Parisiorum Celeberrimum Theologum, qui lib. 2. de Emman. c. 25. postquam dixisset Emmanuelem in Virginis utero Mel, id est, dulcedinem beatitudinis cælestis comedisse; mox hæc ad Virginis Sacratissimæ extollendam gloriam subjecit: *Intellexistis*, inquiens, *ex prædictis, ut arbitror, quomodo* Deus *mirificavit Ancillam suam, quomodo de tali partu B.V. Mariam glorificavit ita ut veraciter possit gloriari & liberè confiteri, quoniam ex hoc Beatam me dicent omnes generationes, Audistis quomodo Deus magnificavit partum ipsius, ut esset, & diceretur Emmanuel id est, Nobiscum Deus, & idem ipse esset Dei Vnigenitus & suus. Verè & incomparabiliter mirificavit Matrem, verè & incomparabiliter Magnificavit & prolem. Pensa si potes, quæ, & quanta sit ista Mirificentia. Virginem Concipere, Virginem parere, & post partum Virginem permanere. Æstima si vales, quæ vel qualis sit ista Magnificentia, Partum Virginis, ab hora Conceptionis, suam omnem plenitudinem accipere, & in humanitatis veritate plenitudinem Divinitatis obtinere.* Concludit tandem hujus Divinæ Maternitatis laudes tantopere admirabiles atque Magnificas: *Singularis gloria, specialis gratia B.V. Mariæ quæ cum Virginitatis honore genuit & peperit Filium, nec qualemcunq;, sed Deum. Meritò dictum, Meritò dicendum: Benedicta tu in Mulieribus, & Benedictus fructus Ventris tui. O qualis fructus! fructus Magnificus, fructus gloriosus, fructus desiderabilis, fructus sublimis, de quo Propheta: In illa die erit germen Domini, in Magnificentia & gloria & fructus terræ sublimis.* Hæc Richardus de Filij Matrisque laudibus, quæ ita inter sese contexuntur, ut eædem omnino quodammodo, ob identitatem quandam Naturæ esse videantur. cùm 5. Eth. doceat Philosophus. Filium esse partem Matris, & idem cum Matre.

B. V. Divino partu mirificata.

Singularis gratia & gloria B. V. partus Divinus.

24. Quare jure merito Mater hæc Divinissima substantia Filij dici potest, uti Nutrix in Sacris literis substantia ejus, quem nutrivit, appellari consuevit. Atque ita Rebeccæ Nutrix Gen. 24. à 70. Interpp. Rebeccæ substantia dicitur. Vbi enim legit Vulgatus: *Dimiserunt Rebeccam & Nutricem ejus.* legunt ipsi.: *Dimiserunt Rebeccam & substantiam ejus,* Cùm igitur Virgo Deipara non modò Mater Filij Dei, sed & Nutrix, ubere de cælo pleno eum lactando, extiterit, potiori sanè jure quàm Rebeccæ Nutrix, Filij substantia vocitari poterit & debebit.

B. V. dici potest Substantia Filij.

25. Hanc Naturæ humanæ, similitudinem, ac vix non identitatem inter humanatum Dei Filium ejusque Matrē Sanctissimam penetrasse, visa est Sancta illa Mulier Evangelica dicta Marcella, quæ typum, teste Beda, totius gerebat Ecclesiæ, quando luce Divini Spiritus, amoreque repleta, in memoranda illa prorupit verba: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Quæ verba accurata considerationis de more expendens trutina Religiosissimus Richardus à S. Laurentio lib. 2. part. 1. postquam ex S. Hieronymo recitasset: *Nimirum honor Maternus ejus est, qui natus est ex ea.* Item: *Nullus honor Matris alius est, nisi cùm ille jure honoratur qui nasci dignatus est ex ea:* Item: *Nulli dubium quin totum ad Christi gloriam pertineat, quidquid dignè Genitrici ejus impensum fuerit ac solemniter exhibitum.* Postquam denique Mellifluum citasset Bernardum, qui Hom. 4. super Missus: *Non est dubium quicquid in laudibus Matris proferimus ad Filium pertinere; & cùm Filium honoramus à Matris gloria non recedimus;* postquam, inquam, hæc allegasset, subtexuit: *Ad hoc designandum Beata illa Mulier* (quam alibi vocat Marcellam) *quæ extollens vocem de turba volebat filium collaudare, dixit illi: Beatus Venter, &c. intelligens per Spiritum S. in Matris laudibus Filium collaudare.* Idem assertum confirmat ex Cant. c. 2. ubi postquam Filius in proprias excurrisset laudes: *Ego flos campi, & lilium Convallium;* quasi eandem suarum laudum telam pertexeret, mox excurrit in laudes Matris: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Quo ostendat,* subdit Vir Deiparæ studiosissimus; *quod laus sua, laus Matris sit, & è converso. Vnde vocat eam Amicam, ad ostendendum, quod sicut omnia communia sunt verè Amantibus; sic laus utriusq; communis est utriq;, & quod post laudem Filij succedit laus Matris primo loco.* Ad idem hoc confirmandum adducit B.

Laus Matris cum Filij laudibus conjuncta.

B. V. Deo amica, unde illi Divinæ laudes fiunt communes.

Ildephonsi sententiam memorabilem: *Vt fiam devotus servus Filij generati, fideliter appeto fieri servus Genetricis: & ut comprober servire Domino, in testimonium quaero super me Dominium Matris ejus. Sic enim refertur ad Dominum, quod Servitur Ancillae, & redundat in Filium, quod impenditur Matri. Sic alternat in nutrito, quod adhibetur Nutrici: Sic transit honor in Regem, qui defertur in famulatum Reginae.*

26. Quare Ioannes Gerson Sermone de Nativitate B. Virginis, Sponsi Iosephi honorem & gloriam in Sponsam Mariam redũdare docuit simul & Christum: & honorem Mariae ad utrumque, ob intimam illam quae inter ipsos intercedebat unionem reciprocari: *Decuit*, inquiens, *ut Ioseph tantâ praerogativâ polleret quae similitudinẽ & convenientiam exprimeret talis Sponsi ad talem Sponsam Mariam, de qua natus est* IESVS. *Vnde sicut laus Mariae est laus Filij sui, ita laus Iosephi in praeconium redundat utriusq́;* IESV *scilicet & Mariae. Sic ex adverso dicit Sapiens, quod dedecus Filij est Pater sine honore; similiter dedecus Sponsae, esset Sponsus sine honore derelictus.* Idem hoc Mysterium intellexit Sapientissimus simul ac pijssimus Orientis Imperator Leo Hom. 7. de Annunc. qui Virginem alloquens: *Iam etiam Angelorum choris dulce est tuas laudes concinere, & beatam te praedicant tanquam Regis Matrem; potiùsq́; nihil habent, quam ut tibi inserviant, gnari ministerium tibi praestitum, in Filij honorem redundare.* Quod luculenter confirmavit D. Bonaventura Psal. 57. *Ad laudem*, inquiens, *& gloriam pertinet Salvatoris, quicquid honorificum suae impensum fuerit Genitrici.* Idem sensit Gotfridus Cardin. ser. 8. dum hortatur fideles ad laudes DEIparae celebrandas: *Nihil*, inquit, *in hujus Virginis laudibus haesitemus, honorat siquidem Filium, qui laudat Matrem, sine cujus laude* DEO *placere impossibile est, & cum laude ejus, ei displicere nemo potest. Hanc igitur Sanctissimam & admirabilem Virginem laudemus, quia Virginis Filio placere sine Matris Virginis laude non possumus. Diligamus eam sicut charissimam Domini Matrem, quam ipse diligit, ut propriam carnem Haec est dulcissima Mater V. Maria, quae mortis peperit mortem, Vitam hominis, Diaboli Confusionem, Absolutionem peccatorum, omnium Iustorum Beatitudinem.* Haec Card. qui simul causas etiam ob quas DEIparã laudare debeamus sat perspicuè insinuavit.

Ministerium quod impenditur B. V. impenditur Filio.

27. Quid dicemus de mutuo ardentissimoque illo inter Matrem & Filium Amore, qui communia omnia & ipsas etiam laudes inter amicos facere consuevit? Hic enim Amor inter hanc DEI Matrem & filium fuit longè vehementior, quàm ille sit, qui inter reliquas Matres ac filios solet reperiri. Amor enim reliquorum Filiorum hominum in parentes divisionem quandam patitur, dum partim in Matrem, partim in Patrem dispertitur ac scinditur. Cùm igitur DEI Filius, qua homo, Patrẽ alium non haberet quam Matrem Virginem, quae ei quodammodo etiam Pater extitit; ut doctissimus docuit Suarez, cùm activè etiam ad Sacratissimi illius corporis in Virgineo suo vtero concurrerit formationẽ, consequens sanè est totum Amorem suum, integrumque, absq; ulla divisione in Matrã, quâ homo est transfudisse, ac proinde ejus laudes communes sibi duxisse, easdemque Divinitatem quandam participasse. Amorem hunc attentiùs considerans S. Anselmus lib. de Excel. Virg. c. 4. quod totum in describendo Amore Virginis ad Filium, insumit, jure merito admiratur, ejusq; refert vehementiam, ad Parentis unitatem: *Quam mirabilis*, inquiens, *natura, & ineffabilis amoris affectus considerari queat inter hunc talem tantae Matris Filium, & hanc talem tanti Filij Matrem, perpendant hi saltem quoquo modo, qui unicò dilectionis fervore se se altrinsecus amant, Mater scilicet Filium, & Filius Matrem. Perpendat, inquam, aliqua bona Mater quô affectu teneatur circa unicum & bonum Filium suum, & bonus filius, simili modo perpendat quâ pietate moveatur erga bonam, dilectissimam ac dulcissimam suam Matrem; & aliquatenus tentet si quô modo in se conjectare valeat amorem hujus bonae Matris, erga verè bonum, & unicum filium suum, & istius boni filij, erga verè bonam, & dulcissimam Matrem suam. Equidem omnes homines ex duarum personarum conjunctione, Maris nimirum & feminae procreantur, & amorem suum utriq́; Personae, Patri scilicet & Matri naturaliter debent qui sic generantur, Cùm autem amorem quem Pater, & Mater singuli debent filio suo, debet haec felicissima Matrum sola filio suo; Amorem etiam quem debet quilibet filius simul suo Patri, & Matri, Filius vero Virginis, suae, debet soli Matri: Nam sicut alij Filij nascuntur ex Patre & Matre: ita Filius ejus natus est ex ea sola Matre.* Concludit tandem, nobilissimam esse hujusce Amoris inter omnes hominum Amores prae-

Amor inter Deiparam & Filium vehementissimus, quia indivisus.

B. V. sola amorem suum totum debebat Filio, qua homo quia Patrem non habuit.

D 2

præſtantiam : *Excedit itaq; omnes Amores parentum in filios, filiorum in parentes Amor iſtius Matris in Filium ſuum, & iſtius Filij in Matrem ſuam.*

28. Eandem mutui Amoris inter Matrem & Filium celebravit vehementiam, Virginis devotiſſimus Richardus de S. Laur. ſupra memoratus lib. 4. de laudibus Virg. qui poſtquam varias Virginei Amoris, quô Deum dilexit explicuiſſet proprietates, tandem addit:

Nulla mulier ſic amavit Filium uti B. V. cuius amor non ſcindebatur inter illã & Patrem, quo caruit ſecundùm humanitatem.

Dilexit eum naturaliter, & pluſqnâm alia Mater poſſet diligere Natum ſuum, Solet enim dici, quod Puer naturaliter plùs diligitur ab illo Parente cujus ſemen ſuperabundavit in conceptu ejus, quàm ab alio. Ideò Naturaliter plùs dilexit Maria filium ſuum, quàm aliqua alia Mulier, quia totam Carnis ſuæ materiam, à carne Materna traxit Chriſtus Vnde Mariæ dictum eſt: Ecce Concipies in utero, id eſt, ex cauſa intrinſeca, non ſicut aliæ Mulieres, quæ ab extrinſeco accipiunt unde concipiunt. Additurq;, quod naſcetur ex te, id eſt, ex te ſola. Ad hoc innuendum dixit ei filius Ioan. 19: Mulier ecce Filius tuus, totus tuus; quia tuus, eſt pronomen diſcretivum. Ad hoc confirmandum affert exemplum Pueri illius, qui ex Sententia Salomonis, dùm mulieres illę, de meo & tuo altercarentur, erat dividendus, aitque duas illas Mulieres, Synagogam & Gentilitatem ſignificaſſe. Diviſum volebat Synagoga, quia de Maria, & Ioſeph generatum impudentiſſimè blaterabat. Volebat integrum Gentilitas conſervari, dum de ſola Natum Virgine credidit. *Ideò illa infælix eum amiſit, hæc indiviſum conſervans, conquiſivit.*

Maria figurata in muliere quæ Filiũ ſuum minimè à Salomone dividi permiſit; quia ſecundùm humanitatem erat totus Matris à qua corpus acceperat.

29. Iſtius etiam vehementiſſimi atque ardentiſſimi inter Matrem filiumq; amoris fundamentum fuit inſignis morum, reliquorumque omnium ſimilitudo, quæ amoris conciliatrix eſse conſuevit juxta Philoſophum. Vnde præclarè Ioannes Gerſon in ſua Ioſephina:

Perſonas inter ſimiles eſt nexus amoris.

Similitudo amoris cõſiliatrix

Quare meritò Spiritus S per Eccle. c. 13 pronunciavit: *Omne Animal diligit ſibi ſimile, ſic & omnis homo proximum ſibi. Omnis caro ad ſimilem ſibi conjungetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur.* Hinc videre eſt inter amicos, quò major eſt eorum morum ſimilitudo, tantò majoré etiam eſſe conſueviſſe amoris vehementiam. Cùm igitur inter Matrem, filiumque tantus, tamque vehemens Amoris ardor interceſſerit, conſequens ſanè eſt, ut quemadmodum diſcurrit Cardinalis Cajetanus lib. de Spaſmo Virginis, maxima intet hanc Matrem, & inter hunc filium ſimilitudo interveniret.

B.V. amor erga Filiũ procedebat etiam ex morum ſimilitudine.

Maximam porrò hanc fuiſſe ſimilitudinem jure merito. dixit Cajetanus, ſiquidem in alijs filijs faciei lineamenta corporiſque totius, membrorumque ſymmetria, quibus parentibus aſſimilantur, dividi quadammodo conſueverunt. Vnde videmus filios ut plurimum partim patri, partim matri ſimiles eſſe conſueviſſe. Quod Chriſto accidere nullo modo potuit, cùm Virginem, quâ homo eſt, ſolam parentem agnoverit, eamque in ſe velut ſpeculo quopiam ad vivum expreſſerit. Vnde partitio faciei lineamentorum, reliquorumque membrorum ſymmetriæ intervenire nulla omninò potuit, ſed ſumma omnium unio atque conjunctio, ac proinde omnimoda & faciei morumque ſimilitudo, ex qua eximius perfectiſſimuſque naſcebatur Amor, rerumque omnium liberaliſſima communicatio.

Inter Chriſtum & B. V. perfectus amor quia perfectiſſima morũ ſimilitudo.

30. Hanc inter benedictum Filium, Matremque Sanctiſſimam Hugo de S. Victore Ser. de Aſſumpt. B. V. contemplans abſolutiſſimam perfectiſſimamq; amoris Conciliatricem ſimilitudinem, dum pulcherrimum illud Sponſi: *Tota pulchra es amica mea,* Cant. 4. expendiſſet elogium, ſancto amoris liquefactus ardore exclamavit; *O qualis Societas! totus pulcher totam pulchram ſibi ſociat. Pulchra in corpore, pulchra in mente: in corpore pulchram te facit integritas Virginitatis, in mente pulchram exhibet virtus humilitatis. Tota ergo pulchra es, corpore nivea, mente ſincera. Tota pulchra es. Nihil enim in te pulchritudo reliquit quod non poſſideat, totum decor obtinet, formoſitas tenet, regit honeſtas. Nec alia Mater talem decebat Filium; nec alius Filius tali inveniri poterat Matri. O digna digni, formoſa pulchri munda incorrupti; Excelſa Altiſſimi, Mater Dei, Sponſa Regis æterni!* Hæc Hugo.

Inter Matrem & filium pulchritudinis ſimilitudo quæ tam ardẽtem conciliabat charitaté.

31. Cùm igitur tanta inter Matrem & Filium morum ac naturæ, & tam internæ, quàm externæ pulchritudinis intervenerit ſimilitudo, ac per conſequens amor mutuus, iſque ardentiſſimus. Quid mirùm, ſi idem Filius laudes Matris ſuas eſſe, & Mater viciſſim encomia Filij in ſe redundare arbitretur? Cùm hæc Amoris ſit natura, ut amantem in rem amatam transformet, & vnum quid

Amor amantẽ in rẽ amarã transformet.

ex duo-

ex duobus efficiat, omniaque inter illos indivisa, atque adeò ipsas laudes communes reddat? Atq; hæc est radix principalis, ex qua in Virgineis encomijs cum dignitate deprædicandis oriri consuevit difficultas, mutua nimirum inter Matrem & Filium amoris transformatio, Deificatio, carnis denique naturæque (mediante Incarnationis in ejus purissimo utero admirabiliter peracto Mysterio) quædã identitas. Hanc Naturæ carnisque inter Filium ac Matrem Guerricius Abbas Serm. 2. de Assumpt: agnoscens identitatem, hisce verbis dilectissimum Filium Matri ex hac vita in Cœlum abeunti loquentem introducit: *Veni Electa mea, & ponam in te Thronum meum: nullus mihi plus ministravit in humilitate mea; nulli abundantiùs ministrare volo, in gloria mea. Communicasti mihi quod homo sum, communicabo tibi quod* Deus *sum.*

B.V. communicauit Filio humanitatẽ, & ille vicissim ipsi Divinitatem.

32. Quæ unio, Deus immortalis, quæ conjunctio major ab æterna Sapientia inveniri poterat, quàm ut Filius Dei, Matris humanitate, & Mater, Filij Divinitate quodammodo sese induat, omniaq;, amoris vi, atque energia, inter illos, evadant communia. Meritò communicationem hanc Sanctissimam Divinumque commertium demirans Ecclesia, in affectu plenissimum illud prorupit epiphonema: *O admirabile Commercium, Creator generis humani de Virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine largitus est nobis suam Deitatem.* Commercium sanè amabile, communicatio benignissima ab omni æternitate nunquam audita, nulli vnquam creaturæ sic exhibita.

Filius quia idem cum Matre, in Matris laudibus uti proprijs delectatur.

Atque ita ob hanc Naturæ cum Matre Sanctissima identitatem quãdam, vnionemq; admirabilem, incredibili voluptate ac gaudio in Matris laudibus Filium perfundi, & vicissim Matrem in Filij necesse est, perindè ac si ejus propriæ forent.

33. Veritatem hanc agnovit B. Arnoldus Abbas Carnotensis, Tract. de laud: Virg: qui ex eò quod æque Filius, ac Mater gratiâ pleni extiterint, eandemque propemodum gratiam habere visi sint, cùm Filium dicat Ioannes. *Plenum gratiæ & veritatis;* infert hanc laudum venerationisque indivisibilem inter Filium ac Matrem communicationem: *Cum enim*, inquit pijssimus Abbas, *debitæ venerationis summa ad Christum respiciat, ex cujus plenitudine roratum est desuper, quod* Maria *prædicatur gratia plena, manifestum est, individuam esse Matris & Filij gloriam, & commune esse utriusq; præconium, cuius definitio omnem superat intellectum.* Et paulo infra indivisibile Dominium, potentiamque inter Matrem Filiumque, carnis quoque ac Spiritus identitatem quandam contemplans, ex hoc, eorundem laudum encomiorumque communitatem, & quasi identitatem concludit: *Nec à Dominatione*, inquiens, *vel potentia Filij Mater potest esse disjuncta, una est Maria & Christi caro, unus spiritus, una charitas. Et ex quo dictum est ei: Dominus tecum; inseparabiliter perseverat promissum & Donum. Vnitas divisionem non recipit, nec secatur in partes. Et licet ex duobus factum sit unum, illud tamen scindi non potest; & Filij gloriam cum Matre non tam communem judico quam eandem.* Quam ob causam jure merito quisque huius tractatus de laudibus Virginis à S. hoc Viro conscriptum mirari desinet initium, dum linguis Angelicis eas asserit ineffabiles, utpote communes, imo easdem, cum Filij præconijs; verbo, omnes divinissimas: *Si linguis*, inquit Sanctus, *hominum loquar & Angelorum, nihil dignè, nihil propriè, de Sancta ac perpetua Virginis Matris Christi* Mariæ *gloria eloqui potero, quia verè in laudibus eius modulandis non invenitur conveniens organum, & hebes est cuiusuis sublimitatis ingenium.*

Indivisa est Filij & Matris gloriam, ob identitatem humanitatis.

Vna est Christi & Mariæ caro, unus Spiritus.

34. Summam hanc inter Filium Matremque vnionem præclarè expressit Dionysius Carthus: lib. 1. de laud: B. V. art: 21. ejusdemque radicem ac fontem esse intento digito ostendit. *Vnio*, inquiens, *ex amore procedit. Tantò igitur specialiùs, & eminentiùs DEVS dilexit, & prælegit Mariam, quantò intimiùs, propinquiùs, ac familiariùs se illi vnivit. Sed huic Virgini se DEVS conjunxit, non solùm per gratiarum Charismata, per illuminationem, per dilectionem, aut ad hæsionem extrinsecam, sed etiam per naturalem, & realem quandam identitatem, quia factus est aliquid ejus, eo modo, quo proles est aliquid sui Parentis. Etenim aliquid substantiæ Virginis sacræ assumpsit, & hypostaticè atq; realiter sibi vnivit, & habitavit in medio ejus.* Sic ille.

Vnio B.V. cum Filio ex amore originem traxit.

B.V. unita Filio, & quasi idẽ cum illo ob carnis communicationem.

Ex quibus clarè colligimus, ob hanc naturæ corporeæ, carnisque participationem ac nexum quem habet Filius, cum Matre, laudes Matris, perin-

dè ac Filij esse prorsus à quacunq; creatura indicibiles.

35. Quod si verò vnionem identitatemque quandam animæ, & Spiritus quæ inter DEI Filium Matremque sacratissimam intercedit, contemplemur, ex hoc capite etiam Marianas laudes, humanæ Angelicæque linguæ pronunciabimus ineffabiles. De hac vnitate identitateque animæ, & Spiritus, quæ in Christo Domino, ejusdemque Parente dignissima visebatur, præclarè disseruit Hugo Card. de S. Charo, dum illud Eccli. 24. expenderet. *Sapientia laudabit animam suam;* Ait enim æternam DEI Sapientiam Christum laudaturum, imò laude dignam effecturum Animam suã, scilicet B. Virginis, *quæ specialiter sua fuit, & ejus animæ intimiùs, & vnitiùs copulata. Qui enim adhæret DEO, vnus spiritus est cum eo. 2. Cor. 6. inquit Apostolus. Vnde dixit Simeon, Luc. 2. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Tuam ipsius animam dicens, vnam ipsorum fuisse animam insinuavit. Vel laudavit animam suam, hoc est, laudare fecit, dum ipsa, à Filio edocta cecinit: Magnificat anima mea Dominum. Sed videtur quod caro ejus magis deberet laudare, & laudari, quàm anima, quia de carne Virginis sumpsit Filius DEI carnem, non de anima animam. Sed dicendum quod preciosior est & fructuosior spiritualis conceptio Christi in anima, quam corporalis in carne, sine illa enim hæc inutilis foret. Animam igitur Virginis laudavit Dominus, pro bonis naturalibus, & bonis gratuitis, pro carnis gubernatione, pro cœlestium contemplatione, & ejus capacitate;* videlicet *infinita* quodammodo, quâ immensum illũ DEI Filium & mente & ventre capere potuit; Vnde cùm ob immensitatem hanc, animæq; vnionem DEI Filio similis sit effecta, quid mirùm perinde Matris ac Filij laudes evadere indicibiles?

B.V. adeò fuit unita filio, ut eã ipse Animam suam appellarit

36. Neque verò mirum Virginem, ejusque laudes esse incomprehensibiles atque ineffabiles, cùm & ejus verba impenetrabilia creatæ menti videanrur. Audiendus hîc Ioannes Gerson qui Tract: 3: inMagnif: Virginem alloqnens: *Tu,* inquit, *delicijs affluens tota Dilecto superinniteris, dicens, voce plenâ, sensibus inexplicabilibus: Ego Dilecto meo, & Dilectus meus mihi.* Et tract: 4. ejusdem Virginis eadem pænè verba recitans; cùm Discipulus quæsijsset: Quid oro vult hæc interrupta & inexplicata penitus locutio? *Da verborum istorum supplementum: Dilectus meus mihi, & ego illi,* cant. 2. Respondit in persona Magistri explicatu esse impossibilia: *Quis,* inquiens, *arenas Maris, aut pluviæ guttas dinumeret? quis inscrutabilia scrutetur corda? Non faciliùs est id quod requiris.* Similiter verba illa Sponsi explicuit Richar: à S. Laurent: lib. 5. de Laudib. Virg. non explicando: *Dilectus meus mihi, & ego illi: Quid autem,* inquiens, *sit illi Dilectus, quid illa Dilecto, non dicit, quia id tantum est, ut ad ipsum explicandum verba deficiant, & istud inscrutabile sit viatori; quia credere præcipimur, discutere prohibemur,* ut ait S. Ambrosius.

Verba B. V. impenetrabilia humanæ mentis.

Ipsa B. V. nec suas, nec Filij laudes potest eloqui.

Ad B. V. dignè enarrandas laudes lumẽ gloriæ visionẽque beatificã requiri.

37. Hoc idem sensisse crediderim nonnullos, qui ad Virgineas, pro dignitate intelligendas atque explicandas laudes lumen gloriæ visionemque Divinæ essentiæ beatificam desiderare visi sunt. Hinc ajunt Adamum priusquam in Evæ (quæ viva gloriosissimæ Virginis nostræ imago extitit) excursurus esset celeberrimas illas laudes; *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur Virago, quia de Viro sumpta est;* raptum in ecstasim, in qua nonnulli voluere Theologorum, eum Divinam Essentiam contemplatum; in quam sententiam inclinare quoque visus est Rich: in 2. D. 23. a. 1. & Doctor Angelicus 1. P. q. 94. ar. 1. cùm dixit: *Primus homo DEVM per essentiam non vidit, secundùm statum illius vitæ, nisi fortè dicatur quod viderit eum in raptu quando immisit soporem in Adam.* Quem soporem Hebræus vocat, *Tardemach,* quod significat: plusquam soporem, nempè cum mentis excessu & illuminatione. Symachus legit κάρον; gravem soporem. Septuaginta denique Interpret: legunt. Ecstasim, mentis raptum. Quarè Pererius noster lib. 4. in Genesim ait: *Somnus ille Adami fuit verus somnus, conjunctus tamen cum mentis excessu, ita vt non solùm libera esset mens eius ad naturalem vsum rationis, sed etiam divinitus illustraretur, ac Prophetico Spiritu repleretur, in ipso somno intelligens Mulierem ex latere suo formari, ejusq; facti Mysterium percipiens, expergiscens dixit: Hoc nunc os, &c.*

Adam. in sua ecstasi viditDivinam Essentiam, & in illa nascituram DEI Matrem.

38. Hinc dilectus Christi Discipulus Ioannes, antequam gloriam laudesque Virgineas in Apocalypsi c. 12. describeret; priusquàm diceret: *Signum magnum apparuit in Cœlo; Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona Stellarum duodecim,* priùs, inquam, assumi-

assumptus fuit in montem Thabor ad gloriam Filij Dei contemplandam, cujus facies resplenduit sicut Sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix; vt ita hiscè gloriosis Divinitatis ac Majestatis Christi luminibus ejus intellectus illustratus, ac quodammodo roboratus, pro dignitate gloriam Matris toti Orbi posset enarrare. Vnde cùm D. Ambros. in Lucæ c. 9. causam, accurata mentis indagine pervestigasset, cur Saluator tres illos Discipulos potissimum in montem Thabor suam illis Divinitatis gloriam manifestaturus assumpserit. *Petrus*, inquit, *ascendit, qui claves Regni cœlorum accepit, Iacobus, qui primus Solium Sacerdotale conscendit, Ioannes, cui committitur Mater.* En vobis luculentissimam rationem, ob quam Ioanni, coruscationes illæ Christi Divinitatis illuxerunt, vt his mens ejus irradiata, dignior ad conversandum cum Deipara, faciliorque ad ejus laudes, ac prærogatiuas deprædicandas redderetur.

S. Ioañes Evangelist: priusquã scriberet Laudes B. V. gloria Divinitatis & Humanitatis Christi illuminatur

39. Eadem ratio Gratianum Complutensem lib. 5. tit: 3. n. 9. Nostrumque P. Morales lib. 1. tract. 1. n. 14. ad piè credendum permovit, D. Iosephum Sanctissimæ Virginis nostræ Sponsum, dum cum ea versaretur, subindè ad clarè videndum Deum fuisse elevatum, vt tantò digniùs majorique cum reverentia conversaretur cum Deipara, cujus Sanctimoniæ excellentiam animiq; absolutissimam puritatem in vivo illo immensoque Divinitatis Speculo ei contemplanda repræsentabatur.

40. Hanc porrò Dei visionem Sanctissimo Virginis Sponso potissimum indultam esse crediderim, postquam Dei Filius, velut lucidissimus Sol ex pulcherrima Virginitatis Aurora in Mundum prodijt, cujus æternis splendoribus ejus perfusa mens benedictum illum infinitum, immensumq; Virginei ventris pretiosissimumque cognovit fructum, ac consequenter Arboris, de qua erat decerptus infinitam proceritatem, immensamque, & vix non Divinam quandam dignitatem. Intendens enim Vir Sanctissimus & corporis & mentis oculum, ardentissimo amoris affectu in Sacrosanctam amabilissimamque dulcissimi Parvuli faciem, crediderim facilè ex illis Divinissimis ocellis, splendidissimos quosdam emicuisse radios (siquidem, D. Paschasio teste, in Psal. 44. Dicitur *IESVS quiddam habuisse in vultu, & oculis sydereum, quo Divinitus permulceret pios, terreret reprobos*) quibus velut lumine gloriæ illustratus ac corroboratus ejus intellectus elevabatur ad clarè Divinam essentiam contemplandam, in qua Sponsæ suæ purissimæ, super omnes creaturas, ipsasque Hierarchias Angelicas excellentiam licebat profundissimè penetrare. Vnde S. Evangelista Matthæus c. 1. de S. Iosepho illud memorabile pronunciavit: *Et non cognoscebat eam donec peperit Filium suum primogenitum, & vocavit Nomen ejus IESVM;* quasi Ioseph ante Filij Dei, in hanc lucem exortum, Matris Dei eminentissimam dignitatem penetrare minimè valuerit, indigueritq; insolito quodam mentis lumine; quod ipsi tandem Dei, Virginisque Filius, velut Stella splendida & matutina, mundo exoriens, tam copiosè infudit, vt in ectasim fortè raptus Divinam essentiam clarè intuendo, Sponsæ quoque purissimæ gloriam, Majestatemque, omnibus rebus creatis præstantiorem contemplaretur.

S. Ioseph subinde clarè vidit Deum ut eo lumine illustratus Dignitatẽ B.V. agnosceret.

Ex Christi oculis splendor sydereus emicabat.

Ioseph nato Christo eius lumine irradiatus clariùs dignitatẽ B. V. spõsæ suæ agnovit.

41. Verùm quid mirum Viros hos Sanctissimos, Iosephum ac Ioannem ad dignè cum tanta Virgine conversandum, ejusdemque pro dignitate celebrandum elogia, tantis Divinitatis sæpiùs perfusos fuisse fulgoribus, siquidem ne ipsa quidem Dei Mater Altissimi seipsam, plenitudinemque suæ gratiæ cum innumeris alijs divinis donis, ac charismatis penetrare vnquam sufficiens extitisset nisi hæc omnia, lumine gloriæ roborato intellectu, in essentia priùs Divina expressa, fuisset speculata. Audite devotissimum Dionysium Richelium, qui dictum planè memorabile pronunciavit: *Eò quod Maria, veri omnipotentisq; DEI Mater vera facta sit, tantam gratiæ plenitudinem continere, quantam ne ipsa quidem Virgo, nisi DEI contempletur essentiam, perspicere possit.*

B. V. in Dei essentia suam Dignitatẽ vidit.

Iam si Virgo Sacratissima suam nec cognoscere, nec comprehendere, vti par erat valebat præstantissimam excellentiam, nisi Visione beatificâ mediante, quâ tandem ratione nos miseri homunciones ex pulvere lutoque compositi, quorum intellectus, ad capienda Divina, perinde se habere atque Noctuarum oculi ad Solem contemplandum, Philosopho attestante, consueverunt, quomodo, inquam, Divinas hascé incompræhensi-

Intellectus nost ad instar oculi noctuæ ad cognoscendam Deiparæ Dignitatẽ cæcutit.

hensibiles atque ineffabiles Deiparæ laudes, eminentissimamque dignitatem, non modo mente comprahendere, sed primâ dumtaxat apprahensione concipere, quomodo, linguâ non dicam explanare, sed tenuiter saltem adumbrare sufficiemus?

42. O quam præclarè de more effatus est B. Amadeus Antistes Virginis apprimè deuotus Hom. 4. de laud: Virg. qui portam illam clausam Ezechielis, per quam Princeps egressus erat, contemplans, & in ea illibatam hujus purissimæ, ac Divinisimæ Virginis perpetuã virginitatem, postquam cum Salomone pronunciasset: Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone, subintulit: *Nam, vt omittam, qualiter ex vno parvo grano, ingens arborum Sylva oriatur, & qualiter ex Adami & Evæ semine humani generis massa producta est, aliaq; innumera prateream; quis explicet naturam Cyniphis de terra? vnde alarum extensio, & pedum deambulatio? vnde ocelli & forma capitis? vnde effigies corporis? vnde aculeus tam subtilis, vt ab oculis interdum evanescat? ita concavus & perforatus, vt exhausto sanguine, brevissimi animantis corpusculum impleat? si autem ex inquisitione Cyniphis succumbit tua ratiocinatio, ô homo, erubesce altiora te quarere, & fortiora te investigare. Nam si te ipsum, & brevem abyssum animi tui non colligis, in infinitatem Majestatis illius qualiter ascendes? qui nescit ad primum vsq; limitem numerare, quomodo poterit de Arithmetica judicare? qui nescit quid sit punctus, aut linea, eritné perfectus in Geometria? qui nescit sonum edere, Musicamné poterit docere? aut erit peritus Astronomus, nesciens quid sit motus?* Tandem totum concludens discursum: *Ita*, inquit, *qui se ignorat, alta DEI non penetrat* (ac per consequens etiam Portæ illius Ezechielis arcana, sublimisimasque ac Divinisimas gloriosissimæ Virginis laudes, Dei præconijs quàm simillimas, vt pote cum Dei Filio communisimas) *quid est enim*, vt idem subtexit Amadeus, *humana sapientia Divina Sapientia comparata? nec locum puncti, nec punctum puncti apud eam obtinet.*

Res aliquæ naturales incomprahensibiles.

Mysteria Portæ Ezechielis B.V. figurantis ineffabilia.

Vocitent igitur SS. PP. Virgineas hascé laudes infinitas, immensas, creatis mentibus incomprahensibiles, linguis ineffabiles, quia summi illius Dei Filij verè immensi, & infiniti, verè incomprahensibilis, verè indicibilis sunt laudes, in quibus extollendis pro rei Majestate, omnem creaturam, etiam Angelicam succumbere est necesse.

43. Atque his communibus cum dulcissimo Filio suo laudibus Divinissimis, ab omnibus generationibus, ac sæculis Virgo Deipara, velut pulcherrimis quibusdam corollis assiduè, summa cum totius Curiæ Cœlestis lætitia, atq; admiratione tot annorum decursibus coronatur.

Audite de his Coronis eundem B. Amadeum Hom. 6. de laud. Virg. *Coronatur etiam*, inquit ille, *Coronis omnium populorum, & exultatione cunctorum promovetur.* Et quibus tandem Coronas hascé Virgineas contextas esse floribus arbitramini? Flores hoscé dixerim pulcherrimas esse Virginis virtutes, singulares gratias, ac charismata, prærogativas denique nulli creaturarum vnquam concessas.

B.V. coronatur omnium populorũ laudibus velut corollis.

44. Verùm inter hos amœnissimos flores, emicat vnicus Flos ille de Radice Iesse ascendens, ac germinans in hortulo vteri ipsius Virginalis, illis gratiarum suavissimis floribus circumdatus, qui ab Isaia dicti sunt cap. 11. *Spiritus sapientia & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientia & pietatis, deniq; Spiritus timoris Domini.* Pulcherrimo hoc igitur Divinisimoque Flore ad instar aliorum omnium Deiparam, summâ animi alacritate, amorisque purissimi coronemus affectu, eam sanè sufficientissimè, ac pro ut ejus requirit dignitas, laudaverimus.

Dona Spiritus S. sunt flores quibus Corona B. V. contexitur.

Eundem rursus audiamus Amadeum: *Corona capitis ejus Christus est, dicente Sapientissimo, quod Filius sapiens corona sit Matris sua: Et quis sapientior illo, qui Patris est sapientia?* Modum hunc Deiparam coronandi planè præstantissimum ac Divinissimum docuit nos S. Basilius Seleuciæ Archiepiscopus Orat. 39. qui cum pro suo ardentissimo in Virginem affectu anxius hæreret, quânam tandem Corollâ hæc potentissimũ cœli terræque coronanda esset Regina: *Quô laudum*, inquiens, *flore debitam illi plectemus coronam?* mox subtexuit: *ex ipsa enim Flos Iesse germinavit, genusq; nostrum gloriâ & honore coronavit.* Quasi diceret: Nolite varios hinc inde flores perquirere, quibus Sanctissimæ corollam contexatis Virgini; vnicus ille flos Iesseus, qui omnium in se florum, fructuumq; complectitur pulchritudinem ac perfectionem, sufficit: ille ipsi ad instar omnium est: hoc unico

Filius est Matris V. Corona.

Flos Iesse coronat Virginem.

illam

illam coronemus, coronam sanè illius capiti longè venustiorem clarioremque illa stellata imposuerimus.

45. Nec immeritò sanè Mater à Filio coronari censenda est, cùm & ipsa Mater Sanctissima, humanitatis nostræ Coronâ pulcherrimâ, eundem in Incarnatione circumdederit, quod nobis insinuare voluisse visus est S. Propheta Ieremias c. 31. cùm dixit: *Creavit Dominus novum super terram: Mulier circumdabit virum.* Mulier, inquam, illa Virum suum amore ardentissimo complectens, de qua Sapiens Prov: 12. *Mulier diligens Corona est Viro suo.* De hac Humanitatis nostræ Corona loquebatur Spiritus S. quando ad contemplandam ejus pulchritudinem animas fidelium invitabat Cant. 3. n. 11. *Egredimini Filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in Diademate, quô coronavit eum Mater sua.* De quo Diademate Carnis, præclarè, vt assolet Richardus à S. Laur. lib: 3. de laud: Virg: circa finem. *Diadema,* inquiens, *ex auro purissimo, est Caro Christi, per Spiritum S. fabricata, ex auro substantiæ Virginalis; lapides pretiosi, est virtutum vniversitas. Et nota quod Humanitas Salvatoris congruè dicitur Diadema, quasi duo demens, scilicet Principium, & Finem; id est Originale, quod est principium omnis mali; & pœnam æternam, quæ est finis, ad quem tendit omne mortale peccatum.* De hoc diademate ait idem Richardus gloriatum fuisse Salvatorem Isa: 61. cùm dixit: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima meo in DEO meo; quia induit me vestimentis salutis, & indumento Iustitiæ circumdedit me, quasi Sponsum decoratum Corona.* Vel vt alij legunt: *Alligavit mihi Mitram. Caput Mitratum Verbum est Incarnatum.*

Maria coronavit filium Diademate carnis.

Cur Humanitas Christi vocetur Diadema.

Verbum Dei Mitratum Verbum est Incarnatum.

46. In qua coronatione dubitat Richardus majoremne gloriam Virgo Beata sortita fuerit, quando corona Humanitatis Christum in Incarnatione circumdedit, vel quando ipsa in cœlis ab eodem Filio Corona gloriæ fuit redimita? Cùm enim proposuisset: *Si autem quæratur,* inquit ille, *vtrum majorem gloriam habuerit Maria in sua Assumptione quando Caro ejus Sole amicta est, vti dicitur Apoc: 12. An in Conceptione Filij, quando ipsa carne suâ totum Solem Iustitiæ complectebatur?* Respondit: *Fateor me ignorare. Mihi tamen videtur salva Majorum sententia, gloriosius esse suscipere Regem hospitem, quàm hospitari apud Regem. Illa tamen gloria occultior fuit quando Regem suscepit, omnisq; gloria filiæ Regis fuit ab intus: ista manifestior, quando à Rege cum Regia Magnificentia suscepta est. Illa secretior, ista solennior.* Concludit tandem Coronam illam gloriæ, qua Christus eam coronavit fuisse ineffabilem; cùm alia non fuerit, quam ipsemet Christus DEVS immensus, & infinitus, incompræhensibilis, atq; ineffabilis. Solaris enim amictus ille, quo vndique circumdatam, atque coronatam vidit Ioannes, ipsemet Christus verus Sol Iustitiæ extitit. Corona illa quoque Stellarum duodecim ipse Christus fuit, cùm ipse de se dicat: *Ego sum stella splendida & matutina.* Vnde idem Richardus circa initium libri, ait Virginem quodammodo fuisse DEIficatam, quando à DEI Filio inhabitabatur. Nam sicut *Christus portionem illius assumens in ea infirmatus est vsquequaq;, sic & caro Virginea Divinum quid, nobis ineffabile, humanumq; excedens intellectum, ex Divina Omnipotentia mutuavit.* Sic Rich.

An fuerit major B. V. gloria in Incarnatione Verbi, an verò in Assumptione?

Corona Stellarum 12. & amictus Solaris in V. fuit Christus.

B. V. Deificata in Incarnatione.

47. Hæc nimirùm Divinâ incompræhensibilis, atque ineffabilis Corona Filij, Corona est omnium pulcherrima, atque pretiosissima, corona cui similem, in nullis Regum Imperatorumq; capitibus vnquam conspexit orbis. Denique cui parem nec Natura, nec Gratia vnquam contexuit, aut in posterum contextura sit. Huic nec Stellata illius Romani Imperatoris Corona, qua ob vigilantiam in Republica gubernanda singularem, redimitus fuit, vllo modo cõparanda est. Nec Ariadnea illa, quam in Cœli firmamento serenis noctibus, coruscis Stellis radiantem conspicimus. Nec illa quam fabulosæ atque obcœcatæ Gentilitatis præcipua Numina Pandoræ contexuerunt, dum Pallas, Sapientiam; Venus, Pulchritudinem; Mercurius, eloquentiam; Apollo, Musicam; Mars, fortitudinem, cæteriq; Dij varias virtutes contulissent, quas Hesiodus, Flores nuncupat, quos omnium Deorum gratissimæ Charites, summâ industriâ colligentes, sertum, admirabili, variaque pulchritudine concinnârunt, illudque Pandoræ capiti, summo Superûm applausu, atque admiratione imposuerunt. Coronæ huic Virgineæ nec stellatum illud denique duodecim Stellarum Diadema, quod D. Ioannes (vt missis fabulis ad seria veniamus) in capite Mulieris illius Apocalypticæ contemplatus est, vllo modo conferendum est; Cùm Corona ista tota penitùs vti

Corona quâ Mater Filio coronatur omnium præstantissima.

Pandoræ Coronâ præstantior est Corona B. V.

CoronaB. V. est vnica Stella nempe Filius, qui velut Sol præbet lucem Stellis.

jam diximus sit Stella, tota, ipse Stellarum Princeps Sol Iustitiæ, ipsemet Solis Astrorumque omnium Creator, amictus lumine, sicut vestimento, lucemque illam Divinitatis inhabitans inaccessibilem. Hæc nimirum Corona inter reliquas omnes, quas vel natura, vel Gratia fabrefecit vnquam, singulariter emicat, ac Divinâ prorsus resplendet luce:

Velut inter clara minores
Luna faces, quantumq; alios premit Hesperus ignes.

48. Virgineas porrò hascé laudes, & Angelicas potissimum salutationes, in quibus Fructus quoque Ventris ejus benedictus, Verbum Incarnatum collaudatur, Coronas esse Deiparæ præstantissimas, videre est in Chronicis Patrum Minorum D. Francisci 3. Par. lib: 1. c. 35. vbi legimus fuisse non neminem Dei Matris cultui addictissimum, qui quoties Ave dicebat Virgini, toties os ejus, ad instar Pæstani cujuspiam, seu Hiericuntini Roseti suavissimi odoris producebat rosam, quam sibi Deipara studiosè colligens, sertum amœnissimum contexebat. Vnde absoluto illo consueto salutationum penso, illis suis, quas ore depromperat rosis, Cœlorum Reginam, ingenti animi sui gestientis lætitia coronatam conspexit. Quis igitur ad Virgineas hascé laudes animitus medullitusque celebrandas non accendatur? quis varios modos ejus præconia deprædicandi, accuratissima mentis indagine non pervestiget, quandoquidem tam gratum acceptumque se ei, dilectissimoque ejus Filio obsequium exhibere animadvertit?

Salutationes Angelicæ sunt rosæ ex quibus Corona texitur.

49. Verùm vt tantò majori studio atque alacritate Coronas hascé perennium atque immortalium laudum, Divini inquam illius Amaranthi, qui de cœlorum hortis in terram hanc Virgineam transplantari voluit, pertexamus, in animum planè nostrum inducere, certoque nobis persuadere debemus, dum Deiparam hiscé jam memoratis laudum sertis coronamus, nos vicissim à pientissima Matre, alio incredibilis pulchritudinis omnium gratiarum ornatissimo diademate coronari, dummodo magno feruore, animi puritati, ac Sodalitij ipsius legum observantiæ, ejusque servitio atque obsequio nos totos mancipemus. Audite Divini Spiritus monitum quô nos ad leges ipsius, amplissimis propositis præmijs, observandas invitat, Prov. 1. *Audi Fili, & ne dimittas legem Matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo*, seu, vt legit Aquila & septuaginta Interpretes: *Coronam enim Charitum, seu Gratiarum suscipies tuo vertici*. Ac si diceret: varijs, ijsq; singularibus Sanctorum gratijs coronaberis. Ita coronatum fuisse celeberrimum illum jam peracta pœnitentia Theophilum Marianarum laudum publicum in Tēplo Præconē. De quo Hugo de S. Charo Card: in c. 24. Eccli. ita scripsit: *Quanta bona conferat jugis memoria B. V. multa exempla manifestant. De Theophilo converso super cujus tumulo inventa est Arbor folia pulcherrima habens, in quibus scriptum erat aureis literis* Ave Maria; *en vt hic eadem corona salutationis Angelicæ quâ coronare consueuerat Deiparam, coronatus est.*

Sodalibus Leges B. V. observantibus promittuntur Charitum coronæ.

50. Audite & aliud monitum ejusdem Spiritus Sanctissimi apud Eccli. 6. quo nos ad serviendum Virgini, insignia pollicendo animi emolumenta hortatur. *Audi Fili, & accipe consilium intellectus, & ne abijcias consilium meum: injce pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Subijce humerum tuum, & porta eam, & ne acedieris in vinculis illius. In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conserva vias illius &c.* Quæ verba piissimus Richardus lib: 2. part. 3. paraphrasticè explicans, de more transfert ad Virginem; postquam enim præmisisset: *Ex toto corde debemus nos Virginis servitio adstringere*; Verba Sapientis mox subintulit: *Audi Fili mi aure cordis, & accipe consilium intellectus, id est quod confert purum intellectum, sine errore. Injce quasi voluntarius pedem tuum, affectum videlicet, in compedes illius. Particularia enim servitia Mariæ, quasi quidam compedes sunt, tenentes servos illius in statu justitiæ, ne ad illicita excurrant. Ne acedieris in vinculis illius graviter & tædiosè ferendo, sed cum hilaritate adimple præcepta Mariæ. In omni animo tuo accede ad illam, omnes cogitationes, & desideria ad illam convertendo. Et in omni virtute tua accede ad illam, corde, & opere observando vias ejus, præcepta nimirum, & exempla, per quæ venimus ad ipsam, & ipsa ad nos. Investiga illam orando, studendo, ad ejus laudem operando; & manifestabitur tibi.* Et ne in hiscé omnibus coronæ, gratiæ, & gloriæ, quas suis fidelibus servis distribuere videtur, desiderari videantur, concludit Sapiens: *Decor enim vitæ est in illa, in præsenti per gratiā*, ait Richardus, *& in futuro per gloriam.*

Varia præmia observantibus Marianas Leges Sodalibus promittuntur

Leges Marianæ cōpedes & torques aurei.

Et

Et vincula illius, exempla nimirum ejus & servitia, quibus ligamur ne discurramus per campos licentia, alligatura salutaris, qua extrahunt à peccato, & ad salutem æternam pertrahunt.

51. Clariùs idem Spiritus Sanctus apud Salomonem Prov. 4. n. 8. has coronas, Virgini deservientibus proponit, dum ait: *Arripe illam*, Mariam intelligit idem Richardus, *ejusq; servitium, & exaltabit te à terrenis ad cœlestia, & glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus. dabit enim capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te, corona inquam ex rosis charitatis & patientiæ, ex liliys castitatis, ex violis humilitatis, & temperantiæ contexta proteget te, quia per hanc triplicem virtutem homo, ab insultibus dæmonum, & vitiorum protegitur*, vt idem Richardus asseverat. O felicem fortunatumque hujus Sanctissimæ Matris servum ac Filium, qui sese totum ejus obsequijs, cultuique addixit ac mancipavit, qui diebus singulis varijs pietatis, aliarumque virtutum exercitijs gratissimam Coronam ei contexit. Certò enim quisque sibi persuadeat, se multiplici gratiarum omnium Corona, dum in hac peregrinatione versatur, ac demum æviternæ vitæ in beata illa Patria coronandum, dummodo constanter in ejus semper, vsque ad extremum vitæ halitum, servitijs obsequijsque perseveret; cùm nobis ipsa cum dilectissimo suo Filio polliceri videatur: *Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2. v. 10.

B. V. suos Filios coronat.

52. Neque verò laudibus ac salutationibus hujusmodi Virgini Sanctissimæ Coronas duntaxat conteximus ejusque sacratissimum verticem exornamus, verùm etiam eandem cœlorum Reginam imperiali quodam paludamento aureis floribus intertexto convestimus. Paludamentũ hujusmodi B. Gertrudes Deiparæ, in gravissima quadam sua, quâ lecto affixa detinebatur ægritudine, vti testatur Ludovicus Blosius in Monili spirit: c. 3. contexere visa est. Cùm enim morbi invalescente violentia, aliud Virgini, vt consueverat obsequium exhibere nequiret, illa identidem Angeli iterabat verba: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum.* Quæ salutatio adeò Sanctissimæ arrisit Deiparæ, vt illicò ipsius lecto assistere, eique se videndam, speciosissimo, ac opulentissimo pallio, aureis floribus, vt ait Blosius, mirè exornato, quibus laudes designabantur, quas B. Gertrudes dixerat, exhibere pro innata sibi facilitate, non sit dedignata. Quô pulcherrimo sanè spectaculo illud nobis D. Virgo insinuare visa est, eos qui sibi Pallium laudis contexere consuevissent, sub ejus protectionis ac Patrocinij fidelissimi pallio, dum in hac, tot periculis exposita vita, degerent commoraturos, ac tandem in cœlesti patria, in hujusmodi obsequij compensationem aureum ac Regale paludamentum acquisituros, juxta Isaiæ c. 61. vaticinium: *Dabo eis Coronam, pro cinere, oleum gaudij, pro luctu, pallium laudis, pro spiritu mœroris.*

Laudibus nostris Regiũ quoddam B. V. paludamentum conteximus.

B. V. pro sibi exhibitis laudibus, pallium nobis laudis in cœlis præparat.

53. Et quoniam varij, ijque gratissimi Deiparæ eandem laudandi, ipsique serviendi passim reperiuntur modi, libuit nonnullos, quos apud Viros Virginis cultui addictissimos reperi, commemorare. Inter hos potissimum eximius est ille quem jam sæpius memoratus Richardus à S. Laurentio lib. 2. de laud. V. præscribit, qui cum integro capite ostendisset Virginis in nos amorem, eique hanc apposuisset Epigraphem: *Quomodo Maria Virgo servivit nobis de singulis membris, & sensibus suis in Filio, nec vnquam cessat ex iisdem nobis benefacere*; sequentibus duobus capitibus varios Deiparâ laudandi, eique serviendi affert modos Vnde eisdem illis capitibus hanc præfixit inscriptionem: *Quomodo debeamus servire Mariæ de corde, ex omnibus membris, & ex omnibus sensibus nostris. Et corde quidem*, ait, *debere nos Virgini deservire, eam castissimè ardentissimèq; amando; capite, illud ad ejus Nominis invocationem inclinando; oculis tam mentis, quàm corporis, eam semper nobis præsentem observando. Auditu, ob ejus honorem & gloriam, ad omnia noxia, eum diligentissimè obturando. Odoratu, currendo in odorem vnguentorum Virginearum ipsius virtutum, aliosq; ad eam amandam imitandamq; pertrahendo. Gustu, à potus cibiq; intemperantia, quo digniùs Virgini famulemur, illum coercendo; necessaria moderatè ad victum sumendo. De his quæ mensæ apponuntur, aliquid, quod postea pauperi erogetur subtrahendo. Ejus vigilijs, & Sabbathis jejunando, in ejusdem deniq; solennitatibus aliquid largiùs, ipsius amore, egenis distribuendo &c. Humeris, pro ejus honore ac dilectione fraternæ infirmitatis onera portare, & pondera tribulationum præsentium patienter sustinere;* Docetque id faciendum exemplo Isachar, de quo Gen. 14. dicitur: *Vidit requiem quod esset bona, id est*

Membris omnibus piè deserviendum B. V. M.

Omnibus sensibus B. V. serviendum.

Maria terra lacte & melle manans.

Mariam, in qua Christus novem mensibus requievit; qui creavit me requievit in tabernaculo meo; & terram quod optima, hoc est ipsam eandem Mariam, quæ terra est lacte & melle fluens; & ideò inquit Moyses; supposuit humerum ad portandum, onera videlicet proximorum, variasq; in hoc mundo occurrentes necessitates. Manibus porrò docet serviendum Virgini sacratissimæ, eas ad ejusdem honorem, ab omni impuro contactu, operibusq; illicitis continendo; Oratoria ejus, Imagines, ac Altaria ornando, ei sacris diebus, ac Sabbatis luminaria accendendo, ut ejus Nomen quod est, Illuminatrix, in nobis elucescat: Vestimenta munda ac honesta ad ministrandum ei omni diligentia præparando;

Varia pietatis exercitia in honorem B.V. assumenda.

Ad quod faciendum hortatur nos exemplis B. Boniti Claromontensis Episcopi, & Hidelphonsi, quibus, ait Richardus, vestimenta pulcherrima Virgo attulit de Paradiso, ad ostendendum nimirum gratam sibi eorum extitisse munditiem, in rebus ad ejus cultum servitiumque spectantibus. *Manibus deniq; laudamus ac servimus DEIparæ,* concludit idem Richardus, *si quicquid ad ipsius laudem vel gloriam pertinere noverimus, dum tempus habemus, omni instantia fuerimus operati. Brachijs tandem veneramur, cum amore & servitio, velut quibusdam brachijs eam amplectimur, cum pauperibus, ejus amore eleemosynam impertimur.*

S. Bonito Episc. Claromont: & S. Ildephonso vestem Sacerdotalē B.V. donavit.

In honorem B.V. instanter & assiduè operandū.

Genibus, ante ejus Altaria & Imagines ea flectendo, & ad ejus Nominis Sanctissimi invocationem eadem incurvando. Cùm ipsa dicat cum Filio, Isaia 45. Mihi curvabitur omne genu.

Flectenda genua, caput inclinandum ad Nomen B. V.

Pedibus, pro ipsius honore pedes nostros ab omni via mala prohibendo; Memorias seu Templa, syncera fidelium in ipsam pietatis dicata monimenta, cum devotione frequentando ut dicere valeamus; stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem, tuis inquam ô Maria. Vnde inter reliqua dixisse fertur Theophilo; maximè se eos diligere Christianos, qui rectâ fide puráq; conscientiâ ad ipsius Templa recurrere consueverunt.

Ore tandem, ait, nos multipliciter servire Virgini gloriosæ, dum ei; Laudationem, Superexaltationem, Orationem, Confessionem, Benedictionem, Elucidationem, Prædicationem, Magnificationem, Salutationem, Solennizationem impendimus.

Quid B.V. debeamus?

54. Atq; ut reliqua brevitatis causa prætermittam: Benedictionem ait Richardus debere nos corde, & voce incessanter DEiparæ exhibere, additque causam, siquidem Virginali ipsius partu Evæ maledictio in benedictionem conversa est. Denique benedicendam assiduè vult Virginem Sanctissimam ideò, ut à Domino benedici mereamur. Si enim Abraham promissum fuit à DEO Gen. 12. *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi,* multò potiori jure dicendum à DEO asserit MARIÆ, quæ filia extitit Abrahæ; cui verè benedicentes hæreditabunt terram viventium, maledicentes autem disperibunt, in diversas partes, peribunt in anima nimirum, & corpore ceu Iudæi, Pagani, Hæretici & Blasphemi. Tandem vir hic in Virginem, si quis alius pijssimus, varios eosque devotissimos DEI Matrem benedicendi, coronandi, eique fausta quæq; ad precandi affert modos, quos ad praxim reducendo gratissimum sine dubio Virgini deferetur obsequium.

Benedicentes B. V. benedicuntur à Domino.

55. Adfert ille primum generalem quendam: *Voluntas Filij est,* inquiens, *ut Matrem illius & Dominam nostram benedicamus, in omni tempore, scilicet nocte & die, in prosperis; & adversis, & ut laus ejus semper versetur in ore nostro, de ipsa meditando, ipsam laudando, orando, benedicendo, ipsi gratias agendo, ejus magnalia prædicando.*

Est voluntas Christi ut ejus Matrem semper & vbiq; benedicamus.

Audite alium magis particularem Virginem nostram benedicendi modum: *Benedicendum est ejus Nomen Sanctissimum; & ad glorificandum medullitus animitusq; anima ipsa excitanda est: Benedic anima mea Dominam, & omnia quæ intra me sunt Nomen Sanctum ejus: Benedicenda sunt,* inquit, *quotidie singula membra ejus, ut in singulis membris nostris, ab ea benedictionem reportemus:* Benedicendi sunt pedes, quibus Dominum portavit. Vterus in quo portavit. Cor, vnde in eum credidit, ac ferventer dilexit; Vbera, quibus lactavit; Manus, quibus nutrivit, eumque bajulavit. Os, quo ipsi fælicia libavit oscula. Nares, quibus sensit suaveolentem fragrantiam ejus Humanitatis. Aures, quibus dulcia ejusdem eloquia delectabiliter auscultavit. Oculi, quibus ipsum devotè respexit. Benedicendum est denique caput, & anima, quæ Christus in Virgine omni benedictione consecravit. Concludit tandem totum hunc devotissimum benedictionis modum magis ad particularia descendendo: *Benedicenda sunt, & salutanda, cum omni devotione hæc sanctissima ejus membra,*

B. V. quotidie mēbra Sanctissima benedicenda.

Singula membra B. V. singulis sal. Angelicis benedicande.

bra, ita ut singulis dicantur Salutationes, *Ave MARIA.* Duæ nimirum ad pedes: una ad Vterum: una ad Cor: duæ ad Vbera: duæ ad Manus: duæ ad Os, & linguam: duæ ad labia: duæ ad nares; duæ ad aures; duæ ad oculos; duæ ad animam, & corpus. Quæ viginti Salutationes in modum quotidianæ pensionis cum singulis, totidemque genuflexionibus, coram, si fieri possit, Imagine Beatæ Virginis ejusdemque altari persolvendæ sunt. Dicendum insuper ad singula eius membra sanctissima, post genuflexionem, adorationem & salutationem: *Dulcis Domina adoro & benedico beatissimos illos pedes, quibus Dominum super terram portasti. Benedico & adoro beatissimum Vterum illum, in quo Christum bajulasti.* Et sic de cæteris dicendum membris & sensibus, eorum actus commemorando, quibus Domino servierunt. Quod meliùs dictabit devotio, quàm sermo, meliùs gratia, quàm scriptura. Vt nos porrò ad hunc DEIparam salutandi, tàm pium animaret modum hæc subnectit: *Dicunt, qui experti sunt, & testantur ij, qui à Viris sanctis audierunt, vix alium inveniri posse modum servitij, qui tantopere Virgini arrideret, vel ex quo tanta devotio in animam DEIparam ardenter diligentem redundaret.* Hactenus ferè Richardus.

Coram Imagine B. V. flectendo salutationes peragendæ.

Laudare ac benedicere singula B. V. membra, obsequiũ illi gratissimum.

56. Huic similis ac planè affinis devotio fuit, magni illius Caroli Spinolæ, in pia, ardentique meditatione fundata, qui tantis amoris in Christum, ejusque Matrem Sanctissimam, vtriqque ipsius purissimi, ac Virginalis colendi exarsit flammis, ut dignus fuerit, qui incendio semetipsum Holocaustum Divinæ Majestati, in odorem suavitatis apud Iapones consecraret. De hoc ipsius ardentissimo in Dei Parentem affectu, P. Fabius Ambrosius Spinola in ejus vita c. 3. hæc habet: *Rara quadam teneritudine Beatissimam Virginem reverebatur, quam cum privatis, tum publicis prodebat sermonibus, quos affectu fiduciaq; plenissimos habuit, cum Breræ Parthenij sodalicij Congregationem quadriennio administravit. Inter reliquos singularem adinvenit modum precandi, repetita nempe ad Coronulam novies Salutatione Angelica, quâ volvebat interiore animi sensu, meditando unum aliquod ex novenis beneficijs Virgini concessis à Christo, novenum utiq; mensium fructu, quibus in vtero Virginis fuit.* Meditationes porrò P. Caroli de singu-

P. Caroli Spinolæ in B. V. pietas.

laribus privilegijs à Divina bonitate DEIparæ concessis, dum in utero DEI Filium hominem, amore nostri factum, gestabat, hæ fuere, ut ipse scriptis commendatas reliquit, quas ego totidem verbis ob tanti viri reverentiam hic attexendas esse duxi. Præmissa laude S. Marcellæ: *Beatus venter qui te portavit, & vbera quæ suxisti;* ita loquitur Vir Virginis studiosissimus: Angelica Salutatio recitetur novies, meditando (dum quælibet Salutatio repetitur) unum aliquod privilegium Virgini datum in gratiam hospitij Christo in utero Virginis concessi; accepta hinc occasione, laudandi imprimis gratulandique Divinæ Bonitati, quæ Virginem honore tanto est dignata, & Virginem ipsam extollendi venerandique, flagitando ab ea gratiam, certo privilegio respondentem.

Novem Angelicis Salut: colenda ob 9. menses quibus Christus, eius in utero moratus est.

Primum Privilegium est, veram fuisse DEI Matrem, quæ suo eum utero conceperit, ope Spiritus Sancti, quamobrem gratias DEO referam, simul venerando talem tantamque Matrem. Tu insuper illam ora, ut DEI Mater Spiritualis efficiare, Voluntati DEI sanctissimæ obtemperando, siquidem ait Christus: *Quicunq; fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse meus Frater, & Soror, & Mater est.*

Meditationes variæ dum salutatur Deipara.

Secundum simul Matrem extitisse, & Virginem, junctis per miraculum fœcunditate, & Virginitate. Ora Christum per materna merita, ut tibi bonorum omnium impertiatur ubertatem, puritati corporis animique conjunctam.

Tertium gravidam novem mensibus Christum, non solùm absque molestia tulisse ponderis, verùm etiam cum levaminis sensu. Obsecra ut nunquam grave tibi videatur iugum Domini portare; sed contra levis, ac suauis appareat observatio legis ipsius.

Quartum cùm aliæ omnes prolem cum dolore sint enixæ, hanc summo cum gaudio peperisse. Ora Beatam Virginem, ut gratiam tibi impetret pariendi spiritualiter DEUM, hilari bonorum desideriorum propositique executione, quàm præstare decrevisti, atque hinc animi tibi crescant ad vincendas difficultates omnes, molestiasque, quæ bonis operibus esse solent impedimento.

Quintum postquam angustis uteri claustris illum Virgo esset complexa, quem neque cœli, neque terra compræhendunt, tantam ei inter res creatas capacitatem esse datam, ut in ea DEUS collocaret plenitudinem gratiæ, quæ Sanctorum omnium gratiam immensè superaret. DEUM obtestaberis, per amorem illum, quo novem mensibus se Virgineo Vtero inclusit, ejus te gratiæ cœlestiumque donorum capacem efficiat, quibus te jam inde, ab omni æternitate ornare decrevit, si tu modo permittas.

Sextum postquam Verbum æternum humanitatis nostræ vestem de castissimis Virginis beatissimæ visceribus sibi texuisset, instar Pontificis summi, eam dicavit consecravitq; in Templum vivum, verumque tabernaculum DEI: ut David ait: *Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus.* Obsecra DEUM, interposita precatione Virginis, ut quoniam per Baptismi fontem in Spiritus Sancti Templum es consecratus, illud omni labe purum serves.

Septimum. Cùm Christus sit verus vitæ panis, Virgineus MARIÆ Vterus factus est publicum orbis totius horreum, è quo eductum est frumentum electorum, ut conderetur panis Eucharistiæ, quô fideles omnes pascuntur, ac nutriuntur, qui venter illo celebratur Sponsi cantico. *Venter tuus sicut acervus tritici.* Obsecra Beatissimam Virginem, ut quemadmodum liberalis fuit in subministrando Angelico illo Pane, sic quoque tibi gratiam impetret cum pari (quæ tanto par est Mysterio) religione, observantiaque gustandi.

Vterus B. V. acervus tritici vallatus lilijs.

Octavum. Cùm Christus sit secundus noster Adamus, cœlestis, nempè ille ac Divinus, qui dum in MARIÆ latuit abditus visceribus, eam secundam Evam reddidit, ex qua per Christum regenerati sumus, in Filios DEI adoptivos, cùm ex prima Eva nati essemus Filij iræ: Recurre igitur boni instar Filij ad pijssimam hanc Matrem, eam obtestare, ut in suam te tutelam recipiat, & à primæ Evæ te calamitatibus conservet.

Maria Mater nostra & nova Eva.

Nonum. Postquam in Virgine DEUS habitavit facta est instar Paradysi deliciarum, ac voluptatum, imò cœli instar empyrei, cui semper assistit cœlitum Regia, cùm nequeant cœlestes illæ mentes pulcherrimô hoc spectaculo satiari, quale fuit videre immensum DEUM, unius Virgunculæ sinu inclusum. DEUM orabis ut animam tuam vertat in Paradysum Divinæ suæ Majestatis, expurgetque spinis, urticis, tribulis omnibus vitiorum, quæ sterilem in sylvam atque infœcundam eam converterunt. Hæc P. Spinola in honorem Vteri Virginalis piè meditatus est; qui tantô, in illam pietatis ferri solitus erat affectu, ut in suis quotidianis ad DEUM precibus, identidem illud imponeret; *Aufer* inquiens, *à me Domine quicquid tibi displicet, & da mihi quicquid tibi placet. Dirige & posside me jugiter secundùm beneplacitum tuum, da mihi, per viscera B. Virginis, ut nunquam te offendam, sed semper faciam tuam voluntatem.*

Maria cælum empyreum.

Oratio ad Deum Caroli Spinolæ per viscera B. V.

57. Consimili in Virginem ferebatur pietate Ioannes Berchmannus Societatis nostræ Adolescens, qui tantâ in illam affectus erat fiducia, ut cùm aliquid ab illa impetrare vellet, pedibus ipsius imaginis hæc verba in chartula, ad instar memorialis descripta, subijciebat: *Nunquam quiescam donec obtinuero amorem tenerum erga dulcissimam meam Matrem MARIAM* Hic igitur inter reliqua pietatis exercitia, quæ ad DEI Matris gloriam peragere erat solitus, quotidie novem vicibus iterabat illud: *Beata viscera MARIÆ Virginis quæ portaverunt æterni Patris Filium;* in honorem nimirum uteri Virginalis, in quo DEI Filius novem mensibus, amore nostri habitare non est dedignatus. Pari devotione sertum illi quotidie ex Salutationibus Angelicis contexebat.

Ioannis Berchmanni in B. V. pietas.

Idem quotidie Vterum Virgineũ honorabat.

58. Quos sanè Deiparam tam variè prædicandi salutandique modos, sine dubio Viri isti in Virginem pijssimi ab Angelicis Hierarchijs didicerunt. Testatur enim D. Athanasius Serm: de S. Deip: primam illam cœlestis exercitus aciem, Thronis, Cherubinis & Seraphinis constantem (qui ut ait ipse aut flammei, aut magni Regis DEI cognitores appellantur) salutationem illam ingeminare, ac Hierarchicas suas manus attollentem, MARIAM gratiosam Dominam nostram, Reginam, Heram, Matrem DEI, Arcam sanctuarij benedicere: Et ut quæ tantoperè benedicta est in cœlis, cum benedicto fructu ventris sui IESU, benediceretur ab omni-

Salutare B.V. docemur ab Angelicis Hierarchijs.

mnibus mortalibus & in terris, docet ad secundam Hierarchiam, Dominationes, Virtutes, ac Potestates complectentem doctrinam hanc laudandique methodum transfundi. Tum ab hac in tertiam aciem ex Principatibus, Angelis, Archangelisq; compositam derivari.

Ab hac demum ad nos terrestres Hierarchias splendidissimum illum amplissimumq; Hymnum transmitti. Quem ubi ab illis beatis mentibus sive didicerimus, sive mutuo acceperimus, *exaltamus te magna*, ait idem Athanasius ad Virginem conversus, *& canora voce dicentes: Ave gratia plena, &c. Intercede Hera, & Domina, Regina & Mater DEI pro nobis; quoniam ex nobis tu oriunda es, & is qui editus est ex te Carnigerus DEUS, noster est, quem decet gloria & magnificentia & omnis honor in sæcula.*

59. Audisse cœlitus à Hierarchijs Angelicis, atque didicisse hunc pulcherrimum suavissimumque DEIparam celebrandi ac salutandi modum, ejusque vim ac energiam, effectusque admirabiles, visus est Thomas de Kempis Vir devotissimus in Solil. Animæ cap. 23. quando profunda humilitate affectuque ardentissimo exclamavit: *O prædulcissima MARIA nequaquam mihi convenit tuam pulchritudinem, & magnificentiam considerare, quoniam terra sum, & cinis, imò terrâ vilior, & cinere; quia peccator sum, & ad omne malum proclivis valdè. Tu autem cœlo celsior facta, mundum sub pidibus habes, & propter honorem Filij tui, omni honore digna existis, ac reverentia. Humiliter ergo ac reverenter, devotè ac confidenter ad te procedo, Gabrielis portans in ore Salutationem tibi suppliciter offerendam, quam & inclinato capite, ob tui reverentiam, & expansis manibus, ob eminentem devotionis affectum latè repræsento, atq; eandem centies millies, & multò ampliùs, ab omnibus cœlestibus Spiritibus, pro me dici peto ac imploro. Nam quid digniùs, & dulcius pro præsenti offeram prorsus ignoro. Auscultet igitur Sancti Nominis tui nunc pius Amator.*

Thomæ de Kempis in B. V. affectus amoris.

Cœlum gaudet, stupet omnis terra, cum dico; Ave Maria. Satan fugit, Infernus contremiscit, cum dico; Ave Maria. Mundus vilescit, caro marcescit, cum dico; Ave Maria. Crescit devotio, oritur compunctio, spes perficitur, augetur consolatio cũ dico; Ave Maria. Recreatur animus, & in bono confortatur æger affectus, cum dico: Aue Maria. Siquidem tanta suavitas est huius benedictæ salutationis, ut humanis non possit explicari verbis, sed semper manet altior, & profundior, quam omnis creatura indagare sufficiat; propterea iterum flecto humiliter genua mea ad te, Sanctissima Virgo Maria & dico: Ave Maria gratia plena. Suscipe clementissima Domina mea Sancta Maria, hanc devotissimam Salutationem, & me in ea suscipe, vt aliquid habeam quod tibi gratè placet, quod mihi fiduciam ad te præstet, quod majorem semper amorem accendat, ac in jugi devotione tui venerandi Nominis conservet. Vtinam ad satisfaciendum desiderio honorandi, & salutandi te, ex totis præcordijs meis omnia membra mea modo verterentur in linguas, & lingua in igneas voces, vt modum invenirem glorificandi te DEI Genitrix in æternum. Vtinam adhuc pro omnibus peccatis meis, quibus iram merui, gravissimeq; Filium tuum contristavi, te quoq; & omnem exercitum cœli sæpissimè inhonoravi, & offendi, hanc suavissimam Gabrielis salutationem reddere valeam, tanquam sanctam puramq; orationis hostiam omnium commissorum meorum expiatricem. Vtinam quoq; cum nimis fragilis, & labilis sit vita mea, pro universis excessibus, & negligentijs meis, omnes beati Spiritus animæq; justorum, purissimâ devotione, ardentissimaq; deprecatione dicant tibi; O Beatiss. Virgo Maria, utinã centupliciter in honore tuo altissimam hanc salutationem replicent, quâ Pater, Filius, & Spiritus sanctus te primum per Angelum suum statuit salutare, quatenus sic aliquo modo reperiam incensum dignum in odorem suavitatis, qui nil dignæ recompensationis in me reperio. Sed & nunc in præsentia tua prostratus, totusq; in veneratione almiflui Nominis tui accensus, repræsento tibi lætitiam salutationis istius, quando Gabriel Archangelus à DEO missus secretarium thalami tui est ingressus, flexisq; reverenter genibus, nova & inaudita a sæculis salutatione, tuam Virginalem faciem honoravit, ac dixit: Ave gratia plena, &c. Quam & ego fidelium more, & aureo si possem ore, ex integro cupio persolvere, atq; vt mecum omnes creaturæ pariter loquantur ex intimis visceribus concupisco. Hæc Salutatio Angelica, Spiritus sancti institutione formata, tuæ maximè est dignitati, & sanctitati congrua. Hæc est oratio parva verbis, alta mysterijs, brevis sermone, lata virtute, super mel dulcis, & super aurum preciosa, ore cordis jugiter ruminanda, labijsq; puris frequentissimè repetenda. Paucissimis enim verbis contexitur, & in latissimum torrentem cœlestis suavitatis diffunditur. Hæc Thomas, quibus sanè sat perspicuè videtur ostendere de cœlis hunc cœlorum Reginam salutandi, ac prædicandi modum fluxisse, eamque

Effectus miri salutationis Angelicæ

Desiderãdum vt membra nostra in linguas convertantur p laude B. V.

SS. Trinitas primũ p Angelũ B. V. salutavit.

Salutatio Angelica aureo & mundissimo ore pronunciãda.

Salutatio Angelica super mel dulcis & super aurum preciosa.

que inter omnes, ipsius Majestati esse longè gratissimum, ac proinde summâ animi pietate, in omnibus mundi hujus miserijs, angustijs, ac tribulationibus vsurpandum.

60. Et quoniam Spiritus Sanctus supra Coronâ Charitum ait cultorem, Filiumque Deiparæ coronandum Pro. 1. & Prov. 4. dixit à Deipara, Coronâ inclyta pro tegendum illum, qui ipsam eiusque clientelam arripuerit, eiusque deprædicandis laudibus sese impenderit, dignum sanè est, ut & nos cœlestium Hierarchiarum edocti Magisterio, coronam ex Angelicis Salutationibus, velut stellis, sivè rosis contexamus, summâque pietate, ac veneratione sacrosancto eius vertici imponamus, quo hujusmodi salutationibus bene precantes Virgini, benedictionem ab illa quoque uberrimam recipiamus. De hac enim Corona Virginis Regius Psaltes videtur fuisse vaticinatus: Psal: 46. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate; pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur. Induti sunt arietes ovium; & valles abundabunt frumento, clamabunt etenim hymnum dicent.* Verè enim ijs fidelibus cuiuscunque tandem sint status, ac ordinis, quicunque ardenti amoris affectu coronam illam 63. Angelicis Salutationibus confectam, annos quibus in terris vixit Dei Mater (quæ ipsa Dei in nos Benignitas, amorque vocitari merito potest) repræsentantem, assiduè recitant, Divina bonitas singulariter benedicit. Atque ita campi, homines nimirùm sæculares, qui absque ullo districtu obedientiæ in libertate vivunt, & longè latèque suas sequuntur voluntates, cultui tamen Virginis addicti implentur ubertate; quia ut ait Seraphicus Bernardinus Bustius par. 12 Marial. ser. 1 *Virgo beatissima donat illis ubertatem fructum, divitiarum, honoris & gloriæ, adeo copiosè, ut etiam dormiendo quodam modo locupletari videantur.*

Salutationibus Angelicis velut stellis ac rosis Coronanda B. V. ut in cœlo coronemur.

Laudes Rosarij B.V.

à Deo benedicuntur qui Rosarium recitant.

B. V. Divina est Benignitas & Amor.

Laudantes ac salutãtes B. V locupletes evadunt

61. Verè pinguescunt speciosa deserti, religiosi nempè, qui se à mundi tumultibus in desertum Religionis, solitudinemque Divinæ Majestati seruitnri, recipientes, speciem pulchritudinemque animæ Deo desponsatæ, pietate cultuque peculiari Virginis, ejusdemque Coronæ iteratione, conservant, atque perficiunt, majora in dies singulos pinguedinis Spiritualis, charitatis videlicet, ac devotionis accipiunt incrementa. Colles quoque, Principes nempè sæculares, salutationibus Angelicis Deiparam coronantes, dum consolationibus adhuc in hac vita gaudijsque replentur, exultatione quodammodo accinguntur ac circumdantur. Verè arietes ovium Ecclesiæ Principes, & capita Ouilis Christi, cultui Virginis addicti, coronâ hac benedicta eam coronantes, veste sanctitatis, ab eadem induuntur. Evadunt enim ipsius domestici, ac familiares, *quos illa vestit duplicibus*, Pro. 31. Præclarè enim Richar. à S. Laurent. lib. 2. de laud. Vir. partic. 1. *Domestici Mariæ peculiariter sunt illi fideles tàm viri, quàm mulieres, qui tanquam Servi, & Ancillæ ipsius obsequijs se suaq; impendunt, & caventes ea omnia quæ credunt tantæ Dominæ displicere pro posse suo moventur ad omnia, quæ beneplacita credunt ei. Domestici hi per orationes & exempla Mariæ vestiuntur in Domino in præsenti, duplicibus, multiplicibus, videlicet virtutum generibus, bysso castitatis, cocco gemino charitatis, hyacintho, desiderij cœlestis, purpuraq; regalis dignitatis.*

Religiosi salutationibus Angelicis B. V. coronantes proficiunt in virtutibus.

Principes sæculares salutantes B.V prosperantur.

Principes Ecclesiast: salutantes B.V. vestiuntur ab eadem duplicibus.

62. Verè denique valles, homines infimæ sortis, viles, pauperes ac plebei, dum se Deiparæ addicunt obsequio, ac venerationi, eamque serto illo Angelicarum salutationum coronant, abundant frumento, Divinâ scilicet gratiâ, rerumque omnium ad vtriusque hominis tolerandam vitam necessariarum copiâ. O quam sapienter vnicuique fideli Virginis clientulo idem suasit Richardus: *Iacta cogitatum tuum in Dominam, & ipsa te enutriet.* Et hæ sunt benedictiones illæ quibus Divina Majestas unà cum benignissima Virgine benedicit ijs, qui Coronam tantæ Reginæ, iteratis salutationibus Angelicis contexunt.

Pauperes ac plebei recitanres sal Angel. fiunt divites.

63. Quare summi Pontifices Christi Domini in terris Vicarij, vt fideles ad hujusmodi benedictiones majori cum promptitudine atque alacritate iterandas invitarent, varijs indulgentijs ac gratijs ex meritorum Christi thesauro depromptis, eos locupletârunt. Vnde idem devotissimus Bernardinus, subductis calculis pro qualibet Corona Divæ Virgini exhibita, asseruit ducentos septuaginta ac tres millenos supra septingentos quinquaginta octo dies Indulgentiæ fuisse liberalissimè concessos. Atque ita ait in hujus honoris Divæ Virgini

Amplissimæ à Summis Pontific: concessæ Indulgentiæ recitantib. coronã B.V.

gini exhibiti compensationem, non modo à Christi Vicario, sed etiam à Deo ter Opt: Max: totâq; curiâ cœlesti mortales benedici. Omnes enim Angeli, reliquiq; Beati Cives Virgini applaudentes ingeminant illud: Num: 20. *Qui benedixerit tibi, sit ille benedictus.* Vnde cum ipsam, & Filium benedicimus; Respondet ipsa, vt inquit idem Bernard. omnisque simul Paradisus: *sitis & vos benedicti.* Communi enim fertur parœmia: *Quale verbum dixeris, tale audies.*

Benedicentes B. V. ab ejus Filio & ab ipsa benedicuntur.

64. Et verò gratissimam hanc illi semper accidere salutationem consuevisse nobis in animum certò ac indubitatè inducere debemus; illâ enim acceptâ, mirificis ipsa cœlitus est decorata muneribus, ac ornamentis, & ad eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem evecta, totius vniversi Regina, atque Imperatrix electa est. Quod si Octavianus Augustus Imperator, Corvi sibi accinentis: *Ave Cæsar victor Imperator;* adeò gratam habuit salutationem, vt, Macrobio teste, decem millibus aureis nummis eundem emerit. Si Tiberius Cæsar populusque Romanus alium similiter Corvum, qui illos in foro quotidie salutabat, adeò in delicijs habuere, vt ejus funus vix non lacrymis, quemadmodum testatur Plin. lib: 10. natur: Hist: prosecuti sint: quô tandem animo gloriosissimam pientissimamque cœlorum Reginam in nos esse decet, quoties jucundissimum illud *Ave,* quod ei fons, atque origo bonorum omnium tam gratiæ, quàm gloriæ extitit, ad ipsius pervenit aures?

Salutatione Angelica B. V. in Matrê Dei electa.

Corui salutantes Cæsarem populumque Romanum in delicijs habiti.

65. Salutatio hæc nobis cœlorum, mihi credite, fores reserat, nosq; deducit ad gloriam. Quare meritò quidam à mortuis redivivus Abbas quæsitus à suis, quidnam in altera vidisset vita, respondisse fertur: *O Filij, qui vult salvari, sæpè salutet Mariam.* Vnde Bernardus: *Non venit ad veniam, qui nescit amare Mariam.* Quamobrem illud Apostoli nobis dictum arbitremur, quod scripsit ad Rom: c. 16. *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis.* Salutemus nos Virginem, Angelico quoad fieri potest puræ mentis, cordisque inflammati affectu, certò nobis persuadentes vnicam duntaxat ita illi exhibitam salutationem, gratiorem illi esse, quàm centum alias cum animi languore superficie quadam labiorum pronunciatas absque devotione, vt constat ex C. Non mediocriter de consecrat. Dist: 5. in re non dissimili, vbi dicitur. *Melior est quinq; Psalmorum decantatio cum cordis puritate ac serenitate, ac spirituali hilaritate, quàm totius Psalterij modulatio cum anxietate cordis, atq; tristitia.*

Salutatione Angelicâ salus æterna comparatur.

Recitanda salutatio Angel. puro corde, & ardenti devotione

66. Vultis alium D. Virginem laudandi, ac benedicendi modum? en vobis illum; in persona ejusdem Deiparæ recenset Seraphicus Bonavent. c. 3. Vitæ Christi, vbi introducit illam in sua infantili adhuc ætatula, dum moraretur in Templo varia meditantem obsequia, quæ olim Dei Matri in mundum venturæ deferre proponebat: *Surgebam semper,* ait Virgo, *in noctis medio, & pergebam ante Altare Templi, maximoq; desiderio petebam humilitatem, & omnes Virtutes, per quas efficerer gratiosa ante conspectum suum. Petebam etiam, vt faceret me videre tempus, in quo esset nata illa Beatissima Virgo, quæ Filium DEI paritura erat, & conservaret oculos meos, vt eam possem videre; Linguam, vt eam possem laudare; Manus, vt ei possem servire; Pedes, vt possem ire ad servitium suum; Genua, vt possem adorare DEI Filium in gremio suo.*

Alius modus honorandi B.V.

67. Denique non est in postremis numerandus ille Divinitus revelatus S. Brigittæ, gloriosissimam Deiparam laudandi modus, quem Oratione quartâ expressit, quô D. Virgo à capite ad calcem pulcherrimis encomijs ad cœlum vsque extollitur; quam pro aurea totius hujus Discursus coronide ad gloriam Virginis, quia pijssimis affectibus est plenissimus hic attexere libuit. Dicamus igitur omnes, ardentissimôq; amoris affectu exclamemus: O Domina mea, Vita mea, Regina Cœli, Mater Dei. Quamvis ego certa sum, quod tuũ corpus gloriosum, à tota cœlesti curia, canoro jubilo incessanter laudetur in cœlis; tamen ego licet indigna sim, toto corde meo desidero omnibus tuis membris preciosis laudes, & gratias, quas valeo reddere in terris. Idcircò ô Domina mea Virgo Maria laudetur Cæsaries tua, cum capillis tuis, diademate gloriæ decorata, quia Solis jubare sunt clariores. Nam sicut crines capitis computari nequeunt, ita virtutes tuæ innumerabiles existunt. O Domina mea Virgo Maria frons & facies tua honestissima, supra Lunæ candorem collaudentur, quia fidelium nullus in hoc tenebricoso mundo te conspiciebat, qui

Modus laudandi membra omnia B. V. Divinitus S. Brigittæ revelatus.

B. V. Cæsaries Solis jubare clarior.

F non

non aliquam consolationem spiritualem à tua visione sibi infundi sentiebat. Benedicta sis tu, ô Domina mea Virgo Maria, cujus supercilia cum palpebris claritatis nitore radios solares excedunt.

B.V. aspectu suo homines solabatur.

Benedicti sint oculi tui pudicissimi, ô Domina mea Virgo Maria, qui nihil concupiscebant, de rebus transitorijs, quas in hoc mundo videbant, quia quoties oculos tuos leuabas, eorum aspectus Stellarum nitorem coram tota curia cœlesti præcellebat. O Domina mea Virgo collaudentur genæ tuæ, super auroræ pulchritudinem, quæ pulcherrimè, colore cum rubro & candido exoritur; Sic & genæ tuæ speciosæ, dum in hoc mundo fuisti coram Deo, & Angelis claritatis nitore fulgebāt, quia illas nunquam pro humana pompa, vel vana gloria ostendisti. O Domina mea Virgo Maria honorentur, ac venerentur Aures tuæ honestissimæ, super omnes vires maris, omniumque aquarum motum, quia contra omnem fluxum immunditiæ mundani auditus semper aures tuæ militabant. O Virgo Maria Dominatrix mea glorientur nares tuæ suavissimæ, quæ ex virtute Spiritus Sancti nunquam anhelitum attraxerunt, vel emiserunt, quin tota cogitatio tua semper esset apud Altissimum; Et quamvis aliquando dormiebas, voluntatem tamen tuam, ab eo nunquam mutabas.

Oculi B. V. Stellarum nitorem superabant.

B.V. genæ Auroræ similes.

B.V. dum respiraret semper de Deo cogitabat.

Sit igitur semper odor suavitatis, laudis, & honoris naribus tuis beatissimis super commixtionem odoriferam, omnium aromatum omniumque herbarum, quæ delectabilem fragrantiam solent exhalare. O Domina mea Virgo Maria laudetur lingua tua, Deo & Angelis gratissima, super omnes arbores fructiferas. Nam verbum omne quod lingua tua protulit, nulli vnquam obfuit, sed in alicujus semper venit commodum. Erat enim ipsa lingua tua prudentissima, omnibus, ad audiendum dulcior, quàm dulcissimus quispiam fructus ad gustandum. O Regina & Domina mea Virgo Maria, laudetur os tuum benedictum cum labijs tuis, super omnium rosarum florumque amœnitatem, & specialiter pro illo tuo benedicto humillimoque Verbo, quod eodem ore tuo precioso, Angelo respondisti, quando ipse Deus suam voluntatem, quam per Prophetas prædixerat, per te in mundo voluit adimplere; cujus virtute Dæmonum potentiam in Inferno diminuisti, Angelorumque choros in cœlo honorificè restaurasti. O Virgo Maria Domina & consolatio mea honoretur perpetuè collum cum humeris tuis, super omnium liliorum venustatem, quia nunquam hæc membra inclinasti vel erexisti, nisi propter aliquid vtile, vel honorem Dei. Nam sicut lilium ad flatum ventorum movetur & inclinatur, ita omnia tua membra movebantur ad Spiritus Sancti infusionem. O Domina mea, Virtus mea, dulcedo mea, benedicantur brachia tua sanctissima cum manibus tuis æternaliterque honorentur super omnes gemmas preciosas quæ tuis virtuosis operibus comparantur; quia sicut virtuosa opera tua Filium Dei ad te alliciebant, sic & brachia & manus tuæ ipsum materno amoris amplexu dulciter stringebant. O Domina mea, & Illuminatio mea, benedicta sint vbera tua sacratissima, super omnes dulcissimos aquarum fontes, quia sicut aqua ipsorum scaturiens, præbet solamen, & sitientibus refectionem, sic tua sacra vbera Filium Dei lactando præbuerunt nobis indigentibus medicinam, ac consolationem. O Domina mea Virgo Maria, benedictum sit pectus tuum pretiosissimum, super aurum purissimum, quia quando sub Cruce Filij tota dolorosa stetisti, tunc gloriosum pectus tuum, ex malleorum sonitu, quasi duro prælo acerrimè stringi sensisti. O Domina mea lætitia cordis mei Virgo Maria, glorificetur & veneretur Cor tuum reverendissimum, quod ad Dei honorem super omnes creaturas cœli, & terræ ita ardens extitit, vt flamma Charitatis ejus in cœlorum celsitudinem ad Deum Patrem conscenderit, & ideò Dei Filius à Patre cum Spiritus Sancti fervore, in uterum tuum gloriosum descendit. O Domina mea fœcundissima & Virginissima Virgo Maria benedictus sit Venter tuus beatissimus, super omnes agros fructiferè germinantes. Quia sicut semen, quod cecidit in terram bonam de se fructum affert possessori centesimum; sic venter tuus ô Virgo fœcundissimus, benedictum fructum Deo Patri attulit, plusquàm millesimum. Et sicut ex fertili abundantia fructus, agri Dominus gloriatur, aviculæ, cæteraque animalia pascuntur: sic ex benedicto Fructu fertilis agelli ventris tui, Devs summè in cœlis

B.V. verba omnibus fructibus suavissimis dulciora.

Fructus verborum B. V. quibus Gabrieli respondit: *Ecce Ancilla Domini:*

B.V. membra motu Spiritus S. semper movebantur.

B.V. vbera ad instar fontium dulcissimorum miseros reficiunt.

B. V. Cor flammas amoris ad cœlum vsque emittebat.

Vteri Virginalis laudes.

cœlis honoratur, Angeli gratulantur, hominesque in terra largiflue vivunt, & sustentantur. O Domina mea Virgo prudentissima, laudentur æternaliter pedes tui sacratissimi super omnes radices, incessanter fructum afferentes: Sint pedes isti tui benedicti, qui DEI Filium gloriosum, dulcissimumque fructum in tuo corpore portabant inclusum, corpore tuo existente incorrupto, virginitateque tuâ semper permanente illæsa.

Quolibet B. V. passu ac vestigio Deus & cœlites recreabantur,

O quam honestè pedes hi tui sacratissimi incedebant! Verè de quolibet eorum vestigio Rex cœlestis consolatus ac recreatus est, totâque cœlestis Curiâ jucundissimè fuit gavisa. O Domina mea Virgo Maria Mater omnium, DEVS Pater simul cum Filio & Spiritu Sancto in sua incomprehensibili Majestate æternum collaudetur, pro Cella illa sacratissima totius corporis tui, in quo DEI Filius suavissimè requievit. O tu etiam Domine meus, Rex meus & DEVS meus fit tibi perpetuus honor, perennis laus, benedictio & gloria cum gratiarum actione infinita, qui illam dignissimam honestissimamque Virginem creasti, eamque tibi in Matrem elegisti, præ omnibus quæ in cœlo & terra extiterant creaturis. Hactenus S. Brigitta in laudem Virginis Beatissimæ affectu planè filiali.

68. O si nos quoque tantò tamque ardenti amoris affectu DEIparam, ejusque animam cũ vniversi corporis membris purissimis pro dignitate extollere ad cœlum usque valeremus? O si digni haberemur, qui nostri corporis hæc membra omnia, caput, oculos, os, linguam, aures, manus, pedes, sensus omnes tam internos quàm externos: interna omnia, cor, venas, arterias, ossa, medullas, motrices hujus nostri corporis fragilissimi facultates omnes: animæ potentias omnes, memoriam, intellectum ac voluntatem impendere ac superimpendere valeremus? O si affectuum dulcissimorum teneritudinem illam Seraphici Bonaventuræ in Matrem hanc nostram dilectissimam ac pijssimam experiremur, cùmque illo medullitus canere possemus, Psal. 102. *Benedic anima mea Matri IESV Christi, & omnia præcordia mea glorificate Nomen ejus: Ne oblivìscaris beneficia ejus, nec gratiam consolationis ejus. Benedicite ei omnes Virtutes cœlorum. Benedicite ei Mare, & omnes Insulæ gentium; hymnum dicite ei cœli, & habitatores eorum.* O si ejusdem S. Doctoris voluntatis illam promptitudinem Virginem assiduè toto terrarum Orbe celebrandi atque exaltandi experiremur, vt meritò illi, & cum veritate concinere quiremus. Psal: 107. *Paratum cor meum Domina, paratum cor meum laudes tibi psallere ac cantare. Nomen ejus, & memoriale illius sit in medio cordis nostri, & non nocebit nobis ictus malignantis: Convertere anima mea in laudem ipsius, & invenies refrigerium in novissimis tuis.*

Optandũ vt ad laudandam Deiparam membra omnia converterentur in linguas,

Nomen B. V. totis præcordijs benedicendum.

69 O si Sacer ille D. Bernardi nos corriperet Enthusiasmus ejusq; amoris in Virginem divinum illud nos quoque concitaret oestrum, vt ardenti corde in illa erumperemus carmina, quæ Ser. 2. in Salve Reg: modulatus est.

B. V. centum linguis benedicenda.

Si linguæ centum resonarent, oraq; centum
Ferrea Vox mihi, Maria nil dicere possem
Dignum. O Stella maris, quæ Virgo beata Vocaris.

O si ejusdem S. Patris, Nomen Virginis, ternis laudibus celebrandi nos invaderet desiderium, vt de ejus perennibus encomijs animitus cuperemus nulla sæcula, nulla vnquam ætas conticesceret, sed ejus laudes assiduè, nullâ quiete interposita decantaret:

B. V. omnibus sæculis benedicenda.

In freta dum fluvij current, dũ montibus Vmbræ
Lustrabunt, convexa polus, dum sidera pascet
Semper honos, Nomenq; tuum laudesq; manebũt
Spes mea Virgo pia, Virgo sacra, Virgo Maria.

O si tam ardenti studio in DEIparam feremur cum eodem Sancto, vt vel ab ejus sanctissimis celebrandis laudibus, vel ab ejus assiduè recolenda suavissima memoria desistere nunquam possemus, sed cum eodem magno amoris affectu concineremus Ser: 4.

Mariæ memoria semper retinenda

Ante pererratis amborum finibus exul,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim
Quam tuus è nostro labatur pectore Vultus
Virgo DEI Genitrix; quam totus non capit Orbis.

Memoriam hanc sui, æviternum in animis cordibusque nostris vigere ac nunquam omninò intermori ipsa Virgo exoptare videbatur, cùm dicebat Eccli. 24. *Memoria mea in generatione sæculorum; manet*, addit Hugo Cardinalis Charensis, *quia quamdiu præsens sæculum durabit, in quo generatio præterit, & generatio advenit, dulcis memoria B. V. perdurabit. Et verò si memoria Iosiæ fuit in compositionem odoris facta opus pigmentarij, & in omni ore, quasi mel indulcata est memoria illius, & sicut Musica in Convivio vini:* Quantò magis memoria B. Virginis? Hæc Hugo.

70. O si denique in laudibus tantæ Virginis pro dignitate celebrandis nunquam

quam nobis ipsis satisfactum arbitraremur, sed cum eodem Sancto Patre ejusdem vivam perennemque memoriam amplius atque amplius, memoria sæculorum omnium celebrari desideraremus, cum eodem dicentes: *Et non amplius?* Tum demonstrare volens se in pangendis Deiparæ laudibus Hercule; qui; *Non plus ultra;* columnis suis præfixerat, generosiorem, magno exaggeratoque animo Carolum V. Augustissimæ Domus Austriacæ summum decus imitatus, exclamavit *Amplius multū, & per omnem modū, nam in æternum, & ultra nō deficiet laus tua de memoria hominū & Angelorū.*

Deprædicemus igtur assiduè, magno animi fervore in vita, in morte, dum viuimus, dum spiramus gloriosissimæ hujus Virginis, laudes planè divinissimas; siquidem quicquid in illam honoris, ac obsequij contulerimus, in ejus dilectissimum Filium, uti jam sæpius memoratum est redundabit; qui tantâ, tamque propensa in Matrem amantissimam fertur voluntate, ut obsequia honoresque ipsi delatos, suos omnino esse arbitretur. Aureæ tandem coronidis loco, nobilissimum illud elogium primo huic Discursui, Oziæ Israelitici populi Principis imponamus, qui Iudithæ fortissimæ Heroinæ Mariam figurantis, rerum gestarum gloriam celebraturus, sic est exorsus Iud. 13. n. 23. Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui creavit cœlum & terram, qui te direxit in vulnera capitis Principis inimicorum nostrorum, quia hodie Nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum. Tum Achioris illius assumamus encomium, qui ejusdem Heroinæ virtutum splendore perstrictus, atque attonitus procidit ad pedes ejus, eamq; adoravit exclamans: Benedicta tu â Deo tuo in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuū magnificabitur super te Deus Israel Filius tuus, in quem omnis gloria honorq; tuus derivatur.

71. Atque ut hujusmodi laudum præconia: mirè grata Virgini nostræ sacratissimæ accidere intelligamus, ad eaque celebranda in dies velut admotis facibus, tantô magis accedamur; ponamus nobis ob oculos pientissimum ac Religiosissimum Patrem illum nostrum Franciscum de Enzinas Abulensem; de quo P. Philippus Alegambe in Biblioth. Scriptorum Soc: Iesu; qui cū ab incunabulis Sanctitatem, cum lacte suxisse visus esset, eamque sincerissimo in Virginem Deiparam amore stabilivisset (unde ab ipsa infantia devot⁹ Virginis dicebatur) inter alia ab ipso summæ Dei Genitrici delata obsequia, varia illi, magnâ in ipsam animi teneritudine, ardenti pietate conscripsit encomia; quæ Dei Mater sibi gratissima accidisse Viro cuidam, singulari virtute prædito patefacere non est dedignata. Visus est ab hoc P. Franciscus hic Devotus Virginis hanc suam Virgineorum elogiorum lucubrationem supplex offerre cœlorū Reginæ, quā illa vultu hilari gratâter mira cùm benignitate acceptavit.

O utinam eâdem frontis hilaritate atque amœnitate, acceptet & hanc meam qualem qualem, mihique de tanti Viri animi dotibus, Virgineisque illis purissimis ardoribus communicet.

MEDITATIO I.



Bservandū, post singulos hujus primæ Partis Discursus addendam, circa aliqua primaria puncta, Meditationē ad concitandos pios voluntatis affectus in Virginem, cujus excellentiam toto Discursu ruminavit intellectus; ut ita voluntas, ad eandem colendam, venerandam, atq; imitandā accendatur, fructumq; aliquem spiritualem animus, longiori discursu fatigatus, pcipiat. Præclarè enim, ac sapiēter de more hortatur Deiparæ Cultores Richar. à S. Laur. lib. 2. part. 6. *Amate Dilectissimi, quam colitis, & colite, quā amatis, quia tūc eam verè colitis, & amatis si imitari velitis, ex toto corde quam laudatis. Vera enim laudatio cordis & oris, imitatio est operis.* B. V. colenda, amanda, & imitanda.

1. Considera anima mea eminentissimam Divinæ Maternitatis in Virgine Sanctissima Dignitatem ac gloriam, quâ super omnem Creaturam, etiam Cherubicam, & Seraphicam evecta, 6

adeò

adeò facta est infinita, incomprahensibilis & ineffabilis, ut nulla humana, vel Angelica mens eam capere, nulla lingua eloqui valeat. Quemadmodum enim Verbum illud æternum, cujus Mater esse meruit, est naturâ suâ inperscrutabile, impenetrabile atque indicibile, ita quoque ejus Parens Sacratissima, cujus naturæ similitudinem in se repræsentavit.

2. Quid igitur agam Virgo divinissima? dicam id quod Sanctus ille Propheta in utero sanctificatus, eumque imitata Catharina Senensis tui Filij dilecta Sponsa, quæ profundissimum Incarnationis in tuo sacratissimo peractum utero Mysterium contemplans, cùm eam verba deficierent, exclamavit: *Quid ultra dicam? Faciam velut balbutiens, clamabo A A A. Quia nescio quid ultra loquar; lingua enim finita amorem erga nos infinitum eloqui non potest.* A Domina cœli terræque Dominatrix, nescio loqui, quânam ratione, à Deo tot gratijs, prævента, ipsique unita, effecta sis æterni Patris Filia. A quia nescio loqui, quânam ratione facta sis ipsius Altissimi Dei Filij Parens illibata, qui Patrem habet in cœlis totius Vniversi Conditorem. A quia nescio loqui, quomodo Sponsa Spiritus Sancti castissima tot gratiarum exornata monilibus evaseris.

In B. V. laudibus prædicandis imitādus Hieremias.

B.V. Filia æterni Patris mater Filij Dei & Sponsa Spiritus S.

3. Quare ô Sanctissima & animata Sion, Civitas Magni illius Dei nostri, Aula Superni illius Regis Regum, & Domini Dominantium, cùm de te prout tuam decet dignitatem ac gloriam loqui, te celebrare non sufficiam, sit tibi ad instar laudum omnium, meum humillimum silentium ardensque te laudandi, amandi, virtutesque tuas imitandi desiderium. Quamobrem te rogo ac obsecro, quam humillimè Virgo Beatissima, ut siquidem te labijs ingenioque meo pertenui uti par est laudare nequeo, tuâ sanctissimâ potentissimâque apud Filium intercessione, efficias, ut animi mentisque puritate, virtutumque tuarum æmulatione te celebrem, ac ita benedicam, ut tota vita mea, assidua quædam tua laus esse videatur.

B.V. Civitas summi Regis.

Silentium laus est dū B. V. virtutes suspicimus.

4. O si in Seraphinum quempiam flammis illis potentissimis amoris Dei, & tui, ô Virgo, exardescentem, transformari possem? O si senis illis ipsorum instructus forem alis, ut Orbem universum circumvolitando, omnes ad Filij dilectissimi tuumque amorem castissimum, cultumque, ac venerationem possem accendere. O si cum Amatore tuo Richardo verbo & exemplo ad tuas laudes, servitium, & dilectionem invitare possem universos: *Magnificate Dominam mecum, & exaltemus Nomen ejus in id ipsum.*

Optandus amor & alæ Seraphinorum in B.V. prædicāda

5. O si Virgo pijssima hujusce Zeli fructum aliquando percipiendo gloriari possem cum tuo Echeberto Abbate: *Magnificat te omnis Anima, ô Mater dulcedinis, & beatitudinem cordis tui, unde salus nostra profluxit, collaudat omnis lingua piorum in saula sæculorum:* Hujus nobis laudationis causas multas præbuisti ô Virgo laudabilissima omniumque gentium linguis, & litteris deprædicanda. *Quia per te de tenebris ad lucem*; ut idem tuus ait Richardus lib. 2. particula 5. *de invio ad viam; de morte, ad vitam; de corruptione, ad integritatem; de luctu ad risum; de mœrore ad gaudium; de terra ad cœlum; de carcere, ad Regnum; de servitute ad libertatem; de pœna ad gloriam; de ore sævissimi Draconis, ad sinum reducimur pijssimi Patris.*

Pietatis B. V. effectus admirabiles

6. Considera laudes Deiparæ ob Naturæ corporeæ cum Verbo incarnato identitatem quandam, & amoris mutui, bonorumque omnium inter se individuam communicationem, infinitas ferè ac immensas esse, uti sunt Divinæ illæ ipsiusmet Verbi; ac proinde sacra illa ac mystica Animalia, quæ vidit Beatus Ioann: in Apoc. 4. stantia ante Thronum & in conspectu Agni, infinita animati hujus Virgineique Throni, Agnique in eo residentis dum agnoscunt elogia; *dabant gloriam & honorem & benedictionem sedenti super Thronum & viventi in sæcula sæculorum, requiemq; non habebant die ac nocte, sed dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEVS Omnipotens; qui erat, & qui est, & qui venturus est.* O Virgo Sanctissima, quis mihi det tibi assiduè, ardentissimo famulandi desiderio assistere, tuam divinissimam excellentiam contemplari, tibi ita deservire, ut animi corporisque mei vires omnes, sensus omnes, interni externique, vnà cum memoria, intellectu, ac voluntate, in tuis deprædicandis laudibus occupati nullam requiem die & nocte invenirent.

In B. V. laudibus imitanda 4. Animalia Apoca.

à B.V. laudibus nunquam cessandum.

O si opere complere possem tui Seraphini Bonaventuræ exhortationem

 illam:


illam: *Nolite cessare à laudibus ejus, & per singula momenta pronunciate illam.* Quapropter cum eodem te exoro, atque obtestor. *Non deficiat laus tua in ore nostro, & amor tuus de visceribus nostris. Quia revera pax multa diligentibus te Domina, anima eorum non videbit mortem in æternum.* Psal. 67. Ad te recurro ô bone IESU, IESU flos Matris Virginis, ad te recurro Domina nostra, melior Mater nostra, cum tuo devoto Anselmo; *Docete, docete cor meum, quâ reverentiâ vos debeam cogitare. Bone tu, & bona tu, & dulcis tu; dicite & date animæ meæ, quô affectu memorando vos, de vobis delectetur, delectando jucundetur, jucundando impinguetur. Impinguate & succendite eam, vestrâ dilectione, vestro continuo amore langueat cor meum, liquefiat anima mea, deficiat caro mea. Vtinam sic viscera animæ meæ, dulci fervore vestræ dilectionis exardescant, vt viscera carnis meæ exarescant. Vtinam sic intimâ spiritus mei dulcedine, vestri affectus impinguentur vt medullæ cordis mei exsiccentur. Domine Fili Dominæ meæ, Domina Mater Domini mei, si ego non sum dignus, qui sic debeam vestrô amore beatificari, certè vos non estis indigni, qui sic, imò plus debeatis amari, & laudari. Ergo benignissimi ne sic denegetis mihi petenti id, quô me confiteor indignum ne vt auferatur à vobis id, quô vos certè negare non potestis dignos. Date itaq; pijssimi, date obsecro supplicanti animæ meæ, non propter meritum meum, sed propter debitum vestrum, date mihi,* inquam, *quô sum indignus, vt reddam vobis, quo estis digni. Si enim non vultis dare vt habeam quod desidero, saltem nolite negare, vt reddam vobis quod debeo.* Debeo autem me vobis totum quantus sum, totum me igitur laudibus vestris divinissimis impendite, in has omnes cogitationes memoriæ meæ, intellectus operationes omnes, voluntatis affectus omnes defigite, ut vos quantum mea fert imbecillitas condignè celebrare valeam. Forsan præsumendo loquor? sed utique bonitas vestra facit me audacem, loquor ergo adhuc ad Dominum meum & Dominam meam, cùm sim pulvis & cinis. *Dignare me laudare te Virgo Sacrata.* Amen.

Ave MARIA.

B.V. amatores non videbunt mortem in æternũ.

Vis amotis B. V.

IESU & MARIÆ nos totos debemus.



DISCVR-



DISCVRSVS II.

B. Virginis laudes Divinas esse, eò quod ipsius elogiorum Præconibus, præmia increatæ Sapientiæ Elucidatoribus promissa, tribuantur.

Qui elucidant me vitam æternam habebunt. Eccli. 24.

I.



Vantum sit æternæ Sapientiæ desiderium, vt ipsius laudum encomia toto terrarum Orbe deprædicentur (quô homines ipsius cognitionis luce Divinissima irradiati, amoreque succensi, ejusdem præclarissima facinora in vita gesta æmulando, æternæ vitæ ac beatitudinis compotes efficiantur) vel inde evadit manifestum, quod ipsa ore suo Sacrosancto mortales omnes, suavissimis eloquijs jam præmissis ad id faciendum invitare non sit dedignata.

B. V. suis laudatoribus pollicetur vitam æternam.

Quibus verbis, ex communi Patrum consensu, vtitur quoque ipsa Deipara suum de more dulcissimum imitata Filium, allicitque omnes ad suas celebrandas laudes, agnoscens has sibi cum Filio esse communes, polliceturque longè præstantissimum vitæ nullo fine terminandæ præmium, beatitatemq; sempiternam; cupiens simul omninò præstare suis præconibus, quod increatam Sapientiam dixit præstituram Sapiens Eccli. 10. v. 5. *Super faciem Scribæ imponet honorem.* Verè enim Virgo Beatissima ponit super faciem sui Scribæ ac Præconis ejus elogia scribentis ac pangentis honorem, coronamque gloriæ super caput ejusdem, vt interpretatur Richar: à S. Laur: lib: 2. part: 5. *Ipsa enim dicit cum Filio*, eodem Richardo teste: *Qui me honorificaverit, glorificabo eum*, gloriâ nimirum non modo vitæ hujus temporali, verùm etiam vitæ Divinioris gloriâ æviternâ; *Qui elucidant me*, inquiens, *vitam æternam habebunt*. His verbis Concilium Basiliense celebratum ante 200. & amplius annos vsum est, ad animandos Christi fideles, vt in Dei Ecclesia, immaculata Virginis Deiparæ Conceptio, Solenni ritu celebraretur; ejusdemque præconia totoOrbe elucidaretur, ostendens promissionem illam, tam Filio, quàm Matri communem esse, ejusdemque laudem honoremque in Filium redundare. Sed ipsa verba Concilij audiamus Sess: 36. *Elucidantibus Divinæ gratiæ Mysteria, mercedem gloriosam repromisit æterna DEI Patris Sapientia, dum ait: Qui elucidant me &c. Quod etiam de gloriosa Virgine, quæ ipsam Patris Sapientiam DEI Filium æternum, in vtero pertulit, ac mundo peperit, Sacrosancta legit Ecclesia. Nam quidquid de dignitate, ac sublimitate Virginis Matris educitur in lucem, hoc non dubium est, ad laudem, & honorem Filij sui pertinere. Et qui honorificant gratiam, & Sanctitatem Matris, horificant, & elucidant gloriosum Nomen Filij ejus, qui ipsam sanctificavit, & replevit gratiâ. Vnde si in ceteris rebus elucidatio veritatis, quæ à Domino DEO est, præclara merita parturit, in ea re specialiter fructus vberrimos afferre speranda est, quæ sanctificationem, & dedicationem Templi illius concernit, in quo ante sæcula, antequam terra fieret, & ab æterno sibi mansionem ordinavit prima; & æterna Veritas.* Hæc Concilium, quæ sanè plurimum momenti ad permovendos fidelium animos, vt non modo Conceptionem Immaculatam deprædicent, verùm

B. V. super faciē sui laudatoris imponit honorem.

Ad Conceptionē B. V. celebrandam, Conciliū Basileense fideles, promissione vitæ æternæ invitat.

etiam immensas ejus laudes, ac præconia, quæ in ejus etiam Filium redundant concelebrent. Quod si ipsam Virginem nos ita alloquentem nobis imaginemur, cujus obsecro Virginea illa promissio liberalissima innatam illam honoris gloriæque hominibus cupiditatem non exacuat, & quasi quibusdam admotis facibus, vehementissimè non accendat?

2. Si enim vita hæc mortalis adeò dulcis, & suavis, adeò preciosa & dilecta est mortalibus, ut de ea Philosophus lib. Rheticorum c. 6. dicere non dubitaverit; *Vita etiam si nullum aliud bonum consequatur, per se tamen amatur, optatur, & expetitur:* quanto charior unicuique debet esse immortalis illa, ac beata, omnique termino carens vita, ac per consequens Virginearum laudum elucidatio, in quibus, ipsiusmet Virginis attestatione, æterna quædam, dum adhuc in hac mortali degimus, reperitur vita, seu ejusdem dulcissima ac sapidissima quasi prælibatio, quàm omnes Deiparæ Studiosi encomiastæ, virtutumque ejus seduli æmulatores, experiri consueverunt? Quam Virginis liberalissimam promissionem expendens idē jam memoratus Richar: à S. Laur. lib. 10. de laudib. Virgineis, ad hanc ipsius præclarissimarum laudum nos invitat elucidationem: *Adeamus cum fiducia,* inquiens, *ad Thronum gratiæ, ad* Mariam *videlicet, quæ Thronus dicitur gratiæ, quia ibi sedet, ibi regnat gratia, quæ plenum habet in* Maria *dominium, ibi etiam invenitur gratia, quam jugiter parit & emittit in lucem; vnde & dicitur:* Maria *Mater gratiæ. Adeamus,* inquam, *ad hunc Thronum dilectione, siquidem ipsa dicit: Ego diligentes me diligo; qui autem à Matre diligitur, diligitur & à Filio, & per consequens, à tota curia cælesti. Adeamus cultu, eius servitio mancipati. Nam qui operatur in ea, bona opera ad cultum, & gloriam eius faciendo, non peccabunt. Adeamus oratione, quia invocantibus se in omnibus necessitatibus potens est subvenire, siquidem ipsa gloriatur: In Hierusalem superna potestas mea. Adeamus deniq; laude, dignitatem eius, & prærogativas manifestando, siquidem promittit: qui elucidant me vitam æternam habebunt, &c.*

Vita ab omnibus expetitur.

Mariæ Thronus gratiæ.

3. Porrò ut tantò magis ad Virgineas has pangendas laudes accendamur, quid hæc tandem Vita æterna sit consideremus. De qua in communi si quæramus ex Aristotele quidnam sit? Respondebit sine dubio. *Vita est mentis actio.* lib. 7. & 11. Metaph. c. 7. Inde si ex Severino Boëtio quidnam sit æternitas sciscitemur, pronunciabit illicò: *Æternitas est interminabilis vitæ, tota simul, & perfecta possessio.* Atque ita æterna vita nihil erit aliud, quam actio intellectus interminabilis tota simul, non successivè aut interruptivè possessa. Quod si quis objectum hujus intellectivè actionis scire desideret, audiet ipsam Incarnatam, sempiternamque Veritatem: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te verum DEUM, & quem misisti IESUM Christum,* Ioan. 16. Quare sapientissimè asseruit Angelicus Doctor 1. P. q. 26. art. 3. *Beatitudo intellectualis Naturæ consistit in actione intellectus:* adjungit hujusce actionis objectum solum DEUM, summum Bonum esse. Hinc Jamblicus Philosophus: *DEI cognitio est perfecta fœlicitas:* ex quibus perspicuè infertur, eos qui Deiparæ laudes elucidant, illustrant, atque extollunt, dum adhuc hoc miserrimo corporis detinentur ergastulo, incipere æviternæ illius beatitudinis gaudia prælibare. Virgineas enim hasce celebrando laudes, Patrem æternum cognoscimus, cujus Virgo hæc dilectissima extitit Filia, & opus illius Divinę, infinitæque Omnipotentiæ singulare; cognito Patre agnoscimus vicissim Filium, velut veram atq; consubstantialem Patris formam atque Imaginem, cum sit, quemadmodum loquitur Apostolus ad Hebræor. cap. 1. *Splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Filium denique agnoscentes velut unicum non solum Paternæ, verum etiam Maternæ imaginis ac similitudinis speculum, in Matris ipsius Sanctissimæ cognitionem devenimus, quæ pars quædam sempiternæ illius Beatitatis in cœlo Sanctis omnibus futura videtur. Vnde Seraphicus Bonaventura in spec. *Post DEUM major nostra gloria, maius nostrum gaudium ex MARIA est.* Et B. Cardinalis Petrus Damianus Sermon. 1. de Nativitate qui trutinans verba illa Cant. 1. *Revertere, revertere Sulamitis vt intueamur te;* mox subtexuit: *summa gloria est post DEUM te videre, adhærere tibi, & in tua protectionis munimine demorari.* Quod sanè minimè mirum nobis videri debet, cum in ea Divinissima illa Natura & Essentia, Personæ ipsæ, cum attributis,

Quid sit vita?

Quid sit æternitas.

Virgineas celebrantes laudes prælibant hic æternæ vitæ gaudia.

Per Deiparam, Sanctiss: Trinitatē agnoscimus.

B.V. videre summa gloria post Deū.

butis, ac perfectionibus omnibus, velut animato quodam speculo quodammodo repræsentati videantur. Atque hinc eam crediderim fortasse à B. Andrea Cretensi Episcopo: *Benè descriptam primi Archetypi Imaginem*, appellatam.

4. Iam cùm fieri nequeat vt bonum cognitum, non sit amatum, consequitur sanè hanc Virginearum laudum dilucidationem seu prædicationem non modò nobis æterni Patris, Filij, ejusque Matris Sanctissimæ cognitionem, verùm etiam amorem parere, atque ita dum adhuc in hac peregrinatione versamur, totali quadam perfruimur Beatitudine, quæ ex nonnullorum Theologorum Sententia, adæquatè in intellectus & voluntatis operatione consistit. Hinc est quod hujusmodi Virginis præcones, dum adhuc in hac lacrymarum, & miseriarum valle refertissima, versantur, mirificam mentis animique tranquillitatem, incredibilemque voluptatem, cum rerum omnium terrenarum fastidio experiantur, agnoscantque revera vitam hujusmodi, Deiparæ cultui ac laudibus addictam, verissimam quandam sempiternæ illius Beatitudinis esse participationem; siquidem in vita hujusmodi desideriorum omnium quoddam reperitur complementum, quod beatæ vitæ proprium est. Vnde idem Doctor Angelicus art: 4. præclarè effatus est: *quicquid desiderabile est in quacunque beatitudine & fœlicitate vera, vel falsa, id omne in æterna fœlicitate continetur; cùm Beatitudinem* Severinus Boetius *statum omnium bonorum aggregatione perfectum* definierit. Quare jure meritò Richar: à S. Laur: lib: 2. de laudibus Virg: part: 5. hoc æternæ vitæ præmium à Virgine fidelissima suis elucidatoribus, ac præconibus promissum expendens, Virginem ita loquentem introducit; *Qui*, inquit, *elucidant me, id est, vitam meam verbo, & exemplo, prædicatione &c. laudant. Vel qui me imitantur, vt alios doceant imitari (efficaciùs enim docet vita, quàm littera) vitam æternam habebunt. Elucidantes isti propriè illi sunt, quorum conversatio jam in cœlis est, qui non indigent sustentatione præsenti, ideòque promittitur eis præmium vitæ, vt magis accendantur, vel etiam vita contemplativa, quæ perpetua est, hic incipiens, nec postea vlla æternitate desinens.*

Perfecta Beatitudo in actione intellectus & voluntatis consistit.

B. V. laus prægustus est æternæ fœlicitatis.

Omne bonum Beatitudo complectitur.

Qui sint veri Deiparæ Elucidatores?

5. Quis igitur tam vecors existet, qui tot amplissimis propositis præmijs, agnitoque tam præstanti vitæ sempiternæ bono, quò summum illud immensumque recluditur Bonum, non se se totum in extollendis ad cœlum vsque Virginis laudibus impendat? Quis non satagat, vt vita sua, quemadmodum eam vocitavit Pythagoras, continua quædam præconiorum Dei Matris Sanctissimæ sit Panægyris? Quis non exoptet, vt tota sua vita sit harmonicum quoddam organum, vti illam appellavit Socrates, ad Deiparæ laudes assiduè modulandas peridoneum? Quis vitam illam non existimet acerbam, atque infœlicem, quæ Marianas laudes celebrare negligit? Quis vitam hujusmodi Virgineis celebritatibus carentem, viam longam sine diversorijs, vt eam dixit Democritus apud Stob: Ser: 16. non existimabit?

Vita humana quid?

6. Atque ita videre est nonnullos Dei Virginisque servos in hoc mundi exilio difficillimaque peregrinatione ipsius invocatione, ac laudibus perindè vti consuevisse, atque respiratione viriumque labantium instauratione. Quare sapientissimus Idiota c. 5. in contemplat: exponens illud Prov: 20. *Lucerna Domini spiraculum hominis; ait Lucernam hanc esse Dominam Mariam, quæ Doctrix, & Magistra maris interpretatur, doctrinâ ac Magisterio suo, velut lucernâ, non modo tenebras nostræ illuminans ignorantiæ, ne illis excæcati homines, in peccata prolabantur, verùm etiam eandem velut vitæ spiraculū esse, suavissimam quandam vitalemque nobis impertiens respirationem; imitata in hoc etiam dilectissimum suum Filium,* de quo Hieremias: Spiritus oris nostri Christus Dominus, Thren. 4. Vnde Virginem alloquens, concludit: *Verè Maria spiraculum hominis, quia peccator per te respirat in spe veniæ & gratiæ;*

B. V. laudes viriū labantiū sunt instauratio.

B. V. Spiraculum hominis.

Quare S. Germanus Archiepisc. Constantinop: Orat: de præsent: B. V. Beatitudinem quandam, fœlicitatemque reclusam in hac Virgine agnoscens, Beatos quoque fœlicesque deprædicat, quicumque aliquod cum eadem habuere commercium: *Nos*, inquiens, *te ò Divina Sponsa, fide benedicimus, desiderio honoramus, timore adoramus, te semper exaltantes, beatamque cum veneratione prædicantes. Beatus quippe revera ex viris Pater tuus, beata ex mulieribus Mater tua, beata Domus tua, beati noti tui, beati, qui te viderunt, beati, qui tuâ consuetudine vsi fuerunt, beati, qui tibi ministrârunt, beata loca, quæ calcasti, beatum Templum, ad quod adducta es, beatus Zacharias,*

Beati sūt omnes qui cum B V. sunt conversati.

rias, qui te vlnis excepit, beatus Ioseph, qui te sibi despondit, beatus lectus tuus, beatum sepulchrum tuum. Vt porrò ostenderet Virginem beatissimam suis servis ac laudum suarum præconibus summam post DEVM non solùm esse beatitudinem, verùm etiam pulcherrimam nobilissimamque tot laborum mercedem, ac præmium, concludit: *Tu enim es precium preciorum, Tu præmium præmiorum, Tu exaltatio exaltationum.*

Fælices sunt Parentes B. V. fælix Ioseph.

7. Similiter Ioannes Gerson Cancellar: Parisiensis, Virginem alloquens tract. 4. super Magnif: postquam in persona Discipuli, auditis varijs Deiparæ, maximè ejus potentiæ laudum encomijs dixisset: *Respiro totus in spem bonam, dum te audio talia disserentem. Totus exultat spiritus meus, & aspirat meditari frequentiùs istam beatam & pulchram Mulierem, quam tali potentia piè disseris eminentem. O felices, qui te talem ò Maria genuêre Parentes. O verè felix Ioseph Sponsus tuus Virginalis, qui tui custos cum Puero IESV, fidelis, sedulus, prudens, atque charissimus audire videreque te cum Filio, tanto tempore dignatus fuit.* Postquam, inquam, hæc dixisset eandem Virginem alloquens in persona Magistri, beatos quoque ejus devotos clientulos, imitatores, atque amatores deprædicat. *Credidi,* inquiens, *propter quod locutus sum: Propterea jam istos beatificare nequeo, neque sufficio, quos ò Beata tibi feceris esse devotos, quos traxeris post te, postque DEVM benedictum fructum ventris tui, in odorem vnguentorum tuorum. Quomodo non beati, quibus vbera Charitatis lactanda, quibus os pietatis osculandum, non dedignata fueris ostendere? Ergo jam oleum effusum Nomen tuum. Ergo tu fons hortorum, ad emundationem simul, & recreationem, cum delectatione mirabili mundo datus. Tu puteus satietatis aquæ vivæ salientis in vitam æternam. Puteus aquarum, quæ fluunt impetu de Libano candido Paradisi. Tu hortus consitus omni genere tam arborum, quàm areolis aromatum. Tu jam coronata triumphas de capite Amana, &c.* Hæc Gerson de beatitudine & fœlicitate Præconum, atque servorum familiarium Deiparæ.

Beati sunt ij, qui sunt B. V. devoti.

8. In eisdem Virgineis laudibus supra memoratus Idiota, beatitudinem sempiternam velut opulentissimum Thesaurum reconditum agnoscens, audite quantò amoris affectu sibi, Deiparam laudandi fieri copiam, ab ipsamet efflagitet c. 1. contemplationis de B. V. *Honorantibus te promittis gloriam, quia Thesauraria gratiarum existis. Impetra ergo tuis assiduis postulationibus vt te laudem, te glorificem, te benedicam, tuas virtutes enarrem, tua mirabilia nuntiem, tuam exemplarem, & Deificam vitam prædicem, scripta de te elucidem, vt habeam in laudibus tuis vitam æternam, imò in vita æterna laudes tuas, & superbenedicti Filij tui concinam, quia scriptum est: Qui elucidant me vitam æternam habebunt. Quod si de Filio tuo, qui est DEI Sapientia id dictum est, de te etiam, quæ es ejus superexaltata & superbenedicta Mater id negandum non est.* Hactenus Idiota sapientissimè.

B.V. Thesauraria gratiarum Dei.

Richardus denique de S. Victore gravissimus Parisinus Theologus postquam lucem admirabilem ex Virgine velut quopiam animato Sole fuisse emissam, cœlestia terrestriaque copiosissimè irradiantem dixisset c. 39. in Cant: lumen quoque gloriæ ad videndum clarè Deum, per Virginem nobis impertiri affirmare visus est. *Lux æterna,* inquiens, *ex temporali hac nova surrexit, & radios suos ampliùs dilatavit. Nec solùm per eam lux gratiæ in terris, sed etiam Visio DEI animabus data est in cœlis.*

Per B.V. lumen gloriæ in cælis datur hominib.

9. Et sanè minimè nobis mirum videri debet, quod Virgo Sanctissima suarum laudum Præconibus beatitudinem quandam inchoatam, in hac vita largiatur, cùm Antonomasticè Beata vocitetur, & tanquam Dei Mater varia fœlicitatis & beatitudinis genera, Beatitudinem viæ, & Beatitudinem Patriæ, licet non omnibus numeris absolutam, dum adhuc in hac mortali vita degeret, sit consecuta; vnde quid mirum beatitudinem eandem suis Cultoribus, ac laudatoribus fuisse impertitam. Quod nobis jam memoratus Parisinæ Academiæ Cancellarius insinuare visus est tract. citat. Postquam enim dixisset. *Enunciasse videtur Prophetico Spiritu plena Verbigena nostra, quod Nomen adjectivum; Beata, appropriatè sibi, & antonomasticè daretur per omnes generationes: velut epitheton desuper sibi datum, sibi debitum, sibi placentissimum, nec non convenientissimum, jucudissimum & appropriatum. Dignare nos laudare te Virgo Sancta, ò terque quaterque Beata. Beata primo quia, ut clamat Elisabeth; Credidisti Beata deinde, quia gratia plena, secundùm Gabrielis Salutationem. Beata & benedicta, quia benedictus fructus Ventris tui. Beata quia fecit tibi magna qui potens est. Beata quia Mater Domini. Beata, quia fœcundata Virginitatis*

Deipara vocatur Beata per Antomasiam.

Nomen B. Deipar. acceptissimum.

Variæ rationes ob quas Deipara dicitur B.

tatis honore. Beata, quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem. Postquam, inquam, ita Virginem beatificasset, addit Deiparam Beatissimam, habuisse beatitudinem viæ per spem in ænigmate, & Patriæ saltem imperfectam, quàm ille beatitudinem mediam vocat, similem illi dilectissimi sui Filij, qui Viator & Comprehensor extitit. Concludit denique Beatitudinem etiam quandam habuisse Purgati animi, quàm Aristoteles appellat; *Heroica excellentia, quæ fuit in Beata nostra dum viveret,* inquit *super omnem purum hominem, sicut Beata residet in Patria super omnem Angelicam potestatem; hoc est, quæ à nullo vincitur Illustrium, secundùm Damascenum. Continetq; juxta Hierarchicam Dionysij legem, eminenter omnem perfectionem, creaturarum tanquam inferiorum, ut jure dicatur Regina mundi, & Domina. Vis igitur brevi compendio* MARIÆ *Beatitudinem tibi notam fieri? Da illi per eminentiam quicquid in creaturis videris melius ipsum, quam non ipsum.*

Variæ in B. V. Beatitudines.

B. V. continet eminenter omnium creaturarum perfectiones.

10. Ex quo pijssimi simul ac Doctissimi viri discursu colligere possumus, Deiparam Angelicas imitatam Hierarchias, quæ sicuti lumen illud divinum, à supremâ Majestate participatum in inferiores transfundant Ordines; ita Virgo Beatissima suæ Beatitudinis, æternæque Vitæ lumina, non modo peregrinantibus, suasque laudes deprædicantibus in via, verum etiam jam regnantibus cum Christo in Patria communicare consuevit, ut verè Beata & beatificans, tàm in via, quàm in Patria dici possit.

B. V. exemplo Hierarchiarũ cælestium lumen in nos transfundit.

Quapropter S. Bonaventura Psal: 11. canere non dubitavit: *Beatus Vir qui timet Dominam, & beatum cor quod diligit illam. Iucundus homo qui non satiatur laude tua, & à relatu virtutum tuarum non fatigatur. Exortum est in corde illius lumen DEI, Spiritus S. illuminat, intelligentiam ejus.*

Beatum cor quod diliget B. V.

11. Quare nil mirandum à Salomone Virginem hanc Beatissimam ac gloriosissimam Lignum vitæ appellari prov. 3. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint illam, & qui tenuerit eam beatus.* Quæ verba piè interpretans Richar. à S Laur. lib. 2 partic. 1. inter quadraginta rationes quas affert cur serviendum sit Deiparæ; hanc posuit vigesimam eamque efficacissimam. *Quia,* inquit, *ipsa est Lignum vitæ; quod qui apprehenderit cito festinanter ac violenter quodammodo; itaq; eam ceperit, ut extorqueri non possit, & videatur illi reipsa dicere cum Iacob.* Gen. 32. *Non dimittam te nisi benedixeris mihi.* Docet denique detentionem hanc Virginis faciendam, violentis quibusdam brachijs, lachrymis videlicet ac precibus. *Vnde de lucta Iacobi cum Angelo ait Oseas c. 12. flevit & rogavit eum. Oratione enim lachrymosa benedictio* MARIÆ *obtinetur.* Hæc ferè Richard. Ex quibus omnibus colligitur quanta demum sedulitate, sollicitudine ac fervore in Deiparæ pangendis laudibus ei serviendum ac desudandum sit, qui hujus Ligni vitæ dulcissimum, perennemque fructum æternæ Beatitudinis cupit degustare.

B. V. Lignum vitæ.

à Deipara petendæ & extorquendæ gratiæ quadam cum violentia.

12. Eandem ob causam à Sanctis Patribus crediderim Deiparam appellatam Matrem cunctorum viventium; viventium, inquam, in terra illa, in qua se visurum bona Domini sperabat Psaltes, dum canebat Psal. 114. *Spero videre bona Domini in terra viventium;* vita illa nimirum immortali & beata Vnde S. Antoninus Archiepiscopus Florent. 4. par. tit. 15. cap. 14 potiori jure Deiparæ, quam Evæ illud Gen. 3. accinendum censet elogium. *Vocavit Adam nomen uxoris suæ Eva, eo quod Mater esset cunctorum viventium, cum Eva potius mater cunctorum morientium extiterit, ut ait Rupertus Abb.* lib. 3. de Trinitat. operibus c. 26. Hinc S. Epiphan. hær 28. *Beata,* inquit, *Mater Dei* MARIA *per Evam significatur, quæ per ænigma accepit ut Mater viventium vocetur. Ab illa Eva omnis generatio ducta est in terra; hic autem verè à* MARIA *hæc vita mundo genita est, ut viventem gigneret; & fieret* MARIA *Mater viventium.* Hinc S. Hieronymus Ep. 22. *Mors per Evam, vita per* MARIAM. Hinc S. August. serm: 17. de Nativitate Domini, *Stirpem vitæ:* S. Hildephonsus ser. 4. de Assumpt. *Introitum vitæ.* S. Chrysologus ser. 140 MARIAM *benedictam, factam nunc verè Matrem viventium per gratiam, asseveravit.* Quare vitam gratiæ ac gloriæ cœlestis humano generi per Virginem hanc sacratissimam donatam agnoscens D. Bernardus, vetat Adamum, impia illa verba proferre: *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno & comedi. Muta,* inquit *excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic: Domine, Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me.*

Maria Mater viventium vita gratiæ & gloriæ.

B. V. vita nostra & nova Eva.

B. V. dedit nobis fructum vitæ benedictũ

13. Quare Virgo gloriosissima se Matrem vitæ, gratiæ & gloriæ agnoscens, gloriabatur: *In me omnis spes vitæ.* Quæ verba Richardus à S. Laur: lib: 6. de laudibus Virgineis, ait esse ipsius Deiparæ. ad eaque explananda affert Petrum Manducatorem, seu Comestorem sic loquentem: *sicut per illam accepimus gratiam vitæ, quæ nunc est, ita per illam habemus spem vitæ quæ futura est; & habituri sumus fructum gloriæ, quæ semper duratura est. Sicut enim Eva*, pergit Richardus, *dicta est Mater omnium viventium, vitæ naturæ: Sic Maria Mater omnium viventium vitâ gratiæ, quæ per eam nobis restituta est. MARIA enim nobis portavit vitam & aperuit nobis portam vitæ, ad vitamq; viam novam ostendens per exemplum, ut meritò, de ea dici possit, id quod Micheas c. 2. protulit de Filio: Ascendit pandens iter ante eos. Vita enim ejus semper quidam ad Cœlos fuit ascensus, & ubi ipsa cum Filio regnat, orationibus suis introducit peccatores.* Idem Richardus lib: 9. de laudibus Virgineis: *Os Virginis, vitæ venam appellavit: Si*, inquiens, *vena vitæ os Iusti Prov. 10. Ergo multò fortiùs, & justissimè os Mariæ est vena vitæ, quoties pro nobis Filium interpellat, & propter hoc ait: In me omnis spes vitæ & virtutis.*

Maria nova Eva.

B.V. vena vitæ dum orat pro nobis.

14. Deuique Auctor hic Virginis studiosissimus eandem Librum vitæ nuncupare non dubitavit, Librum, inquam, illum, de quo scripsit Iesus Sirach, noster videlicet IESVS, Matri suæ testimonium perhibens Eccles: 24. *Hæc omnia Liber vitæ & testamentum Altissimi.* Postquam enim ipsam, varijs fructiferis arboribus, floribus pulcherrimis, fruticibus aromaticis, limpidissimis fontibus comparasset, subintulit: *hæc omnia liber vitæ. Hoc est, ut*, ait Richar: *horum omnium, quæ hactenus recensuimus similitudinem continet Beata Virgo, quæ est Liber vitæ, cuius lectio nos veram edocet Sapientiam. Hæc, inquam, omnia est ipsa Beata Virgo, de qua locutus sum, sub metaphora florum, Arborum aliorumq; multorum, est Liber vitæ Beatis in Patria, ac proinde ipsa est liber Beatorum.*

Maria Liber vitæ.

15. In hunc sanè vitæ Librum, velut in illum Prædestinatorum transcribi videntur omnes, qui ejus singulariter cultui sunt addicti, qui assiduè ejus celebrandis laudibus sunt intenti, atq; hi ita inscribuntur, ut eos deleri ex ipso sit propemodum impossibile. Testis est Bassus ille Burgandio, de quo Beatus Petrus Damiani lib. 2. Ep. 14. affirmat à Stephano Cardinali relatum sibi, profectum aliquando orationis, ac Devotionis causa ad Templum quoddam Deiparæ celeberrimum; peractisque inibi suæ in Virginem pietatis, ac orationis obsequijs, ex illa peregrinatione reducem, ex hac vita migrasse, mox intempesta nocte ejus cadaver è sarcophago multis spectantibus, atque ad tale spectaculũ exhorrescentibus, prosilijsse, adstantesque deprecatum, ut orationi; ac Psalmodiæ instarent, quo tetros illos nequitiæ spiritus angulos omnes, parietesque undique obsidentes profligarent, quod & factum. Fusis itaque atque ad instar fumi Tartareis illis evanescentibus larvis, ubi tantisper ex tanto terrore respirasset, mirâ securitate animatus, quidnam sibi ex hac vita decedenti contigerat adstantibus enarravit. Quæ ego totidem ferè verbis ex Damiano ad historiæ magis confirmandam veritatem recensebo. Egredienti mihi de corpore, inquit Bassus, duo protinus Angeli splendidissimi occurrunt, qui me secum ducere in superiora cœperunt; sed ecce me nigrantes Dæmonum turbæ, velut Æthiopum phalanges undique circumstant, meque tanquam sui juris, acri vehementique actione reposcunt. Noster, inquiunt, est, sub nostris ditionibus vixit, nostris legibus obtemperavit. Semper in illo lex carnis viguit, legem veró Spiritus funditus ignoravit. Contra Beati Angeli: Non, inquiunt, diffitemur fuisse vestrum, dum in proprijs viveret. Sed quia nunc in obsequio Reginæ cœlestis Dominæ nostræ defunctus est, nequaquam impietati vestræ subjacebit, qui vitam suam, pio fine conclusit: Nec ad æterni Iudicis poterit perire conspectum, qui Genitricis ejus sibi providit auxilium. Cùm his alijsque inter se contentionibus altercantur dimicantq; Angeli, singulæque partes cum vi rapere ad se conantur; *Ecce*, inquit Damianus, *velut igneus fulgor repentinus, radiansq; corusci luminis splendor illuxit, cunctisq; mirantibus, cœlorum Regina, Angelicis vallata reverenter obsequijs Dei Mater advenit. Tunc reprobi illi Spiritus licet ad primum tanta gloriæ terrerentur adventu, nimiusq; splendor eorum reverberaret obtutus: illatam tamen sibi conqueruntur injuriam, succlamantes; si DEVS est justus nunquam* hunc

Bassi anima à Dæmonibus ope B. V. liberatur.

hunc de manibus nostris tollet impium. His subintulit Virgo: *Licet hic homo impiè & carnaliter vivendo, vestra ut ipsi asseritis sit possessio, nunquam tamen pijssimus, & clementissimus meus Filius, ac Dominus patietur eum vestris fieri crudelitatibus subditum, quem sub mei famulatus obsequium cernit in peregrinatione defunctum, cùm præsertim, peccata sit confessus Sacerdoti.* Ad hæc illi, quasi nacta occasione victoriæ tripudiantes, ac velut insultantes obganniunt: Cùm Mater sis veritatis ac justitiæ, num ignorare potes, quoniam hoc tam immanè tamque cruentum facinus perpetravit, quod nulli tameu unquam per confessionem innotuit (& hic gravè quoddam scelus à me commissum nominantes vociferabantur) quod peccatum audiens Deipara, cùm tantisper modestè subticuisset; tandem; *Verùm est quidem,* inquit, *quod obijcitis, sed tamen, quia apud misericordem Dominum meum, ac Filium, misericordia superexaltat de more judicium, eumq; non tam delectat pœna peccantium, quàm peccatorum remissio: me confestim intuens: Ad corpus,* ait, *præsto regredere, scelus hoc objectum confitere.* Quibus Deiparæ jussis Bassus cùm obtemperasset, injunctamque pro peccatis pœnitentiam ipsi Monachi, uti Virgo præceperat pro ipso peragendam in se recepissent, mox lætus & hilaris, ut ait Damianus, velut dormiens, obijt.

B.V. benignitas erga peccatores.

16. Quis hominem hunc in Virgineum Vitæ Librum transcriptum fuisse neget; siquidem Virginem Beatissimam tantopere adlaborasse perspicimus, ut à Tartareis illis Leonibus rugientibus præparatis ad escam, atque sempiterni interitus Barathro eriperetur: Quis ad ejus assiduè cel·brandas laudes non accendatur, siquidem tam liberalem, ob tam modicum obsequium illam cernit remuneratricem? Quis se á cacodæmonum insidijs tutum forè sibi non polliceatur, qui se fidelissimo Virginis hujus addixit servitio, perpetuoque mancipavit obsequio? Quis ab æterna morte liberum se vitæque æternæ, ac Regni cœlestis candidatum, patrocinio hujus Virginis futurum, sibi non promittat quicumque fidelissimæ ipsius se commisit clientelæ? Nempe Arca Domini est Maria, cujus quisquis corde devotionem pietatemque radicatam gestaverit, interire minimè poterit: Equidem Vir mortis es, dixerat olim Rex Salomon Abiatar Sacerdoti, sed hodie non interficiam te, quia portasti Arcam Domini Dei, 3 Reg. 2. v. 26. quam multi infelices cum Basso hoc forent filij mortis, æternæque perditionis, nisi animatam hanc Virgineamque Arcam Domini peculiaribus pietatis amorisque obsequijs velut quibusdam humeris ferrent, eamque filiali benevolentiâ prosequerentur? Polliceri sibi visus est benignissimam hanc Deiparæ contra infernalium hostium mortisque impetus protectionem, Seraphicus Bonaventura, quando Virginem humillimè deprecabatur Psal. 6. *Domina ne in furore Dei sinas corripi me, neq; in ira eius judicari. Propter honorem Nominis tui, Domina, propitietur nobis gloriosus fructus ventris tui, De porta Inferni. & ventre abyssi, tuis sanctis precibus libera nos. Aperiantur ianua sempiterna, ut in æternum enarremus mirabilia tua, Quia non mortui, neq; qui in Inferno sunt laudabunt te, Domina; sed qui tuâ gratiâ vitam æternam obtinebunt.*

Devotio erga B. V. à morte æterna liberat.

Quod si, Sanctissima Dei Parens toti humano generi est spes Vitæ, stirps vitæ, introitus vitæ, vena vitæ, vita gratiæ, vita gloriæ, Liber denique vitæ (uti diximus) æterna; quantò magis eam pro infinita illa sibi innata bonitate, vitam gratiæ simul ac gloriæ suarum laudum præconibus devotisq; Filijs futuram sperandum est?

17. Spei huic tanquam firmissimo baculo, inter vitæ hujus salebrosos, ac lubricos calles, atque anfractus, inter mundi hujus calamitates, ac mœrores inniti, seque ipsum in adversitatibus omnibus consolari videbatur Propheta Regius, cùm Deum, post varia recensita beneficia, illâ grati animi significatione alloquebatur: *Virga tua & Baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Psal. 22. Iure sanè meritò Virgo gloriosissima Dei ter Optimi Mater Baculus, cui fideles innitimur, quô stamus & sustentamur, appellatur. Vnde Richar. à S. Laur. l. 12. eam dixit Virgam sustentationis, quàm senes deferunt ad se sustētandos, vt quod non possunt propria virtute, faciant adminiculo virgæ, sive baculi. *xebet,* enim Hebraicè, significat propriè Virgam, baculum, Calamum ac Sceptrum. Verè calamus est Virgo, quo in amplissimum illum æternæ vitæ librum transcribimur, quē jure Christus Cœlū vocitavit: *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo;* eò quod

B. V. est baculus quo in vitæ huius lubrico innitimur.

B. V. est calamus, quo in librum vitæ inscribimur.

quod inscriptio illa nos cœlestis Regni hæredes constituat. Verè Virgo calamus est, quo Devs misericors nobis sua dona, beneficiaque, imò & salutem vitamque æternam donandam describit. Ad Matris quippè Virg: preces, ejus Filius nobis suam bonitatem diffundit nostrorum scelerum veniam, il a delendo, exarat, & pijs erga illam, studiosisque clientulis Divinæ prædestinationis (cujus est in Virginem Matrem pietas vnum inter alia effecta) executionem & complementum inscribit. Sceptrum nimirum ille jam manibus gestat Regni cœlestis, æternæ gloriæ vitæque habet pignus, quisquis Virginem Dei Matrem, & pectore gerit, & corde veneratur, & ore personat, & obsequijs colit, & moribus, quod caput est, imitatur.

B. V. Sceptrum nostrum quo cœli Reges & Hæredes efficimur.

18. Hæc nimirum est Aurea illa cœlestis Assueri Virga, quam in signum clementiæ, ad Divinorum judiciorum horrore perculsos, atque exanimatos, deque vitæ æternæ possessione adeunda desperantes peccatores, vt in spem fœlicioris vitæ resurgant extendere consuevit, vt legere est, Esth. 15. Audiẽdus hic S. Bonav. in Spec. cap. 12. *Virgo Maria est Virga Aurea, de qua legitur quod Esther cũ duabus puellis ingressa est ad Regem Assverum, & præ nimio stupore penè exanimata fuerit, ad quam extendit Rex Virgam auream ad confortandum eam.* Hæc Esther, anima est cujusque peccatoris, ejus puellæ sunt geminæ ipsius facultates, intellectus, ac voluntas. *Anima igitur*, prosequitur Doctor Seraphicus, *quæ ita ad Christum ingreditur, præ stupore quandoque à seipsa deficit, dum inaccessibilem Divinæ gloriæ claritatem, vel terribilem Divinæ justitiæ severitatem attendit. Virga porrò Aurea, Virga Regia, est illa aurea, illa Regia Virgo Maria. Aurea quidem Charitate; Regia verò nobilitate. Aurea per mundiciam; Regia verò, per justiam. Aurea deniq; per incorruptionem, & integritatem Virginialem; Regia verò per Dominationem, & potestatem Regalem. Hæc est fælix Virga quæ ad animam confortandam clementer extenditur, quando fœlix Virgo Maria devotioni ejusdem animæ tam pia & dulcis ingeritur, ut ex hac, ipsa anima contrà terrorẽ Divinæ justitiæ & ad splendorem Diuinæ gloriæ confortetur. Hanc Virgam anima illa contemplatiua Anselmi, ad se extendi desideravit, quando tam devotè exclamans dicebat: O quã pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, quæ euadis capacitatem cordis. nunc prostolare Domina infirmam animam te sequentem.* Hæc Bonav.

B. V. est aurea Assveri Virga quæ in signum Divinæ clementię supra nos extẽditur

Eandem Virginem, Auream Virgam, qua ad beatificam Christi summi boni tanquam maximi Regis Assveri deducimur contemplationem agnovit Venerabilis Richardus à S. Laur. lib. 12. de laud. B. V. dum dixit: *Virgo aurea in cujus conductu, ad Christum ingredimur, & mediante qua, videtur idem Christus, Virgo Maria est, quæ non dicitur inaurata, quasi per exteriorẽ apparentiam, sed Aurea, per veram virtutum existentiam. Fabricata est Virga hæc, manu cœlestis Sapientiæ. Aurea deniq; est hæc Virga, Angelis, & beatis, quia vident Reginam in decore suo.*

19. Neque verò solum contenta est Virgo Sanctissima suis cultoribus, laudumq; ipsius Elucidatoribus vitam gratiæ, æternæque gloriæ impertiri, impertitur etiam vitam corporis, aliaque ad vitam sustentandam beneficia. Quare B. Petrus Card. Damianus lib. 6. Epist. 26. Stephanum Monachnm in Psalmodiæ alias studijs, divinisque laudibus assiduum, hortatur, ut laudum quoque Officium Beatæ Virginis quotidie persolvat. *Dignum quippe est*, inquit ille, *ut quæ laudum præconia meretur ab Angelis, obsequijs etiam frequentetur humanis, eiq; post DEVM totus Orbis exhibeat laudem, per quam suscepit propriæ salutis Auctorem. Optima sanè spes est apud eam habere confugium, quæ scilicet in omnis cœlestis curiæ senatores imperandi apud DEVM primum, obtinet locum.* Vtque ad quotidianas Laudes Deiparæ alacrius persolvendas eundem permoveat. Clerici cujusdam Nivernensis in Gallijs, pertractat exemplum, cui gravissimo laborauti morbo, & à Medicis conclamato, præsentissimum Virgo gloriòsa, ob certum laudum pensum sibi in horas singulas quotidie persolutum, attulit remedium. Libet miraculum hoc tam insigne, ipsis tanti Doctoris verbis referre: *Hic planè*, inquit Sanctus, *Regulam sibi sanctæ servitutis indixerat, vt Beatæ DEI Genitrici quotidiana per singulas horas laudum vota persolueret. Cumq; de Vita ejus jam nemo penè confideret, & velut egressurus in ejus pectore spiritus anxiè palpitaret; ecce gloriosa Mater Dei illi visibiliter adstitit, & sacri Vberis papilla lac exprimens, ejus labijs instillauit, & Divinæ Virtutis antidoto protinus ille, resumptis viribus, ex infirmitate conualuit, moxq; Clericalibus ornamentis indutus Ecclesiam adyt,*

B. V. suis laudatoribus etiam corporalẽ vitam impetrat.

B. V. Officium recitare utile est.

Clericus quidam horis singulis laudes B. V. persolvit.

Moribundus Clericus lacte B. V. sanatur.

adijt, seseq; Choro psallentium Fratrum latus inserens, mirum videntibus spectaculum prabuit. Dicitur etiam quod adhuc tunc in labijs eius quadam lactis videbantur vestigia. Concludit tandem, pro communi omnium DEIparam laudantium solatio, affertque rationem, cur Beata Virgo ori duntaxat lactis purissimi adhibuerit Medicinam, qui toto corpore morbo oppressus, animam agebat: *Per hoc,* inquit, *conijci potest, quoniam eisdem labijs; quibus eam ille laudavit & coluit, Gloriosa Virgo lac salutis immulsit, ut per illud corporis membrum, quô sibi Venerabilis Clericus laudis obtulerat gloriam. congrua vicissitudine recuperanda Salutis sua perciperet Medicinam.* Hæc Damian.

Labia quę B.V. laudarunt lacte eiusdem infunduntur.

20. Quid dicam de altero quodam Clerico Virgineis laudibus decantandis addicto, cui DEIpara egestate laboranti, ad vitam tolerandam necessaria procuravit? De hoc idem Cardinalis Damianus lib: 2. Epist: 14. sibi relatum à Stephano Cardinali memorat; *Fuisse hominem,* vt ipsius verbis vtar, *fatuum, nauci, frivolum ac ineptum, qui nullam Religionis, dotem, nullam Canonica Disciplina, nullam gravitatis sive modestia videbatur habere virtutem. Inter hos tamen emortuos inutilis vita cineres, sic perexigui fomitis tenuis vivebat igniculus, vt quotidie ante sacrosanctum Altare B. DEI Genitricis accederet, & reverenter verticem curvans, Angelicum hunc atq; Evangelicum versiculum decantaret: Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Cùm itaq; tanta fatuitatis ineptiam novus deprahendisset Episcopus, ab invtili persona vtilitatem, seu beneficium Ecclesia detineri indignum ducens, ei prabendam abstulit. Sed cùm hunc rei familiaris egestas opprimeret, & vnde posset vivere non haberet; nocturno silentio pia DEI Genitrix Episcopo, dum dormiret, quodam comitata viro, altera manu ardentem faculam, altera ferulam portante apparuit. Cui mox B. V. pracepit, vt Episcopum delinquentem, aliquantis ferula, quam gerebat verberibus castigaret: Cur,* inquiens, *Capellano meo, qui mihi quotidianas impendebat excubias, stipem Ecclesia, quam non ipse contuleras, abstulisti? Ad quam increpationem Episcopus tremefactus evigilans, Clerico beneficium reddidit; & quem ignotum DEO fortè credebat, jam quasi charum propensiùs honoravit.* Claudens tandem verissimam hujusce Virgineæ charitatis, ac beneficentiæ temporalis narrationem, memorabilem, de æternis præmijs consequendis attexit sententiam, quæ sanè Virginearum laudum præcones non mediocri solatio affectura est: *Si igitur vnum dumtaxat laudis canenda versiculum, corporei victus alimenta promeruit, quam fideliter aterna sperabunt, qui Beata Regina mundi quotidiana horarum omnium vota persolvunt? Vnde pulcher etiam mos in nonnullis Ecclesijs inolevit, vt specialiter ad ejus honorem per omne Sabbatum Missarum celebrentur Officia, nisi fortè festivitas, vel Feria quadragesimalis obsistat.* Hæc Damianus.

Clerico egestate laboranti B: V. laudatori beneficium ab Episcopo ablatū B. V. severè iubet restitui.

Ante Altare B. V. inclinato capite Clericus quotidie Salutationem Angelicā recitabat.

Sabbathò Sacrum B. V. celebrādum.

21. Quid jam dicam de Iosepho Anchieta nostro, sæculi hujus novo Thaumaturgo? qui patrocinio Virginis, in cujus pangendis laudibus desudabat, mirificos favores beneficiaque & maximè utriusque hominis vitæ conservationem consecutus est.

Dum enim apud barbarie efferatos illos, cruentissimosque Anthropophagos Tamuyenses Brasilos, in captivitate versaretur, non alia sane tàm vitam animi, quàm corporis tutatus est panoplia, quàm assiduâ Virginearum laudum commentatione, qua totius ejus vitæ sanctissimæ seriem, à primis Immaculatæ Conceptionis exordijs inchoando, ad illius usque in cælos triumphalem profectionem, Regijque Diadematis impositionem pertexuit; sacrarum litterarum quæ de ea enarrata sunt oraculis, ac figuris, sanctorumque Patrum celebrioribus encomijs illustratis. Opus certè pijssimum ac pulcherrimum, quod bis mille octoginta sex distichis absolvebatur. Profuit sane illi labor hic, non solùm ad suæ fructum pietatis, ut vitæ illius Auctor scribit lib. 2. verum etiam, ut ipse Josephus dicere consveverat ad vitam & libertatem. Et quod ille imprimis optabat, ut tractatione hac sacrarum ipsius laudum purissima Virgo, ejus mentem, ab omni, quæ imminebat labe, inter nudos impurissimosque illos nebulones, qui humanæ Naturæ totum proculcabant pudorem, puram, illibatamque servaret. Quam gratiam Virginis beneficio consecutus est, ut ipse tacitè insinuare visus fuit cuidam, qui se acerrimis carnalium illecebrarum stimulis exagitatum sæpius querebatur; *Scio,* inquiens, *alteri contigisse, qui longo tempore inter vehementes ac perpetuas occasiones conflictatus, Filij, Matrisq; Divina auxilio non modo lapsus non est, sed praterea certum ab utroq; testimonium accepit*

Iosephus Anchieta laudando B. V. vitā animi & corporis conservavit.

Earundem laudum benefico pudicitiā conservavit.

cepit, ut nunquam in hujusmodi periculis læderetur. Idem Vir admirabilis non modo animi, sed corporis etiam vitam eisdem Virginis laudibus acceptam referebat; Cùm enim Barbari moræ impatientes, metu ne altile illis è cavea evolaret, mortem illi minarentur, diemque certàm ad lanienam denunciarent, quâ de more suo essent eum festis epulis devoraturi, identidemque inclamarent: *Para te Iosephe, & sacia te luce solis, nam te in certam diem ad festum conuiuium destinauimus*, quibus ille placidè respondebat: *Non me interficietis, nondum enim venit hora mea.* Cumque ex eo postea aliqui sciscitarentur, qua fiducia vitam tam certo sibi prorogandam polliceretur? *Matris Dei*, respondit, *promisso, quæ non permissuram se mihi vitam eripi ante, quam ea, quæ de ejus vita & laudibus meditarer, perfecissem, stipulata est.*

B. V. Iosepho vitã pollicita fuit, quo posset opus de ipsius laudibus absolvere.

22. Quæ beneficia omnia tam hujus caducæ vitæ corporis, quàm illius melioris, quæ est animi, cum præmia Sanctissimæ Dei Parentis, pro ejus celebratis, donata laudibus intelligeret Anchieta, ad totius carminis calcem, facta ad eandem Virginem apostrophe, sese quam gratissimum exhibuit his versibus, ex fragmento quodam ex Brasilia allato, collectis.

Gratitudo Iosephi Anchietæ in Deiparam

En tibi quæ voui Mater Sanctissima quondam
Carmina cum sæuo cingerer hoste latus,
Dum mea Tamuyas præsentia mitigat hostes
Tractoq; tranquillum, pacis inermis, opus
Hic tua, Materno me gratia, fovit amore,
Te corpus tutum, mensq; tegente fuit.
Sæpius optavi, Domino inspirante dolores,
Duraq; cum sæuo funere vincla pati.
At sunt passa tamen meritam mea vota repulsam:
Scilicet Herœas gloria tanta decet.

Auicula canens Salutat. Angelicã liberatur à morte.

23. Verum quid mirum homines Virginearum laudum præcones Deiparæ præsentissimum in utriusque hominis vita conservanda fuisse expertos auxilium, cum & ipsa rationis expertia animalia, dum ipsius concinunt encomia opem hujusmodi invenisse memorentur? Iucundissimam sanè, æquè ac sapidissimam Bernardinus de Bustis Ordinis Seraphici Par. 12. Marialis serm. 1. recenset historiolam, repertam nimirùm alicubi fuisse aviculam edoctam à pia quadam Virgine Angelicam Salutationem modulari. Hanc cum rapax avium Prædo aliquando rapuisset accipiter, Ave Maria concinentem, sicut sibi vitam, ita insidiatori mortem intulit. Vix enim laudem illam Virgini dixerat, cùm ecce tibi cruentus Prædo in terram mortuus corruit.

24. Porrò quemadmodum synceri Deiparæ amatores ac Præcones ejusdem beneficio, ac favore, vita tàm spirituali, quàm corporali donari: ita ejus inimici Mariomastigæ ac Blasphematores, morte inopinata ac miserabili interire infæliciter consueverunt. Testantur hoc duo milites Saxones, hæretica Lutheri labe infecti, q cũ hac nostra tempestate in castris Boëmicis rerũ omnium extrema penuria laborarent, Templum quoddam Divæ Virginis jam pridem spoliatum, ac profanatum ingressi apprehensa sacrata ejusdem effigie postquam ei impotentiam imbecillitatemq; in succurrendo eorum necessitatibus nefariè exprobrassent, aliaque innumera probra, ac scommata evomuissent, illico velut quodam Divinæ vindictæ icti fulmine exanimes in terram corruerunt. O quam verum hic effatum illud pulcherrimum Deiparæ apud Salomonem esse comprobatur Prov. 8. *Qui me invenerit inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino, qui autem in me peccaverit, lædet animam suam, omnes qui me oderunt diligunt mortem.* Quam Virginis sententiam explicans Richardus à S. Laurent. lib. 2. part. 1. *de illis*, inquit, *qui nolunt servire Mariæ, vel qui peccant in eam, dicitur per Isaiam c. 45. Confundentur omnes qui repugnant ei, ut sunt Iudæi, Pagani, Hæretici & Blasphemi. Item per Eccl. c. 3. Maledictus est à DEO qui exasperat Matrem suam, videlicet Mariam. Ipsa enim dicit, qui in me peccaverit, lædet animam suam, omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.*

B. V. blasphemãtes morte subitanea pereunt.

Qui oderunt B. V. diligunt mortem.

Maledict. est à Deo qui exaspe rat Mariã.

25. Vnde Baruc c. 4. inter atrocissima scelera, quibus Israelitæ Divinam offendêre Majestatem, numerat Matris hujus mitissimæ contristationem: *Obliti estis*, inquiens, *DEVM qui nutrivit vos, & Nutricem vestram contristastis, MARIAM videlicet*, ut exponit idem Richardus.

MariaNutrix & Mater nostra.

O quam verè de hac repentina sceleratis illis à Deo nostrumque omnium Matre inflicta pœna vaticinari visus est Salomon Prov. 20. *Qui maledicit Patri suo, & Matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris.*

Qui maledicit Mariæ male morietur.

O quam verè de eisdem pronunciavit Ecclesiasticus c. 3. *Maledictio Matris eradicat fundamenta;* vitam nempe tàm Spiritualem, quàm corporalem, quibus velut fundamentis quæcunque bona,

bona, honores, divitiæ, gloria, fœlicitas aliaq; humna omnia niti consueverunt.

Iulianus suadebat Cybelem Deorum Matrem honorandam.

26. Quare jure merito hic vsurpare possumus impijssimi illius Apostatæ Iuliani dictum, vt eum proprio mucrone confodiamus. Negabat ille faustum aut fœlix quidquam evenire posse, qui Deorum Matrem remissiùs honoraret. Quod stultissimum effatum sicut de Cybele intellectum falsissimum est, abominabilemque continet superstitionem; ita si idem illud ad summi Dei ter Opt: Maximi Parentem, omniumque Cœlitum Reginam transferamus, verissimum est, synceramque in se reconditam habet pietatem. Quis enim vnquam prosperæ Fortunæ vsus est flatibus, ac Favonijs, quis præclaros aliquos in virtute, vel sanctioris vitæ Statu fecisse visus est progressus, vel quidpiam aliud cum laude egisse animadversus est, qui remissiùs, aut languidiùs Deiparam coluit ac veneratus est?

Qui remissiùs colunt B. V. in virtute minimè proficiunt.

27. Quod si frigidiùs Virginem honorare, adeò dispendiosum est, quid expectandum eventurum ijs, qui ore sacrilego, lingua Serpentinâ Antichristi, Tabernaculum Dei, Mariam videlicet blasphemâtis, quam simillimâ, per summum nefas, proscindere convitijs, maledictis arrodere attentarunt. Quantis, Devs immortalis, Gehennæ ardoribus, Tartarique sempiternis torrebuntur ignibus, quibus nunquam intermorituris corrodentur vermibus linguæ illæ, quæ vbi Creatoris sui munifici laudare debuerant Matrem optimam, eandem blasphemare ausi sunt?

Notissima est apud Poëtas, ac præsertim Ovidium in sua Metamorphosi li: 6. vltio Apollinis, qua in Niobem Latonæ Matris suæ contemptricem ejusque filios severissimè animadvertit; dum hos telis confixit, illam verò in scopulum, doloris vehementia fecit obrigescere, dum se supra Latonam efferebat: Et quibus tandem pœnis, quibus telis Divin⁹ Apollo, verus Iustitiæ Sol Christus, in Matris suæ Sacratissimæ Contemptores desæviet? siquidem illa, vt alia sileam, ad nostram salutem ac redemptionem, tanta cum charitate Filio cooperata est; quo sanè vel solo titulo, eam summo in honore, summis in delicijs atque amoribus nos habere oporteret, eamque nobis omnibus obsequijs quibuscunque possumus demereri.

28. Quapropter ejus dilectissimus Filius, ob enormem hanc ingratitudinem, in Matris suæ Contemptores ac blasphematores sæpiùs exarsisse visus est, eosque atrocissimis, adhuc viventes mactavit supplicijs, ac tandem in Inferni barathrum deturbavit.

Pœnæ quibus Deus Matris suæ injurias vltus est.

Horrificum planè est, quod Nicephorus lib: 8. Hist: Eccles: c. 33. posteritati mandavit. Diverterant ad cauponem quendam lurcones aliquot scelerati, qui postquam satis diu helluati, ac pergręcati fuisset, jocisq; ac varijs scurrilitatibus indulsissent, tandem Convitijs scommatis ac ludibrijs ipsam Dei optimi Parentem optimam sunt aggressi. Verùm sempiternus Iudex injuriam tam atrocem Matri irrogatam non tulit impunitam. Perditissimos enim Ganeones, justissima ejus indignatio furorque ardentissimus mox ita arripuit, vt viuos, vestitos calceatosque, vti dicere consuevimus, ad nunquam terminanda Inferorum præcipitarit incendia. Nec caupo Dei indignationem evasit, ob injuriarum illarum in ipsius Matrem conjectarum dissimulationem. Nam non ita multò post per quietem Dei Mater lectulo ipsius adstare visa est, graviter objurgans, quod illorum impijssimorum hominum in se blasphemias, convitia, ac maledicta dissimulasset. Ad gravissimam hanc Deiparæ increpationem miserabilis caupo ille videlicet contremuit, mox ad Virginem conversus, ac supplex factus, culpam agnoscens eamq; detestans, rogavit ne tam cito, ex hac vita raperetur, concederet adhuc tantulum temporis, quo tantum Scelus deflere, ac expiare valeret. Daturam se Virgo benignissima mortemque dilaturam spopondit ad animum tam enormi scelere expiandum. Interim Virga quadam, quam manu gestabat cauponis genua cruraque vndequaque signavit, & quodāmodo exaravit. Infœlix hic, somno solutus, membra illa, quæ à Dei Matre fuerant circumsignata, à corpore avulsa, atque discerpta reperit sanguinemque quasi ex recenti vulnere promanantem vidit. Consternatus hospes hoc sui tam miserabili spectaculo, concurrentibusque vndique vicinis rei tam prodigiosæ fama excitis, justissimam Dei ejusque Parentis contra se iram, judiciumque fuisse contestatus est.

Ebriosi blasphemantes B.V. vivi in Infernũ detruduntur.

29. Claudamus tandem has Mario-

H masti-

stigarum pœnas, recentiori hoc exemplo, desumpto ex nostris Annuis 1558. Collegij Pacensis in Provincia Peruana, totidem verbis Francisci Bencij qui eas conscripsit: Quidam cùm Indam fœminam aliquando ad infaustum thorum vi, minisque compulisset, provecta nocte cœlum tonitru concuti, tremiscere terra, densasque inter tenebras micare ignes, & per fenestrarum rimas effundi, ut ferirent oculos animosque adulterorum. Cadit interea scissis nubibus largifluus imber cum grandi grandine super tectum crepitante? Hic mulier subito pavore correpta: Virgo, inquit, Maria fer opem, tuere me obsecro. At vir ferox, & impius mediam complexus: Tace, ait, sis stulta; scilicet auxilium vllum ferre potest Maria. Abscidit extremam vocem fulmen subitum, quod intonuit, & adhuc loquentem avellit, ab amplexu mulierculæ, quatuorque, aut quinque passus ejecit extra lectum, & flamma corripit arrida nutrimenta. Surgit mulier perterrita, miserum inclamat, excitat, pervellit, nempè metu exanimatum, non exanimem putabat. Trahit digitos pedum, corruunt, pedes ipsi divelluntur. Conantem domo egredi, & mortuum extrahere, impediebat ignis introrsum repellens. Ad extremum vociferata horrendum, concivit vicinos, & ægrè protracto informi cadavere, reperiunt hominem, mirum dictu, hiante ore sine vllis dentibus, sine lingua, omnia præterea membra ita soluta ac fluxa, vt vel leviter contrectata, manum sequerentur. En vt Divinus Apollo sempiternusque Iudex Christus despectum irrisionemque Matris Sanctissimæ, omnique laude dignissimæ fulmineo telo vltus est.

Blasphemus adulter fulmine percutitur, quod potentiam B. V. irriserit.

30. Ex hactenus dictis intelligimus quod sicut fœlicitatem, beatamque vitam eos habituros speramus, ac credimus, qui Deiparam gloriosis in cœlum vsque extollunt encomijs, ejusdemque sedulo laudes elucidant; Adeò vt potiori jute fœlicitatis suæ, prosperæque Fortunæ, quam in sinu habere videntur, sibi probè conscij dicere possint, Christianâ cum animi moderatione, in Domino gloriando, quod Niobe sublato supercilio contra Latonam Apollinis Matrem insolescens jactavit:

Sum fælix quis enim neget hoc? fælixq; manebo;
Hac quoq; quis dubitat? tutam me copia fecit.
Major sum quam cui possit Fortuna nocere,
Multaq; vt eripiat, multò mihi plura relinquet.
Excessere metum mea jam bona. Ovid. Meta. l. 6.

Sicut, inquam, hi fœlices ac beati laudatores ac elucidatores Virginis reputantur; ita illi, qui convitia, scommata, maledicta, blasphemiasque ore impurissimo sacrilego-que in eam jactant, infœlices planè ac miserabiles, infaustoque sydere editi mortique nunquam terminandæ Tartareisque flammis jam devoti ac mancipati censendi sunt.

Infœlices sunt qui B. V. blasphemant.

31. Quamobrem Ecclesia Sancta vtramque vitam, tam spiritus quàm corporis, sempiternam denique illam beatamque, fœlicitatem omnem, ac omne bonum, beneficio Deiparæ, post Deum se habere grata recognoscens, Vitam eam indigitat, ac salutat: *Salve Vita, Dulcedo, & Spes nostra salve.* Quæ verba contemplans pijssimus simul ac Doctissimus Theologus Parisinus Martinus de Magistris in sua super Salve Regina Paraphrasi, ostendens hominem mille mortis generibus obnoxium, Virginem hanc, velut vitam multiplicem opponit omnibus: *Quid*, inquiens, *per horrenda scelera, mille necibus emortui, vel carceribus, vel vinculis, vel inedia, vel mala liberamur valetudine, nisi rursus nobis vivere liceat, nisi propulso tetro mortis squallore, vitâ, quam inter peccandum perdidimus potiamur? Tu vita nostra es, per quam, cùm emortui sumus, mortis, & sentimus & detestamur horrorem, & confecto lacrymis suspirijsq; medicamine, mortis pondus excutimus. Primus ad vitam gradus adversum lethalia vincula, lucta est, asperumq; certamen. Qua in re tu nexus detegis mortis, & resolutis, quibus stringebamur nodis, tui Numinis icta fulgore, ô Vita nostra, mors moritur.* Pergit inde, ostendendo idem Auctor, Deiparam nobis esse Vitam quandam, ab æterna morte nos præservantem: siquidem ejus ope, ac favore viri justi Deumque timentes, horrorem, peccato; quod acerbissima est mors animæ; debitum experiuntur, & ad luctandum contra ejusdem tentationes animantur: *Te Vitam*, inquit, *nostram esse, probat sensus, horror, lucta, ipsaq; exterminata mortis interitus. Id enim mortui durissimum patimur, quod vita nos suavi perfungi credimus, & quod horror est, squallorq; mortis, id velut perdulcem quendam vita nitorem arbitramnr. Sed quis sensum, quis motum, quis emortuis vita spiritum expectet, nisi quem pro sanctissimo tuo, ô Vita nostra, officio inspiraveris,*

B. V. nostra Vita.

Mariæ icta fulgore Mors moritur.

ris? Concludit tandem, demonstrando varios, eosque admirabiles, quibus Virginea hæc Vita, in vita nostra vel conservanda, vel recuperanda, uti solet modos: *Quam multiplici, quam varia Vitam te ratione dicam? Vita es nobis, quâ hostium non morimur insultibus. Vita es, quâ nostra mors enecata deperit. Vita es demum, quâ rursum vita potiri spiritibus, incipimus. Sed non diu victuri sumus, si non aliqua vita nos habeat oblectatio; nisi nos ipsa dulcore resperseris tuæ sanctitudinis. Proinde post confessum vitæ, misericordiaq; Principatum, Dulcedinem te nostram devoto pectore salutamus; Dulcedo nostra salve.*

Quam variis modis sit nobis Vita Deipara?

32. Ob has tam multiplices in Diva Virgine à Viris pijs repertas vitæ nostræ conservandæ rationes, ac modos, varijs etiam ipsam Præconijs extulerunt.

Maria vitæ Antistes.

S. Ioannes Damascenus Orat: 1. de Nat: V. inter varia ejus elogia, *DEIparam Antistitem vitæ* dixit; insinuare fortè volens, eam nescio quem post primum sempiternumque illum vitæ omnis Auctorem in vitam nostram obtinere principatum, quasi ejus nutibus universa post Deum vitæ mortalium momenta decurrant.

B. Andreas Cretensis Episcopus eamdem Orat. 2. de Dormit: Deip. Vitæ sustentaculum; vitæ suppeditatricem, Vitam viventium, & causam vitæ: Chrysippus verò Presbyter Hierosol: Armarium vitæ appellavit. Hinc Dionysius Carthusianus lib: 2. de laudibus B. V. non tam vivam Deiparam, quàm ipsam Vitam dicendam censuit.

33. Hinc B. Petrus Chrysologus Evæ opponens Martham & Mariam Magdalenam, quæ Lazari ad vitam revocationem, ab ipso, qui vera omnium mortalium vita est, Christo impetrârunt, ab ijs Deiparam sanctissimam, quæ post Filiū Vita dulcissima omnium extitit, figuratam asseveravit Ser: 64. Verba enim illa Ioannis Evangelistæ, mysterijs plenissima c. 11. explicans: *Martha ut audivit, quia IESUS venit, occurrit illi:* postquam dixisset: *singula scripturæ verba, si libris singulis mandarentur, nec sic mysteria, quæ in ipsis sunt, audientibus perlucerent;* hæc de Marthæ, pro vita Lazari recuperanda solicitæ ad Christum verum vitæ fontem excursione attexuit: *Siccine servus non fuit, non proximus, non amicus, non qui aderat consolator, ut Mulier sola medias per turbas, per castrum totum, extra civitatem, & luctus tempore venienti occurreret Salvatori?*

Martha & Maria procurantes Vitam Lazaro sunt figura B. V.

Fratres non causa currunt, sed Sacramenta signantur. Mulier currit pro morte, quæ cucurrit ad mortem; festinat ad veniam, quæ festinavit ad culpam: ad Redemptorem pium pervenit, seductor pessimus quam prævenit: resurrectionem quærit, quæ quæsivit ruinam, & ipsam quæ mortem viro attulit, ut vitam viro referat anhelat. Hinc est quod in loco Christus substitit, expectavit Christus quod non intravit turbas, quod non contendit ad domum, quod non ad sepulchrum divertit, quod non ad Lazarum, propter quem venerat festinavit: sed Mulierem sustinet, mulierem remoratur, mulierem primam suscepit, quam suasor primam infecit: à muliere perfidiam fugat, ad mulierem revocat fidem, ut quæ fuit perditionis obsequium, salutis eadem sit ministra: Et sit tandem per DEUM viventium Mater, quæ per Diabolum Mater diu extitit mortuorum. Et quia mulier fuit mali caput, causam mortis agit, ut ante crimen diluat, quam veniam largiatur, ante causam tollat, quam sententiam soluat; & cavet ne Vir mulierem, per quam semel deceptus est, participem refugeret ad vitam: ac ne multis periisset mulier, si ante ad virum Christus Dominus peruenisset. Hinc est Fratres, quod per mulierem nascitur Christus: hinc est quod virum mulier semper ventris sui suscitet de sepulchro, ut doloribus revocet, quem repulit blandimentis; ut flendo reparet, quem perdidit manducando. Deniq; ubi Martha confessa est Christo, & quicquid sua culpa non in confessione mulieris, pia confessione deleuit, mittitur ad Mariam, quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria, veniat Materni Nominis bajula, ut videat homo Christum Virginalis uteri habitasse secretum, quatenus ab Inferis prodeant mortui, mortui exeant de sepulchris. Hæc Chrysologus de Martha & Maria in Deiparæ figura ad vitam restituendam Lazaro, qui peccatoris typus extitit, cooperantib⁹, ut eā vitā nostrā agnoscamus.

Mariæ præsentia dat vitam mortuis.

34. Agnovit hanc Virginis ad vitam nostram, sive conservandam, sive reparandam cooperationem S. Damascenus Orat: de Dorm: Deip: quando moriente dulcissima hac nostra Vita, genus humanum interiturum putabat: *Nobis,* inquiens, *quomodo erit Vita vitalis, si Mariam non habeamus cum qua versemur?* Ac si dixisset: quemadmodum impossibile est corpus illud vivere, quod à collo sejunctum est, ita impossibile quoque est illum vitam ducere, qui à Deipara separatur.

Vita sine Maria Mors est.

Hinc S. Bernardinus Sen: to. 4. Serm:

Serm. 3. a. 3. c. 2. eandem collo, per quod à capite in totum Ecclesiæ corpus spiritus vitales communicantur atque transfunduntur, comparavit; dum illud Cant: 7. expenderet elogium. *Collum tuum sicut turris eburnea.* Cujus comparationis causam mox attexit: *Nam sicut*, inquit, *per collum spiritùs vitales à capite diffunduntur per corpus; si per Virginem à capite Christo vitales gratiæ, in ejus mysticum corpus, & specialiùs in amicos, atq; devotos continuè transfunduntur. Vnde hic est hierarchicus ordo, & defluxus cœlestium gratiarum, ut priùs à DEO defluat in Christi animam benedictam, quia omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum; deinde defluat in animam Virginis, inde in Seraphin, deinde in Cherubin, & successivè in alios Ordines Angelorum & Sanctorum, demùm in Ecclesiam militantem, & maximè in Amicos DEI, & Virginis gloriosæ.*

B. V. collum est per quod Spiritus in corpus à capite transfunduntur.

35. Hinc denique S. Bruno Religiosissimi Carthusiensis Ordinis Fundator Ser: 1. de Nat: B. V. librum compositum à S. Matthæo generationis Christi, ejusque lineas accuratè considerans, Deiparam opponendo Evæ, vitæ nostræ verissimam Reparatricem deprædicat: *Hæc linea*, inquiens, *incipit ab Eva, & desinit in Mariam. In principio mors, & in fine vita consistit. Mors per Euam facta est, uita per Mariam reddita est.* Agnovit Sanctissimam Dei Genitricem, nostram Vitam dulcissimam esse S. Bernardus Medit: in Salve Regina: *Tecum*, inquiens, *ò Domina deinceps habitemus, te mentis uisceribus amplectamur, quia tu es Vita, Vita uerè quæ mortem superbiæ humilis uicisti, & nobis uitam gratiæ impetrasti. O certè Vita amabilis, Vita desiderabilis, Vita delectabilis, ò Vita quæ cœlistibus nutris alimentis. qui enim uult te habere, se affligat, delicias respuat, delicata quæq; contemnat, & qui amplius mortificatus fuerit, te ampliùs possidebit.*

Et Serm. 1. in Salve Regina: *Non erit abs re*, inquit, *sed ualdè optimum, si ipsam Reginam misericordiæ Vitam & dulcedinem nostram dicamus, qui minus experti adhuc Vitæ hujus ac dulcedinis, sed per ipsam speramus nos posse consequi quicquid totius bonitatis factor dignatus fuerit nobis gratiæ impertiri.* Sic Bernardus.

36. Quid de S. Antonino Archiepiscopo Florent. dicam? qui Salutationis Angelicæ initium expendens. P. 4: tit. 15. c. 12. §. 3. Ave, ait: si ordine præpostero legatur; Eua, legitur, quasi Virgo Deipara inversa esset Eua, actionibus, moribusque primæ illius mulieris omninò contraria. Vnde cùm Angelus eam salutavit Aue; dicere visus est, ut inquit S. Antistes: *Ideò dico tibi Aue, quia tota contraria es Eva. Vnde canit Ecclesia; Sumens illud Aue, Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans Nomen Evæ. Illa enim Eua fecit filios suos inimicos DEI, hæc verò nos pacificauit DEO. Illa enim superbiuit contra Dominum, similis esse volens DEO; hæc se profundissimè humiliauit, non Matrem Domini, uti erat, sed Ancillam sese appellans: Illa Mater cunctorum viventium spiritualis interfectrix: Hæc cunctorum Mater spiritualis vivificatrix.* Hactenus Sanctus Antoninus.

Maria inversa Eva, & contraria primæ.

Diffusiùs Virginis cum Eua contrarietatem hanc Magnus declaravit Albertus ser. super miss. c. 54. qui postquam dixisset Virginem benedictam Euæ in re & effectu contrariam fuisse per omnia, mox reddens dicti sui rationem intulit: *Eua enim damnat: MARIA saluat; illa omnes homines generat in mundum; ista in cœlum. Illa Mater carnalis, ista spiritualis. Illa Mater miseriæ. Hæc Mater misericordiæ. Illa principium mortalitatis; ista principium regenerationis. Illa gratiam perdidit; ista gratiam inuenit. Illa transiuit, & nos transire fecit de gratia, in culpam; ista nos surgere fecit de culpa in gratiam. Illa viro occasio fuit perditionis, hæc viro suo adjutorium redemptionis. Illa desponsatur origo corruptarum, hæc desponsatur mansura Virgo Virginum. Illa prima Virginitatem perdidit; Ista prima Virginitatem DEO consecrauit. Illa à Diabolo decepta; ista ab Angelo edocta; Illam Diabolus vicit per superbiam, ista Diabolum vicit per humilitatem. Et sic patet quomodo mutârit Nomen Euæ.* Hæc Albertus, qui clarè ostendit Virginem nobis non modo vitam, verùm etiam bonum omne importare.

37. Agnovit denique Seraphicus Bonaventura in stim. Amor. cap. 4. Deiparam nostram, omnium dulcissimam esse vitam, quando post mortem Filij ei compatiendo, metuebat, ne doloris acerbitate, unà cum Filio, è vita etiam ipsa tolleretur, mundusque tam amabilis vitæ, tam dulcis Matris privatione, veluti quadam orbitate percuteretur. Dehortando igitur Virginem à tam luctuoso, atrocique mortui Filij dilectissimi spectaculo, sic eam alloquitur: *Obsecro Domina mea, ne ultra accedas, sed*

Mundus amittendo Mariã percussus Orbitate.

sed fac, ut tecum habitemus. Nam vita nostra tu es. O vita mirabilis, qua mortuos viuificare conaris: Per te Domina viuificamur, per te à morte liberamur. O vita non senescens, vita mortem non timens, imò mortem expellens, mortales immortales constituens. O certè vita amabilis, vita desiderabilis, vita delectabilis. O vita carnales vitas ad nihilum redigens, & abhorrens. O certè vita contra mundi vitam. Qui enim vult te habere se affligat, delicias respuat, quia qui amplius mortificatus fuerit, te amplius possidebit. O vita vulnerata, vulnera & mentem nostram, vt simul tecum in vulneribus habitemus. Non enim absq; vita viuere possumus. Si vita nostra es, cur non semper in nobis es? cur non vulnera tua nobiscum sunt? Hæc S. Doctor. Idem in suo Psalterio vitam salutemque nostram hanc Sanctissimam Dei Parentem esse cognoscens, gentes omnes ac populos ad honorem, laudesque tantæ Virginis, uti par est, deferendas, totoque terrarum Orbe celebrandas invitat: *Audite*, inquiens, *hac omnes gentes auribus percipite; qui ingredi cupitis Regnum DEI: Virginem Matrem honorate, & vitam salutemq; perpetuam invenietis.*

Per Mariã viuificamur.

38. Vt porrò tantò gratiores laudes hujusmodi evadant Deiparæ, curandum omninò, ut Virginis Filios encomiorum ipsius Præcones gratiosissimos, quos Prov. 31. describit Salomon, æmulemur quam studiosissimè: *Surrexerunt Filij ejus, & beatissimam prædicaverunt:* quæ verba expendens Richar. à S. Laur. lib. 2. de laudibus Virgineis partic. 5. *Nota*, inquit, *ordinem verborum: qui enim dignè vult prædicare MARIAM, aut ei seruire, priùs debet surgere à peccato per pœnitentiam, quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Nec dignus est, qui in peccato mortali versatur, vocari tantæ Matris Filius. Filius enim hanc Matrem imitari debet castitate, largitate, humilitate; quia Filius ejus es, cujus facis opera: nam benè Petrus Ravennas: qui Genitoris*, inquit, *non facit opera, negat genus. Vnde Dominus; Si Filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Filij ergo Mariæ sint ejus imitatores in benignitate, in mansuetudine, & misericordia & huiusmodi; quod est currere in odorem unguentorum ejus. Hæres autem huius Reginæ cœlorum erit in futuro, qui Filius eius sic fuerit in præsenti; quia ut ait Apostolus: Si Filij & hæredes. De hac progenie promittit filius Matri suæ: Effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Isa. 44.* Quibus verbis nonmodo Præconum tantæ Reginæ ad vivum dispinxit imaginem, verùm etiam amplissima, quæ eos in æviterno illo cœlorum Regno manent præmia adumbravit.

B.V. Laudator sit ipsius imitator, in humilitate, &c.

39. Idem Vir pijssimus insinuare videtur imitandas nobis in Virgineis extollendis laudibus mentes Angelicas, de quibus Salomon Cant. 6. *Viderunt eam Filiæ Sion, & Beatissimam prædicauerunt.* Videat igitur prius, & mentis oculis sagaciter singularem Dei paræ dignitatem contempletur quivis ejus Filius, & tum demum eandem prædicando, toto terrarum Orbe extollat. Libro verò 6. idem Auctor docet tantæ Virginis Laudatores, ac Filios debere Sanctissimam hanc Matrem cognoscere, & dictante ipsis quâdam naturali pietate, ad ipsius nominis invocationem in omnibus necessitatibus, ac periculis, velut parvulos ad Matris sinum, ad castissima ejus sugenda ubera confugere. Hæc ubera, ait esse, mansuetudinem cordis, contra superbiam, & puritatem, contra luxuriam; quæ ubera sugenda petere videmur, quoties ei dicimus; *Nos culpis solutos, mites fac & castos.* Vbera denique ait esse misericordiam & orationem, quibus nutrit nos, ut verè tali Filio dici possit: *Iacta cogitatum tuum in Domina nostra, & ipsa te enutriet. Ipsa deniq; est Mater surgentium à peccato, alioquin, nisi priùs à peccato surrexeris, nunquam de hac Matre poteris gloriari.* Hæc Richar.

In laudanda B. V. imitandi sunt Angeli.

Vbera B. V. sunt mansuetudo & puritas ipsius.

Surgendũ à peccato ei qui B. V. est laudaturus.

40. Observandum porrò in textu Hebræor. sonare Verba illa: *Surrexerunt Filij, & Beatissimam prædicauerunt: Beatificaverunt & Beatificati sunt;* clarè nobis ostendens Spiritus S. Virginis sedulos cultores ejusdemque laudum Præcones, non tam vitam beatam in hac mortalitate adhuc versantes prælibasse, quàm ejus plenissimam quodammodo fruitionem adeptos; cum Sanctissimam hanc Dei summi Parentem laudando ac contemplando, velut in viva atque animata quadam imagine Deus ipse summum bonum, nostraque sempiterna fælicitas, & agnoscatur, & ametur; quibus creaturæ rationalis omnis vera, ac genuina Beatitudo continetur. 70. verò Interpp. verba illa: Beatissimam prædicaverunt, vertere: ἐπλούτησαν; divites facti sunt. Insinuare nobis volentes tacitè: accumulationem divitiarum, præsertim verò spiritualium, & Virginea-

B.V. Præcones etiã in hac vita quodammodo beatificantur.

B.V. Præcones locupletantur.

MARIAM laudare est thesaurizare.

rum laudum prædicationem, idem omninò esse.

41. Et sanè si honorem deferre Matri, quæ nos in hanc miseram effudit vitam, nil aliud est, eodem Spiritu Sancti attestante, quàm ingentes congerere thesauros: *sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat Matrem suam*, ait Eccl. 3. quantò magis seduli tantæ Matris omnium viventium cultores, ac laudatores, infinitos sibi divitiarum, tàm cœlestium, quàm terrenarum accumulaturi sunt thesauros, si in ejus servitio, pangendisque celeberrimis ipsius laudibus ad extremum, usque halitum vitæ perseverauerint? Audiendus hic rursus devotissimus Virginis Richardus à S. Laurent. lib. 2. de laudibus Virgineis partic. 1. *Honorare Mariam*, inquit ille, *& thesaurizare sibi Vitàm æternam*. Intellexit Sanctissimus Doctor Bonaventura quam plurimorũ bonorum ac benedictionum copia refertum thesaurum indipisci eos, quicunque laudandæ Virgini sedulam suam impendunt operam. Quare illorum spe allectus animam suam ad ejus subinde excitabat laudes Psal 43. *Exulta anima mea, & lætare in illa, quia multa bona sunt eius laudatoribus præparata*; tum ad DEIparararam conversus, inq; eius laudibus, lætitia gestiens, canebat: *Benedicta sis Regina cœlorum, & Angelorum, & benedicantur à Deo laudatores magnificentia tua.*

42. Hinc est quod Sapientũ Antesignan⁹ Salomon hanc increatæ Sapientiæ Matrem, Heroinæ cujuspiã munificensimæ, utrâque manu quandam bonorum omnium Cornucopiam gestantem nobis repræsentet schemate, ut ita quodammodo mortalium, ad Virgini serviendum tantorum bonorum spe, accendatur avaritia ac cupiditas. Postquam enim dixisset Prov. 3. *Beatus homo qui inuenit Sapientiam*, atque adeò æternæ Sapientiæ Matrem. *Melior est acquisitio ejus negotiatione auri & argenti, pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non possunt comparari*: mox attexuit: *Longitudo dierum in dextera ejus, & in sinistra eius divitiæ & gloria.* Quæ verba ponderans Origenes, dum verba illa explicaret Sponsæ Cant. 2. Hõ. 3. in Cant. *Leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, ait æternæ Sapientiæ manum sinistram, in qua sunt divitiæ & gloria, significare Incarnationem, Passionem, ac paupertatem Christi. Dexteram verò; in qua est longitudo dierum, ait esse scientiam eorum, quæ præcesserunt Filij Dei Incarnationem, gloriam nempè, quam ab omni habuit æternitate. Quibus sanè manibus dum adstricta anima Divinis hæret in amplexibus mira Incarnatæ Sapientiæ, rerumq; ab ipsa & in tempore, & in æternitate gestarum cognitione irradietur necesse est. Sed ipsa verba tanti Doctoris audiamus: *Quas habet*, inquit ille, *divitias Ecclesia, & quam gloriam? nisi illas, quas accepit ab illo, qui cum dives esset, pauper factus est, vt illius paupertate Ecclesia dives fieret: quæ autem est gloria illa? Passionis sine dubio, de qua dicebat: Pater clarifica Filium tuum. Passio ergo Christi gloria & divitiæ Ecclesiæ sunt, quæ in leva ejus continentur. Leva ergo ejus, est Incarnatio & Passio, per quam divitias nobis & gloriam quæsivit, omnium scilicet salutem. Hanc ergo Levam Ecclesia, cui Christus caput est optat habere sub capite suo, & fide Incarnationis caput suum communiri. Dextera verò illius amplecti dum desiderat, dum se instrui optat illis, quæ ante tempus Incarnationis in illo fuerunt, ubi nihil de peccatorum nostrorum miserijs, nil de fragilitatis lapsu continetur, ubi tota lux, totus splendor est. Dextra namq; putanda sunt esse omnia, ubi nihil de peccatorum miserijs nihil de fragilitatis lapsu continetur.* Hac igitur dextera ac sinistra, à gloriosissima DEIpara, velut Sponsa castissima nos quoque adstringi cogitemus, quoties ejus laudum encomia prædicamus. Tunc enim nobis utraque manu quodammodo claram lucem illam rerum Divinarum, quam in eis, ad instar Filij tenet absconditam in nos immittit, nosque ejusdem Filij sui. & qua DEVS, & qua homo est cognitione illustrat, nobisque Passionem ejus imitandi, ejus vestigia sequendi, largitur gratiam, sicque utrâque manu liberalissimè nobis amplissima prœmia, pro sibi exhibitis laudum rependit obsequijs. Atque ita revera ostendit longitudinem dierum esse in dextera ejus, & in sinistra ejus divitias & gloriam.

Maria utraq: manu bonorum omnium Cornucopiam gestat.

In sinistra æternæ Sapientiæ est Incarnatio & Passio.

In Dextera utero gloria illa quam habuit ab æterno apud Patrem.

Mariam dum laudamus ejus quasi amplexu stringimur.

43. Longitudinem hanc dierum, denique ait esse Richard: lib. 11. de laudibus Virgin: claritatem visionis Divinæ. Idem lib. 2. de laud. Virg: part. 1. eandem illam exponens sententiã *Seruiendo Mariæ*, inquit, *aquiruntur dies gratiæ & gloriæ. Vnde ipsa seruo suo dicit Prou. 9. Per me*

Mariæ Servi remunerantur & in hac vita & in futura.

me multiplicabantur dies tui, & addentur tibi anni Vitæ, De eisdem Seruis dicitur apud Psalmistam: Dies pleni inuenientur in eis; & in Prouerbijs; Longitudo dierum in dextera ejus, quibus remunerat seruientes sibi ex charitate, & in sinistra ejus diuitiæ & gloria; diuitijs enim & gloria mundana forte remunerantur aliqui ipsi seruientes, cum retributione æterna sunt indigni.

B. V. nullū nostrum obsequiū irremuneratum abire permittit.

44. Quâ in re dulcissimum suum æmulari videtur Filium, qui nullum bonum opus quantumvis exiguum irremuneratum saltem aliqua bonorum temporalium restitutione abire permittit. Quamvis, ut plurimum, ex Sanctorum Patrum sententia, rarò & ægrè admodū contingat, ut quispiam, qui aliquod cultus, vel laudū quantumvis pertenuè Virg: liberalissimæ, ac benevolentissimæ exhibuerit obsequium, in scelera aliqua graviora corruat, æternorumque suppliciorum reus evadat. Siquidem quodlibet ipsius quantumvis tenuè, ac perexiguum obsequium, quælibet ipsius, quæ in ore nostrò resonant laudes, aureâ quædam fræna sunt; quibus nos Divinâ infrenante, ac moderante gratiâ vix fieri, aut rarò possit, ut in perditionis Barathrum præcipitemur.

Laudes B. V. sunt quædam frena, quibus à vitijs refrenamur.

Quare sapientissimè de more jam sæpiùs memoratus, nos exhortatur Richardus lib. 2. qartic. 5. *Laus Virginis quasi frenum sit in maxillis nostris, refrenans nos à vitijs lingua. Vnde & ipsa promittit Laudatori suo. Laude mea infrenabo te, ne intereas.* Isa 48.

Maria Arbor Indica omnia ad vitam necessaria exhibens.

45. Quæ cùm ita se habeant, quis erit mortalium, qui rectæ rationis trutina, hæc expendens commoda, ac fructus, quos Virgo, velut Arbor illa pulcherrima, quæ in Indijs Orientalibus non modo victum, verùm etiam amictum, omniaque ad vitam tolerandam necessaria indigenis subministrare consuevit, quis, inquam, erit, qui eam quotidie, imò & in horas singulas, peculiari quodam studio colendam, assiduèque toto corde prædicandam in animum non inducat suum? cùm ipsa dulcissima vita, suavissimaque hominis respiratio esse videatur. Quis erit qui identidem cum Seraphico Patre Bonaventura animam suam reliquosque mortales omnes ad laudes Deiparæ concinendas non excitabit? *Lauda anima mea Dominam; glorificabo eam quamdiu vixero. Nolite cessare à laudibus ejus, & per singula momenta recogitate eam.* Psal. 145. Quis est qui cum eodem tantorum bonorum indipiscendorum accensus desiderio non illi animitus concinat: *Exaltabo te Mater Filij DEI, & per singulos dies cantabo laudes tuas. Generatio & populi laudabunt opera tua, & misericordiam tuam Insulæ expectabunt: Abundantiam dulcoris tui Angeli eructabunt, & suauitatem tuam sancti pronunciabunt. Laudationem tuam loquetur lingua mea, & benedicam te in sæculum, & in sæculum sæculi.* Psal. 144. Quis, inquam est, qui non se totum Deiparæ celebrandis laudibus, ob tam multiplices titulos, quibus ei obligamur, impendat; siquidem ejus laudes, ipsius Dei laudes sunt, laudes ipsius dilectissimi Filij sunt, in ipsum, obsequijs omnibus, quæ Matri impenduntur, redundantibus. Siquidem hæ Vigineæ laudes Coronæ sunt pulcherrimæ, quibus & eandem coronamus, & ab ipsa vicissim gratijs cœlestibus, sempiternaque gloriâ coronamur; siquidem aureum quoddam Reginæ Cœlorum, varijs distinctum floribus sunt paludamentum; siquidem laudes hæ, incorruptibiles bonorum omnium Thesauros nobis coacervant; siquidem frena sunt hæc Deiparæ præconia, quibus ne in peccatorum Inferni que Barathrum præcipites agamur, continemur. Siquidem denique vehicula, seu triumphales quædam quadrigæ sunt, quibus in Cœlum ad Dei faciem contemplandam fœlicissimè subvehimur.

Maria per singula momenta recogitanda.

46. Et quoniam impares nos tantis, tamque Divinis celebrandis laudibus tantæ Reginæ esse cognoscimus, agamus id quod egisse videmus sæpiùs memoratum Bonaventuram, qui cùm se solvendo Virgini tantô encomiorum debitô minimè sufficientem agnosceret, cœli terræque creaturas omnes, mille quasi Choris ad concinendas pro dignitate tantæ Majestati laudes invitavit; *Laudate,* inquiens summâ animi sui voluptate ac lætitiâ perfusus, *laudate Dominam nostram de Cœlis, glorificate eam in Excelsis. Laudate eam omnes homines & jumenta, Volucres cœli & pisces maris. Laudate eam Sol & Luna, stellæ & circuli Planetarum. Laudate eam Cherubim & Seraphim Throni, Dominationes & Potestates, Laudate eam omnes Angelorum Legiones, laudate eam Ordines Spirituum Supernorum.* Accen-

Omnes creaturæ ad laudandam B. V invitandæ

Accendamus denique nos mutuis ardentissimisque studijs, castissimis amoris exardescentes flammis ad Dei Genitricem colendam, venerandam atque deprædicandam, verbis illis mellifluis æque, atque ignitis Divi Bernardi, summô amoris affectu exclamantis: *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus* MARIAM *hanc veneremur, quia sic est Voluntas ejus, qui nos totum habere voluit per* MARIAM.

MEDITATIO II.



Ontemplare anima mea Virginem Deiparam in Ecclesiæ Paradyso, velut pulcherrimam & amœnissimamque illam Vitæ Arborem à Deo plantatam, ut miseri mortales varios eosque dulcissimos ex ea Vitæ decerpant fructus, vitæ nempe gratiæ, vitæ gloriæ sempiternæ, vitæ denique temporalis longitudinem ac fœlicitatem. Quos vitæ fructus sapidissimos, licet pro innata sibi benignitate, ac facilitate, omnibus suis clientulis liberaliter communicare sit solita, suarum tamen laudum elucidatoribus, qui sese totos ipsius celebrandis laudibus impenderunt, largiori quâdam effusiorique profundere solet munificentiâ, beatiùs esse judicans, cum suo dulcissimo Filio dare, quàm accipere.

B. V. arbor vitæ.

O effusissimam gloriosissimæ Virginis nostræ bonitatem, ò Charitatem in nos ardentissimam, quæ ob levissima nostra sibi delata laudum obsequia, tam pretiosis vtriusque vitæ & temporalis, & æternæ muneribus, innumerisque gratijs, ac favoribus compensare non dedignatur, quasi verò maxima non foret gratia, quod nos dignos, vt ipsam laudemus, reddere non dedignatur. O Virgo Sanctissima, ò Virgo Vita nostra dulcissima, utinam pro hac cœlestis gratiæ vita, quam tuo beneficio hic vivimus, pro vita illa beata, ac nunquam terminanda, laudes amplissimas, tuaque Majestate dignissimas, sine modo, sine termino, nullis limitibus, nullis finibus circumscriptas tibi assiduè decantare digni haberemur. O si nil aliud cogitare, ac meditari in dies, in horas singulas, in momenta singula, quam de tua, toto terrarum Orbe deprædicanda gloria valeremus. O si laudes tuæ, nobis ad instar suavissimæ respirationis, ad instar dulcissimi refrigerij, hujus nostri, varijs cupiditatum ardoribus æstuantis cordis deservirent. O si omnia membra mea in linguas; arteriarum iste assiduus pulsus, ista vitalium animaliumque spirituum ebullitio in continuam tuarum laudum melodiam, ac concentum, tota denique vita mea in tuorum encomiorum interminabilem converteretur Panægyrim! O si cum tui studiosissimo Bonaventura totis vitæ meæ diebus, in prosperis, in adversis, in laboribus, in periculis, in hujus vitæ ærumnis ac calamitatibus, vivo ardentique corde identidem, si non assiduè inter hujus mundi strepitûs, ac tumultûs exclamare possem: *Benedicam Dominam in omni tempore, & non deficiet laus ejus in ore meo, magnificate eam mecum omnes, qui impinguati estis melle, & lacte recreationis ejus.* Psal: 33. Erubesce, & confundere anima mea, coram hac liberalissima ac munificentissima cœlorum Regina, quod tam parcam, ac tepidam te in obsequijs, cultu, ac laudibus tantæ Matri deferendis exhibeas, cùm tamen pro vita illa beata, ac æterna, quâ Deo summo infinitoque bono perfruimur, quamque tibi in laudum suarum præmium, se impetraturam ac daturam pollicetur (vt de vita gratiæ sileam) infinitas illi laudes actionesque gratiarum persolvere tenereris. Agnosco agnosco ò Mater pietatis, & gratiæ, ingratitudinem meam, agnosco ignaviam torporemque meum in laudibus tibi debitis assiduè prædicandis, atque ideò propono coram immensa dilectissimi Filij tui, tuaque majestate, coram tota cœlesti Angelorum, Sanctorumque omnium te assiduè collaudantium Curia, Divinâ aspirante gratiâ, me totum in posterum in tuis amplificandis laudibus, quin imò totas animi mei, corporisque vires quoad humanæ naturæ imbecillitas patitur impensurum & superimpensurum.

B.V. Laus ad instar est respirationis cordis humani.

Optandũ ut arteriarum pulsus vitaliumq; Spirituum ebullitio esset laus continua B.V.


B.V. animi tempore inter prospera & adversa laudanda.

Atque ideò ô Dei Genitrix Sanctissima, atque dignissima me totum quantus sum, tuo obsequio, ac servitio, tuisque celebrandis laudibus & encomijs dedico, ac mancipo, cumque tuo Seraphico Bonaventura tibi ex animo dico: *Nonne, ô Domina, tibi subjecta erit anima mea, quæ Salvatorem omnium genuisti?* Proinde tibi Domina mea clemen-

B.V. Sensus & potentiæ omnes offerendæ in ipsius obsequiũ.

clementissima corpus hoc meum cum omnibus membris atq; articulis, cum pelle, ossibus ac medullis, animam cùm suis potentijs dico ac consecro. Offero tibi memoriam meam, cupioque illam esse tui, tuorumque beneficiorum, vt tuus nobis suadebat Damascenus, promptuarium. Offero intellectum, quem in tuis contemplandis perfectionibus, beneficijsque humano generi collatis, assiduè occupari exopto. Offero deniq; voluntatem omnem, vt eam tui, ò Virgo sanctissima, castissimi amoris ignibus accendas, ejsdemque pravarum ejus affectionum scoriam, ac rubiginem excoquas, totamque in amorem dilectissimi Filij, tuique transformes, adeoque me totum in novum hominem transmutes, vt non alia vitâ, quàm tua, tuique dilectissimi Filij, vita fœlicissima ac beatissima, vivam. Quare te Virgo gloriosissima, Vita vitæ meæ, Vita animæ meæ, vita dulcis & amabilis, Vita omnem ignorans mortem, te, inquam obsecro, atque obtestor, vt nobis omnibus copiosam gratiam, à dulcissimo Filio tuo impetrare digneris, quô labilem hanc, mortalemque in tuis assiduis laudibus transigentes vitam, vitam puram, vitam sanctam, vitam omni prorsus peccati labe emaculatam, vitam denique Angelicæ quàm simillimam, te assiduô cultu ac veneratione, te perennibus laudum encomijs exornando, vivamus; quô tandem miserabili hoc corporis soluti ergastulo, vitam illam beatam, vitam illam æternam, te dilucidantibus, promissam habeamus, ibique te regnantem Vniversi hujus Reginam videamus. Finio tandem cum tibi addictissimo Filio Justo Landspergio, tibique dico medullitus, coram te ad pedes tuos prostratus, affectuquam humillimo: Spes mea vnica post Deum B. V. M. Mater dulcissima atque gloriosissima, offero me tibi, commendo & resigno me ad pedes tuos. Suscipe me in Filium. Esto mihi pia Mater. Impetra mihi vt vitam tuam, easq; virtutes, quibus tu Filio tuo placuisti, pro modulo aliquo, quantum Deo placuerit, imitari teque assiduè laudare merear. Adesto mihi in omni tentatione. Custodi & dirige me, vt in omni bono, & in omni virtute semper proficiam, & in Dei atque tuo servitio pariter atq; amore nunquam deficiam. Amen.

A V E M A R I A.





DISCVRSVS III.

Pulchritudinem omnem, ac Perfectionem Deiparæ absolutissimam fuisse, Divinæ quam simillimam.

Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in te. Cant. 4.

Pulchritudo B. V. ex aqua & sanguine Christi dimanavit



1. Tudiosissimus ac pientissimus cultor ille Virginis Richardus à S. Laurentio, lib. 5. de laud: Virg: quem totum in ejusdem tam interna animi, quàm externa corporis pulchritudine celebranda insumpsit, causam omnem hujusce Virgineæ pulchritudinis excellentissimæ, in preciosissimum Christi sanguinem, aquamque de ejus, transverberati lateris vulnere dimanantem transtulit; quibus copiosiùs, præ cæteris fidelium animabus, vtpote *Primogenita Redemptoris*; quemadmodum eam Seraphicus nuncupavit Bernardinus Senens. aspersa ac lota, admirabilem quandam Divinamque pulchritudinem ac perfectionem, Angelicam omnem, humanamque longè transcendentem, eam sortiri fuit necesse.

Postquam enim præmisisset à DEI Filio Matrem coloratam in conceptione immaculata, per amplioris gratiæ infusionem, adeò vt vel tunc gratiâ plena diceretur. *Contulit enim illi*, inquit, *gratiam fœcunditatis, illibatumq; Virginitatis candorem conservavit, atq; ita ampliatus in ea decor exterior, rubore verecundiæ; decor verò interior ferventiori charitate. Verecundata est enim ad ingressum Angeli, qui in hominis specie apparebat, & ideò turbata est in sermone illius. nam cùm priùs esset, vt verè creditur, non solùm candida, sed candidissima; velut flos lilij, intuens ad se ingressum Angelum in forma hominis rubore roseo creditur superfusa. Ob charitatem verò ipsius dictum est; Dominus tecum, quia qui manet in charitate, DEVS manet in eo.*

Candida B. V. per Virginitatem, rubicunda per verecundiam.

Postquam, inquam, hæc præmisisset, addidissetque Virginem rursus in passione, & Resurrectione Filij, veluti solaribus radijs rebus colorem suum reddentibus fuisse recoloratam, subtexuit: *Notandum*, inquit, *quod ad animas colorandas & quasi picturandas, Christus de precioso sui corporis vase dederit sanguinem & aquam: sanguinem ad rubricandum, aquam ad dealbandum, quia aqua proprium dealbare est ea qua abluit, vt ei assimilarentur, qui candidus, qui rubicundus est, cujus videlicet sanguinis gutta minima plus valuit omnibus creaturis: Sine hac verò coloratione, pallida est, discolor omnis anima, & indigna Christo Domino, spirituali matrimonio copulari. Vt autem color animæ fidelis diutiùs recens perseveret, frequentiùs innovari debet facies animæ, & recogitando passionem Domini aspergi aquâ illâ velut roseâ, ac sanguine, qui de latere ipsius distillavit.* Cùm igitur hac sacrosancta aquâ, & sanguine venustas cujuscunque animæ contineatur, quæ tandem erit pulchritudo DEIparæ, quam Sponsus Cruci adstantem copiosioribus sine dubio hujus aquæ & sanguinis preciosissimi rivulis, velut hortum quempiam amœnissimum, floribus virtutum omnium consitum, irrigavit?

B. V. Cruci adstans copiosiùs aquâ & sanguine Christi aspersa fuit.

2. Hanc porrò pulchritudinem animæ tam eximiam, in ipsum corpus redundasse idem asserit Richardus, citatque luculentissimum Auctoris cujusdam Anonymi testimonium: *De pulchritudine verò*, inquit, *& excellentissima membrorum ejus honestate loquitur quidam sic: Ad membro-*

B. V. corporis pulchritudo ex interiori procedebat.

briorum B. Virg. excellentiam singularem, laudes humanas addere necesse non est, cùm ex vita illius sanctissima, totius virtutis forma resplendeat. Ejus quippe in terris conversatio, & omnibus sanctis imitanda proponitur, & etiam Angelis admiranda efficitur; hac siquidem non solùm delectabat, sed & Divinos provocabat aspectus. Quid enim aliud membra illius erant, nisi quadam spirituales lingua, quas Spiritus Sanctus sui plectro temperans modulaminis, sua præsentia digitis movebat in harmoniam Angelica similitudinis. Idem namq; Spiritus, qui ejus animam sui fervore caloris accenderat, membrorum quoq; officia in eandem habitudinem suspendebat. Vnde nihil aliud in suis motibus resonabat, nisi nectar Divina humanaq; sapientia expressum de illa ineffabili suavitate, quam in Trinitate Majestatis Divina, essentia vnica vel concordia Patri, Filio, Sanctoq; Spiritui communicat. Ad hujus puritatis excellentiam, nullam alicujus Sancti pertingere scimus sanctimoniam, nisi soliùs Maria, qua tantò Divinitati erat vicinior, quantò Spiritus Sancti muneribus ornatior, qui membra ejus veluti in quadam Virginitate, id est, in omnimoda sanctitatis integritate custodiebat, vt nulli omninò subjacerent corruptioni, dum mundana vanitatis, vel carnalis illecebra nulla colluvio sibi aliquid ex eorum vsurparet officio. Hæc ex Anonymo Richardus quibus sanè, simul & semel admirabilem vtriusque hominis Divinamque Sanctissimæ Virginis adumbravit Pulchritudinem, quæ simul unita, si corporeis oculis cerni posset, mirificos amoris igniculos (quod de virtute asseveravit Plato) in omnium animis excitaret. Vnde D. Augustinus lib: 22. de Civit: c. 24. inter reliquas beatorum in cœlo delicias, illam non vulgarem memoravit, quâ sancti mutuo inter sese castissimoque alternæ pulchritudinis, absque vlla prorsus inordinata cupiditate fruituri essent aspectu: *Tempus*, inquit S. Doctor, *venturum est, quando sola invicem pulchritudine, sine ulla libidine perfruemur.*

B.V. membra erant quædam linguæ spirituales à Spiritu S. motæ Angelicũ quẽdam concentum efformabant.

Interna B. V. pulchritudo si videri posset ad castissimum amorem excitaret.

In cœlo SS. beatorum corporũ pulchritudine absque vlla libidine fruẽtur.

3. Hinc cum aliquando Christus Dominus adhuc in hoc mundi exilio solari vellet dilectissimam Sponsam suam Teresiam, inter meditandum Divina, ostendit illi duntaxat benedictas ac sacrosanctas suas Manûs, manûs, inquam, illas, quibus vniversam molitus est creaturam. Quæ adeò ipsi visæ sunt pulchræ ac gratiosæ, vt quemadmodum cap: 28. ipsius vitæ legitur, pronunciârit Sancta, eas tantæ tamque admirandæ fuisse pulchritudinis, vt eam nulla mortalium lingua valeret exprimere. Fecit nimirum benignissimus Dominus illud quod nobilissimus Pictor Zeuxis, qui depingere volens Gigantem, vnicum illius duntaxat in tabella depinxit digitum, cum hac epigraphe: *Ex vngue Leonem.* Quod si solis benedicti Salvatoris visis, manibus Sancta illa Virgo tam ineffabilem vidit pulchritudinem, tantisque cor ipsius delibutum est delicijs; quantis, Devs immortalis, incessura erat lætitijs si Divinissimam ejus faciem in quam desiderant Angeli prospicere conspexisset, vt alia quadam vice illi contigit, in cujus pulchritudinis contemplatione tota penitus in Divinum amorem, fertur absorpta. Idem nobis propemodum de Sanctissimæ Virginis nostræ Divina Pulchritudine censendum est, quæ sicut in suis divinis planè moribus dilectissimi sui expressit imaginem Filij, sic etiam divinissimam ipsius totius oris, reliquisque corporis repræsentavit venustatem. Vnde Nicephorus Callixtus cum Salvatoris totam ad vivum delineasset atque descripsisset imaginem, conclusit tandem: *Persimilis deniq; per omnia fuit Divina & immaculata sua Genitrici;* quæ tantâ tamque rarâ prædita extitit pulchritudine, vt cùm eam idem Nicephorus à capite ad calcem adumbrasset, atque quantum fieri potuit depinxisset, picturam vniversam, hac vnicâ absolvit lineâ: *Vt paucis dicam, in rebus ejus omnibus, multa divinitus inerat gratia.* Inerat revera Virgini nostræ singularis, ac Divina quædam gratia, ac venustas, quæ in illam totius corporis membrorumque redundabat compositionem ac majestatem, adeò vt id de illa jure merito dicere possimus, quod sapientum Coryphæus Plato in Hippia majore, de Dei pulchritudine ac sapientia, dum creaturam conferret Creatori, in persona Socratis, pronunciavit. *Formosissima Virginum DEO collata, deformis esse videbitur. Heraclitus ait hominem sapientissimum ad DEVM, Simiam apparare, quoad sapientiam, & formam, & alia omnia. Item vniversum genus humanum ad Deos collatum, pulchrum minimè esse.* Verè huic Divini Numinis Sacratissimæ Parenti quæcunque Virginum mulierumq; formosissima quantumvis sit Helena, sit Lucretia, sit Esther, sit Iuditha atque adeò vniversi generis humani simul coacta, atque combinata species cum hac

Christi manus visæ à S. Teresia mirificè illam recrearũt.

S. Teresia videns Christi faciem pulcherrimã, amore absorpta.

In B. V. multa Divinitus inerat gratia in omnibus.

Deo pulcherrimæ Virgines comparatæ deformes sunt.

Sapiens Deo collatus Simia est.

Mariæ Virgines pulcherrimæ comparatæ sunt deformes.

tam Divina si conferatur, non forma, sed deformitas erit appellanda. Verè cujuscunque sapientiæ excellentia, ac Pulchritudo cum Matre hac increatæ illius Sapientiæ comparata, non sapientia sed amentia: quivis demum Sapientum omnium sapientissimus, sit Cato, vel Plato, Socrates, aut Aristoteles, sapientissimæ huic nostræ Virgini, in qua velut Domicilio ac Throno æterna novem mensibus resedit Sapientia, si comparetur, non tam sapiens, quàm Simia erit nuncupandus.

Vir sapiés collatus B. V. Simia est.

4. Eximiam hanc Virginei oris totius venustatem perelleganter descripsit Petrus Riga S. Bernardi Syncronus vt videre licuit in M. S. Milstadiensis Bibliothecæ Equitum S. Georgij. Sic igitur ille in Lucam ipso initio, ad laudes Virginis pangendas semetipsum excitās.

Naturæ in ornanda Dei Matre nil superfuit.

Hic Petre fige stylum, tam clara Virginis ortum,
Virtutes, speciem carmine pinge novo.
Tanto compluit hanc Dives Natura decore,
Quod mirata fuit nil superesse sibi.
Non habuit similem, non est habitura sequentem
Terra parens, Phœnix hæc fuit, absq; pari

B.V. Tota pulchra à capite ad calcem.

Vnam nec maculam Natura reliquit in ista,
Ad caput, à planta transvolat iste decor.
Lucidus est crinis, capitis decor æmulus auri,
Non ibi castigant vincla magistra comam.
Frontis planicies albedine certat olori,

B. V. pulchritudinis Phœnix, absq; pari.

Sive nivi, nullo quæ pede trita fuit.
Emittunt geminos oculorum lumina Soles,
Ad quorum cedunt astra minora jubar,
Alba rubens gemino gena picta colore maritat
In se purpureis alba ligustra, rosis.
Candori socio rubor interfusus ibidem

Oculi B. V. gemini Soles.

Militat, à roseo flore tributa petens;
Nasi facturam moderatrix norma venustat
Nec brevis aut longus, sed moderatus erat.
Florum nobilitas, ori contendere puro

Genæ B. V. candidæ & rubicsidæ velut rosæ ac lilia.

Non audet, tantus ridet in ore decor
Non hospes colit ora color, nec fuscus adulter
Inclyta Natura dona juvare potest.
Victores eboris dentes, intellige, nullum,
Tanti candoris India gignit ebur.
Molis corporeæ sustentans fortiter artus
More Columnarum firmus vterq; pedum.

Facies B. V. florida.

Sole nitens Mulier, quam bis sex astra coronant:
Bis sex Discipulos astra fuisse reor.
Mens humilis, flos Virgineus, devotio pura

Dentes B. V. candidi ad instar eboris

Vera fides, certa spes, geminatus amor
His sex virtutes alias, quas Martha figurat
Bis sex astra reor, quæ Diadema tulit.
Virgo tam celebris, tam nobilis exit ad ortum,
Cujus in exortu lux fuit orta reis.

B. V. Mulier amicta Sole, Stellis Apostolorū 12. coronata.

Pauperet artificis ne splendida dona decori,
Aurora certat splendidus oris honor.

Hæc Riga. Quæ sanè Virgineæ pulchritudinis descriptio mirificos/castissimosque sancti amoris igniculos cuique verò Deiparæ clienti apta est in corde succendere, illudque ad se rapere (cùm amor, quemadmodum eum definit Plato in Sympos. Socratis, non sit aliud quàm desiderium pulchritudinis, ex ipsoque pulchritudinis desiderio natum affirmet) verùm etiam ad instar Divinæ pulchritudinis; quæ beatos illos in cœlo sui contemplatores, vt testatur S. Augustinus, pulchros reddit; & in se, admirabili quadam metamorphosi transformare consuevit; dum illos puros, castos, pudicos, humiles, varijsque virtutibus conspicuos reddit, vt suis locis comprobabitur.

5. Et quia Pulchritudinis species descriptas apud varios reperimus varias, priusquàm Deiparæ eximiam consideremus pulchritudinem ac perfectionem, illarum imprimis varietatem, tum definitionem explicemus.

Quatuor potissimum distingui solent apud Auctores pulchritudinis genera, eaque dividunt in Pulchritudinem Corpoream, Sensibilem, Intelligibilem, ac demum Spiritualem. Pulchritudo Corporea secundùm Xenephontis & Galeni lib. I. de vsu partium definitionem, est partium ac membrorum omnium corporis aptitudo, ac constitutio, ad functionem illam aptè exercendam, ad quam destinata sunt à Natura. Sensibilis Pulchritudo ea est, quæ sensu percipitur, estque aptitudo atque proportio, seu membrorum simmetria, cum quadam coloris suavitate. De vtraque hac pulchritudine pronunciavit S. Augustinus lib. 22. de Civ: c. 19. Omnis corporis Pulchritudo est partium congruentia, cum quadam coloris suavitate. Hanc Ioan: Gerson Cancell. Paris: tract: 3. in Magnif: ex eodem Augustino definivit *Pulchritudo est æqualitas numerosa*, hoc est, proportionata partium totius corporis compositio.

Varia pulchritudo.

Quid sit pulchritudo corporea?

Quid sit pulchritudo sensibilis?

De hac præclarè loquitur Tertullianus lib: de cultu Fœm: c. 2. *Accusandus decor non est, vt fœlicitas corporis, vt Divina plastica accessio, vt animæ aliqua vestis vrbana.*

6. Pulchritudo Intellectualis, creaturæ rationalis est propria, sedemque suam in animam ipsam collocat, & hæc aliud nihil est, quam ipsa honestas, vt idem testatur Augustinus: *Honestatem*, inquiens, *dico, Intelligibilem Pulchritudinem.*

Quid sit pulchritudo intellectualis?

Hæc porrò secundùm Stoicos & Socratem in Phedro consistit in Sapientia: Secundùm Platonem in Cratylo, in Pru-

Prudentia & Temperantia; secundùm alios in quadam morum suauitate, ac elegantia, quæ inter loquendum & conversandum cum hominibus elucescit.

Ob hanc Aruernus Sidonius lib. 8. Epist. 3. Apollonium celebravit Thianeum, quod præstantis esset ingenij Philosophus, licet aliàs pilosus esset, ad instar Satyri, verbo, deformissimus: *Vnde venerabili squallore preciosum eundem appellavit.* Hujus, Intellectualis Pulchritudinis gratia formosissimæ extitêre illæ Heroinæ, Penelope, ob pudicitiam, Iulia Pompei Filia, ob fidem; ob castitatem, Lucretia; ob eloquentiam, Hortensia, ob pudicitiam denique Xenocrita. Ob hujus Pulchritudinis carentiam Alcibiades, alijque quam plurimi, licet essent formosissimi, omnibus fuere exosissimi.

Apollonius Thianeus turpis; ob Sapientiã tamé erat venerabili squallore preciosus.

Pulchritudinem hanc Ioannes Gerson Cancellar. Parisien. tractat. 3. in Magnific. Decorem appellare videtur, dum hanc referri ait ad modum, & decentiam gestus, & ornatus cum quadam jucunditate lætitia vel alacritate vultus, gestusque totius corporis.

7. Pulchritudo demum Spiritualis, Servorum Dei, Amicorumque est propria, omnemque aliam longo intervallo post se relinquit. Hujus enim beneficio purissimis illis, ab omni materiæ concretione sejunctis mentibus, quin imò Deo ipsi efficimur quam simillimi.

Quid sit pulchritudo spiritualis?

Hinc Mulier illa Tecuitis sapientissima, Davidem ob Sanctimoniam, quę toto illius ore, oculisque emicabat, vocitavit Angelum 2. Reg. 4. *Sicut enim Angelus Domini, sic est Dominus meus Rex.* Hinc Divus Stephanus ob gratiæ Spiritus Sancti plenitudinem in Concilio illo malignantium Iudæorum, quod ipsum obsederat, licet invidiæ livore tabescerent, & amarissimi doloris gladijs intrinsecus dissecarentur; *Intuentes nihilominus omnes eum, qui sedebant in Concilio,* ut ait Sanctus Lucas Actor. 6. *viderant faciem ejus, tanquam faciem Angeli.*

David ob sanctitatẽ videbatur Angelus.

S. Stephanus ob sanctitatẽ habebat faciem Angeli.

Atque hæc spiritualis animarum sanctarum pulchritudo, ac venustas habituali potissimum Dei Gratia, charitateq; Divina cæterisq; Sanctissimi Spiritus donis atq; charismatis continetur.

Gratia & charitas est pulchritudo Animæ.

Quare præclarissimè summus ille Theologorum vertex Greg Nazianz. cecinit.

Solus Divus Amor formosum reddit amantem.

Et D. Augustinus tract. 32. in Ioan. *Sicut animus facit decus in corpore; sic DEVS in anima; Decus ergo corporis anima; decor animi DEVS. Siquidem, Apostolo teste, qui manet in charitate, in DEO manet, & DEVS in eo.* Atque ita Devm super omnia diligendo, pulchritudo animi comparatur, amor enim Divinus, amantem in se transformat, qui cùm fons & origo omnis cujuscunque tandem etiam absolutissimæ pulchritudinis ac perfectionis sit, consequitur sanè, ut homo tantæ pulchritudinis amans, in eam transmutetur, & ut ita dicam, quodammodo Deificetur.

Amor Divinus nos in Deum transformat.

Amor in rem amatam hominem transformat.

Hanc ob causam sapientissimè D. Augustinus tract. 2. in Epist. 1. Ioan. *Si,* inquit, *terram diligis, terra eris, si Deum diligis, quid dicam? Deus eris; nam Scriptura dicit: Ego dixi; Dij estis. Et alibi: Similes facti sunt, ijs, quæ dilexerunt.*

Atque omnes hæ pulchritudinis ac perfectionis tam Naturæ, quàm Gratiæ species, à supremo illo universorum Artifice Deo, plenâ, quod ajunt, manu, cum infinita quadam cœlestium charismatum abundantia, in Virginem Beatissimam fuerunt congestæ, uti favente Deo ac Virgine, totius operis decursu erit perspicere.

8. Vniversam hanc tam exquisitam, præsertim verò spiritualem illam in Virgine cœlestis Sponsus contemplatus pulchritudinem, admiratione quodammodo suspensus, postquam humanitatem nostram in ejus purissimo utero, velut regali thalamo sibi desponsare decrevisset, eamque ob excellentissimarum virtutum eminentiam, morum integritatem, atque incorruptionem, Virginitatis candorem, Angelicamque puritatem, priùs nomine, ac titulo Libani, collis, ac montis myrrhei decorasset Cant. 4. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem Thuris, seu Libani,* ut legunt alij, tandem ardentissimi Amoris affectu in illud prorupit elogium: *Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in te.* Quo Sancti Patres tam Latini, quàm Græci, imò & universalis Ecclesia ad immaculatam ipsius Conceptionem, omnimodamque tam mentis, quàm corporis pulchritudinem, perfectionemque absolutissimam declarandam

Maria mons myrrhæ & collis Thuris.

uti consuevêre. Quam porrò eximium sit hoc encomium, ostendit Hugo de S. Victor. Ser. de Assumpt. in fine ipsius Operum: *Propter hoc*, inquiens, *tam speciosæ Virginis præconium, pulchrum esse necesse est, in quo laudatur dilecta pulchritudo, & commendatur pulchra dilectio. Ipse Sponsus Virginis, ipse præconium dicit Virginitatis, à quo laudari tantò majus est, quantò eum in laude cujusquam falli minùs, quàm possibile est. Auctor pulchritudinis, & Iudex Veritatis ipse speciem commendat, & approbat Charitatem.*

In hoc Virginis elogio explicando, audite Augustinum: *Tu tota pulchra, & tota formosa, tota delectabilis, & tota gloriosa; Tu maculâ nullâ fuscaris: Tu omni decore vestiris. Tu omni Sanctitate ditaris. Tu super omnes Virtutes sancta in carne. Tu cunctas fœminas vincis pulchritudine carnis, & omnes Angelicos Spiritûs excellentiâ Sanctitatis.*

Audite B. Laurentium Iustinianum Patriarcham Ser. de Nativitate Beatæ Virginis: *Tota pulchra absq; delicto, sine mentis & corporis deformitate, DEO & hominibus amabilis: Sanctitatis pellucidum speculum, pudicitiæ ornamentum, Virginitatis gloria, humilitatis forma, Honestatis rivulus, exemplar continentiæ, Sapientiæ Thronus, Magistra Virtutum, decus hominum, lætitia Angelorum, æterni Patris Filia prædilecta.*

B. V. Magistra virtutum & decus morum.

Maria honestatis rivulus.

9. Audite Richardum de S. Victore cap. 26. in Cant. *B. M. Virgo tota pulchra fuit, quia sanctificata in utero, ab utero quoq; egressa, nec mortale unquam nec veniale commisit, imò ita in gratia confirmata fuit, ut peccatum omninò committere non potuerit. Ex quo Templum Dei facta est, ita privilegiata est, ut nullatenus aliqua macula potuerit deturpari. Tota item pulchra fuit, quia plena gratia, ut nec ullum minimum veniale in ea fuerit, quo minùs in ea locum gratia habere potuerit. Ideò in ea Virtutes perfectæ, & in continuum usum transfusæ, ut nihil aliud quàm bonum saperet, vellet, vel sentiret. Tota igitur fuit pulchra, quia Angelicam in terra adepta est puritatem, & Dei similitudinem in Virtutibus, & Sanctitate, ac morum perfectione, justa, pia, prudens, modesta, misericors, sancta mente & corpore. Meritò igitur prædicatur pulchra, quæ & Divinam & Angelicam similitudinem in terris est adepta. Hæc est ergo interior pulchritudo mentis. Exterior quoq; fuit decor castitatis, candor Virginitatis. Tota quoq; lucida fuit opere, nil tenebrosum habens, vel sinistrum, sed totum lucidum, ac perfectum, ut aliorum aspectibus pateret, exemplo luceret, induta vestitu deaurato virtutum, & circumdata varietate meritorum. Talem Rex cœlestis concupivit, tam decoram, sic vestitâ Sol justitiæ se infudit, in eaq; carne se vestiuit. Nec mirum si lucida fuit, quam splendor gloriæ impleuit, si pulchra fuerit, quæ splendorem lucis in se suscepit. Non est quoq; dubitandum amoris ignem, & interiorem candorem exterius etiam in ea lucere, ut quæ puritatem Angelicam habuit, vultum etiam Angelicum habuerit. Tota ergo pulchra meritò dicitur, quia pulchra facie fuit, pulchra mente, & corpore.* Concludit tandem, seu ultimam virgineæ hujus pulchritudinis, hactenus exquisitis sanè coloribus depictæ Imagini, ducit lineam: *Quia igitur*, inquiens, *tam pulchra, tam multipliciter decora, meritò de Libano vocatur, id est de candidatione.* Hæc ferè Richardus ad verbum de Virginis tam interiori, quàm exteriori forma & venustate pervenustè sanè.

B. V. Angelicã adepta puritatem & Dei similitudinem in terra.

B. V. tota lucida.

Maria habuit vultũ Angelicũ.

10. Alter Richardus à S. Laurent. lib. 5. de laud. elogium illud librans utramq; pulchritudinem animi mirificè extollit: *De spirituali*, inquiens, *pulchritudine Mariæ, quæ consistit in Virtutibus animæ, dicit Sponsus Beatæ Virgini, Matri suæ: Tota pulchra es in opere, tota pulchra es in corpore; & macula non est in te in corde. Tota pulchra es in corpore, per Virginalem castitatem. O quàm pulchra est casta hæc generatio cum claritate! Tota pulchra in corde per humilitatem, quod est esse sine macula. Ideò in figura Mariæ dictum est de Esther cap. 2. Erat formosa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur. Formosa valdè per charitatem, utpote forma Virtutum; Incredibili pulchritudine per insolitam castitatem; inauditum enim erat à sæculo aliquam personam ante B. Virgin: emisisse votum Virginitatis perpetuæ, quod ipsa prima, absq; omni humano præcepto, consilio, exemplo, solâ Spiritus sancti inspiratione emisit, sicut dicit B. Bernardus, & ideò dicitur ejus pulchritudo incredibilis: Quis enim audivit unquam tale? Isa. 66. Verè omnium oculis gratiosa & amabilis extitit: quia humilitatem ejus respexit DEUS; ubi enim amor ibi oculus. Verè gratiosa & amabilis oculis Sanctissimæ Trinitatis extitit, cujus speciem Pater, Filius, & Spiritus Sanctus tantopere desiderat intueri.* Revertere, inquiens, *revertere Sulamitis, revertere ut intueamur te. Verè gratiosa & amabilis in Angelorum omniumq; Beatorum oculis, qui in eam, sicut in Filium*

B.V. Esth. formosa.

B. V. incredibilis pulchritudo ob votum Virg: emissum.

Maria oculis SS. Trinitatis grata.

In B. V. Angeli prospicere desiderant.

Filium prospicere desiderant. Verè gratiosa in hominum oculis, atque amabilis; creditur enim quod nemo ferè eam intueri potuit, dum fuit in mundo, qui eam statim non castissimè adamauit. Tota pulchra es. Quia hanc adumbrauit Iudith, de qua velut de persona ipsius Mariæ dicitur: Non est talis Mulier super terram, in aspectu, in pulchritudine, in sensu verborum. Tota pulchra in corpore & anima, in corpore per incorruptionis integritatem; omniumque sensuum illibatam puritatem. In anima non solùm tota pulchra, per humilitatem, sed perpulchra siue pulcherrima per virtutum omnium perfectam plenitudinem. Vnde & pulcherrima mulierum bis denominatur, ad utramque denotandam pulchritudinem. Pulchra quoque dicitur, vt Luna, hoc est vniversalis Ecclesia. Quicquid enim reliqui Sancti Pulchritudinis habent in parte, habet hæc in toto. Nemo enim Sanctorum inventus est illi similis in humilitate, nemo in charitate reliquisque virtutibus. Verè enim pulcherrima, quæ tot habuit in se pulchritudines, quot virtutes, singulasque in superlatiuo gradu, & ideò verè dicitur Virgo singularis. Virginitas siquidem ab omni immunditia carnis & sensuum ipsam conseruauit immunē, scilicet oculos ejus, ne viderent vanitatem, aures, ne audirent linguā nequam; os ne gustaret, quod gustatū affert mortem, & sic de alijs sensibus. Interim autem humilitas perfectè exclusit ab ea superbiam totius spiritualis vitij genitricem. Talem denique sibi Christus Matrem & Sponsam exhibuit non habentem maculam aut rugam. Hæc ferè omnia Rich. omissis nonnullis de Sanctificatione Virginis post jam contractum, ut ille censebat, peccatum originale.

Nemo aspexit Mariam in mundo quin eam castissimè adamârit.

Maria pulchra ut Luna, hoc est universalis Ecclesia.

Maria omnium Sanctorū virtutes in se habuit.

11. Audite sapientissimum ac Virginis amantissimum Idiotam in sua contemplatione de Beata Virgine capite 2. *Tota pulchra es, ô plusquam gloriosa Virgo Maria. Tota pulchra es in anima per virtutem & charismatum omnium perfectam pulchritudinem. Tota pulchra es in tua conceptione, ad hoc solum effecta, ut Templum esses Dei Altissimi. Tota pulchra es; ex generatione Verbi Divini, qui est splendor paternæ gloriæ, qui est candor lucis æternæ, & speculum sine macula, in quem desiderant Angeli prospicere, cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur. Tuæ gloriosæ animæ nihil unquam adfuit turpitudinis, vitij aut peccati; & nihil defuit spiritualis pulchritudinis, gratiæ & virtutis. Tot enim habuisti pulchritudines; quot virtutes, & singulas in altiori gradu, quam concessum fuerit, post Filium tuum superbenedictum pura creatura. In his namque similem non habuisti, nec es habitura sequentem. In te omnes Virtutes tam actiua, quam contemplatiuæ convenerunt, & præ cunctis creaturis te admirabilem reddiderunt. Per Virtutes actiuas habuisti voluntatem mundissimam, per contemplatiuas mentem purgatissimam. Nemo æqualis est tibi, nemo major te, nisi Deus; quia Spiritus Sanctus superueniens in te, & Virtus Altissimi obumbrans tibi, quæ eras omni Virtutum ornamento prædecorata, pulchritudinem, puritatem, sapientiam, & omnium Virtutum gratiam adauxit & splendorem. Miranda illa obumbratio Spiritus Sancti, quæ te uno momento Templum DEI irradiavit; decoremque tuum manifestavit, & auxit, sicut Sol in semper ornatum thalamum incidens gloriam occultam repentè nobis ostendit & illustriorem facit. Tota igitur pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati, siue venialis, siue mortalis, siue originalis non est in te, nec unquam fuit, nec erit, sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum, cœlestiumque donorum.*

B. V. tota pulchra in Concept.

Virtutes pulchram B. V. reddiderunt.

Mariæ nemo æqualis, nemo maior, nisi DEVS.

Maria templum Dei.

Maria ornatus thalamus Sole irradiatus.

12. Angelicus denique Doctor ser. de Ann. ex Iessæa illa Virga, de cujus radice flos ille pulcherrimus IESVS erat ascensurus, pulchritudinem colligit eminentissimam ac planè Divinam Deiparæ nostræ, ejusdemque Divinam planè vim ac Omnipotentiam in perpetrandis miraculis ac prodigijs. *Notandum*, inquit, *quod Beata Virgo est speciosa, gratiosa & gloriosa. Speciosa ob candorem Virginitatis, ruborem charitatis; cui proinde dicit Sponsus. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra. Speciosa ob rectitudinem Sanctitatis; unde de ea canit Vates Regius: Virga directionis, Virga Regni tui. Speciosa ob benignitatem humilitatis, quam admirati Angeli dicebant: Quæ est ista quæ ascendit de deserto, sicut virgula fumi? Speciosa denique ob flores desiderabilium morum, pulcherrimaque folia dulcium verborum. Vnde ipsi velut figurata Iuditha c. 11. dici potest: Non est talis mulier super terram in aspectu, quoad pulchritudinem, in sensu verborum, quoad locutionem.* De his similibus dicitur Cant. 3: *Ferculum sibi fecit Rex Salomon de lignis Libani; ecce candor puritatis; Columnas ejus; ecce rectitudo Sanctitatis; Argenteas; vtpote quæ cantum dulcem reddunt; ecce dulcedo locutionis, ac verborum: Reclinatorium aureum, ecce humilitas. Ascensum purpureum, ecce honestas morum; media charitate constrauit, ecce charitas. Est ergo ex his Virga hæc speciosa. Est & gratiosa ob multas utilitates.*

B.V. Virga directionis

B.V. Ferculum Salomonis.

B.V. Virga Moysis.

tate. Tum quia mare nobis divisit, id est, mundum, ut transeamus Exod. 14. Tu leva Virgam & percuties, &c. B.V. de Petra quæ est Christus eduxit nobis aquam gratiæ. *Tum quia de petra, quæ est Christus nobis produxit aquam gratiæ ut bibamus Num. 20. Tolle Virgam & loquere ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Tum quia mel dat nobis devotionis, ut reficiamur 1. Reg. 13. Extendit summitatem Virgæ, & intinxit in favum mellis.* B. V. Virga Ionathæ melle illita. *Tum quia per ipsam Diabolum superamus 2. Reg. 23. Cumq; descendisset ad eum in Virga vi extorsit hastam de manu Ægyptij, id est, Diaboli.* M. Virga aurea est signum clementiæ. *Tum quia per illam Divinam Clementiam impetramus. Esther 8. At ille extendit ei Virgam, in qua signum clementiæ monstrabatur. Tum quia deniq; per eam de manibus inimicorum omnium liberamur. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion dominare in medio inimicorum tuorum. De his gratijs & delicijs sciscitabantur admirabundi Angeli: Quæ est ista quæ ascendit per desertum delicijs affluens.* M. Virga Aaron florida. *Est deniq; Virgo Virga gloriosa, quia floruit sine humore, fronduit sine corruptione, parturiuit sine læsione. Ipsa enim est illa Virga Aaron Num. 17. quæ inventa est germinasse, & turgentibus gemmis erupisse flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt. Gloriosa fuit hæc Virga. Tum quia à Magis fuit prophetata: Orietur Stella ex Iacob, & consurget Virga de Israël, & percutiet Duces Moab, vastabitq; omnes Filios Seth Num. 24. Tum quia fuit ab omnibus generationibus beatificata. Deniq; gloriosa fuit hæc Virga, quia ex ea egressus est Flos Christus, qui fuit pulchritudo Sanctitatis, odor benignitatis, & Medicina sanitatis.* Hæc fere D. Thomas de Sanctissimæ Dei paræ nostræ formæ præstantia, quibus ejus virtutes omnes interioremque animi venustatem complexus est. Si enim aliud nil commemorasset, quàm qnod Flos IESVS ex hac Virginea Virga originem duxisset, satis superque ejus interiorem venustatem declarasset.

13. Tanta porrò tamque absoluta numeris omnibus hæc Virginea fuit pulchritudo à cœlesti tantopere prædicata Sponso, ut quia ad Divinam quodammodo, suâ plusquam Angelica puritate, morumque incorruptione, quæ hominẽ efficit Deo proximum, accedere videbatur, nil in ea omninò repræhensibile reperiretur. Quare 70. Interpp elogium illud præclarissimum Sponsi transtulerunt: *Tota formosa es proxima mea, & reprahensio non est in te.* Vbi extremæ particulæ sonant: In B. V. nil repræhensibile invenitur. *καὶ μώμος ουκ ἐστιν ἐν σοί*; ad verbum. *Et Momus non est in te.* Quo Sponsi encomio Deiparæ eminentissima prorsus, atque incomparabilis pulchritudo tam corporea, quàm Sensibilis, Intelligibilis, atque Spiritualis denotatur. Adeò enim illam eximiam extitisse deprædicat Sponsus, ut quantumvis à quocunque Critico, vel Zoilo, vel ipso Momo (quem nè ipsis quidem Dijs canino suo dente, mordacique reprænhensione pepercisse fabulantur Poëtæ) accuratissimè consideretur, nil omninò quod reprænhensione dignum foret, sit reperiendum. Momus nil habet quod in B. V. reprænhendat.

14. De Momo hoc ejusque infœlici partu scribit Hesiodus, ejusque Matrem Noctem teterrimam fuisse canit, quæ ipsum unico partu, cum Ærumna, velut gemellos infœlices in lucem effudit inauspicatissimè.

Nox obscura parit, nulli commixta Deorum
Post primos Momum, simul Ærumnamq; dolentẽ.

Adeò Momus hic effrons, adeò livido suo dente mordax extitit, ut Jovem Deorum summum, Vulcanumque reprænhendere, atque arrodere sit ausus, quod in hominis pectore fenestellam quampiam Crystallinam non posuissent, per quam intimos hominum sensus, cogitationesque rimari, penetrarique possent. Momus Iovem & Vulcanũ informatione hominis reprænhendit. Idem hic, Tauri molitione expensa, eundem Iovem carpere, ut ait Lucianus, non dubitavit, quod cornua non in frontis vertice, sed immediatè supra oculos, quo faciliùs oculorum secutus aciem, obvia ferire posset, ipsi indidisset.

Tanta fuit in Momo hoc malè dicendi ac carpendi libido, ut Deam illam quæ venustatis, ac pulchritudinis inter Deos obtinebat principatum, arroserit. Momus Veneris crepidas quod stridèrent reprænhendit. Cùm enim eximiam illam ipsius curiosiùs speculatus esset formam, nihilque reprænhensione in illa reperisset dignum, in crepidas tandem lividum dentem, stridulas illas esse ganniens infixit. Ad quod allusit S. Gregor. Nazianzen: in Poem. de præceptis ad Virgines, ubi Virginem ad modestiam, morumque compositionem ac profectum in virtutibus, ad vitam denique irreprænhensibilem, vitam, inquam, hujusmodi, quam nec meritò Momus posit carpere, exhortans, sic cecinit.

Ad cætera magno
Tende gradu semper scandens spectansq; priora,
Stare loco mala res: Ergo torpore relicto
Vt capias propera, donec virtutis ad arcem
Supre-

Supremumq; gradum perveneris, auspice Christo.
Advigila ne te Momus, sceleratáq; lingua
A tergo incautam feriat famamq; veneno
Inficiat; laudesq; tuas, carpatq; malignè;
Namq; duplex, duplici vita est obnoxia probro:
Altera criminibus gravis est, nec dispare fine
Clauditur. egregium contra tenet altera cursū.
Tandemq; optatus sicut decet exitus illam
Excipit. At Momus petulans arrodit vtramq;
Dente pari. quid enim lingua præstantius esset
Pectore, si tantùm morsu vitiosa protervo
Impeteret? Verùm nullo discrimine in omnes
Evomit hac rabiem quare prudenter vtramq;
Explorare tuum est, ac totis viribus illam
Effugere in sceleratasuum, quæ pectora virus
Diffundit, puramq; tueri à crimine mentem
Comoda quod linguis furialibus arma ministrat.
Altera quæ Rectis lacerat malus hostis Alumnos
Non mage te turbet, quàm vis asperrima venti
Æquoreos agitat scopulos, vndæq; minaces
Quam facile infringit petra firmissima moles.

Momus tam bonos quàm malos arrodit.

Idem S. Doctor Virginem eandem erudiens, vt sese inter domesticos parietes, ad solatium parentum contineat, quo Momi malignos oculos possit evadere; non multis interpositis, sic hortatur.

Illis convivere nulla
Invidia est, oculos nec ob id tibi Momus acerbos
Injiciet, soleas non rarò stridere dicens.

In B. V. pulchritudine nil repræhensibile Momus invenit.

15. Cùm igitur Divinum Sponsum Virgini nostræ dicentem audimus: *Reprahensio non est in te, Momus non est in te*, clarè docet tantam tamque eminentem vtriusque hominis pulchritudinem esse, hujus Amicæ Divini Numinis singularis, hujus Deo Proximæ, velut omnis pulchritudinis inexhausto fonti, vt ne ipse quidem Momus, ne minimùm quid quod repræhensione foret dignum reperire possit.

Et licet Clemens Alexandrinus lib: 7. stromatum probare volens fidem Christianam veram synceramque esse, etiamsi in ea hæreses, velut inter triticum pullulent zizania: hujusq; assertionis rationem reddens, pronuntiaverit: *Quicquid est pulchrum sequitur Momus*; in Virgine tamen beatissima tam eximia, tam Divina totius animi potentiarumq; omnium, totius item corporis, sensuum, membrorumque omnium fuit pulchritudo ac venustas, vt nec ipse quidem Momus mordacissimus, qui pulchra omnia insectatur arroditque reperire potuerit quod repræhenderet.

Momus pulchra arrodit.

Et quamvis in turpium amorum Matre, quæ ab ipsa venustate nomen invenerat crepidas saltem arroserit: in Matre tamen pulchræ dilectionis (quæ de se, vt ait Gerson Cancellarius tractat. 5. in Magnif. præconium hoc prædicat) ne ipsa quidem ejusdem pulcherrima calceamenta, præservationem videlicet à peccato Originali, quod illa, velut Tartarei illius sepentis caput contrivit, arrodere attentavit. In ipsa enim verissimè effatum illud Divinæ Majestatis, juxta communem Sanctorum Patrum consensum verificatum est. *Ipsa conteret caput tuum.* Genes: 2.

B. V. calceamenta sunt Præservatio à peccato Orig.

16. Hoc pulcherrimum Divæ Virginis calceamentum, siue ab originaria labe præservationem demiratus Sponsus, summâ exultans lætitiâ in præclarissimum illud prorupit elogium, Cant. 5. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis Filia Principis?* Quod accuratè de more expendens Religiosissimus ac pijssimus Rupertus Abbas lib: 6. in Cant. *Idcircò* inquit, *Ancilla, nempè Eva, quia discalceatis pedibus incessit, calcaneum Serpens momordit. Tu autem ò Filia Principis benè calceata caput serpentis contrivisti. Tu maxima ò Princeps & Domina, singularis dilecta, vna columba mea, vna Genitrici suæ, videlicet generationi libera, generationi non carnis, sed fidei, quæ me virum non de carne viri, sed de Spiritu Dei concepisti & peperisti.*

Eva velut serua discalceata fuit. ideò Serpens arrosit ipsius calcaneum.

Iure igitur meritò idem cœlestis exclamat Sponsus: *Tota pulshra es amica mea, & macula, siue Momus, sive reprahensio non est in te;* cum nil penitus in hac forma planè cœlesti, planè Divina dignum vllâ repræhensione à capite ad calcem reperiri pössit. Quare præclarè Petrus Riga, de hac absolutissima, totalique Virginis Sanctissimæ cecinisse visus est pulchritudine, Commentarijs suis in Cantica dum idem illud expenderet elogium:

Lingua, mente, manu resplendes tota corusca,
Mortalis macula nulla nigredine fusca.

17. Hanc ob causam S. Apostolus Iacobus in sua Lyturgia, inter reliqua Virginis præconia, illud numerat celeberrimum: *Dignum est, vt te beatam dicamus DEIparam, semper beatam, & omnibus modis irrepræhensam.* Quæ vltima particula in Originali Græco perinde sonat atq; sine Momo; quod nil vnquam in ejus sanctissimis vitæ purissimæ moribus Momi repræhensione dignum inveniri vt jam supra diximus potuerit. Atque ita Virginis nostræ quæcunque tandem pulchritudo sive corporea, sive sensibilis, sive Intellectualis, sive Spiritualis, à quocunque etiam mordacissimo Momo

K quam

quam curiosissimè consideretur, erit prorsus irrepræhensibilis; testimonium de cœlo perhibente Sponso contra eos qui velut Momi in cœlum hoc ponere sunt ausi os suum: *Tota pulchra es amica mea, &c.* Quod sanè Divinum testimonium vel ipsi Rabbini ante ipsum Dei Filij in mundum adventum de pulchritudine Matris Messiæ, ejusque immaculata conceptione intellexerũt, quemadmodum id doctissimè ostendit Doctissimus Petrus Galatinus lib: 2. de Arcanis Cathol: verit. c. 4.

Rabbini intellexêre B. V. Matrem Messiæ totam pulchrã absq; macula Originali futuram.

O quam longè meliùs Aristeneti Epist. 1. de nescio qua miræ venustatis puella, conscriptũ elogium in laudem Virgineæ hujus pronunciari posset pulchritudinis: *Quanta sermonis ejus suavitates? quam fœcunda lingua est? Vt gratiarum Zona præcincta dulcissimè risum fundit? Ad hunc modum florentem opibusq; ac formâ spectabilem ne minimum quidem mordere potest Momus.*

18. Neque verò eximia hæc Deiparæ pulchritudo in ætate duntaxat juvenili mirificè, tam in anima, quàm in corpore efflorescebat; effloruit in omni omninò ætate, & ita effloruit vt prorsus esset irrepræhensibilis. Vnde ex Hebræo textu illud; *Tota pulchra es;* vertitur ad verbum: *Omnis tu pulchra;* innuere volens Spiritus sanctus Virginem nostram in quacunque temporis differentia, in quacunque ætate (qua homo nescio quâ ratione in se plures personas velut in Scena repræsentare videtur) totam semper tam animo, quàm corpore extitisse pulchram, nec vnquam repertum Momum, qui exquisitissimam hanc, imò Divinissimam repræhendere ausus sit pulchritudinem, etiamsi in varia ætate Virgo varias variarum quasi formarum induisse visa sit personas: Præclarè enim Seneca lib: 3. de Benef: *In vno homine, plures, temporis, & ætatis differentia facit.* Atque ita in omni sive juvenili, sive senili hujus Virginis singularissimæ ætate affirmare meritò possumus, omnem pulchritudinem ipsius, nullum vnquam sensisse defectum, sed majus in dies sumpsisse incrementum: nec vllo vnquam tempore Momum tantam, tamque raram pulchritudinem repræhendendi, atq; arrodendi justam arripere potuisse occasionem. Verè enim animatum hoc summi Regis Palatium ita sapienter, arte planè Divinâ, à supremo illo Vniversi totius Architecto extructum est, vt nec in primis Conceptionis ipsius fundamentis super eminentissimos sanctitatis Angelicæ montes, admirabili Spiritus S. Magisterio jactis, nec in tota animi corporisque fabrica, omni ex parte, omnibusque perfectionis numeris absolutissima, atque pulcherrima, insolens ille Deorum censor Momus invenire quod carperet, ac repræhenderet.

M. in omni sua ætate fuit irrepræhensibilis.

M. in sua Concept. irrepræhensibilis.

19. Sive enim annos, sive ætates hujus Virginis singulas consideremus, semper illi summo cum applausu acclamare possumus: *Macula non est in te, Momus non est in te, reprahensio non est in te.* Qui enim fieri potuit, vt in infantili ætate cùm existens trimula sese Divinæ Majestatis quam promptissimè mancipavit obsequijs, votumque Virginitatis, quod in vtero Matris, exemplo ad illa vsque tempora inaudito emisit, & postea renovavit, qui, inquam fieri potuit, vt Momus quidpiam in ea arroderet, cùm eam SS. Patres æque Græci, ac Latini in Templo illo reliquis Virginibus lucidissimum omnis virtutis ac sanctimoniæ Speculum extitisse fateantur? Vnde hanc ob causam in Sancta Sanctorum eam introductam fuisse censuerunt.

M. in sua Infantia irrepræhensibilis.

20. Quid in illa ætate repræhensione dignũ Momus reperire potuit, quando tantâ virtute ac sanctimoniâ resplenduit, vt digna quæ ab Angelo gratia plena salutaretur, inque Dei ter Optimi Maximi Parentem eligeretur, habita sit? Quid in Virgineo suo purissimoque partu, in quo velut Aurora nitidissima Solem Iustitiæ pariens, tantis Divinæ pulchritudinis splendoribus fuit irradiata, vt eos toto terrarum Orbe longè latèque diffuderit, Momique teterrimæ noctis Filij tenebras omnes, quas illi offundere tentabat, effugârit? Quid in Purificatione ipsius purissima, tam profundâ humilitate, tam exactâ obedientiâ, tam innumeris alijs virtutibus exornata? Quid toto illo triginta annorum spatio, quo Filio dilectissimo omnis sanctitatis ac puritatis exemplo convixit, Momus ille carpere potuit, cùm ipsa de se dicat: *Et in habitatione sancta coram ipso ministravi?* Quæ verba Richardus à S. Laurent lib: 2. partic. 6. accuratiùs trutinans, ait esse vocem Virginis, quæ in sancta habitatione, hoc est, munda & à terra elevata conversatione in Nazareth coram Filio ministravit. *Qui enim immundi sunt,* inquit ille, *& appeten-*

M. in Iuventute sua irrepræhensibilis.

M. in Nazareth habitando cum Filio in dies reddita pulchrior ac sanctior.

tes

tus, plùs æquo terrena atq; in terra conversantes, in sancta habitatione non ministrant. Ministravit porrò Virgo sanctissima in sancta illa Nazareth habitatione, coram ipso Filio, habens purum desiderium ipsi placendi, & in cœlis conversandi. Coram ipso, nil aliud quærens simpliciter in sua justitia facienda, suaq; vita sanctè traducenda, quàm ipsum. Coram ipso, strenuè operando, siquidem omnia sunt aperta oculis ejus. Coram ipso, in ejus beneplacito reverenter coram tanto Domino humiliterq; ministrando, ostendens reverâ se Ancillam, & statu minorem ab eo, quàm longissimè. Minister enim dicitur, quasi minor statu; & ministrare, quasi minorem stare, vt idem Auctor sapienter ethymologizat. *Ministrare ergo*, concludit tandem, *in continua mentis & corporis munditia, est in sancta habitatione ministrare. coram ipso, in ejus conspectu, eum jugiter per rectam intentionem aspiciendo;* Quibus sanè actibus interior præsertim Virginis pulchritudo, in momenta singula majora semper sine dubio capiebat incrementa. Quid denique in Virgine nostra totius vitę decursu ad extremam vsque periodum repræhensibile Momus invenit? quæ in se pulchritudinem illam cœlestis Hierusalem, Angelorum nempè Cherubinorum ac Seraphinorum, omniumque reliquarum Beatarum mentium puritatem ac sanctimoniam, dum adhuc in hac mortali vita degeret perfectissimè, & longè excellentiori gradu in se expressit; Vt meritò illi dixerit Sponsus: *Pulchra es amica mea, suavis & decora sicut Ierusalem.* Cant. 6. v. 3. Quare jure merito Timotheus Presbyter Hierosf. Orat: de Purif: B. V. eam sanctissimam DEI Matrem, omni repræhensione, & noxâ majorem, excelsioremque appellavit. Virginem item modis omnibus inculpatam ac Sacrosanctam. Adeò interna animi Divinissima illa puritas ac Sanctitas, genuina animarum pulchritudo, quæ mentis etiam facies meritò dici potest; toto ore, oculisque Virginis emicabat, ac velut in tersissimo Speculo relucebat; O quam præclarè Dionysius Carthus: pronunciavit: *Non solùm anima, sed & corpus cœlestis Puerpera, ex conceptione, deportatione, generatione, & educatione veri DEI supernaturaliter, & inenarrabiliter Divinum effectum est, & velut DEIficatum. Vnde ista præconia etiam de corpore & membris seu partibus corporis Divinissimæ Virginis accipi possunt;* Addiderim ego multò magis de augustissima ejus facie, quæ adeò Divinitatem quodammodo spirabat, vt reliquis corporis partibus pulchritudinem omnem adimere videretur.

B. V. omnibus Sanctis sanctior ac pulchrior.

21. Quare quod Seneca Epist: 33. de pulchritudine hac exteriori corporis sapienter pronunciavit: *Non est formosa mulier, cujus crus laudatur, aut brachium, sed cujus universa facies admirationem singulis partibus adimit;* idem potiori jure tam de elegantia Virginis corporea, atque externa, quàm de illa interiori animi, sentiendum est, cùm ejus Sponsum in ipsius elogia excurrentem audimus: *Tota pulchra es &c.* Sive: *Omnis tu pulchra es.* Non enim hoc dicere potuisset, si aliqua pars dumtaxat corporis, aut animi pulchra foret; & nisi vniversa facies tam hominis exterioris, quàm interioris admirationem reliquis partibus ademeret, vt verè in Virgine nostra ademit. Præclarè enim jam memoratus Seneca in suis Proverbijs: *Sicut formosa pictura est, in qua nulla pars errat: Sic & formosus homo habendus est, in quo nulla pars peccatis fœda est.* Talis nimirum pictura, & Divinitatis Imago, nullâ vel Originalis, vel venialis aut mortalis sceleris labe inquinata Virgo nostra est, vtpote quæ ab ipso sapientissimo mundi Opifice proprijs ejus manibus efformata fuit, adeò vt B. Andreas Cretensis Episc. Orat: 2. de Dormit: DEIP: illam, quasi digito ostendens, edixerit. *Hæc est à DEO sculpta Statua, benè depicta supremi Archetypi Imago.* Vnde nulla ej⁹ pars, vlla vel minima peccati macula defœdata esse potuit; cùm ab ipsis incunabulis, imò primis illibatæ Conceptionis initijs, in DEI Matrem electa fuerit. Quare sive corpus, sive mentem Virgineam spectemus, omnibus sanctitatis, puritatisque numeris absolutissimam esse oportuit. Non enim cadere potuit in Virginem, quod contingere sæpè solet in hominibus, quos sub formoso velamine corporis, animos fœdissimos, varijs sceleribus commaculatos habere experimento didicimus.

Omnes partes corporis Virginei pulchræ fuerunt; sed maximè facies, quæ reliquis membris pulchritudinem ademit.

22. Vnde apud Severinum Boëtium lib. 3. de Consol. Philos. Prosa 8: præclarè pronunciavit Aristoteles: Si Lynceis oculis homines uterentur, ut eorum visus obstantia penetraret, nonné introspectis visceribus, illud Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus, turpissimum videretur? O si lynceis oculis in contemplanda Virgine nostra glorio-

Lynceis oculis in interna Virginis pulchritudine contemplanda vtendũ.

gloriosissima prædit essemus, ut non superficiè dumtaxat corporis, verùm etiam intimè mentis ipsius formam, ac elegantiam, virtutum concinitate, plenitudine gratiarum, ac charismatum constantem, omnemque Angelicam humanamque Naturam, plurimis parasangis transcendentem intueri possemus; omnes denique vitæ illius Sanctissimæ partes, acutissima mentis indagine penetraremus, partes, inquam, tam eas, quæ sub aspectum cadunt, quàm eas, quæ illum effugiunt, ut est animi ipsius facies, Angelicâ, longè venustior, ut est etiam immaculata ejus Conceptio; in Annæ Matris utero novem mensibus commoratio, in qua diebus singulis imò horis ac momentis, majora semper ac majora virtutum omnium ac gratiarum capiebat incrementa; cerneremus profectò mirificam, perfectissimamque DEIparæ in omni prorsus ipsius ætate à primis vitæ ipsius sanctissimæ exordijs, tam corporis, quàm mentis pulchritudinem, atque elegantiam, simulque intelligeremus quam verè à Divo Ambrosio enunciatum sit lib. 2. de Virginibus, ipsam ejus corporis speciem simulachrum fuisse mentis, figuram probitatis, adeò ut in ipso speciosissimo corporis habitu veluti mentis lucidissimo speculo, animæ quoque venustissimam formam, Lyncium instar penetraremus.

Corporis B. V. species simulacrum fuit mentis.

23. Geminam hanc formam admiratus Sponsus ac Filius, in illa elegantissima prorupit elogia, Cant. 1. n. 14. *Ecce tu pulchra es amica mea, & ecce tu pulchra!* Quibus verbis ostendit se non modò ob subtilitatem visus similem esse capreæ, ut eum Cant. 2. Sponsa laudat, verùm etiam Lynci, dum ea quæ intrinsecus in anima illa purissima atque Sanctissima delitescunt, sibi perspecta esse ostendit. Quamobrem jure totam pulchram, in omni vitæ suæ parte, usque dum ex hac vita, emigravit intrinsecus atque extrinsecus in anima, & corpore deprædicat, utpote non Lynx, sed Scrutator renum & cordium omniscius DEUS, vincens scientiam nostram, cujus oculi super Solem, terræ viscera suis influxibus penetrantem sunt lucidiores. Vnde B. Amadeus Hom: 7. de laud: Virg. totalis hujus venustatis à Sponso agnitæ, idem illud trutinans elogium, hanc luculentissimam affert rationem: *Quia*, inquiés, *pulchra in cogitatu, pulchra in verbo, pulchra in actu, pulchra ab ortu, usq; in finem, pulchra in conceptu Virgineo, pulchra in partu Divino, pulchra in rubore passionis meæ, pulchra in insigni candore resurrectionis.* Agnovit & Hugo de S. Victore Serm. 9. de Concept. in Institut: Monasticis Sponsum plusquàm Lynceis oculis in totali hac Virginis Matris penetrandâ pulchritudine pollere, dum ita eam alloquitur: *Tota pulchra es. Pulchra es intus, pulchra es foris; intus in corde, foris in corpore; intus rubicunda, foris candida, utrobiq; composita. Rubicunda per charitatem, candida per castitatem, composita per humilitatem. Totum quod in te est, pulchrum est, & nihil inest tibi, quod sit sordidum. In toto grata, in nullo ingrata, in toto places, in nullo displices. Tota pulchra es, pulchra per naturam, pulchrior per gratiam, pulcherrima fies per gloriam.*

B. V. tota pulchra in cogitatione, verbo & omni actione.

Idem Vir hic Venerabilis Serm. de Assumpt: librans alterum illud Sponsæ elogium, redditum gratitudinis ergo, ipsi Sponso Cant. 1. *Ecce tu pulcher es Dilecte mi & decorus;* Sic DEI Filium in Matris suæ sacratissimæ laudes excurrentem, eique vices rependentem, pulchritudinemque ipsius spiritualem à se profectam, rimantem introducit: *Ego totus pulcher, & tu tota pulchra, ego per naturam, & tu per gratiam. Ego totus pulcher, quia totum quod pulchrum est, in me est; tu tota pulchra, quia nihil quod turpe est, in te est.*

Laudes mutuæ inter Filiam & Matrem quibus pulchritudo ipsorum commendatur.

24. Rupertus Abbas denique lib. 1. in Cant. Sponsum intimè Matris suæ pulchritudinem hanc spiritualem, aspectu suo plusquam Lynceo penetrantem donaque ac charismata Spiritus Sancti quæ toto ore, oculisque spirabat commendantem introducit: Postquam enim idem illud Virginis Matris citasset elogium: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum;* mox in eadem persona Filij hæc attexit: *Pulchra decore Virgineo, pulchra unigenito Filio. Taliter geminata, nullius unquam fuit, nullius unquam erit pulchritudo.* Vbi Virginitatem tam mentis, quàm corporis, singulari fœcunditati, dono DEI Filij, sociatam, nulli hactenus communicatam, nec in posterum communicandam, tanquam singulare privilegium dilaudat, quo sanè mirifica hominis utriusq; venustas continetur. Pergit in eisdem encomijs mox Sponsus: *Adhuc addo istud pulcherrimum: Oculi tui Columbarum;* ut ostendat totam hanc pulchritudinem ab ipsius gratia profectam: *Quinam*, inquiens, *sunt oculi*

Oculi columbarũ sunt dona Spiritus S. quæ super Matrem requieverunt ac Filium.

oculi columbarum? nisi dona septem gratiarum, id est septem spirituum super me requiescentium. Septem namq; oculi, qui juxta Zachariam in vno lapide sunt, septem sunt Spiritus DEI, qui juxta Isaiam super Florem requiescunt. Isti oculi mei, sunt oculi tui, oculi columbarum, oculi omnium gratiarum, vel spirituum, quorum tu effecta es particeps, ex quo me castis visceribus suscepisti, super quem requiescit, in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Idem Rupertus rursus elogium illud Sponsi à Matre prædicatum considerans sic eam Filium alloquentem, officijs mutuis decertantem, pulchritudinemque suam illam totam eidem attribuentem facit: *Dicis mihi Sponse: Ecce tu pulchra es; & ego dico tibi: Ecce tu pulcher es, ex quo ego pulchra facta sum, ex eo & tu, qui semper pulcher fuisti, pulchrior factus es. Nam verè in eo pulchritudinem tuam adauxisti, quod cùm DEVS esses, homo dignatus es fieri. Hinc tu pulcher, & decorus. Ita pulcher, vt sis ipsa substantia pulchritudinis, ita decorus, vt sis ipsum decus humani generis. Quod ergo ego pulchra sum, totum tibi attribuendum est. Neq; enim Virga floris, sed Flos Virgæ pulchritudo est.* Sic ille. Ex quibus sanè colligimus Divinam quandam, florentissimamque atque absolutissimam DEIparæ fuisse in utroq; homine venustatem, siquidem à Flore illo Divino, qui de se loquebatur Cant. 2. *Ego flos campi, & lilium Convallium;* ipsi plenâ manu communicata fuit, vt tanti Filij dignissima Mater efficeretur.

B. V. pulchritudinem suam attribuit Incarnato Verbo.

25. Quæ sanè adeò cognitu difficilis, incompræhensibilis, atque impenetrabilis est, ut ipse ejus Filius non semel de hac interna ejus forma, propemodum Divina, fassus sit, ineffabilem esse. Postquam enim Cant. 4. dixisset admirabundus: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra, oculi tui columbarum;* mox adjuxit, ostendens impenetrabilem esse: *Absq; eo quod intrinsecus latet.* Et rursus faciei ipsius, genarumque pulchritudinem (quam S. Bernardus in illud Cant. 1. *Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis*, rectam puramque, Divinæ gloriæ in omnibus cogitationibus, verbis, & actionibus, intentionem appellat) considerans Sponsus, ipsius decore captus, ita laudes ejus prosequitur Cant. 6. *Sicut cortex mali Punici, sic genæ tuæ, absq; occultis tuis.* Vbi per illud: *Absq; eo quod intrinsecus latet*, & per occulta Virginis, intelligitur inenarrabilis, occulta, intusq; latitans, ejus animæ, quæ sub aspectum mortalium cadere minimè potest, pulchritudo, nulli etiam Angelicæ menti compræhensibilis. Sed uni dumtaxat Filio, qui eam tam effusa liberalitate dilectissimæ Matri communicavit. Vnde Ioannes Cardinalis Halgrinus illud: *Absq; eo quod intrinsecus latet;* sagaciter interpretans, inquit: *Quod soli DEO cognitum est, nemini manifestum. Nam quanta sit species Beatæ Virginis ille solus novit, qui dedit.*

Interna Virginis pulchritudo inperscrutabilis ac ineffabilis.

Quod intrinsecus latet in Virgine, ejusq; occulta, est interna animi venustas.

Internam animi pulchritudinē in anima latentem B. V. accepit in Concept. Filij.

Pulchritudo animæ interna Virgin: soli DEO cognita qui eam ipsi communicavit

Cœlius denique Pannonius Ordinis S. Pauli primi Eremitæ illustre Sydus per illud quod intrinsecus latet commentarijs suis M. S. in Cantica, virtutes interiores, ut fidem intellexit: Quid est hoc, inquiens, quod intrinsecus latet? fides forsitan quæ per charitatem operatur, quod primum est, & primò necessarium, primò purificans corda. Act. 15. Quatenus triplex in ea pulchritudo numeratur, videlicet externæ modestiæ, & bonorum operum, item interni affectus & rectæ intentionis. Quis sapiens & intelliget hæc? DEVS bone, quantum veræ lucis ac deliciarum in illis latebris est, quantus excessus in recessibus. Vtinam me tales concludant latebræ, tales recessus abdant. Nolo audaci sermone arcana nudare, nec procaci linguâ species occultas Sanctæ Sanctorum retegere; minus mundis Sanctum Manna, attrectare manibus, quod aurea continet urna, nempe corpus illud purissimum, omni auro mundiùs, in quo latet abscondita gloria, & pulchritudo Filiæ Regis suavissimæ ac dulcissimæ Virginis, quæ ab intus est.

Dionysius Carthus. art. 15. in Cant. Speciem hanc Virginis in anima latitantem, & à cœlesti Sponso mutuo acceptam, tunc vel maximè cùm in ejus purissimo utero Verbum caro factum est, attentiùs considerans, admiratione ob tam Divinam, formæ spiritualis præsertim, excellentiâ attonitus, postquam ejus Sponsi jam memoratum recitasset elogium, ita fatus est: *Tantò planè pulchrior cæteris universis, quantò in omni gratia, virtute, dono, beatitudine, fructu perfectior: Tantò purior, innocentior, & ab omni culpa immunior, quantò fonti totius pulchritudinis, & decoris propinquior, vtpote vera Mater illius. Imò tam pulchra, quod fons ille superpulcherrimus concupiuit decorem istius, tamq; delectabilis & jucunda superspeciosissimo Vnigenito Patris æterni ad intuendum, ad conuiuendum, ad dili-*

gendam, ut in ea, & cum ea, præ cunctis commorari & conversari elegit in terris. Et sicut ille speciosus formâ præ filijs hominum: Sic ista est speciosa præ filiabus, ergo & præ filijs hominum post unicum Filium suum, cujus oculi columbarum, id est maximè columbini, pudicissimi, plenissimè custoditi, nunquam inordinatè aperti, nunquam in aliquem indecenter directi, aut fixi, cujus intentio fuit inviolabiliter recta, simplex, purissima, nunquam ad proprium commodum, aut honorem reflexa.

26. Porrò pulchritudinem hanc Virginis internam, licet à Filio fuisse auctam, varijs gratiæ suæ donis censeam, crediderim tamen vel maximè frequentiori Visione beatifica, dum ipsius intellectum sæpiùs, ut alibi fusiùs dicemus, lumine gloriæ etiam dum in hac vita degeret, ad breve aliquod tempus, ad Divinam contemplandam essentiam irradiavit. Et hoc vult esse Dionysius illud quod potissimum latebat in Virgine, hoc, ejus occulta ac secreta. Vnde ita prosequitur: *Incomprehensibilis etenim Sponsus, munificentissimus, optimus, omnipotens Filius, incomprehensibiliter, secretissimè, liberalissimè operabatur, radiabat, communicabat se Matri. O quis queat excogitare aut capere, qualiter Verbum illud æternum, quod suo claro intuitu Angelos Sanctos lætificat, mentem suæ dilectissimæ, capacissimæ, atq; innocentissimæ Matris assiduè visitauit, quam copiosissimè omnia interiora ejus illuminauit, quam calidissimè inflammavit ipsius affectum, quam mirè & ineffabili modo fidelissimam, affectuosissimam suam Genitricem corroborauit* (nempè lumine gloriæ, elevandò ejus intellectum ad Divinitatem suam clarè intuendã) *ornauit, perfecit, impleuit, totaliterq; possedit. Quidquid de perfectione raptus, ac ecstasis, quidquid de prælibatione, & participatione futuræ beatitudinis fuit in alijs, multò eminentiùs in ea creditur extitisse. Et si quidam Sanctorum creduntur DEUM in hac vita vidisse per speciem, cur non potiùs atq; limpidiùs, & forsan frequentiùs ac diuturniùs ipsa? Nonnè charitas communicat se, & ostendit se personæ singulariter, familiarissimæq; dilectæ? Hoc ergò latuit in Virgine summa, intrinsecus; quæ utiq; feruore, devotione, puritate, & stabilitate soli DEO, & sibi nota vacabat, inhæsit, intenta immersaq; fuit, cujus interior incomparanda sinceritas, tranquillitas, sapientia, virtuositas resplenduit in vultu ipsius, eamq; gratissimam, venustissimam, & compositissimam fecit in omnibus:* Hæc Dionysius.

Visione beatificâ maximè aucta interna B.V. pulchritudo.

Rursus idem Venerabilis Dionysius art. 5. In Cant. docet Virginem clara DEI Visione, adhuc dum in terris moraretur, præ omnibus Sanctis excelluisse, eamque mirificè in interna animæ pulchritudine profecisse, Divinaque arcana, in Regis cellaria introductam, penetrasse docuit. Sic enim ille verba illa Virginis expendens: *Introduxit me Rex in cellaria sua: Ex Scripturis*, inquit, *elicitur, quod Paulus & Moyses DEVM in hac vita per speciem clarè, & immediatè viderunt. De Ioanne quoq; cantatur Apostolo: Nunquàm vidit tot secreta purus homo purius: Sed piè censetur in his Sacratissima Virgo excepta, atq; præ cunctis privilegiata, quod Rex ejus ac Filius divitias gloriæ suæ, ac gloriam divitiarum suarum æternalium, increatarum, clariùs, jucundiùs, & eminentiùs demonstraverit suæ fœlicissimæ, ac præclarissimæ Genitrici, quam alicui cæterorum, sicq; per contemplationẽ introduxerit eam in cellaria sua, in secreta, & abdita sapientiæ suæ, in mansiones cœlestes, in occultissimas, ac perfundissimas Theorias, tamquam familiarissimam Secretariam & Consiliariam suam, tamquã sapientissimam Sponsam, ac dilectissimam suã Matrem, cui utiq; secretiora aperuit:* Quorum sanè cognitionem, maxima spiritualis pulchritudinis in crementa Virgini addidisse credendum est. cùm quæcunque scientia, maximè divinorum, animæ pulchritudo sit.

27. Clariùs internam hanc Virgineæ mentis pulchritudinem ex Divinæ essentiæ contemplatione resultantem explicuit Sponsus, cùm Cant. 6. rursus in ejus excurrens laudes ajebat: *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Hierusalem*: videlicet illa cœlestis, ac triumphans, cujus complementum formæ spiritualis, hic in hac vita inchoatæ, est Divinitatis intuitiva visio. Ob hanc igitur, interiora Virginis plusquam lynceis oculis rimatus DEI Filius, prædicat eam pulchram, suavem & decoram, veluti cives cœlestis Hierusalem, qui ideò potissimum decori sunt, quia increatam illam pulchritudinem facie ad faciem intuentes, in eam transformati sunt. Ob Divinam hanc formam crediderim dixisse S. Anselmum; *Tantâ puritate Virginem hanc enituisse, quæ sub DEO major nequit intelligi. Quid enim candidiùs illa*, inquit jam memoratus Dionysius Art. 21. in Cant. *quam candor lucis æternæ sibi elegit in Matrem, quæ fontem universi concepit, peperitq; decoris, quæ roseo pudore, purpureoq; decentissimè fuit perfusa, cujus apparatus ac vultus,*

B.V. pulchra est suauis & decora uti cœlestis Hierusalẽ ob visionẽ Dei.

tus, omni morali venustate resplenduit, quæ impuritate culpa nunquam tacta, in omni splendore sapientia ac virtutum incessanter atq; incomparabiliter profecit. Suauis imò prorsus dulcissima. Pulchrum enim dicitur per respectum ad visum, & ipsa pulchritudo est suauitas, ac refectio quedam oculorum exteriorum atq; interiorum. Ideò sicut in Regno cœlorum Virgo dignissima post Filium suum, ineffabili speciositate præfulget, sic intuitio pulchritudinis ejus universos Cives cœlestes ineffabiliter singulariterq; post Christum delectat. Suauis, inquam, & decora sicut Hierusalem illa cœlestis; quia in terris conversans, Angelicâ puritate pollebat; ex Visione beatifica, videlicet, quâ ex singulari privilegio Filij subinde ad breve tempus, uti diximus, fruebatur. *Imò tanta Sanctitatis & meriti fuit splendiflua, ut super oēs Angelicorū Choros Spirituum digna fuerit sublimari. Ideò pulchritudo eius quam habuit in hoc mundo, aptiùs comparatur decori triumphantis, quàm militantis Ierusalem, quoniam pulchritudo ejus radiosissima fuit, sine ullius admixtione culpæ, quantumlibet parua.* Hæc Dion.

28. Ex quibus facilè colligimus præcipuam illam, totalemq; Virginis nostræ gloriosissimę formā internam animę esse pulchritudinem, quam illa per omnes vitæ suæ innocentissimæ partes assiduis virtutum additis incrementis magis indies perficere studuit. Cui studio, ubi, beneficio, singulari Filij, accessit clara ipsius Divinitatis sæpius iterata visio, nempè in immaculata ejus Conceptione, Nativitate, Verbi Divini Incarnatione, Filij natali die, ac Resurrectione, ut nonnulli non vulgares sensêre Theologi, tum nimirum ipsius fœlicissima illa anima omnibus numeris absolutissimam ac ineffabilem, in DEVM quodammodo transformata ac Deificata, sortita fuit pulchritudinem, quæ cœlestem ipsum Sponsum in summam rapuit admirationem, ita ut dicere compelleretur quodammodo: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, absq; eò quod intrinsecus latet; sive absq; occultis tuis,* quæ mihi Soli, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, clarissima sunt, atque perspicua, utpote qui non lyncium oculis, sed ipsius omniscię Divinitatis, cuncta subtilissimè rimantis, sum instructus.

29. Deniq; Formā hanc elegantissimā Virginis intrinsecè latitantem, seseque occultantem, licet toto orę oculisque subinde, nempè ad consolandos pios fideles promicare videretur, Petrus Riga suis in Cant. Commentarijs à Divinitatis fœlicissima illa visione in Sanctissimam DEIparæ animam promanasse testatur, exponendo illud: *Absq; eo quod intrinsecus latet;* ita enim ille cecinit:

Ista latens Virtus, est summa Visio Vita
Quam mens sancta videt sitiens requiē sine lite.

In hujus Divinæ formæ laudem, quam intrinsecus latitantem videt solus DEUS, Ioannes Landspergius Carthus. Theoria 10. ita exclamavit: *O Virgo singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis. O quam pulchra es Imperatrix cœlorum, quam Scrutator renum probat, quam Inspector cordium laudat, quam diligit Auctor pulchritudinis, cui testimonium perhibet Magister veritatis.*

30. Quod si cum 70. Interpp. illud: *Absq; eo quod intrinsecus latet;* legam⁹: *Extra taciturnitatem, sive silentium tuum;* Eminentissimam sanè; quin imò Divinissimam in DEIpara, supremæ illi Naturæ maximè proximam perfectionem, Sanctitatemque deprehendemus. Cùm taciturnitas hæc sive silentium Augustissimæ Trinitatis apud Magnum Dionysium, summam, incomprehensibilem, ineffabilemque mortalibus significare soleat perfectionem. Vnde idem S. Doctor, ut ostenderet eximiam Angelicorum spirituum pulchritudinem, ac perfectionem, atque adeò Bonitatem summi illius æterniqúe Boni per essentiam (à quo tanquam á fonte, bona cuncta dimanant) ipsis fuisse communicatam, ut illam in se tanquam in Imagine repræsentatam, reliquis creaturis, pro modulo suo patefacerent, lucemque ad eam contemplandam porrigerent, ita de ipsis capite 4. de Divinis Nominibus locutus est: *Angelis Boni indoles est indulta, munusq; tributum, quo occultam illam in seipsa Bonitatem, ipsi in se patefacerent, Angeliq; existerent, tanquam Divinum Silentium nunciantes, & quasi conspicua quedam lumina tanquam è vestibulo Bonum ipsum, in adytis latens, sequentibus declarantia.*

InternaB. V. pulhritudo atq: perfectio est quoddam Divinum Silentium.

Dei perfectiones Angelis communicatæ, ut illas tanquam Divinum ac latitans Silentium alijs annuncient.

31. Eodem capite, ut declaret in Angelis, velut in Speculo, sive Imagine Divinam Bonitatem, atque adeò attributa reliqua, sacratissimumque illud Silentium Divinæ Naturæ repræsentari, ita Angelum descripsit: *Certè Imago DEI est*

Angeli descriptio

est Angelus, & occulti luminis declaratio ac speculum purum, nitidissimum, immaculatum, incontaminatum totam in se suscipiens, si dictu fas est, pulchritudinem speciei ipsius, figuræq; Divinæ, atq; in seipso syncerè, quantum fieri potest splendorem declarans, secretissimiq; illius Silentij Bonitatem. Sic Areopagita.

B. V. magis quam Angeli Divinæ Bonitatis Attributorumq; & aliorum, Silentium annunciat, utpote eorũ Regina.

Quod si Angelus tantæ perfectionis ac pulchritudinis est, vt sacrum illud Silentium Divinorum Attributorum, perfectionumq; in se, Visione beatifica expressum, mortalibus annunciet; quid de ipsa Angelorum Regina, DEO proxima, quæ & hic dum inter mortales degeret tam sæpe Visione beatifica perfrui meruit, & jam ad dexteram Filij collocata clariori lumine gloriæ, præ omnibus Cherubinis ac Seraphinis irradiata, sacrum illud Divinorum attributorum Silentium, & ipsa limpidius contemplatur, & reliquis, in se jam expressum, contemplandum proponit?

32. Ex quibus omnibus liquet, quod licet DEIparæ pulchritudo corporea cognosci possit, & cognita fuerit, licet subinde, toto ore, oculisque, vt sentit uterque Dionys: mirificum splendorem emiserit; illa tamen interioris hominis, qua Divinum illud supremæ Naturæ, Bonitatisque, atque attributorum reliquorum Silentium quod in se Virgo nostra, veluti vivâ Imagine animatoque Speculo repræsentat, & incompræhensibilis est, & ineffabilis, quia ad penetrandum illud mens humana non attingit. Vnde præclarè dixit Seraphicus Vbertinus Casalius, lib. 1. de arbore Vitæ cap. 6. cui titulus: IESVS Faber Virgineus. & ante ipsum S. Bernardinus Senen: *Benedictus IESVS, hanc sublimissimam Virginem, tanta perfectione produxit, vt istius Sacratissimæ Virginis perfectio soli DEO cognoscenda reservetur.* In cujus veritatis confirmationem affert dictum Siracidis Eccli. 1. *Ipse*, Creator videlicet, Pater & Filius *creavit eam in Spiritu S. suo, & vidit, & dinumeravit, & mensus est.* Quare cùm audimus Sponsum, pulchritudinem Virginis suspicientem, de externa, videlicet corporis pulchritudine, quæ mortalium patet oculis, locutum fuisse, credibile est; quod verba sequentia videntur declarare, cùm præcipuam corporis partem, nempè oculos dilaudavit: *Oculi tui* inquiens, *Columbarum.* At verò ea, quæ intrinsecus in animo latet, virtutum forma, quæ occultatur, quæ silet quodammodo, quale est illud Divinorum attributorum Bonitatis, Sapientiæ, Potentiæ, Misericordiæ &c. quod Virgo in se, velut tersissimo Speculo mirificè repræsentavit Silentium, illud, inquam, nec perfectè mente compræhendi, nec linguâ humanâ, vel Angelicâ edici potest, cùm Divinæ Naturæ arcanum Silentium illud, infinitam DEI perfectionem occultans, vti & ipse DEVS, creaturæ incompræhensibile sit, & ineffabile.

B. V. interna perfectio ac pulchritudo perfectè humano intellectu penetrari nõ potest.

Vnde vt ostendat Sponsus se Silentium illud Virgineæ pulchritudinis compræhendere, mox addidit: *Absq; eò, quod intrinsecus latet,* sive: *Extra silentium tuum*; quod mihi soli patet, non item reliquis. Ex his itaque colligimus perfectionem, pulchritudinemque Virginis gloriosissimæ, quæ tanquam Filia Principis pulchris gressibus, magnisque passibus de virtute in virtutem in dies procedendo, & maximè frequentiori beatifica Visione consecuta est, Divinæ esse quam simillimã, siquidem, vti Magnus Areopagita, Divinas perfectiones, & attributa, atque adeò ipsam DEI pulchritudinem: Sic Salomon internam DEIparæ, virtute constantem formam, atque elegantiam Silentium appellare non dubitavit.

S. Dionys. & Salomõ Dei & B. V. perfectiones Silentium vocant.

33. Vnde rursus Cant. 6 postquam externam in illa totius oris laudasset speciem: *Sicut cortex mali Punici, sic genæ tuæ;* mox ad internam animæ illius ineffabilemque venustatem, purissimamq; mentis intentionem; quæ facies dicitur animæ; cum oculos convertisset, indicibilem esse sentiens, adjunxit: *Absq; occultis tuis;* sive, ut legêre 70. Interpp. *Extra taciturnitatem,* siue *Silentiũ tuum,* insinuans, laudari quidem creatâ linguâ posse faciem, genasque Virginis, quæ aspicientibus patent: At verò internæ illius animæ formam, utpote mortalibus occultam, eorumque captum excedentem, minimè; eò quod Divinæ illi taciturnitati, siue Silentio par esse videatur, ac proinde uti sæpius diximus sit Creaturis incompræhensibilis, atque indicibilis. Hinc D. Hieronymus ser. de Assumpt. se indignum, qui de DEI Matre loqueretur arbitratus est: *Qua de causa de tali, tantaque Virgine, inquit ille, loqui me indignum fateor; sed & puto quod nemo sit, qui præsumat, nisi qui quanta sint, quæ panduntur, penitus ignorat.*

34. Quamobrem sapientissimum illud censendum est consilium, ut quemadmo-

admodum internum hoc, arcanumque Divinarum perfectionum attributorumque Silentium, humili nostro Silentio venerandum suadet Psaltes Regius, cùm dicit: *Te decet Hymnus DEVS in Sion:* sive, ut ex Hebræo legit S. Hieronymus: *Tibi Silentium, ò DEVS, laus est in Sion:* ita Virgineam hanc animatamque Sionem, Regis magni Civitatem, in qua ipsius sapientissimus Architectus, natus est, summa cum animi demissione, affectuque devotissimo, verecundo quodam Silentio, ejus internam occultamq; perfectionum pulchritudinisque spiritualis in ea latitantis taciturnitatem, Divinæ quam simillimam suspicientes, profundissimaque contemplatione, admirantes, honoremus. Hæc nimirum taciturnitas reverentiâ, amoreque plenissima, laus est DEIPARÆ nostræ gratissima; Hymnus est, omni harmonica melodia, auribus Virgineis suavior. Est denique

Silentium Virginearum perfectionum in Virgine latitantiũ alio admiratorio Silentio venerandum.

Admiratorium Silentium plenũ reverentia B. V. gratissimum.

Hyblæis vox mixta favis, cui sibila serpens
Poneret, & sæva vellent servire novercæ.

Hanc igitur in contemplanda Virginis interiori pulchritudine, Divinissimaq; ejus perfectione ac taciturnitate, taciturnam laudem illi deferamus. Hymnum hunc silentem in considerand intus inanima Virginis latitante plusquam Angelica forma, modulemur, summamq; supremi Artificis, æviternis laudibus, usque ad cœli sydera evehamus infinitam virtutem, quam totam in condenda Virgine ejusq; corpore atq; anima decorãda exeruisse visus est, vt tantæ Majestatis, Filij nempè DEI dignissimum evaderet domicilium.

Silentium admiratorium est laus & Hymnus B. V. suavissimus.

35. Et dignum sanè fuit, vt DEVS hujusmodi sibi Matrem Virginem eligeret, quæ omnibus Naturæ, Gratiæ, imò & gloriæ ornamentis, Divinaque indicibili planè pulchritudine, ex beante illa tantæ Majestatis visione, resultante, absque ulla macula aut ruga, absque ulla demum repræhensione, secluso, profligatoque quàm longissimè teterrimo illo Momo, tam mirificè exornata, ac venustata, velut nova quædam Pandora foret, quàm Augustissimæ Sacrosanctæ Triados Personæ donis suis eximijs, atq; exquisitissimis coronarent, Opusq; tam dignum elaborarent, in eoq; perficiendo, ac omnibus numeris absolvendo, DEI Patris Omnipotentia illa infinita, DEI Filij inscrutabilis Sapientia, ac denique Spiritus Sancti immensa illa Bonitas sese impenderet, atque, ut ita dicam, desudaret. Si enim, vt Ecclesiam Sponsam suam prædilectam sibi desponsaret, & pulchram immaculatamque redderet, tam mirabilia, profundissimâ suâ Sapientiâ adinvenit media, roseoque illo suo, preciosissimoque sanguine, velut purpurisso, genas ejus tingere, aqua limpidissimâ è latere suo scaturiente, totam abluere, ac denique in duro asperrimoque Crucis trunco mori non est dedignatus. (Verè enim pronunciavit Apostolus Paulus Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed vt sit sancta & immaculata:*) Quos tandem, DEVS immortalis, de infinitæ suæ Sapientiæ thesauris non produxisse credendus est modos, in Virgine hac exornanda, cujus uterus ipsius Divinæ Majestatis novem mensium spatio futurus erat domicilium? Præservavit eam, sine dubio à peccati originarij macula, & per consequẽs à Theonino illo lividoque Momi dente, sibi eam gloriosam exhibens non habentem maculam aut rugam.

In B. V. ornanda Patris omnipotẽtia, Filij Sapientia, Spiritus S. Bonitas se impendit.

M. pulchrior ac sanctior tota Ecclesia.

36. Vbi observandum in Hebræo textu *Mam,* non modo maculam, verùm etiam rugam significare; ad denotandum tam Ecclesiam, quàm DEIPARAM, non solùm macula, Momique repræhensione, sed etiam vetustate, quæ rugis faciem exarare consuevit, in omnibus suæ vitæ partibus caruisse, nullique senio vel defectibus senium comitantibus fuisse obnoxiam, semperq; novitate quâdam, juvenilique ac florenti ætate, ad instar supernæ illius Hierusalem, quam dilectus IESV Discipulus novam, descendentem de cœlo à DEO paratam sicut Sponsam ornatam viro suo, aquilinis illis suis oculis contemplatus est, fuisse gavisam. Quam ob causam Vir quidam hujuscé nostræ tempestatis Religiosissimus æque ac Doctissimus pro suo in Virginem affectu affirmare non dubitavit DEIPARAM etsi septuagesimum omninò ætatis attigisset annum senectutis nihilominus nullos effectus, nullas expertam esse ærumnas, semperque vividam vernantemque absque omni ruga faciem prætetulisse. Idem sensisse visus est Seraphicus Pater Sanctus Bonaventura Psal. 31. dum cecinit. *Decus pulchritudi-*

B.V. rugis alijsq; senectutis defectibus caruit.

tudinis tuæ corruptionem non videbit, & vultus tui gratia in perpetuum non marcescet. Benedicta es ut Virga Iesse sublimis, quæ te usq; ad sedentem in throno cœlorum dilatasti.

37. Et licet in Severini Boëtij sententia lib: 3. de consol: Philos: Prosa 8. *Forma nitor rapidus sit, & velox, & vernalium florum mutabilitate sit fugacior;* adeò ut & Poëtarum etiam Princeps cecinerit:

Pulchritudo humana labilis.

O formose puer nimium ne crede colori
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Fallit tamen; inquit Auctor Virginis studiosissimus, in Deipara, quæ semper in primæva pulchritudinis forma permansit, adeò ut illud D. Nazianzeni de Virginitate inter adversa secura hic usurpare liceat:

Margaris in saxis atq; inter sydera cœli
Lucifer; in sylvis frondosa ramus olivæ
Lilium in herbosis campis, avibusq; columba
Tranquillosq; secans fluctus tutissima puppis.

Carmine de præcept: Virginitatis.

38. Vnde factum, ut mors Virgini nec ex primarum qualitatum intemperie, nec senij imbecillitate, calorisúe naturalis defectu, sed ex puro Dei amore beatum illi quendam languorem inducente, contigerit. Quare crediderim facilè eam dum se ad migrandum ex hac vita accingeret Angelicis spiritibus sibi jam moribundæ adstantibus subinde ingeminasse: *Adjuro vos Filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.* Cant: 5. Et rursus Cant: 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Hæc Divini amoris nimirum vehementia fœlicem hunc illi languorem induxit, quemadmodum affirmat Dionys. Carthus: & B. Albertus Magnus, qui Tract: super Missus, mortem illi ex amoris accidisse languore, ac vehementia, hujusmodi ostendit argumentis: Majores motus impediunt minores. Cùm igitur Natura inclinet ad corpus, & Charitas inclinet à corpore dissolvi, & esse cum Christo, tantùm intendi poterit inclinatio, seu motus sursum, ut separetur & abstrahatur ab inclinatione seu motu deorsum. Poterit igitur Charitas tantopere sursum animam ad Christum elevare, atq; pertrahere, ut separetur à corpore; quod non erit aliud, quàm emori præ amore. Accedit quod quicquid potest inducere languorem, si continuetur & intendatur, possit inducere mortem. Cùm igitur amor inducere possit languorem, ut ipsa fatetur Sponsa: *Amore* langueo. Cant. 2. ubi Glossa: *Præ amoris magnitudine omnia temporalia fastidio;* consequitur sanè Virginem amore, absque ullo dolore fuisse mortuam.

M. vi Divini Amoris mortua.

Amore B. V. languebat.

Amoris vis sursum animam elevat.

Amoris languor inducere potest mortem.

Idem confirmat Guerricus Ignatien. Abbas Serm: 2. de Assumpt: ubi per Prosopopœjam introducit Angelos, admirantes, ac sciscitantes ex Deipara, cur more sibi solito loca sancta à diebus aliquot minimè visitaret; quibus respondet Virgo, causamque universam in amoris conijcit languorem, ardensq; illud desiderium, quo è corporis ergastulo ad Filium emigrare anhelabat.

Cujus Abbatis pijssimi verba propter egregiam dicendi facultatem, quia mirificè rem universam nobis ob oculos ponunt, hic subijcere libuit: *Maria igitur migratura è corpore,* inquit ille, *decumbebat, ut est humana infirmitas. Porrò Filiæ Ierusalem, quæ sursum est, Angelicæ nempè Virtutes scientes, quia obsequijs Matris captanda est gratia Filij, visitabant satis officiosè ac devotè Dominam suam, Matrem Domini sui: Et fortasse aliquid hujusmodi primò post salutationis officia locuti sunt ei Angeli, sicut speciem humano vultui, ita sermonem humano conformantes affectui: Quid est obsecro Domina, quod sic ægra videris ac languida? Quid est quod præter solitum tristis ab heri & nudius tertius, sicut solebas, non sancta revisis loca, quorum contemplatione amorem tuum pascebas? Iam per aliquot dies non vidimus te, aut rupem Calvariæ ascendentem, ut ibi locum Crucis impleres lacrymis, aut ad Sepulchrum Filij adorantem gloriam Resurrectionis; aut in Montem Oliveti deosculantem extrema vestigia ascendentis.* Causam itaque percunctantibus illis, cur ab his modo vacaret, & ex toto decumberet? *Langueo,* inquit; *Pappe langues! Languor enim quem locum in corpore tuo reperit, in quo salus mundi tam diu habitavit? De corpore illius Filij tui virtus exibat, & sanabat omnes, adeò ut etiam fimbria vestimenti Æmorroissam sanaret, & tu quæ tam diu ipsum in utero, in sinu, in gremio continuisti, quomodo ulli postea infirmitati, aut languori, vel accessibilis esse potuisti? Non est,* inquit, *quod miremini, si illud ipsum corpus Filij mei, quale aliquando fuerit, recordemini; & ipsum enim quam infirmum, quantisúe defectibus subditum fuerit, voluntate tamen ego novi, quæ ipsum in utero alui, uberibus lactavi, sinu fovi; nec solius infantiæ, sed & sequentium defectus ætatum vidi, & eis ut potui ministravi. Deniq; verè de illo Isaias noster: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros*

Obsequijs Dei Matris captãda gratia Filij.

B. V. loca sancta post mortem Filij invisebat.

B. V. Montem Calvariæ solita fuit ascendere.

In B. V. nullus morbus esse potuit, quia salus mũdi in illa habitavit.

stros ipse portavit. Cur ergo doleam non eum meo dedisse corpori, quod suo non dedit? Non sum ita delicata aut superba, vt quod ille dignatus est pati, ego quantulacunq; ex parte pati non possim aut nolim. Sanctitatem dedit corpori meo, conceptis sui corporis Sacramento, sanitatem se daturum promisit, suscitati corporis exẽplo. Deniq; ut minus miremini languorem meum; amore langueo. Langueo plùs impatientia amoris, quàm passione doloris. Plùs vulnerata Charitate, quam gravata infirmitate.

B.V. amore languebat.

Heu, inquiunt illi, quam frequentes, imò & continuæ causæ languoris! Bone IESV, quomodo hæc Mater tua postquam te genuit, nunquam ferè nisi in languore fuit? Primò languit timore, postea dolore, nunc amore. Timore à Nativitate usque ad Passionem, cùm semper vitam Filij insidijs appeti videret: Dolore toto tempore passionis, donec redivivum reciperet: nunc amore & desiderio fœliciùs, sed mirabiliùs cruciatur, quia sedentem in cœlo non tenet. Sed obsecramus te Domina, quid vis faciamus tibi, in quo tibi esse poterimus officiosi? *Filiæ*, inquit, *Hierusalem, nunciate Dilecto meo, quia amore langueo. Ipse novit quomodo meo medendum sit languori: Osculetur me osculo oris sui. Si quid mihi conscia essem, cum Maria Magdalena osculo pedum, ubi indulgentia sumitur delictorum, contenta essem. Sed quia in omni vita mea, non me reprahendit cor meum, non puto me arroganter flagitare de osculo oris, gratiam gaudiorum.*

Medicina languoris B. Virginis

Cur autem arrogans videar, si illud os mihi reposco, quod de me ipse sibi formavit conditus, & Conditor? Cùm parvulum tenebam inter brachia, quoties osculari speciosum formâ præ filijs hominum mihi libebat, satis licebat: nunquam faciem avertebat, nunquam Matrem repellebat. Et si fortassis impatientia desiderij eram nimia, ipse tamen more suo, morem Matri gerebat. Gaudebat eam replere gratiâ, quæ diffusa erat in labijs ejus, & dulcedine, quâ totus erat plenus, totus concupiscentia, & desiderum animarum castarum. Vnde sicut ipse de se confitetur: Qui edunt me adhuc esurient; & qui bibunt me adhuc sitient; Quantò gratiam oris ejus gustavi suaviùs, tantò nimirum repeto nunc ardentiùs. Hactenus Gverricus, ex quibus sanè colligere possumus incredibilem amoris Virginei ardorisque extitisse vehementiam, quâ ipsius cor sanctissimum exæstuans, inque amatum Filium cum omnibus mentis corporisque facultatibus sese transferens, & à corpore quodammodo dissolvens, membra, animâ illa benedicta destitui fuit necesse.

M. Filium parvulum osculabatur.

39. Idem censuit Doctissimus Svarez, redditque rationem suæ assertionis To: 2. in 3. Parte. Disp: 21. sect. 1. *Addere*, inquiens, *tamen possumus, quamvis B. Virgo mortua non fuerit vi alicujus morbi corporalis, vi tamen amoris & ardentissimi desiderij, & intensissimæ contemplationis obijsse. Fieri enim potest, vt mens tanta efficacia, & intensione in his actibus occupetur, vt velut destituat corpus, ita vt paulatim ejus dispositiones remittantur, ac deficiant, ac tandem, ob earum defectum non possit anima in corpore conservari.* Veritatem hanc clarè revelavit DEIpara suæ fidelissimæ famulæ Brigittæ, uti ipsa testatur lib: 6. Revelat: c. 62. Vbi ipsam DEI Matrem sic loquentem introducit: *Cùm die quadam elapsis aliquot annis* (fuêre hi omnino 15. ut ipsa Virgo eidem revelavit lib: 7. c. 26. dum Sepulchrum ejus Hierosolymis visitaret) *post mei Filij Ascensionem multum anxiarer desiderio perveniendi ad Filium meum, vidi Angelum fulgentem, qui mihi dixit: Filius tuus, qui est DEVS & Dominus noster misit me nunciare tibi tempus jam esse veniendi ad ipsum in corpore ad coronam tibi jam pridem paratam recipiendam. Quo audito nuntio, paravi me ad exitum, omnia loca more meo circumiens, in quibus Filius meus passus fuerat. Cumq; quadam die animus meus suspensus esset admiratione Divinæ Charitatis, tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit exultatione tàntà, ut vix se posset capere, & in ipsâ hac consideratione anima à corpore fuit soluta.* Hæc ferè DEIpara. Animam porrò illam benedictam æstu Divini amoris liquefactam in apertum Dilectissimi Filij latus, verè amoris fornacem ardentissimam, id ipsa Virgine S. Thomæ Cantuariensi revelante, fœlicissimè exhalavit. Invitârit illam sine dubio dilectissimus Sponsus ac Filius, verbis illis dulcissimis, ad ingrediendum amantissimi sui cordis cavernam, dixerim potiùs deliciosissimum cœlorum Domicilium: *Surge*, inquiens, *propera amica mea, speciosa mea, immaculata mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Cant. 2.

B. V. post Ascensionem Filij loca sancta visitabat.

M. contemplando Divina est mortua.

B. V. animam in latus apertum Filij exhalavit.

40. Ex qua dulcissima Filij invitatione, ardentissimoque desiderio Matris faciem intuendi, quanta gratia, quanta venustas ac pulchritudo non modo interior benedictæ illius animæ,

ob intensissimam in DEVM charitatem, cujus etiam vi emori est promerita, verùm etiam exterior illa totius oris ac corporis, in extrema etiam ætate ad instar rosarum plantulæ, in hoc mundi Hiericho consitæ, vernârit ac effloruerit, facilè est colligere, dum eam speciosam, dum immaculatam, dum suam columbam appellat; dum decoram ejus videre faciem, dum dulcem audire vocem concupiscit. Quam Virginis ætatem mirificè venerabilem, omnibusque senectutis, seu vitijs, seu defectibus, incommodisque carentem, quis superciliosus unquam, censoria sua virgula taxare jure meritò audebit Momus? Vnde Divus Ioannes Damascenus ser. de Dormit. Deiparæ, veritatem hanc fortassis agnoscens, sic ipsam Matrem mox ex hac vita migraturam cum Filio loquentem introduxit: *Suscipe tibi charam animam, quam conseruasti alienam ab omni reprahensione;* quâ ultimam vocem ex Greco trâsferre possumus: *ab omni Momo.*

41. Pulchritudinem hanc non modo cœlestis Sponsus, in extrema illa vitæ periodo, cùm ad summum perfectionis apicem pervenisset, suspexit, admiratus est, eamque desideravit intueri; *Ostende*, inquiens, *mihi faciem tuam decoram;* verùm etiam multò ante, dum de celebrando Sponsalitio cum Natura humana in Aula Virginali ipsius purissimi uteri tractaretur. Hoc enim sibi velle videntur verba illa ipsius suavissimi Cantici: *Quia respexit humilitatem Ancilla sua.* Quæ ad libellam expendens Gerson Cancellar. Paris: tractat: 3. in Magnific. in celeberrimas Virgineæ hujus pulchritudinis, Divinorum oculorum allectricis excurrit, laudes.

42. Postquam enim in persona Discipuli quæsijsset, quid sit respectus Dei, quales ejus oculi, quibus humilitatem Ancillæ suæ respexit; mox subtexuit: *Sed omissa multiplicatione quæstionum protinus convertatur sermo ad describendam pulchritudinem Beata MARIÆ, qua tam grata, tam incredibili formositate refulgens inventa est, ut concupisceret Rex speciem ejus.* Postquam inquam hæc in persona protulisset Discipuli, hæc de incomprænhensibili atque ineffabili Virginis nostræ pulchritudinis perfectione in Magistri persona edixit: *Conabimur inaniter, si verbis aquare volumus pulchritudinem ejus, qua sub DEO major nequit intelligi, colligens in se omnes pulchritudines sparsas in creaturis. Ita ut sit verè una speciosa unius Sponsi, una perfecta sua, una Matri sua, electa Genitrici sua, qua Genitrix est gratuita Dei bonitas, qua pulcherrima cùm sit, pulcherrimam sibi fecit. Dicere nihilominus aliqua tentabimus.* Cumque varias formæ distinxisset species, easque in Deipara reperiri docuisset, addit tandem in Deipara, Intellectualem pulchritudinem (quam ille eandem esse cum spirituali censêre visus est) mirificè tam in via, quàm jam in Patria reluxisse, eandemque clarâ Dei visione constare docuisset, quâ Virgo Beata Divinæ essentiæ contemplando pulchritudinem, sicut viatrix, imperfectè quidem respectu Patriæ, perfectissimè tamen respectu cujuscunque creaturæ rationalis, in eandem pulchritudinem Divinam est transformata, ita in Patria revelatâ jam facie gloriam Dei speculando, claritate illâ lucis inaccessibilis irradiata in eandem, cum omni perfectione creaturæ possibili est transmutata; Postquam, dico, hoc præmisisset, mox incredibilem hanc Virginis pulchritudinem, quasi ob oculos spectandam proposuit: *Intellectualem hanc pulchritudinem* inquiens *pracessit & inchoavit illa Pulchritudo mentis, quam habuit in via ter Beata nostra Domina, dum contemplationi dedita fuit assiduè, quantum status patiebatur exilij, dum exultauit spiritus ejus in DEO Salutari suo, quia inspiciebat Dominus humilitatem Ancilla sua. Ille enim respectus, cùm DEVS sit immutabilis, quid erat nisi candela*, addiderim ego fax luculentissima; *talis pulchritudinis, talis exultationis in mente MARIÆ, humilis Ancilla sua, & ideò jam pulcherrima & dilectissima, quia fuit humillima velut lilium convallium, IESVS Salutaris suus pulchritudinem adamavit. Erat tunc Spiritus Maria scilicet in corpore, quasi nihil de corpore portaret. Hinc defecisse, hinc extra se fuisse, hinc in atrijs Domus Domini; hinc in extremis maris habitasse. Dicta sunt hac cum tropis hujusmodi, qua sine numero attribuuntur contemplatiuis, quamquam longè aliter, & distantiùs in MARIA.* Et paucis interpositis, ut Pulchritudinem Virgineam dum adhuc esset viatrix longè excellentissimam fuisse ostenderet, docet sæpiùs beante illâ visione Divinæ essentiæ omnis nempè pulchritudinis perenni fonte, fuisse perfruitam, quæ cùm illius sit naturæ, ut se speculantem in se vicissim suamque pulchritudinem transformet, consi-

M. suâ pulchritudine Divinos oculos in sui amorem pellexit.

B. V. Pulchritudo ineffabilis.

B. V. per contemplationē viæ in pulchritudinem Divinam transformata.

Contemplatione B. V. mentis pulchritudinem comparavit.

Aspectus Divinus fuit Candela quædam, quæ pulchritudinem B. V. illuminavit.

considerandum nobis relinquitur, quam insusitata, quam Divina Virginis nostræ gratiosissimæ ac pulcherrimæ extiterit pulchritudo? *Quo circa*, inquit ille, *versis ad Mariæ pulchritudinem oculis, perpende si potes, qualis fuit in via ipsius mentis status aut spiritus, quam sublimis in arce contemplationis; quam elevata à terra sursum; quantis irradiata fulgoribus ab illo, qui illuminat mirabiliter à Montibus æternis. Vnde turbati sunt omnes insipientes corde, qui dicunt saltem affectu, vel effectu, & si non assensu, in corde suo, non est DEVS. Si erat vt Mulier amicta Sole Iustitiæ, cujus sub pedibus Luna totius instabilitatis creaturarum, & in capite ejus pulcherrima spiritualium siderum in æternitatem splendentium corona. Quid inde colligi potest, si vales, considera: Nonné lumen illud immensum scintillabat aliquoties ad oculum mentis, intuendum se subinde præbens, qualiter in via vidisse Moyses, & Paulus æstimantur? Nonné sicut in rimula quadam exilis coruscationis, dum oculos ferit emicans flamma, mox disparens, ita fulgurabat in mente Mariæ splendor Divinæ gloriæ? Nonné cernebat eam quandoq; tanquam dum aliquis videt, seu vidisse putat nascentem per nubila Lunam? Fallor si non tot vicissitudines euntis & redeuntis Sponsi dant hæc intelligi. Modo tenetur, modo videtur, mox disparet, modo stat post parietem, & nihilominus respicit per fenestras, prospicit per cancellos.* Tandem cùm Discipulus quæreret, quid nam esset prospectus per fenestras Sponsæ? Respondit: *quidni radiosas & angustas illuminationes in domo Sponsæ, quæ domus, est superius mentis cœnaculum. Non enim potest aliter concipi prospicere noviter DEVS, nisi quia prospici se facit, sed in transitu subito. Refert aliquid simile, si piè dici potest, illud pastoricium de Galatea.*

Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.

B. V. Visione beatificâ, quâ subinde perfruebatur in via indies pulchrior fiebat.

Tota deniq; visio Ezechielis de animalibus, & rotis, per mysticas coruscationes & scintillationes nobis illud insinuat. Hucusque Gerson de Virgin: pulchritudinis causa sanè efficacissima, qualis fuit Beata DEI visio; quâ illa subinde dum in hac vita perfrueretur, in Divinam quodammodo pulchritudinem, uti sæpiùs diximus, transformata est.

43. Virgineam hanc pulchritudinem tam mentis, quàm corporis Angelus Sanctæ Brigittæ Romæ versanti ac commoranti ad Sanctum Laurentium in Damaso, descripsit in suo sermone Angelico de excell. Beatæ Virginis c. 13. *Benedictum Mariæ corpus*, inquit ille, *congruè mundissimo vasculo assimilari potest.*

Mariæ corpus est mundissimum Vasculum

Ejus quoq; anima lucerna clarissima, ipsiusq; cerebrum aquarum in altum salientium puteo, ac deinde in vallem profundam descendentium. Vbi enim Virgo primùm DEVM agnouit, tunc sensus & intellectus, è cerebro Virginis, instar aquæ de scaturiente fonte decurrentis in cœli fastigium saliebat, ac deinde in vallem, id est, in humillimum ejus corpus decurrebat. Nam sicut cantat Ecclesia, egressum Filij DEI à Patre, & ejus regressum fuisse ad Patrem, quamquam neuter illorum ab altero unquam sejunctus fuerit: ita sensus & intellectus Virginis, in cœlorum celsitudinem frequenter ascendens, Deum constanter per fidem apprahenderat, cujus dulcissima charitate amplexata suauiter, in seipsam redibat. Hanc quoq; charitatem cum spe, Divinoq; timore ipsa firmissimè tenuit, per ipsam charitatem ita inflammans animam propriam, vt velut ferventissimus ignis, DEI amore flagrare cœperit. Hic quoq; Virginis sensus atq; intellectus corpus ejus ad obsequendum DEO ita animæ subjecit, vt ex tunc corpus cum omni humilitate ipsi obedierit. O quam celeriter sensus & intellectus Virginis DEI charitatem comprahendit! O quam prudenter illam sibi thesaurizavit! Vnde sicut si aliquod lilium transplantatum esset, quod tribus radicibus se terræ infigeret, quibus ipsam etiam solidiorem efficeret, tres quoq; flores delectabiles, ad intuentium consolationem sursum expanderet: Sic utiq; Divina charitas huic gloriosæ Terræ, scilicet Virgini nostræ Divinitus inserta, ipsius corpori tribus fortissimis Virtutibus, quasi tribus radicibus se infixit, per quas ipsum etiam corpus Virginis fortificauit, tribusq; ornamentis, velut tribus præfulgidis floribus Virginem in anima, ad DEI Angelorumq; ipsam intuentium lætitiam honorificè adornauit. Primum ornamentum, quô Divina charitas Virginem exornauit, præmium illud fuit, quod DEVS Amicis suis largiturus erat, quod illa omnium rerum pulchritudini in animo suo anteferebat. Et idcircò hujus mundi divitiæ velut vilissimum lutum illi vilescebant. Secundum ornamentum, quod animam ipsius decorabat, fuit cognitio, quâ perfectè cognoscebat honorem mundanum gloriæ spirituali, nullo modo esse comparandum? Quare mundanam gloriam audire abhorrebat, velut aërem corruptum, qui fœtore suo, breui tempore multorum extinguit vitam. Illud deniq; ipsius animam glorificabat, quasi ornamentum tertium, quod omnia DEO placentia, in corde suo reputabat dulcissima; illa contra felle amariora, quæ Deo erant odiosa, ac contraria. Atq; his ornamentis, super creaturas omnes Virgo ipsa tam

Mariæ cerebrum aquarum vivarum Puteus.

Mariæ anima lucerna clarissima

Intellect. B.V. in cœlum ascendens charitate Deum amplectebatur.

B.V. velut Lilium in cœlum transplantata per contemplationē.

Ornamenta charitatis in B.V.

pulchrè in anima redimita apparuit, ut Creatori placuerit omnia sua promissa, ipsa mediante perficere. Verè & absq; dubio credendum est, quod sicut ipsius anima, coram Deo & Angelis erat pulcherrima, ita quoq; ejus corpus in oculis omnium eam intuentium fuit gratissimum. Et quemadmodum DEVS, & Angeli de ejus animæ venustate gratulabantur in cœlis, ita etiam gratissima ejus corporis pulchritudo omnibus eam cernere cupientibus utilis, ac consolatoria in terris extitit. Videntes porrò ipsam devoti, quantô fervore illa DEO famulabatur, ad DEI honorem propagandum efficiebantur ferventiores. In his autem, qui ad peccandum erant pronissimi, ex ipsius verborum gestuumq; honestate, statim peccati fervor extinguebatur, quamdiu ipsam conspiciebant. Hæc Angelus Sanctæ Brigittæ de utraq; forma ac specie Deiparæ.

B.V. Anima coram Deo & Angelis fuit pulcherrima.

B.V. pulchritudo fuit consolatoria in terris.

B.V. pulchritudo excitabat homines ad famulandum Deo ferventissimè.

44. Agnoscens eadem Sancta, Deiparæ cultui addictissima, Divinam planè hanc esse, Divinosque in mortalium animis effectûs producere Virginis purissimæ atque intemeratæ venustatem ac formam, ipsam Pulchritudinem eam vocare non dubitavit, in voces illas, ardentissimo amore plenissimas, erumpendo lib. 4. Revel. cap. 19. *O dulcis MARIA, pulchritudo noua, pulchritudo clarissima. Veni mihi in adjutorium, ut deformitas mea depuretur, charitasq; accendatur. Tria enim dat capiti tua pulchritudo. Purgat primò memoriam, ut verba DEI suauiter ingrediantur, deinde, ut audita delectabiliter teneantur. Deniq; ut ad proximum ardenter diffundantur. Tria quoq; pulchritudo tua præstat cordi; aufert durissimum acediæ onus, si tua consideretur charitas & humilitas, tum oculis dat lachrymas, si tua attendatur paupertas ac patientia. Dat tandem cordi internum favorem dulcedinis, si sincerè memoria tua pietatis recolatur. Verè Domina, tu es Pulchritudo preciosissima, Pulchritudo desideratissima, quia infirmis data es in auxilium, tribulatis in solatium, omnibus in Mediatricem. Quare omnes qui te nascituram audierunt, & qui te jam natam nôrunt, clamare possunt: Veni Pulchritudo clarissima, & tenebras nostras illumina. Veni Pulchritudo pretiosissima, nostrumq; opprobrium auferto. Veni Pulchritudo suauissima, nostramq; amaritudinem mitigato. Veni Pulchritudo potentissima, nostramq; captiuitatem dissoluito. Veni Pulchritudo honestissima, nostramq; fœditatem deleto. Benedicta igitur & Venerabilis sit talis ac tanta Pulchritudo, quam omnes videre optabant Patriarchæ, de qua omnes cecinerunt Prophetæ, de qua omnes gaudent & exultant electi.* Hactenus Sancta illa anima. Qua in laude quantopere sibi complacuerit Virgo Deipara, verbis id luculentissimis eidem Sanctæ est attestata, ostendens suam illam pulchritudinem omnem, à fonte illo, qui per essentiam est ipsa pulchritudo, omniumque bonorum origo dimanasse. *Benedictus*, inquiens, *sit Deus Pulchritudo mea, quia dedit tibi talia verba proferre. Quare dico tibi, quod Pulchritudo antiquissima, æterna, atq; pulcherrima, quâ fecit & creauit me, te confortabit. Pulchritudo vetustissima, & noua innouans omnia, quæ fuit in me, & processit de me, docebit te mirabilia. Pulchritudo desideratissima delectans & lætificans omnia, animam tuam, suâ charitate inflammabit. Propterea fide in Deo: Cùm enim Pulchritudo cœlestis apparuerit, omnis pulchritudo terrena cõfundetur, & quasi stercus reputabitur.* Hæc Deipara de fructibus, quos ipsius Pulchritudinis amatores sunt percepturi.

Pulchritudo B.V. à peccato absterrebat.

B.V. est ipsa Pulchritudo.

B.V. varij pulchritudinis effectûs.

45. Agnovit Beatus Andreas Cretensis Episcopus, Divinam planè esse Deiparæ pulchritudinem, dum eam admirans, perinde loquitur, atque Plato & Dionysius Areopagita de Deo loqui consuevit: *O pulcherrima*, inquiens, *Pulchritudo omnium Pulchritudinum, ô Mater Dei pulchrorum omnium summum ornamentum.* Pulchritudinem hanc Divinæ quam simillimam in se agnoscens Virgo Sanctissima, jucundè concinebat: *Ego Dilecto meo, & Dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Cant. 6 sive ut 70. Interp. legunt: *Ego Cognato meo, & Cognatus meus mihi.* Ac si diceret: Ego per dilectionis affectum ardentissimum, adeò sum in mihi Dilectum Dei Filium, vita, moribus, animique puritate transformata, ut & ego ejus in me, & ille meam in se similitudinem velut in speculo repræsentemus. Rursus corporeis lineamentis sumus nobis invicem similes perinde, ac si cognati, ac sanguine juncti, uti verè secundùm humanitatem sumus, perinde denique atque si unà communiterque nati, eodemque orti essemus progenitore. Vnde Divus Gregorius Nyssen. Hom. 15. in Cant. verba hæc expendens Sponsæ, ait normam seu compendium omnis esse in virtute perfectionis, animumque Deo plenum rerumque terrenarum affectu depuratum, clarissimum primigeniæ pulchritudinis effici simulacrum. *Quemadmodum enim*, inquit ille, *is qui*

Maria Filio similis pulchritudine.

is qui in tabula picturam videt accuratè ad Archetypum conformatam; unam utriusq; formam esse pronunciat, imaginisq; pulchritudinem, ipsam esse Archetypi pulchritudinem dicit, Archetypumq; in simulacro clarè conspici: Similiter Sponsa cùm ait: Ego Cognato meo &c. Pulchritudinem suam conformatam ad Christi exemplar dicit, postquam Natura nostra primam Beatitudinem recuperauit, qua ad imaginem similitudinemq; principis, unica veraq; Pulchritudinis ornata erat. Ac veluti speculum pura in superficie incidentis faciei formam, seu characterem accuratè refert: Sic postquā anima seipsam aptè disposuit, puram incorrupta Pulchritudinis speciem sibimetipsi imprimit. Quare voluntariū hoc animatumq; speculū potest dicere: Postquam toto Orbe, mei Cognati seu Dilecti faciem intueor, per hoc ipsum tota forma ipsius venustas in me conspicitur. Hæc Nyss.

Maria Imaginem pulchritudinis Filij in se expressit.

Maria fuit Speculum pulchritudinis Filij.

46. Agnovit B. Albertus Magnus tractat. super MIS. Virgineam Pulchritudinem Divinam Filioque simillimam esse, cùm dixit: *Sicut Dominus noster IESVS fuit speciosus præ filijs hominum; ita Beatissima Virgo pulcherrima & speciosissima fuit inter filias hominum;* additque illam habuisse summum & perfectissimum in pulchritudine quod esse potuit in mortali corpore, secundùm statum viæ operante natura. Inde denique absolutissimam ejus colligit spiritualem fuisse pulchritudinem, quod sacræ litteræ nullam de ea faciant mentionem, ut intelligamus eam quid Divinum esse atq; ineffabile, Silentio ipso venerādum. *Tacendo enim,* inquit ille, *pro reverentia, regula nobis traditur infallibilis, quod quicquid boni, vel laudabilis in alijs fuit, hoc de ipsa minimè oporteat dubitare. Quemadmodum enim supremi Angeli à donis nobilioribus laudantur, & denominantur, tacitis inferioribus, quæ tamen in ipsis esse nullatenus dubitantur: Ita & Beatissima Virgo donis spiritualibus plenissima, donis gratissimis & nobilissimis ita occupat & implet animas laudantium Evangelistarum, vt eorum admiratione, bonorum corporalium quasi obliviscantur. Cùm enim pulchritudo spiritualis sit Rota in medio Rotæ pulchritudinis, videlicet corporeæ; Evangelium magis respicit & tractat spiritualia, vetus autem lex corporalia. Vnde Domina nostra in veteri testamento à corporali pulchritudine laudatur per figuras dumtaxat; in novo autem à spirituali perfectione per Angelos, Apostolos, & Evangelistas.* Hæc ferè Albertus.

De B. V. pulchritudine silet scriptura, eò quod fuerit ineffabilis.

47. Cùm igitur Virgo Sanctissima tanta, tamque admirabili, tam interna animi, quàm externa corporis pulchritudine à Deo ter optimo Maximo, infinitâ suâ Sapientiâ fuerit, adeò exornata, ut nulla prorsus pura creatura, in hac rerum universitate illi par potuerit reperiri eaque adeò omni ex parte perfecta, adeò omnibus perfectionis numeris, à capite ac calcem usque absoluta extiterit, ut ne superciliosissimus ac mordacissimus censor ille Deorum Momus, in omni ejus ætate à primis infantiæ incunabulis; ad senectutem usque extremumque vitæ halitum, quidpiam quod reprehendi possit, invenerit; quis tandem erit qui Mulierem hanc, Virginum pulcherrimam, quis hanc pulchræ dilectionis Matrem castissimè non adamabit, quis mille ipsi serviendi, ac obsequēdi ingeniosè non inveniet ac excogitabit modos? (Amor enim ingeniosus esse consuevit). Quis cum Sapientissimo Salomone tantam tamque cœlestem pulchritudinem contemplante, ardentissimoque amore eandem complectente, non exclamet animitus? *Hanc amaui & exquisiui à juventute mea, & quæsivi Sponsam eam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius.* O si omnes unanimi consensu devotissimo cum Richardo à S. Laurentio lib. 2 de laudib. Virg: amore purissimo tantæ venustatis, ac formæ capti uno ore, uno corde diceremus. *Hanc amavi corde, hanc exquisivi, ex toto, me quæsivi, studendo Scripturis, quæ de ea loquuntur, diligenter investigando ejus magnalia, de ea meditando, ipsam jugiter exorando, ad ejus gloriam & honorem operando, vt sic honestè ei deserviendo à meretricijs voluptatibus meipsum solicitè obseruem atq; refrænem. Quæsivi eandem mihi Sponsam assumere, illam amore casto, fructuoso, individuoq; mihi copulando in spiritu. Quare MARIÆ dilectionem præposui regnis & sedibus, potentijs & dignitatibus; propter hanc contempsi quicquid in mundo est gloriæ, honoris ac divitiarum, exemplo multorum, qui ejus amore, nil omnia reputarunt, vt ipsam lucri facerent, dicentes cum Apostolo: Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Mariam lucri faciam. Nec solùm omnia delectabilia contempsi, ac reliqui pro amore ejus, sed & contumelias & molestias, injurias & hujusmodi, pro ipsa patienter sustinui.* Hæc Richard.

Mariæ pulchritudo castè ardēterq; amanda.

Maria quomodo amanda?

Mariæ amor divitijs ac Regnis præponendus.

48. Et verò, quis tantæ tamque perennis, imò Divinæ Pulchritudinis amore,

Mariæ amore omnia dura& difficilia toleranda

amore, extrema quæque non patiatur, cùm hujus caducæ, fragilis, & ad instar flosculorum evanescentis insensatos mortales tam ardua, atque difficilia aggressos recolamus? Quis quæso non admiretur simul ac erubescat, si magni illius Patriarchæ Iacob amorem in Rachaëlem attentiùs consideret, expendatque plures laboriosissimos annos, in pascendis Laban gregibus ejus potiundæ gratiæ, impensos? *Die noctuq; æstu vrebar & gelu*, inquit ipse ad Laban generum suum. *fugiebatq; somnus ab oculis meis*, Gen. 31. Qui quidem tam ærumnosi, ac miserijs plenissimi anni, vt Scriptura loquitur, *videbantur illi, pauci dies, præ amoris magnitudine*. Gen: 29. Quod si Rachael decora facie, venustoque aspectu, ut Scriptura loquitur, si, inquam, Rachael Vmbra quædam duntaxat nostræ Virginis Sanctissimæ, Divinâque pulchritudine decoratæ, tam acres, ac vehementes in corde Iacob amoris excitavit æstus, vt dulces, ac suaves, tot annorum decursu, exantlatas ærumnas omnes duceret; quid quæso forma præstantissima, ac planè Divina summi Dei Parentis ac Virginis, in hominum animis operatura est? Si nescio quis adolescens Virginis cujusdam formâ captus, tam vehementi amoris flagravit æstu, ut se in apertissimum vitæ discrimen conijceret, fugamque cum Virgine arripiens, ne ab insequentibus, eorum dissolveretur amoris nexûs, in amplexûs mutuos, arctissimosque irruentes sese ex altissimis rupibus (quæ petra amantium ob facti tam celebris, scilicet memoriam, in hodiernum usque diem nnncupantur) præcipites egerût; Quid castissimus nostræ Virginis facturus est decor, formæque Divinæ elegantia? Si Ioseph Patriarcha in primævo suæ Iuventutis flore, venustate suâ, velut Hercules ille Gallicanus, intuentium animos, aureis quodammodo amoris catenis ad se trahere consueverat, adeò ut Parens, jam morti vicinus, intermortuis quasi vocibus ejus pulchritudinem demirans, dixerit Gen: 49. *Filius accrescens Ioseph, Filius accrescens & decorus aspectu, Filiæ discurrerunt super murum*; ejus nimirum faciei pulcherrimæ contemplandæ cupidissimæ. Si Moyses adhuc Infantulus Filiæ Regis Pharaonis, formæ suæ elegantia, adeò permovit animum, ut eum in Filium adoptaret; diceretque

Amor Iacobi in Rachelé.

Amoris vis.

Iosephi Patriarchæ pulchritudo.

Parenti, ut inquit Ioseph. lib. 2. Iudaic. Antiq. *Hunc puerum ego educaui, non minùs indole, quàm pulchritudine Divinâ excellentem, quem Nilus ipse in sinum meum tradidisse videri potest.* Si idem postea ubi *adolevit*, incredibili suâ pulchritudine adeò extitit admirabilis, ut persona digna imperio videretur; eamque ob causam Pharao eum in Regni Socium adscribere, Regium ejus capiti imponendo diadema, cogitaret: Si denique ut testatur idem Iosephus, eodem Moyse per compita plateasque ambulante, obvius quisq; ad raram ipsius contemplandam pulchritudinem subsistebat, opifices relictis operibus, quæ habebant præ manibus, ex officinis prosiliebant, mulieres per fenestras tam præstanti forma capræ curiosè prospectabant. Alij demum serijs posthabitis negotijs præcellenti ejus forma oculos pascebant. *Nemo enim erat* (verba sunt Iosephi) *adeò tetricus, ut visa Moysi pulchritudine non obstupesceret, & persæpe accidit, ut obvios quosq; in se converteret. Tanta erat tamq; admiranda ejus gratia ipsi à DEO indita, ut inviti homines ab hoc spectaculo discederent*: Si inquam Moysis gratia ac venustas tantâ vi pollebat atque energiâ: Quomodo DEVS immortalis, Matris Dei pulchritudo divinissima omnium mortalium corda animosque non ad sese rapiet? Si unius infœlicis Helenæ pulchritudo infœlicissima tota Asia, tam cruentum bellum, tot flammas, tot ignes, tot urbium causavit excidia; quomodo non Matris Dei divinissima nos ad debellandum acerrimè universum carnis, ac sensus Regnum, ad exscindendam penitus in nobis concupiscentiæ, membris nostris innatam rebellionem accendet, atque excitabit, quoad Virginis eminentissimam illam, & plusquam Angelicam pulchritudinem contemplandam digni evadamus. Neq; enim ullus, qui sensus carnisque dominium non excusserit, cordisque puritate, concupiscentiæ illecebras funditus non exciderit, vel servitio, vel patrocinio, vel familiaritate Deiparæ dignus censebitur. Hanc cordis puritatem requirere videbatur Sanctus Bonaventura Psalmo. 103. quando animas ad laudandam Deiparam excitabat, quo dignæ castissimis Filij dilectissimi nuptijs invenirentur: *Confitemini*, inquiens, *Domina nostra, & invocate Nomen*

Moysis pulchritudo Filiã Pharaon. cepit.

Moysis pulchritudo homines ad se pellicie bat.

Helenæ pulchritudo quantorum malorum causã.

ejus, cantate ei gloriosè narrantes virtutes ejus. Laudate & exaltate eam Virgines Filiæ Sion, & desponsabit vobis Regem Angelorum. Honorate Reginam plenam omni gratiâ, & contemplemini cum reverentia sanctissimum vultum ejus. Vnde Richardus à S. Laurent. lib. 2. de laud. partic. 6. inter reliquas servorum B. V. proprietates, quibus velut tesserâ à cœteris hominibus distinguuntur cordis munditiam nominavit. *Debent enim esse mundi*, inquit, *atq; immaculati servi & laudatores Mariæ. Ipsa est enim Hortus conclusus & fons signatus; nec intrandum est in hortum floridum ac deliciosum, pedibus lutulentis: nec aqua purissimi fontis, sordidis est manibus haurienda. Ad agendum enim de B. V. non est nisi mundo corde, purificatisq; cogitationibus accedendum. Apis est Virgo*, addit idem, citatque Eccli. cap. 11. *brevis in volatilibus Apis, quæ fugatur fœtore, & quantò magis ipsa est purior, magis fœtet ipsi luxuriosus, & impius, reliquaq; vitiorum abominationes;* sic ille & verè. Si enim Gentilis Poëta ille de profanis Ethnicorum sacris dignè tractandis canere ausus est:

In Mariæ amatore requiritur puritas mentis.

Maria Apis castissima horrens luxuriosos.

Casta placent Superis, pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquas.

Qua mentis animique puritate præditos nos esse decet, qui omnis puritatis candorisq; illius sempiternæ lucis Parenti deservim⁹? Eliminatis igitur carnaliū voluptatum, amorumque profanorū illecebris à corde nostro profligatis, ad Divinam hanc purissimæ Virginis pulchritudinem, ut mentis nostræ illuminentur tenebræ, accedamus. Profani siquidem nefandique amores oculos mentis nostræ, ne tam mirificam Virginis nostræ purissimæ speciem contemplemur, eamque castissimè adamemus, in eamque quodammodo transmutemur, velare consueverunt.

Amatori Deiparæ impurus Amor debellandus.

49. Quare cupidinem, ejusq; consceleratas detestando faces, castioribus amoris Virginei succensi facibus, exclamemus cum Poëta:

Cede fatigato pectore turpis Amor.

Exclamemus, inquam, & generosissimè de fœdi amoris hujus Tyrannide triumphantes cum eodem concinamus.

Paridis amentia in Venereis voluptatibus amplectēdis postposita Sapientia &c.

Vicimus & pedibus domitum calcamus Amorem.

Caveamus, per Deum immortalem, à stolidissima illa electione, quàm Poëtæ Paridem fecisse (vera amentium mortalium taxantes deliria) fabulantur: cui cum Iuno, cœlorum Regnum; Pallas fortitudinem, ac sapientiam; Venus carnalium voluptatum illecebras promitteret, infœlix à turpi excœcatus Cupidine putidissima carnis est amplexus oblectamenta, ob quæ tandem notissimis illis atque infœlicissimis ob raptam Helenam jactatus est Tragœdijs. O si Virginea hæc ac prorsus Divinissima Deiparæ Pulchritudo à nobis identidem accuratiùs considerata, cor animumque nostrum ita in sui castissimum amorem attraheret, vt pro illa, contra mundi blandimenta, carnaliumque illecebrarum irritamenta assiduè depugnare nobis esset volupe, mirificam sanè fortitudinem ac robur, sapientiamque plusquam Palladiam imò Divinam, indipisceremur: cœlorum denique Regnum non promissimum duntaxat in spe, sed reipsa in nos mox advenire experiremur. debellatis enim tumultuantibus animi rebellantis cupiditatibus, Virgineæ pulchritudinis piè contemplatæ, beneficio, pax illa quæ exsuperat omnem sensum, mentis jubilus, ac tripudium consequatur necesse est, quibus beatum cœlorum illud Regnum continetur, de quo increata Veritas ipsa: *Regnum DEI intra vos est;* quod quale nam tandem sit, præclarè docuit Apostolus Rom: 14. *Non est*, inquiens, *Regnum DEI esca & potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto, qui enim in hoc servit Christo, placet DEO.* Placet, inquam, & sanctissimæ ejus Matri, quæ, triumphatis illecebris carnalibus, de pace illa nostra, hilarique tranquillitate animi, quæ in nobis consequitur, mirificè gaudet sibique complacet. Desiderat ergo quispiam rebellantes cupiditatum furores compescere, Cupidinis Tartareas faces extinguere, arcus telaque confringere, incendere, in favillas redigere? Virginem hanc tam cœlesti venustate conspicuam vnà cum dulcissimo Filio in sinu ejus, gremioque velut aureo eburneoque Salomonis Throno residentem, à quo pulchritudinem illam omnem velut lucidissimū radium à Sole Virgo est mutuata, confidentissimè accedat, velut ad sacram anchoram, velut ad tutissimum asylum adeat; compescet mihi credite vel solo suo Virgo purissima conspectu omnes carnis rebellantis tumultûs; cœci Amoris stygias extinguet fàces, arcûs, pharetram, igneaque ejusdem confringet spicula, comburet, in cineresque convertet; & cor duplicatis sancti amoris tā sui, quàm

Dei gratia & pax est Regnū Dei in anima.

B.V. aspectus carnis tentationes extinguit.

M Filij

Filij accendet ignibus, dulcissimis sauciabit spiculis, ita ut meritò cum pijssimo illo, ac Religiosissimo Poëta suavissimo amoris exæstuans incendiò possit canere:

Non sat erat consumpta unum per viscera telum?
Bina conspirant in mea corda faces?
Pupulus in gremio dum ludit, & ore puella.
In jaculo jaculum est, ignis in igne sedet,
Tela quatit Puer & Genitrix: incendia jactat
Pulchra Parens; glomerat pulchrior ipse Puer.
Eja agite: haud magnum est si vos duo vincitis unum;
At mihi honor, geminâ succubuisse face.
Dulce malū! ah! cur nō data sunt mihi pectora plura,
Pectora tam charis obvia vulneribus?
Dulce mori! ah! cur non geminata est vita beatis?
Esset qua totidem debita funeribus?
Non est hac tua flamma Venus, non arma Cupido,
Fœda parens procul hinc, hinc fuge fœde Puer.
At tu qui nostrum rides, aut spernis amorem
Quisquis es, ò possis igne perire meo. Franc Rem.

IESVS & MARIA sunt ardentes amoris faces.

IESVS & MARIA duo jacula & duo ignes amoris.

50. His Virginei amoris spiculis, quæ, purissimis illis oculis evibrari videbantur, sauciari optabat S. Anselmus DEIparæ amator feruentissimus, cùm in contemplat: de B. V. exclamavit: *O Fœmina plena & superplena gratia, de cujus plenitudinis exundantia respersa sic convirescit omnis creatura. O Virgo benedicta & superbenedicta. O nimis exaltata, quam sequi conatur affectus anima mea, quo effugis aciem mentis mea? O pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, quò evadis capacitatem cordis mei? Prastolare Domina infirmam animam te sequentem: ne abscondas te Domina parum videnti te anima, te quarenti. Miserere Domina animam post te anhelando languentem. Mira res, in quam sublimi contemplor Mariam locatam? Nihil aquale Maria: nihil nisi DEVS majus Maria.* Eisdem oculorum spiculis castissimis configi optabat ille Virgineo lacte quodammodò enutritus Bernardus, dum tam calenti amoris affectu DEIparam exorabat: *Eja ergo Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Non dubitamus Domina, quin si nostras aspexeris miserias non poterit tua miseratio suum retardare effectum. Mirabiles, nec non & amabiles sunt illi tuorum radij oculorum, quibus nos allicis ad amorem, & ad plenam conducis salutē, ne venenatos oculos Infernalis Basilisci timeamus. O Eva oculi venenati cur non offertis vos oculis Virginis, si vultis perfectam recipere medicinam, nam ipsius claritas oculorum tenebras expellit, effugat catervas Dæmonum, purgat vitia mentium, corda congelata accendit, & demum ad cœlestia pertrahit. O quam beati sunt ò Domina, quos tui viderint oculi. Hos ergo oculos Domina ad nos converte.* Sic orabat Sanctus hic Medic: in Salve Regina. Sic identidem oremus, & nos, Virgineam illam pulchritudinem contemplantes, experiemur sine dubio illos ipsius potentissimos oculorum radios, totidem esse amoris castissimi spicula, quibus fœliciter confossi, mundo, carni, ejusque concupiscentijs emortui, castissimisque ejus amoris flammis absumpti ad instar cujuspiam Phœnicis, meliori longè vita vivemus, quousque labilem hanc fluxamque vitam cum perenni illa beataq; permutemus.

B. V. pulchra ad intuendū, & delectabilis ad amandum.

Mariæ oculorum vis potentissima.

51. Hinc cœlestis Sponsus, Virginis hujus purissimę oculos, acutissima amoris expertus esse spicula, amanter ei dicebat: *Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa in uno oculorum tuorum.* Alibi etiam pulchritudinem præsertim oculorum Sponsæ, amoris esse Conciliatricem ostendit: *Quam pulchra es,* inquiens, *amica mea, quam pulchra, oculi tui columbarum!* Similiter eadem Sponsa Sponsi sui oculos, amorem conciliantes esse uti suos, insinuans, cùm à capite ad calcem pulchritudinem ejus celebrasset, dixit: *Oculi ejus,* inquit, *sicut columba desuper rivos aquarum, qua lacte sunt lota, & resident juxta fluenta plenissima.* His amorosis Sponsi oculis Virgo vicissim sauciata dulciter amanterque quærebatur. *Vulnerata charitate ego sum.* Quare quisquis impuri amoris ardentibus se impeti atque configi advertit spiculis, ad Matrem hanc pulchræ dilectionis, Amorem Divinum, amore nostri humanatum ulnis gestantem recurrat, duplicibus hiscé oculorum fœliciter sauciatus spiculis, præsentissimum vulneri suo invenerit remediū.

IESVS & MARIA mutuis amorosis aspectibus velut sagittis sese configant.

IESVS & MARIA remediū fœdi amoris.

52. De hiscé Sponsi & Sponsæ oculis corda vulnerantibus, præclarè Ioannes Gerson, aspectum illum DEI quo respexit Virginem enucleans, disseruit: *Oculus,* inquit, *vulnerans Sponsam, oculus est amoris, quo nullus acutior, nullus penetrabilior, nullus ad intimi cordis vulnerationem efficacior dici potest. Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa in uno oculorum tuorum. Non aliter de oculo Sponsi respectu Sponsa: quia respectus amorosus Sponsi sauciat Sponsam; ita vt exclamet: Vulnerata charitate Ego sum; & amore langueo. Hoc est pracipuum tam in Sponso, quàm in Sponsa membrum. Unde Sponsus cùm laudaret Sponsa pulchritudinem, dicit: Quam pulchra es amica mea, quam pulchra! mox subjunxit: Oculi tui columbarum. Et quid* per

Oculus Dei vulnerans Sponsam, oculus est amoris.

per columbam intelligis, nisi amorem simplicem? In columba enim Spiritus Sanctus, cui appropriatur amor, sæpiùs apparuit. Sic postmodum Sponsa insinuans Filiabus Hierusalem pulchritudinem dilecti sui, eandem posuit comparationem: Oculi ejus, inquiens, *sicut Columbæ. Hinc est illa duorum mutua postulatio, videri scilicet & videre. Deniq; blanditur cupitq; videre Sponsam: Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. His perspicuum fit desiderium quod habet Sponsus, & Sponsa se mutuo videndi; quoniam visio nuncius est præcipuus amoris cordialis; nam ubi amor, ibi oculus. Nihil amore amabiliùs. Dabo tibi, inquit Seneca, poculum amatorium sine herbis absq; veneficijs: Si vis amari, ama. Hoc in amatoribus etiam fœtidissimis locum habet, quantò efficaciùs in pulcherrimis? Hic respectus DEI jure Mariam humilem traxit ad amorem suum, ut tota ne dum gauderet, sed præ amoris magnitudine spiritualiter exultaret, hoc est, extra se saltaret in Dilectum. Hic etiam corporalis aspectus, in Infantulo IESV solabatur omnes illius peregrinationis laboriosissimæ labores & angustias. Sic in pueritia, sic in adolescentia, donec in Cruce vidit extensum.* Hæc Gerson de mutuis, amore plenissimis Matris ac Filij cor ad invicem inflãmantibus ac sauciantibus aspectibus, quos sanè si quis diligentiùs ac teneriori aliquo pietatis, expendat affectu; continere se vix poterit, quin in illa, similiaúe prorumpat verba. O Iesv! O Maria! amoris mei dulcissimi, mutuas has vestri purissimi amoris flammas ac spicula in nos quæso, in præcordia nostra retorquete, his nos sauciate, his nos in amorem vestrum accendite, ac penitus concremate, ut sancto vestro amore confixi ac succensi, mundo, vitæq; carnali mortui vobis hic & in æternum vivamus.

Columba symbolum simplicis amoris.

Oculi amoris duces.

Amoris poculum est Amor alteri exhibitus.

Aspectus Dei Mariam traxit ad amorem.

Puer IESVS aspectu suo Matris dolores solabatur.

53. His nimirum Iesv & Mariæ, oculis velut ignitis sagittis, sauciatus erat Alphonsus Rodriquez nostræ Societatis Religiosus, cùm eorum amore succensus precatiunculam illam ingeminabat: IESVS Maria, mei dulcissimi Amores! Patiar ego, moriar ego vestri amore: vester sim totus, & nullatenus meus, ac si nihil prorsus essem. Virgineis quoq; sauciatus videbatur oculis Societatis nostræ P. Emmanuel Fernandez Prophetiæ Spiritu clarus, cùm intermortuis vocibus clamabat: Ah! Sanctissima Domina, Sanctissima Domina mea! Tum conversus ad Socios: Video, inquit, Sacratissimam Dei Matrem Divinâ pulchritudine admirabilem. Sinite me abeuntem sequi. Sequamur & nos Virginem, ejus pulchritudine capti iterantes illud: *Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.*

Alphonsi Rodriquez in IESVM & Mariam Amor.

Emmanuelis Fernandez morientis Amor in B. V.

54. O si ardentissimum illud Virginis nostræ dulcissimæ contemplandæ nos accenderet desiderium, quo pius Sacerdos ille, ejusdem Deiparæ studiosissimus exarsisse à D. Antonino 4. Par. tit. 15. cap. 11. & Vincentio Giliberto doctissimo Ecclesiaste Par. 1. de Civitate Dei, lect. 15. n. 44. alijsque memoratur. Cùm enim encomium illud Sponsi nostrique hujusce Tractatus Thema, *Tota pulchra es &c.* evoluisset, calentissimas ad illam fudit preces, dignum se vel semel reddere dignaretur, qui eam, intueri posset. Post dies aliquot Angelus se ei visendum exhibuit, qui Virginis Sacratissimæ nomine nunciabat; annuisse Dei Matrem, ejus postulatis, dummodo ea visa contentus foret, videndi destitui facultate. Tantæ tamque Divinæ pulchritudinis videndæ avidus Sacerdos, jam pridem amore purissimo Virginis fœliciter in animo suo quodammodo cœcus, conditionem extemplo acceptat. Verùm ubi mox venisset in mentem se contuendæ Matris desiderio, amoreque, in posterum, uti quotidie consueverat ad aram sacrificaturus, non visurum Filium, ecce tibi momento illo temporis, quo Reginæ cœlorum præcurrere cœpêre prodromi, splendores nimirum ac coruscationes amabiles, radijque lucis illius inaccessibilis, Angelicorum concentuum, Musicorũque instrumentorum suavissimæ harmoniæ, ingeniosum, ut fert amoris genius, excogitat consilium, oculum nimirum Canonicum claudendi, & dextro dumtaxat utendi, in tam Divina Deiparæ pulchritudine contemplanda. Qua visâ, atque abscedente, oculo dextro remansit captus bonus Sacerdos; de cujus amissione nil præsferre visus est doloris: indoluit solummodo, sibi oculum sinistrum tali tantaque sive pulchritudine, sive beatitudine beare minimè licuisse. Proinde rursus se in orationem effundit, eam deprecatur instantissimè, ejus sibi videndæ denuò concedi gratiam. Exauditur illicò pro innata Virgini benignitate, naturæque facilitate. Et en; ò incredibilem cœlorum

Sacerdos visa pulchritudine B. V. uno oculo orbatus.

Reginæ in homines benevolentiam; non modo oculi illius ei lumen non adimit, verùm etiam alterius, summâ omnium admiratione, restituit.

Idem Sacerdos visa denuo B. V. ocu-tum jam amissum recuperat.

55. O admirandam Virginei aspectus vim atque energiam! Non est hic beatus aspectus Deiparæ, vti reliquarum filiarum hominum, quæ ad instar spinarum cor crudeliter pungere, cor auferre, mentisq; oculos hebetare atq; excœcare consuevit. Quod cùm adverteret Iobus, sapientissimum injit consilium, c. 31. n. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine: quam enim partem haberet in me DEVS desuper?* Nos ècontra cum oculis nostris pacifcamur, ut in hanc Virginem Divina formæ elegantia præstantissimam, obtutus mentis nostræ semper defixos habeamus. Sic enim futurum est, ut omnem in nos partem Devs desuper habeat, internique mentis nostræ oculi, nova semper sereni fulgentissimique hujus Syderis luce in dies magis irradientur, & cupiditatis ardor à corrupta natura cordibus visceribusque humanis inditus, velut vento roris flante, restinguatur. Verissimè enim à magno illo Germaniæ Apostolo Petro Canisio Societatis nostræ pronunciatum est lib. 2. de Virg. Deip: c. 13. ex D. Bonaventura alijsq;, quod licet eximium & admirabilem decorem Maria præseferret, nullum tamen mortalium ex ejus aspectu ad fœdam carnis concupiscentiam solitum incitari. *Ex illo enim*, inquit, *venerando vultu & corpore Divinum aliquid, & Virgineum frigidumq; prodiisse rorem, qui ad impuritatem, libidinemq; omnem spectantium restinguendam & arcendam conferret, ac quasi Virgines germinaret, aut certè ad majorem vitæ honestatem provocaret.*

B.V. ob oculos semper habenda.

Ex vultu B.V. frigidus ros ad extinguédam libidinem emanabat.

56. In hanc igitur gloriosissimam, tam Divinâ eximiam venustate Virginem assiduè magno pietatis sensu mentis obtutum defigant quidem universi, sed potissimum Adolescentes Sapientiæ studiosi, ardenti jugique apud illam prece contendentes, ut benignissimi sui aspectus rore, incentiva sævientium cupiditatum in illis extinguat, castissimosque Virginei sui amoris igniculos ipsorum in præcordijs succendat, quo tantò uberioribus Divinæ Sapientiæ splendoribus irradientur. Præclarè siquidem Divus asseveravit Hieronymus Epist ad Nepotianum: *Sicut* inquiens, *ignis in lignis viridibus suffocatur, ita sapientia in adolescentia, tentationibus, & libidine impedita non explicat suum splendorem, nisi labore, & studio, & oratione, incentiva juventutis intra repellantur.* Et verò repellit, si quis alius vitiorum, Cupidinisque incentiva, nostris solicitata precibus, Virgineo suo aspectu potentissimè Deipara Sacratissima. Si enim aspectus Palæmonis Philosophi in tabella depicti morum gravitatem mirificè præseferentis, meretriculam scelus meditantem, ut testatur Divus Nazianzenus, absterruit, quid tandem pulcherrimum Virginis nostræ vultum, totiusque oris compositionem, modestiam castimoniamque plusquam Angelicam spirantem, facturum arbitramur? Dicamus ergo illi, dum nos fœdis hujusmodi cupiditatibus inflammari persentiscimus, dicamus medullitus, dicamus animitus cum Propheta: *Tibi dixit cor meum quæsivi vultum tuum; vultum tuum Domina requiram, ne auertas faciem tuam à me.* Psal. 26. 8. Rogemus illam atque obsecremus, toto cordis affectu cum devotissimo Ioanne Landspergio Ordinis Carthusiani, illustri sidere, ut nos suos clientulos amore castissimæ suæ pulchritudinis inflammet, quo nobis in posterum omnis humana pulchritudo desipiat atque amarescat. Dicamus inquam: Dignare me quæso, ô desiderabilissima Domina in servulum tuum acceptare, in filium adoptare, assumere in tui amatorem castissimum, & in veneratorem devotissimum. Fac me quæso ô amabilissima de eorum numero, quos pectori tuo Virgineo inscriptos tibi familiarissimè signasti. O dulcis & delectabilis, vulnera cor meum tui amore, ut totus, tuâ pulchritudine attrahar, tuo decore illiciar, tuâ pietate capiar, tuâ dulcedine absorbear, tui Amore ardeam, & langueam, Amen. In lib. Theoriarum, Theoria 4.

Literarum studiosi B. V. præ oculis habeant, ut in castitate proficiant.

Palæmonis Philosophi gravitas in tabella depicta muliercula à scelere deterret.

Magna vis præsentiæ B. V. ad extinguédam libidinem.

Oratio Landspergij ad impetrandū castum amorem B. Virginis.

Nec Matrem Virginem rogasse pro amore hoc Virgineo impetrando contentus, ut ardentissimum suum quò eam amandi flagraret, desiderium ostendat, convertitur Theoria 7. & ad Filium, quô se gratia illa, amoreque dignum efficiat: Eja, inquiens, dulcissime Iesv, animarum Amator es, & nihil nobis tam salubre negans, da mihi Xenium illud inter omnes creaturas nobilissimum, tibi placentissimum, mortalibus desideratissimum, post te solatium

ac

ac gaudium nostrum unicum ac præcipuum. Da mihi Puellam hanc ante mundi constitutionem tibi electam. Nec sinas,ut ab hac gratia, seu vilitas, seu pravitas propria me excludat. Non impediant me peccata mea,quin potiùs, tu aufer à me iniquitates meas. Aufer ab anima mea omnes sordes,&quidquid oculis hujus Beatissimæ Virginis non congruit. Iube ei, ut consentiat me recipere in servulum, in filium,in Alumnum,in sui Amatorem, ut ipsa vult, castissimum, ferventissimum ac fidelissimum. Zeletur ipsa pro me, zeletur pro te,ut per eam totum possideas me, nec uspiam pateat mihi locus recedendi à te.

MEDITATIO III.

I.



Ontemplare Anima mea Divinæ Gratiæ excellentiam; quæ profundissimam Virgineæ humilitatis replendo vallem, vastissimum quoddam cœlestium charismatum, donorumque Spiritus sancti; imò ipsius quodammodo Divinitatis effecit Oceanum. Purissimam enim illam Deiparæ sanctificans animam, Divinæque consortem efficiens Naturæ, ut ait Apostolorum Princeps, in pulchritudinem Divinam transformavit, ut eam contemplantes, formæ elegantis alioqui amantissimi mortales, amore castissimo accensi, putidissimos carnalis pulchritudinis amores detestarentur. Quid agis anima mea,quid agis? quid oculos in hac creaturarum universitate,venustatem earum admirando, circumfers; in quarum, velut Dei vestigiorum imaginumque consideratione, jure merito cum Regio Psalte,& S. illo Antistite Borromæo dies noctesque concinere potes vocibus,musicis instrumentis, associatis: *Bonum est confiteri Domino,& Psallere nomini tuo Altissime, in decacordo Psalterio, cum cantico in cythara: quia delectasti me Domine in factura tua,& in operibus manuum tuarum exultabo.* Potiori sanè jure in tui, ô Virgo, utpote omnium creaturarum mulierumque pulcherrimæ (in quam cœlestis artifex plenâ, quod ajunt manu speciem formamque cunctarum congessisse visus est) contemplatione, Divinam Sapientiam,Potentiam,Bonitatemque universi collaudare deberemus, quod nos tuâ tam Divinâ pulchritudine oblectare, & gaudere voluerit, ut hac tuâ tam raræ pulchritudinis escâ inescati, quamcunque aliam formæ venustatem, velut vitiorum, carnaliumque illecebrarum irritamentum fastidiremus. Verè in te ô Virgo omnium creaturarum considerando recapitulatam Divinitus pulchritudinem, ac perfectionem, jure exclamare possumus cum eodem Davide: *Quam magnificata sunt opera tua Domine: nimis profunda facta sunt cogitationes tuæ.* Verè in te universorum Creator magnificavit opera sua, quia fecit tibi magna qui potens est, & sanctum Nomen ejus. Et siquidem in te, compendio quodam admirabili, omnium Dei operum pulchritudo continetur, magnificando te Dominus, magnificavit quoque eorundem pulchritudinem,ac mirificè nobilitavit. Verè magnificata sunt quidem omnia Dei opera, quia in condendis cœlis, stellis, ac Planetis, in condenda terra,reliquisque elementis,in plantis, floribus, arboribus, animalibus, cæterisque eorundem ornamentis, insignem magnificentiam sumptuumque profusionem quandam demonstravit: at in te condenda velut opus suum speciale, velut nobilissimum Regiumque suum palatium vim omnem perfectionum suarum, præsertim Omnipotentiæ,Sapientiæ,ac Bonitatis exeruit, ut digna fieres tantæ Majestatis ad habitandum domicilium: Verè cogitationes illæ Dei, de te Virgo Sanctissima condenda,nimis factæ sunt profundæ atque inperscrutabiles; Quis enim unquam scrutari potuisset, tam imbecilli fragilique sexu, qualis est muliebris, Tartareos humani generis hostes triumphandos, effringendos carceres, captivos liberandos; & qui scelere, superbia, atque inobedientiâ fœminæ erant perditi,fœminæ quoq; unius insigni virtute,humilitate profundissima, atque obedientia esse recuperãdos? Quis hanc scrutari unquam divinaram cogitationum potuisset profunditatem ac abyssum? Quis sibi persuadere valuisset contra formæ ad malum irritamentum, ac Sirenum blandimenta, Tuæ formæ, ô Virgo sacratissima, admirandæ elegantiam futuram efficacissimum miseris mortalibus à Divina providentia inventum medicamentum? Quam

B.V. pulchritudo, terrenæ cuiuscunq; pulchritudinis fastidium inducit.

In B. V. Deus magnificavit opera sua.

In B.V. condenda fuerunt profundæ Dei cogitationes.

Quam ob causam jure merito tibi tuus Seraphinus Psal: 22. concinebat: *Benedicti sint oculi tui splendidissimi, quos digneris misericorditer convertere super nos peccatores. Benedictum sit lumen, & splendor faciei tuæ, benedicta sit gratia vultus tui.* Meritò Psal. 90. tuum auxilium, inter hostium tentationes constitutus implorabat. *Exurge Domina & judica causam nostram, & ab insurgentibus in nos libera nos. Ne retrahas a peccatore dexteram tuam, excipe gladio tuo iacula Vastatoris.* O si hac tua forma ac pulchritudine castissimè delectatus, cum hoc eodem tibi devoto valerem omnes ad tuas laudes ad tuum purissimum amorem allicere; O si ardenti affectu orbem ad instar Seraphini circumvolitando ad te celebrandā amandamq; omnes invitare possē: *Cantate plena gratia Canticū novum, cantate Maria omnes terrigenæ Orbis. Quoniā omnes Angelos Sanctitate præcellit, & natos mulierum virtutibus mirabilibus ac signis: Formositas & gloria in vultu illius, & gratia in oculis ejus. Afferte illi gloriam patriæ gentium, exultate in ea omnes creaturæ DEI. Admirabile commercium habetis per eam, ex qua vocati estis Filij Dei excelsi.* Ps. 94.

2. Considera quod ad contemplandam Divinam hanc Virginis pulchritudinem, requiratur cordis mentisque excellens puritas, qua velut luce cœlesti irradiati, apti efficimur, atque idonei ad Dei Matrem intuendam, ejusque potentissimos oculorum castissimorum radios in nobis excipiendos. Quare genuino tantæ Virginis Matris cultori ac Filio nihil æquè fugiendum, atque peccatum, præsertim verò lethale, quod maculans atque defœdans animam, mentis oculos, cœca quadam caligine involuit, ita ut ad consideranda cœlestia, purissimamque hanc Deiparæ pulchritudinē prorsus reddantur inhabiles. O Virgo sacratissima, ingenera atque insere in me sacrum horrorem peccati, ut vel audito ejus nomine contremiscam, impetra mihi à tuo benedicto Filio, ut tanquam à facie colubri semper illud fugiam, ac morte magis execrer: O si mihi Regium planè illum S. Ludovici inderes animum, possemque semper constanter medullitusque dicere: *Malo mori, quàm peccare.* Vel illum Sancti Edmundi Cantuar. Episcopi, quo identidem iterabat animitus: *Malo insilire in rogum ardentissimum, quàm peccatum ullum admittere in DEVM meum.*

Peccatum abhorrendum ad instar colubri.

Potius mors, & rogus eligendus quam peccatum.

O si mentis meæ oculos, tuorum oculorum fulgentissima luce illuminare dignareris, ut sic irradiatus, peccati turpitudinem, ac Divinæ gratiæ, animæque donis Dei gratuitis exornatæ, penetrare valerem excellentiam; quo ejus sic agnita dignitate studeam illam assiduè novis gratiæ incrementis, perpolire, teq; velut omnis puritatis ac sanctimoniæ speculum intuendo, tuæ sacratissimæ animæ puritatem, ac internam pulchritudinem æmulari liceret.

O si mihi favorem illum indulgeres Catharinæ Senensis, quæ ad animæ gratiâ Dei decoratæ intuendam formæ elegantiam fuit illuminata, adeò, ut ea visa censuerit tot labores, imò & sanguinem ac vitam tui Filij bene impensam ac profusam ejus amore; sic ego quoque aspectū tuo serenissimo irradiarer, ut tuâ reliquarumque animarum agnita pulchritudine benè ac fructuosè impensos labores omnes, durasque virtutis exercitationes in hac vita pro venustate hac animæ comparanda judicarem, adeòque Divinæ tuæ pulchritudinis Virgo Sanctissima, amore extra memetipsū, extra carnis, & sensuum omnium dominium, ac illecebras raperer, atque in te absorberer, ut non ampliùs hac meâ, sed tuâ vitâ, verè vitali ac divinâ viverem. Converte igitur vultum illum tuum ad nos Virgo Beata lucidissimum; converte illos tuos radiantes ac misericordia pietateq; plenissimos oculos, ut aspectu tuo, veluti Sole recreati ac vivificati, vitâ tuâ, ô Vita nostra dulcis, & amabilis perenniter vivamus. Tu enim verè es, ut tuus canit Psaltes Psal. 59. *Tu inquam, es, rutilans & decora, nubes rorifera & consurgens Aurora. Pulchra es, & clara ut Luna plenissima, & tanquam Sol refulget sacer aspectus tuus; Aspectu igitur hoc pulcherrimo ac lucidissimo respice in me, & miserere mei.* Denique te cum eodem tuo devoto Psalte iterum oro atque obsecro: *Domina illuminatio mea, sit splendor faciei tuæ super nos, & serenitas gratiæ tuæ refulgeat menti meæ. Ne avertas faciem tuam à me, quia speciem & decorem tuum à juventute mea concupivi. Te amavi & exquisivi Regina cœlorum, misericordiam & gratiam tuam ne subtrahas à servo tuo. Confitebor tibi in nationibus, & thronum gloriæ tuæ honorificabo in sæculum.* Psal. 26. *Vulnera cor meum charitate tuâ, & concupiscentiâ sanctâ tuâ cor meum inflammetur.*

Cathar. Sen. vidit pulchritudinem animæ.


Mariæ vultus illuminatio nostra.

Obse-

Obsecro denique te cum tuo devotissimo Iusto Landspergio Theor. 17. ut in gratiam tuam in amorem tuum ô dulcissima Amatrix me suscipias. O utinam cor meum amoris tui vulnere perfodias, ut te semper cogitem, te salutem, te diligam, te sequar veneratione devotissima, affectione castissima, & imitatione fidelissima. IESV Christe Fili DEI per omnes miserationes te obtestor & obsecro, impera Matri tuæ, ut in curam suam & gratiam me suscipiat, me regat & dirigat, charitatem perfectissimam, & quidquid tibi placuerit mihi impetret, mihi se donet, me sibi accipiat, faciatque suis apud te precibus, ut tibi semper placeam, sine tui offensione vivam, inseparabiliterque tibi inhæream. O dulcissima Domina suscipe me in amorem tuum, & in gratiam tuam, ita mecum agas, talem me facias, qui gratia & amore tuo dignus habear, & qui secundùm purissimi tui cordis beneplacitum tibi & Filio tuo sim acceptissimus. O amantissima Domina vulnera, accende, reple cor meum amore tui castissimo, ardentissimo, fidelissimo, charitateque perfectissima ad DEVM & proximum. Portem te semper in corde meo, simque semper & indelebiliter scriptus in corde tuo. Exaudi me Domina, potes enim hæc, quia quidquid à Filio tuo vis, impetrabis,

Amen.

AVE MARIA.



DISCVR-



DISCVRSVS IV.

Quòd Virgo Deipara Imaginem pulchritudinis, ac perfectionis Divinæ Essentiæ in se expresserit.

Speculum sine macula Divinæ Majestatis, & Imago Bonitatis illius. Sap: 7.



I. Magnus Ecclesiæ Doctor S. Ambrosius Virginem Divinæ naturæ perfectiones, ineffabilemque pulchritudinem repræsentantem contemplans, eam fontem signatum, ac insignitum peculiari quâdam ratione, DEI similitudine prædicavit; & ante illum cœlestis Sponsus, dum ipsius tam internam animi, quàm externam corporis admirandis planè coloribus, à capite ad pedes depinxit pulchritudinem; *Hortus*, inquiens, *conclusus Soror mea Sponsa: Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium.* Cant: 4. Cujus elogij reddens rationem S. Doctor lib de Virg: *Fons*, inquit, *signatus ideò quod expressam imaginem Dei synceri fontis unda retineat, ne volutabris spiritualium bestiarum, sparso cœno fluenta turbentur.* Et lib: 10. c. 82. *Fons*, ait, *signatus, eò quod Virginitas sit fons, & origo pudicitiæ, in quo fonte imago Dei luceat, quia cum munditia corporis congruit etiam puritas mentis.* Similiter encomium illud Sponsi explanat D. Hieron. serm. de Assumptione B.V. *Fons*, inquit, *signatus sigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitæ manat, in cujus lumine omnes videbimus lumen, quia ipse illuminet omnē hominē venientem in hunc mundum.* Ioannes Carmelita sic Sponsū de hac sui in fontē hūc impressa imagine ad Sponsam loquentem introducit: *Bibisti aquam Divinæ gratiæ ac vitæ, quam Ego tibi dedi, & effecta es fons salientis aquæ in vitam æternam, in quam gratia, vi suâ conscendit. Et ne aqua surriperetur ista, aut inficeretur, obsignavi te meipso, velut sigillo Regio.*

Maria fons signatus, Divinam imaginem repræsentans.

Maria fons signatus sigillo totius Trinitatis.

Maria fons signatus sigillo Regio.

Guilelmus Abbas denique apud Delrium in Cant. de hoc Virgineo fonte, Divino Sigillo communito, ita loquitur: Fons signatus est Virgo sigillo Virginitatis perpetuæ habente imaginem Sponsi cœlestis ex impressione annuli ejus, de quo Sancta quædam anima: *Annulo*, inquit, *suo subarravit me Dominus meus Iesus Christus.* Nempè tunc sigillum Virginitatis, imagine Sponsi insignitur, cum annulo amoris ejus imprimitur, & tam diu Sponsi servat imaginem, quamdiu Virginitas Sponso custoditur. Verùm si gloria humana, vel quid aliud præter Sponsum quæratur, in eodem sigillo imago Sponsi cœlestis illico obliteratur: Sigillum autem, quo signatus erat fons ille, de quo nobis, salvo eodem sigillo, Salus manavit tam altè fuit impressum, tam profundè cœlestis Sponsi imaginem imbiberat, ut nullo modo Imago posset obliterari, sicut nec ipsum sigillum poterat temerari. Nihilominus sicut salvâ cera potest per eam aqua exsudare, & penetrare, sic ex hoc fonte, salvo sigillo rivus emanavit, de quo in Ecclico dicit Sponsus: Ego quasi fluvius Doryx, & quasi aquæ exivi de Paradyso. Hæc Guilelmus ex quibus facilè colligimus Sponsam, non solùm Sponsi Filij Imaginem impressam circumtulisse, verùm etiam reliquarum SS. Trinitatis personarum, ob unitatem ejusdem essentiæ quæ etiam indivisa erat in Filio.

B. V. Fons signatus Sigillo Virginitatis & imagine Filij.

2. Quare jure merito Salomon hanc sempiternæ Sapientiæ Parentem, Divinæ

Maria Speculum animatum, Divinæ Naturæ pulchritudinem exprimens.

Divinæ Naturæ pulchritudinem perfectionemque æmulantem, Speculum quoddam animatum esse dixit, in quo DEI imago ad vivum expressa cernebatur. Quam ob causam D. Augustinus Deiparam *Formam DEI* esse ait. Et B. Andreas Cretensis Episcopus; Virgo est à DEO sculpta Statua, rectè descripta vivi Archetypi Imago. Vnde S. Gregorius Nyssen: Hom: 8. in Cant: aquæ limpidissimæ comparavit DEIPARAM, in qua æterni Solis imago expressa relucebat. Explicans enim verba illa adolescentularum ex 70. Interpp. *Cor indidisti nobis in uno ex oculis tuis, cor indidisti nobis; Quoniam*, inquit, *per Sponsam clarius Animæ aspiciunt Sponsum, qui non cadit sub aspectum, ideò corde donata dicuntur. Quemadmodum enim illi, qui ipsam Solis Sphæram videre non possunt, per aquæ splendorem ipsam conspiciunt, ita in nitido speculo, nempè facie B. V. vident Solem justitiæ, qui per id quod apparet, mente comprehenditur.*

M. aqua limpidissima æterni Solis imaginem repræsentans

M. Fons illimis.

3. Et meritò sanè DEIPARAM lympidissimarum aquarum fontem dixit esse Sponsus, in quo DEI, & ejusdem venustatis, perfectionisque adeò reluxit effigies, ut ejusdem amore captus DEI Filius in purissimum hunc fontem sese ad instar Narcissi demiserit, inque florem colorem cœlesté repræsentantem, in florem, inquam, de radice Iesse ascendentem, super quem Domini Spiritus requievit, sese inauditâ hactenus metamorphosi transformaverit. Verè de hoc fonte Virgineo multò aptiùs cani potest à Poëta Metamor: lib. 3.

Fons erat illimis nitidis argenteus undis
Quem neq; Pastores, nec pasta in monte capellæ
Contigerant, aliudve pecus: quem nulla volucris
Nec fera turbarat, nec lapsus ab arbore ramus:

Verè ad fontem hunc DEI Filius, hominum amore succensus, & animas nostras

Studio venandi lassus, & æstu
Procubuit, faciemq; loci fontemq; secutus,
Dumq; sitim sedare cupit, sitis altera crevit.
Dumq; bibit, visa est correptus imagine forma.

4. Vnde, quid mirum, si niveâ hujus fontis undâ oblectatus DEI Filius, pulchritudinis suæ Imaginem vivam, spirantemque in illo expressam advertens sese in illum, tantæ venustatis excellentiâ captus demiserit, & verus homo factus, in regalem flosculum sit transmutatus? Quid mirum, si fœliciter Divinum hunc Iuvenem Virginei hujus

Dei Filius per Incarnationem in Florem Regium mutatus.

Fontis lusit imago.
Et sterilis consumpsit Amor. Stat: lib: sylu:

Imò amor fœcundus omnium cœlestium gratiarum abundantiâ, quibus ipso in Cruce clamante; *Consummatum est*, animamque purissimam exhalante, in humanum genus copiosissimè redundavit? Amore verè formæ suæ tantæque pulchritudinis capi atque irretiri visus est DEI Filius, cùm homo fieri, pro innata sibi benignitate non est dedignatus.

Audite magnum illum Orientis Imperatorem Leonem, à rerum Divinarum, humanarumque Scientia cognomento Philosophum. *Non est*, inquit ille Hom: de Annunc: B. V. *in pulchritudine Virginis fallax gratia. Vnde specie illâ & pulchritudine captus DEVS, ex omnibus hanc sibi Matrem delegit.* Delegit, inquam, adeòque adamavit, ac deperijt quodammodo, ut pulchritudinis suæ potiundæ desiderio, amore quasi ebrius, in fontem hunc sese demiserit, inque florem candidissimum transformatus sit, ita, ut æternum Verbum de carne Virginis caro factum, carnem corpusque ab Adamo tractum, ac vitiatum non haberet, sed ejus Divinitas Virgineæ puritate carnis, velut Narcissus candentibus folijs circumdari videretur, ut de illo quoque cani posset:

Pulchritudine Divinâ Mariæ captus Deus homo factus est.

IESVS flos candidissimus.

Nusquam corpus erat, croceum pro corpore florem
Inveniunt, folijs medium cingentibus albis.

Ipse enim de se dicit: *Ego flos campi;* campi, inquam, uteri Virginalis, qui, ut inquit S. Bernardus Serm: 45. in Cant: *nec sulcatus vomere, nec defossus sarculo, nec fimo impinguatus, nec manu hominis seminatus, venustatus nihilominus est nobili illo flore, super quem constat requievisse Spiritum Domini: Ecce*, inquit, *odor Filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Necdum speciem suam ille flos agri induerat, & jam dabat odorem suum, quando eum, vt hoc præ gaudio exclamaret, præsensit spiritu, corpore marcens senex, & Sanctus Patriarcha caligans visu, sed odoratu sagax.* Tandem concludit Doctor mellifluus: *Pulchrè autem & convenientissimè sum flos campi, ait, qui & absq; humana industria prodyt, & semel prodeunti nulla est deinceps dominam corruptio. Non enim dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Sic Bern.

Maria campus floridus.

5. Tanta porrò tamque admirabilis hæc Virginis nostræ extitit pulchritudo atque perfectio, ut non solùm Divinam DEI Filij speciem & formam, verùm etiam essentiæ & perfectionũ ipsius similitudinem æmulari videretur, & in illa Divinitatis quædam Idea, luculentissimaque imago resplenderet. Quam

M. Divinæ essentiæ similitudo

M. Candor lucis æternæ.

ob causam non immeritò Sapiens, uti suprà, memoravi, eam candorem lucis æternæ, & Speculum sine macula Dei Majestatis; seu, ut magnus legit Origenes Adamantius: *Speculum DEI inoperationis*, operationum nempè illarum, quas Theologi *Immanentes* dicunt, appellavit. In illa enim, velut in Dei essentia, Divinæ processiones ac productiones Filij, & Spiritus S. mirificè elucescunt, ut infrà ostendemus. Quæ omnia hujusmodi sunt, ut si quis ea consideret attentiùs, obmutescere, & digitum ori imponere cogatur, ne dicat eam mulierem fuisse mortalem, sed potiùs Deam quandam in humano corpore degentem, immortalem.

M. Speculum DivinæMajest.

M. Speculum Divinarum operationum Immanentiū.

Apim Argivorum Regem Ægyptij vetuerūt dici mortalem.

Ad Apis sepulchrū Harpocrates digito ori apposito, silentium indicebat.

6. Idque jure sanè meritissimo. Si enim Ægyptij vetare cupientes ne Apis Argivorum Rex apud illos vita functus homo mortalis ob Divina quædam propemodum ab ipso perpetrata facinora, diceretur, ad tumulum ipsius Statuam Harpocratis, quæ ori apposito digito, silentium indicebat, erexerunt; sancita insuper lege severissima, ut quisquis eum hominem dixisset, capitalem penderet pœnam, ut loquitur S. August: lib: 18. de Civ: c. 5. Potiori jure nos digitum ori apponere, & nefas arbitrari quodammodo decet, si Deiparam tam ad vivum Divinitatem, seu Dei essentiam cum immanentibus ejus operationibus, alijsque perfectionibus repræsentantem in numerum mortalium adscribamus: Vocet igitur illam mortalium Sapientissimus, Divinissimâ ejus, illustratione Spiritus Sancti, dignitate perspecta, vocet: *Speculum Divinæ Majestatis, & Imaginem bonitatis illius.*

M. Speculum, vitro seu crystallo Angelicæ puritatis constans.

7. Speculum verè fuit Virgo Deipara illo mundissimo vitro efformatum, quô superna Hierusalem à dilecto Discipulo composita prædicatur, Apoc: 21. n. 18. puritate nempè Angelica, reliquarumque beatarum mentium absolutissimâ sanctitate: *Ipsa verò Civitas aurum mundum, simile vitro mundo.* Vnde ipsius cœlestem hanc pulchritudinem admirans Sponsus dicebat: *Pulchra es Amica mea, suavis, & decora sicut Ierusalem:* Cant: 6.

M. Speculū, crystallo puritatis Spiritus S. quodammodo compositum.

Erat Virgo sanctissima Speculum, illo lucidissimo Crystallo Fluminis Paradisiaci confectum, Fluminis, inquam, illius ex Throno Patris, Filijque procedentis, quod ipsum sanctissimum ad vivum repræsentabat Spiritum; ut mundo innotesceret animatum hoc Speculum donis, charismatis, gratijsque Spiritus S coaluisse. De Flumine illo Divinissimo sic Ioannes: *Ostendit mihi fluvium aquæ vivæ splendidum tanquam Crystallum procedentem de sede DEI & Agni.* Apocal. 22.

M. gratijs ac donis Spiritus S. quodammodo cōposita.

M. Speculum honestatis omnibus mulieribus.

8. In Speculum hoc intendisse oculos visæ sunt mulieres illæ, quæ in antiquo testamento ad ostium Tabernaculi excubantes honestatis repletæ Spiritu, ut ait Tostatus & Rabbi Abenesra, mundo ejusque ludibrijs valedicentes non modo semetipsas Deo offerebant, verùm etiam sua omnia, usque ad Specula, quibus postea sapientissimus Artifex Beseleel, Templi pulcherrimum illud exornavit lavatorium, de quo Exod. 38. *Fecit labrum æneum cum basi sua, de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio Tabernaculi.* Præsagire sine dubio devotæ illæ mulieres videbantur, venturam olim ad hujus Tabernaculi excubias, ac ministeria Virginem hanc, Parentem Messiæ sacratissimam, quæ Virginibus omnibus vivum animatumque totius honestatis, ac virtutis Speculum, ac exemplum sese esset exhibitura, in quam intuitum defigentes, eximiè internam Spiritus pulchritudinem essent perfecturæ; unde absq; ulla difficultate illis materialibus speculis sese privabant.

Quomodo Specula repræsentent objecta.

9. Videamus porrò quânam ratione lucidissimum hoc, nitidissimumque Speculum nobis Naturam Majestatemque Divinam repræsentet. Variæ sunt Philosophorum opiniones in explicando modo, quo Specula objecta repræsentare consueverunt. Dixêre aliqui in Speculo solam imaginem seu speciem objecti exhiberi. Alij imaginem seu speciem simul, & objectum, ut Averroes, D. Thomas, Scotus & Cajetanus. Alij deniq; docuêre in speculo solùm dumtaxat objectum exprimi, ut Richardus, Vitellius, Apollinaris. Atq; ita jure meritò affirmare possumus Deiparam, velut purissimum immaculatumque extitisse Speculum, quod hiscè modis omnibus mirificè nobis, ob oculos Divinam proponit Naturam. Videre cupimus, quâ ratione imaginem duntaxat similitudinemque Divinæ essentiæ nobis spectandam proponit? Consideremus Divinam essentiam, uti docent cum D. Thoma Theologi 1. p. q. 3. art. 4. quod sit primum Ens, & actus purissimus, primum

M. est Imago Divinæ Essentiæ, creaturarum omnium perfectiones repræsentans.

Prin-

Principium & Causa omnium effectiva, ideóq; contineat in se pulchritudinem perfectionemque creaturarum omnium eminenter, hoc est, longè majori cum excellentia atque perfectione, quàm in ipsis reperiantur creaturis.

10. Non hic loquimur de Imagine illa & similitudine Divina Animæ Virginis impressa, quando dixit universorum Creator: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram;* quam imaginem nos repræsentamus animæ unitate, potentiarumque, Memoriæ, Intellectus, Voluntatisq; trinitate; quæ in Virgine extitit secundùm naturalē supernaturaleq; perfectionem absolutissima, ut præclarè docet Doctissimus noster Suarez Tom. 2. in 3. P. Disp: 2. sect: 3. idq; probat ex eò quod Virgo gratiâ excellentissimâ exornanda erat, debueritque per consequens in natura fundamentum esse proportionatum, anima videlicet cum suis potentijs, omnibus perfectionis numeris absolutissima. Atque ita ejus Memoria semper Deo plena extitit; Intellectus semper Dei Opt: Max: rerumque cœlestium cognitione irradiatus, excedens quam longissimè Cherubicæ scientiæ plenitudinem. Voluntas denique summo æternoque Bono ardentissimo inhærens amore, Seraphicam multis modis superante Charitatem, exardescebat.

In Maria fuit Anima cum suis potentijs perfectissima ob excellentiam gratiæ ipsius.

Memoriæ, intellectus & voluntatis B. V. insignis perfectio

11. Disserimus hic igitur de peculiari imagine Essentiæ, seu Naturæ Divinæ, quatenus in se, velut amplissimo quodam sinu pulchritudinem perfectionemque creaturarum comprædendit, easque velut prima Causa, velut voluntarium Speculum (ita enim Concilium Senonense Divinam Naturam appellat) in se exprimit ac repræsentat. Et talis est certa cum Analogia, ac proportione magna summi Dei Parens, cui effusissima prorsus communicavit liberalitate pulchritudinem, excellentiamque creaturarum omnium tam cœlestium, quàm sublunarium, continens eas in se longè excellentiori modo, quàm in alijs repe- riantur, easque in se, velut in Speculo quodam clarissimo exprimit; hac tamen cum differentia, quod suprema illa Dei Natura perfectiones illas à se, in se comprædendat; Virgo autem nostra participatione dumtaxat, earum similitudinem in se, velut in imagine exprimendo.

Divina Essentia Speculum voluntarium.

M. ad instar Divinæ Essentiæ creaturarum perfectiones in se repræsentat.

12. Audiendus hic Dionysius Carthusianus art. 15. in Cant. qui Deiparam, instar essentiæ Divinæ, puritatem, venustatem, perfectionem, quæ in singulis creaturis est dispersa, habuisse unitam, testatur. Vnde elogium illud librans Sponsi: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es!* Cant: 4. ita loquitur: *Ea, quæ in libro Canticorum dicuntur de Ecclesia, quantum ad meliores, & perfectiores in ea, certum est de nulla persona tam eminenter & convenienter posse exponi, sicut de Virgine gloriosa, cui Sponsus & Filius ait: Quam pulchra es; tantò planè pulchrior cæteris universis, quantò in omni gratia, virtute, dono, beatitudine, fructu perfectior, quantò purior, innocentior, & ab omni culpa immunior, quantò fonti totius pulchritudinis ac decoris propinquior, utpotè vera Mater illius: quidquid de perfectione raptus, & ecstasis, quidquid de prælibatione, & participatione futuræ beatitudinis fuit in alijs, multò eminentiùs in ea creditur extitisse. Et si quidam Sanctorum creduntur DEVM in hac vita vidisse per speciem; cur non potiùs & lympidiùs, & forsan frequentiùs, ac diuturniùs ipsa?* Quod si Virgo singularissimâ hâc gratiâ Visionis beatificæ, quæ inter summas à S. Thoma numeratur, fuit præ ceteris omnibus rationalibus creaturis dotata, adeò ut claram visionem Moysis & Apostoli Pauli multis parasangis superârit; quid de reliquis dicemus animi ejus perfectionibus, quas illa, velut quædam essentia Divina longè eminentiori modo, quàm ulla creatura in se complectebatur?

Cantica Canticorum potissimum Virginis laudes celebrant.

B. V. pulcherrima, quia fons pulchritudinis fuit in ea.

In B. V. fuit perfectior Dei visio quàm in reliquis Sanctis.

13. Idem Dionysius ibidem docet in specie, quod cùm Virgo proxima fonti Divinæ Pulchritudinis, quæ per essentiam talis est, extiterit, maximè de illa participârit, pulchritudinem omnium creaturarum, velut quædam Divina essentia in se complectens. Vnde elogium illud celeberrimum in superioribus fusè explicatum: *Tota pulchra es amica mea &c.* de ipsius Divina explicat venustate: *Hoc de Virgine Divinissima,* inquit ille, *præ cæteris cunctis convenientissimè explanatur, quæ antonomasticè Christi Amica asseritur, & ei in omni Sanctitate, & perfectione similior creditur, in qua cuncta virtutes in termino præclara excellentia sunt inventa.* Tum ut ostendat pulchritudinem quandam Divinæ essentiæ illam participasse, ita prosequitur. *At verò de Pulchro ac Pulchritudine Divinus Dionysius tractat subtiliter ac profundè 4. cap: de Divin: Nom: Divina,* inquiens, *Bonitas laudatur in Scripturis, ut Pulchrum, & Pulchritudo, quæ effectiva est*

M. antonomasticè Christi amica illi in omni Sanctitate similis.

va est omnis Pulchri. In creaturis autem dicitur Pulchrum, quod participat Pulchritudinem. Loquentes verò de DEO dicimus, quod ipse est supersubstantiale Pulchrum, & Pulchritudo, quia pulchrificat existentia omnia, secundùm propriam singulorum proportionem, & causat universalem omnium harmoniam, & claritatem, & juxta proprietatem Solaris radij immittit cum fulgore universitati rerum pulchrificas sua fontana lucis distributiones. Iuxta horum imitationem dicere possumus, quod Sacratissima Puerpera V. M. est tota pulchra, ad intuendum delectabilissima, quæ meritis, precibus, ac virtutibus, famâ, pulchrificat & decorat millia multa, imò totam Ecclesiam, & causat in ipsis fidelibus concordiam, lucem, & charitatis unitatem, quam fons totius Pulchritudinis natus ex ea, tantâ pulchritudine venustavit, ut pura creatura major communicari nequeat, aut non deceat. Hæc Dionysius, ex quibus clarè colligimus, quod quemadmodum Divina essentia, quæ est superpulchra, & Pulchritudo ipsa supersubstantialis pulchritudinem communicat creaturis: ita B. V. quodammodo totam venustat Ecclesiam, siquidem DEI Filius omnis pulchritudinis principium ex ea natus, tantô illam decore venustavit, ut non solùm ipsa super omnes Angelorum Hierarchias, hominumq; justorum Ordines beatissimos evaderet pulcherrima, atque in omni virtute perfectissima, verùm etiam spiritualem hanc venustatem in universalem transfunderet Ecclesiam, ejusque præsertim membra lectissima, quæ illi peculiaribus sese consecrarunt obsequijs.

Divina Pulchritudo omnis Pulchri effectiva.

M. pulchram efficit suis Precibus totam Ecclesiam.

14. Hinc S. Andreas Cretensis Episcopus ser. de Annunciat. Dioptram per quam Divinam naturam ejusque pulchritudinem, ac perfectiones, velut Solem licet intueri, DEIparam vocitavit, dum illam maximô pietatis affectu consalutat: *Salve Dioptra perspectiva, per quã qui in tristi peccatorum umbra residebant, recipientes desuper cum gloria venientem ortum Iustitia Solem mirabiliter illustrati sunt;* Divinâ videlicet cognitione. Illum enim quem nemo hominum vidit, sed ne videre potest per Virginem velut Dioptram, & in Virgine, velut speculo videre licuit. Hinc crediderim Matrem admirabilem ab Ecclesia deprædicari. Præclarè etiam Germanus Patriar. Const. Orat. de Zona Virg. *Omnia in Virgine sunt admirabilia, & natura vires excedentia, in qua DEVS suam exercuit potentiam. Fecit enim in me magna qui potens est.* Quod minimè mirandum ait Ber. Hom. 1. super Missus. *Quid mirum,* inquiens, *si DEVS, qui mirabilis legitur & cernitur in sanctis suis, mirabilem se exhibeat in Matre sua?* Hinc à D. Bernardo Sen. To. 1. ser. 61. art. 6. c. 4. Magnificentia Domini appellatur; quia nimirum in illa, DEI Magnitudo, ac Majestas ejusdemque perfectiones resplendebant; ita ut ipsam, alij intuentes magnificare universorum Dominum suaviter cogerentur.

M. Dioptra, per quam Solem æternum nobis videre licuit.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, mirabilis est etiam in Matre sua

M. Magnificentia Domini, quia in illa magnitudo, ac Majestas Dei resplenduit.

15. Has Divinæ essentiæ perfectiones seu Trinitas Sanctissima, in sententia Card. Halgrini, seu Angeli in sententia Origenis Hom. 2. in Cant. cùm dicunt Sponsæ Cant. 1. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Sive ut legunt 70. Interpp. *Similitudines auri faciemus tibi;* promittere visi sunt, insinuantes illam tot tantisque decorandam virtutibus, perfectionibus, ac Divinis planè ornamentis, ut veram illius Auri invisibilis, atque increati, Divinæ videlicet essentiæ similitudinem in se expressura sit; simulque occasionem daturam omnibus ipsam contemplantibus, Divinam laudibus extollendi Majestatem, quæ tam mirificè in illa resplendere non est dedignata: *Aurum enim,* inquit Origenes, *sæpè ostendimus invisibilis incorporeaq; Natura figuram tenere. Vnde Sponsa Christi Divinitatem in ipso principante laudare volens, dicebat Cant. 7. Caput ejus aurum optimum.* Quod Mysterium apertè declaravit Apostolus: *Caput Christi DEVS.* Cùm ergo Trias beatissima similitudines auri expressurã se in Virgine nostra profitetur, nil aliud, quàm suæ Divinitatis, sive essentiæ similitudinem se in illa repræsentaturam, suâ pulchritudine alijsque innumeris, ijsque eximijs in illam collatis donis perfectionibusque pollicetur. Hinc quæ DEI Filio in sacris attribuuntur litteris, eadem illa & in Virginis honorem prædicantur, quæ omnia Auri similitudines idem vocitavit Origenes: *Fuit,* inquiens, *similitudo Auri Tabernaculum, Arca testamenti, Propitiatorium & Cherubim: Altare incensi; Mensa Panis propositionis. Altare holocaustorum, velamen, Columba, &c. atq; adeò Templũ ipsum; omnia hæc similitudines erant Auri.* Quia Aurum Divinitatem seu Divinam essentiam, quæ erat in Christo, dum repræsentabat, simul Matrem ejus Sanctissimam denotabat, quæ sicut reliquarum Filij perfectionum, sic etiam ejus

Promissio SS. Trin. facta B V. de sua similitudine repræsentanda.

Divina Natura est Aurum.

Caput Sponsi Divinitas.

Quæ in sacris literis Dei Filio attribuuntur, Matri quoque ob naturæ similitudinem assignantur.

Divini-

Divinitatis Auri illius invisibilis similitudinem in se præseferabat. Hanc eandem ob causam Virgo Tabernaculum DEI, Arca fœderis, Propitiatorium Altissimi, Altare Thymiematis, Mensa Panis propositionis, &c. à Sanctis Patribus appellata est, ut eam quoque similitudinem illam Auri increati, Divinæ videlicet essentiæ habuisse intelligeremus.

Ex B. V. oculis radij quidã Divinitatis emicabant.

16. Atque ita licet esset fœmina, humanâ prædita Naturâ, nescio tamen quos Divinitatis radios, toto ore oculisque, dilectissimum suum imitata Filium, evibrabat, dum Divinæ Naturæ perfectiones in illa, velut lucidissimo speculo promicabant. Quod sanè nobis scala illa significabat, quam Iacob Gen. 28. n 13. vidit in somnis *stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoq; Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Verè enim ut ait Fulgent. ser. de Beata Virg: *Deipara omnibus mortalibus ad cœlum Scala est;* quæ stat super terram, quia de terra creata est, sicut & reliquæ fœminæ, sicut nova quædam Eva de terra Virgine, nulli obnoxia maledicto, plena omnium gratiarum benedictione; cœlum tamen vertex ejus attingit, ut ostendat se Gigantis illius exultantis ad currendam viam nostræ redemptionis, esse Matrem, qui stans in terra, immensitate suâ, attingebat cœlum Sap. 18. v 16. & non modo cœlorum, verùm etiam Beatorum Spirituum, eorundemque Conditoris DEI participare perfectiones videbatur. Qui & ideò Scalæ huic Virgineæ innixus cernebatur, ut nobis insinuaret, se quodammodo hujus Virginis, uti & ipsius Filij esse caput, eidemque se suæ Divinæ Naturæ perfectiones similitudinemque contulisse, ut parvus quidam Mundus, Creatoris, creaturarumque omnium pulchritudine conflatus videretur, Divinamque essentiam in se quodammodo repræsentaret.

B.V. Scala Iacob cœlos attingens DEVM ipsum, indicat in se latentem.

B. V. Caput est DEVS.

17. Atque ita summus ille mundi Architectus vastissimam hanc pulcherrimamque cœlorum terrarumque, vnà cum creaturis, illâ continendis, moliturus machinam, hæc ipsius Mater Sanctissima in æternis ejus Divinæ mentis obversata est ideis, indèque ex omni decrevit æternitate pulchritudinem, perfectionemque rerum creandarum, tam cœlestium, quàm sublunarium illi conferre, eamque ad totius pulchritudinis omnisque perfectionis inter omnes puras creaturas provehere principatum. Hinc Rupertus Abbas Severini Boëtij versiculum illum, quo explicabat, quânam ratione mundus ab æterno in mente Divina extitisset:

Maria ab æterno in Mente fuit Divina.

Mundum mente gerens pulchrũ pulcherrimus ipse.

Vnico immutato verbulo ad DEIparæ Creationem transtulit:

Matrem mente gerens pulchrã pulcherrimus ipse.

Hinc idem Religiosissimus Abbas lib. 2. in Cant. expendens verba illa Sponsi: *Surge propera Amica mea, &c.* ait fuisse verba ab omni æternitate pronunciata, à DEO ter Opt. Max. desiderante hominum, post prævisum peccatum Adæ, mediante Filij sui in utero Virginis incarnatione, redemptionem; ac proinde fatetur DEIparam ab æterno in mente Divina præextitisse ante mundi creaturarumque ipsius molitionem, DEUMque ipsum suas cum illa sibi purissimas delicias, ante condita sæcula habuisse. Vnde hac de re sic ferè gloriantem ipsam introducit Virginem: *Dilectus,* inquiens, *semper optavit, semper concupivit, id quod utile foret creaturæ suæ, humano generi. Quod si unquam aliquid dicitur rectè desideraße, vel optaße, quantò magis istud, in quo est summa salutis, istam plenitudinem temporis, in quo fieret ex muliere, fieret sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperent? Igitur hæc verba Dilecti mei loquentis mihi: Surge, propera Amica mea, &c. sic accipite, quasi verba desiderantis, tanquam festinantis & optantis iam adesse materiam tantæ salutis, scilicet me, cuius caro illi materia foret assumendæ carnis. Tanquam præsenti loquebatur mihi, meq; iubebat surgere & properare, id est, nasci, & hospitium vetris mei sibi citò præparari. Et revera priusquam nascerer, illi præsens aderam, antequam fierem, benè illi cognita fueram. Si enim dicitis & verè dicitis, quia elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati coram eo, in charitate, nonnè & de me rectè sentitis, & rectè sentiendo dicitis, quia elegit me ante mundi constitutionem, vt essem sancta & immaculata in conspectu ejus in charitate. Et si Sapientia, vt ipsa testatur jam antequam fieret, ludens erat coram eo in Orbe terrarum, & deliciæ ejus cum filijs hominum, quantò magis ludens erat & deliciabatur cum ista Ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum, vel filiarum hominum?* Hactenus Rupertus.

Deus ab æterno B. V. suas & creaturarum perfectiones communicare decrevit.

Desideriũ Filij DEI ut quamprimum Maria nasceretur.

Ab æterno Dei Filius deliciatus est cum Maria.

18. Hinc hæc ipsa Virgo Beatissima apud Salomonem Prov. 8. gloriabatur se

se mente supremi Orbis totius Artificis possessam, seque ejus oculis, dum hanc Orbis ordiretur machinam fuisse obversatam, quo sibi florem omnem totius pulchritudinis, ac perfectionis creaturarum omnium, tam cœlestium, quàm terrestrium impertiretur, eamq; suæ Divinæ essentiæ similem quodammodo efficeret, dum veluti in speculo pulchritudinem creaturarum in se repræsentaret. *Dominus*, inquiens, *possedit me initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio*. Prov. 8. Quæ verba Petrus Galatinus Ordinis Seraphici insigne jubar lib. 7. de Arcan. Cathol. verit. c. 1. dici censuit in persona Matris Messiæ gloriantis se in mente æterni Patris ante omnium creaturarum productionem versatam esse. Viæ porrò illæ Domini, creaturas in sacris litteris denotare solent. Vnde de Behemot, per quem intelligitur Lucifer, loquens Iob. 40. *Ipse est principium viarum Domini*. Quod autem Virgo verbis illis primatum se pulchritudinis atque perfectionis inter creaturas obtinuisse glorietur, manifestum evadit ex 70. Interpp. lectione, qui ad rem nostram aptissimè verterunt: *Dominus creavit me, initium viarum suarum*. Vbi verbo; *Creavit*; eò sensu usi fuisse videntur, quò uti consuevimus, cùm dicimus; ille creatus est Princeps, sive Rex, sive Imperator; ad ipsius eminentiam, sive excellentiam, ob quam reliquis antepositus est, luculentiùs declarandam. Vnde Divus legit Athanasius. *Dominus præfecit me operibus suis*; ad instar videlicet Reginæ cujuspiam, cùm in illam universorum Conditor, operum suorum omnium, præcipuam pulchritudinem excellentiamque contulerit, effeceritque in Virgine eorum venustatem longè perfectiùs, quàm in ipsis enitescere, quod esse proprium Divinæ essentiæ asserit Augustinus.

M. in creatione mũdi menti Dei obversata, ut ei perfectionem creaturarum communicaret

Lucifer Princeps creaturarum DEI fuit.

B. V. inter creaturas principatum obtinet, quod omnium perfectiones possideat.

19. Quare jure merito DEI Genitricis devotissimus Richardus à S. Laurent: lib. 7. de laudibus Virginis, eandem Primarium opus DEI dignitate, & præfiguratione prædicavit. Quod ut luculentiùs declararet, explicans lib. 4. verba illa Eccli. 24. *Ab initio & ante sæcula creata sum: Dignior*, inquit, *omnibus sæculis, hoc est, omnibus hominibus, & omnium sæculorum mulieribus, ac per consequens dignior excellentiorq; reliquis creaturis omnibus.* Vnde idem Richardus totum librum septimum operis illius pulcherrimi, quò Virgineas celebravit laudes insumere non dubitavit, ostendendo creaturarum omnium cœlestium perfectiones, in DEIpara reperiri: sicut octavum, & nonum, in describenda terræ, aquarum, fluviorum, fontiumque Natura, quorum omnium proprietates, longè perfectiori ratione emicare docet in Virgine. Libro verò decimo tractans de varijs ædificijs, seu artefactis admirandisque mundi operibus, eorum omnium excellentiam aptissimè in eandem transtulit DEIparam.

Maria præstantior omnibus sæculis.

In Maria perfectiones creaturarum cœli & terræ continentur.

Hæc porrò opera nobilissima, hiscé versiculis comprehendit.

Arca, Thronus, Soliũ, Ferculum quoq; Sella, Tribunal,
Sedes, & Cathedra, currus, lectica, scabellum:
Lectulus & requies, habitatio, cellula, nidus;
Cella & Apotheca, Gazophyl, Bibliotheca,
Horrea, Pistrinum, Clibanus, fornaxq; Caminus,
Aula, Tabernaclum, Thalamus, domus, atria, tectũ.

Libro verò undecimo tractans de munitionibus, ut Ciuitatibus, propugnaculis, ac turribus, navigijs denique, varijsque navigandi instrumentis eorum omnium proprietates in Virgine contineri asseruit.

In Maria munitionum omnium sunt perfectiones.

Tandem ultimo libro, Horto Virginem conferens, proprietates omnes sive arborum, sive florum, sive fructuum, sive quarumcunque pulcherrimarum avium, eidem attribuit Deiparæ, totoque illo pientissimo, æquè atque eruditissimo opere luculentissimè sanè, Magnam DEI Matrem Mundum quendam novum creaturarum omnium eximijs prorsus perfectionibus constantem; imò Divinam quandam propemodum Essentiam, in se, velut speculo Orbem universum repræsentantem esse, demonstrat.

In Maria arborum, florum, ac fructuum perfectiones.

20. Idem sensit sapientissimus æquè ac pijssimus in Virginem Ioannes Gerson Parisinus Cancellarius Tract. 3. in Magnific. qui cùm multa de interna, externaq; DEIparæ pulchritudine disseruisset, ut ostenderet ipsam reliquarum omnium creaturarum pulchritudinis compendium quoddam esse, attexuit: *Speciositas pulcherrima Mulieris, quæ illi datur in Canticis, & alibi, plenè nequit intelligi, pulchritudinibus aliorum entium non intellectis: Omnis enim tam naturalis, quàm artificialis formositas exponitur, per similitudines, quibus ignoratis, ut ignoretur ipsa transsumptio necesse est. Atq; ita speciositas qualibet reperta in creaturis sparsim, tota colligitur in Beata, & pulcher-*

In B. V. pulchritudo creaturarum reperitur vel formaliter, vel eminenter.

pulcherrima Mulierum, vel formaliter, vel eminenter secundùm Regulam Divi Dionysij Hierarchias ordinantis. Ex qua Regula infert gloriosissimam Virginem, cùm Hierarchiam ipsa per se, omnibus creaturis etiam Angelicis præeminentem cõstituat, continere pulchritudinem cæterarum creaturarum, donis, ac ornamentis gratiæ constantem. Idque sapientissimo illo Philosophorum comprobat axiomate: *Primum in unoquoq; genere præcipuum est, & mensura aliorum, uti Dux in exercitu. Vnde subsumens: MARIA verò,* inquit, *dicta est pulcherrima & perfecta super cæteras creaturas non unitas Divinitati, qualis est Humanitas Christi; Consequens igitur est, vt omnia ipsi subseruiant tam bona naturæ, quàm gratiæ, quam artis & fortunæ,* asseritq; eam, *Reginam illam esse, quæ adstitit à dextris Dei, in vestitu deaurato, circumdata varietate cujuslibet creaturæ.* Cumque postea in persona Discipuli opposuisset, quædam dona Dei gratuita reperiri, qualis est character Sacerdotalis sexui fœmineo repugnans, Deiparæ concedi non posse; respondit in persona Magistri: *Circumdatur,* inquiens *omnibus Dei donis & singulis, quasi decoro vestimento multimodâ varietate depicto, quorum omnium virtutes insignes continet, non quidem formaliter, sed eminenter. Vnde si non habet naturalia, qualia gerit Angelus etiam damnatus; admirabilior tamen est atq; eminentior Mariæ pulchritudo, per gratiam, quæ naturam tam inferiorem, quàm superiorem copiosiùs ornat, ac perficit. Non habet characterem Sacerdotalem formaliter fateor, habet autem eminentiùs ad reconciliationem peccatorum, ad apertionem Paradysi, quia verè ponitur fœlix cœli porta. Ad auxiliandum item contra potestates aëreas, contra calamitates, & miserias omnes tam animarum, quàm corporum, quoties placuerit, scilicet illos misericordes oculos ad nos convertere, quoties nos voluerit tanquam pia Mater Filios debiles & fœdos curandos purgandosq; suscipere.* Hæc Gerson.

Maria per se Hierarchiam cõstituit omnibus Angelicis præeminentem.

Maria Regina circumamicta varietate pulchritudinis omniũ creaturarum.

Maria habet characterem Sacerdotalem eminenter ad reconciliandum peccatores cum Deo, &c.

21. Sed quid laboramus, ut aliorum auctoritate confirmemus, Deiparam in se perfectiones creaturarum omnium complexam, Divinæ Essentiæ simillimam evasisse? Audiamus hanc ipsam sempiternæ Veritatis Parentem, hæc omnia luculentissimè asseverantem, dum se universorum sapientissimo Architecto astitisse semper, velut dilectissimam confitetur Filiam; ad quam sine dubio suos Divinissimos intendens defigensque oculos, quicquid perfecti, quicquid boni, pulchrique in creaturarum qualibet continebatur ad dilectissimam Parentem exornandam transtulit. Quare Prov. 8. gloriabatur Virgo ipsa: *Quando præparabat cœlos aderam;* utique, ut in me suum intuitum dirigens, cœlorum me perfectionibus, eximiaque eorundem decoraret pulchritudine. *Quando appendebat fundamenta terræ cum eo eram;* ut me ejus stabilitate, fœcunditate, florum quoque fructuumque ipsius exornaret venustate. *Quando certâ lege & gyro vallabat abyssos,* aderam nimirum illi, ut abyssi aquarum copiam ac profunditatem, gratiarum nempè cœlestium affluentiam, unà cum humilitatis profunditate in me conferret. *Quando æthera firmabat sursum,* aërem creando, ad vitam hominum reliquorumque animantium sustentandam, aderam, ut in me perfectiones hujus tam præstantis transfunderet elementi, essetque Nomen meum in ore hominum suavissima respiratio. Aderam etiam ipsi quando *librabat fontes aquarum,* ut mihi earum claritatem, dulcedinem, refrigerium, aliaque fontium commoda utilitatesque communicaret. *Aderam deniq; quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos,* aderam, inquam, rerum omnium Conditori, meque mare quoddam profundissimum, atque immensum cœlestium Spiritus Sancti charismatum donorumque effecit, aliasque innumeras maris in me proprietates ad mortalium vsus, utilitatesq; promovendas contulit.

Maria gloriatur sibi à Creatore cœli & terræ, aliarumq; creaturarum collatam pulchritudinem.

Maria abyssus aquarum Divinæ gratiæ.

Mariæ Nomen suauissima respiratio.

22. Vt porrò eadem Virgo creaturarum omnium sibi ab Vniversorum Conditore perfectiones collatas nobis eò faciliùs persuaderet fatetur ipsa apud Iesum Sirach se circumivisse creaturas omnes, ut nimirum earundem perfectiones æmularetur. Videre cupitis eam circumeuntem cœlos? *Gyrum cœli circumivi sola.* Vultis aquarum abyssos? *Et profundam abyssi penetravi.* Vultis immensa maria? *In fluctibus maris ambulavi.* Vultis terras? *Et in omni terra steti.* Vultis gentes, & populos, & sola terrarum ultimarum usque ad Antipodas? *Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Deniq; & in omni populo, & in omni gente primatum habui,* utpote Domina ac Regina non modo omnium hominum,

Maria circumivit quodammodo omnes Mundi creaturas ut in illis pulchritudinem decerperet.

M. circuivit cœlos, terram, Abyssos & mare penetravit.

B. V. ad Antipodas penetravit.

num, verùm etiam creaturarum cæterarum universalis, cùm liberalissimus Creator earundem lectissimum pulchritudinis florem in me reposuerit, mihique primum inter illas locum in sua mente divinissima assignaverit, meque creaturis suis pulcherrimis, velut preciosissimo induerit vestimento gloriæ suæ.

Galilæa Orbem significat.

23. Hanc fortassis ob causam DEIpara in Nazareth Galilææ (quæ vox Orbis interpretatur) nata fuit, ut nimirum ostenderet, se in totius Orbis utilitatem nasci, seque floridum quendam orbem esse perfectiones omnium creaturarum floremque earundem ad instar Divinissimæ Essentiæ continentem. Quamobrem potiori jure quàm Socrates Cosmopolitana, seu mundana dici potest Virgo Beatissima, siquidem florem omnis mundanæ creaturæ in se complexa est. Imô transmundana seu supramundana hæc Virgo nostra erit appellanda, siquidem mundi ortum, ac creationem, antiquitate, & prædestinatione creaturas omnes præcedit; ut ipsamet contestatur: *Dominus possedit me initio viarum suarum antequam quicquam faceret à principio.* Quam ob causam Christus Benedictus ejus Filius, se de hoc mundo non esse fatebatur, quia videlicet se Filium hujus Virginis supramundanæ agnoscebat.

Maria floridus Orbis.

Maria Cosmopolitana.

Christus non erat de hoc mundo, quia erat de mundo Virgineo supramũdano.

24. Verè Orbis pulcherrimus est Maria, cui Bonitas Divina largissima sui diffusione venustatem creaturarum omnium ipsam ambientium communicavit. Quod sanè insinuare quodammodo nobis visus est Sapientum Coryphæus Plato cùm *Bonitatem esse in centro, pulchritudinem in periferia seu circumferentia*, pronunciavit in Timeo. Quod licet tanti viri oraculum sanè celeberrimum Plotinus intellexerit de bonitate illa ex morum apta compositione resultante, quæ in animo, seu voluntate, velut Regio quodam Throno sedem sibi figere consuevit, deque apta membrorum inter se proportione, ac totius corporis symmetria; sublimius tamen quid illud ingeniorum miraculum rimatum fuisse Sapientiorum judicio visum est: Divinum nempè illud immensumque Bonum, totius hujus Orbis tam cœlestis, quàm sublunaris stabile quoddam, ac immensum esse Centrum, bonitatem, seu pulchritudinem suam, ad instar linearum, seu radiorum, creaturis, quæ velut periferia, seu circumferentia illud cingunt, largissimè communicans. Vnde Divinus ille Cosmographus in primis nascentis mundi incunabulis, DEVM ad instar centri creaturis omnibus circumseptũ, venustatem hanc concinnitatemque ipsis largientem contemplatus, admiratione perculsus, exclamavit: *Et vidit DEVS cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, sive pulchra, ut alij legunt. Idem hoc Centrum planè Divinissimum pulchritudinem suam longè latèque diffundens, speculatus idem Plato: asseruit ab illo velut à perenni fonte omnem creaturarum pulchritudinem emanare.

Deus est Centrum mundi bonitatem & pulchritudinem in periferiã creaturarum velut lineas diffundens.

Divinum Centrum creaturis velut circulo circũ datur, ut de bonitate ejus participent.

25. Et licet pulchritudinem hanc summum illud æternumque Bonum creaturis omnibus, ac singulis, prout uniuscujusque naturæ depos[illegible] conditio communicare consueverit, crediderim tamen, dum Virgo hæc Sacratissima conderetur, omniũ quodammodo creaturarum venustatem decerpsisse, in eáq; congessisse, quo gratiosior Divinæ Majestatis oculis cõpareret. Agnovit Deiparã periferiã quandã esse venustissimã, pulchritudinem creaturarum omnium, amplissimo suo sinu complectentem, immensamque Bonitatem illam, velut in Centro constitutam circumdantem, Sanctissimus ille Vates Ieremias cùm festivè intonuit: *Creavit novum Dominus super terram, Fœmina circumdabit Virum.* Hier. 31. En pulcherrimam immensi illius Centri, in quo infinitum illud æternumque Bonum, dum humanitatem nostram induens, sibi domicilium fixit, periferiam. Agnovit & Ioannes Hondemius Anglus Seraphici Ordinis illustre decus dum Virginis in laudem caneret:

Maria est Divini Centri Periferia pulcherrima.

Solem verum dum sinu detines,
Dum regiras, moves, & sustines,
Omni cælo tu quia praemines,
Centrum, Sphæram, claudis, & contines.

26. Virgineum hunc porrò Circulum, quo DEVS paludamento carnis indutus in utero DEIparæ velut Templo Sacratissimo, commorari non est dedignatus, adeò pulchrum ac sanctum extitisse, eximius ille DEI Vates fatetur Ezechiel, dum Templi illius magnificentissimi, quod in montis Altissimi vertice situm, est contemplatus, limitesq; ac circuitum fuit dimmensus *Ista*, ut dixerit *est lex Domus in summitate montis: Omnis*

finis

Mariæ uterus sanctus velut sinus æterni Patris.

finis ejus per circuitum, Sanctum sanctorum est. Vnde ob Divinissimam Virginei hujuscé Circuli sanctimoniam, uterus Deiparæ purissimus, cum æterni Patris sinu à nonnullis comparari, & Circulus quidam vocitari consuevit. Quod intellexisse visa est Sponsa in amoris Cantico, cùm canebat Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo*, seu ut legunt ex Hebr: aliqui: *In Circulo suo.* Quem ego sanè Circulum nil aliud in Deo esse dixerim, quàm circuminsessionem illam, quâ Divinæ personę, à Theologis in sese mutuo habitare, amoreque indissolubili connecti perhibentur. Circulum hunc in Divinissimis illis personis agnovit Gerson Cancellarius tract. 3. in Magnif: qui postquam dixisset primam pulchritudinem relucere in Beatissima Trinitate, à qua in creaturarum periferiam, seu circulum, venustas transfunditur, mox attexuit: *Amavit Filius summè Patrem, & in ipsum convertendo voluntatem, totus, vt ita loquar, exarsit, & flagravit in ejus dilectionem. Ex qua dilectione mutua Patris ad Filium, & Filij ad Patrem processit amor personalis, quem Spiritum Sanctum dicimus. Considerat hic fides Circulum quendam intelligibilem in triangulo personarum. Pater enim dat se Filio, quē diligit, Filius Patri impendit se, per amorem, quo flagrat in Patrem. Hic autem communis amor est Patri, & Filio tanquam nexus amborum. Iure igitur dictus est DEVS quasi Sphæra intelligibilis, cujus Centrum est ubique, circumferentia nusquam; vti etiam DEVM definivit Iustinus Martyr Dialogo contra Tryphonem.* Cùm igitur Sanctissima Deipara, à Sanctis Patribus, quod in ea Divinæ Personæ sibi domicilium fixerint, eamque castissimè adamârint, totius Trinitatis nobile vocitetur Triclinium, jure sanè merito pulcherrimus etiam vocabitur Circulus seu periferia, dicetur denique novus quidam Orbis, in cujus medatullio seu centro summa sibi Majestas dignissimam delegit habitationem. Vt porrò omnimodam similitudinem Divini Circuli in Deipara clariùs perspiceremus, centrum etiam in illa est reperire, ita ut & Circulus & Centrum, atque Divinæ omninò hac etiam in parte, Naturæ Æmulatrix jure merito dici possit.

Circulus in Deo est Divinarū Personarum Circuminsessio.

Deus est Sphæra intelligibilis.

Maria SS. Trinitatis Tricliniū.

M. est pulcherrimus Circulus sive Orbis, in cujus Centro Dei Filius domicilium fixit.

27. Quemadmodum enim Devs à Synesio Hym. 1. salutatur:

Deus magnum Centrum.

Magnum salve Centrum rerum.

Et Hym. 3. *Entium Semen.*
Omnium Centrum,
Mundi Radix.

Sic Deipara Virgo non hominum modo atque Angelorum, verùm etiam Dei ipsius Centrum (ita ut sit Centrum Centri) à Sanctis Patribus appellatur. Audite D. Bern. serm. 7. de Pent. qui illud Regij Vatis exponens Oraculum: *Salutem operatus est in medio terræ. In vtero*, inquit, *Virginis Mariæ, qui mirabili proprietate, terra medium appellatur. Ad illam enim tanquam ad medium, sicut ad Arcam DEI, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlis, vt resarciantur, & qui in Inferno, vt eripiantur; & qui præcesserunt, vt Prophetæ fideles inveniantur; qui sequuntur, vt glorificentur.* Et paucis interjectis: *In te Angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternū. Meritò in te aspiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis, quicquid creaverat, recreavit.* Audite Richardum à Sancto Laurent: lib. 8. de laud: Virg: *Ideò Maria Centrum mundi dicitur, quia ex omni mundi parte omnes habent ad eam recurrere, in omnibus suis necessitatibus, sicut omnes circumferentiæ recurrunt ad Centrum.* Recurrit verè ad Centrum hoc, illud immensum rerum omnium Centrum, Dei Filius, cùm ad humani generis redemptionem necessarium sibi nostræ carnis vestimentum esse intelligeret.

M. Centrū Centri, id est Dei.

M. terræ Mediū est.

In M. oculi omnium creaturarum aspiciunt, ut beneficia accipiant.

M. Centrū mundi, quia omnes omni ex parte ad eam recurrūt.

Dei Filius ad M. tanquam Cētrum recurrit.

28. Ipsa enim Regium est Christi Domini summi Sacerdotis Paludamentum illud, in quo species quædam totius Vniversi repræsentabatur, de quo Salomon Sap: 18. *In veste poderis, quam habebat, totus erat Orbis terrarum, & Parentum magnalia, in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta.* Quare jure merito S. Methodius Martyr, Tyri ac Olympi Antistes Orat: in Hypapan. Virginem alloquens: *Tu es*, inquit, *impollutum illius indumentum, qui luce, vti vestimento circumfunditur.*] In ejus siquidem utero purissimo, Dei Filius carnem assumens, ipsa velut vestimento quodam aureo circumdatus est. Hoc est Pallium illud Eliæ admirabile, quod in cœlos abiens ad solatium Ecclesiæ, aquas Iordanis seu tribulationis in hac vita transituræ, in summi sui amoris, in illam pignus, summâ benevolentiæ significatione dereliquit.

M. vestis Sacerdotalis, in qua Mundus erat descriptus.

M. Pallium Eliæ.

29. Sed ad encomia Virginis à sapientissimo Siracide deprædicata revertamur.

O

tamur. Qui ut ostendat DEIPARAM opus quoddam esse, singularissimis prorsus perfectionibus, à summo rerum omnium Conditore dotatã, in persona Virg. mox ijs quæ præmiserat, subtexuit: *Tunc præcepit & dixit mihi Creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Ac si clariùs dicere voluisset: Licet supernus mundi Artifex summâ suâ Sapientiâ atq; potentiâ omnes creaturas tã cœli, quàm terræ efformaverit, nullam tamen tam peculiari artificio, exertisque omnibus potentiæ, Sapientiæque suæ viribus, effusisque earundem thesauris condidit, atque me; cui omnium creaturarum pulchritudinem, omnia decora atque ornamenta, perfectiones denique universas, profusissima contulit liberalitate, efficiendo me Mundum quendam novum, atque admirabilem ex omnium rerum creatarum venustate compositam, idque eò solùm fine, quia ille idem, qui erat meus Creator, futurus erat mei uteri, velut sumptuosissimi atq; pulcherrimi palatij incola & inhabitator, in eoq; novem mensium spatio moraturus: *qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Eccli. 24.

Creator B. V. fuit ejusdem Habitator

30. Et verò si Solis domicilium ac Regia ab Ovid: Metam: lib: 2. ex omni cœli terræque venustate composita fuisse memoratur, decebat sanè multò magis animatam hanc sempiterni Solis Iustitiæ Regiam longè excellentioribus creaturarum omnium decoratam esse ornamentis. Ponite quæso vobis ob oculos pulcherrimam illam Solaris Regiæ, uti eam nobis depinxit Vates, Majestatem, ut ex ea cognitionem Virginei hujus Solis æterni domicilij, aliquâ ratione deveniamus.

M. Solis æterni Regia.

In Regia Solis omnes creaturæ & cœli, & terræ sũt expressæ.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammasq; imitante Pyropo:
Cujus ebur nitidum fastigia summa tegebat
Argenti bifores radiabant lumine valvæ.
Materiem superabat opus. Nam mulciber illic
Æquora calarat medias cingentia terras,
Terrarumq; Orbem, cœlumq; quod imminet Orbi.
Cæruleos habet unda Deos &c.
Terra viros urbesq; gerit, sylvasq; ferasq;,
Fluminaq; & Nymphas & cætera Numina ruris.
His superimposita est cœli fulgentis imago:
Signaq; sex foribus dextris, totidemq; sinistris;
A dextra lævaq; dies, & Mensis, & Annus,
Seculaq; & positæ spatijs æqualibus horæ;

Ex qua descriptione facilè est cernere in hac Solis Regia, velut in Divina essentiâ creaturas omnes tam cœlestes, quàm sublunares, mirô artis Divinæ Magisterio expressas, fuisse. Quas nos potiori sanè jure in hoc Virgineo Solis æterni domicilio Divinæ Sapientiæ, atque Omnipotentiæ, quasi manibus fabrefacto repræsentari, asseverare possumus. Quare S. Andreas Cretensis Episc: Orat: in Salutat: Angelicam, DEIPARAM nostram gloriosissimam sempiterni Solis Iustitiæ longè nobiliorem Regiam agnoscens, salutare non dubitavit: *Salve Cælum, & Solis gloriosi cæleste Tabernaculum.*

M. Solis æterni cœleste Tabernaculum.

31. Verùm quid nobis opus est fabulis ad Virginei hujus Mundi pulchritudinem totius hujus Orbis compræhendentis, venustatem demonstrandam, cùm nobis eam Angelus vivis coloribus delineatam in Revelationibus S. Brigittæ, ob oculos spectandam proposuerit? Capite enim quinto sermonis illius, qui Angelicus inscribitur, cùm Beatus ille Spiritus ordinẽ quem creaturæ in mente Divina ante mundi creationem habuerant, exponeret, dixit, DEUM, postquam decrevisset hanc universi fabricare Machinam, ante conditum de creatione hominis decretum, fuisse in ipsius Idea parvum quendam mundum longè excellentissimæ pulchritudinis, qui Virginem DEIPARAM designabat: *Mundo, inquit Angelus, & creaturis omnibus præter solùm hominem perfectis, & Divino aspectui cum pulchritudine reverenter assistentibus, adhuc unus minor Mundus coram DEO cum omni venustate nondum creatus adstabat; à quo major gloria DEO, Angelisq; major lætitia, omniq; homini ejus bonitate frui volenti major utilitas, quàm de hoc Mundo majori provenire debebat.* Quibus dictis in Virgineas ita erupit laudes: *O prædulcis Domina Virgo Maria omnibus amabilis, omnibus utilis, per hunc minorem Mundum non incongruè tu intelligeris.* Idem Angelus c. 1. sui sermonis, ut ostenderet DEIPARAM Mundum esse pulcherrimum, docet ipsa Elementa, ex quibus Mundus hic Virgineus componendus erat ab æterno in mente Divina omni imperfectione carentia, interque puras creaturas omnes, nobilissima, atque excellentissima constitisse: *Inter omnia, inquiens, quæ creanda erant, ea forma eoq; modo, quò postea pulcherrimè creavit ab æterno, ejus aspectui pulcherrimè adstabant, unum erat coram DEO, quod summè cætera excellebat, & de quo maximè lætabatur. In illo namq; nondum creato quatuor Elementa, quantumvis tunc nondum creata essent, in hunc modum Divino aspectui æter-*

Maria mundus venustissimus, ex quo in Deum major gloria, in Angelos lætitia redundavit.

Elementa ex quibus constare debebat corpus Deiparæ erant purissima, ac perfectissima.

æternaliter apparebant, vt scilicet Aër ita levis fieret, vt contra Spiritum sanctum nunquam efflaretur. Terra quoq; in illo nondum creato (quod erat ipsa Deipara) *creari debebat tam bona, tamq; fructifera, vt nihil in ea crescere posset, quod non ad omnia necessaria utile non esset. Aqua sic tranquilla, vt licet undecunq; ventorum turbines eam perflarent, nulla tamen unquam procella in ea penitus moveretur. Ignis deniq; ita alt⁹, vt ejus flamma calorq; mansioni, in qua ipse DEVS erat, appropinquarent.* Quæ omnia per Antapodosim applicat Virgini affectu magno in illud prorumpendo epiphonema: *O Maria Virgo purissima, & Mater fœcundissima hoc ipsum tu es: Sic namq; & talis ab æterno Divino aspectui nondum creata adstitisti, ac deinde ex eisdem Elementis tam puris, ac claris materiam tui benedicti corporis habuisti: Talis vtiq; coram DEO ante creationem tuam assistebis, qualis postmodum effici meruisti. Et ideò à principio in conspectu DEI ea omnia, quæ creanda erant, ad ejusdem DEI maximum gaudium plurimum excellebas. DEVS enim Pater de tuis fructuosis operibus, quæ ipso opitulante factura eras, exultabat; Filius de tua virtuosa constantia, & Spiritus sanctus de tua humili obedientia. Vnde sicut omnibus de te erat unum gaudium; ita ad te omnes habebant unam Charitatem.* Hactenus Angelus. Quare præclarè quidam hæc omnia in Deipara, velut in Divina Essentia combinata, ubi considerasset; cecinit:

M. quieta semper absque ulla perturbatione.

SS. Trinitas in M. antequam esset creata lætabatur.

Perfectiones in creaturis divisæ, in Maria sũt collectæ.

Et quæ sparguntur in omnes
In te mixta fluunt, & quæ divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Idem asseruit pijssimus Dionysius Ordinis Carthusiani illustre Sidus, dum art. 21. in Cant: illud ipsius, *Pulchra vt Luna*, expenderet elogiũ: *Incomparabilior est & formosior quàm Luna, imò Luna sub pedibus ejus. Sed pulchra est vt Luna, id est Ecclesia, quia diversæ virtutes & gratiæ, quæ hinc inde in varijs membris Ecclesiæ fuerunt, & sunt dispersæ, & imperfectæ, fuerunt & sunt in ea collectæ, ac valdè perfectæ.* Quibus sanè encomijs quid luculentiùs ad comprobandum Virginem parvum quendam Mundum esse, in quo virtutes totius Ecclesiæ velut in Divina Essentia, perfectiones creaturarum omnium repræsentantur, excogitari potest?

32. Iam veritatem hanc confirmantes etiam Sanctos Patres audiamus. Agmen ducat mellifluus Bernardus, qui sermone quodam de B. V. *Mariam*, inquit, *DEVS tanquam Mundum specialissimum sibi condidit, quem in justitia & sanctitate fundavit, & fluentis Sapientiæ irrigavit, & cœlestibus desiderijs instar aëris sublimavit, & igne dilectionis accendendo illustravit. Hinc in ejus mente tanquam in quodam firmamento Solem posuit rationis, & Lunam scientiæ, & virtutes tanquam Stellas speciei omnimodæ &c.* Ex quo Sancti Doctoris Testimonio colligimus Mundum quendam perfectissimum ac supramundanum Deiparam esse non modò cœlestem, sed & sublunarem, eumque in se non modò Elementa, sed & Planetas, reliquaque sydera complectentem. Idem Bernardus propter Mariã velut causam finalem totum mundum conditum fuisse affirmavit, ut nimirum in illam perfectiones illius, creaturarumque omnium ipso contentarum conferret, atque ita hiscé rerum omnium decorata ornamentis, dignissimum Divina Majestate domicilium efficeretur. Quod intelligens S. Gregorius Thaumat: sermone 3. de Annunc: Virginem magno pietatis sensu sic salutavit. *Ave immaculata viduati Orbis Sponsa simul & Mater. Ave quæ in tuo vtero Matris Evæ mortem* (utpote mare profundissimum repræsentans) *demersisti. Ave animatum DEI Templum. Ave cœli & terræ æquivalens, dignumq; domicilium. Ave Naturæ illius incomprahensibilis capacissimum spectaculum.* Verè enim Virginem Deiparam quicunque intuebatur incompræhensibilem illam Dei Essentiam, in cujus contemplatione Beatitudo nostra consistit, quodammodo sibi spectare, omnibusq; bonis, inexplebilem cordis oculorumq; aviditatem sibi explere videbatur.

M. Mundus specialissimus.

M. Mundus cœlestis & sublunaris.

Ob Mariã Mundus conditus, ut illius pulchritudinem in se compleсteretur.

M. cœli & terræ æquivalens, domiciliũ quia Creatorem vtriusque in se complexa est.

Audiamus & B. Arnoldum Abbatem Carnotensem, qui tract. de laud. *B. V. Maria*, inquit, *creaturis constat omnibus, quicquid enim Creator singulis justus Distributor contulit, Matri adornandæ congessit.*

M. creaturis constat omnibus dum earum perfectiones repræsentat.

Quam ob causam Pater noster Quirinus de Salazar suis Commentarijs in Prov. Deiparam Mundum parvum, appellari noluit, sed potiùs magnum, & majorem longè quàm totum hoc sit vniversum, siquidem, ut ait S. Chrysost. in cap. 1. Matth. *Maria speciosior facta est, & dignior, quàm totus Mundus, quia quem totus Mundus capere non poterat, nec merebatur accipere, in cubiculo uteri sui meruit sola suscipere.* Cur autem Mundus licet à munditia & puritate ita dictus fuerit, Aristotele teste lib. 1. de mundo. Plin. lib. 1. Isid. lib. 13. Ethym: c. 1. dignus non fue-

M. toto Mundo major.

Mundus nunquam immundior quam cū Verbum caro factum est.

fuerit, qui DEUM hospitem in se reciperet, ostendit Augustinus: *Nunquam*, inquiens, *Mundus immundior fuit, quam cùm Verbum caro factum est.*

33. Verè jure merito magnus quidam Mundus appellanda est DEIPARA; siquidem Hugo Victorinus de ipsâ serm. 64. de Inst: Monast: loquens auream illam nobis proposuit Regulam, quâ in Virgineæ excellentiæ cognitionem facillimè devenimus, si ei summam creaturarum omnium perfectionem attribuamus, eamque ad instar Mundi cujuspiam, ad instar Divinæ Essentiæ, pulchritudinem ac venustatem creaturarum omnium, longè perfectiori modo complectentem, imaginemur: *Quæcunq; in Scripturis*, inquit ille, *quæcumq; in creaturis sunt amabilia, quæcunq; suavia, quæcumq; dulcia, quæcumq; pulchra, quæcumq; redolentia, quæcumq; jucunda, quæcumq; preciosa; quæcumq; sunt laudabilia, Maria laudibus sunt convenientia.* Atque ita Vir hic Religiosissimus serm. 34. eadem illâ præmissâ Regulâ, DEIPARAM esse pronunciavit: *Auroram, lucis præventione; florem pulchritudine; favum dulcedine; violam humilitate; Rosam charitate; suavitate, lilium; Vitem, fructificatione; quodlibet aroma, bona opinione; Castrum, securitate; murum & turrim, fortitudine; clypeum & propugnaculum, defensione; columnam, rectitudine; Sponsam, fide: dilectione, amicam; fœcunditate, Matrem; integritate, Virginem; Dominam, dignitate; Reginam, Majestate; Ovem, innocentia; Agnum, mundicia; simplicitate, Columbam; Turturem, castitate; quodlibet mundum, & domesticum animal, mundâ & mansuetâ conversatione; Nubem, protectione; Stellam, cujuslibet virtutis, aut boni operis inchoatione; Lunam, ejusdem augmentatione; Solem, consummatione; cœlestem deniq; Paradisum, cœlestis boni plenitudine.* Sic ille. Cùm igitur hæc, aliaque innumera Virgo nostra variarum creaturarum in se contineat decora, omnisque florem venustatis, quis illam magnum quendam Mundum, lucidissimumque Divinæ Essentiæ dubitabit esse Speculum, siquidem in ea & cœlestium, & terrestrium tam mirificè resplendent perfectiones?

Maria est magnus Mundus.

M. omnia quæ sunt in Scripturis, vel Creaturis pulchra & amabilia in se continet.

34. Quare Richardus Victor. serm. de Spiritu S. considerata immensâ humani animi capacitate errasse olim censuit Philosophos, qui hominem Microcosmum dixêre, eò quod humanus animus, toto hoc longè latèque patente Mundo expleri nequeat. Quod exemplo illius Magni comprobavit Alexandri, qui cùm Philosophos de mundorum pluralitate differentes audijt, ingemuit: *Certè*, inquiens, *Magnus ille Alexander, qui totum mundum subjugare potuit, desiderio suo satisfacere non potuit. Nam subjugato sibi mundo, si mundus adhuc alius esset, quem sibi subjici posse consideret, non minori aviditate in illum subjiciendum sibi, aspiraret. Et si illo item subjugato, alij atq; alij adhuc superessent, cordis illius ingluviem irritare potiùs, quam satiare potuissent. Cogita ergo quanta sit latitudo illius Orbis terrarum, qui intus est, quem exterior iste Orbis terrarum quantumcunq; dilatatus, vel quotiescunq; multiplicatus satiare non potest. Nonnè obsecro major Mundus meritò dicendus est humanus ille animus, quem totus Mundus nullâ suâ dilatatione, nullâ sui multiplicatione satiare potest. Si enim Orbis iste terrarum latitudini cordis unius comparetur, quid aliud in capacitatis vel aviditatis ipsius comparatione, quam parva quadam buccella esse videtur, quæ in illud interioris hominis os injecta, penitus implere non valet, imò penè non comparet.* Sic Richard. Quæ sanè potiori jure de magno immensoque Mundo hoc Virgineo, de corde, uteroque purissimo DEIPARÆ, immensum illum totius Universi Conditorem complectente pronunciari possunt, liberèq; prædicari immensum quendam Mundum, Mundorum omnium, si qui in rerum natura reperirentur, capacissimum esse Virginem nostram sacratissimam, quæ Numen illud infinitum, Oceanum perfectionum omnium, quod nulla capit creatura in se conclusit. Verè enim in illa Incarnatione Verbi tam admirabili; Cœlestis planè imber, ut D. loquitur Hier. ser. de Assump. in Virgineum vellus placido se infudit illapsu, & tota Divinitatis unda se contulit in carnem, quando Verbum caro factum est.

Anima toto mundo expleri non potest.

Anima habet majorem capacitatē, quàm totus Mundus.

Alexander M. toto mundo expleri non potuit.

Totus hic mundus animæ parva buccella quæ eū non explet.

M. immensus Mundus quia illius Creatorē immensum complexa

Tota Divinitatis unda replevit M.

35. Speciem hanc pulchritudinemque mundi totius in DEIPARA refulgentem Sanctus contemplans Damascenus admiratione perculsus exclamavit: O Divinum ac vivum mundi simulacrum, ad quod opifex DEUS inventus est, mentem quidem Divinitus gubernatam habens. Quâ sapientissimâ sententiâ duo singularia in Virgine enitescere insinuavit ornamenta. Alterum, quod ad hujus animati Mundi gubernationem universorum Dominus non Angelorum quempiam ordinaverit, sed ipse per

M. vivum Mundi simulacrū,

M. Mundus à Deo peculiariter gubernatus.

per se, peculiari quâdam ratione ei assistere, ejusque mentem velut primum Mobile ad instar motricis cujuspiam Intelligentiæ regere non fuerit dedignatus. Alterum, quod hujus Mundi speciosissimi peculiariter DEVS Artifex extiterit. Licet enim hæc Vniversi Machina à solo DEO unico verbo fiat, absque ullius creaturæ adminiculo seu cooperatione, quod de Angelis fabulatus est Plato, substiterit; in hoc tamen animato speciosissimoque Mundi efformando Simulacro artem omnem, potentiam, Sapientiam, Bonitatemque suam in auxilium advocasse quodammodo visus est.

In M. condendo Deus artẽ omnem Potentiã, Sapientiã & Bonitatẽ eneruit

36. Vnde in condẽdis hiscẽ, quos intuemur in cœlis, in condenda Luna & Stellis, digitis duntaxat, ad facilitatem demonstrandum operis, uti visus est, uti testatur David Psal. 8 *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam, & Stellas, quæ tu fundasti.* At verò in condenda Virgine, non modò manuum ac brachiorum vi (uti in condendo homine, cui proinde dicebat Iob: *Manus tuæ Domine fecerunt me*) verùm etiam Divinissimo illo modo, quò in augustissimæ Triados Personis producendis, quâdam ratione, usus fuisse visus est. Quemadmodum enim Filius ex ore Patris, ad instar Verbi processit, & Spiritus Sanctus ad instar suavissimi Halitus ejusdem cum Patre & Filio substantiæ, amoris impulsu spiratus est; sic Virgo Beatissima, velut altera increata Sapientia, velut alter Divinus Amor ex ore ipsius æterni Patris processisse visa est. Vnde ipsa apud sapientem gloriabatur. *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Quæ verba Richardus à Sancto Laurentio lib. 4. de laud. Beatæ Virgin: ait esse Deiparæ gloriantis, se verbo Altissimi creatam; simulque non ingratam movet Quæstionem; *Quomodo nimirum Virgo tam humilis introducatur semetipsam commendans. Et ecce Responsio,* inquit, *Laus non est periculosa, nisi propter vanitatem, sed cùm ipsa sit Veritatis Mater, quam de se genuit, longè est ab ea omnimoda vanitas, & est in ea omnimoda Veritas, ideoq; potest semetipsam laudare. Dici potest præterea, quod cùm suadeat Salomon: Laudet te alienus, & non os tuum, non tam ipsam DEIparam, quàm Spiritum Prophetiæ fuisse de ipsa locutum.* *Dicitur deniq; primogenita ante omnem creaturam, quia dignior*, inquit, *est omni purâ creaturâ, nulla siquidem penitus tanta cum puritate, tantâ Sanctitate, cæterisq; DEI donis ac charismatis exornata, tantisq; & tam accuratis Divinæ Sapientiæ dimensionibus fuit condita; & in qua magis superna Potentia Bonitatisq; prodigia elucescerent.*

Maria eo modo quo procedũt Divinæ Personæ, quodammodo producta fuit.

Maria dignior omni pura Creatura, quia nulla fuit illa purior ac Sanctior.

37. Quæ prodigiosa mirabilia contemplans Vates Regius, cupidissimus hujus Virginis admirandæ, propagandi gloriã, ad ea penetrãda invitabat omnes Ps. 45. *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Quam terram*, ait Richardus de Sancto Victore Par 1. lib. 2. de Emman. c. 29. *esse Divam Virginem: Attendite*, inquit, *obsecro, quam magnum, quam mirabile fuerit hoc prodigium in oculis Prophetæ, in cujus considerationem, simul & admirationem pariter omnes invitavit. Quæ autem sint illa prodigia, quæ tantoperè miratur, consequenter adjungit: Auferens bella usq; ad finem terræ, arcum conterens & confringens arma, & scuta comburet igni: quæ est ista obsecro terra, de qua bella omnia finetenus auferuntur, nisi illa, de qua idem Propheta alibi protestatur? Veritas de terra orta est, & Iustitia de cœlo prospexit. De hac igitur terra omnis pugna tollitur, in hac terra pax plena reparatur.* Cùm enim Virgo à primo suæ immaculatæ conceptionis instanti fuerit purissima, ipsis Angelicis Hierarchijs DEVM contemplantibus longè sanctior, fomitique peccati nunquam subjecta fuerit, pacem plenam, pacem omnem sensum exuperantem, omniaque peccatorum bella quam longissimè profligantem nactam esse omninò nobis persuadere debemus.

Maria Terra, sup quam facta sunt prodigia.

Maria Terra, à qua omnia tentationum bella sublata.

38. Dicitur porrò Virgo Beatissima numero plurali, *Opera Domini.* Tùm, quia in ipsa efformanda atque exornanda supernus omnium Artifex longè ampliùs, quàm in omnibus ab Adamo descendentibus laboravit. Tùm, quia in illam omnium suorum Operum, sive perfectionem, sive pulchritudinem, sive gratiam contulit. Tùm, quia semetipsum in illam, mediante Incarnatione, velut Opus omnium excellentissimum, homo factus, conclusit.

Maria vocatur opera Domini, quia omnium Dei operum in illa reluxit pulchritudo.

Qua in re egisse visus est DEVS ter Optimus Maximus quod Phidias statuarius sapientissimus in Palladis efformanda effigie, quam cum candidissimo ebore admirabili exculpsisset artificio, in ejus tandem clypeo sui formam adeò artificiosè expressit, ut absque totius operis pulcherrimi destructione tolli

In Maria velut Opere eximio ad instar Phidiæ DEI Filius incarnatu sese inclusit.

Maria Pallas eburnea.

minimè posset; ostendens se non modo singulariter omnium operum admirandorum in Virgine perfectorum Conditorem, verùm etiam Dominum. Vnde cùm eam dicere potuisset Psalmographus; Opera DEI Altissimi, Fortissimi, Sancti, maluit tamen eam, Opera Domini vocitari: Quia licet & alij Sancti opus Domini dici possint, nequeunt tamen semper ita nominari, quia aliquod tempus extitit, in quo non DEVS universorum Dominus, sed peccatum in illos, saltem in ipsorum conceptione sibi adscivit Dominium. At verò à primis ipsius conceptionis exordijs sempiternus universi Dominus tam digni, & admirabilis operis sibi Dominium comparavit; adeò ut ipsa Virgo DEVM laudans confessa fuerit: *Dominus possedit me initio viarum suarum antequam quicquam fecerat à principio.* Possedit, inquam, velut Dominus rem suam, possessionem suam propriam, absque ullius vel minimæ servitutis onere.

Maria Opera Domini.

Maria Opera Domini dicitur, quia est Dei possessio propria.

Dominiũ perfectum & imperfectum quid?

39. Quod ut luculentiùs intelligatur observandum apud Iuristas quoddam possessionis genus esse, quod imperfectum nuncupatur, quia nonnullis servitutibus est obnoxium, u.g. cùm prædium aliquod ita possidetur ab uno, ut alteri per illud transeundi, aquam hauriendi, jus concedatur.

Maria perfectè à DEO possessa.

In Mariã nullum peccatum Dominiũ habuit.

Et tali nimirum imperfectæ possessionis genere Virgo Beata à DEO possessa minimè fuit, quia ita in DEI Supremi omnium Domini, à primo conceptionis instanti potestatem devenit, per Sanctitatem ac gratiam, ut aliquæ peccati originalis servitutes in ipsa omninò non remanserint. Originale siquidem peccatum, etiam postquam ex animabus deletum est, varia servitutum jura, præsertim in fœminis solet invehere, ut sunt multiplicatio partus, molesta gestatio, ærumnæ, angustiæ, dolores, puerperij immunditiæ, Viri Dominium, peccati fomes, mors, corruptio, & reliquæ peccati originalis reliquiæ. De quibus loqui visus est sine dubio Apostol: Rom:8. *Quia ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis;* ut interprætatur Cajetanus, & alij. Quæ profectò servitutes à Virgine nostra abfuere quam longissimè, illæ, inquam, quæ sordidiores sunt, & peccatis maximè affines; non item illæ, quæ nihil in se turpitudinis continent, & insignium bonorum causæ nobis esse consueverunt. Quare Richardus de Sancto Victore Part. 1. lib. 2. de Emman. cap. 28. loquens de illius Terræ benedictæ, de qua orta est Veritas liberatione. *Notandum valdè*, inquit, *quod dicitur: Derelinquetur terra, nec qualiscunque, sed qualem impietas detestatur. Nihil hic agitur de misera huius terræ nostræ innovatione, sed tantùmmodo de eius liberatione. Libertas redditur, sed immortalitatis gloria non reformatur. Videtis certè, quod illud remansit in Virgine, quod erat ad pœnam, illud recessit, quod erat ad culpam. Viciositas recessit, pœnalitas remansit; carnalitas tollitur, sed calamitas non amovetur, quæ quæso est justitia, vt remaneat pœna, ubi iam nulla est culpa?* Quod sanè paulò post insigni Filij erga dilectissimam Matrem attribuit benevolentiæ: *Quam mirum,* inquiens, *quam stupendũ, quod Matrem suam, quæ ab omni vitio ad plenum purgata fuit, fons ipse pietatis eius Filius sub iugo captivitatis nostræ laborare permisit.* Et c. 31. attexit quædam, ex quibus solidam jam dictorum reddit rationem. *Sed hoc fuit in B. V. supra modum mirabile, & præ cæteris Sanctis omnibus singulare, quod in ea simul convenire potuit tanta corruptibilitas cum tanta incorruptibilitate, tanta incorruptibilitas, cum tanta corruptibilitate: corruptibilitas in his quæ pertinent ad pœnã, incorruptibilitas in his, quæ pertinent ad culpam. Sed sibi ad futuræ gloriæ cumulum* (en rationem Virgineæ corruptibilitatis seu pœnalitatis) *nobis autem ad patientiæ documentum profuit, quod passibilitatis nostræ jugum cum tanta puritate portavit.* Possedit igitur Vniversorum Dñs Virginem Beatiss: perfectissimè absq; ullo genere servitutis turpitudinem aliquã præseferentis, quam secum natura peccati originalis trahere consuevit, nullumque in ea remansit servitutis vestigium, nisi quod vel ipsi majorem gloriæ in cœlis cumulum, vel nobis virtutis singularis foret exemplum. Quæ sanè servitus, nomine servitutis digna minimè censenda est. Cùm propriè dicta servitus apud Iurisperitos definiatur: *Servitus est jus, Domini utilitatem imminuens, & alterius utilitatem adaugens.* Atque ita mors, labores, vitæ humanæ miseriæ seu pœnalitates, quibus etiam Virgo nostra erat obnoxia, non fuêre ullo modo peccati originarij propriè dictæ servitutes, quia non tam in peccati, quàm in Virginis ipsius utilitatem ac emolumentum, totiusque humani generis, ad imitandum cessere documentum.

Originalis peccati servitutes.

Servitutes Originalis peccati quæ cum aliqua turpitudine conjunctæ sunt, in B. V. non fuerunt.

In B. V. peccati pœnalitates manserunt, ut mortalitas.

In B. V. Pœnalitates manserunt, illi ad futuræ gloriæ cumulum, nobis autem ad patientiæ documentum.

Nulla servitus aut pœnalitas mansit in B.V. nisi ea quæ illi cessit ad utilitatem.

Propriè dicta Servitus quid sit?

Mors & labores in B. V. non fuerunt servitutes, quia fuerunt in utilitatem ipsius.

40. Vt

40. Vt ostendat porrò Virgo Deipara nullo unquam tempore se peccato subditam extitisse, antiquissimum Dei in se Dominium ante creaturas omnes conditas deprædicat; uti sæpiùs dictum est: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Ideò enim Iuristæ Servitutes in agris, ac prædijs, domibusq; nonnullis minimè reperiri asserunt; quia illarum Domini, antiquitatem possessionis, præ reliquis obtinent; antiquioris enim possessionis jura, min⁹ antiquę sibi subijcere & in servitutem redigere assolent.

B. V. nullo unquã tempore peccato fuit subdita.

Vt igitur ostendat Virgo nullam unquam se peccati servitutem passam esse, ante omnes creaturas, atque adeò ante peccatum Adæ in posteros transfundendum, se in Divinæ possessionis Dominium, DEO ita ab æterno destinante, devenisse testatur. Dicat itaque dicat David, Deiparam nostram peculiari prorsus ratione, Opus esse, ac possessionem Supremi omnium Domini, invitet omnes ad veniendum, & videndum Opus tam eximium, possessionem longè amplissimam, nulli prorsus peccati servituti obnoxiam, dignamque quam omnes admirentur, atque obstupescant. Veniant & contemplentur Opus hoc Divinissimum, in quo supremus Artifex operum reliquorum florem venustatemque quodam quasi compendio conclusit, effecitque ut Divinæ suæ essentiæ speciem quandam admirabilem præseferret; quam ob causam illam David Opera Domini vocitavit, quod omnium DEI Operum absolutissima quædam anachefaleosis esse videretur. Dicat ergo: *Venite & videte opera Domini quæ posuit prodigia:* seu ut legit Hebr. *Quæ stupenda & mirabilia, & ut prodigia posuit super terram.*

Ante peccatum Adæ B.V. in Dominiũ Dei devenit.

Maria Terra, in qua à Deo posita sũt prodigia.

41. Hæc stupenda prodigia hujus Divini Operis, seu increatæ Sapientiæ domicilij cernens Baruc. c. 3. in illam prorupit admirationem: *O Israël, quàm magna est Domus Dei, & ingens locus possessionis ejus.* Eandem tandem coram se adstantem contemplans, Spiritu Sancto afflata atque erudita Elisabeth exclamavit, ait Sanctus Lucas, voce magna: *Vnde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me?* quasi clariùs dixisset: Qui fieri potest, ut magnum hoc Domicilium ac Triclinium totius Trinitatis, ingrediatur in tugurium meum, qui fieri potest, ut DEI Mater, cœlis amplior, ac purior, utpote quæ cœlorum terrarumque Regem purissimò suò conclusit uterò, intra domus meæ angustias recipiatur; qui fieri potest, ut Mundus hic Virgineus, in quem DEVS non modo Mundi Archetypi, atque adeò ipsius Divinæ Essentiæ, verùm etiam Cœlestis, ac Sublunaris contulit pulchritudinem, casæ meæ parvitate coarctetur?

Maria ingens locus possessionis Dei.

42. O quàm sapienter Divus Epiphanius lib. de laud. Virg. eandem cœli terræque Mysterium nuncupavit, Cifram illam quandam cœli terræque existimans, ut Pater noster Quirinus de Salazar in Prov. c. 8. interpretatur, utpote quæ in se, compendio quodam admirabili, atque indicibili, omne quod bonum ac pulchrum cœlo terraque, imò & ipsorum quodammodo Creatore continetur, velut epilogo quodam compræhenderit, & in se ad vivum repræsentârit. Audite ipsam Deiparam hâc de re gloriantem apud Ecclesiasticum 24. *Gyrum cœli circumivi sola;* hoc est, ut interpretatur Richardus à Sancto Laurentio lib. 1. de laud. Virg. c. 7. *Illum, qui omnia claudit & continet, circuivi gremio uteri mei atq; circumdedi, sola absq; adjutorio virili.* Verè enim extimus quidam cœli Gyrus, ac Circulus est Vniversi Conditor, immensa suæ Essentiæ periferiâ cœlum, terram, creaturasque omnes ipsis contentas compræhendens, qui postea in uterò Virginis homo factus, & ipse ab illa compræhensus, eam simul compræhendere fecit omnes creaturas, voluitque Divinæ suæ Essentiæ creaturarumque in ipsa compræhensarum animatum quoddam esse Speculum, admirabiliter illa sex dierum à DEO efformata opera mirificè repræsentans.

Maria compendium, seu Cifra cæli & terræ omniumq; creaturarum.

Maria illum, qui in se concludit omnia, uterò suo cõclusit.

Maria Divinæ Essentiæ speculum.

43. Quare Beatus Albertus Magnus Tractat. super Miss. agnoscens Deiparam esse Opus quoddam eximium atque Divinum, plura in se Domini complectens Opera, omniumque Dei Operum pulcherrimum absolutissimumq; Compendium, memorabilem illam sententiam pronunciavit: Beatissima Virgo in omnibus Operibus sex dierum est expressissimè figurata. Atque ita probat illam Cœlum, & Terram esse, quam in principio creavit universorum Dominus. Nubeculam item seu lucem, de qua postea efformatus est Sol; quod pri-

In Maria omnia sex dierum à DEO creata opera reperiũtur, unde bene dicitur: *Opera Domini.*

primæ diei Opus extitit. Firmamentum seu cœlum stellatum, quod secundæ. Congregationem aquarum seu Maria, quod tertiæ. Solem & Lunam, quod quartæ. Aves dixit esse Virginem Sanctissimam, volatu contemplationis: Pisces, natatu per mare amaritudinum ac tribulationum; quod quintæ diei Opus fuit. Evam denique in Paradiso, omnibus & Naturæ, & Gratiæ ornamentis decoratam, quod sextæ. Quamobrem idem Virginis amantissimus Doctor, eam DEI Civitatem, lætantium habitationem, & cœlorum quoddam Regnum vocitare non dubitavit. Quibus sanè clarè ostendere voluit, eam quandam DEI Essentiam in se præseferre. Quemadmodum enim cœli Cives in Divinæ Essentiæ contemplatione summam lætitiam voluptatemque experiuntur: sic etiam post DEVM in ejusdem DEIparæ visione Beatitudinem quandam fœlicitatemque admirabilem reperiunt: *Dicitur*, inquit ille, *Beatissima Virgo gloriosa Civitas DEI, plena hominibus lætantibus. Ipsa enim continet, salvat & ambit Esse quoddam lætitiæ, omnium hominum affectum trahit ad se, desideriaq; omnium quietat in se. Vnde ipsa est lætantium quoddam speciale Regnum cœlorum.*

Maria Civitas lætantium & Regnum cœlorum.

44. Ostendit denique idem pijssimus Doctor, DEIparam Essentiam Divinam in eo referre, quod sicut in illa perfectiones rerum etiam sublunarium, florum, fructuum, arborumque eminentiori modo continentur, sic etiam aliqua ratione in Virgine compræhendi; ac proinde eam dixit esse Agrum Filij DEI plenum, cui benedixit Dominus: *Est etiam*, inquit ille, *Beatissima Virgo plena, sicut locus dicitur plenus floribus ac fructibus. Vnde plena est sicut odor agri pleni, &c.* Gen. 24. *Illorum porrò florum, fructuum, herbarumq; plenitudinem, morum, virtutum, operationumq; diversarum perfectionem significantem, explanare concupiscens, defecit ille, qui in persona Deiparæ dixit: Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.* Atque ut omnia tandem in Virgine nostra Divinam Essentiam repræsentantia reperiri demonstret, Personas quoque Divinissimas in ea contineri asseveravit: Plenitudinem, inquiens, Spiritus Sancti habuit Beatissima Virgo in summo, quia Spiritu S. cum Patre, & Filio, plena fuit etiam corporaliter, utpote in qua plenitudo Divinitatis habitavit corporaliter.

In Maria velut Divina essētia eminenter sūt flores, fructus, arbores &c.

Maria Ager plenus Filij Dei, cui benedixit Dominus.

45. Hanc ob causam jure meritissimo ei duo illa Divinæ Essentiæ à Platone attributa Nomina Pulchrum, nimirum, & Bonum possemus aliqua cum proportione attribuere, ita tamen, ut verè sentiamus, à se supremam illam Naturam bonam, pulchramque esse, Virginem verè per participationem. Audite quânam ratione hic Sapientum Antesignanus Bonum hoc, ac Pulchrum quod ille καλόσ appellat, nobis depingat, oculisque quasi spectandum proponat, Dial. de Pulchro: *Semper est, nec mutatione afficitur, nec vt pars Pulchrum est, nec vt id cui pulchritudo inest, sed ipse per se pulchritudo, unde manat cæterorum pulchritudo.* Quæ pulchri descriptio mirificè nostræ quadrat DEIparæ. Revera enim continendo Virgo Sanctissima creaturarum omnium, quin etiam ipsius Creatoris, in se pulchritudinem, dici potest; Ipsa Pulchritudo; per accidens tamen, & per participationem illius sempiternæ, quā illa prima ante omnes Seraphinos, ac Cherubinos, ante omnes Sanctos, utpote DEO vicinissima participat. Pulchritudo, inquam, est Virgo, à qua manat cæterorum pulchritudo, siquidem, vel solo suo aspectu, facieque illa honestissima, amorem honestatis, pudicitiæ, castitatis, interioremque animi Pulchritudinem, ijs, qui illam piè intuiti fuissent, communicabat, uti fusiùs suo loco comprobabitur. Libet hic interea Iusti Landspergij Carthusiani Virginis amantissimi Theoria 29. attexere precatiunculam, qua sibi puritatem DEIparæ ejusque Sponsi Ioseph donari pientissimo eorum aspectu atque intercessione efflagitabat qua quivis Virginis amator, ac cultor, cùm sensus carnisq; illecebris tentatur ad tuendam conservandamque castitatem, opportunè uti poterit. Sic igitur ille: O pudicissima Mulierum, ô Virginum integerrima, ô Genitrix Dei, tu Virgo intacta, tu Mater inviolata, tu ante partum, in partu, & post partum Virgo incorrupta permansisti. Licet enim facie esses venustissima, & super omnes mulieres pulchritudine gratiosa, hanc tamen gratiam tibi indidit DEUS, ut nullius viri concupiscentiam tua pulchritudo irritaret, sed corda potiùs omnium te intuentium pudicissima castitatis tuæ virtus castiora redderet. Quapropter

In Maria Divinæ Essentiæ reperiuntur proprietates, Pulchrum & Bonum.

Deus quale Pulchrum.

M. pulchritudinem spiritualem se intuentibus communicabat.

propter Ioseph non solùm non te carnaliter concupivit, sed etiam per te castior fuit. O igitur liliorum castissimorum, ò rosarum charitate fragrantium, ò Virginum DEVM amantium Mariæ, ac Ioseph castissimum matrimonium, ò pudicissimam atque vernantem morum honestatem, sanctissimam cohabitationem, syncerissimam dilectionem, ò corda DEI amore ardentia, ò corda Spiritu S. plena, ò corpora Spiritus S. organa, atque in DEI ministerium sanctificata, admoneo vos suavissimæ illius cohabitationis vestræ, mutuæque dilectionis, qua in omni vita vestra alterutrum vos honore prævenistis, DEIque Filio IESV immaculati adhæsistis. Dulcis Maria, dulcis Ioseph DEI Parentum nominibus honorati, atque ante mundi constitutioné ad hunc honorem, ad hoc officium prælecti, precibus ac meritis vestris impetrate mihi à DEO, ut omnis amor non Divinus in me radicitus moriatur, quo DEVM meum solum ex toto corde meo diligam in omnibus & super omnia. O vernantes gemmæ, Violæque castissimæ impetrate sensibus meis, universoque corpori & animæ perfectissimam integritatem, integerrimam castitatem, mentisque puritatem simplicissimam, ut præter DEVM meum nihil me afficiat, nihil me delectet. Amen.

Oratio ad B. V. & S. Ioseph pro conservanda castitate.

M. & Ioseph Rosæ & lilia sút

M. & Ioseph Organa Spiritu S. plena in Dei ministerium sanctificata.

M. & Ioseph gemmę ac violæ.

46. Et licet Virgo hæc purissima Pulchrum sit quoddã per accidens, exhibet se nihilominus Divinæ essentiæ adeò consimilem, ut Pulchrum quoddã per se esse videatur. Quemadmodũ enim Esse DEI continet in se identificata realiter attributa omnia, adeò, ut nil diversum atq; distinctũ ab ijs esse videatur, exhibendo se adeò Pulchrum perinde atq; si Divina essentia, nil esset aliud quàm pura & sola pulchritudo; adeò Bonum; atq; si sola foret Bonitas; adeò sapientem, atq; si nil aliud esset quàm Sapientia, adeò potentem, adeò misericordẽ, adeò justũ, atq; si nil aliud quàm justitia, nil aliud quàm misericordia, potentia, sapientiaq; esse videretur: Ita quoque D. V. in omni sua pulchritudine animi, interioriq; virtutũ omnium, singularũq; perfectione, adeò absoluta est, ut nil aliud quàm Bonitas, v. g. nil aliud quàm sapientia, potentia, misericordia, imò & justitia esse videatur. Et licet adeò pia, adeòq; sit misericors, ut tota spirare misericordiã censeatur, nec ullo pacto rigorem contra peccatores, contra DEI inimicos, adhibere justitiæ; nihilominùs tamen ob suę voluntatis cum Filij voluntate conformationẽ perfectissimã, nil aliud velle potest, quã velit Filius. Vnde nonnulli Scripturæ Interpretes sententiam illam Hierem. c. 25. exponentes: *Facta est terra eorum in desolationem à facie iræ Columbæ, & à facie iræ furoris Domini;* asseruêrę, pijssimam Virginem in postremo illo judicio, omni remota misericordia, de toto rigore justitiæ unà cum Filio, reliquisque Sanctis genus humanum judicaturam. Tunc enim mitis hæc, placidissimaque Columba, quæ nobis in vitæ hujus peregrinatione, atq; exilio olivam pacis, ac misericordiæ prætulit, in horribili illo judicij universalis die adversus impios ad instar ferocissimę exardescet Leænæ, & viridantis Olivæ, pacis videlicet, ac misericordiæ vice, gladium bis acutum ancipitemque Divinæ vindictæ evibrabit, adeò terribiliter, ut impij teste Hieremia cap. 26. confusione, & terrore pleni sint dicturi. *Revertamur à facie gladij Columbæ.*

M. in omnibus suis virtutibus perfectissima, ita ut ipsa & sola Bonitas, ipsa & sola misericordia videatur.

M. ex rigore justitiæ in extremo Iudicio contra peccatores procedet.

M. quæ ad instar Columbæ olivam misericordiæ præferebat, in judicio habebit gladium.

M. in Iudicio erit Leæna.

47. Sed ad Virgineam pulchritudinem contemplandam revertamur: Hæc mutatione non afficitur, uti de Divina Natura loquitur Plato; cùm, S. Iacobo teste c. 1. *apud DEVM non sit transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio;* & sit immutabilis atque impeccabilis à se; DEIpara verò per illius gratiæ participationem, in qua tantopere radicata ac fundata extitit, ut nunquam statum illum fœlicissimum innocentiæ ac sanctitatis immutare potuerit; permanebat nimirum assiduè constans in illo internæ pulchritudinis splendore, ad instar Solis. Ideò dilectus Discipulus eandem, Sole amictam conspexit; quia nimirum, in illam Divina gratia suum sibi domicilium fixit. Vnde S. Thaumat. ser. 1. de Annunciat. Virginem salutans: *Ave ac gaude gratia plena. Tuum enim,* inquit, *est verè avere, ac gaudere, quoniam tecum Divina gratia, ut novit habitationem elegit, cum Ancilla, Rex gloria, cum speciosa, speciosus formâ præ filijs hominum, cum impolluta, qui sanctificat universa. Ave gratia plena fons lucis, qui cunctos in ipsum credentes illuminat: Ave gratia plena intelligibilis Solis Iustitiæ oriens, & flos vitæ immaculatus.* Hanc ob causam Richardus de S. Victore cap: 26. eam totam pulchram & absque macula à Sponso prædicatam asserit; *quia,* inquit, *sanctificata fuit in utero* (dixisset rectiùs, quia

M. impeccabilis virtute Divinâ.

B.V. Solis Iustitiæ oriens & flos vitæ em aculatus.

M. tota pulchra ob impeccabilitaté.

P præ-

M. præservata à peccato Orig.

præservata à peccato Originali, tota sancta, pulchra, ac sine macula fuit) *Ab utero quoq; egressa, nec mortale unquam, nec veniale commisit. Et ante conceptionem quidem Filij DEI priùs per gratiam custodita fuit à peccatis, post hanc verò ita confirmata est, ex virtute Altissimi, obumbrata & roborata, ut peccatum omninò committere non potuerit.* Ob impeccabilitatem hanc Dionysius Carthus: eam Palmæ conferre non dubitavit. Ponderans enim Art. 24. illud elogium ex Cant: *Statura tua assimilata est Palmæ: Nunquam,* inquit, *per culpam est incurvata, sed in omni virtute, & Sapientia jugiter stetit erecta, ac gloriosissimè de invisibilibus hostibus triumphavit. Vnde victoria palmâ meruit insigniri.*

M. Palma ob impeccabilitaté.

48. Immutabilitatem hanc in gratia, seu impeccabilitatem in ipso purissimæ Conceptionis instanti indepta est Deipara, quo ut testatur S. Antoninus 4. P. tit. 15. c. 17. §. 1. ejus intellectus lumine gloriæ subinde perfusus & per potentiam, uti loquuntur Theologi obedientialem ad Dei clarè videndam essentiam (cujus in se quandam pulchritudinis ac perfectionum exprimebat effigiem) elevatus, ita in Dei amorem ejus defixit voluntatem, ut ampliùs nullo prorsus peccato à cœlestis Sponsi amplexibus posset separari; quin imò ei adhærens in illius pulchritudinem, atque immutabilitatem quodammodo fuit transformata. Siquidem justos omnes Visionis beatificæ beneficio id consecuturos testatus est idem Apostolus: *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Neque verò solùm in Conceptionis immaculatæ momento Deum Virgo clarè vidit, verùm etiam aliàs sæpiùs totius vitæ suæ decursu, ut testatus est Doctissimus noster Svarez tom. 2. in 3. part. disput. 19. art: 4. *Piè,* inquiens, *& probabiliter credi potest B. V. in hac vita interdum elevatam fuisse ad videndum clarè Divinam essentiam brevi tempore.* Idque auctoritate ejusdem S Antonini, B. Alberti Magni, Dionysij Richelij, Gersonis, Vbertini, Cassalij, Villanovæ Archiepiscopi Valentini, comprobavit; præsertim verò Ruperti Abbatis lib: 3. in Cant: qui verba illa explanans Sponsi: *Oculi tui Columbarum,* asseruit Virginem in tertium raptâ fuisse cœlum, vidisseque arcana mysteria, quæ non licet homini loqui perfectiùs ac excellentiùs, quàm Paulus, uti etiam suprà ex Dionysio memoravimus.

In instanti Conceptionis B. V. vidit essentiam Dei, & ideò facta impeccabilis.

Visioni Divinæ beneficio quasi trãsformamur in Deum.

B. V. sæpiùs in vita vidit clarè Deũ

M. in tertium cœlũ rapta.

49. Visio hæc porrò beatifica ex communi Theologorum sententia hujusmodi est naturæ, ut suaviter sive Angeli, sive hominis inclinet necessitetque ad Deum summum bonum amandum, voluntatem, eamque determinet non modò quoad exercitium actus, verùm etiam, quoad ipsius actus specificationem, adeò, ut actum amoris Virgo beatissima suspendere minimè valeret. Atque ex hac voluntatis continua in Divinum amorem actuatione, in bono immutabilitas illa, atque impeccabilitas consequenter in Virgine consecuta est, pro eo tempore, quo Divinâ visione fruebatur; licet ipsius impeccabilitas ex alijs etiam fontibus originem traxerit, uti memoravimus.

B. V. visione beatificâ necessitata fuit ad amandum Deũ, & ideò peccare non potuit.

50. Aliud Divinæ Pulchritudinis à Maximo Tyrio Philosopho simul ac Rhetore argutissimo, ac facundissimo, Orat. de Deo conscriptum occurrit elogium, quod proportione quâdam magnæ Dei Matri, utpote Divinæ essentiæ similitudinem aliquâ ratione repræsentanti, potest adaptari: *Pulchrum DEUM,* inquit ille, *dices, & pulchrorum omnium pulcherrimum: Non quidem pulchrum corpus, sed unde pulchritudo manat in corpora. Neq; etiam pulchrum, sed unde & prata, & amnes, & mare, & cœlum ipsum, cœlestesq; Dij pulchritudinem decerpunt. Ejus enim perennis pulchritudo omnis, tanquam in perenni purissimoq; fonte ad nos usq; delabitur, tantumq; aut fortitudinis, aut firmitatis, aut salutis, rebus in singulis inest, quantùm ab eo resperguntur, ex quo si nihil hauriant, continuò turpes, dissoluta, corruptaq; tabescunt.* Quid aptiùs in Matris Dei ejusdemque pulchritudinis honorem dici poterat? Verè quicumque es ipsius gloriæ studiosus Pulchram Dei Matrem dices, & pulchrorum omnium pulcherrimam, siquidem S. Germanus Constantin. Archiepiscopus Orat: in Nat: B. V. eam *pulchritudinis Diadema* salutavit; rarissimam quandam nobis insinuans venustatem, in nulla prorsus fœminarum reperiendam. Hæ siquidem non tam ipsæ pulchritudinem coronant, quàm ab ipsa coronantur, unde & stibio cerussa, ac purpurisso illius defectum supplere consueverunt. At verò Virgo nostra, Divinâ suâ pulchritudine ipsius pulchritudinis creatæ, cujuscunque tandem est corona, ac venustas. Quod sanè dici minimè posset, nisi Virginea hęc forma longè excellentioris ordinis &

Maximi Tyrij de Deo elogium.

Deus pulcher ita ut ab illo omnis in creaturas emanet pulchritudo.

M. pulchrorum omnium pulcherrima.

M. Pulchritudinis Diadema.

M. suâ pulchritudine venustatem coronavit.

Aliæ fœminæ non coronant pulchritudinem, sed à pulchritudine ipsæ coronantur.

par-

participatio quædam singularissima, atque excellentissima increatæ illius Pulchritudinis extitisset. Quare nec D. Bonavent. Psal. 1. sat sufficienter extulisse hanc Deiparæ pulchritudinem visus est, cùm illi cecinit: *Universas fœminas vincis pulchritudine carnis: superas Angelos & Archangelos excellentiâ sanctitatis.* Nec etiam Nazianzenus, cùm eam *fœminarum pulcherrimam* dixit. Et in Tragœdia de Christo patiente: *O Virgo formæ qua nitore cæteros prais!* Nec denique Richardus Victorinus, cùm cap. 26. in Cant. de ipsius charitate toto ore oculisque emicante, loquens: *Nec dubitandum,* inquit, *amoris ignem, & interiorem candorem exterius etiam in ea lucere, vt quæ puritatem Angelicam habuit, vultum etiam Angelicum habuerit.* Pronunciandum igitur Deiparam ob similitudinem illam cum Divina Essentia super omnes creaturas etiam Angelicas, singularem, pulchritudine quâdam excellentissima atq; eminentissima quamcunque humanam atque Angelicam infinitis parasangis superante, excelluisse, ad Divinamque quam proximè accessisse.

B. V. habuit cum puritate Angelica faciem quoque Angelicã.

51. Quare præclarè prosequitur Maximus: *Non quidem pulchrum corpus, sed unde pulchritudo emanat in corpora.* Quia præterquam quod vixerit Deipara dum in hoc mortali corpore degeret, vitam Angelicam perinde ac si corporis terreni non esset gravata pondere, corporeâ etiam pulchritudine prædita fuit non illa cum reliquis mortalibus communi, quæ flaccescere atque emarcescere diuturnitate temporis consuevit, absque ulla ægritudine aut infirmitate, vel languore, quem secum senectus ipsa importat. Vnde meritò de ea quoque dici potest: *Vnde pulchritudo emanat in corpora;* siquidem aspectus potentissimus Deiparæ animis pulchritudinem communicabat, ut se revera Filiam Spiritus S. ostenderet, cujus gratia in animas transfusa, redundare solita est in corpora, uti videre fuit in gloriosissimo Protomartyre Stephano, eaque à corruptione præservare, uti præservavit S. Xaverij corpus, quod in viva calce humatum, cum totius Orientis admiratione, tam diuturno tempore vividum ac succo plenum perduravit. Quare meritò de ipsa loquens D. Hieron. serm. de Assumpt. *Verè,* inquit, *speciosa quasi Columba, quæ illius speciem Columbæ ac simplicitatem demonstrabat, quæ super Dominum venit, & docuit Ioannem, quod hic est qui baptizat. Demonstrabat verè Divinissimæ illius Columbæ in se pulchritudinem, siquidem uti illa internam animabus venustatem indere, sic & ista Columba Virginea consuevit.*

M. corporeâ pulchritudine immarcescibili fuit prædita.

M. Filia Spiritus S.

M. speciosa Columba speciẽ animabus, uti Spiritus S. indere solet

52. Vel certè dicamus pulchritudinem hanc sensibilem quâ in universali illa anastasi Sancti, ac justi, erunt dotati, esse etiam Marianæ pulchritudinis quondam effectûs. Quandoquidem gloriosorum corporũ venustas illa, quæ splendore, immortalitate, agilitate, ac subtilitate constat, sacratissimo Christi corpori, quod ex visceribus ac sanguinibus Virginis efformatum est, velut efficacissimæ causæ ab ipsa Veritate attributa est, cùm dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Ioan. 6.

Corpus Christi dignè sumptum gloriosa efficit corpora.

53. Prosequatur ergo Maximus Virgineæ hujus pulchritudinis Panægyrim, dicatque: *Neq; etiam Pulchrum, sed unde & prata, & amnes, & mare, & cœlum ipsum, & cœlestes Dij pulchritudinem decerpunt.* Revera enim nec Devs ipse pulchritudo illa increata ac substantialis, nec ejus Mater sanctissima est vulgaris quædam ordinariaque creaturarum reliquarum venustas; sed est, uti supra memoratum, Pulchritudo prorsus singularis, quæ nulli unquam nec ante, nec post creaturæ erit communicanda, quàm cœlestes Dij, seu ut veriùs dicamus, Angeli beati contemplantes, habent sanè quod imitentur, & erubescant, quod ad tam eximiam mentis pulchritudinem virtutumque omnium decus, quod resplendet in Virgine, pertingere minimè valeant. Cœlum certè ipsum, cum Stellis omnibus, cum Sole, Luna, reliquisque Planetis; Terra ipsa cum pratis, floribus, arboribus ac fructibus; maria ipsa ac Flumina reliquæque irrationales ac insensibiles creaturæ videntes suas perfectiones in Deipara velut in Speculo longè perfectiùs repræsentari, quàm in seipsis, si capaces admirationis forent, rarissimam hanc, ad Divinam proximè accedentem obstupescerent Virginis nostræ pulchritudinem, & in cœlum usque attollerent. Hinc canit Ecclesia: *Venite & videte Reginam vestram quam laudant astra matutina, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur.* Quia revera, ut idem Maximus Philosophus loqui-

A B. V. Angeli reliquiq; B. suam pulchritudinẽ decerpũt.

B. V. pulchritudinem etiã insensibiles creaturæ suspicere videntur.

Mariæ Pulchritudinem Sol Luna & astra matutina mirantur.

quitur, ejus pulchritudo omnis tanquam ex perenni purissimoque fonte post Deum ad nos usque delabitur, imò & in reliquas creaturas quodammodo; quæ in homine, velut parvo quodam mundo continentur; influit, cùm Virgo non solùm Pulchrum, sed & Bonum sit, quod natura sua est sui diffusivum.

Per M. creaturæ quæ sunt in homine, pulchræ fiunt

54. Hanc ob causam crediderim beatissimas illas mentes, quæ ab amoris ardore nomen invenerunt, Solio Divinæ Majestatis, Isa. 6. assistentes, alis ora pedesque obvelasse, quod erubescerent non modò supremam illam, verùm etiã Virgineam hanc pulchritudinem internamque perfectionem toto ore oculisque promicantem intueri, cujus imitandæ se impares agnoscerent. Quid enim Solium illud excelsum & elevatum, in quo sedebat Dominus, denotabat aliud, quàm Virginem hanc gloriosissimam, in qua Dei Filius Pulchritudo illa antiqua & nova, Pulchritudo illa Notionalis ac Substantialis, ille speciosus formâ præ filijs hominum, Dilectus ille pulcher & decorus, candidus & rubicundus electus ex millibus, novem mensibus summâ animi sui voluptate resedit? Audite D. Bonav. in Speculo c. 7. *O verè beatissimum, ò verè stabilissimum Solium. Hoc Solium excelsum est in intellectu, elevatum in affectu, excelsum quoq; inter homines, elevatum super homines, excelsum est in gratia, elevatum in gloria. In Solio mentis Mariæ Dominus sedet, & domus corporis Mariæ, plena erat Majestate ejus.* Audite D. Bernardinum Senens. to. 3. serm. 11. art. 1. c. 2. *Prævisa,* inquit, *fuit ab Isaia, cùm ait: Vidi Dominum sedentem super Solium excelsum & elevatum; quia immobiliter requievit super Virginem gloriosam Mariam, ratione dignitatis firmissimæ; Solium, inquam, excelsum, & elevatum, ratione dignitatis altissimæ; & plena erat omnis terra Majestate ejus, ratione dignitatis latissimæ.* Audite denique Hugonem Charentem: *Per Solium excelsum, & elevatum, intelligitur B. Maria, in qua sedit Dominus & quievit.*

Seraphini B. V. pulchritudiné intuentes erubescũt

M. Soliũ excelsum & elevatũ.

55. Animatum hoc Solium mihi persimile esse videtur Sedi illi Agni cœlestis, quã Ioannes vidit in cœlo Apoc. 25. de qua procedebat fluvius splendidus tanquam crystallum; quem ego fluvium lympidissimum, dixerim esse dona, ac charismata Spirit⁹ S. & gratias singulares ac favores, quibus veluti Fons perennis Hortum Ecclesiæ, particulariumque animarum, quæ se Deiparæ peculiaribus mancipârunt, obsequijs, uberrimè copiosissimèque irrigat. Vnde Beatæ illæ Seraphicæ mentes tantam gratiarum ac præsertim ardentissimæ charitatis admirantes redundantiam, suam tenuitatem paupertatemque agnoscentes, ingenuo pudore suffusæ alis pedes oraque modestissimè velabant. Ob hanc gratiarum cœlestium exuberantiam, Sponsus Divinus eam Fonti, ac puteo aquarum viventium comparavit Cant. 4: 15. *Fons Hortorum, Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Quemadmodum enim sive Fons, sive puteus Horto amœnitatem, pulchritudinemque confert, dum fœcundis aquarum suarum rivulis eum irrigat, dum graminis virorem, florum venustatem, fructuum ubertatem conservat: Sic Virgo gloriosissima suarum copiosissimis fontibus gratiarum, cœlesti Paradyso, Angelis, Beatisque omnibus, velut gratiosissimis immortalibusque floribus, Libanique Cedris, decorem aspergit admirabilem. Qua de re Guilelmum Abbatem pijssimum audiamus: *Est Fons hortorum rigando eos, puteus aquarum viventium continendo eas. Continet sibi abyssos vitæ, & immortalium gaudiorum. Sed non ita continet sibi, ut non effundat & alijs. Effundit Angelis, & hominibus participationem, pro captu singulorum. Angelis quidem torrentem voluptatis, hominibus in hac peregrinatione, rivulos sanctitatis, & sanitatis; donec & ipsi cives effecti inebrientur, ab ubertate domus ejus, & torrente voluptatis potentur. Sic tamen effundit, ut non minus contineat.* Hæc Guilel.

B.V. Sedes Agni cœlestis, de qua fluvius crystallinus gratiarum in Angelos & homines profluit.

M. ob gratiarũ suarum plenitudinem Fons est Hortorũ, Puteus aquarum viventium, &c.

B. V. aquis suarũ gratiarũ pulchritudinem Angelis, velut floribus communicat.

B.V. Fons Hortorũ est rigando eos, est puteus aquarum viventium continendo eos in se.

56. De hac Deiparæ, cum Beatis, Angelisque gratiarum suarum, pulchritudinisque ac perfectionis communicatione præclarè S. Anselmus lib: de excell: Virg: c. 8. agens de ineffabili ejus in cœlis gloria, quâ die Assumptionis suæ dotata fuit: *Dies illa,* inquit, *non solùm te Domina ineffabiliter sublimavit, sed cœlum ipsum, quod penetrasti, nec non cuncta, quæ in eo sunt, nova, & ineffabili gloriâ decoravit. Novâ quidem cœlum gloriâ decoravit; quia priorem gloriam ejus, ex præsentia tui, ultra quã dici possit, aut cogitari, magnificavit. Nam cùm tu Domina illuc ascendis, novâ illud & præcellenti virtutum tuarum dignitate irradias, immensaq; miserationum tuarum, & gratiarum luce perlustras.* Et paucis interpositis: *Sicut enim omnia, quæ in cœlo sunt, per tuam glorificationem inæstimabiliter decoran-*

B. V. in sua Assumptione cœlos Angelosque decoravit.

Mariæ pulchritudine & cœlum & terra decoratur.

corantur; ita per eandem glorificationem, cuncta quæ in terra subsistunt, ineffabiliter sublimantur. Ob hanc suæ pulchritudinis in Beatos Angelos transfusionem, sive communicationem Richar. à S. Laur. lib. 2. de laud. Virg. c. 3. eam *Stellam cœli* vocitat: *Quia*, inquit, *suâ claritate omnes illuminat Ordines Beatorum.*

Maria Stella cæli, quia omnes Beatos illuminat.

57. Hanc porrò tam eximiam Angelorum Beatorumque illuminationem, sive gloriam, ex Virginis præsentiâ derivatam idem insinuat Richardus lib. 4. dum Cœlum, antequam illuc Virgo conscenderet, desertum quoddam fuisse visum asserit, in quo DEI Filius oves 99. novem videlicet Angelorum Choros, ovem perditam humani generis quæsiturus dereliquit Luc. 15. Verè enim ultima quâdam suâ perfectione ac venustate deserti, ac destituti videbantur Angeli, antequam Deipara in cœlos esset assumpta. Vnde meritò Corona Sanctorum omnium appellatur. Quemadmodum enim Corona summum verticem redimire, reliquamque corporis pulchritudinem ac ornamenta decorare consuevit: Sic Virgo nostra Angelis Beatisque omnibus pulchritudine suâ, ipsorum decori & gratiæ supremam quodammodo manum imponit. Cùm enim illa per se supra omnes Angelorum Choros, ut superiùs ex Ioanne Gersone retulimus, eminentissimam constituat Hierarchiam, & S. Dionysio Areopagita teste, superiores Hierarchiæ, inferiores purgent, illuminent, perficiantque, quis dubitare poterit Deiparam pulcherrima lumina absolutissimamque perfectionem in Angelos, Beatosque reliquos, nec non in mortales universos, in hac vitâ adhuc degentes, copiosissimè transfundere? Has agnoscens communicationes S. Ioannes Damascenus Deiparam Sanctissimam, *Humanæ Naturæ venustatem, summum mulierum ornamentum*, prædicavit. Orat. verò prima de dormitione Deiparæ, *generis humani ornamentum, omnis creaturæ decus, ob quam verè beata effecta est*, nuncupavit.

Cœlum quasi quoddam desertum videbatur sine B. V.

B. V. Corona Beatorum quod illis ultimam quasi pulchritudinis perfectionē addiderit.

B. V. velut suprema Hierarchia Angelos illuminat ac perficit.

B. V. Humanæ Naturæ venustas, & humani generis ornamentum.

58. Nec postrema illa Divinæ pulchritudinis laus in Virgine desiderari potest: quâ Dei elogium illud concludit Maximus. Nam revera tantum fortitudinis, aut firmitatis, aut salutis rebus singulis inest, quantùm ab hac pulchritudine, ac gratia Virginis, post DEVM respergüntur: Quemadmodum enim per accessum vel recessum à DEO, tantô quis magis aut minùs illuminatur: sic quoque tantò majori minorivé luce perfundimur; tantò majorem minoremvé firmitudinem ac constantiam in adversis, in superandis tentationibus ac peccatis ipsis experimur, quantò majori vel minori pietatis ac devotionis affectu accedimus ad Virginem; cùm noster sit illa Sol quidam, qui nos illuminat, salus quæ nos salvat, fortitudo nostra, imò castrorum acies ordinata, quæ nos contra Tartareos hostes munit ac defendit. Hanc ob causam, quemadmodum illi, qui per ardentem charitatis affectum adhærent Deiparæ, de Divina illius participant pulchritudine ac perfectione, seseque in puritate ac incorruptione tam animi, quàm corporis conservant; ita contra, cum ab ipsius cultu, & fidelissimo recedunt patrocinio ac veneratione, mox turpes ac sordidi, in corruptionem abominandam resolvuntur, ita ut de illis dicere possimus cum hoc Philosopho: *Continuò turpes, dissoluti corruptiq; tabescunt.* Ex quibus omnibus facilè est intelligere, quantam Virgo Deipara velut in animato speculo in semetipsa Divinissimæ illius Naturæ similitudinem cum omnibus ejus perfectionibus repræsentârit.

Quantò majori pietatis affectu quis accedit ad Virginē, tantò majori luce perfunditur & fortitudine in tentationibus roboratur.

59. Quæ cùm ita se habeant, hoc omnis sanctitatis tam Divinæ, quàm humanæ speculum nobis ob oculos mentis proponamus. Ita enim futurum est, ut in primis Divinæ illius Naturæ perfectionem æmulemur, deinde ipsius quoque Virginis, & in illa omnes, ratione præditas creaturas ad Dei similitudinem imaginemque conditas, amplo charitatis sinu, quemadmodum Divina Essentia, quemadmodum ipsa Virginis benevolentissima Natura eas complectitur, amplectamur. Quem Deiparæ creaturarum omnium amplexum amoremque considerans Iustus Landspergius Theoria 16. magno affectu ipsi bene precatur ac benedicit: Benedicta sis, inquiens, à Domino Virgo DEO devotissima Maria pro continuis suspirijs, ac ferventissimis orationibus, quæ ingenti charitate pro humani generis reparatione indesinenter Domino obtulisti. Siquidem Patribus pro eadem re supra quinque millia annorum clamantibus, necdum exauditis, oratio tua propter innocentissimam & excellentis-

Maria velut Divinæ Pulchritudinis speculum identidem aspicienda, ut pulchritudinem internam acquiramus.

B. V. creaturas omnes amplo charitatis sinu Divinæ Essentia facta similis amplectitur.

M. hæc Charitas tam ampla imitanda.

simam cordis tui puritatem, propter humilitatem DEO acceptissimam, propter charitatem denique æstuantissimam cœlos penetrabat, & iram DEI placans, atque adeò ipsum alliciens, gratiam & salutem omnibus impetravit. Tandem hujus tam eximiæ charitatis imitandæ cupidus concludit deprecando: Impetra & mihi ô reverendissima Mater perfectam charitatem, quâ necessitatibus omnium atque defectibus condoleam, omnium salutem, atq; profectum, ardentissimo desiderio sitiam, orando & laborando curem, de omnium consolatione gaudeam, nec meipsum sed DEUM in omnibus quæram. Hæc Landspergius, quibus sanè clarè ostendit quanto Virgineæ hujus charitatis tam latè patentis, & creaturas omnes, absque ullo discrimine bonorum ac malorum habito, complectentis imitandæ studio teneretur. Quod sanè nobis idem faciendum est. Præclarè enim S. Bernardinus Sen. Tomo 4. Serm. 13. art. 1. cap. 2. ait DEIparam esse Signum illud Magnum, quod apparuit in cœlo Ecclesiæ militantis, *ut omnibus bene viuendi præberet exemplum.* Citatque Ambrosium lib. de Virginibus, ubi varijs recensitis Virtutibus DEI Matris, ad quas imitandas nos hortatur, tandem concludit: *Talis fuit MARIA, ut eius solius vita omnium sit disciplina;* Quibus verbis attexit hæc mox Pater Seraphicus: *Ecce quod Beata Virgo exemplum omnium virtutum Est Ecclesiæ militanti.* Neque verò solum Virgo toti Ecclesiæ exemplum & forma vitæ, magna cum sanctimonia ac puritate traducendæ, ac præsertim charitatis DEUM proximumque arctissimè complectentis, absolutissima quædam est Idea, verùm etiam cuilibet animæ, quæ etiam dum in puritate absque peccati, maximè lethalis macula vivit, cœlum est. Vnde rursus idem Sanctus: *Hoc Virginis signū apparet in cælo anima, quando quilibet justus, siue peccator devotionis Virginis non est oblitus, sed in hoc mari sæculi periculis pleno, devotionis oculos ad Mariam, stellam maris instanter levat;* ut videlicet clarissimam ipsius virtutum lucem sequatur, vitamque ipsius omnibus perfectionis numeris absolutissimam æmuletur. Absque hac siquidem sancta Virginis nostræ imitatione in hoc procelloso vitæ hujus mortalis pelago, nullus absq; gravi salutis discrimine navigare, portumque beatæ illius patriæ tenere poterit. Quapropter idem seriò hortatur Bernardinus: *Oportet universos Christicolas inter fluctus huius sæculi navigantes attendere hanc maris stellā, quæ supremo Cardini Deo ꝓxima est, & respectu ipsius exēpli cursum vitæ dirigere, Quod si quis fecerit, non iactabitur vana gloria ventis, nec frangetur adversorum scopulis, nec scyllea voluptatum voragine absorbebitur sed prosperè veniet ad portum quietis æternæ. Habeamus ergo Virginem semper præ oculis tanquam lucidissimam stellam, ejusq; virtutum lucem sequamur, habeamus velut limpidissimum omnis perfectionis speculum, ut eam æmulemur, salvi sane atq; incolumes in hac vita navigabimus.*

Landspergij amor in proximos.

M. Signū magnum apparens in cœlo, ut omnibus bene vivendi det exemplum.

M. cuilibet animæ Ecclesiæ militantis est exemplum.

Anima Iusti cœlum est.

B.V. Stella est lucis suæ exemplis nos in mari hujus sæculi dirigens.

MEDITATIO IV.



Contemplare anima mea DEIparam Virginem ob eminentissimas in primis Mundi Archetypi, deinde omnium creaturarum, tam cœlestium, quàm sublunarium, perfectiones, quas in se continet, magnum quendam novumque esse Mundum, superni illius Architecti ambabus, & potentiæ, & Sapientiæ suæ infinitæ fabricatum manibus. Ex qua consideratione facilè intelliges, si MARIÆ, post DEI tui amorem in corde radicatum habueris, te fœlicitatem quandam, & Dominium Mundi creaturarumque omnium consequi posse, ut verè medullitus dicas: DEUS meus & MARIA mea, mihi sunt omnia. O immensum Divinæ Bonitatis pelagus, ô tuam infinitam Creatori mi, charitatem, cui non sat fuit tot, tamque varijs tete nobis communicasse modis, ut te velut summo Bono etiam in hac vita potiremur, ad tantæ pietatis cumulum MARIAM Matrem tuam dilectissimam, fontem, thesaurumque bonorum omnium, effusissimâ liberalitate impertiri nobis non es dedignatus: Vnde si tanto tuo ingrati sumus amori jure potiori illud exprobrare nobis poteris, quod Israëlitis: *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi, quia misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam?* Verè in hac longinqua peregrinatione hujus miseræ vitæ misisti nobis ante faciem nostram MARIAM, non Sororem Moysis, sed Matrem tuam dilectissimam, ut ad illam intuen-

Maria data nobis à Deo in Ducem viæ in hac peregrinatione.

intuentes, velut omnes creaturas repræsentans speculum, in illa, post te cor nostrum conquiesceret, nec ullam creaturarum pulchritudinem oculus noster in posterum concupisceret, cùm in ipsa collectam venustatem omnem per reliquas creaturas dispersam, velut quodam in compendio reperiamus.

O quis mihi det Mater sanctissima, ut semper ante oculos meæ saltem mentis obverseris, quo te velut speculum, in se Mundum omnem repræsentans intuendo, omnes extra te creaturas fastidiam, & in te meas omnes delicias, ac amores, in te centrum ac quietem cordis mei constituam, ita ut tu Domina mea sis mihi Thesaurus bonorum omnium, in quo cor meum defixum conquiescat, quia verè tu Domina mea, ut sapientissimè asserit Sapiens; *Infinitus es Thesaurus hominibus, quo, qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ DEI.* Cùm igitur Dominus, ex infinita sua in nos benevolentia te in hac luctuosa peregrinatione pro singulari hominum solatio ante faciem nostram miserit, respice in nos Domina nostra amabilissima, respice & miserere nostri, nam revera, uti tuus canit Seraphinus Psal. 98. *Quibus auxiliata fueris Domina, erit refrigerium pacis, & à quibus averteris vultum tuum, non erit spes ad salutem.* Dignare igitur Mater mea dulcissima, pro innata tibi pietate, in hoc mundi deserto, in quo cũ tã multis confligẽdũ quotidie & depugnãdã hostib⁹, dignare semper oculis meis obversari, dignare me benignissimô tuô aspectu qui mœstitiam pellat, soletur afflictum, illuminet cœcutientem, accendat languescentem, confirmet vacillantem, protegat, roboret, & circumvallet in conflicta pusillanimem. Denique ad instar mundi cœlestis suavissimis pietatis ac gratiæ tuæ influentijs illabere animæ meæ, lumine tuô eam irradia, calore vivifica, ita ut canere cum tuo devotissimo possim Bonaventura Psal. 117. *Suavitatum tuarum affluentia cor meum alienavit à me, & caro mea mirabiliter exultavit in te.* Vt autem hosce pietatis tuæ benignissimos influxûs magis, magisq; in me experiri quotidie merear, precor te Domina amantissima, ut me tibi subditum reddas, quo mundus hic meus inferior cœlestibus tuis lationibus subjectus, perennibus gratiæ tuæ influxibus assiduè infundatur; Quæso te atque obsecro Virgo gloriosissima per effusissimæ illius tuæ pietatis charitatisque viscera, ut me tibi per castissimi amoris affectum unias, quo te, post DEVM unicè, velut summi Boni Parentem, in qua reperitur omne bonum, diligam, & in te velut cordis mei centro conquiescens, perfectiones tuas, quibus tantopere DEO placuisti in me, quantum humana nostra fert imbecillitas, repræsentem, dilectissimoq; Filio tuo gratior indies efficiar.

Amen,

AVE MARIA.

Maria Thesaurus noster.

Maria à quibus avertit faciem non habent spem salutis.

Mariæ suavitas alienat cor.






DISCVRSVS V.

Quod DEIpara Virgo in se, veluti speculo, non solùm Imaginem, verùm etiam ipsam Divinam Naturam incluserit.

Speculum sine macula Divinæ Majestatis. Sap. 7.

I.



Ræclarè sanè, uti suprà memoravimus de speculis asseruère, cum communi hodie Philosophorum Sententia, Richardus, Vitellius, & Apollinaris, ea nimirum objectum ipsum, & non solam speciem repræsentare consuevisse. Quæ sententia in hoc Virgineo atque animato speculo evadit verissima. In eo siquidem non imago duntaxat Divinæ Naturæ, ut præcedenti Discursu demonstratum fuit, verùm etiam ipsa Divina Natura, modo planè admirabili, humanisque mentibus incompræhensibili fuit repræsentata. Qua in repræsentatione id Divinus Amor mihi præstitisse omninò visus est, quod profanus, apud Papinium, Statium lib. 3. Sylv. Poëm. 4. qui rarissimam Earini adolescentis formæ præstantiam contemplatus, pulcherrimo ejus vultui, nobilissimum, quamplurimis distinctum gemmis opposuit speculum, in quo venustissimæ faciei receptando speciem, simul & vultum se surripuisse arbitratus, in templo Matris suæ ad perpetuam Earini memoriam conservandam, illud dedicavit. Audite rem totam venustissimè de more exprimentem Poëtam:

Earini adolescẽtis vultus speculo inclusus, Veneri dedicatus.

Tunc Puer è turba manibus qui fortè supinis
Nobile gemmato speculum portaverat auro.
Hoc quoq; demus ait, patrijs nec gratius ullum
Munus erit Templis, ipsoq; potentius auro.
Tu modo fige aciem, & vultus hucusq; relinque
Sic ait, & speculum reclusit, imagine rapta.

2. Verùm quidem est gloriosissimam Virginem DEIparam antequam Verbum carnem ex ipsius purissimis sanguinibus assumeret, fuisse immaculatum speculum, speciem quandam pulcherrimam Divinæ Naturæ, cum aliarum creaturarum pulchritudine, uti jam diximus, repræsentans. Exprimebat etiam in se attributa Divinissima, quantum creatura capax esse potest, Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Misericordiæ, & Iustitiæ. Verùm ubi primùm Divinus Amor Virgineum hoc, animatumque, varijs virtutum gemmis pretiosissimis exornatum speculum æterno Patri proposuit, ejusque vultus ille speciosissimus (immensam, intelligo, sempiterni Verbi Majestatem) sese in ipso reclusit, inque Virgineis visceribus homo fieri non est dedignatum, tunc reverà nobis ipsum objectum, ipsam Divinam Majestatem ad vivum expressit, atque ita Virgo Sanctissima speculum planè Divinæ evasit Majestatis. Speculum hoc æternus Pater, ubi venit plenitudo temporis, volens cum genere humano misericordiam suam magnificare, plenissimis illis pietatis oculis est intuitus, atque ita in illo vivam figuram, imaginemque suam repræsentavit, quæ nihil est aliud, quàm ejus Filius Vnigenitus, quem appellavit Apostolus Hebr. 1. *Splendorem gloriæ, & figuram ipsius substantiæ.* Quare jure merito Sapientissimus Idiota cap. 3. Contemplat. de Beata Virgine *Deiparam factam esse dixit Imaginem Solis Iustitiæ visibilem, cum profusa plenitudine gratiarum.*

B.V. Speculum speciem Divinæ Naturæ ejusdem attributa ante Incarnationem repræsentãs.

B.V. Pater æternus velut Speculum intuitus faciem suã, idest Filium in illam inclusit:

3. Vnde Pientissimo huic DEI aspectui, Deipara Virgo suarum gratiarum omnium ornamenta, ipsaque eminentissi-

B. V. Divino aspectui suas om..es gratias attribuebat.

tissimam Divinæ Maternitatis dignitatem attribuere non dubitavit; quare læta concinebat: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Scire quis cupit, quam potens, quamque amabilis fuerit hic Divinus ad Virginem aspectus? Audiat D. Bernardinum Sen. tom. 4. serm. 13. a. 1. c. 7. *Christi,* inquit ille (idem dicendum de Patris intuitu) *filialis aspectus ad Matrem, singularissimus, amorosissimus, ac transcendentissimus esse debet, ita ut totam cœlestem curiam simul sumptam, præter Matrem non debet aspicere sub tali reverentia, nec sub ordine talis aspectus seu amoris. Quantò autem DEI aspectus altiùs fertur in aliquem Beatorum, tantò fortiùs, & altiùs per beatitudinem se imprimit illi, ac tantò altiùs conspicitur ac suscipitur ab eo. Igitur inexplicabile est sub quanta altitudine, latitudine, ac gloria intimitate DEI Filius se ingerit suæ Matri, & similiter sub quanta altitudine, latitudine, & intimitate suscipitur ab eadem.* Quibus ex verbis clarè elucescit per Divinissimum illum sempiterni Iustitiæ Solis ad hoc Virgineum purissimumque Speculum aspectum, Deiparam admirabili planè metamorphosi in Divinitatem quodammodo transformatam.

Vnio Filij cum Matre ineffabilis.

B. V. Divino aspectu in Divinitatem quodammodo transformata.

4. Divinum porrò hunc in se aspectum, internâ animi sui pulchritudine Virgo Deipara provocavit. Hinc Ioannes Gerson Cancell: Paris: tract. 3. in Magnif: *Pulchritudo B. Mariæ tam gratâ, tam incredibili formositate refulgens inventa est, ut concupisceret Rex speciem ejus, deque sublimi Solio Deitatis, ad infima nostræ mortalitatis, servi formam accipiens, descenderet. Quanta qualisque esse pulchritudo totius putanda, quæ in oculorum suorum uno dicit se speciosus formâ præ filijs hominum, corde vulneratum, & quod minùs videtur, in uno crine ipsius colli. Deniq; primum nomen quo Maria legitur in Canticis nominata, fuit: O pulcherrima mulierum. verè pulcherrima, quæ pro superba Regina Vasthi, & Eva, superno Regi, non Assvero, sed DEO meruit mystica Esther copulari, gratiam inveniens in oculis ejus, quam adamavit super omnes mulieres. Erat enim formosa valdè, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur.* Hæc Gerson. Eandem Virginis pulchritudinem à supremo Rege visam, & ab eodem castissimè concupitam ait Iustus Landspergius Theoria 17. dum mortalium miserias, quibus humanum genus ante Incarnationem conflictabatur, ex altissimo cœlorum Solio contemplaretur. Vnde Virginem alloquens, ejusque gloriam admirans, affectu pientissimo exclamavit: *O pijssima, ò fœlicissima, ò dulcissima Virgo Maria, DEI Mater electa, inter hominem & DEVM Mediatrix benedicta, quæ inter omnes Virgines hanc obtinuisti excellentiam, hanc singularitatem, hanc præeminentiam, quod te in suam Matrem elegerit, dignamq; fecerit, ut pura ab omni peccato, sine macula, & omni gratia plena, universo etiam mundo inveneris gratiæ plenitudinem. O fœlicem horam, quâ summa DEI Bonitas recordata est misericordiæ suæ, respiciens de sublimi habitatione sua, in hanc vallem plorationis & miseriæ, vidensq; captivitatem & afflictionem populi sui tacta est intrinsecus ardore charitatis, cogitans cogitationes pacis, & non afflictionis. Intuens etiam te pulcherrimam Filiam, & omnium creaturarum singulare Miraculum, concupivit te sibi in Matrem, quâ suam altitudinem in nostræ mortalitatis ergastulum inclinaret, & nostram gustando miseriam, simul dominationem generalem absorberet, atq; cœlestis vitæ viam nobis sceleratis suo vivendi exemplo demonstraret. Pro qua re Legatum ad te misit, qui sui consilij arcana tibi communicaret.* Sic ille. Ex quibus colligimus, quam grata, quam accepta Divinissimis illis oculis extiterit Virginis interna animi præsertim pulchritudo, quæ suaviter Dei Filium impulerit, ad purissimum ejus uterum novem mensibus incolendum, quo nobis miserationum suarum lucem in hoc Virgineo animatoque Speculo ostenderet.

B. V. pulchritudo gratissima Divinis oculis.

M. suâ humilitate velut Esther invenit gratiã in oculis superni Regis.

5. Ante Divinissimam Verbi Incarnationem sempiternus ille Iustitiæ Sol in Divinitatis suæ immensa Sphæra constitutus, à nullo carnali oculo videri poterat, unde dicebat Moysi: *non me videbit homo & vivet.* Atque ita hic mundus miserabilis, teterrimis, & plusquam Cimmerijs, imò Ægyptiacis demersus scelerum tenebris jacebat. Vnde operæpretium fuit, ut Divinissimus ille Sol Virgineo hoc crystallo includeretur, quo Tartareis illis depulsis tenebris benignissimâ ipsius amoris luce ac calore Orbis universus frueretur. Hoc nimirum expetijsse visus est David, cùm se horrenda illa caligine circumdatum videns, gemebundus canebat, Ps. 66. v. 1. *DEVS misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri, ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.* Et verò

Antequã æternus Sol Virgineum aspexit Speculũ, mundus erat in tenebris.

Filius Dei, Patris æterni est vultus pulcherrimus

ubi primum pulcherrimus ille, Patris æterni vultus, qui est Filius (per illum siquidem velut faciem, benignitatem in nos Patris licuit cognoscere, ex vultu enim cognoscitur sensatus, ait Sapiens) sese hoc animato Virginei uteri reclusit Speculo, ille inquam vultus qui ante rarissimæ suæ pulchritudinis radijs universam Angelicam exhilarabat Naturam, idem ipse illuminavit & humanam, discussaque tenebricosissimi hujusce mundani chaôs errorum, scelerumque caligine, luce suâ Divinissimâ rectissimam ad cœlos viam nobis demonstravit.

Filius in utero Virginis vultus sui serenitate mundum illustravit.

6. Nec hic dumtaxat lucis hujus Divinissimæ stitit potentia. Virgineo enim hoc crystallo sese includens, ac concentrans, conduplicare quodammodo suos visa fuit radios, ita ut eorumdem lumen calorque ad antipodas penetraret, ac Isaiæ vaticinium impleretur: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, sedentibus in regione umbra mortis lux orta est eis.* Hâc luce irradiati, hoc calore accensi Indi, Iaponesque, Chinenses ac Brasili, aliæque quamplurimæ barbarie efferatæ gentes, gentes inquam truncis & duro robore natæ, divinitus mansuefactæ, politioribusque excultæ moribus ac disciplinis, Christi jugum ultro subiêre, belluarumq; exuentes naturas, hominum formam humanitatemque assumpsêre. Vnde jure merito Incarnata Sapientia, de hisce admirabilibus sui in uterum Virginis adventus, effectibus apud Ecclesiasticum c. 24. gloriabatur: *Penetrabo omnes inferiores partes terra, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.*

Incarnati Verbi lux in utero B.V. antipodas penetravit.

7. Qua in re id præstitisse hæc Incarnata visa est Sapientia, quod ingeniosissimus ille senex Syracusanus Archimedes, qui cùm hostium classem destruere atque pessundare cogitasset, ingens quoddam concavumque adinvenit, efformavitque Speculum, quod cùm Solis ardentibus opposuisset radijs, in cinerem favillamque hostiles Myoparones redegit, gloriosissimumque triumphum reportavit. In hoc enim animato Virginei uteri Speculo Divinissimus ille Iustitiæ Sol semetipsum concêtrando quodammodo, illud in primis in se transformavit, incredibili suæ Sapientiæ, luce, caloreq; charitatis exornavit, ac demum toto terrarum Orbe lucem flamasq; diffudit, Idololatriæ, Infidelitatis, omniumque scelerum ab Inferis evocatas copias destruxit, prædam diripuit, scuta aliaque arma combussit igni, uti Regius Vates, prodigia Incarnati Verbi recensens, concinebat. Transformavit, inquam, Speculum hoc Virgineum in se Sol ille increatus; Deiparam siquidem tam admirabili suæ Divinæ pulchritudinis splendore perfudit, ut quisque intuentium intelligere facilè posset venustatem illam, aliud non esse quàm radios ex perenni illo fonte luminis derivatos.

Archimedes Speculo hostium exussit classes.

In B. V. velut Speculo Sol Iustitiæ inclusus, mundum luce ac calore replevit.

8. Similitudinem hanc Divinitatis in Virgine multò ante S. Propheta Hieremias vaticinatus est Ægyptijs, quemadmodum Divus Epiphanius lib. de vitis Prophetarum contestatum reliquit. *Idem*, inquiens, *Propheta Sacerdotibus Ægypti signum exhibuit dicens; Oportere olim cuncta eorum simulachra concidere, simulq; manufacta omnia præcipitari, ubi Ægyptum ascenderit cum suo Infante Virgo puerpera Deo similis. Id quod tandem usu venit illis.* Hæc Epiphanius. Quare Timotheus Hierosolymorum Presbyter religiosissimus, Orat. de Purif. B.V. jure merito Deiparam à Simeone illo Evangelico conspectam, non in humano muliebrique Schemate, verùm Divinâ quâdam luce in Templo radiantem, utpotè Deo similem, asseveravit: *Iustus Simeon*, inquiens, *oculos huc illucq; circumferens, vidit quidem multas mulieres, verùm singulas Schemate ornatuq; humana Natura proprio affectas, solam autem Virginem Divino quodam infinitoq; lumine circumfusam animadvertit; currens igitur segregavit reliquas Matres clamans: quid vos qua ancilla estis, cum Domina & libera concertatis?* Hinc Richardus à S. Laurentio lib. 4. expendens illud Spiritus S. Oraculum. *Non appendetur argentum in comparatione ejus: Ad literam*, inquit, *quicquid est citra DEVM, incomparabile est Maria.*

B. V. Deo similis.

In B. V. præ cæteris mulieribus Divinum quid relucebat.

Hieremias Ægyptijs de M. vaticinatus est.

M. in Têplo inter mulieres luce circumfusa.

Quicquid præter Deum est, B. V. non potest comparari.

9. Agnovit pientissimus Abbas Rupertus Deiparam in Verbi Incarnatione, pulchritudinem hanc Divinitatis participasse, cùm lib: 6. Cant: Virginem alloquens, edixit: *Quando in te Spiritus Sanctus supervenit, & Filium Virgo concepisti, tunc tu, & ex tunc fuisti pulchra, pulchritudine Divinâ.* Eandem pulchritudinem contemplans lib: 1. in Cant: admiratione perculsus, exclamavit: *O pulcherrima mulierum, ò benedicta inter mulieres, cujus pulchritudo, ipse benedictus Fructus ventris tui est.* Idem Rupertus Divinam hanc pulchri-

B.V. Pulchritudo, est ipse ejus Filius.

chri-

chritudinem in Virgine, ex amica illa Filij ac Matris sese mutuo laudantium concertatione, depræhendit: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra: Ecce tu pulcher es Dilecte mi & decorus*, totamque Virgineæ hujus ac planè Divinæ pulchritudinis causam, transfert in DEI Filium, qui in illa novem mensium spatio inhabitans, ei formam quandam Divinam impressit, eamque velut flos Virgam decoravit. Vnde cùm ita Virginem Sponsam alloquentem introduxisset: *Verè ergo dicis mihi: Ecce tu pulchra es; & ego dico tibi: Ecce tu pulcher es, quia Pulchritudo mea es. Quod ergo pulchra sum, totum tibi attribuendum est. Neq; enim Virga floris, sed Flos Virgæ pulchritudo est;* Vbi, inquam, hæc præmisisset Rupertus, tandem ita concludit: *Pulchra decore Virgineo, pulchra unigenito Filio. Taliter geminata nullius unquam fuit, nullius unquam erit Pulchritudo.*

B.V. Pulchritudo est Filius, unde ejus Divina dicitur Pulchritudo.

Virgæ Iesseæ pulchritudo est flos.

10. Agnovit pulchritudinem Divinitatis in Virgine S. Ioannes Damascenus Orat: 1. de Nat: B. V. ubi eam ob enixum DEI Filium *Deificatam*, vocitat. Agnovit & B. Damiani Cardin. serm. de Assumpt. qui reddens rationem, cur DEIpara tota pulchra prædicetur: *Quia*, inquit, *tota Deificata es, macula non est in te, quia Spiritus S. supervenit in te, qui te mundavit.* Agnovit & Richardus de Sancto Victore cap. 26. in Cant. *Meritò*, inquiens, *prædicatur pulchra, quæ Angelicam & Divinam similitudinem in terra est adepta.* Agnovit & Religiosissimus Abbas Petrus Cellensis lib. de panibus cap. 12. ubi cùm docuisset Fluvium illum, qui de loco voluptatis egrediebatur, DEI significare gratiam, qui ideò in quatuor dividebatur capita; *Quia*, inquit, *simul collecta gratiæ plenitudo nullatenus creaturæ humanæ capacitate potest apprehendi;* mox subtexuit: *Id locum in DEIpara minimè inveniri posse. quia privilegio,* inquit, *Filij sui supra totius creaturæ meritum Mater DEI aspersione Spiritus S., tota DEItatis gratiâ est superfusa.* His similia multò ante in Virgineæ gratiæ, quâ DEIficata fuit, laudem pronunciavit Hieron. serm. de Assumpt. illud Gabrielis: *Ave gratia plena; explicando: Et benè plena,* inquiens, *quia cæteris per partes præstatur, Maria verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Hoc enim est, quod David canit: Descendet sicut pluvia in vellus. Vellus igitur cùm sit de corpore, nescit corporis passionem: Sic & Virginitas cùm sit in carne, nescit vitia carnis. Cœlestis planè imber in Virgineum uterum placido se infudit illapsu, & tota Divinitatis unda se contulit in carnem, quando Verbum caro factum est. Verè plena, per quam largo Spiritus S. imbre superfusa est omnis creatura.* Agnovit in Maria Divinum quid latitasse Ioannes Gerson Cancell. Parisiens. serm. de Nat. B. Virg. & S. Ioseph, habito in Concil: Constantiensi, vel ex eo, quod Ecclesia Divinæ ac Increatæ Sapientiæ elogia DEIparæ communicare consuevit. *Adeò quidem*, inquit ille, *Maria fuit Divina, ut ea quæ de Sapientia Increata scribit Ecclesiasticus, Ecclesia transferat ad MARIAM, ut est illud: Ab initio & ante sæcula creata sum &c.* Eccli. 24.

B. V. Dei Filium pariendo Deificata.

B. V. Divinam similitudinem adepta.

B. V. tota Deitatis gratiâ superfusa.

Gratia, quæ cæteris per partes præstatur, in M. se totâ infudit.

M. Divina, ex eo quod Ecclesia laudes Divinæ Sapientiæ illi attribuat.

11. Quid memorem Ioannem Hondemium Anglum, Seraphici Ordinis decus, qui in suis Hymnis, Virginem compellans, pientissimè cecinit:

Deitatis Virgo signifera.

B.V. Deitatis signifera.

Quid Cantica Ordinis S. Brigittæ, uti in ipsius videre est Missali?

DEVS hominem creavit
Ad suam imaginem,
Ad cujus se formavit
In te similitudinem.
O quam pulchra tu fuisti
Cùm sit factus vultus Christi
Tibi Matri similis,
Cui tu es voluntate,
Charitate, pietate
Facta non dissimilis.

Vultus Christi Matri similis.

Audite non dissimilia ex antiquo Breviario deprompta, Virginis nostræ Divinissimæ encomia:

Nam in Puella tenera
Vernat sensus maturitas,
Et panditur per opera
Habitans intus Deitas.

M. Deitatis habitatio.

Audite & Brugensem S. Donationi chorum Virginem salutantem:

Ave Maris Stella clarum jubar Orbis,
Deitatis cella Mater Salvatoris.

M. Deitatis cella.

12. Et verò jure merito Divinitatem excellentiori quodam modo inesse Virgini, quàm cæteris creaturis, asseveramus: Si enim DEVS ter Optimus Maximus aliquando dixit ad Iob cap. 40. *Si habes brachium sicut DEVS, & simili voce tonas, circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus;* potiori sanè jure idem dicere poterit ad Virginem, quæ in Verbi Incarnatione habuit DEI brachium, nempè Patris æterni Filium, de quo canebat Vates Evangelicus: *Brachium Domini cui revelatum est?* Et alibi ejusdem Filij in carne exoptans adventum: *Consurge, consurge, induere fortitudinem Brachium Domini.* Hinc D. Augustinus

Filius Dei est Brachium Domini.

B. V. habuit Brachium Domini, quia fuit Mater Filij Dei.

stinus tom. 9. in Magnif: enucleans illud: *Fecit potentiam in brachio suo: Per humilitatem Filij*, inquit, *Diabolum vicit. Brachium ejus Filius est. Ipsa infirmitas potentia fuit, quia per illam Diabolus est victus.* Voce denique Deo simillima, detonuit Virgo. Quemadmodum enim in mundi exordio universorum Conditor pulcherrima quæque unico illo omnipotenti verbo, *Fiat*, condidit: Ita Virgo sanctissima idem pronunciando *Fiat: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum;* ad longè pulcherrimum exellentissimumque Incarnationis opus peragendum concurrit.

B. V. voce simili Deo tonuit, cùm dixit, *Fiat mihi &c.*

13. Ob hanc Deiparæ ad Divinæ Maternitatis dignitatem exaltationem, Naturæque Divinæ participationem, crediderim à Sancto Ildephonso lib. de Virginitate Beatæ Virginis c. 1. *Assumptam à DEO, advocatam à DEO, proximam DEO, adhærentem DEO, conjunctam DEO, nuncupatam.* Et hinc est, quod Sancti Patres illam super omnem, infra DEVM creaturam attollant. Audite Sanctum Epiphanium lib. de laud. Virg. *MARIA, solo DEO excepto, cunctis superior extitit, formosior Cherubin & Seraphin, & omni exercitu Angelico.* Eisdem penè verbis B. Andreas Cretensis Hierosolymorum Antistes usus est Serm. de Assumpt. *Habes cum alijs non comparabilem appellationem, qua, excepto DEO solo, es omnibus altior.* Audite Sapientissimum Idiotam: *Sanctorum omnium privilegia ò Virgo habes in te congesta, nemo æqualis est tibi, nemo major nisi DEVS.*

B. V. sub Deo nulla creatura excellentior.

14. Atque inde factum, ut castissimus ejus Sponsus tantæ pulchritudinis præsertim spiritualis, ore, oculisque promicare contemplans radios; *non cognosceret eam*, ut ait Evangelista; *Ex illis splendoris radijs;* Sanctus Vincentius Ferrerius subtexuit, *quia tunc Virgo fuit clarior, & pulchrior.* Videbatur siquidem aliud assumpsisse schema, totiusque oris imaginem immutasse. Simili penè ratione Angelicus Doctor 3. p. q. 28. a. 3. ad 3. verba illa explanavit in primis de cognitione notitiæ, cum Divo Chrysostomo: *Non cognovit eam Ioseph*, inquit Sanctus Doctor, *antequam pareret, cujus fuerit dignitatis, sed postquam peperit tunc cognovit eam, quia per ipsius prolem speciosior & dignior facta fuerat, quam totus mundus, &c.* Eadem verba paulò post exposuit de notitia visus, docens, quod Iosephus eam oculis intueri non potuerit, ob copiosissimam toto ore, oculisque promicantem lucem: *Sicut enim Moysi cum Deo colloquenti*, inquit, *glorificata est facies, ut non possent intendere in eam Filij Israël; sic MARIA claritate virtutis Altissimi obumbrata, cognosci non poterat à Ioseph donec pareret.* Non dissimiliter ea verba interpretatus est Beatus Albertus à rerum humanarum, Divinarumque scientia dictus Magnus Tract. super Missus est: *Ab omni væ*, inquiens, *immunis fuit Beatissima Virgo, quæ ex conceptu Dei Filij non perdidit Virginitatem, sed acquisivit eam, quâ sub Deo major nequit intelligi, puritatem. Nec post conceptum perdidit pulchritudinem, imò tantâ pulchritudine radiavit, vt eam Ioseph inspicere non potuerit. Vnde Glossa super illud: Et non cognovit eam donec peperit Filium suum: Mariam facie Ioseph non cognovit, id est videre non poterat, quam Spiritus Sanctus à Conceptione penitus impleverat, & ideò non cognoscebat facie ad faciem, quam desponsaverat. Atq; sic constat, quod post Conceptionem non perdidit pulchritudinem.* Hæc Albert.

B. Ioseph Deiparæ dignitatẽ quantâ foret, post partum cognovit.

B. V. post partum speciosior & dignior toto mũdo.

S. Ioseph vultum B. V. ob splendorẽ oculis promicantem aspicere non poterat.

15. Hæc omnia confirmavit Richardus à Sancto Laurentio lib. 5. de Laudibus Virginis. Dicit Chrysostomus, *vt quidam asserunt*, inquit ille, *quod in Evangelio Nazareorum legitur, quod Ioseph Mariam videre non poterat de facie ad faciem, quoniam Spiritus Sanctus eam à Conceptione Filij Dei penitus impleverat. Itaq; non cognoscebat eam propter splendorem vultus ejus. De quo splendore eleganter quidam cecinit Virgini.*

Tu decorem induisti,
Tu plùs Sole refulsisti
Cùm beata membra Christi
Tua carnis protexisti
Polymitâ tunicâ.

B. V. in Incarnatione splẽdidior Sole.

Pergit inde idem Richardus: *Alij dicunt, quod ex quo Ioseph cognovit & credidit Mariam de Spiritu Sancto concepisse, in tanta eam habebat reverentia, quod nunquam audebat contemplari faciem ejus, unde non cognoscebat cujusmodi esset vultus ejus. Si enim tam pulchra apparuit facies Propheta ex consortio Sermonis Divini quid existimas de Matre ipsius Verbi?* Hinc Sanctus Epiphanius lib. 3. contra Hæres. 79. ideò Deiparam à Filio in nuptijs Canæ Galilææ mulierem affirmat appellatam, *quid mihi, & tibi est mulier; ne ob Sanctimoniæ splendorem ac Majestatem existimarent aliqui, uti Collirydiani eam esse Deam; vt ne aliqui nimium admirati sanctam, in hanc hæresim ejusq; deliramenta delaberentur.*

Post Filij Dei conceptionẽ S. Ioseph faciem B. V. præ reverentia contemplari non audebat.

B. V. Mulier appellata, ne ejus sanctitatem ac Majest. admirati mortales, Deam arbitrarentur.

16. Hanc

16. Hanc fortassis ob causam prævidens illos de se à Sathana in hominum mentibus disseminandos errores, ipsa Virgo Sanctissima se creatam esse affirmavit: *Et qui creavit me, requievit in Tabernaculo meo;* ne hallucinati mortales tot in se Divinitatis emicantes contemplando radios, Deam esse arbitrarentur. Idem Sanctus Antistes eodem lib. Hæresi 78. ob splendorem Divinitatis ore Virgineo promicantem factam *excellentissimam quoddam miraculum*, in cujus contemplatione homines obstupescerent, asseveravit. Hinc denique Sanctus Athanasius quid Divinum in Virgine delitescere agnoscens, dixit ideò despõsatam fuisse homini mortali, ne quis tantam ac propemodum Divinam in illa oris contemplando dignitatem, humanæ naturæ vel Angelicæ limites excessisse arbitraretur. Cùm nuptiæ inter pares fieri consueverint: *Si vis nubere, nube pari*, cecinit Poëta. Audite tanti Doctoris verba Epist. ad Epictetum: *Gabriël ad eam ipsam legatur, neq; simpliciter ad quamvis Virginem, sed ad Virginem desponsatam viro, ut Sponso ostenderet Mariam vere hominem esse.*

B. V. ideò dicit se creatam, ne Dea censeretur.

B. V. Excellentissimum Miraculum.

B. V. ideò Iosepho desponsata fuit, ne Dea putaretur, cùm nuptiæ inter pares fiãt.

17. Obstupuit Divinitatem hanc in Virgine delitescentem Magnus ille Areopagita Dionysius, qui desiderio videndæ Deiparæ incensus emensis, immensis propemodum terrarum spatijs, postquam baptizatus est, discessit Athenis, ac magnâ fidelium comitatus catervâ, Hierosolymam pervenit. Ibi visa Deipara eximiam illam ad Apostolum Paulum suum Magistrum exaravit Epistolam, quam apud varios ipsius encomiastas videre est, præsertim verò apud Dionysium Carthusianum in opere de laudibus Virginis. Ex ea ego nonnulla ad Virginis Divinissimam declarandam excellentiam hic attexam: *Cùm à Ioanne vertice Evangelij & Prophetarum, qui in corpore habitans quasi Sol fulget in cœlo, ductus fui ad Deiformem præsentiam altissimæ Virg: tantus me, tamq; immensus Divinus splendor circumfulsit exterius, & plenius irradiavit interius: tantâ etiam in me omnium odoramentorum superabundavit fragrantiâ, ut nec corpus infœlix, nec spiritus posset totius ac tantæ fœlicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit spiritus meus tanta gloria Majestate oppressus. Testor qui aderat in Virgine DEVM, si tuâ Divinâ mente concepta non me docuissent, hanc verum DEVM esse credidissem. Quoniam nulla videri posset major gloria beatorum, quàm fœlicitas illa, quam ego infœlix nunc, tunc verò fœlicissimus degustavi.*

B. V. Majestatem & quandã Divinitatem admiratus S. Dionysius Areopag.

B. V. Deiformis.

Ex B. V. immensus & Divinus quidam splendor emicabat.

Ex B. V. odorum fragrantia emanabat

B. V. fœlicitatis & Beatitudinis habet insignia.

Qua ex Epistola pijssimus hic Doctor sensum quendam Platonis (cujus in libris erat versatissimus, uti ex ipsius elucescit stylo, qui totus Platonicus videtur) habuisse visus est. Sic enim ille in Phœdro: *Quando vultum Divina forma decorum quis videt, vel aliquam corporis speciem, primò quidem horret, metusq; aliquis in eum revolvitur. Deinde inspiciens tanquam DEVM colit, ac nisi vereretur vehementis insaniæ crimen, sacra non aliter, quàm Dei statuæ illi faceret.*

B. V. gloriæ Maiestate oppressus S. Dionysius Areopag.

Quod Areopagitæ sanè testimonium in laudem Divinissimæ Virginis allatum, nullâ ratione in controversiam vocandum est, uti fecêre nonnulli, siquidem Platonis cujus Dionysius fuit, uti diximus, studiosissimus, & sensus, & penè verba ipsa quæ sunt ea in Epistola, expressa sunt à Dionysio.

Epistola S. Dionysij Areopag. ad S. Paulum data est autentica.

18. Divinitatem hanc Virgo Deipara non modò ætate jam matura ac provecta toto ore, oculisque, verùm etiam ab ipsis teneris ac infantilibus annis, ab ipsis incunabulis spiravit. Vnde Bapt. Mantuanus lib. 5. Parhen. canit Beatam Annam ob reverentiam Puellæ huic cœlesti minimè ausam, amantium more Matrum, oscula figere, dare amplexûs, adeò Virgunculæ illius vultus Divinam quandam præseferebat Majestatem: Vnde canebat.

Ornabat roseo ridens cunabula vultu,
Dulciaq; attollens in Matrem lumina Virgo
Cùm traheret dulces lactantia pectore succos,
Stringere complexu Natam, ferre oscula fronti
Non erat ausa Parens. Nec enim mortalis in illa
Humanusue decor, sed erat cœlestis Imago
Ætherеusq; vigor flammas, & sydera vincens:
Mira supercilij gravitas, pondusq; venusta
Frontis, & eximiâ fulgentes indole vultus
Suspensas hominum mentes, atq; ora videntûm
Per longas immota moras retinere solebant.

B. V. adhuc Infans Divinitatem spirabat in cunis.

S. Anna præ reverentia B. V. parvulam nõ ausa osculari.

B. V. aspectus homines admiratione suspendebat.

Hinc Petrus Riga commentarijs suis in Lucam, de Virginis Divina quadam specie humanam omnem excedente, ita cecinit:

Humanam speciem transcendit forma Puellæ,
Excedens hominem Numinis instar habet.

19. Divina hæc in Deipara pulchritudo, ac Majestas de longinquis ultimisque terrarum finibus excitabat mortales ad eam invisendam. Ejus siquidem plenâ Divinitate præsentia delectare, mirificisque solatijs adstan-

B. V. visendæ studio olim peregrinationes institutæ.

tium animos delinire consueverat. Vnde Fridericus Trajectensis lib. de Sacrarum Imaginum usuu cap. 7. *Magnum solatium fuisse hominibus videre Matrem in terra, cujus Filius dominabatur in cœlo,* asseveravit. Idque probat exemplo Sancti Ignatij Martyris, quem ad Ioannem Evangelistam in hunc modum scripsisse ait: *Si licitum mihi est apud te, ad Hierosolymæ partes volo descendere & videre Sanctos, qui ibi sunt, præcipuè MARIAM IESV, quam dicunt universis admirandam, cunctis desiderabilem. Quem enim non delectet eam videre & alloqui, quæ verum DEVM peperit, si sit nostræ fidei, & religionis amicus?* Idem Sanctus Martyr Epist. 1. ad eundem Ioannem de pijs nonnullis mulieribus DEIparam visere cupientibus sic scribit: *Sunt hic multæ de mulieribus MARIAM IESV videre cupientibus, & quotidie à nobis ad vos currere volentibus, vt eam contingant, & ubera ejus tractent quæ Dominum IESVM aluerunt, & quædam ejus secreta perscrutentur. Et hæc talia excitàrunt viscera nostra, & cogunt valdè desiderare aspectum hujus, si fas est dicere, cœlestis prodigij, ac sacratissimi spectaculi.* De his erga Virginem devotis mulieribus intellexerit fortasse David, quando huic cœlesti Reginæ ac Heroinæ canebat Psal. 44. *Et Filiæ Tyri in muneribus vultum deprecabuntur omnes divites Plebis.*

B. V. universis admiranda & desiderabilis.

B. V. Mulieres olim videre cupiebant

B. V. cœleste Prodigium & sacratissimum spectaculum.

20. Quas sanè peregrinationes ad DEIparam jure merito institutas esse Beatus confirmat Amadeus Hom. 7. de laudibus Virginis. *Quis enim,* inquiens, *non properaret, quis non curreret ab extremis terræ reverendæ Maiestatis decus aspicere, & vultum omnimodâ suauitate, Imperiali etiam dignitate, singulariq; prædictum potestate videre? Quippe nihil inveniebatur ei simile in Filijs & Filiabus Adæ. Nihil tale in Prophetis, in Apostolis, aut Evangelistis: Nihil illi simile cœlum, vel terra dedere. Quis enim in nubibus æquabitur ei, aut similis foret Matri Domini inter Filios DEI? Et vide quam recto ordine citra Assumptionem effulsit admirabile Nomen ejus in universa terra, & fama ejus celeberrima ubiq; diffusa est, priusquam elevaretur magnificentia ejus super cælos. Decebat enim Matrem Domini Virginem, & ob Nati sui honorem primò terris regnare, & ita demum cœlos cum gloria suscipere; dilatari & in infimis, vt & superna in plenitudine sancta penetraret, translata sicut de virtute in virtutem, sic à claritate in claritatem à Domini Spiritu.* Hæc Amad.

Majestas & suavitas B.V.

B. V. nullus similis in Filijs Adæ.

B. V. Nomen admirabile in universa terra.

21. Verùm quid mirum, quod ad visendam DEIparam, ejusque Divinissimam contemplandam pulchritudinem fideles vndequaque concurrerint; cùm illa & Naturæ & Gratiæ fuerit quoddam singulare miraculum, ac prodigium, ad quæ spectanda naturali instinctu homines trahi consueverunt.

B. V. Naturæ & Gratiæ ingens Miraculum.

Virgineum hoc & Naturæ, & Gratiæ miraculum admirans Sanctus Epiphanius lib. de laudibus Virginis, attonito similis exclamavit: *O Virgo Sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem adduxisti. Stupendum enim est Miraculum in cœlis, Mulier amicta Sole; stupendum Miraculum in cœlis, Mulier gestans lucem in ulnis: stupendum Miraculum in cœlis Mulieris Filius, qui & ipsius, & sæculorum est Pater. Stupendum Miraculum in cœlis Thalamus Virgineus habens Filium DEI, DEVM Sponsum Christum.*

Maria exercitus Angelorũ in stuporẽ adduxit.

Maria gestat lucem in ulnis.

Hoc tantum tamque Divinum suspiciens miraculum Sanctus Ephræm Syrus, cum compræhendere mente non posset, supplex veneratus est Orat. de DEIpara; *Ave præstantissimum universi Orbis terræ Miraculum.* Sanctus quoq; Ioannes Damascenus tot miracula planè obstupescenda in Virgine recollecta contemplatus; Miraculorum officinam eam appellans, quasi extra se positus in illud prorupit Epiphonema: *O quot miraculorum & ejusmodi fœderum hæc filiola, hic sterilitatis fœtus officina extitit! Divinitatis nimirum & humanitatis: passionis & impassibilitatis, vitæ ac mortis, vt scilicet in omnibus rebus id quod inferius erat, à præstantiore vinceretur.* Quare Sanctus Ildephonsus Tolet. Antistes lib. de Virginitate Beatæ Virginis cap. 11. Christi Conceptionem in utero Virginis purissimo peractam, *omni miraculo mirabiliorem, omni opere potentiorem, omni signo ac prodigio augustiorem appellat.*

B. V. Miraculorũ Officina.

Filij Dei in utero Virginis conceptio omni prodigio augustior.

22. Ob quæ tam insignia, tam incompræhensibilia circa DEIparam perpetrata miracula jure merito Sanctus Ignatius Martyr supra memoratus cœleste Prodigium ac sacratissimum spectaculum appellavit, eò quod Filij DEI Conceptio, per quam Virgo tantâ Divinitatis luce refulsit, mirabilia & prodigiosa omnia, quæ tam in cœlo, quàm in terra aliquando facta, aut facienda erant, dignitate superaverit. Quod sanè ipsa Majestas Divina nobis luculentissimè declarare voluit, quando ad impijssi-

In B. V. utero miracula majora facta, quã unquam fuerint in cœlo & in terra.

pijissimum Achaz Idololatram dixit, Isa. 7. *Pete tibi signum à Domino DEO tuo in profundum Inferni, siue in excelsum supra.* Cùmque id facere abnueret, ne verò DEO, vi mirabilium ab illo perpetratorum adactus, dare ei gloriam cogeretur, respondit illi Isaias, daturam Divinam Majestatem hujusmodi signum ac prodigium, quod omnium tam cœlestium, quàm terrestrium mirabilium, futurum erat complementum ac ornamentum: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur Nomen ejus Emmanuel.* Cuius signi & miraculi excellentiam declaravit Richardus à Sancto Laurentio lib. 4. de laud. Virg. ex eò quod immediatè ab ipso DEO datum sit: *Multa priùs,* inquiens, *dederat Dominus signa, per Patriarchas, & Prophetas, sed hoc mirabile & ineffabile signum dare voluit per se ipsum propter signi excellentiam. Quod sic completum est, vt natura nascentis comprobetur ex Virgine, & mirabile prædicetur ex Deitatis operatione. Et hoc signum nec Divinitas operata est sine homine, nec humanitas sine Divinitate Verbi.*

B. V. Miraculum immediatè ab ipso Deo factum.

23. De mirabilibus planè obstupescendis hoc signo contentis eundem Richardum audite.

Salutare lucescit Domini
Patriarchæ promissa semini
Completur benedictio.
Novus partus donatur Virgini
Lapsô status æternus homini,
Mira rebus conversio.
Longitudo brevis efficitur,
Latitudo constricta cernitur,
Complanatur profunditas.
Altitudo demissa subditur,
Virtus iacet, potestas regitur,
Infirma nutat firmitas.
Languet salus, pavet fiducia,
Sordet nitor, plorat lætitia,
Tristatur consolatio.
Disciplinam subit prudentia,
Vilitati se subdit gloria,
Eget pastu Refectio.
Invenitur Panis esuriens,
Arct siti fons indeficiens,
Libertas jugo premitur.
Loco manet locari nescius,
Et vita mortem patitur
Quis hoc videt, quis istud didicit?
Quis hoc satis mirari sufficit?
Et quid est hoc miraculi?
Quid hoc? ipse profectus deficit
Imò suo defectu reficit
DEVS defectum sæculi.
Nam mors vita restaurat præmium,
Statum casus, finis initium
Pavor firmat constantiam.
Fuga tutum facit refugium
Præbet dolor salutis gaudium,
Pudor adducit gloriam.
Manens ergo quod semper fuerat
Et assumens quod non extiterat,
Servit æternus tempori.
Sic invictum amor exsuperat,
Sic se parvis magnus contemperat
Humano DEVS corpori.

Miracula in B. V. utero per Incarnationem perpetrata.

24. De ijsdem mirabilibus in Virginis utero perpetratis Religiosissimum Abbatem Cellensem audiamus, qui lib: de panibus cap. 21. ea pulcherrimis declaravit anthitetis: *Sponsus,* inquiens, *refudit in Sponsam, quicquid in se habet dulcedinis, quicquid honoris, & potestatis. Denuò, mutuâ vicissitudine in se ipso resumit ab ea quicquid paupertatis, quicquid amaritudinis, quicquid contumeliæ est & passionis. Hâc commutatione ipsa procul dubio ditatur, sed ipse non minoratur; ipsa melioratur, nec ipse suâ Majestate privatur. Amarum enim nostrum vertit in dulce suum, opprobrium in gloriam commutat; de spinis nostris colligit ficus, de rubo vindemiat uvam; de morte vitam, de passione mercatur gloriam. Sponsus iterum, quia Gigas est magnitudine; Sol, pulchritudine; Leo fortitudine; abyssus, scientiæ profunditate; DEVS, æternitate. Sponsa verò, puella, ætate; parvula, quantitate; Æthiopissa, coloris nigredine; fœmina, debilitate; fatua, in omni prudentia & arte. Iccircò in thalamo contraxit se paulò minùs minoratus ab Angelis, exuit se vestimentis gloriæ, accinctus cilicio, deposuit fortitudinem, circumdatus infirmitate; abscondit sapientiam, vt jumentum factus in derisum omni populo tota die. Æternitatem dissimulavit factus sub Sole, vt quasi cum tempore corporaliter curreret, nec deficeret. Os illud Altissimi collatum & coarctatum est modicitati oris Sponsæ. Manus tornatiles, quæ cœlos tetenderunt, affixa sunt, manibus vulneratis convulnerata, pedes pedibus compeditis adhæserunt; venter ventri conglutinatus est. Res equidem pia cum infinitè immensus, abbrevietur ad dejectum, sed nihilominùs mira, cùm reparatur ad unitatem personæ Filij DEI, Natura filiorum Adam.*

IESVS Gigas magnitudine, Sol, pulchritudine.

Filij Dei Incarnati Humilitas.

Ob hæc mirabilia, ait Richardus de S. Vict. lib: 2. de Emm. cap: 25. DEI param à DEO mirificatam: *Audistis, quomodo DEVS magnificavit partum ipsius, vt esset, & diceretur Emmanuel, id est nobiscum DEVS, & idem ipse DEI Vnigenitus & suus. Verè & incomparabiliter mirificavit Matrem, verè & incomparabiliter magnificavit, & prolem. Pensa si potes, quæ & quanta sit ista mirificentia; Virginem concipere, Virginem parere, & post partum Virginem permanere.*

B. V. per Incarnationem mirificata incomparabiliter.

nere. De his denique mirabilibus videndus Guerricus Abbas ser. 3. de Annunc.

25. Quæ sanè tam innumera tamq; admiranda, atque incompræhensibilia signa, ac prodigia, reliqua omnia tot retro sæculis perpetrata quam longissimè post se reliquere. Hæc nimirum sunt signa illa, quæ Iesus Sirach Eccli. 36. tantô ardore animi, à Divina bonitate innovari, atque immutari expetebat: *Miserere nostri DEVS omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum. Innova signa, & immuta mirabilia, glorifica manum, & brachium dextrum. Secundùm benedictionem Aaron da populo tuo, & dirige nos in viam justitiæ, & sciant omnes qui habitant terram, quia tu es DEVS conspector sæculorum.* Verè in hoc signo ac miraculo miraculorum omnium nobilissimo innovata sunt signa, imutata sunt mirabilia. Glorificata est manus & Brachiū dextrū æterni Patris, dilectissimus ejus nempè Filius, qui infirmitate nostræ carnis assumptâ, induit admirandam fortitudinem, ad tartareas phalanges debellandas. Verè benedictionem Aaron dedit populo suo. Virga Virginea siquidem nullius humanæ opis adminiculo fronduit, florem, fructumque dulcissimum IESVM, DEI Filium protulit, qui cùm sit Via, Veritas, & Vita, genus humanum in viam direxit Iustitiæ, & per consequens, in vitam illam beatam, ac sempiternam. Hæc Virga Aaron est ipsa Virgo DEIPARA, de qua D. Bonav. in spec. c. 3. *Ipsa est Virga Aaron florida per Virginitatem, & fructifera, per fœcunditatem.* De hac eadem Virga B. Card. Pet. Damiani serm. de Assumpt. *Hæc est Virga illa, quâ retunduntur impetus adversantium Dœmoniorum, Virga Aaron per quam fiunt signa & mirabilia.* Idem Card. serm. de Na. B. M. V. *Maria per Virgam Aaron mysticè figuratur. Illa enim amygdalinas nuces, absq; ullo humore terreni cespitis protulit, ista verò absq; virili semine DEI Filium generavit. Ipse quoq; Virga illius fructus, si studiosè discutitur aliquam cum Christo habere similitudinē invenitur. Sicut .n. amygdalina nux, ex nucleo, osse, constat & cortice: Ita Redemptor noster ex Divinitate, anima simul constat, & carne.* De hac Sanctus Ioannes Damascenus Orat. de Dormit. Beatæ Virginis. *Hæc est illa Virga Aaron arida, hoc est absq; viri consortio, quæ in tabernaculo testimonij posita præclarissimum edidit miraculum.* De hac Sanctus Ildephonsus Serm. 5. de Assumptione; *Maria est Virga Aaron quæ floruerat, de qua David: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Deinde faciens apostrophen ad eandem: *Dominare*, ait, *in medio inimicorum tuorum. Quæ profectò Virga florens nobis attulit fructum pacatissimum, qui ad tempus intra uterum Virginis mysticum germinavit Sacramentum.* De hac Rupertus Abbas lib. 5. in Cantica: *Assimulatur*, inquiens, *Beatam Virginem, etenim Virga Aaron. Sicut enim hæc Virgas maleficorum, & incantatorum devoravit, omnemq; superbiam Ægyptiacam obtrivit, ac deinde germinavit, fronduit, floruit, & fructum protulit: non plantata, non succo terræ animata, sed virtute cœlesti supra usum Naturæ provecta: Sic tu pulcherrima Mulierum, amica mea, cunctam pravitatem hæreticam interemisti, superbiam Diaboli dejecisti, conceptu florida, partu fructifera, Virgo in conceptu, incorrupta in partu, Virgo ante partum, incorrupta post partum.* De hac denique Petrus Abbas Cellensis lib. de Panibus cap. 21. *Nostra quoq; Virga seu Virgo fronduit credens Angelo, floruit concipiens in utero, germinavit pariens ex utero.*

Miracula Incarnationis facta in utero B. V. superant omnia ab initio sæculorum prodigia.

M. Virga Aaron frondens ac florens Virginitate & fœcunditate.

M. Virgas maleficorum devoravit, dum hæreses interemit.

26: Hic hic in hac Virginea Virga innovata sunt signa, immutata sunt mirabilia. Nam revera etsi ortus, & occasus Solis, Planetarum circumvolutiones, temporumque vicissitudines, terræ ubertas ac fœcunditas &c. sint signa, sint miracula quædam quæ assiduitate viluerunt, & à Divo Bernardo Serm. 4. in Vigilia Nat. vocantur magna miracula, nullo tamen modo cum his, quæ in utero Virgineo perpetrata sunt mirabilibus conferenda. Licet ea omnia innovata & immutata in hoc Incarnationis miraculo, quod etiam sensit Ecclesiasticus, asseverare possimus. Quas signorum innovationes, mirabiliumque immutationes contemplans Sanctus Bernardus attonito similis exclamavit: *O nova miracula, conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore: Mutata est in Virgine nostra maledictio Evæ (peperit enim Filium sine dolore) mutata est in benedictionem; Benedicta tu in mulieribus. Nec solùm sine pudore conceptus, & sine dolore partus, sed & Mater est sine corruptione. O verè novitas inaudita, Virgo peperit, & post partum Virgo inviolata permansit: Iam securus expecto promissam mihi gloriam incorruptionis in carne mea, quandoquidem conservata per eum est incorruptio etiam in Matre sua.* Hæc Bern.

Nulla Naturæ miracula cū miraculis in utero Virginis peractis cōferenda.

In Maria mutata est maledictio Evæ in benedictionem.

27. Hanc

27. Hanc porrò signorum innovationem, mirabiliumque immutationem Halgrinus Card. in Cant. & Richardus à Sancto Laurentio lib. 4. de laudibus Beatæ Virginis, in quibusdam factam fuisse ajunt, quæ olim & Christum & Deiparam figurârunt. *Homo*, inquit, Richardus, *voluit fieri DEUS: & DEUS factus est homo: De viro facta est mulier: Et de muliere factus est vir. Nunquid non hæc sunt mirabilia immutata, hoc est in melius mutata? sed & signa sunt innovata. Olim Virga sicca floruit Num. 17., modo Virgo peperit. Olim serpens æneus in palo fixus aspicientes sanabat: nunc Christus cruci affixus credentes sanat. Verè novum omniq; supereminens novitati, quod in partu Virginali, brevis agnoscitur longitudo; latitudo, angusta; altitudo subdita &c.* Et paucis interjectis de eisdem mirabilibus immutatis differens annexuit: *Mirabile fuit, quod Dominus de solo Adam primo homine, mulierem produxit. Mutatum fuit mirabile, cùm de sola Muliere secundus Adam productus est: Hæc est quarta generatio, de qua dicitur Abrahamo* Gen. 15. *quod semen ejus quarta generatione de servitute Ægyptiorum liberatum exiret: Generatione quarta revertentur huc. Primum enim generationis genus fuit plasmatio, quando Adam de terra plasmatus est. Secundum de costa formatio. Tertium propagatio, sic enim Filij hominum de parentibus secundùm propagationem nascuntur. Quartum verò genus est, de sola muliere propagatio. Quæ generatio semini Abrahæ, imò toti generi humano, de Ægyptiaca servitute, ac Diaboli Tyrannide exeundi causa extitit.*

Mirabilia sunt in B. V. immutata in melius.

Generationum quatuor genera

Quarta Generatio quæ fuit B. V. liberavit nos à captivitate Sathanæ.

28. Idem Richardus lib. 6. aliam addit horum mirabilium immutationem factam per Virginem Sacratissimam: *Vide*, inquiens, *quomodo hæc Sponsa opponitur primæ Sponsæ. Prima de costa viri sui formata est. At de carne hujus formatus est vir suus. Hoc petebat Ecclesiasticus: Innova signa, & immuta mirabilia. Mirabile fuit de costa viri formare mulierem: Immutatio mirabilium est, quod de carne solius Mulieris formatus est homo. Sed cum de osse viri formaretur caro mulieris, signum fuit quod per mulierem infirmaretur natura humana. Facta autem est signorum innovatio, cùm de carne mulieris factus est vir, quo signatum est, quod per hanc innovationem humana natura, ab infirmitate ad firmitatem reverteretur. Prima Sponsa facta est in adjutorium viri, dicente Domino: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. Et quia infirmum adjutorium Viro Mulier illa extitit; ideò Maria firmum adjutorium facta est Sponso; quia neminem vult juvare, qui non statim juvetur à Sponso, & per hoc ipsa nobis est adjutorium, firmamentum, columna, & appodiamentum infirmitatis nostræ, requies deniq; à laboribus nostris.* En quantoperè Divina Majestas in hac Virgine signa & mirabilia antiqua innovavit, atque immutavit, eamque totam admirabilem Divinamque effecit.

B. V. opposita Evæ.

Cùm ex Adamo formata est mulier, signũ fuit quod per mulierem Humana Natura esset infirmanda.

Cùm ex B. V. factus est Deus Homo, signũ fuit Humanã Naturam fortificandã.

B. V. nostrum adiutorium & firmamentum.

29. Hoc nimirum est novum illud quod creavit Dominus super terram: *Fœmina circumdabit virum*, ut cecinit in utero Matris sanctificatus Vates Hier. 31. Virum nempè illum cui oriens Nomen est. Videre cupitis rursus in hac Virgine innovatum signum? Audite ejusdem Virginis Filium Ioannem stupore perculsum exclamantem: *Ecce Signum Magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta Sole? En quæ amictu* carnis suæ circumdedit & vestivit Filium, ab eodem rursus solaribus radijs vestitur, amictu circumdatur Divinitatis. Verè signum magnum, verè cum testamento novo innovatum signum. Signa hæc ac mirabilia immutata atque innovata, jam sæpiùs memoratus Richardus à Sancto Laurentio lib. 4. solitâ suâ expendens pietate, præsertim verò illud Hieremiæ Vaticinium cap. 31. *Benè novum*, inquit, *quod Virgo facta est Mater; DEUS homo; Pater, Filius; & Filia Genitrix est effecta. Benè novum quod parvula puellula utero suo circumdedit hominem perfectum, cœlo terraq; majorem; Quod manens Virgo concepit. Quod Filium peperit manens Virgo, quod verè fuit novum, atq; à sæculo inauditum. Benè deniq; novum: Tres mirabiles Novitates mirabiliter singulares, & singulariter mirabiles, quales nec facta, nec ampliùs facienda sunt super terram, omnipotens illa Majestas, in Assumptione nostræ carnis perpetravit. Invicem enim conjuncta sunt DEUS, & homo; Mater, & Virgo: Fides, & cor humanum. Sed non minùs Novum, nec minùs mirandum, quod juvencula fragilis bajulat, quem mundus ferre non sustinet; Quod pectus Virgineum omni cœlorum amplitudine capaciùs, totum interius illum claudit, qui cœlum palmo metitur, & pugillo terram concludit universam.* Tandem universum de Novitate discursum memorabili hâc clausit sententiâ: *Maxima igitur magnitudo Mariæ, quæ immensæ Divinitatis in se præsentiam &*

Noua mirabilia in utero B. V. facta.

M. Novitas singularis in terra.

Tria mirabilia facta in Incarnatione.

Mariæ magnitudo maxima.

dignus suscipere, & sufficiens capere invenitur. Hæc Richar. Quis igitur in Virgine hac Divinissima tot perpetrata contemplans miracula ac prodigia, miretur ex omnibus Orbis partibus ad eam visendam factos, uti diximus, fuisse concursus, inque mortales Divinam reveritos Majestatem, eidemque Divinos penè honores detulisse?

Ob miracula quæ in M. relucebant ad eam invisendam facti concursus.

30. Crediderim sanè ob hæc tam multiplicia nova, ac mirabilia à Divina Omnipotentia, ac Sapientia, in sacratissima nostra Deipara perpetrata, à Sancto Ignatio Martyre ipsius studiosissimo sanctissimum Monstrum nuncupatam. Monstrum verè sacratissimum licet Metaphoricum, dici potest Deipara. Si enim hoc in Sententia Philosophi 2. Physic. cap: 8. & 9. nil aliud est, *quàm erratum naturæ, à recta & solita secundùm speciem ratione degenerans;* Quis non animadvertat in hac Sacrosancta Virgine Naturam in ipsis immaculatæ ipsius Conceptionis initijs aberrasse, siquidem post luctuosum illud Adæ peccatum, naturali propagatione in posteros transfusum, dum omnes, ut loquitur Apostolus, nascuntur naturâ filij iræ; Virgo sola, inter mortales omnes, ab originali labe præservata, nata est Dei, Gratiæque filia, ijs omnibus donis, ac charismatis, quæ justitia originalis includit, exornata? Intellexisse visus est hanc sanctissimæ Deiparæ sacratissimam, ut ita loquar, Monstruositatem, Beatus Andreas Cretensis Episcopus, cùm memorabilem illam sententiam pronunciavit: *Sola præter naturam fuit electa, ad Naturam renovandam, sola deservivit Opifici universæ Naturæ.*

B. V. à S. Ignatio sacratissimũ Monstrum dicitur, & quare?

Quid sit Monstrũ?

B. V. in conceptione à corrupta Natura degeneravit.

31. Monstrum deniq; sacratissimum fuit Deipara, ob Divinæ gratiæ immensitatem. Si enim in quorundam sententia. Gigantes Monstra Naturæ ob ingentem corporeæ molis excessum, membrorumque immensam propemodum vastitatem habiti sunt, quale, Devs immortalis, Monstrum Gratiæ dicetur Virgo nostra, quæ, uti S. Anselmus ac Bonaventura asseruerunt, quandam immensitatem Gratiæ fuit consecuta? in qua D. Bernar. præter trinam dimensionem Aristotelicam, longitudinem, latitudinem, profunditatem, altitudinem quoq; ad cœlos usque pertingentem reperit.

B.V. Monstrum ob immensitatem Gratiæ.

Immensitatem hanc Gratiæ nobis insinuasse visus est dilectus Christi Discipulus, quando illam, Sole amictam in ultimo Lunę cœlo pedibus subsistentem, caputq; in cœlum stellatum recondentem, sibique Coronam Stellarum 12. contexentem, aquilinis illis oculis contemplatus est. Qualenam Monstrum corpus illud caputque extitit, cùm Stellarum minima, quæ est 6. magnit. terram 20. vicibus, ut observavêre Mathematici transcendat. Qualenam Monstrum corpus illud fuit, quod Sol ipse qui 166⅜ terram magnitudine excedit, convestit?

Mariæ immensitas, quod in cœlo Lunæ subsistens cœlum stellatum capite contingat.

Minimæ Stellę magnitudo major terra 20. vicibus.

32. Hæc Virg. est nimirum illa domus Domini, de qua 2. Paral. c. 9. *Opus grande est, neq; enim homini preparatur habitatio, sed DEO.* Est Thronus ille Salomonis eburneus, vestitus auro 3. Regum 10. quem sibi ipsa Salomonis Creatrix Sapientia construxit: *Fecit Rex Salomon,* ait Spiritus sanctus, *thronum de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis.* Quæ verba S. Card: Pet: Damiani serm. 1. de Nat: V. ponderans: *Salomon noster,* inquit, *non solùm sapiens, sed & Sapientia Patris, non solùm Pacificus, sed & pax nostra, qui fecit utraq; unum, fecit thronum, uterum videlicet intemerata Virginis, in quo sedit illa Majestas, quæ nutu concutit Orbem. Fœlix thronus, in quo sedit Dominator Dominus, in quo & per quem non solùm omnes, sed & omnia renovantur. Grandis est hic Thronus. Quid enim grandiùs Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ Divinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphin, & in illius superioris Naturæ supervola dignitatem, & videbis quidquid majus est, minus Virgine, solùmq; Opificem opus istud supergredi.*

B.V. Opus grande.

B.V. Thronus Salomonis.

B.V. grandis.

Seraphini minores longè quã sit B. V.

Vt porrò Virginem totam quodammodo Divinam, ac Divinitate circumdatam esse demonstret, aurum illud fulvum nimis, quo Thronus Salomonis erat convestitus, affirmat esse Divinitatem: *Aurum,* inquiens, *omnibus metallis pretiosius, intellige Divinitatem DEI, omni præeminentem mundo, omnia gubernantem. Hâc vestita est, imò supervestita Mater Altissimi, totamq; Virginem tota illa indivisibilis Natura, largiori gratiâ superfudit.* Grandem hunc Thronum Virgineum esse ait Richardus à S. Laurent. lib. 10. de laud. B. V. *Quia excepit in se Gigantem illum immensum, ac incircumscriptum, cui canebat Regius Vates: Exultavit vt Gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio ejus. Grandis est,* inquit ille, *Gigantea quantitatis receptabilitate. Christus enim dicitur Gigas geminæ substantiæ, & ipse non est Regulus, sed Rex*

Aurum metallorum Princeps, est Divinitas.

B.V. Divinitate vestita.

B.V. grandis, quia excepit utero suo Gigantem immensum.

B. V. Soli comparatur, qui terram magnitudine superat 166. vicibus & ampliùs.

Rex magnus super omnes Deos. Ideò Thronus hic Soli comparatur, qui terra excentricus est, & centies sexagies sexies terra quantitatem excedere dicitur. Grandis etiam est insidentis Majestate, quia, qui incircumscriptibilis erat secundùm DEItatem, ibi circumscribi voluit per assumptam humanitatem. Vnde ipsa Maria loquitur Eccli. 24. Gyrum cœli circuivi sola. Comprahendit enim incomprahensibilem, circumdedit immensum gremio uteri sui, atque intra casta sua viscera continuit omnia continentem. Ideò figuratus est Christus in Gedeone, qui circumiens in utero interpretatur. In utero siquidem Virginis quoad humanam circumscriptus Naturam, per incircumscriptam Divina potentia Naturam circumibat omnia.

Christus in utero B. V. Gedeon, qui circumiens in utero interpretatur.

33. Hanc Virginis immensitatem demiratus S. Petrus Chrysol. serm. 143. *Verè benedicta*, inquit, *qua fuit major cœlo, fortior terra, Orbe latior; nam DEVM, quem mundus non capit, sola cepit. Portavit eum, qui portat Orbem, genuit Genitorem suum, nutrivit omnium viventium Nutritorem.* Hanc immensitatem gratiæ, quam, conjuncta Divinitati Virgo nostra, per Incarnationem adepta est, Doctor Seraphicus, in Speculo cap. 5. colligit ex immensa Vasis hujus (quod ipse alibi admirabile opus Excelsi appellavit) capacitate. Vnde cœlo, terræ, maris abysso eam contulit. *Consideremus*, inquiens, *gratia Maria Immensitatem, propter hanc dicta est Gratia plena. Immensa certè fuit gratiâ, quâ ipsa fuit plena. Immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo est plenum: Maria autem Vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui cœlo major est, continere potuit. Quis est cœlo major? Certè ille, de quo Salomon ait: Si cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quantò magis domus hac, quam adificavi? Non utique domus per Salomonem adificata, sed domus per illam significata, DEVM capere potuit. Tu ergo immensissima Maria capacior es cœlo, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Tu capacior es mundo, quia quem totus non capit Orbis, in tua se clausit viscera, factus homo.*

B.V. Vas quoddam immensũ ob imménsitatem gratiæ quam cótinuit.

M. Vas immensissimum, quia Dei Filium compræhendit.

34. Et verò infinitè capax hoc Vas Divinissimum esse debuit, in quo universorum Angelorum, atq; Sanctorum gratia, & quidem in longè excellentiori gradu erat recondenda. Vnde S. Thomas serm. de Assumpt. *Ideò*, inquit, *in cœlo exaltatam asserit Ecclesiasticus, sicut Cedrum, sicut Cypressum, sicut Palmam, Platanum, Olivam, Rosam &c. Per Cedrum enim Natura Angelica; per Cypressum, Patriarcha & Propheta; per Palmam, Apostoli; per Rosam, Martyres; per Olivam, Confessores; per Platanum, qua frigidis gaudet aquis, Virgines denotantur. Est ergo sensus*, ait S. Doctor, *quod Virgo est exaltata sicut Angeli, Patriarcha & Propheta, Apostoli, Martyres, Confessores & Virgines. Fuit enim exaltata super Choros Angelorum, & omnes Sanctos; Nec mirum, habuit enim meritum Angelorum, Angelicè vivendo. Vnde Hier. In carne prater carnem vivere non terrena vita est, sed cœlestis. Et Virginitas Soror est Angelorum. Habuit etiam meritum Prophetarum prophetando: Beatam me dicent omnes generationes. Vidit enim Spiritu prophetico, quod ab omnibus gentibus beatificanda erat, & quod omnes receptura erant DEI Filium & suum. Habuit meritum Apostolorum, & Euangelistarum docendo. Multa enim scripta sunt & pradicata, qua non potuerunt, nisi per ejus revelationem cognoscere, sicut de ingressu Angeli in conceptione DEI Filij &c. Habuit meritum Martyris, mortem Crucis, cum Filio patiendo. Habuit meritum Confessorum devotè Domino confitendo: Magnificat anima mea Dominum. Habuit meritum Virginum, inchoando Virginitatem, & conservando. Et sicut habuit meritum horum omnium & ampliùs, ita congruum fuit, ut super omnes poneretur cœlestium Ordines, omnesq; dicerent; Qua est ista, qua progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol &c.*

B.V. Gratia imménsa, quia omnium Angelorũ gratiam Sanctorũque in lóngè excellentiori gradu habuit.

Cedrus Naturam Angelicã denotat.

Palma notat Apostolos, Rosa Martyres.

M. quia merita omnium Angelorum & Sanctorum habuit, ideò super omnes evecta

35. Divinam hanc in Virgine sive Angelorum, sive Sanctorum omnium admirandamque agnovit immensitatem gratiæ S. Chrysologus serm. 140. in Annunc. B. V. Dum ex mensura Virgineæ mentis, ac animi, ipsis beatis spiritibus, totique Naturæ admirandi, colligit immensi quodammodo, mensuram DEI. Cujus sententia, quia aureæ eloquentiæ decurrit flumine, hic eam attexere ad verbum operæpretium duxi: *Quantus sit DEVS satis ignorat ille, qui hujus Virginis mentem non stupet, animum non miratur. Pavet cœlum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & una Puella sic DEVM in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris; cœlis, gloriam; salutem perditis; vitam, mortuis; terrennis cum cœlestibus, parentelam, ipsius DEI cum carne commercium, pro ipsa Domus exigat pensione, pro ipsius uteri mercede conquirat.* Ingens sanè pensio, merces immensa est, humani generis redemptio, quam immensum illud Numen pro immenso

Magnitudo B. V. ex DEI mensura quodammodo metienda.

B. V. pro hospitij uteri Virginalis mercede, Dei Filius genus humanum redemit.

Virginalis uteri hospitio, in quo novem mensibus habitavit persolvere condecentissimum fuisse arbitratus est.

Redéptio hominum Sanguine Filij DEI facta ingés pensio.

Mercedem hanc tam immensam à Virgine fuisse meritam Sermon. 142. ait idem Sanctus Antistes admiratum fuisse Gabriëlem, dum illius verba explicaret: *Invenisti gratiam apud DEUM: Hac cùm dicit, & ipse Angelus miratur,* inquit Sanctus, *aut fœminam tantùm, aut omnes homines vitam meruisse per fœminam. Stupet Angelus DEUM venire intra Virginalis uteri angustias, cui tota angusta est creatura.*

Pensioně tam copiosam dată B. V. pro uteri hospitio miratus Gabriël.

36. Magnitudinem hanc Virginis DEUM in utero comprehendentis plusquam Giganteam olim in spiritu prævidens Salomon atque obstupescens exclamavit: *Mulierem fortem quis inveniet? Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Quasi clariùs dicere voluisset; Cœlestis hæc Heroina, Giganteo robore ac magnitudine tam celebris ac illustris, in cœlo quidem formata non est, talis tamen est, ut videri possit, in cœlo empyreo, ipsis DEI manibus efformata; cùm opus quoddam planè extra omnem & Naturæ & Gratiæ ordinem à solita secundùm speciem ratione degenerans videatur. DEUS solus qui eam sibi, Divinâ magnitudine tam immensam, ad inhabitandum condidit, novit ejus pretium. De quo mellifluus Bernardus Serm. 2. super Miss. *Pretium ejus non vile est, non parvum, non mediocre, non deniq; de terra, sed de cœlo, nec de cœlo proximo terræ precium hujus fortis Mulieris, sed à summo cœlo.*

B.V. in cœlo quodămodo Dei manibus efformata, eò q omnia sint in illa summa.

Precium quo æstimădaB.V. est infinitum & de cœlo.

37. Cùm igitur DEI Mater consortium Divinitatis immensæ, in Filij Incarnatione adepta, Heroina quædam Gigantea, atque infinita evaserit, infinitamque illam DEI Naturam cum omnibus attributis ac perfectionibus in se velut lucidissimo speculo repræsentet, adeòque sit Deificata, ut in ipsam quodammodo transformata sit Divinitatem, in hoc aciem mentis nostræ assiduè intendamus, ut proprietates, perfectionesque Divinæ Naturæ in illo ad vivum expressas, pro modulo nostro, unà cum Virgineis ipsius virtutibus contemplantes, ab omni scelerum peccatorumque macula depurati, in illius pulchritudinem transformemur. Non est, non est, Virginea hæc venustas, huic caducæ, fluxæque ac flaccescenti instarque flosculorum evanescenti consimilis, quæ ut plurimum vulnerare, maculare, ac contaminare intuentium animos (quod aliquando se expertum fatetur Augustinus; *in hac formosa,* inquiens, *ego turpis irruebam*) consuevêre. Pulchritudo hæc, pulchrum reddit intuentem, illumque in se quodammodo transformat.

BV. ob oculos semper velut speculum habenda.

B. V. Pulchritudo, in se quodammodo intuenté transformat.

Proponamus igitur Virgineum hoc animatumque speculum nobis semper ob oculos, ut mores, indolemque Virgineam in animis nostris imitatione exprimamus. Ad hoc enim facti, ad hoc creati sumus, ad imaginem & similitudinem DEI, ut non modò ipsius DEI, verùm etiam Matris ejus Sanctissimæ essemus imitatores. Primi illi nostri, prô dolor, humani generis parentes miserandum in modum offuscârunt, ac penè deleverunt in nobis Divini prototypi similitudinem. Quare convenientissimum fuit, ut per IESUM & MARIAM secundos verè pijssimos humani generis progenitores ac reparatores ejusdem Divinæ Imaginis in nobis nitor effulgeret, pristinæque restitueretur integritati, *ut quod cecidit in Adam primo, erigeretur in secundo*, quemadmodum Magnus ille Pontifex Leo loquitur. Addiderim ego: quod lapsum est in prima Muliere Eva, erigeretur in secunda, nempè MARIA verissima viventium omnium Matre.

Per Iesum & Mariam Imago ac similitudo Creatoris in nobis renovăda.

38. Meminerimus Socratici illius Consilij verè saluberrimi, verè sapientissimi, quo suadebatur juvenibus, ut sese in speculis attentiùs contemplarentur. Quod si speciosos se, formâque eleganti conspicuos animadverterent, curarent virtutum assiduis exercitationibus pulchritudinem illam conservare, cum interna animi venustas, ex virtutum forma resultans, ut plurimum in corpus etiam redundare consueverit: Contra verò, si de formitate aliqua notatos sese deprehenderint, virtute, quæ vera animorum pulchritudo est, Naturæ defectum supplerent, errorem corrigerent. Idem & nos in dies singulos factitemus. hoc Deitatis omnisque perfectionis speculum, in quo tam insigniter Divinæ Naturæ species, ejusdemque attributa elucescunt, assiduè præ oculis habeamus. Et siquidem nævum aliquem, aut pecca-

Adolescétes ex Cōsilio Socratis in speculis formă suă contemplentur.

peccati maculam in nobis minimè depræhenderimus, assiduâ virtutum exercitatione, Sanctissimorumque Sacramentorum frequentatione, ut pulchritudo hæc majora semper sumat incrementa, augere studeamus. Quod si è contra labe aliquâ sceleris cujuspiam aspersos nos depræhenderimus, Virginearum in primis virtutum imitatione, tum Sacramentali peccatorum expiatione, (qua preciosissimo ac purissimo Christi sanguine aspersi, atque abluti primigeniæ illi Creatoris nostri, ad cujus Imaginem conditi sumus pulchritudini restituimur) eam delere nitamur. Verissimè enim ab Apostolo dictum: *Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Apoc. 1.

In B. V. velut speculo animi species intuenda.

39. Piget nos fortassis Socratis hominis Ethnici sequi consilium? Sequamur vel Sanctorum Patrum, quorum assiduus mentis intuitus in Christum, ejusque Matrem contemplandam ferebatur. Audite Divum Ambrosium lib. 2. de Virginibus, qui eas ad insigniores in virtute profectus faciendos invitans, DEI Matrem velut speculum præ oculis ponit, ad imitandum? *Sit vobis*, inquiens, *tanquam in imagine descripta Virginitas vitaq; B. Mariæ, de quâ velut speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari Magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt.* His penè similia habet Divus Hieronymus Serm. de Assumpt. Audite Beatum Petrum Dam. Cardinalem, qui Serm. 2. de Nativitat. conglobatis innumeris DEIparæ encomijs nos ad hoc speculum contemplandum invitat, ut & mente, & Spiritu DEI Matres evadere possimus. *Ecce*, inquit ille, *intemerata, & gloriosa Virgo MARIA in lege præfigurata, in Patriarcharum & Prophetarum oraculis prænunciata, ab Angelo singulari honorificentia privilegio salutata; Thronus Dei, Solium Divinitatis, Palatium Regis æterni, Gazophylatium thesauri, quo sumus de cruenti prædonis servitio comparati, nobis proponitur in Exemplum. Hæc tam singularis, tam incomparabilis Virgo si non sequeretur humilitatem Christi, nunquam pertingeret ad celsitudinem Christi: Si injuncta mandata contemneret, ad promissa præmia, nullatenus perveniret.* Quasi dicere voluisset clarius, cupit quispiam evadere Mater Christi, eique conformis esse desiderat? Ipsius exemplo humilitatem Christi, cumq; Divinâ voluntate conformitaté in semetipso exprimat, ejusdemque vestigijs sedulo insistat, Mater certè Christi talis evaserit, ipsa Veritate promittente: *Quicunq; fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ille meus Frater & Soror & Mater est.*

Vita B.V. est speculum.

B.V. est Gazophylatium Thesauri quo sumus redempti.

B.V. omnibus proponitur in exemplū humilitatis.

Divinæ legis voluntatisq; executione, fit aliquis Mater Christi.

40. Ad hæc DEIparæ amplectenda vestigia Seraphicus Card. Bonaventura Psalmo 14. nos hortatur: *Amplectamur Mariæ vestigia peccatores, ejusq; beatis pedibus prevolvamur: teneamus eam fortiter, nec dimittamus, donec ab ea meruerimus benedici. Sumite exemplum conversationis ejus, æmulamini studia charitatis, ac humilitatis ejus.*

B. V. amplectenda & sequenda sunt vestigia imitatione ejus virtutum.

Audite denique devotissimum Richardum à Sancto Laurentio lib. 2. de laudibus Beatæ Virginis partic. 3. qui præclarè consulvit: *Debemus nostræ mentis intuitum ad Mariam jugiter dirigere, & ad ipsam intuendam spiritualis oculos attollere, ut illud dicere possimus: Domina nostra ad te sunt oculi nostri ne pereamus.* Et illud Psal. 15. *Providebam Dominam in conspectu meo semper. Intellectus enim & affectus noster, duo sunt oculi, quibus Filium & Matrem debemus pariter intueri, sicut oculorum acies corporalium ad idem pariter dirigitur.*

Ad B.V. oculi spirituales intellectus & affectus dirigendi.

41. Hanc ob causam crediderim Salvatorem de cruce pendentem Ioanni Dilecto, & in illo nobis omnibus dilectissimam Matrem commendasse, ut ipsam assiduè velut animatum speculum integerrimæ suæ vitæ, morumque Sanctissimorumque, oculis obversantem ad imitandum haberemus. Imaginemur nobis quoque in hodiernum usque diem eam vocem de cœlo mitti: Ecce Mater tua, in illam oculos conijce, ejus vestigijs, virtutem ipsius imitando, defige. Qua in re egisse visus est Salvator, quod olim Seneca, qui mortis audita sententia, interritus, *poposcit testamenti tabulas*, ut scribit Tacitus 15. Annalium, *denegante Centurione, ad amicos conversus, quando meritis eorum conferre gratiam prohiberetur, quod unum ac pulcherrimum habebat, Imaginem vitæ suæ relinquere testatus est.* Verè Salvator benignissimus ex hac vita discedens, quod unum ac pulcherrimum habebat, Imaginem vitæ suæ, in Matre sua immaculata se relinquere professus est, dum Ioanni, & in illo nobis omnibus dicere non est dedignatus:

Seneca vetitus ne faceret testamentum, Imaginem vitæ suæ reliquit.

Christus in Matre imaginem vitæ suæ nobis moriens testamento reliquit.

gnatus: *Ecce Mater tua.* Hanc Imaginem, mores plusquam Angelicos, atque undequaque irrepræhensibiles Deiparæ, velut speculum repræsentantem nobis proponamus. Sic enim nos Divus Bernardinus hortatur Tom. 2. Serm. 51. cap. 4. art 1. dum ait B. Virginem in prima sua sanctificatione quosdam radios emisisse, ex quibus quartum dixit fuisse ipsius exemplaritatem, nam tota conversatio ejus & vita omni refulgebat gratiâ, & virtute: *Ad ipsam igitur Virginem tanquam ad speculum & exemplar Christiana vita semper respicere debent, qui cum Christo regnare volunt.* De eodem Virginis exemplo, verissimè etiam Religiosissimus ille Abbas Petrus Cellensis lib. de Panibus cap. 21. pronunciavit: *Virgo Mater in omni conversatione sua casta & munda, prabet nobis exemplum conversandi sine querela.* Ad eandem puritatem mentisque mundiciem æmulandam hortatur nos Sanctus Bruno Carthusian. Ordinis Fundator Serm. de Purif. B. Virg: *Nos*, inquiens, *qui dignam offerre volumus Deo oblationem, hanc Reginam & Dominam nostram imitari debemus. Offeramus igitur & nos par turturum, & duos pullos columbarum, anima, corporisq; integritatem ac innocentiam Domino reddamus.* Atque ita demum fiet, ut in Virgineo hoc animatoq; speculo nos contemplantes Divinam quandam, pro modulo nostro, puritatem in nobis exprimamus, donec tandem in æterna illa Beatitudine, facie ad faciem DEVM intuentes, in gloriosam illam sempiternamque Imaginem transformemur, à claritate in claritatem. 2. Corint. 3. v. 18.

Vnus ex Sanctitatis radijs, B.V. est ipsius Exemplum.

B.V. conversatione suâ sanctâ, dat exemplum conversandi sine querela.

MEDITATIO V.



Contemplare anima mea benignissimam, ac verè Paternam Creatoris tui in te providentiam, qui, ut omnis puritatis, ac Sanctimoniæ decorari posses ornamentis, providit tibi hoc pulcherrimum, animatumque speculum, varijs virtutum præstantissimarum exornatum margaritis ac gemmis, speculum, inquam, omnis omninò, vel minimi peccati carens macula, Virginem Matrem suam Sanctissimam, ut in illo temetipsam identidem inspiciendo ad Imaginem tui Creatoris, ad quam eras condita, reformareris. Quid tibi Creator mi, Pater verè misericordiarum, DEVS totius consolationis, pro tanto in me amore ac gratia singulari rependam? O utinam membra mea converterentur in linguas, ut tuam Divinam Majestatem; nec non Matrem tuam purissimam condignè celebrare, atque exaltare, simulque ipsius virtutes, quæ in ejus vita, velut in lucidissimo resplendent speculo, imitari valerem! O utinam hujus Divinissimi speculi, in quo tuam amabilissimam faciem visendam nobis exhibere non es dedignatus, splẽdor ita mentem meam illuminet, affectum accendat, ut te, creaturis omnibus posthabitis, super omnia, velut summum meum, æternumque bonum amem atque amplectar, mihique tu unus sis omnia, in omnibus! Erubesco sanè in tuo Divino conspectu, Creator mi dulcissime, ob negligentiam meam planè abominabilem, quod purissimum hoc Virginalis vitæ speculum, diligentiùs hactenus, non fuerim contemplatus, ejusque quæ in illo resplendent virtutes planè singulares ac pulcherrimæ, imitatus. O si in corde meo B. Edvigis famulæ tuæ amantissimæ dulcissima illa pietas, ac devotio in Matrem tuam gloriosissimam, radicaretur! O si semper ipsius Imaginem in manibus ac multò magis corde exculptam gestarem, atque ita, ut illa Beata anima memetipsam, in ipsa, usq; ad extremum hujus vitæ diem inspiciendo, mores meos, secundùm illam, utpotè omnis Sanctitatis ac puritatis Regulam componerem! Ad te recurro, ad te confugio Mater mea dulcissima, teque oro, atque obsecro per viscera illa tua beatissima, pietatis ac misericordiæ plenissima, quibus ipsa in infinitam DEI misericordiam novem mensibus portasti, ut mihi meisque actionibus assistere, meque vultu tuo benignissimo illustrare assiduè non dedigneris, quo te semper præ oculis habens, vitam meam tot imperfectionibus ac peccatis obnoxiam, tuæ sanctissimæ conformare quam diligentissimè studeam. Quare Domina mea amantissima, per immaculatam Conceptionem tuam, perque Virgineum partum tuum te cum tuo devotissimo Servo Bonaventura obtestor, & humiliter dico Ps. 118.

B.V. speculum varijs virtutum margaritis exornatum.

B. Edvigis Imaginem B.V. semper in manibus gestabat.


Legem

Legem pone mihi Domina voluntatis tuæ, ò Sanctarum Sanctissima, ut exquiram eam semper: Deduc me in semitam miserationum tuarum, ò mulierum pulcherrima, quia ipsam volui: Inclina animam meam ad supernorum amorem, à Domina, & non ad impudicitiam. Ecce concupivi castimoniam tuam à juventute mea; in misericordia tua confirma me. Et observabo viam testimoniorum tuorum in sæculum, & scrutabor mandata Filij tui, quæ dilexi: Scio enim Domina mea benignissima beatos esse illos, ac fœlices, qui Imaginem vitæ tuæ, suis in moribus repræsentare conantur. Verè enim idem tuus dixit Seraphinus: *Beati immaculati in via, qui Matrem DEI imitantur. Beati imitatores humilitatis ejus, beati participes charitatis ejus; Beati prosecutores virtutum illius; Beati conformes Imagini illius. Beati qui conceptum, & partum ejus venerantur. Beati qui devotè ei famulantur. Beati qui in eam habent spem & confidentiam. Beati qui per illam suscipiunt fœlicitatem sempiternam.* Cùm igitur tanta beatitudo, tanta fœlicitas contingat illis, qui vivam, spirantemque tuarum virtutum formam, in sese exprimere student, ut dum in hac misera mortalique vita degunt, æternæ illius beatitatis gaudia degustare videantur, impetra mihi Virgo benignissima, precibus tuis efficacissimis, à Dilectissimo Filio tuo gratiam, ut in te velut Speculum, non solùm justitiam & virtutes omnes, Sanctitatemque absolutissimam, verùm etiam ipsum justitiæ, sanctitatis, virtutumq; omnium fontem DEI Filium nobis repræsentans, oculos mentis defixos habeam, quo splendoribus excellentissimæ Sanctitatis tuæ Filijque tui irradiatus, rectam justitiæ viam ac semitam tenere, & tandem ad beatissimam illam Patriam pervenire valeam. Quemadmodum enim dulcissimus tuus Filius omnibus fidelibus Via, Veritas, & Vita fieri dignatus est, ita tu quoque Mater beatissima via verissima, ac securissima es, quæ hominem ad perennem immortalemque deducit vitam. Duc igitur & me, deduc per Regiam virtutum tuarum, tuique Filij semitam, quo tandem ad illam nunquam terminandam beatamq; vitam, quâ in cœlis electi DEI perfruuntur, perveniamus. Interea ò Virgo purissima ostende mihi identidem in hac misera peregrinatione, ostende, inquam, mihi faciem tuam, ut eam velut speculum contemplans, animæ meæ maculas inspiciam, easque perpurgem, vitamque degam omninò immaculatam; sonet vox tua in auribus meis, me tuis sanctis inspirationibus visitando. Hæ mihi tacitæ quædam sint exhortationes sicut & vita, moresque tui Sanctissimi, quibus ad tui imitationem accendar. Excita omnes animæ meæ vires ac potentias, corporisque sensus ad te contemplandam, ad te imitandam ò Virgo speciosa, Mater gloriosa, ut cum tibi devoto Iusto Landspergio, te alloquar. Tu à proximo tibi clarissimo Sole Iustitiæ tam miram accipis claritatem, quæ delectabiliter in te radios Divinitatis suæ tam copiosè refundit, ut inter omnes, imò præ omnibus non tantùm filijs hominum, sed etiam filijs DEI, qui sunt Angeli, te omnibus spectabilem, mirabilem delectabilemque effecerit, suæque simillimam claritati. O clarissima, charissima, dulcissima, mitissima, misericordissima, cum qua crevit misericordia ab infantia, & de utero pariter est egressa, ostende mihi desiderabilem & delicatissimam faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Te enim ò clarissima cùm inspexero, aperietur oculorum meorum cæcitas; Te cùm audiero, ò Cantatrix suavissima, aurium mearum surditas dirumpetur: Si ad me pervenerit tui dulcissimi odoris fragrantia, (cujus inæstimabilis est odor nimis, quia te circumdant, in te spirant flores rosarum & lilia convallium, quia tibi dicitur à cœlitibus: *Vnguentum effusum Nomen tuum*, in te siquidem Filij tui omnis suavitas copiosè distillat;) si inquam ad me pervenerit odor tuus, curram & ego post te, & tecum post Sponsum odoriferum, donec ab illo tecum in cellam cœlestium aromatum merear introduci. Videam igitur ò formosissima faciem tuam, summi Solis faciei quam simillimam, Ducem errantium, lucem cæcorum; audiam vocem tuam, singulari sonoritate suavissimam. Vox enim tua dulcis, quia diffusa est gratia in labijs tuis, & mel, & lac sub lingua tua. Vnde eloquij tui dulcedine tantùm ipse dulcissimus Filius tuus afficitur, ut nihil velit vel possit tuæ dulcedini denegare, quia favus distillans labia tua, & sicut vitta coccinea, verbis scilicet ignitæ charitatis incomparabiliter ardentia. Videam ergo speciosam faciem tuam, eloquium arden-

Beati sunt qui B. V. imitantur.

B. V. Via ad vitam æternam secura.

ardentissimum audiam, ut particeps fieri merear speciositatis tuæ pariter & ardoris. O quam beati sunt, qui vident te, qui te revelatâ facie contemplantur, quotidie, qui organum dulcissimæ vocis tuæ audiunt sine fine! O utinam ego horum numero aliquando adscribi merear, ut te audire, te velut Solis æterni Speculū lucidissimum intueri, de tua luce participando merear! O quanta est in cœlis Angelis exultatio ac tripudiū! O quanta gloria, te videre ò illibata Virgo, omnium virtutum Divinorumque attributorum clarissimum speculum, te venerari, te laudare, tibi parere, tibi servire! Licet enim beatæ illæ mentes ab omni corporeæ molis concretione liberæ, naturâ suâ sint te longè præstantiores, simpliciores, & minus egentes rebus humanis, tamen quia plenitudo gratiæ in te superabundavit, & cœlestes illos Spiritûs etiam Seraphicos, longè tuâ hæc gratiarum exuberantissima affluentia, post se reliquit, Deoque complacuit te specie humanâ, fragilique sexu, illis longè inferiorem humilioremque eisdem anteferre, qui nec corporea mole premuntur, nec sexu infirmantur; Hinc illi te, summo amoris affectu amplectuntur, & tanquam suam Reginam colunt, adorantque. Noverunt nimirùm te Matrem esse Altissimi, quæ ob eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem, summis Divinæ gratiæ donis, præstantissimis charismatis, nobilissimisque super omnem creaturā privilegijs dotari, ac exornari meruit. Noverunt te flore Virginitatis plusquam Angelicæ, Divino illi fœcunditatis Fructui sociatæ decoratam. Noverunt te purissimo tuo utero complexam illum, quem nec cœli, nec terra, nec universa capere poterant elementa. Noverunt te ruinarum suarum totiusq; cœlestis Hierusalem, Divinissimo tuo partu Reparatricem. Noverunt Naturæ suæ Angelicæ ex te, tuoque Filio tanquam eorum capite, quoad illuminationes, mirificum accessisse decorem ac splendorem. Noverunt eundem DEI Altissimi Filium tibi olim in hac vita fuisse subditum, tuis minimis nutibus obtemperasse. Noverunt denique innumera tuarum virtutum præclarissimarum ornamenta, quibus omnem illorum pulchritudinem perfectionemque transcendis. Quæ omnia illi, te amando, sibi quodammodo propria efficiunt, sibiq; de tua gloria in immensum gratulantur. Neque enim Beati in cœlo alterius gloriæ, bonorumque ullâ tanguntur aut uruntur invidia, aut livore tabescunt. Sed Divinam semper Bonitatem, quæ sese tam largè effusèque creaturis, juxta suam benignissimam indolem communicat, laudant ac glorificant, tua bona, tuam gloriam suam esse reputantes. Largire mihi quoque Mater pientissima indolem hanc amabilem, ut in te Divinam Naturam, ejus attributa, pulchritudinem, ac perfectionem contemplando, tuam Dignitatem, Majestatemque suspiciam ac venerer, & suspiciendo ac venerando, medullitus amem, quo ita pro modulo meo, de tuis cœlestibus bonis participem, deque illa tua æviternâ Beatitate, dum adhuc in hac misera versamur vita, aliquid quantum humani cordis patiuntur angustiæ delibem, donec tandem ab ubertate Domus DEI, Divinam, tuamque faciem clarè intuendo, cum Beatis omnibus inebriemur.



DI.



DISCVRSVS VI.

Quod DEI para Virgo ex eò quod in se Naturam Divinam repræsentet, cultum Hyperduliæ sit promerita.

Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. Ps. 98. v. 5.



I. Mirum quantò magnus ille Patriarcha Abraham, uti & reliqui Sancti veteris testamenti Patres, Reges, ac Prophetæ sempiternum illum Iustitiæ Solem, Virgineo, animatoque Speculo, uterum DEIparæ intelligo, reclusum, contemplandi flagrârint desiderio. Quod sanè in Venerabili Sene excrevit adeò, ut omnia quæcumque in hac vita desiderari possent, tantò, tamq; Divino muneri ac beneficio posthaberet. Vnde postquam in visione quadam illum Dominus benignè fuisset consolatus Genes. 15. *Noli*, inquiens, *timere Abraham, ego protector tuus, & merces tua magna nimis;* quasi subiratus respondit: *Domine DEVS quid dabis mihi? ego vadam absq; liberis.* Ac si clariùs dicere voluisset: Domine opes, ac divitias, mundi hujus prosperitatem, fœlicitatemque reliquaque dona, ac munera quibus hactenus me cumulare dignatus es, non tanti facio aut æstimo: Illud, illud est, quod summopere desiderarem, ut tuum dilectissimum Filium, humanitate nostrâ circumdatum, saltem in aliquo typo, ac figura, dum adhuc in hac mortali vita dego, videre possem. Ad quem Dominus: *Suspice*, inquit, *cœlum, & numera Stellas si potes;* inde enim Orbis Redemptor ad homines salvandos, in mundum adveniet; is homines de Diabolica captivitate redemptos cœlis inferet, eosque ita sanctitate reliquisq; cœlestibus donis ac gratijs exornatos ac refulgentes multiplicabit, ut futuri sint ad instar Stellarum, quæ numerari non possunt. Et tandem promittit illi Filium, qui viva figura mundi Salvatoris erat futurus: *Dabo*, inquiens, *tibi filium, cui benedicturus sum, eritq; in nationes, & Reges populorum orientur ex eo.* Hic profundissimo Incarnationis Dominicæ intellecto mysterio, agnoscens de sua Stirpe descensuram Virginem, de qua DEI Filius nostram assumpturus erat humanitatem, lætitiâ insolitâ, gaudioque gestiens; *Cecidit*, ut ait sacer textus, *Abraham in faciem suam, & risit dicens: Putasne Centenario nascetur Filius, & Sara nonagenaria pariet?*

Desiderium Abrahami aliorumq; Patrum videndi Deum incarnatum.

Abrahami risus ob promissum Filium, significavit gaudium de Incarnatione Filij Dei.

2. Quibus in verbis non vulgaria recondita mihi videntur mysteria. Quid enim casus ille, pronâ in terram facie, tantâ cum lætitiâ gaudioque sociatus, quàm terræ illius venerationem, quæ DEI Filij in carne mortali adventantis pedibus sacrosanctis erat conculcanda? Quid denotabat aliud, quàm illius Virgineæ atque animatæ Terræ, quæ tam desiderabilem toti mundo protulit Fructum, adorationem? Terræ, inquam, illius benedictæ quæ Divino cœlestium donorum rore, ac imbre copiosè irrigata germinatura erat illum, tot votis ac suspirijs Prophetarum, præsertim Isaiæ expetitum Salvatorem? Quorum omnium vox illa communis extitit: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Hæc nimirum est terra illa, quam, terribili suâ indignatione, in benignitatem

B.V. Terra ab Abraham corruente in terram adorata.

S admi-

B.V. Terra benedicta.

admirabilem conversa, Dominus benedixit, simulque acerbissimam Tartareamque à toto humano genere avertit, atque amolitus est captivitatem. Hæc est Terra illa, de quâ canebat David: *Etenim Dominus dabit benignitatem, & Terra nostra dabit fructum suum.* Hæc est nostra Terra illa florida, in qua flores apparuerunt: Terram enim hanc Halgrinus Card: in Cant: ait esse Virginem beatissimam: *Hæc Terra*, inquit ille, *est ager ille, qui nondum floruerat, & tamen florum ejus fragrantiam tunc odorabat Isaac in Filio; Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Fructum enim hæc terra produxit, de quo Isaias: In illo die erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis. In hac terra verè flores apparuerunt, decor videlicet, & odor gratiarum, virtutum atque operum.* Hæc est terra illa in quam æternum Verbum velut stillicidium per Incarnationem cecidit, uti canebat David Psal: 71. *Descendit sicut pluvia in Vellus, & sicut stillicidia stillantia super Terram.* Quod Vaticinium trutinans S. Amadeus Homil. 3. *Porrò*, inquit, *præfata Terra eandem Virginem demonstrat, Terra nomine appellatam, propter quandam similitudinem. Sicut enim vetus Adam de Terra incorrupta, nullumque passa contagium, formatus est: Sic terris Terra Virgo novum Adam procreavit. Si non credis mihi prædicanti ortum novi Hominis, crede Psalmistæ dicenti: Veritas de Terra orta est. Quæ major Novitas, quàm ut oriatur de Terra ille, qui est Veritas?*

B.V.Terra florida.

M. Terra, in quam Dei Filius velut stillicidium de cœlo illapsus est.

Hæc denique ab Abrahamo tantâ animi gestientis lætitiâ adorata Terra, Deiparam Virginem humillimam denotabat, quæ ad eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem evecta, ob profundissimam humilitatem, Ancillæ nomine minimè contenta, Scabellum quoddam suppedaneum summæ illius immensæque Majestatis fieri ambiebat. Vnde Divino imperio super omnem non modò Humanam, verùm etiam Angelicam Naturam exaltata, adorari ab utraque merita est. Audite ipsum Spiritum sanctum apud Regium Psaltem hoc mandantem: *Adorate Scabellum pedûm ejus, quoniam sanctum est.* Hinc Divus Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 11. *Adorabat*, inquit, *non elementum terræ, sed Scabellum Domini, de quo scriptum est: Adorate Scabellum pedûm ejus, quoniam sanctum est. Vbi enim fuerit corpus, ibi & aquilæ, quæ adoraverunt versantem in corpore.* Quibus ex verbis S. Doctoris clarè perspicimus, per Scabellum corpus, ipsamque Christi intelligi carnem, ac per consequens ipsam etiam carnem Virginis, quæ purissimum suum sanguinem ad efformandum, ope operaque Spiritu S. corpus Incarnati Verbi subministravit.

B.V. ob humilitatis studiũ Scabellũ pedûm Domini.

Scabellũ pedûm Domini est Humanitas Christi.

3. Licet Hugo Cardinalis de S. Charo per Scabellum illud, ipsam Virginem gloriosissimam intellexerit. Ad hoc comprobandum citat 2. Paral. c. 9. ubi Scabelli cujusdam aurei, Throni Salomonis fit mentio: *Fecit & Scabellum aureum, & brachiola duo intrinsecus. Hoc est*, ut idem interpretatur; *Brachia Christi Pueri amplectentis B. Virginem.* Tandem hanc interpretationem Scabelli hujus sanctissimi comprobat Richardus à S. Laurentio lib. 2. de laud. B. V. partic. 1. *Spiritus sanctus*, inquiens, *Mariam præcipit honorari Psalmo 98. Adorate Scabellum; adoraverunt ad litteram tres Magi adorantes Matrem cum Filio. Hoc enim Dominus per Isaiam cap. 60. promiserat: Domum Majestatis meæ, hoc est, Mariam glorificabo. Et paulò post: locum pedûm meorum glorificabo. Sicut enim caput Christi, juxta Apostolum, DEVS est, seu Divinitas, ita pedes quibus ad nos venit, sunt Humanitas, cujus locus uterus est Virginalis, quem, ut possumus, debemus honorare, quia bona omnia, veniæ, gratiæ, & gloria nobis inde effluxerunt, affluuntque incessanter. Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant Eccli. 1. hoc est, reverti debent per jugem recordationem, per debitam venerationem, ac gratiarum actionem, & hoc, ut iterum fluant.* Idem lib. 10. eadem ferè repetit, & addit insuper: *In Scabello quiescunt pedes, & Christus DEVS, & Homo requievit in utero Matris suæ.* De hoc Scabello exponi potest illud Exo. 24. *Sub pedibus ejus quasi opus lapidis Sapphirini, & quasi cœlum cùm serenum est.* Vbi pulcherrimam Virginis nostræ habes periphrasin. Sic enim describi potest: *Maria est opus lapidis Sapphirini, & cœlum cùm serenum est.* In hoc ergo preciosissimo lapidis Sapphirini opere, in hoc cœlo serenissimo cùm summæ illius Majestatis pedes conquieverint, quid mirum si S. ille Patriarcha illud, tantâ veneratione animique submissione adorârit? Quid mirum, si tantô jubilo, animique sese efferentis lætitiâ, risuque insolito illud veneratus sit? Nimirum in scabello illo, in Terra illa benedicta, Matrem Christi, quæ verum Isaac, hoc est risum, totiusque generis hu-

B. V. est Scabellũ pedûm Dei adorandum.

Tres Magi adoraverunt Scabellũ pedûm Dei, dum Christum & Matrem venerati sunt.

M. Opus lapidis Sapphirini & cœlũ serenum.

Christus verus Isaac, & verus noster risus ac Iubilus.

humani lætitiam germinatura erat, agnoscebat. Quam præclarè Ambrosius! *Verus Isaac, verus risus, natus est nobis, qui vera lætitia, & omnibus factus est remissio peccatorum. Bonus Isaac risus, utpote plenus gratia, & fons lætitia.* Quare Divus Bonaventura Ps. 65. summâ cum lætitiâ DEI param laudandam ac venerandam esse hortatur: *Iubilate Domina nostra universa terra, psallite hymnum Nomini ejus, date honorificentiam Majestati ejus.* Ad eandem Virginis adorationem pari lætitiâ peragendam Psal. 93. Idem Pater Seraphicus invitabat universos: *Venite exultemus Domina nostra, jubilemus salutifera Maria Regina nostra. Praoccupemus faciem ejus in jubilatione, & in Canticis collaudemus eam. Venite adoremus & procidamus ante eam, confiteamur ei cum fletibus peccata nostra.*

Majestati Nominis B.V. danda magnificentia.

Adoranda B. V. & procidendum ante eam.

4. Hic porrò Virginis cultus, atque adoratio qualis esse debeat, breviter videamus. Angelicus Doctor cum universa Theologorum Schola triplicem cultum distinguere consueverunt 2. 2. q. 103. & 3. p. q. 25. Primus est cultus Latriæ, *qui soli Divinæ debetur Majestati, ut mundi universi*, inquit S. Doctor, *rerumq; in eo contentarum Creatori supremoq; Domino.* Alter est cultus Duliæ, *quo homo honoratur, ut aliquam portionem Divini Dominij participat*, ut idem Sanctus asserit. Tertius denique cultus est Hyperduliæ, *quo homini maxima exhibetur reverentia, ex affinitate quam habet homo cum DEO.* Et licet Latriæ cultus, soli Deo, uti supremo hujus vniversitatis Creatori, ac Domino debeatur, nihilominus tamen, cum aliqua limitatione, dici posset, eundem illum cultum promeruisse etiam ipsam DEIparam, non quidem quatenus pura est creatura ipsis Seraphinis longè eminentior, sed quatenus est summi DEI, cœli terræque Conditoris, ac Dominatoris Parens Maxima, participans cum Incarnato Verbo in carne, & sanguine, de quo in ejus purissimis visceribus corpus Filij DEI efformatum est. Atque ita in Filium quodammodo semetipsam transformavit. Siquidem sic considerata Virgo, adoratio illa, Latriæque cultus in solum Deum, cujus ipsa est Mater dignissima, terminatur, habetque physicam realemq; relationem ad Verbum Incarnatum unicum suum, verum, realemque Filium, quemadmodum docet Svarez to. 2. in 3. Par. disp. 12. sect. 1. quia, inquit ille, DEIpara verè genuit Christum DEVM & hominem. Quæ Nativitas temporalis Christi, est vera Nativitas humana ejusdem rationis cum nativitate aliorum hominum. Hinc idem Doctor Angelicus 3. p. q. 25. ar. 5. ad 2 sapienter pronunciavit: *Honor Matris refertur ad Filium, quia ipsa Mater est propter Filium adoranda.*

Triplex cultus.

Quid cultus Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ?

Deiparæ cultus quodammodo Latriæ exhibendus, quatenus tendit in Deum, cujus ipsa est Mater.

M. habet Physicam realemq; relationē ad Filium.

B. V. propriâ actione naturali attigit fines Divinitatis Deum cōcipiendo, pariendo, lactando, &c.

5. Cajet. 2. 2. q. 103. ar. 4. ad 2. aliam hujus adorationis affert rationem, quia nimirū propriâ operatione naturali attigit fines Divinitatis, dum DEVM concepit, peperit, genuit, & proprio lacte pavit. Quare Doctor Seraphicus Ps. 57. postquam monuisset: *Iustitia & Misericordia honorate Reginam;* mox illam attexuit causam: *Ad laudem enim & gloriam pertinet Salvatoris, quicquid honorificum fuerit impensum sua Genitrici.* Idem Sanctus Pater purissimæ hujus Virginis amore castissimo succensus, Psalmo 62. exclamavit: *DEVS meus, DEVS meus, per Matrem tuam te glorificabo: Benedicat te omnis caro, glorificet te omnis lingua.* Et hoc fortasse innuisse nobis visus est Propheta Regius, qui ubi monuisset: *Adorate scabellum pedum ejus;* mox causam hujusce subjunxit adorationis: *Quoniam sanctum est.* Sanctum verè Virgineum hoc scabellum pedûm Christi fuit, quia unione hypostaticâ (quæ gratia omnium gratiarum maxima, & sanctitas excellentissima, à Theologis appellatur) in ejus purissimo utero Divinitas, cum Humanitate nostra ex ipsius sacrosanctis sanguinibus efformata, copulata fuit. Ob quam unionem planè Divinissimam, Mater DEI effecta est dignissima. Vnde quando Sancti Patres DEIparam adorandam esse docent; vel adorationem latè usurpant pro cultu etiam Hyperduliæ, vel certè volunt adorationem illam tendere immediatè in Virginem, non quatenus est creatura, sed quatenus est Mater ipsius DEI, ipsum DEVM attingens. Sicut enim, ajūt Theologi, Crux & clavi Christi, cultu Latriæ adorantur, quia Christum contigerunt, & instrumenta nostræ Redemptionis exstiterunt; ita & B. V. quæ multò perfectiùs Christum tetigit, utpotè quæ cum illo in carne & sanguine communicavit, & ad nostram Redemptionem mirificè fuit cooperata. Atq; ita adoratio hæc nullo modo in creaturam, sed in ipsum Christum terminatur Dominatorem, Conditoremq; universi, ita ut tota hujus adorationis ratio sit

Laus B. V. redundat in Filium.

B. V. Scabellum sanctum ob sanctitatem vnionis hypostaticæ ejus in utero factæ cum Divina Persona.

Crux & clavis Christi cultu latriæ honorantur, quia attigerunt corpus Christi, ergo multò magis B. V. quæ illū utero gestavit.

Christus, ut docet S.Thomas q.q. 25.,& cum illo sat perspicuè Cajetanus.

Et licet cũ restrictione,& ratione quâdam extrinseca cultu Latriæ adoranda dici possit Deipara Virgo, tutius nihilominus in praxi seu in usu, ac publica Ecclesiæ adoratione, cultu Hyperduliæ adorandam censent Theologicum Suario tom. 2. in 3 p. Disputatione 22. sect. 2. propter homines simpliciores, qui hujusmodi distinctiones penetrare nequeunt.

B. V. cultu Hyperduliæ honoranda, quia est Mater Dei, & quia Mundi Regina.

6. Rationes porrò quæ ad excellentiorem hunc cultum Deiparæ exhibendum nos permovere debent duæ sunt potissimum; sublimis nempè dignitas Divinæ Maternitatis, & ipsius Regia in universas mundi creaturas potestas ac Dominium. Primam illam rationem affert D. Thomas 2. 2. q. 103. a. 4. ad 2. ubi de cultu Hyperduliæ Deiparæ deferendo pertractans, hanc subnectit causam: *Maxima enim reverentia debetur homini, ex affinitate, quam habet ad DEVM.* Quam Doctrinam Card. Cajetanus interpretans, ait Deiparam affinitatem habere cum Christo, quâ Devs est: Cōsanguinitatem verò cum eodem, quâ homo est, eò quod corpus ipsius, ope Spiritus S. in utero thalami Virginalis ex purissimis ejus sanguinibus, ut Sanctus Damascenus loquitur, sit formatum, eique in carne ac sanguine communicaverit. Agnovit S. Ioannes Damascenus Orat. 2. de Assumptione B. V. ob hanc carnis cum Christo unionem cultum Hyperduliæ Deiparæ esse deferendum, cùm dixit: *Oportet DEI Matrem ea quæ Filij erant possidere, atq; ab omnibus rebus conditis, ut DEI Matrem & Ancillam adorari. Quanquam enim semper ita comparatum est, ut hæreditas à Parentibus ad filios devolvatur, nunc tamen, ut eruditi cujusdam Viri verbis utar, sursum sacrorum fluminum fontes fluunt. Etenim Filius Matri creaturas omnes in servitutem addixit.* Hæc Damasc.

B. V. affinis Christo qua Deus, Cōsanguinea, qua homo.

B. V. adoranda, quia ipsi Filius omnia subjecit.

Agnovit eundem cultum titulo Maternitatis exhibendum S. Germanus Constantinop. Patriarcha Epist. ad Ioannem Synna. *Quoniam DEVM invisibilem,* inquit, *& omnia manu suâ continentem ultra omnem & hominum & Angelorum existimationem, in ventre suo concepit, & ex se incarnatum genuit, iccircò eam ut verè, & propriè DEI Matrem veneramur, & magnificamus, & quâvis visibili, atq; invisibili creaturâ superiorem reputamus. Hoc enim donum* (Deiparam intelligit serm. de Præsent. B. V.) *nullo potest honore, ut par, est affici.*

Agnovit & S. Gregorius Nazianz. in Trag. de Christo patiente, cùm Virginem est affatus: *Preces*

Admitte Virgo ò inclyta, hic quando tibi
Verbi Parenti, sed supra modum tamen
Legemque solus inter omnes contigit
Honor.

7. Quid dicã de Ioanne Cantacuzeno Imperatore Orientis, postea Monacho Basiliano, qui contra Mahometanos Apol. 9. disceptans: *Credimus,* inquit, *& confitemur, quod Maria similis homo nec natus sit, nec posthac ex viro & muliere nasciturus usq; ad consummationem sæculi. Et secundùm humanam quidem Naturam eam Angelis, inferiorem esse judicamus tanquam hominem; honore autem & sanctimonia ipsam omnibus Angelis indubiè præferimus, eò quod Verbum, & Filium DEI secundùm carnem peperit, omnesq; nos illam Advocatam & Auxiliatricem agnoscimus: orat, & intercedit indesinenter pro peccatoribus. Miracula edit, & operatur admiratione & stupore digna.*

M. similis homo purus, nec natus, nec nascetur unquam.

Quid de Divo Bonaventura dicam? qui in 3. D. 9. q. 3. Mariæ Nomen eminentissimum esse deprædicans, utpote, quo puræ creaturæ sublimiùs dari non possit, docet ideò non solùm Duliæ, sed & Hyperduliæ cultum ipsi exhibendum. *Hoc enim Nomen DEI Matris, tanta,* ait, *esse dignitatis, ut non modò illud viatores, sed & comprehensores, non solùm homines, verùm etiam Angeli speciali quadam prærogativa venerentur.*

Nomen B. V. speciali prærogativa venerandũ.

8. Et verò si veteris testamenti Arca illa fœderis tanto in honore ac reverentia est habita, quod tabulas legis, Manna, frondentemque Aaronis Virgam contineret, ut ei velum quoddam pulcherrimum in reverentiæ signum prætenderetur; multò sanè potiori jure omni honore, ac veneratione prosequenda erit hæc nostra animata Arca, quam Spiritus Sanctus obumbratione suâ, velut pretiosissimo quodam velo protexit, in qua ipse Legislator, ipse cœlestis Panis Angelorum Iesvs continetur. Audiendus hic Sanctus Methodius Martyr, Olympi & Tyri Episcopus, qui hoc idem pertractans argumentum, sic Virginem alloquens, ratiocinatur. Homil: de Purif: B. V. *Si Arca, quæ sanctitatis tuæ Imaginem tantum in se gerebat, tantus à DEO honos habitus est, ut nemini nisi soli Sacerdotali dignitati ad illa, quæ intus recondita erant cognoscenda ingressus concederetur, velo quod eidem*

M. Arca cui in signum venerationis Velũ oppandebatur, majori veneratione digna.

dem obtendebatur, tanquam Regina cujuspiam vestibulum distinguente & custodiente; quis tandem, & qualis venerationis cultus à nobis, qui minimi sumus, tibi debetur, tibi, inquam, quæ verè Regina es, quæ verè DEI Legislatoris animata Arca, quæ verè capax cœlum ad DEVM, qui nusquam capi potest, recipiendum facta?

9. Quid mirum porrò nobis videri debet, quod Virgini cultus hic super omnium Sanctorum venerationem excellentissimus exhibeatur, cum ipsa & ampliori gratiâ, utpotè gratiâ plenâ, & copiosiore gloriâ super omnes & justorum, & Angelorum ordines exaltata peculiarem quandam Hierarchiam, ad quam nulla sub DEO creatura poterit attingere, per se solam constituat, adeò, ut ejus thronus juxta dilectissimi Filij sui thronum in cœlis collocetur? Qua de re præclarè Sanctus Bernardinus Senensis Tom. 1. Sermone 61. capite 8. inter reliquas DEIparæ innumeras, quintam hanc numerans, excellentiam pronunciavit: *Secundùm Dionysium in Regno cœlorum omnia inferiorum dona in superioribus, tantâ praexcellentiâ insunt, vt nulla quasi sit comparatio, nisi sicut circumferentia ad suum centrum. Cùm ergo Beata Virgo super omnem ordinem sit in tantum, vt per se faciat ordinem incommunicabilem, sequitur quod super omnes inferiores ordines tam Angelorum, quàm hominum simul sumptorum ipsa improportionaliter est prælata; quicquid est gloriæ in omni inferiori glorificata Natura tam Angelica, quàm humana, multò praexcellentiùs est in Virgine DEI Matre. Superaddendum quoq; est, quod nullus inter puras creaturas ordo in cœlis tantùm superat ordinem immediatè sibi conjunctum, quantùm gloria Matris DEI superat omne, quod inferius est. Quod in gradibus apparet Ecclesiasticis, quicquid enim possunt ordines inferiores, possunt & superiores, & incomparabiliter ampliùs, vt in Sacerdotibus, Episcopis, & summis Pontificibus videre licet. In corporibus quoq; Vniversi idem elucescit: Omnia enim superiora, inferiora omnia continent, & inæstimabiliter ampliùs: Idem in gradibus gloriæ infinita DEI Sapientia ordinavit.* Hanc ob causam idem Sanctus Pater DEIparam *DEI Magnificentiam* appellavit, de qua canebat David: *Quoniam elevata est Magnificentia tua super cœlos.* Cùm ergo DEI Mater sit ita à DEO magnificata, ut super cœlos, id est, ut idem Bernardinus interpretatur, super Angelos exaltata, quid mirum si ei excellentissimus atque eminentissimus cultus Hyperduliæ ab omni Ecclesia deferatur? Si deniq; summæ atque eminentissimæ dignitati, qualis est Divina Maternitas, summus ac præstantissimus honor exhiberi consuevit, quis ambigat cultum hunc Hyperduliæ DEIparæ deferendum esse?

B. V. per se Hierarchiam sup omnes Angelos constituit.

Quicquid gloriæ est in quocũque inferiori ordine, est etiã in B. V.

B. V. DEI Magnificentia.

B. V. adeò est magni facta à Deo, ut super omnes Angelos fuerit exaltata.

10. Quanta porrò Divinæ Maternitatis sit dignitas, audiamus Seraphicum jam sæpiùs memoratum Bernardinum ibid. c. 4. *Prima dignitas seu excellentia*, inquit ille, *Virginis gloriosæ, quæ ejus gloriam magnam ostendit, Maternitas est; Maxima nempè excellentia est, quod Virgo Beata sit Mater DEI; Majus est enim quod ipsa sit Mater DEI, quàm quod sit Domina creaturarum DEI. Hoc enim dependet ab eo, sicut ramus à sua radice. Ergo certò tenendum est, quod ipsa sit super omnes Angelorum ordines, tamquam per se implens, & continens unum integrum totalemq; statum, cui secundùm rectam rationem altera persona addi minimè possit, quia ipse status ex sui ratione propter incommunicabilem dignitatem exigit hujusmodi unitatem. Sicut enim nullatenus decet plures esse Christos, nec DEVM plures homines esse: sic nullomodo decet DEI Filium nisi unam Matrem naturalem habere.* Hæc Bern.

Ideò cultu Hyperduliæ sup omnes Angelos ac Sanctos honorãda.

Divinæ Maternitatis quãta dignitas?

B. V. per se constituit unum statum pfectissimũ, cui alius addi non potest.

11. Dignitatem hanc eminentissimam DEIparæ, in Verbo visione beatifica agnoscentes Angeli, in ipsis ferè suæ creationis initijs, eam, ut Matrem DEI supplices venerati sunt primi. Cùm enim Incarnationem Verbi ad genus humanum redimendum olim, ubi venisset plenitudo temporis futuram intelligerent, consequenter Matrem ejusdem, de cujus sanguinibus corpus illud sacratissimum efformandum erat, clarè cognovisse oportebat. Beatissimæ enim hujus Virginis cognitio multum ad eorum statum pertinebat, cum ipsa perpetuò futura esset eorum Domina ac Regina. Præclarè enim docet Suarius Tom. 2. in 3. P. Disp. 22. incredibile esse tam perfectum DEI opus, quale est Beata Virgo, non videri ab aliquo Beato in Verbo. Quod si visa fuit & cognita à Sanctis Angelis, fuit sine dubio & adorata, cùm non aliter cognosci potuerit, quàm Mater DEI, & universorum Dominatrix, atque adeò adoratione dignissima. Vnde nonnulli superbia fastuque elati, unionem hypostaticam, ut nonnullorum Theologorum fert opinio, ambientes, indignèque ferentes, quod

B. V. Angeli in Verbo initio suæ creationis agnoverunt, & adorãrunt.

B. V. cognita in Verbo, ut Mater Dei ab Angelis, est adorata.

quod creatura aliqua inferioris ordinis, qualis est homo, ipsis anteferretur, contra summam Majestatem in seditionem versi, rebellantesq; , rudentibus Inferni, de cœlis detracti in barathrū traditi sunt cruciandi, ut ait Apostolorum Princeps.

B.V. Soliū Deo vicinissimum coronatū.

12. Veritatem hanc S. Brigittæ in suo serm. Ang. cap. 4. patefecit Angelus, dum ait in DEO velut benedicto speculo vidisse Angelos sedem quandam, gloriâ ac veneratione plenissimam, juxta ipsam Divinam Majestatem collocatam, adeòque propinquam, ut nulla propinquior intercedere ullo modo posset. Vidisse insuper Coronam sedi impositam tantæ pulchritudinis, tantæ dignitatis, ut nulla Majestas nisi solius DEI eam potuisset excellere; gavisos proinde summoperè de tam nobilis ac excellentis creaturæ conditione, eamque amasse antequam adhuc esset condita magis quàm seipsos, quod ab ipsa Divina Bonitate illam magis diligi, deque ea summoperè gratulari cernerent. Vnde idem Revelator Angelus Virginem alloquens pientissimè, conclusit: *Et sic tu ò Virgo Sanctissima, Angelis mox ut creati fuerunt gaudium fuisti, quæ ipsi DEO sine principio summa delectatio extitisti. Et sic verè DEVS cum Angelis, & Angeli cum DEO, de te ò Virgo creaturarum omnium dignissima, antequam crear eris, intimè congaudebant.* Quod si de ipsius gloria tantopere gavisi sunt Angeli, absque dubio, dignitatem quoq; ipsius agnoscentes, illam cultu præcipuo adorârunt. Quam adorationem, luce Scripturarum sacrarum Divinitus illustratus Sanctus Epiphanius lib. de laud. Virginis conspexit, cùm de ea loquens: *De qua*, inquit, *per Scripturas in cœlos incumbo, & conspicio illam ab Angelis adorari: Hinc Gabriël prius salutat Virginem, Ave gratia plena, quæ es splendidum cœlum; Ave gratia plena, quæ habes radium de cœlo lucidis facibus coruscantem, utpotè Solem Christum.*

Angeli dilexêre B. V. magis quàm seipsos.

13. Verùm omnibus luculentiùs hanc gloriosissimæ DEiparæ in cœlis non modo à Sanctis Angelis, verùm etiam ab alijs Beatorum triumphantium ordinibus factam adorationem, suis illis Aquilinis oculis contemplatus est D. Ioannes Apostolus Apoc. cap. 4. v. 10. dum ait: *Cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super Thronum viventi in sæcula sæculorum, procidebant 24. Seniores ante sedentem in Throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum, & mittebant Coronas suas ante Thronum.* Quid enim Thronus hic denotabat aliud, quàm Sacratissimam Virginem nostram, in cujus purissimo utero DEI Filius caro factus, velut in Regali eburneoque Solio, ad instar veri Salomonis humanum genus judicaturus in misericordia, idemque redempturus, magnificentissimè consedit. Vnde Sancti illi Seniores universam Iustorum Ecclesiam repræsentantes, agnoscentesque DEI Matrem animatum illum Divinæ Majestatis Thronum, eorum redemptioni cooperatam, suoque patrocinio, ac precibus, ad eorū immortalem gloriam, Coronasque contulisse plurimum, tanti beneficij memores, suas Coronas ante illam, velut earum Auctricem humillimè prosternebant, eamque maximâ veneratione adorabant. Quod nobis clariùs de universa cœlesti Curia idem patefacit Apostolus Apoc. cap. 7. v. 11. qui postquam omnes Beatorum recensuisset ordines, mox hæc attexuit: *Et omnes Angeli stabant in circuitu Throni, & Seniorum, & quatuor Animalium, & ceciderunt in conspectu Throni in facies suas, & adoraverunt DEVM.* quasi Abrahamum imitari voluissent, qui uti dixi, cecidit & ipse in faciem suam Terram Virgineā hanc adoraturus.

Angeli & Seniores 24. adorant B. V. in cœlis.

Adoratio Throni, est adoratio Deiparæ.

B.V. cooperata ad nostram redemptionem & gloriam

Cur Seniores 24. Coronas suas ante Thronum mittebāt?

14. Simili ferè adoratione usus fuisse fertur Archangelus, quando æterni Verbi cum Virgine castissimas annunciavit Nuptias. Scribit enim Pater noster Antonius de Balinghen in suo Kalend. DEiparæ die 15. Mart. n. 2. à cœlesti illo Paranympho flexis genibus salutatam DEiparam. Quin etiam toto legationis tempore sub ea forma venerantem perstitisse; quod (secundùm monimenta Congregationis S. Georgij in Alga in Lusitania, uti ipsius fundatoribus ab ipsa Virgine revelatum fuit) novem integrarum omninò horarum fuit spatium; itaque in cubiculo illo sacratissimo hæsisse, ac si ob incredibilem Virginis modestiam, & Majestatem, humanâ majorem, Incarnatique Verbi universorum Dominatoris præsentiam, sese tantopere in utero illo Virgunculæ coarctantis, in admirationem raptus, abscedere nequiret. Quod ejusdem DEiparæ nobis indicare visus est Secretarius, verbis illis: *Et discessit ab ea Angelus.*

B.V. salutavit Gabriel flexis genibus.

Gabriël 9. horis post legationē factam apud B. V. mansit.

Gabriël quasi avelli non poterat à contemplanda sanctitate & majestate B. V.

gelus. Videtur enim significare nobis velle, cœlestem illum spiritum tantarum rerum novitate ac magnitudine adeò hæsisse attonitum, ut avelli à Virginis Deificatæ quodammodo conspectu nequiret, donec tandem re exigente, quasi tamen invitus, à loco discessit.

B. V. Majestatem venerata est S. Elisabeth.

15. Virgineam hanc propè Divinam venerata est Majestatem, ac Maternitatem S. Elisabeth, quando eam conspicata, exclamavit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus Fructus ventris tui: & unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Quæ verba attētiùs librans Seraph. Doctor Bonavent. in Spec: cap. 8. quæsivit, admirans: *Mater Domini? Mater, & Virgo, Mater dignissima? Ipsa est Mater, quæ tali Filio est decentissima, ipsa est Mater, cui talis Filius decentissimus fuit. Ipsa est, qua DEUS majorem facere non potest: Majorem mundum potest facere DEUS, majus cœlum potest facere DEUS, majorem Matrem, quàm Matrem DEI, non potest facere DEUS. Unde Bernar. Nec enim decebat DEUM alia Mater, quam Virgo; nec Virginem alius Filius, quàm DEUS, quia nec major, inter Matres, nec major inter Filios nasci potuit. Hæc itaq; Mater est flos Misericordiæ, Mater Solis Iustitiæ, Mater Fontis Sapientiæ, Mater gloriosi Regis Gloriæ.*

Divina Maternitas summa dignitas.

Hæc Bonavent. Quibus sanè verbis apertè indicat Virginem nostram Sacratissimam ob eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem summo post DEUM cultu honoreque venerandam esse. Eandem excellentissimam dignitatem Matris summâ veneratione prosequendam esse agnoscens Sanctissimus Præcursor Ioannes adhuc utero Materno delitescens, saltu planè insolito, atq; inaudito venerabundus contestatus est. Gaudium enim illud, quod agnito Salvatore ejusque Matre Sanctissimâ persensit Ioannes, adeò in ejus voluntate vehemens fuit, ut redundaret in corpus quemadmodum Dionys. Carthus. asserit, infantemque, usu rationis accelerato, lætitiâ gestire atque exilire & ad Matrem cum Filio adorandam compulerit. Cùm enim constet fœtum in utero ad dorsum Matris faciem obvertere, ut scribit Aristoteles lib. 9. de Animalibus, sine dubio, mox ut parvulus adesse Sanctissimam agnovit Virginem, converso ad ipsam vultu, exultatione illâ suâ sese inclinans, humillimè eandem cum Prole veneratus est.

Ioannes Bapt. exultans in utero B. V. adoravit.

Quis situs Infantis in utero Matris sit?

16. Quid jam ipsos memorem Gentiles, qui licet omni fidei destituti essent lumine, Deiparæ tamen, nescio qua Naturæ impulsi vi, Divinos honores decrevère? ad confusionem Novatorum miserabilium temporum horum, qui tantum abest, ut Virginem gloriosissimam cultu Hyperduliæ venerentur, quin potiùs convitijs atrocibusque blasphemijs per summum nefas, proscindunt. Tales fuère Druidæ, qui pluribus ante Christum natum sæculis, aram illi Carnuti in Gallia, epigraphe illa insignitam erexère: VIRGINI PARITURÆ. Ubi modo sumptuosissimam ejusdem Virginis honori, & gloriæ dedicatam videre est Basilicam plurimorum Principum, ac Regum, fideliumque populorum locupletatam donarijs; quæ omnia sanè gloriosissimæ Deiparæ nostræ Divinam quandam omni reverentia, honoreque dignissimam contestari videntur Majestatem.

Druidæ gentiles Virgini pariture Aram posuére.

Quid hic memoremus Ægyptios? qui Hieremiæ Prophetæ, quondam exulantis, edocti Magisterio, Virginem, Infantemque in præsepio adorare consueverunt, ut testatus est Divus Epiphanius in vita ejusdem Prophetæ.

Ægyptij Virginem cum Infāte in præsepio adorabant.

17. Neque hoc loco silentio prætereundum est illustre hoc nostro sæculo perpetratum facinus à Rege Monomotapæ in Æthiopia, ad quem cùm noster Pater Consalvus Sylveria, Cultor Virginis eximius esset profectus, ut barbaram illam Cafrorum gentem à profano Idolorum cultu abstractam, ad Christum converteret, in mapali suo Iconem Deiparæ elegantissimam in ara ad quam quotidie sacrificare consueverat, asservabat. Vidit hanc ex proceribus nonnemo, simulque mox ad ipsum Regem retulit, Lusitanum Sacerdotem venustissimam domi habere Puellam. Nec mora, mittit Rex qui Consalvo nuntiet, ut Conjugem, quam secum duxit ad se mittat. Errorem facilè intellexit Pater, & occasione hac usus perlibenter, auspice Dei Matre, Evangelium prædicandi, tabulam, preciosâ veste obvelatam ad Regem detulit. Ibi pauca de unico ac summo Universi Conditore, de ejus unico Filio humanato Rege Regum, Domino Dominantium, deque ejus Matre præfatus, ait, se illi veram ipsius effigiem ostensurum, simulque submoto velo, eam spectandam Regi offert.

Regis Monomotapę in B. V. pius affectus.

Consalvus coram Icone B. V. sacrificabat in suo mapali.

Rex Monomotapæ B. V. adorat.

fert. Rex eam prostratus veneratur, summo Consalvi gaudio. Inde attentiùs eam contemplatus, cùm esset, adeò suavis Virginis aspectus, barbarum ejus emollivit animum, ut instanter sibi eam Iconem donari postulârit. Annuit pientissimæ Regis petitioni Consalvus, in cubiculumque Regium preciosissimis auleis, ac peristromatis in modum sacelli exornatum, manibus proprijs intulit. Adorationem illam abundè Regi compensavit Deipara, nam in ea, quam tabula ipsa, referebat specie, maximâ circumfusa luce, semisopito Regi se spectandam offerre, eumque alloqui, ignota quâdam lingua non est dedignata; quod non mediocri dolore affecit Regem. Verùm ubi didicisset à Consalvo, linguam illam esse Divinam, quam nemini nisi baptismi undis abluto fas esset intelligere; Rex tandem cum Matre, hujus Stellæ maris copiosâ luce irradiati, Christianis sacris initiari ac baptizari voluerunt. Quid tandem magnum illum Regem Mogor memorem? qui cùm Anno 1590. adhuc Ethnicus à P. Rudolpho Aquaviva Societatis nostræ, Deiparæ Imaginem dono accepisset, die ipso in cœlos Assumptæ Virginis superbum, excelsumque Thronum erigi curavit, in quo Iconem illam collocavit, Principibusque suis universis, aulicis, ac belli Ducibus præcepit, ut eam venerarentur, & simul oscularentur. Idque præstitêre omnes, ipso Regis Filio exemplo suo prælucente, & Rege diligenter observante, quinam in adoranda Virgine fuissent promptiores, quos ille omnes amplissimo honore, equites creando, decoravit.

Rex Mogor mandat adorari ab omnibus Dei Matrem.

Idem Rex qui promptiùs B.V. adorarunt Equites creavit.

18. Innumera recensere possemus tam virorum quàm fœminarum sanctimoniæ fama illustrium exempla, qui singulari pietatis sensu Dei Matrem venerantes adorantesque quamplurimis cœli donis locupletati sunt. Atque ut notissima illa B. Margaretæ Regis Filiæ, B. Mariæ Oegnicensis, aliaque sexcenta prætermittam exempla, occurrit B. Franciscus Senensis Ordinis Servorum Beatæ Virginis illustre Sydus. Hic ut habetur in ipsorum Chronicis, jam inde à primis incunabulis, clarissima suæ in Deiparam pietatis, ac venerationis dedit indicia, siquidem vix sacro fonte ablutus, præter omnem naturæ ordinem, cum spectantium stupore, exultare, lætitia gestire cæpit, mox ad Divæ Virginis effigiem, velut acus magnetica ad suam Cynosuram conversus, in eam magno cum gaudio, arridenti vultu defixit obtutum. Tantô denique totius suæ vitæ decursu eam prosecutus est amore, ac veneratione, ut per diem, quingentis vicibus eam salutaret; cujus obsequij eam consecutus fuisse visus est mercedem, ut ex jam demortui ore, pulcherrimum pullularet lilium, quo sine dubio ejus Virginea, cordis, oris, totiusque corporis puritas, quam tam sedulâ Dei Matris indeptus erat veneratione, fuit designata. Quid D. Bernardum commemorem? qui cùm aliquando more sibi consueto piè, & filiali quadam confidentia Imaginem salutasset Virginis, ei dicendo: *Salve Maria.* Respondit ipsi intelligibili, & amicâ voce: *Salve Bernarde.* Imago hæc in hodiernum usque diem visitur Afflighemij in Brabantia in cœnobio Divi Benedicti. Idem in Templo Divæ Virginis Spirensi, cùm Chorus Salve Regina concineret, ad illa verba: *O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria,* ter magno pietatis sensu submisit genua. Tum propius venerabundus accedens ad Virginem, uberrimum suæ adorationis percepit fructum. Labia enim illa, quibus piè Dei veneratus est Parentem, purissimo in primis suo lacte Virgo irrorare dignata est. Tum tribus æreis laminis, quibus ea insculpta sunt verba, in pavimento Templi, tantæ pietatis æternum, æreque perennius celebratum est monimentum.

B. Francisci Senensis Servitæ affectus in B. V.

Infans cũ gaudio aspicit M. effigiem.

S. Bernardum Imago B. V. salutavit.

B.V. labia S. Bern. lacte suo aspersit.

19. Pari devotione sanctissimam nostram prosecuta est Virginem Virgo illa Senensis Catharina, quæ quinque annos nata, paternæ Domus ascendendo, ac descendendo gradûs, ad singulos, Divinitus edocta, Dei Matrem flexis genibus, Angelorum adjuta ministerio, ita ut plantis eos minimè tangeret, salutabat. Pulcherrimam hanc adorandæ Deiparæ rationem Beatus Aloysius Gõzaga Castilionensis Marchio è Societate nostra à teneris annis ab hac Christi Sponsa didicisse visus est. Siquidem & is gradûs ascendendo pari pietate, Angelicâq; innocentiâ, Salutationem Angelicam Virgini dicere erat solitus.

S. Catharina Senẽ. flexis genibus B.V. ad singulos gradûs salutabat.

B. Aloysij Gonzagæ in B.V. devotio.

20. Illud porrò nos meritò in summam rapere debet admirationem, quod ipsa bruta animalia, omni ratione destituta

Animalia B. V. adorant.

tuta

tutâ Dei Matri honorem ac venerationem deferre consueverint. Memorat P. Anton. de Balinghen in Kalend. Deip. 30. Maij ante quandam B. V. Iconem in Arbore collocatam oves quotidie venerabundas submisisse genua. Huic Imagini postea Baldvinus cognominatus Pulchrobarbus, cùm à sanguinis profluvio esset liberatus, Sacellum ædificavit.

Apes B.V. Imaginem honorant.

21. Apes ipsæ Virginitatis perillustre Symbolum Virginem nostram purissimam totius Divinæ dulcedinis Matrem piè venerari visæ sunt, dum circa ejus Imaginem in medio cujusdam quercus mellificârunt, facto ipso Deiparam fontem totius esse dulcedinis, ipsamque Dulcedinem attestantes; Siquidem ipsa fatente Spiritus ejus super mel dulcis est, & hæreditas super mel & favum. Hanc tandem Divinâ revelatione repertam idem Autor 1. Iulij n. 2. mirum emisisse splendorem scribit, ad eamque maxima facta fuisse prodigia, populorumque ingentes concursus. Quare eo in loco ad tantæ rei memoriã Alphonsus Castellæ Rex Templum Deiparæ cum Monasterio D. Benedicti ædificavit. Erubescant fidei Catholicæ perduelles, nostræ tempestatis sceleratissimi Iconomachi, tam impiè in Imagines Statuasque Virginis, Sanctorumq; per summum nefas debacchantes, discant vel ab animalibus rationis expertibus, impijssimi Religionis Catholicæ desertores pietatem, desinantque omnia æquè Divina, atque humana jura violare. Meminerint quantô honore atq; veneratione veteres suos prosecuti sunt Imperatores ac Cæsares, quos etiam Divos appellare non dubitant. Procopius sanè in Historia arcana lib. 11. hæc memoriæ prodidit: Senatoribus olim Imperatores adeuntibus, ita libebat salutare; quisque Ordinis patricij ad dexteram mammam Cæsarem venerabatur; illumque recedentem, osculo Cæsar impertiebat in capite; reliqui ad unum omnes dextro subnixi genu, discedebant. At Augustæ nullus adorandæ mos fuit. Ad quæ postrema verba sapienter ac piè attexuit doctissimus simul ac Religiosissimus Novarinus in Vmbra Virg. Excur. 150. *Non ita in Virgine fit, quæ summi Imperatoris & Mater, & Sponsa est. Singulari quippe ritu adorari debet, & coli: Salutari ab omnibus debet, quæ salutem omnium parturivit;* Simulque saluti nostræ, unicum illum suum, dilectissimumque educando, æternoque Patri pro nobis offerendo Filium, adlaboravit. Quare salubre illud monitum Apostoli Rom. 16. v. 6. nobis putemus esse dictum: *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis.* Si enim Maria illa Civis Romana salutanda erat, quod *impensius laborasset,* uti inquit Lyranus, *quia discordiam exortam inter Iudæos ac Græcos, vt communi consuleret paci, detulit ad Apostolum; vel certè quia,* ut ait Haymo, *officium prædicationis fœminis sui sexus per domos; (siquidem in Ecclesia non licebat) impendit:* Quantò magis salutanda, ac omni veneratione colenda erit MARIA nostra, DEI Mater dignissima, quæ assiduè peccatores cum DEO discordes reconciliat, suisque precibus patrociniisque pacificat, quæ vitâ suâ denique, verâ omnium Christianorum disciplinâ, illustrissimoque sanctitatis omnis exemplo, ita Ecclesiam universam ædificat, ut ei velut Christianæ Religionis Magistra assiduè officium prædicationis impendere videatur? Ob hæc tam præclara in genus humanum merita, aliaque innumera, aptè pronunciavit Andreas Hierosol. Antistes Orat. de Annunc. B. V. *Beatam illam omnes generationes prædicant, Reges glorificant, Potentatûs adorant, cujus in conspectu ditissimi ex populo dona litant, quam & à tergo sequentes, & præeuntes Virgines in Regis templum comitantur.*

M. Spiritus super mel dulcis.

Alphonsus Rex ubi apes mellificarunt, Templum B. V. erexit.

Cæsarum salutandorum mos.

Augustæ Cælorum Reginæ honor deferendus.

Cur M.V. salutanda?

B.V. multò magis salutanda ac colenda quam Maria Romana, quia discordes ac Deo rebelles reconciliavit.

Reges & Potentatûs Mundi Mariam adorant.

22. Sed quid mirum Virginem ab Angelis omnibusque gentibus etiam infidelibus fuisse adoratam, summaque in veneratione habitam cùm ipse DEVS, honoris hujus, quasi debitorem semetipsum voluerit constituere, dum ex ea carnem sumere, eamque sibi in Matrem, quæ ex Divino præcepto honoranda est, dilectissimam deligere proposuit. De qua dignitate ipsi gratulatus est Virgini Methodius Martyr gloriosissimus Orat. in Hypap. *Tu DEO alioquin nullius rei indigo, carnem, quam non habebat, mutuata es, ut nimirum hac ratione Omnipotens, id quod esse dignatus est, homo videlicet verè appareret. Quid hoc illustrius, quid sublimius? qui cœlum & terram implet, cujus præterea sunt omnia quæcumq; moventur, atq; subsistunt, is tui factus est indigus. Tu enim admirabilem Incarnationem quam aliquando non habuit, Deo mutuo dedisti. Euge, Euge Mater DEI & Ancilla. Euge, euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur, DEO enim universi debemus, tibi autem etiam ille debet.*

B. V. carnem Deo mutuata est.

B. V. Deus debitor

Deus honorando Matrem, seruat suum præceptum.

Preinde qui dixit: Honora Matrem tuam, ut is decretum à se promulgatum observaret, atq; alios excederet, omnem Matri gratiam atque honorem impendit. Quæ porrò omnis hæc gratia sit, S. Epiphanius Orat. de laudib. B.V. eam insinuasse visus est, dum quæsivit? *Quomodo Virgo invenitur esse cœlestis Sponsa, & Mater? quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum sanctum accepit, dotis verò gratia, cœlum & Paradisum.* Atque ita Regina universi totius constituta est.

Maximus honor ac veneratio à Deo impensa & B. V. cùm homo factus est.

23. Honor hic porrò ac veneratio Matri tum vel maximè à Filio impensa mihi fuisse videtur, cùm Altissimus Dei Filius de Throno Divinitatis in terras descendens, factus homo, sese angustijs uteri Virginalis submisit, ac constrinxit, ad instar Sancti illius Prophetæ, Filium viduæ ad vitam revocantis. Quo facto Gigas ille maximus, ac fortissimus, qui, quemadmodum loquitur Salomon: *Stans in terra, altitudine suâ attingebat cœlum*, in uterum Virginis ingrediendo, quid aliud quàm profundissimam venerationem, adorationemque Matri sanctissimæ exhibuisse visus est? Audite Richardum à S. Laur. lib. 2. de laud. V. qui postquam docuisset quânam ratione Deipara veneranda sit: *Debemus*, inquiens, *ei capite, & vultu adorationem, demissionem, & inclinationem, quia ipsa cum Filio apud Isaiam videtur dicere: Veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea. Videtur etiam de ipsa dicere Filio servus ejus: Adorabo ad Templum sanctum tuum;* Mox subtexuit: *Videtur ei Filius promittere: Vultu in terram demisso adorabunt te. Siquidem ex quo ad illam inclinati sunt cœli, & Rex cœlestis ad illam descendit humiliatus, quod innuebat Angelus dicens: Dominus tecum; benè debemus nos miseri, visa ejus imagine, vel audito ejus nomine inclinari ad eam. Ipsam enim adorantes, Filium ejus adoramus, in ipsa, & cum ipsa. Unde Psalmista: Adorate Dominum in Aula sancta ejus. Aula Domini, imò Regale ejus Palatium, Beata Virgo est. Debemus etiam ejus Imaginibus inclinari transeuntes ante eas, intendentes adorare eam, in Throno sedentem ad dexteram Filij, quia reverentia imaginis ad exemplar transit ipsius imaginis. Ipsa enim est Porta illa Ezech. 46. ad cujus ostium populus terræ adorat in Sabbathis: Sabbathum siquidem dies est B. V. specialis.* Ibidem partic. 4. docet Richard. ante ejus Altaria, ac Imagines, ad ejus recitationem Nominis genua esse flectenda; *quia ipsa dicit cum Filio. Mihi curvabitur omne genu.* Isa. 45.

Incarnatus Dei Filius Matri se quodammodo inclinavit

Imago B. V. colenda ac veneranda.

Cultus & honor Matris redundat in Filium.

24. Ab eodem Dei Filio Matrem adoratam in sua ad cœlos assumptione colligit D. Bern. Sen. to. 3. ser. 11. ar. 2. c. 2. ex veneratione à Salomone Bethsabee exhibita, de qua Sacræ literæ 3. Reg. 2. v. 19. *Surrexit Rex Salomon in occursum Matri, & adoravit eam.* Postquam enim dixisset, filiali reverentiâ summum Regem Matrem adorasse dignissimam, mox ad illum factâ apostrophe: *O bone IESV DEVS omnipotens, æterne, quid est quod mulierem adoras?* obstupefactus exclamavit; Sibique respondentem IESVM introduxit: *Volo eam meritò adorare, quia eam adoratione dignam reddunt, ratio Maternitatis, & meritum humilitatis. Fuit enim in illa Maternitas singularis, & humilitas abyssalis incomparabilis.* Et paucis interjectis: *Maria Dominum in anima magnificat, & sublimis DEVS eam, ut suam reverendissimam Matrem reverenter adorat, & ad eam honore inæstimabili corporaliter se inclinat. O stupendum prodigium, & inaudita altitudinis fastigium, ut à Muliere DEI Filius quodammodo suum esse humanum recognoscere videatur! Quid non debuit concedere Virgini, quam tantum honorare voluit? Hoc profectò honoris respectu non respiceret DEI Filius millesies mille millia Seraphin, infinitiesq; infinitos; sed nec ipsi simul omnes possent verè DEVM diligere, uti Virgo Mater Filium uteri sui.* Hæc Bern.

Salomon adoravit Matrem suam typum M.

Dei Filius à muliere suum esse humanum recognoscit.

Eandem Deiparæ adorandæ rationem, quod nimirum summi Dei Mater sit, omni honore dignissima, attulit quoque magnus ille ejusdem Matris Capellanus Ildephonsus Archiepisc: Tolet. serm. 3. de Assumptione; *Sileat insipientia carnis*, inquit ille, *& celebretur dignè cum laudibus Mater Domini, & Salvatoris nostri, tanto honore dignissima, quantum est veneranda ex gratia; quia ejus honor, & gloria, laus & gratiarum actio est Redemptoris.*

25. Neque verò solùm in Incarnatione Filius Dei Matri se inclinasse, eamque adorasse visus est, verùm etiam dum in Nazareth cum illa 30. vixit annis, eratque illi subditus, ut loquitur S. Lucas: *Descenditq; cum illis in Nazareth, & erat subditus illis.* Quam subjectionem Matrisque venerationem tam humilem, in Dei Filio jure merito mirificè Sancti Patres suspexêre ac celebravêre: Audite S. Augustinum apud Richardum lib. 4. *Hoc singulariter illa fœmina habuit, ut videret nascendi solennitate sibi subditum, quem non solùm humana, verùm etiam Angelica Natura veneratur, & adorat Altissimum.*

Christus fuit subditus Matri.

Audite

Audite S. Bernardum Hom: 1. super Missus. qui tantam Dei Filij in Matrem reverentiam obstupescens quærit: *Quis, quibus? DEUS, hominibus; DEUS, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatûs, & potestates obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantùm Mariæ, sed & Ioseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, & elige quid ampliùs mireris, sive Filij benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Vtrinq; stupor, utrinque miraculum, & quod DEUS fœminæ obtemperet, humilitas absq; exemplo, & quod DEO fœmina principetur sublimitas, sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, quod sequuntur agnum quocumq; ierit. Quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ etiam præit?*

Stupendū quod Deus obediat hominibus.

26. Subjectionem hanc ait Richardus à S. Laurentio lib. 4. in eo ostensam, quod *multoties genuflexerit Filius coram Matre, uti creditur.* Idem Vir in Deiparam pijssimus, ostendere cupiens eam eximiè à Deo fuisse honoratam, inter cætera honoris singularis testimonia addidit: *Quia à Filio DEI, & suo in Prælatam est constituta. Vnde Lucas ait: Erat subditus illis, scilicet Mariæ, & Ioseph propter Mariam.* Subjectionem hanc Filij, Matrisque debitam venerationem simul ac dignitatem, colligit idem Richardus lib. 1. c. 5. ex illis verbis Angeli; *Dominus tecum: His duobus verbis,* inquiens, *notatur Mariæ dignitas, & Dominium super Filium suum. Cùm enim de omnibus cæteris Sanctis dicatur, magnumq; sit eis esse cum Domino. Vnde Enoch dicitur ambulasse cum Domino, quod faciunt, qui ejus per omnia obediunt voluntati. Maria majus aliquid cæteris Sanctis sortita est, ut non solùm ipsa subjiceretur voluntati Domini, sed etiam Dominus voluntati ipsius, ut per hoc meritò diceretur Dominus esse cum ea. Et ideò ad interpellationem Matris distulit usq; ad 30. annos negotium, quod jam inceperat duodennis. Ideò in Canticis dicitur innixa super Dilectū suum, quasi superior esset Dilecto. Ideò in eisdem Canticis, Dilectus meus mihi, subditus scilicet est, & obtemperans atq; obediens sicuti Matri, & ego illi obtemperans & obediens sicut Filia, Patri; sicut Ancilla, Domino; sicut creatura, Creatori.* Idem ait, obedientiam hanc Filij erga se, suâ obedientiâ promeruisse Virginem. Quemadmodum enim ob suam inobedientiam Eva, ad subjectionem Mariti damnata fuit, ut meritò ei diceret Dominus Genes. 1. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui:* ita Maria ob humilitatem suam profundissimam promptissimamque obedientiam ipsi Deo quodammodo dominari merita fuit. Vnde Hugo de S. Vict. tom. 2. lib. de modo orandi c. 3. verba illa Deiparæ: *Vinum non habent;* expendens, sapienter pronunciavit. *Non dixit: Peto ut defectum poculi, vinum creando, aut commutando suppleas, sed hoc Maternæ reverentiæ privilegium deberi existimavit, ut quicquid vel innuendo se velle significaret, pati à Filio repulsam non debuisset; verùm quia miracula facere DEI est, non autem humanæ Naturæ, quam ab ea acceperat, ideò respondit Filius: Quid mihi & tibi est mulier? Maria enim à Christo non quasi Mater exigere à Filio, sed quasi mulier si necesse fuisset miraculum humiliter postulare debebat à DEO.* Hæc Hugo.

Coram Matre aliquoties Dei Filius flexit.

B. V. fuit Prælata Filij Dei.

B.V. Innixa super Dilectum, quasi superior facta Dilecto.

Ideò obedivit Dei Filius suæ SS. Matri, quia ipsa priùs eidem obedivit.

Eva subdita Viro facta est ob inobedientiam, B.V. superior facta Filio propter obedientiam.

27. Eadem illa de subjectione Christi S. Evangelistæ expendens verba Seraphicus Bernardinus Senensis to. 4. ser. 5. cap. 6. Maternam potestatem, Paternæ æquiparare voluisse Dei Filium asseverat: *Ille,* inquiens, *qui Filius DEI est, & Virginis benedictæ, volens Paterno principatui quodammodo principatum æquiparare, ut sic dicam Maternum, ipse qui DEUS erat Matri famulabatur in terra. Atq; ita sicut verum est: Divino imperio omnia famulantur & Virgo; sic quoq; verum est; Imperio Virginis omnia famulantur & DEUS.*

Potestas Materna in Christū similis fuit Paternæ.

Hanc Filij Dei hominibus factam subjectionem Gerson Cancel: Parisiens. considerans ser. de Nat: B. V. habito in Concilio Constant. admirabundus exclamavit: *O miranda, Ioseph, prorsus sublimitas tua! ò dignitas incomparabilis! Subditus est fabro is, qui fabricatus est Auroram & Solem; Subditus fœminæ textrinæ, cui flectitur omne genu, cœlestium, terrestrium, & Infernorum. Cuperem mihi verba, suppeterent ad explicandum tam altum & absconditum à sæculis mysterium, tam admirandam, venerandamq; Trinitatem IESU, Ioseph, & Mariæ.*

Christus, qui fabricatus est Auroram & Solem, fabro subditus.

Fœminæ textrinæ subditur, cui flectitur omne genu.

28. Audite Rupertum Tuitiensem Abbatem lib. 1. in Cant. qui mutua illa Sponsi Sponsæque librans encomia, Filij in Matrem singularem venerationem depræhendit. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra: Ferè,* inquit, *in omnibus Dilectam honore prævenit Dilectus, utpotè Matrem Filius. Nonnè ille cùm DEUS & homo sit, debuerat ab homine modis omnibus honore præveniri? At illa in hac disciplina principatum omnem possidebat. Hinc Apostolus cùm dixisset: Nihil per contentionem, aut inanem*

B.V. principatum habebat in Filium.

nem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum; protinus ait: Hoc sentite in vobis, quod in Christo IESV, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem DEO, sed semetipsum exinaniuit, formam servi accipiens &c. Ille namq; sicuti in cæteris, ita in consideratione mei semetipsum humiliavit, quodammodo non considerans, quod ipse esset Deus, sed considerans, quod ego essem Mater, & ipse Filius, superiorem me sibi arbitrabatur, vt & Evangelista vult intelligi, cùm dicit: Erat subditus illis. Ille veraciter in me veneratur, quod sua Mater & Virgo, ego in illo adoro, quod sit DEVS & homo. Sic Rupertus.

Christus Matrem sibi superiorem arbitrabatur.

29. Venerabilis porrò Iustus Landspergius, Carthusianæ familiæ Decus, hanc Filij Dei subjectionem obedientiamque Matri Sanctoq; Ioseph exhibitam, qualisnam fuerit, exponit, particulariaque ipsius obsequia enucleat, quæ ipse attentiùs contemplans, quasi extra se positus, amoreque Divino absorptus, exclamavit in Theorijs Theor. 35. O altitudo divitiarum Sapientiæ Dei! O profunditas judiciorum ejus! O quam investigabile consilium tuum DEVS, quod in hoc mundo, pro arbitrio tuo elegisti Parentes pauperes, qui te manuum suarum labore nutrirent, manibusque operando victui suo pariter & tuo necessaria conquirerent! Sed quibus laudibus efferam, Virum illum dignissimum Ioseph? nescio, Virum unum ex millies millibus, propterea electum, ut tibi Salvatori suo panem, manibus operando, lucraretur, qui Virgini Matri tuæ, utpote testis & custos ejus Virginitatis, tanquam Vir, & Sponsus vitæ necessaria provideret? Itaque tui parentes manibus operabantur. Sanctus quidem Ioseph nutritius Pater, & faber lignarius in sua arte, Mater verò tua texendo, nendo, ac suendo victum quærebant. Et quid tu interea ò Puer suavissime? Quid Parentibus operantibus faciebas amantissime Iesu? quid suavissime Virginis Nate agebas? Num otiosus fuisti? Non fuisti otiosus, sed utrique Parenti, quæ per ætatem licebant Puer optimus inserviendo, necessaria adferebas. Quid enim prohibet de te cogitari, quod ad honestissima quæque Matri inservieris? Puta, aquam, ligna, aliaque ejusmodi apportando vel porrigendo: aquam quoque manibus ejus infundendo, ut pietate, & compassione plenus, parentum tuorum laborem, cooperando, inserviendoque sublevares? Nec temeritatis ac superbiæ fuerit, pijssime Iesv, quod tui Parentes à te, Deo videlicet universorum, hæc obsequia acceptârint, sed potiùs Obedientiæ, ad quam intus illuminati, ac moti sapiebant, quod voluisti sic agere, ut impleres omnem justitiam. Quare eorum humilitas quoque non parum proficiens inde merebatur, quod obedientes tuæ dispositioni, hujusmodi obsequia admittebant. Hactenus Landspergius de veneratione Pueri Iesv humillimi Parentibus exhibita, quæ si rectè consideretur cor nostrum accendatur ac liquescat penitus necesse est.

B. V. & S. Ioseph cũ Puero Iesv manuũ labore victum quærebant.

Puer Iesvs aquã manibus Parentũ infundebat.

30. Hoc Pueri Iesv obsequium mirificum splendorem gloriamque attulit Deiparæ. Vnde Seraphicus Pelbartus lib. 11. Par. 2. Stellarij, inter Stellas illas, quibus caput Virginis vidit Apostolus in cœlo coronatum, vocat alteram Potestatem; quia plùs potuit, Deo annuente, ait, facere de Deo ipsa B. V. quàm Devs immediatè potuerit de seipso. Alteram verò appellat Dominationem. Quia B. Virgo, inquit, est Domina mundi, sicut & Devs Dominus est ipsius mundi. Et in hoc magnum Privilegium concessit ipse Devs B. Virgini, quia voluit ejus principatum & Dominium quodammodo æquiparare suo, Dei Patris nempè principatui, & Dominio. Tam quia sicut solus Devs Pater habet jus imperandi, & Dominium super Filium suum Iesvm, cui ipse per omnia obedivit usque ad mortem crucis, perque omnia deservivit. Vnde ipse ajebat Ioan. 24. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio:* ita sola Virgo habet jus præcipiendi, maternumque Dominium super ipsum Dei Filium. Cui ipse Dominus Iesvs præcipienti obedivit, ipsamque honoravit, memor præcepti à se traditi: *Honora Patrem & Matrem tuam.* Quare idem Virgini tanquam Matri ad famulandum se subjecit: *Erat enim subditus illis.* Vnde sicut hæc propositio vera est: Dei Patris imperio Devs famulatur & obedit: ita quoque est hæc vera: Virginis Matris imperio Devs famulatur ad nutum & obedit, ipse videlicet Dei Filius Christus. Tùm quia sicut Dei Patris imperio & Dominio omnia sunt subjecta eique famulantur, ita

Dominiũ & Potestas B. V. in suum Filium sũt duæ Stellæ ipsius Coronæ.

Sicut Iesvs Dei Patris imperio obedivit, ita etiam Virginis Matris.

& Dei-

& Deiparæ. Hinc verum est dicere: Tot creaturæ serviunt gloriosæ Virgini, quot serviunt SS. Trinitati. Omnes siquidem creaturæ quemcumque gradum teneant, sive sint spirituales, ut Angeli, sive corporales, ut cœlum, elementa, omniaque quæ sunt in cœlo & in terra; sive damnati, sive beati, cuncta hæc gloriosæ Virgini sunt subjecta, adeò ut possit dicere cum Filio: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Vnde Bern. Data est tibi ò Domina omnis potestas in cœlo & in terra, ut quidquid volueris, valeas efficere. Verè ergo maximum Dominium B. V. est, quæ non solùm creaturis, sed etiam ipsi Deo tanquam Mater Filio principatur. Hanc ob causam gloriabatur ipsa Eccli. 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam, non tempore, sed dignitate; ex ore, inquam, Altissimi, quia altissima Sapientia Divina ordine, ipsa omnibus prælata est.* Vnde & prosequitur: *In omni populo, & in omni gente primatum tenui, & omnium excellentiam & superborum, Dæmonum videlicet colla propriâ virtute calcavi.* Sic ille.

B. V. potestas in cœlo & in terra.

B. V. omnibus creaturis principatur.

31. Eandem Filij DEI subjectionem atq; obedientiam in Nazareth parentibus exhibitam contemplans Vbertinus Casalius, Ordinis Seraphici insigne ornamentum, lib. 2. Ligni vitæ c. 8. cui epigraphem hanc præfixit: Iesv *Flos Flori subjacens*; Iesvs *flos immoratus*; Iesvs *Alumnis obsequens*; Iesvs *aporiatus*; ita loquitur tantam Dei Filij humilitatem demiratus: Habitavit Iesvs Nazareth sub Parentum obedientia, cum ipsis participans paupertatis angustias. Propter quod dicitur: Iesvs *Flos Flori, subjacens*; Iesvs *Flos immoratus.* Id est, Purissimus Iesvs, purissimæ Matri obediens. Quia sicut ipse fuit totus floridus intus, & extra; sic in Civitate florida habitavit, in eaque immoratus est. Nazareth enim Flos interpretatur, ut significet floridam conversationem habitantis in ea Iesv, & Virginis Matris ejus. Et quia in multa obsequiositate, tam suæ Matri, quàm Ioseph Iesvs servivit humiliter, iccircò posui: Iesvs *Alumnis obsequens*, quos ipse videlicet tanquam Devs alebat, ac sustentabat. Sed quia multâ paupertate, labore, & sudore cum parentibus pauperculis victitavit pauper Iesvs, iccircò subdidi: Iesvs *aporiatus.* Aporia enim idem est, quod sine poro, & vocatur necessitas, sive anxietas, quæ non habet spiraculum evadendi. Multas enim paupertatis necessitates, & angustias passus est Iesvs, & Mater ejus pro eo, varios rerum necessariarum tolerando defectûs. Aliàs etiam valdè probabile est, quod Magister omnis perfectionis Iesvs, cùm esset sanus & fortis corpore, juvenili ætate, licet complexionis delicatissimæ, eum etiam labores assumpserit, cùm videret Iosephum laborantem ac sudantem pro conqrendo victu tam sibi, quàm Sanctissimæ suæ Matri. Collaborabat igitur etiam ipse Ioseph, eumque multâ compassione juvabat, aquam de fonte afferendo, ignem accendendo ad coquendum victui necessaria, & in alijs, prout ferebat necessitas. Nec expectabat pietate plenissimus IESVS, ut ei hæc à Nutricijs suis demandarentur; imò credo quod etiam ipsis invitis multis se subijciebat laborib⁹, ad ostendendam eis vitæ activæ formam, suaque compassiva præcordia. Vnde parvipendendum non est, quod Magister Historiæ refert, prope Nazareth monstrari fontem, de quo ut antiquâ traditione refertur, Puer IESVS hauriebat aquam afferens eam Matri suæ. Qui enim venerat omnium peccatorum onera supportare, non videtur voluisse Sanctis suis Parentibus onus laboris, & paupertatis sine sua societate relinquere. Quare non videtur mihi improbabile nec indevotum si dicam, benedictum Iesvm cum Ioseph laborasse in arte fabrili, cùm dicant Evangelistæ, quod Iudæi in despectum vocabant eum Fabri Filium: *Nonne hic est Fabri Filius & Mariæ?* Cùm enim ipsius concives ejus doctrinam admirarentur, eumque laborantem viderent, concludebant, quod magis deberet scire laborare arte fabrili, in qua multùm sudaverat, quàm in expositione Scripturæ, quam nunquam didicerat. Hæc Vbertinus. Ex quibus omnibus perspicuè colligimus, quanto in honore ac veneratione Puer IesvsMatrē suam obsequentissimus eam habuerit, siquidē ad tā vilia ministeria, ejus amore suprema illa Majestas sese abjecit.

Iesus totus floridus, in florida Civitate cōmoratus.

B. V. & Iesu in Nazareth florida conversatio.

Paupertate Iesus est angustiatus.

Aporia quid sit?

Quid aporiatus?

Iesus cum Iosepho arte fabrili sese sustentabat.

Aquam, ligna, &c. Iesus portabat.

IESV ultro Parentibus se ad labores offerabat, & laborabat ipsis etiam quasi invitis.

Fons extat in Nazareth, ex quo Puer Iesus hauriebat aquam.

32. Neque verò Matrem Filius, dum in terris duntaxat degeret, veneratus est, veneratus est etiam & honore planè singulari prosecutus in cœlis. Quod pervenustè sanè Guarricus Abbas

Filius Matrem etiã in cœlis honoravit

B. V. adeò fuit in cælis à Filio honorata, ut eodem in Throno cum Filio consederit.

Serm. 2. de Assumptione declaravit; Postquam enim introduxisset Angelos languorem amoris Deiparæ annunciantes Dei Filio, eundem sic loquentem introducit: *Ego sum qui Patrem & Matrem Filijs honorandos commendavi, ego ut facerem, quod docui, & exemplo essem alijs, ut Patrem honorarem in terram descendi; nihilominùs ut Matrem honorarem in cœlum reascendi. Ascendi & præparavi ei locum Thronum gloriæ, ut à dextris Regina coronata considear in vestitu deaurato circumdata varietate. Neq; hoc dico, quod in parte Thronus ei collocetur, quin potiùs ipsa erit Thronus meus. Veni igitur electa mea, & ponam in te Thronum meum. In te mihi quandam Regni Sedem constituam, de te judicia decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plùs ministravit in humilitate mea, nulli abundantiùs ministrare volo in gloria mea: Communicasti mihi præter alia, quod homo sum, communicabo tibi, quod DEVS sum. Flagitabas osculum oris, quin imò tota, de toto osculaberis. Non imprimam labia labijs, sed spiritum spiritui, osculo perpetuo, & indissolubili. Quia concupivi speciem tuam etiam desiderantiùs, quàm tu meam; nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu glorificeris.* Hactenus pientissimus Abbas de honoribus obsequijsque cœlestibus à Filio Matri Virgini exhibitis. Eadem obsequia Beatus Petrus Cardin. Dam. Serm. de Assumptione, in illo Angelorum præconio admiratione plenissimo: *Innixa super Dilectum suum;* cùm expenderet, dixissetque: *Rex virtutum huius Dilecti Pater est, in quo sibi benè complacuit. Super hunc innititur Mater illa fœlicior, & in aureo Divinæ Majestatis Reclinatorio incumbens, intra Sponsi, imò Filij sui brachia requiescit;* tandem tantam obstupescens Virginis dignitatem, ac gloriam, exclamat: *O quanta dignitas, quàm specialis potentia inniti super illum quem Angelicæ potestates reverentur aspicere!*

Non putabat Christus satis se glorificatum, donec Matrem glorificaret.

B. V. summa gloria ac dignitas, quod Filio sit innixa.

33. Quare pientissimus Dionys. Carthus. familiæ jubar art. 27. in Cant. præclarè testatus est, Deiparã in cœlos proficiscentem hoc honore, ut Dei Filio manum ei quodammodo humerumque porrigenti, inniteretur, fuisse dignatam: *Hoc,* inquiens, *in Assumptione Virginis gloriosæ dicere potuerunt, cum ingenti admiratione universi cœlestis Hierusalem cives, tam gloriosissimam Virginis Assumptionem non mediocriter obstupescentes, quæ tunc plenissima innitebatur super Dilectum suum, qui eam de valle lacrymarum, ad tam excellentissimam fœlicitatem perduxit ac gloriam, super universam cœlorum militiam eam collocans.*

B. V. in sua in cœlos assumptione Filio innixa est.

34. Quæ sanè Filij DEI tam eximia, tamque pia in Matrem suam obsequia, summam Divinamque Virginis manifestant excellentiam. Vt enim tam Divino honore digna haberetur, utiq; Divinas quasdam dispositiones habuisse censenda est. Cùm enim illam Filius, ut Matrem dignissimam veneratus sit; quæ dignitas infinita sanè est, unica ac incompræhensibilis, ad hanc obtinendam utique, immensitate quâdam atque infinitate gratiarum donorumque cœlestium, velut prævia dispositione, opus fuit; Vnde non immerito Sanctus Bernardinus Senensis Deiparam DEO Patri Verbum ab æterno generanti in dignitate conferre non dubitavit To. 1. Serm. 61. ar. 3. c. 12. *Sicut Divinæ perfectiones,* inquit ille, *omni intellectui incomprahensibiles sunt, sic perfectiones gratiarum, quas Virgo suscepit in Conceptione Filij DEI soli intellectui Divino, ac Christo, sibiq; comprahensibiles extiterunt. Et quidem quod Deus generet Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cùm ei ex natura conveniret, ut per viam naturæ, intellectus produceret Verbum, per omnia sibi æquale; imò foret impossibile Patrem non generare DEVM, ob suam fœcunditatem. Sed quod fœmina conciperet, & pareret DEVM, est, fuitq; miraculum miraculorum maximum. Oportuit enim, ut sic dicam, elevari fœminam ad æqualitatem quandam Divinam, per infinitatem quasi quandam perfectionum ac gratiarum,* (non quod æqualis DEO esse potuerit, quod creaturæ omninò repugnat) *quam æqualitatem nunquam experta est creatura. Vnde ad illam, ut credo abyssum imperscrutabilem charismatum omnium Spiritus Sancti, quæ in Beatam Virginem in hora Conceptionis descenderunt, intellectus humanus, vel Angelicus nunquam attingere potuerunt. Quod declarans Gabriel Angelus, cùm ab eo Beata Virgo quæreret: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Respondit se tantum ignorare Mysterium: Spiritus Sanctus,* inquiens, *superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quasi diceret: quod à me quæris, ignoro, sed æterna Sapientia Doctor, qui sibi soli altissimum hoc Mysterium reservavit, te per illuminatissimam experientiam edocebit.* Hæc Bernardinus. Hinc idem Dionysius Virgineæ perfectionis excellentiam, & infinitatem quandam ait verbis illis supra memoratis: *Quæ est ista?* cœlestes

Filij DEI erga Matrem obsequium, Divinam in illa arguit excellentiã.

Fœminam concipere & parere Deũ, fuit miraculũ miraculorum maximum.

B. V. elevata ad æqualitatẽ quandam Divinam per infinitatẽ perfectionũ, ut esset Mater Dei.

Angelis Incarnationis mysteriũ incognitũ.

cives

cives fuiſſe demiratos: dum ita loquitur: *Similiter incomparabilem illum quotidianum benedictiſſimæ Virginis profectum in omni ſapientia, virtute, dono, fructuq; Spiritûs omnes Sancti mirantes potuerunt illa verba proferre.*

Gratia nos Divinæ conſortesNaturæ efficit.

Ob hanc igitur gratiarum cœleſtium immenſitatem quandam, atque infinitatem, quâ Divinæ Naturæ quodammodo perfectionibus Virgo eſt adæquata, Divinæque Maternitatis dignitatem, ad quam tam excellentibus donis, velut gradibus evecta eſt, quis nõ videat jure merito ipſi cultum Hyperduliæ, ſummamque ſub DEO deberi adorationem? cùm Divina gratia ſit, quæ Divinæ, ut ait Apoſtolorũ Princeps, nos conſortes efficit Naturæ, ad quam pro majori, aut minori acceſſione, major, aut minor jure debetur veneratio.

B. V. Divinæ maximè fuit conſors Naturæ, proinde ei maximus debetur cultus Hyperduliæ.

35. Quare præclarè Ionas Aurelianenſis, ſui ævi Scriptor Doctiſſimus, Claudio Taurinenſi, eo ſæculo Iconomachorum Anteſignano, titulum Divinæ Maternitatis, cujus cauſa, peculiarem cultum Deiparæ Eccleſia Catholica deferre ſemper eſt ſolita, allegavit: *Virginem quæ peperit Chriſtum non adoramus; cultu ſcilicet latriæ; ſed Sanctam Dei Genitricem congruo honore veneramur, ejuſq; interceſſionem apud Divinam Majeſtatem humiliter flagitamus. Nec immeritò, quippè quoniam per eam Authorem vitæ ſuſcipere meruimus, & pro eo quod eadem Sancta, & intemerata Virgo MARIA, quæ utiq; nobis DEVM & hominem edidit, Dominum IESVM à cunctis pio colitur amore, & debito veneratur honore.* Sic ille lib. de cultu Imag.

B. V. adoranda, quia Deũ genuit.

Qui Dei Matrem colit, Deũ ipſum colit.

Honorem porrò hunc, in DEVM redundare aſſerit Leontius lib. contra Iudæos: *Qui Martyrem colit, DEVM ipſum colit, qui Matrem ipſius adorat, ipſi DEO honorem aſſignat.* Quid de Sancto Damaſceno dicam? *Adoramus*, inquit ille, *doctè ac piè, & Sanctam Virginem Deiparam, non tanquam DEVM, ſed tanquam Matrem Dei ſecundùm carnem.* Quid denique de Niceta Patriarcha Conſtantinop.? qui in profeſſione fidei; *Sanctam Virginem*, ait, *quæ Chriſtum in carne peperit, DEI propriè verèq; Matrem eſſe credo, & confiteor, eandemq; ut revera DEI, qui homo factus eſt, Matrem, atq; iccircò Dominam, ac Reginam omnis creaturæ, Divinâ gratiâ effectam adoro, & revereor.* Quid denique Sanctum memorem Epiphanium, qui ex illis verbis Evangeliſtæ: *Et non cognovit eam*, colligit lib. 3. contra Hæreſes. 78. à Sancto Ioſeph Sponſo caſtiſſimo numquam agnitam Deiparam, tantò honore venerationeque dignam, donec Filium Dei fuit enixa. *Vnde enim cognoviſſet*, inquit Epiphanius, *quod tantam gratiam acceptura eſſet mulier, aut unde cognoviſſet, quod tali gloriâ glorificanda eſſet Virgo? Mulierem quidem noverat natam ex Ioachimo & Anna, & familia David, non noverat autem quod tali gloriâ honorandus eſſet aliquis in terra, maximè mulier. Non igitur cognovit ipſam donec videret miraculum. Non cognovit ipſius miraculum, donec vidit genitum ex ipſa; quando verò peperit cognovit Dei Honorem, & quod ipſa eſſet, quæ audivit: Ave gratia plena Dominus tecum. Deniq; cognovit Mariam Ioſeph, non ſecundùm cognitionem quandam uſus, non ſecundùm cognitionem ſocietatis, ſed cognovit ipſam reverendam, & à Deo honoratam. Non enim novit hujuſcemodi gloriæ eſſe, donec vidit Dominum ex muliere genitum.* Hæc Epiphanius de cognitione Ioſeph, quâ intellexit Virginem omni honore, gloriâ, ac veneratione digniſſimam, quia Dei Mater extitit.

S. Ioſeph non cognovit B. V. tantò honore dignam, donec Dei Filium peperit.

S. Ioſeph cognovit B. V. à Deo honoratam, eſſe venerandam.

36. Ex hac porrò Divinæ Maternitatis dignitate, admirabilique illa cum DEO affinitate, ac conſanguinitate, tanquam ab aurea radice alter venerationis, velut aureus ramus, exoritur titulus, regnum nimirum, totiuſque univerſi Dominium, quo Regina, & ſumma totius Orbis Dominatrix jure merito, Divinoq; Imperio conſtituta eſt. Quod Orbis Dominium tunc nimirum indepta eſt Virgo, cùm in ejus puriſſimo utero velut Regio quopiam thalamo DEI Filius Humanitatem noſtram ex Virgineis ſanguinibus efformatam, uti dilectiſſimam Sponſam, Vnionis Hypoſtaticæ vinculo ſibi copulavit. Quæ perſonalis unio, cùm gratiarum omnium, privilegiorum, ac dignitatum abſolutiſſimum ſit compendium, Regiam quoque dignitatem hanc in ſe recludat neceſſe eſt. Et quemadmodum Chriſti humanitas, in conceptionis illo inſtanti Regnum Dominiumque cœli terræque in actu primo: ſic quoque Virgo beatiſſima ob carnis cum Chriſto participationem, idem Dominium, jure meritiſſimo eſt conſecuta. Vnde Seraphicus jam memoratus Bernardinus Senenſis Tom: 1. Serm. 61. art. 1. cap. 7. hoc Orbis Regnum, Stellam unam è duodecim illis, qui-

B. V. adoratione digna, quia totius eſt Orbis Domina.

In Incarnatione Verbi B. V. Orbis Dominiũ in actu primo adepta.

In B. V. mundi Dominium eſt Stella una è 12.

quibus Deiparam in cœlis coronatam conspexit Ioannes, asseveravit. *Lege enim successionis*, inquit ille, *& hæreditario jure totius Vniversi, Beatæ Virgini debetur primatus & Regnum. Quamvis autem benedicta Virgo nobilior fuerit persona, quæ unquam in Orbe terrarum fuit, vel futura sit, tantæq; perfectionis, vt etiamsi Mater Dei non fuisset, Domina nihilominus mundi esse debuerit: Secundùm leges tamen, quibus regitur mundus jure hæreditario, omnem hujus mundi meruit Principatum, ac Regnum, quia Filius ejus in primo suæ conceptionis instanti, Monarchiam totius promeruit ac obtinuit Vniversi, uti Propheta testatus est: Domini est terra, & plenitudo ejus, Orbis terrarum, & universi qui habitant in eo. Ex jure ergo Conceptionis Filij Dei incumbebat Virgini totum illud procurare atq; administrare, quod tunc Filio usq; ad legitimam ætatem datum est.* Licet Dominium hoc Orbisque administrationem justis de causis quas affert Sanctus, in actu secundo, nunquam exercuerit. Concludit tandem: *Ex his omnibus claret apertissimè, quod Mater IESV Christi Maria, jure hæreditario, omnium quæ sunt infra Deum, habet Regale Dominium, inclytumq; obtineat principatum.*

B. V. persona fuit nobilissima, cui competebat Orbis Dominiũ, etiamsi Mater Dei non fuisset.

37. Idem Sanctus Pater ad declarandam summam Deiparæ in res omnes sub DEO potestatem, alteram Regij ipsius diadematis ac coronæ stellam appellavit Dominationem cap. 6. *Omnes enim creaturæ Divino imperio subjugatæ gloriosæ Virgini sunt subjectæ*, inquit Pater Seraphicus.

B. V. habet in res omnes potestatem, quæ est una ex 12. Stellis ipsius Coronæ.

Rationem hujus subjectionis affert Divus Athanasius Serm. de Sanctissima Deipara: *Quia ipse Rex nempè Filius, Rex est & Dominus, Mater quæ eum genuit, Regina & Domina verè censetur.* Ex quo Sancti Athanasij discursu, alijsque Sanctorum Patrum testimonijs solidissimum illud P. Suar. Tom. 2. in 3. Par. Disp. 22. sect. 2. formavit argumentum Beata Virgo eò quod Mater DEI est, habet speciale quoddam jus Dominiumque in omnes creaturas. Sed jure Dominij unicuique ab Inferioribus debetur adoratio, ergo & Virgini. Agnovit Sanctus Methodius Martyr Orat. in Hypap. Regiam hanc dignitatem in Deipara, cùm sacrum MARIÆ caput à DEO coronatum esse asseveravit. Agnovit Sanctus Hildephonsus Serm. 2. de Assumpt. cùm dixit: *Etsi impertit Christus justus Iudex præmia unicuiq; secundùm opera sua, huic tamen Sacratissimæ Virgini Genitrici suæ, sicut incomparabile est quod gessit, & ineffabile donum quod percepit, ita inæstimabile, & incompræhensibile est præmium & gloria, non modò supra Virgines, sed & omnes Sanctos, quam promeruit. Pervenit enim ad cœli Palatium Beata ac gloriosa, ubi Christus Ecclesiæ Sponsus intra thalamum eam collocavit in dextera Majestatis suæ, ubi Sole clarior in Throno claritatis refulsit. Nec immeritò, cùm & ipsa Thronus Dei & thalamus facta sit, quando nimirum in ejus utero Sapientia Dei Patris Verbum æternum caro factum est, & habitavit in nobis.* Hæc ferè Sanctus Antistes.

B. V. est Regina, quia ipsius Filius est Rex.

B. V. Caput à Deo coronatũ.

B. V. collocata ad dexteram Filij.

38. Agnovit Rupert. Abbas lib. 3. in Cant. Virginis in res mũdi universas amplissimum Dominium, quando gentium conversionẽ, Regiam ipsius capitis Coronam futuram esse dixit. Cùm enim invitationem illam Sponsi ad cœlorum ingrediendam Aulam, Regiumq; Thronum capessendum expenderet: *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.* Cant. 4. subjunxit: *Reges Regnorum, Reges Babyloniorum, & Persarum, & Medorum, Reges Græcorum, & Consules sive Imperatores Romanorum, quid nisi Leones & Pardi dicendi sunt, qui tot bellis, & cædibus Orbem terrarum lacerarunt. De talium Leonum cubilibus, taliumq; Pardorum montibus tu amica mea coronaberis. Quomodo? Videlicet credent in me fructum ventris tui, & eorum credentium salus Corona tua erit. Ita coronaberis, ut in cœlis Regina Sanctorum, & in terris Regina sis Regnorum. Vbicumq; enim fuerit prædicatum illud de Dilecto: Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, prædicabitur & de te, quod sis, ò dilecta Mater hujus Coronati, ac proindè Regina cœlorum, totum jure possidens Filij Regnum. Atq; hoc intuitu Reges atq; Imperatores coronis suis decoronabuntur, Palatia Nomini tuo sacrabunt, honori tuo dedicabunt, vt desinant esse quod fuerunt montes Pardorum, cubilia Leonum.* Hactenus pijssimus Abbas eleganter sanè de coronis Virgineis, Regiaque ipsius potestate. Hanc porrò Virginis Coronam ferunt aliqui insignem esse quendam, singularemque splendorem, ad instar Regij diadematis, quo à Filio coronari promeruit.

B. V. Corona, est gentium Conversio.

Credentium Salus est Corona B. V.

B. V. Regina Sanctorum in cœlis, & Regina Regnorũ in terris.

Corona B. V. in cœlis est insignis ac singularis quidam splendor.

39. Neq; verò solùm ob conversionẽ Gentilium, verùm etiam ob reductionem variorum, Deo abominabilium peccatorum Virgo Regiam illam coro-

B. V. ob conversionem peccatorum invitata à Filio ad Coronã.

nã in cœlos proficiscens promerita est, ut affirmat idem paulò ante memoratus Dionysius Art. 25. in Cant. *In ejus*, inquiens, *fœlicissima Assumptione recessit ab ea finaliter omnis mœror, quando à Filio suo tam suaviter ac frequenter est invitata: Veni de Libano veni, veni. Tunc etenim à candore gratiæ, à luce puritatis interna, à suorum munditia meritorum perducta ad splendorem æternalis gloriæ, ad lucem Deificæ visionis, ad ineffabilium plenitudinem præmiorum. Et quantò præ cæteris fuit hæc Christo magis compassa, tantò abundantiùs cum eo, in eo, & ab eo est glorificata, & coronata de conversione & salute innumerabilium peccatorum, inquietorum, carnalium, & à Deo anathematizatorum per Amana, Sanir, Hermon, cubilia leonum, montes pardorum designatorum; qui ipsius benignissimæ ac misericordissimæ Virginis Matris meritis ac precibus, gratiã conversionis, & gloriam sunt sortiti, & ipsa Filio suo tam intensissimè condolẽdò, innumerabilibus peccatoribus gratiã, & salutem promeruit, quos Deus per eam convertere, ac salvare, ab æterno decrevit.* Hęc ille.

Peccatores per cubilia leonum designantur.

40. Et licet Deipara Regio hoc Diademate in gloriosissima illa sua in cœlos Assumptione coronata sit; non expectandam tamen tempus illud censuit dilectus ejus Filius, quo in cœlesti curia palam, spectantibus omnibus Angelorum justorumque choris, cœlorum declarata est Regina, sed mox in ipso instanti Incarnationis suæ, cùm se pulcherrimo illo humanitatis nostræ paludamẽto amictum, diademate carnis ejus purissimæ coronatum ab illa circumspexit, & ipse vicissim vices Matri sanctissimæ non ingratus Filius, rependit, dum illam in Reginam Dominamque totius Vniversi illicò coronavit, ejusq; Dominio universam subjecit creaturam.

In Incarnatione Filius Matrem Reginam Vniversi coronavit.

41. Mutuam hanc Matris in Filium, Filijque in Matrem gratitudinem ac benevolentiam jure merito Absolon Abbas lusus quosdam esse dixit, de quibus ipsa Virgo apud Salomonem gloriabatur Prov. 9. *Delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in Orbe terrarum.* Sed ipsius devotissimi Abbatis verba serm. 30. audiamus: *Sapientia in arcano Divinitatis luserat coram Patre: Post Diadema carnis assumendo, mundo etiam spectaculum facere voluit, sic attingendo à fine ad finem fortiter, à fine, inquam, Majestatis summæ, ad finem usq; extremæ humilitatis, disposuit omnia suaviter.* Agnovisse hunc sempiternæ Sapientiæ lusum Sancti Reges incunabula Christi inquirentes visi sunt, dum dicunt: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* noverant enim à Spiritu sancto illustrati, Regem hunc in utero adhuc Matris humanitatis nostræ Diademate coronatum fuisse, & per consequens Regem natum, non factum. Vnde Richardus à S. Laur. lib. 4. de laud. Virg. *Multæ aliæ*, inquit, *pepererunt filios, qui postea coronabantur in Reges, ipsa verò sola, quæ Filium suum coronaverat in utero suo Diademate gloriosæ carnis, peperit Regem coronatum.* Diadema hoc censuit illud, quo coronatum Salomonem contemplata est Sponsa, cùm animas sanctas adhoc pulcherrimum spectaculum contemplandum evocabat: *Egredimini Filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in Diademate, quo coronavit eum Mater sua in die desponsationis & lætitiæ cordis sui.* Cant. 3.

Incarnatæ Sapientiæ lusus coronando Matrem.

Christus Rex natus non factus

Christus in utero Matris Rex coronatus.

B. V. Filiũ diademate carnis in suo utero coronavit.

Idem Vir in Virginem pijssimus lib. 3. Diadema hoc ex auro purissimo substantiæ Virginalis, ope atque opera Spiritus sancti fabrefactum, lapidibusq; pretiosis virtutum omnium exornatum fuisse asseverat. Notat ibidem congruè dici diadema Humanitatem Salvatoris, quasi duo demat, principium videlicet & finem, originale nempè, quod est omnis mali principium, æternamque pœnam; quæ est omnis peccati mortalis finis: *Finis illorum*, nimirum peccatorum, *mors est*, ait Apostolus Rom. 9. Concludit deniq; ratione hujus coronationis dici à Salomone de Maria: *Mulier diligens corona est viro suo.* Prov. 12. Similiter censet de hac Humanitatis nostræ Corona, gloriatum Dei Filium Isa. 61. *Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimentis salutis, quasi Sponsum decoratum corona;* seu ut legunt alij: *Alligavit mihi Mitram* nempè Humanitatis. *Caput enim Mitratum*, inquit ille, *Verbum est Incarnatum.* Tempus tandem hujus mutuæ coronationis nobis declaravit Sponsa, cùm diem desponsationis fuisse ait, diem nempè, quo Dei Filius in uteri Virginalis thalamo conceptus, Humanitatem nostram sibi desponsavit, ac Vnione hypostaticâ arctissimè copulavit. In qua sanè unione & ipse Dei Filius coronâ se circumdatum humanitatis, & ipsa Mater sibi Diadema Regni totius Vniversi impositum cernens inenarrabili lætitiâ, ac gaudio gestierunt, adeò, ut verè dies ille, dies lætitiæ ipsorum cordis dici posse videretur.

Christi corona ex purissimo auro carnis Virgineæ virtutumq; ejus gemmis composita.

Diadema vnde dictum?

Mitra Filij Dei, est Humanitas.

Incarnatio Verbi, fuit ejus cum Natura humana desponsatio.

V 42. In-

Quid Corona? Quid Diadema?

42. Intellexit denique gratiosum hunc coronationis lusum Petrus Blesensis Archidiaconus qui serm. 19. de Annunc. eadem exponens Canticorum verba: *Videte*, inquit, *Salomonem, quia nunc est placabilis & desiderabilis aspectu, & pacificus, qui est pax nostra, qui fecit utraq; unum. Iam non est Idida, id est, Dilectus Domini, ut est apud Patrem, quia non videbit eum homo, & vivet. Non est Ecclesiastes, hoc enim futurum est, cùm videbit omnis caro salutare DEI, & in tanta concione intonabit quibusdam in verbo aspero: Ite maledicti. Hodie videte Salomonem Pacificum in diademate suo. Aliud est corona, aliud diadema. Corona simplex, est circulus aureus quo utuntur Reges in minoribus solemnitatibus. Diadema est quasi duplex corona, cum ipsi coronæ quasi alius circulus, gemmis superimpositis additur. Ex ipsa enim Græci Nominis significatione, duplicitatem sonat. Corona itaq; animæ sunt bona naturalia, gemmæ verò, superimpositæ, ut faciant diadema, bona sunt gratuita. Cùm enim naturales animæ affectiones, ut amor, timor, gaudium, dolor, ordinatæ sunt, coronant eam, & exornant. His autem si superponantur quatuor principales virtutes ordinatè, justitia nempè, temperantia, fortitudo, & prudentia, diadema fit animæ. In hac ergo die Dominicæ conceptionis, quo conceptus est Filius DEI (vel ut veriùs dicam inceptus, non enim ex diversis seminibus simul captis, conceptus est, sed ex sola Virginis carne formatus) Christus homo hoc diademate coronatus est in utero Matris, quia & naturalia, & gratuita, in illo fuerunt, eaq; ordinatissima.* Hæc ferè Blesensis de diademate nostræ carnis, ejusque pulcherrimis ornamentis, quibus Incarnatum Verbum à DEIpara, modo prorsus ineffabili, ut ei vices rependeret, fuit coronatum.

Corona animæ sũt bona naturalia; virtutes ac gratia supernaturalis superaddita, efficit Diadema.

Christus in utero Matris Diademate coronatus.

43. Diadema hoc DEI Filij, quo coronavit eum Mater sua in die desponsationis & lætitiæ cordis sui, quod sacratissimam illam, quam assumpsit Humanitatem denotet, testatur etiam Petrus Riga in Cant. in suo M. S. quod habere licuit ex Bibliotheca Equitum S. Georgij Milstadij, spectante nunc ad Collegium Græcense Soc. nostræ. Sic igitur ille:

Exi Iudæa plebs de nigredine sordis
Ad fidei lumen, detergens lumina cordis.
Aspice portantem Christum diadema decoris
Quod dedit huic Mater sua, salvo flore pudoris.
Est diadema caro sacra, quam de Virgine Matre
Assumpsit Christus, sine peccato, sine Patre,
Ecclesiam sibi desponsans in ventre Mariæ,
Quam sibi conjunxit summa natura Sophia,
Lætitiamq; dedit mundo, quem carne redemit
Tristitiamq; dedit Zabulo, quem morte peremit.

44. Verùm non minùs jucundum, ipse quoque Filius toti Mundo exhibuit spectaculum. Vbi enim se ab hac cœlesti Heroina tam gratiosè coronatum vidit, aliam & ipse coronam longè excellentiorem pretiosioremque, cui nunquam similem vel Natura vel Gratia fabrefecit, rependit Matri, nempè seipsum. Hoc est nimirum Matris diadema preciosissimũ, atque venustissimum, ita S. Amadeo Lausanensi Episcopo attestante Hom. 6. de laud. Virg. *Corona capitis ejus Christus est, dicente Sapientissimo, quod Filius sapiens corona sit Matri suæ. Et quis sapientior illo, qui Patris est Sapientia? Bene autem corona de lapide esse dicitur, quia in novo veteriq; testamento, nomine lapidis Christus significatur. qui lapis dictus est propter potentiam; preciosus propter gloriam. Vtrumq; Psalmista complexus est. Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. quia Dominus virtutum, ideò lapis: quia Rex gloriæ, ideò est preciosus. Nihil verò lapide fortiùs, nil gloria est preciosiùs.* Tum ad Virginem factâ apostrophe: *Habes ergo ò Beata*, inquit, *gaudium tuum, Christus corona capitis tui attulit tibi cœli principatũ, per gratiam; Regnum mundi, per misericordiam; Inferni subjugationem, per vindictam.* O dignitatem eminentissimam planè, ac Divinissimam. En Virgo, ò rem mirabilem atque obstupescendam, eadem illâ coronâ, quâ Pater æternus, fons principiumque totius Trinitatis in omni æternitate est redimitus, coronatur! Audite Synesium Hymno primo:

Corona B. V. est Filius.

Corona de lapide precioso est Christus.

Pater æternus coronatur Pulchritudine Filij, uti & Deipara.

Supersubstantialis verò Fons
Coronatur pulchritudine Prolis.

Quam immensam potentiam, DEUS immortalis, quam amplum Regnum ac Monarchiam esse Matris, hæc nobis tam immensa Filij corona repræsentat? Siquidem veteres secundum Regnorum qualitatem coronas gestare consueverant. Vnde de Triphone 1. Mach. 13. dicitur: *Regnavit loco ejus, & imposuit sibi diadema Asiæ.*

Ex corona tam insigni, ac preciosa Deiparæ, colligitur ipsius Majestas, ac potentia.

45. Quod si dignitas ac Majestas Pontificia Aaronis summi Sacerdotis ex illa, Majestatis plenissima Tiara, quam in capite, Nomine illo sacrosancto *Tetragrammaton Iehova* insignita gestabat, deprædendebatur, ut meritò ad DEUM dixerit Sapiens Sap: 18. *Magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat:*

Corona Aaronis magnifica ob Nomẽ Tetragrãmaton illi exculptũ.

erat: Quam dignitatem, potentiam, ac Majestatem Regnorum, & Principatuum habere Virginem nobis persuadere debemus, quæ pro suæ Regiæ potestatis nota, ac insignibus, ipsum suum Filium Regem Regum, Dominum Dominantium, Principemque Regum terræ gestat, ipsoque gloriosissimè coronatur? Quare si scire cupimus quam hæc potens sit Regina, quamque longè lateque sui imperij protendat fines, quantò denique honore, cultu, ac veneratione digna habeatur, magnitudinem ipsius coronæ attentiùs consideremus. Vnde B. Eucherius præclarè sanè serm. de Virg: Nat: pronunciavit: *Quæritis qualis Mater? Quærite priùs qualis Filius;* qui cùm tam infinitus sit, atq; immensus, immenso honore, gloria, ac veneratione uti ipse, ita propemodum digna & Parens ejus sanctissima erit existimanda.

Dignitas Deiparæ ex Filio cognoscitur.

46. Quod si Filius in sacris litteris sæpiùs Patris æterni Gloria & Decor appellatur, ut apud Isaiã c.35. ubi de Messia loquens Israëli manifestando *Ipsi*, inquit, *videbunt Gloriam Domini, & Decorem DEI nostri;* Filium certè hunc Deiparæ communicando, videtur omninò sibi quodammodo de capite coronam Pulchritudinemque demere, illamque vertici Virgineo imponere, eandemque Divinâ suâ pulchritudine decorare. Quod sanè summam jure merito unicuiq; æquâ rationis lance rem expendenti parit admirationem; cùm apud eundem Isaiam vocem illam æterni Patris severè protestantis audimus: *Gloriam meam alteri non dabo;* In quæ verba sapienter commentans Procopius: *Gloriam,* inquit, *Domini Filium appellat, tanquam qui omnia à DEO creata longè superans, ejusdem sit cum Patre Divinitatis.* Iam si Pater Vnigenitum suum, velut preciosissimam, longèque pulcherrimam Virgini huic Sacratissimæ donavit Coronam, nónne quodammodo sibi contradicere videtur, dum ait: *Alteri non dabo?* Verùm in ipsius æternæ veritatis verbis nulla omninò suberit contradictio, si in mentem revocaverimus id, quod toties supra memoravimus, Deiparam adeò Deificatam, ac locupletatam cœlestium Divinissimorumque munerum, ac gratiarum fuisse copia, ut in Devm quodammodo transformata, & Devs quidam in terris esse videretur. Vnde cùm Pater Diademate Filij sui eam coronabat, non alteri à se distincto gloriam suam, sed sibi quasi ipsi eam communicare videbatur. Quam præclarè hoc nobis exposuit Richardus à S. Laurentio lib. 12. de laud. *Dicit Pater, gloriam meam, id est Filium meum (quia Filius sapiens gloria est Patris Prover. 10.) alteri non dabo quam Mariæ. Hæc est enim optima pars data Mariæ, quæ non auferetur ab ea, vt alij communicetur.*

Patris æterni Gloria est Filius.

B.V. Divinis charismatis Deificata.

47. Hæc nimirum sunt magna illa, quæ sibi facta fuisse à Deo Virgo beatissima in suo Cantico gloriabatur, & ob quæ beatam prædicandam se apud omnes generationes vaticinata est. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est:* Vnde Richardus à S. Laurent. lib. 4 de laud. Virg. cùm dixisset: *Quicquid pulchritudinis habent alij Sancti in parte, habet Maria in toto. Nemo enim Sanctorum inventus est illi similis in gloria, in humilitate, inquam, sanctitate, in charitate, alijsq; Virtutibus, quas omnes habuit in gradu superlativo, & quot virtutes, tot habuit pulchritudines, & ideò in Canticis pulcherrima mulierum dicta est; & vocata ab Angelo, gratia plena, quod est proprium Nomen ejus, sicut Maria. Ideò deniq; dicit ipsa: In me omnis gratia vitæ & veritatis. Nulla enim illi defuit virtus &c.* Cùm, inquam, dona hæc Divinitus Deiparæ concessa enumerasset, quæsivit: *Vnde ei tanta est excellentia? Vtiq; ex hoc*, respondit, *quia fecit illi Dominus magna, qui potens est: Magna in terris, exaltans illam super omnes homines; Magna in cœlis, exaltans illam super omnes Angelos: Magna in Infernis, subijciens illi universas tenebrarum potestates: Magna ex eo, quod copiosa est spiritualibus divitijs; conspicua Bonitate, ac Sapientia: tremenda cunctis viventibus, potestate; genere illustris; forma desiderabilis; immensitate incomprahensibilis; æternitate indeficiens, cujus imperium attingit à mari usq; ad mare, attingens ex dono Filij à fine usq; ad finem fortiter, & cum eo disponens omnia suaviter: Magna ex eo, quod Virgo existens in Domini Matrem electa est, vt sicut in cœlo Patrem immortalem, æternus, sic in terra Matrem haberet Virginem incorruptus. Et quia in cœlo qualis Pater, talis Filius, ideò in terra qualis Mater, talis Filius. In cœlo cum Patre æternus, & immensus, in terra cum Matre immaculatus & mansuetus. In cœlo cum Patre incorruptus & sublimis: In terra cum Matre Virgo humilis. In cœlo Imago Patris, in terra Imitator Matris. Et ideò summa est Mariæ excellentia ex eo quod*

Quæ sint illa Magna quæ Deiparæ fecit Dominus.

In B. V. omnium Angelorũ & Sanctorum pulchritudo cõtinetur.

Magnitudo & potẽtia B. V.

Magna B. V. in cœlis, in terra, in Inferno dominando Dæmonibus.

In cœlo qualis Pater talis Filius, in terra qualis Mater talis Filius.

Filius similis & adæquatus Matri.

Filius DEI secundùm humanitatem dignatus est ei fieri consimilis. Vnde de Matre & Filio dicitur Osea 10. Vitis frondosa Israël, id est, Maria: Fructus, hoc est, Christus adæquatus est ei. Hæc Richardus de magnis illis, ac mirificis gratiarum privilegijs, dignitatibus, ac excellentijs, quas benedictus DEI Filius Matri dilectissimæ, manu liberalissimâ ad eam, uti par erat, honorandam, dignatus est impertiri.

48. Omnis ergo gloria, omnis potestas, principatûs, Regiaque Majestas in Virgine, ab Vnigenito æterni Patris Filio, velut splendor à Sole, velut rivulus à fonte derivatur; Ob quem sanè vel solùm respectum, Virgo gloriosissima summum meretur honorem, summam venerationem. Atque ut ab omnibus majori in honore, ac veneratione haberetur, idem DEI Filius excellentissimam illi contulit etiam generis Nobilitatem; cujus causa omnes creaturæ maximam illi post DEUM deferre debent adorationem: Quare præclarè Card: Damian: serm. 3. de Nat: Virg. pronunciavit: In humano genere ille nobilis dicitur, qui claris majorum titulis insignitur. Beata verò Virgo Maria licet de generosa sit Patrum Stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissimæ nobilitatis genus, qui de illa est novo nascendi genere procreatus, & per clarissimam Sobolem, omnem humani stemmatis excedit nobilitatem: Clara pravorum titulis, sed incomparabiliter clarior generositate Prolis. Filia siquidem Regum, sed Mater Regis Regum. Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI, sed quidquid de te à mortali homine dicitur, celsitudinis tuæ meritis non æquatur. Quam enim excellens gratia super Angelos elevat, ad ejus dignè efferenda præconia humana fragilitas non aspiret. Hæc Card. de ineffabili Virginis nobilitate. His propemodum similia habet pijssimus in DEIparam Guerr. Abbas ser. 3. de Annunt. Regali, inquiens, ex Progenie Virgo electa est, generositatis quidem Regiæ nobilis proles, sed virtutis Regiæ nobilior indoles; ut æterno Regi, Filio Regis, materna quoq; nobilitas Regium honorem defenderet, & venientem à Regali sede Patris, Regalis etiam Thronus in Aula Virginali Reginæ susciperet Matris. In ipsa quippè, & ex ipsa, Sapientia ædificavit sibi domum, in ipsa & ex ipsa paravit sibi Thronum, cùm ex ea, & in ea corpus aptavit sibi; utiq; nobilissimum Regio ex sanguine coagmentatum.

B. V. ob summam generis nobilitatē summè veneranda.

B. V. generis nobilitas.

Nobilior B. V. ex generatione Prolis Divinæ, quàm ꝙ ex Regum Stirpe profecta.

B. V. Regius Thronus.

Petrus denique Abbas Cellensis Religiosissimus lib. de Panibus c. 12. Oportuit nempè hunc priùs clibanum (Mariam Virginem intelligit) non vili stemmate, neq; more consuetudinario fabricari, quatenus in plenitudine temporis, Panis qui dat vitam mundo, de cœlo descendens, pro dignitate sua, congruum inveniret locum, ubi posset opportunè carnem assumendo decoqui. Hanc DEIparæ nobilitatem admiratus Thomas de Kempis 3. par. ser. 6. ad Novit. exclamavit: O verè inclyta proles ex insigni Patriarcharum prosapia nobiliter procreata, ex Sacerdotali genere generosè producta, ex Pontificali dignitate dignissimè derivata, ex Prophetali choro verissimè prænunciata, ex Regali stirpe illustrissimè edita, ex Davidica linea rectissimè originata, ex nobilissima tribu Iuda clarissimè prolata, ex Israëlitica Plebe fœlicissimè progenita, ex electo DEI populo singulariter prælecta, ex Sanctis & Religiosis, ac DEO placitis parentibus Divinâ præordinatione in lucem mundi serenissimè exorta. O fœlix & illibata Virgo Maria omni laude & honore dignissima, omni amore ac reverentia ab omnibus amplexanda. Sic ille.

B. V. Clibanus spiritualis in quo Panis cœlestis pistus.

M. ex Regia & Sacerdotali Stirpe oriunda.

B. V. omni honore dignissima, omni amore ac reverētia amplectenda.

49. Ex his Sanctorum Patrum testimonijs facilè intelligere possumus DEIparam Virginem inter omnes creaturas, quæ toto hoc Vniverso continentur fuisse stirpis nataliumque splendore, ac generositate præstantissimam, adeò ut quid nobiliùs, ipsa Divina creare nequeat Omnipotentia, esseque verissimam Divi Bernardini Senensis Sententiam Tom. 3. Serm. de S. Iosepho c. 1. Beatam Virginem nobiliorem fuisse creaturam, creaturis omnibus, quæ in humana Natura fuerint, possint, aut potuerint generari. Quibus verbis Seraphicus Pater videtur asserere in genere nobilitatis, ut & in reliquis, DEI Matrem Divinæ omnipotentiæ quodammodo exhausisse infinitatem, nec potuisse à DEO puram creaturam creari nobili sanguine generosiorem. Patet etiam, pergit ulterius Sanctus, quod Dominus IESVS Christus, qui sine Matre fuit in cœlis, & absq; Patre in terris, totam à Virgine Humanitatem recepit atq; dignitatem, quæ ad humanitatem sequantur, scilicet cognationis, ut diceretur Filius David, & consanguinitatis, ut fratres habere diceretur, de nobili Parentela, totum hoc à Beata Matre suscepit. Quod etiam ultimus Dux, ultimus Rex, & ultimus Patriarcha totius populi Israël, non aliundè habuit, quàm à Virgine Beata. Vnde Sanctus Gabriel ad nobilitatem hanc respiciens. Erit, inquit, Magnus. Quæ verba expendens Sanctus Bernard. Serm. 3.

B.V. inter creaturas omnes nobilissima.

B. V. Divinæ Omnipotentiæ quodammodo exhausit infinitatē.

Christus à B.V. nobilitatem generis secundùm carnem accepit.

Serm. 3. super Miss. *Sed quare dicit; hic erit, & non potiùs; Magnus est, qui semper æqualiter Magnus, non habet quo crescat, nec major post conceptum futurus sit, quàm ante vel sit, vel fuerit? An fortè propterea dixerit; Erit, quia, qui magnus Deus erat, magnus homo futurus sit? nempè magnus Doctor, magnus Propheta. Vnde prædictum: Ecce veniet Propheta magnus, & ipse renovabit Ierusalem; & in Evangelio; Propheta magnus surrexit in nobis.* Tum conversus ad Virginem. *Et tu quidem ò Virgo parvulum paries, parvulum nutries, parvulum lactabis, sed videns parvulum, cogita magnum. Erit etiam magnus, quia magnificabit eum Dominus Deus in conspectu Regum, adeò, vt adorent eum omnes Reges, omnes gentes servient ei, vttpotè Regi Regum, Domino Dominantium, cui tu Virgo Mater Regia de stirpe Davidica oriunda, totam hanc sanguinis stirpisq; generositatem es impertitura. Atq; ita, qui erat Deus magnus, per te erit magnus homo, Rex magnus, super omnes Reges universæ terræ, sicq; magnificabis Dominum, eritq; tuum verissimum illud vaticinium: Magnificat anima mea Dominum.* Lucæ cap. 1.

Christus magnus Doctor, magnus Propheta.

Per Mariam Deus Magnus, factus est Homo Magnus.

50. Hinc rursus Sanctus Bernardinus Senensis Tomo 1. Serm. 61. a. 1. c. 1. ut ostendat, quam eximia fuerit hæc Deiparæ, generis claritas, inter duodecim illas stellas, in Virgineo vertice relucentes, Nobilitatem memoravit: *Fuit enim,* inquit ille, *Beata Virgo nobiliùs individuum, seu nobilior creatura omnibus individuis seu creaturis, quæ unquam in humana Natura extiterunt, aut existere potuerunt.* Probatque testimonio Sancti Matthæi, eam nobilissimam suam originem ac stirpem à 40. Patriarchis, 14. Regibus, totidemque Ducibus, natalibus præstantissimis conspicuos, deduxisse, atque ita Christum secundùm Humanitatem à Matre, Virginum fœminarumque omnia nobilissima mutuasse nobilitatem; cùm enim Humanitatem nostram de ipsius sanguinibus purissimis sibi formasset, ac nobilissimis, consequens sanè est, dignitates omnes quæ Humanitatem sequuntur, ut quod fuerit postremus Rex, Dux, ac Patriarcha totius populi Israëlitici, à benedicta gloriosissimaque Matre accepisse. Hanc ob causam semetipsum Apoc. 1. c. *Primum ac novissimum;* primum videlicet, quem DEVS in electo suo populo principaliter intendebat: Novissimum videlicet Patriarcham, Regem ac Ducem in electo illo, & dilecto populo vocitare non dubitavit. Concludit tandem Deiparam totius mundi hujus nobilitatis præclarissimum quoddam absolutissimumque fuisse compendium: ac proindè Potetatibus omnibus, Orbis universi præferendam: *Quia igitur,* inquit ille, stylo suo Apostolico, *omnes præclaritates, ingenuitates, Præfecturas, dignitates, ac nobilitates, quæ in aliquo humano individuo esse possunt, secundùm originem sanguinis describunt Evangelistæ in hac Puella; oportet nos eorum testimonio illam omnibus Principibus, & Principissis, Regibus, ac Reginis, Imperatoribus, ac Imperatricibus, omnibus deniq; potestatibus, tribubus, ac totius Vniversi linguis anteferre.* Præstantissimam hanc Deiparæ nostræ nobilitatem admiratus Cardinalis Damianus Serm. 3. de Nativitate Beatæ Virginis exclamavit. *O mirabilis, ò singulariter nobilis caro beatissimæ Virginis, in qua Muliebris natura mutatur, humana conditio non tenetur edita communi nascentium jure, edidit singularis gratiæ novitatem!*

In Corona Deiparæ, una Stellarum 12., est Nobilitas.

B. V. à 14. Regibus Nobilitatem Sanguinis deducit.

Christus primus & novissimus quânam ratione?

In B. V. est omnis Nobilitas cuius humana Natura capax esse potest.

B. V. omnibus mūdi Potentatibus ac Reginis præferēda

Quod si Reges honorificandi sunt, ut præcipit Apostolus, reliquisq; mundi Potestatibus unicuiq; in suo gradu debitus honor ac reverentia jure merito deferenda est, quô tandem honore, quô cultu Virgo, quæ DEI Mater est, quæ cœli terræque Regina nobilissima, potentissima est omnibus mundi hujus dignitatibus longè superior, nobis erit prosequenda? Vtique post DEVM præstantissimo, qui est Hyperduliæ; quô eam propitiam atque misericordem apud Filium experiamur.

Maria honorificanda, siquidē honorificādi sunt Reges.

51. Quod si in mentem revocemus, eam nostræ salutis, ac Redemptionis fuisse cooperatricem, eò quod ad nostram salutem peculiari, ac prorsus singulari quodā modo concurrerit, multò adhuc major nobis eam venerandi incumbet obligatio. Ob titulum hunc tam insignem 7. Synodus Act: 4. citans Gregorium, illam omnium Christianorum Dominam appellavit; sicut enim Christus, quod nos suo preciosissimo redemit sanguine, & semetipsum vitamque suam pro nobis tradiderit, speciali titulo noster Dominus ac Rex vocitatur: Sic sanè Sacrosancta Deipara, suam substantiam Incarnationi Verbi subministrando, Filiumque proprium ac dilectissimum ultro Deo Patri promptissimè offerendo, nostramque salutem singulariter ardentissimis desiderijs expeten-

B. V. veneranda, quod ad salutem omnium cooperata fit.

petendo, ad redemptionem humani generis cooperata est, in illudque singulare quoddam Dominium indepta. Vnde Rupertus lib. 13 in Ioan. hac de causa *Matrem omnium hominum*, eam esse dixit. *Quia nimirum salutis omnium causam tunc sine dolore peperit, quando DEVM hominem factum de carne sua genuit. Et tunc magno dolore parturiebat, quando juxta crucem ejus stabat:* Cum nimirum Filius Ioannem, & in ipso nos omnes illi commendabat: *Mulier*, inquiens, *ecce Filius tuus.* Cujus commendationis tanta fuit potentia, ut quemadmodum testatur Petrus Damiani Cardinalis Ser. de S. Ioan. & Franc. Mayronius, Ioannem Filium adoptivum Virginis effecerit, eique filialem affectum erga Matrem dederit, & contra. Imò longè majorem, quàm sit communiter inter filium naturalem, ejusque Matrem. Quia major vis Gratiæ quàm Naturæ esse consuevit, ut habetur C Revera, De Consecrat. D. 11. Et quia Ioannes in quo est Gratia, interpretatur, filiationem hanc accepit pro omnibus, qui voluerint esse & vivere in gratia Dei, & ipsius Virginis, ut loquitur Seraphicus Bernardinus Bustius, P. 12. Marial. Serm. 1. de Coronatione Beatæ Virginis. Imperator enim cœlestis stans in tribunali Crucis, nos adoptavit in Filios Matris suæ, dicens ei de quolibet nostrum: *Ecce Filius tuus.* Quasi diceret: Assigno tibi omnes in Filios, qui tui voluerint esse devoti, teq; reverenter uti Matrem salutaverint, ac venerati fuerint. Et ideò ipsa nos refutare non potest, sed cogitur potiùs Maternâ nos pietate consolari. Vnde ait ipsa cum Filio Isa. 49. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui, & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar.* Debet igitur nos ipsa benigna Virgo tenerè diligere, sicut membra Filij sui, qui est Frater noster, & pro indiviso dare nobis Paradisum & hæreditatem cœlestem. Quia nimirum ad illam nobis parandam cooperata est. Plura de hac ad salutem nostram Virginis cooperatione, peculiari tractatu, in quo eam humani generis Redemptorem ac Salvatorem æmulatam fuisse demonstrabimus.

B. V. Mater omniũ hominum.

Christus in persona S. Ioan. Apost. omnes homines Matri commendavit.

Major vis Gratiæ, quàm Naturæ.

Christus in Cruce nos omnes suæ Matris filios adoptavit.

B.V. velut Mater filiorum oblivisci non potest

52. Ex hoc sanè titulo, in corde nostro amor quidam veneratione plenissimus inardescat necesse est, qui nos ad ipsam honorandam exstimulet hyperduliæ cultu excellentissimo, qui nimirum honorem quemcunque etiam Angelis supremæ Hierarchiæ, Sanctisque omnibus, quantumvis gratiâ apud Deũ, gloriâque summâ insignibus, delatum quam longissimè antecellat; Nempè Virgo nostra Mater est Dei summi, ac præpotentis dignissima, est Regina cœlorum, terrarum, totiusque Vniversi sapientissima ac potentissima, ab ipso DEI Filio in ipsius utero Humanitatem nostram assumente, diademate pretiosissimo coronata. Quæ profectò & à nobis summâ post DEVM veneratione honoranda atque colenda est, quia non modò sancta ac universalis, peculiari atq; eximio cultu eam veneratur, atq; olim semper venerata est Ecclesia Catholica, verùm etiam ipsi Ethnici, ac infideles, ut Druidæ atque Ægyptij, omnesq; veteris testamenti Patres, cum Abrahamo totaque ipsius posteritate, ad quam notitia Verbi incarnandi pervenit; imò ipse DEI Filius dum inter mortales degeret, omni honore, ac reverentia, ob jus non filiationis Maternamque potestatem dumtaxat, sed ob dignitatem etiam personæ DEO, ob tam insignem gratiæ plenitudinem longè gratissimæ, est prosecutus; Quare meritò sanè omnes quicumque nos peculiari affectu, cultui ipsius, ac patrocinio devovimus, peculiari quoque reverentia, ac veneratione eam prosequamur oportet.

Ad venerandam Deiparam exhortatio.

53. Audiamus amore Virginis ignescentem illum Seraphicum D. Bonaventuram nos ad venerandam hanc Virginem gloriosissimam exhortantem Psal. 103. *Confitemini Dominæ nostræ, & invocate Nomen ejus, cantate ei gloriosè, narrantes virtutes ejus. Laudate & exaltate eam Virgines Filiæ Sion, quia desponsabit vobis Regem Angelorum. Honorate Reginam plenam omni gratiâ, & contemplamini cum reverentia sanctissimum Vultum ejus. Salus sempiterna in manu tua Domina, qui te dignè honorificaverint, suscipient illam. Clementia tua non deficiet à sæculis æternis, & misericordia tua à generatione in generationem.* Attollamus identidem in cœlum mentis oculos, ac contemplemur ipsum DEI Filium cœlestisq; curiæ cives ac proceres, quantò quamq; eximio honore ac cultu afficiant Dominam hanc Principem, ac Reginam præstantissimam, & perquam benedictam Dominarum Dominam, ut eam vocat S. Ephræm Syrus.

B. V. facies cum reverẽtia contemplanda.

Meditandum sæpiùs quantum B. V. in cœlis à Filio honoretur, &c.

Audi-

Audite B. Cardinalem Petrum Damiani gloriosissimæ Deiparæ nostræ in cœlos assumptæ gloriam honoresque celebrantem Serm. de Assumpt. *Attolle,* inquit Sanctus, *iam oculos ad Assumptionem Virginis, & salva Filij majestate, invenies occursum hujus pompæ non mediocriter digniorem. Soli quippè Angeli Redemptori occurrere potuerunt: Matri verò cœlorum palatia penetranti Filius ipse cum tota Curia tam Angelorum, quàm Iustorum solenniter occurrens, evexit ad beatæ Consistorium sessionis. Tum Virgo gratiosis cumulata muneribus, tantæ benignitati respondit, summæ dignationis claritatem admirans: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* Quibus sanè verbis incredibilem honorem sibi à Filio exhibitum ostendit, siquidem ei manum suam ad innitendum, uti supra meminimus, porrexerit. Quam ipsam singularē prorsus gloriam Angelicæ demiratæ sunt Hierarchiæ. Eundem Filij occursum honore venerationeque Matris Sanctissimæ plenissimum D. Anselmum lib. de Excell: Virg: c. 8. describentem audite: *Cùm ipse Filius in Regnum suum Matrem assumere, & ei magnificentiam Regni suæ gloriæ decrevisset ostendere, cujus precor dignitatis, & honoris apparatibus intendebat tota curia Angelorum, quibusq; vocibus exultationis, & salutis resonabant numerosa tabernacula antiquorum Patrum ipsi curiæ tùnc associatorum? Certè crediderim omnes illius beatæ Patriæ Cives festiviori solito, ac sublimiore nitore decoris ad adventum Matris Domini sui præparari, ac nova quadam, & ineffabili jucunditatis gratiâ, pro tantæ rei expectatione conjubilare. Et quid mirum? Ipse IESVS Filius ejus benedictus suæ unicæ Matri totus festivus occurrere volebat, & aliquis de familia sua se tanti gaudij immensitate subtraheret? Stipatus igitur mille millibus, imò innumerabilibus Angelorum agminibus, Deus ipse huic pijssimæ Matri suæ, de hoc mundo migranti occurrit, eamq; super omnes cœlos exaltatam, cunctâ secum creaturæ perenni jure dominaturam in throno gloriæ collocavit.* Hæc Ansel.

Assumptio B. V. quam gloriosa.

Apparatus Cœlitum in assumpt. B. V.

Filius Matri cœlū petenti obviavit.

Audite denique D. Hildephonsum Serm. 2. de Assumpt. nos ad eandem Deiparam venerandam adorandamque, cœlitum omnium exemplo, adhortantem: *Iccircò hujus Virginis animam Dominum magnificantem glorificemus, quam hodie Paradisus excepit gaudens, quam Angeli cum laudibus prosequuntur, quam Apostolorum Chorus veneratur, quam Martyres candidati beatificant, quam Sanctorum Confessorum stellatus concelebrat numerus, cui Sanctarum Virginum cum suis palmis victricibus exultantes occurrunt exercitus.* Moxque hujus venerationis tam Regiæ easdem ferè quas nos supra causas protulimus, attexuit: *Quoniam hæc est illa Beata, per quam Auctor vitæ ingressus est in mundum, per quam omnis maledictio soluta est priorum Parentum, & cœlestis benedictio in mundum venit universum. Hæc est Virgo, cujus utero universa Ecclesia subarratur, conjunctaq; Deo fœdere creditur sempiterno. Pro hujusmodi sacramentis veneranda est fratres hodierna festivitas sic annua, vt nobis continua maneat, & venerabilis in mente, quoniam post Christum, qui caput est, & Deus totius Ecclesiæ, hæc Virgo gloriosa refulget, etiam super Choros Angelicos, clarissima inter Virgines, candidior inter Martyres.* Concludamus cum eodem S. Antistite, qui eodem sermone circa finem, cùm dixisset ad quantam gloriam Deipara Virgo ob humilitatem profundissimam copiosissimamque gratiæ plenitudinem sit evecta, subjunxit: *quam deprecantes veneremur, & venerantes deprecemur, vt ipsa pro nobis intercedere dignetur apud Dominum nostrum Dei Filium, quem de se genuit incarnatum.*

Cur Cœlites tantopere B. V. honorent.

46. Deprecemur inquā, & in terram, Sanctum illum Patriarcham æmulantes, prostrati humillimè, tanquam creaturam nobilissimam, atque eminentissimam, tanquam totius Vniversi Reginam potentissimam, tanquam nostræ salutis Cooperatricem, tanquam denique Dei ter Opt. Max. Parentem dignissimam & misericordiæ Matrem pientissimam, summô quo possumus amoris affectu, ac devotione veneremur, & tanquam genuini ejus. Filij Matrem benignissimam salutemus. Proponamus nobis ob oculos Religiosissimum devotissimumque ejus Filium Iustum Landspergium, qui etiam sæpiùs honoris causa mihi nominandus est; hic quantò honore, ac veneratione Deiparam prosecutus sit, passim ejus ingenij pijssima contestantur monimenta, & maximè lib. 2. Pharetræ Divini Amoris, ubi ad finem cupidus summā venerationem cultumq; Virgini huic Sacrosanctæ exhibendi, eamque pro dignitate in infinitum immensumque salutandi, ita illam pijssimô prorsus affectu allocutus est: Quot maris sunt

Iusti Lādspergij erga B. V. veneratio


guttæ,

Quoties B.V. salutanda.

guttæ, cœli stellæ, quot beatorum Spirituum agmina, quot arborum folia, & terræ gramina, toties ex intimo cordis mei te saluto, ò nobilissima, electissima, pulcherrima, gloriosissima, atque dignissima Mater DEI, cœli Regina præclarissima, amabilissima Domina, atque dulcissima mea Virgo Maria. Saluto autem te, in unione amoris, & per cor dilecti Filij tui, atque omnium te amantium, meque tibi commendo, atque in proprium Filium me tibi assigno. Opto etiam, ut tu me suscipias, & apud Deum facias, ut totus sim tuus, tu tota sis mea, post DEUM Domina, gaudium meum, & Corona ac Mater mea dulcissima, atque fidelissima. Sub tuum denique præsidium confugio ò Virgo, tu ab omni peccato, ab hoste maligno, ab omni periculo animæ & corporis libera & defende me; in hora quoque mortis meæ esto mihi benigna & misericors, animamque meam de corpore discedentem mox DEI conspectui repræsenta. Idem quotidie & nos dicamus, & similibus synceræ pietatis studijs Deiparam prosequentes, ac salutantes veneremur, propitiam sanè illam semper & maximè in postrema illa vitæ catastrophe experiemur.

Sub præsidium B. V. in hora mortis confugiendum.

MEDITATIO VI.



Ontemplare Anima mea quo cultu, quâ veneratione Virgo Sanctissima digna sit, quæ meruit fieri Mater Dei Altissimi, Regina cœli & terræ, Cooperatrix denique Salutis, & Redemptionis humanæ, quin imò omnium viventium Mater amabilissima.

Ob quos sanè titulos tam excellentes atque Divinos longè excellentior cultus præ cæteris omnibus Sanctis illi est deferendus, utpotè quæ & affinitatem & consanguinitatem per æterni Verbi generationem cum ipsa Divina contraxit Majestate. Hoc intelligens magnus ille Dei Amicus Abraham, sciensque Virgineam hanc Terram germinaturam Florem illum campi, lilium convallium, parituram Salvatorem, cecidit pronus in faciem suam, super terram, eamque sine dubio deosculans, adoravit. Et quis te Virgo sacratissima Terra animata, ac benedicta, omnis expers maledictionis, Terra lacte & melle cœlestium solatiorum manans, Terra nobis fructum salutis dulcissimum proferens non colat, non veneretur, non submississimè adoret? Mater Dei es, Mater viventium omnium, Regina totius Universitatis, Regina hominum & Angelorum. Tibi certè post DEUM debemus totum quod sumus, quod vivimus, quod movemur, proindè te ex animo animitus, medullitus, te prono in terram corpore, corde humiliato ac contrito venerari convenientissimum est. Proindè ante faciem tuam humillimè prosterno me, abijcio, atque annihilo, certò mihi persuadens, me in nihilum, per lapsum in peccatum redigendum, nisi ope, atque auxilio gratiæ tuæ fuero apud dilectum Filium tuum adjutus. Proindè Mater Dei dignissima, Regina cœlorum potentissima, Mater viventium amabilissima, tibi subjectus esse ex corde desiderans ad pedes tuos provolutus supplex cum tuo studiosissimo Bonaventura cano: *Nonne Domina tibi subiecta erit anima mea, quæ Salvatorem omnium genuisti? Memento nostri, perditorum Salvatrix, exaudi planctus cordis nostri. Infunde gratiam de thesauris tuis, & unguentis misericordia tua mitiga dolorem nostrum. Ablue omnia peccata nostra, sana omnes infirmitates nostras.* Psal. 60.

B. V. post Deum debemus omnia quæ habemus.

O si Mater mea pientissima affectus sancti amoris in corde meo sic exardesceret, ut quoties uteri tui Virginalis, quem ad liberandum suscepturus hominem Dei Filius intrare non abhorruit, fit mentio, toties me cum Sancto illo, tibi devotissimo Servo Odilone Abbate in terram caderem, ac venerabundus me ante pedes tuos prosternerem, ut ita animi mei internam venerationem, tuæque excellentiæ admirationem, ac cultum tibi, super omnes Sanctos, debitum, obsequio hoc externo qualicunque contestarer! O si quoties te Angelorum hominumque Reginam, ac Redemptricem humani generis recogito, toties coram tua Majestate procumberem, meque tuum Servum humillimum, tuum vilissimum mancipium profiterer, diceremque cum tuo Seraphino! *Benedicta sis Domina in cœlo & in terra, laudabilis & gloriosa, & superexaltata in secula. Benedicant tibi cœli & terra, mare, & universus Orbis terrarum.* O si ad te venerandam ac glorificandam mortales omnes pertrahere possem, ac cum eodem, ardentissimo illo ipsius affectu ad te colen-

S. Odilonis Abbatis erga Verbum Incarnatum pietas.

lendam invitando dicere: *Afferte Dominæ nostræ Filij DEI, afferte Dominæ nostræ laudem, & reverentiam. Benedicite omnia opera Dominæ gloriosæ, laudate & superexaltate eam in sæcula. Benedicite Angeli Dominæ nostræ, benedicite cœli Dominæ nostræ. Benedicat omnis creatura Dominam nostram, quam summus Rex sic voluit benedici.*

Erubesco Dña mea pijssima, ꝙ licet tot nominibus tibi sim obligatus ac devinctus, tantopere hactenus fuerim ingratus, nec honorem, cultum, tuique venerationé in proximis propagare fuerim conatus. Iam tandem firmiter statuo id me, Divinâ gratiâ opitulante, omninò facturum, curaturũq; pro viribus, ut cultus ac veneratio tua ubique in mortalium animis propagetur, utque omnis terra unà cum Filio adoret te, psallatque tibi nunquam intermittendas laudes in sempiternum. Interea offero tibi me totum; corpus hoc cum omnibus membris, quæ ante te, utpotè DEI Matrem, mundique totius Reginam prosterno. Offero animam cum suis potentijs, ardentissimè desiderans, ut anima mea tota tuę venerationi, atque adorationi sese post DEUM impendat; memoria tuam excellentiam Naturæ, & Gratiæ recolat; intellectus eandem, lumine tuo illustratus, ò fulgidissima Orbis Illuminatrix, cognoscat, ac ruminet, voluntas amet, admiretur, & admirando, totâ devotione veneretur; ut te quidem totius vitæ meæ decursu, maximè verò in extrema illa mortis periodo, pijssimam Matrem experiatur. Quare cum tuo tibi addictissimo Iusto Landspergio, ut mihi rectam ad cœlum viam ostendas, ad pedes sanctitatis tuæ, ò Imperatrix cœlorum confugio, per omnem gratiam & gloriam, quam tibi Filius tuus contulit, supplico, ut non derelinquas me in mortis hora, sed assistas mihi tunc, & in omni angustia, ac tentatione Protectrix, & liberatrix misericordissima. Impetra etiam mihi talem invenire gratiam apud Filium, ut in hac præsenti vita, tantam mihi det peccatorum meorum contritionem, ut plenam ante animæ meæ egressum percipiam culpæ, & pœnæ remissionem, propter mortem, & sanctitatem tuam dulcissima Mater & Domina mea Sanctissima Virgo Maria.

Oratio Landspergij ad B. V. pro fælici morte

Deniq; ò clementissima Domina mea omniũ Christianorũ Advocata, & interventrix fidelissima, rogo te per cuncta tua eximia merita, quibus DEO maximè placuisti, & per singula obsequia, quæ benedicto Filio tuo gratiosissimè exhibuisti; atque per omnes lacrymas, quas in passione ejus amantissimè effudisti, quatenus mei pauperis misereri digneris, ut juxta solitam tuam clementiam, & pietatem, in tuam maternam me suscipias curam, Regioque tuæ protectionis benignissimæ pallio protegas, inque eorum me associes numerum servulorum, qui singulari amore te prosequuntur, omniaque sua exercitia, in tuam referunt gloriam. O unica spes mea post Filium tuum gloriosa Virgo Maria, non me derelinquas in horrenda mortis hora, sed tunc & in omni tentatione & angustia adesto mihi Protectrix fidelissima, consolatrix suavissima, Mater gratiosissima perducens animam meam egredientem de corpore meo immediatè ad gaudia sempiterna. Quod ut faciliùs à te impetrare valeam, veneror te quam humillimè, teque saluto cum tibi devotissimo, tuiq; amantissimo Ephræm: *Reple os meum gratiâ dulcedinis tuæ ò Domina, & illumina mihi mentem ò gratia plena, move linguam meam, ac labia ad laudes tibi alacriter lætoq; animo decantandas, & præsertim dulce illud melos Angelicum longè celebratissimum, quod Angelus Gabriel in Nazareth, tibi Virgini Matri DEI mei integerrimæ cecinit. Dignare igitur me humilem servum tuum laudare te Virgo sacrata, tibiq; suaviter dicere. Ave præclarum & electum Vas DEI. Ave Domina Maria gratia plena. Ave lux splendidissima, Mater & Virgo. Ave, quæ admirabiliter Regem omnium peperisti. Ave Regina & Domina cunctis sublimior. Ave terrigenarum omnium oblectamentum. Accipe ò Domina hunc Filij tui indignissimi te humillimè venerantis, adorantis, teq; salutantis affectum, Adesto mihi nunc & semper ò Virgo DEI Genitrix, Mater misericordiæ benigna & clemens in præsenti vita cursu fervens protectrix atq; auxiliatrix, hostiles quoscunq; impetus à me avertens, & in via salutis me constituens, ac in extremo vitæ articulo miseram meam animam conservans.*

Salutatio S. Ephræm ad B. V.

Amen.

AVE MARIA.




DISCVRSVS VII.

Sanctissimum Virginis Deiparæ Nomen, Hyperduliæ cultu venerandum.

Novi te ex Nomine, & invenisti gratiam coram me.
Exodi cap. 33.

I.



Ivus Petrus Archiepiscopus Ravennas ab aurea dicendi facultate, atque ubertate cognomento Chrysologus serm. 154. de D. Stephani acturus dignitate, ac meritis, præcipuum à notatione Nominis (quod mirificè Martyrij gloriosissimi, quam indepturus erat coronam, denotabat) duxit argumentum: *Sicut enim Dominum*, inquit S. Antistes, *prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur, ita nomina ipsa sæpè Sanctorum merita indicant, testantur insignia. Ita Abraham quod fide credidit, nominis adjectione ministravit, quando ex Abram Abraham Divinitus nuncupatur, vt dilatandus genere, nomine ante dilataretur. Sic conjunx ejus sancta cùm de sterili fit fœcunda, ex Sarai vocitata est Sarah, vt & ipsa ante crescat nomine, quàm crescat pignore, & quia promittente Domino, risum credidit, si vetula conciperet exarata jam rugis, si pareret, desperata jam fœcunditas, Risum quod mox genuit nuncupavit & hoc aptavit in nomine, quod sensu passa est cùm rideret. Sic Stephanus vocatus est à Corona, quia primus meruit, pro Christi nomine subire conflictum primus meruit sanguine militum Christi martyrium dedicare, primus à Rege suo consecutus est Coronam, quia jam cùm nasceretur nomen sortitus est à Corona.* Idem sanè & longè potiori jure dicere possumus de Virgine Deipara, quæ cum preciosissima quædã, ac Divinissima, Regiaq; Corona, utpotè Mater Dei, Domina mundi, Regis Regum, Domini Dominantium dignissima, ab ipsis Conceptionis suæ initijs, usque ad extremum vitæ finem extiterit, Nomen etiam sanctissimum, Divinissimum, ac planè Regium, mirificam proportionem, ac convenientiam habens cum ipsa, Divinitus consecuta est meritissimè. Quæ cum excellentissimo Hyperduliæ cultu, uti supra demonstravimus, ab omni tam Angelica quàm humana Natura honoranda sit, eodem prorsus honore venerationeque Nomen quoq; ejus gloriosissimum, tanquam viva, ac expressissima ipsius nominati Imago, ac figura (cùm ut sapientissimè in suo Cratylo docuit Plato, Nomina cum rebus ipsis, quibus imponuntur convenientiã similitudinemque habere debeant) erit prosequendum. Vnde summa illa Majestas ei dicere meritò potuit, quod olim dilectissimo suo servo Moysi non est dedignata. *Novi te ex Nomine, & invenisti gratiam coram me.* Exod. 33. v. 12. Ac si luculẽtiùs dicere voluisset: Perfectionem, sanctimoniamque summam, imò & Regiam illam dignitatem, quâ polles, utpote Mater mea dilectissima, in Nomine tuo, tanquam in Imagine expressam intueor. Nomen tuum benedictum est, sanctum est, Divinum est, Regium est, meoque quam simillimum, proinde benedictam, sanctam quoque, ac Divinam, Regiamque mentem animamque tuam Coronâ sempiternâ planè dignissimam in illo conspicio. Vnde in oculis meis adeò gratiosa, adeò amabilis evadere meruisti, & digna prorsus, ut tuum Nomen post meum, eminentissimâ Hyperduliæ veneratione, præ Sanctis omnibus Angelisque etiam supremæ Hierarchiæ adoretur. Hanc ob causam censet Dio-

Nomina merita Sanctorũ significare solent.

Abraham dilatandus olim genere, Nomine dilatatus est.

S. Stephani Nomen Coronam sonat.

Nomen Maria, est Imago ipsius Virginis ejusque morũ.

Nomina rebus convenire debent, & illarum esse imago.

Mariæ Nomen sanctum, ac Divinum, cultu Hyperduliæ honorandum.

B. V. ob celsitudinem meritorum Cedrus super omnes Arbores Paradisi, Hyperduliâ colenda.

Dionys. Carthus. Art. 25. in Cant. DEIparam hujuscé suæ præeminentiæ super omnes mentes Angelicas memorem, fuisse gloriatam: *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano.* Vbi DEIparam sua verba interpretantem in hunc modum introducit: *Sicut Cedrus in Libano elevatur, crescendo in altum, & dulciter redolet, imputribilisq́; consistit: Sic ego à populo Christi fideli, præ cunctis puris creaturis devotè honoror, sublimiter color Duliæ cultu* (imò verò Hyperduliæ) *& cunctis sum dulcis atq; ab omni corruptione culpæ, & reprahensibilitatis penitus aliena.* Quibus verbis eximiam quandam sublimitatem, Cedros omnes excedentem sibi, Nominique suo, Divino quam simillimam inesse significavit.

Mariæ Nomen Tetragrammaton, simile Divino.

2. Sed hic quæret quispiam quæ tandem inter Divinum Marianumque Nomen intercedat similitudo? Hoc ut clariùs perspiciatur, sciendum apud Hebræos tria omninò reperiri Nomina, quatuor literis, velut elementis constantia, dicta *Tetragrammata*, arcanis mysterijs refertissima. Primum est magnum illud DEI ter Optimi, terque Maximi Nomen *Iehovah*, quod literis quatuor duntaxat exarabatur: *Iod, He, Vau, He.* Quod quia Hebræis nunquam effari erat licitum, Ineffabile appellabatur; cujus vice; *Elohim, Adonai,* enunciabant. Nomen hoc inter alia, altissimum Trinitatis mysterium in se mirificè exprimit, ac repræsentat, uti & sanctissimæ DEIparæ, quemadmodum decursu sermonis apparebit. Hinc Galat: lib. 2. de Arcanis Cath. Verit. c. 10. & ex ipso Vasquez tom. 2. in 1. Part. disp. 108. c. 2. 3. refert quod Rabbenus Heccados, hoc est Magister noster sanctus, ad Antoninum Romanorum Consulem nominis hujus perscribens arcana, significari demonstraverit; *DEVM generantem.* Et quia generans absque genito intelligi non potest, necesse est omninò, ut habeat Filium. Et quia Generans diligit Genitum, & vicissim genitus generantem, necesse est mutuum inter illos Amorem vinculumque intercedere, quod nil est aliud, quàm Spiritus Sanctus, ab utraq; persona spiratus. Vnde idem Rabbinus nomen *Iehovah; Semhammephoras,* hoc est, Nomen expositum, appellari asseruit; quod subinde duodecim literis Hebraicis exponebatur, quæ interpretatæ significabant; *Pater, Filius, Spiritus S. Trinitas in Vnitate, & Vnitas in Trinitate.*

Nomen Tetragrāmaton Deum generantem significat, imò totā Trinitatē repræsentat.

Subinde 24. literis Hebraicis exponebatur, quæ rursus expositæ atq; explicatæ sonant: *Pater DEVS, Filius DEVS, Spiritus S. DEVS: Trinitas in Vnitate, & Vnitas in Trinitate,* Imò idem Galatinus loco citato notat ipsas literas Nominis illius Ineffabilis, mysterium augustissimæ Trinitatis designare. *Iod* siquidem litera principalis significat Principiū quod Patrem æternum denotat, utpotè Fontem, Originem, totiusque Trinitatis Principium. Altera litera *He*, significat Esse, seu vivere, quæ exprimit Filium, per quem creaturæ omnes essentiam, vitamque acceperunt. Vnde dilectus Discipulus: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso vita erat.* Ioan. 1. Tertia, *Vau*, unionem seu copulam significat, personamq; Spiritus sancti, qui velut unio, amorisq; inter Patrem & Filium vinculum intercedit, repræsentat. Postrema litera, *He*, Filio, uti jam dixi, appropriata, duas in Christo DEI Filio esse Naturas, Divinam nempè, Humanamque designat. Vnde factum, ut litera hæc Filium DEI repræsentans, Abrahami & Saræ nomini adjungeretur, utpotè his, à quorum Stirpe Humanitatem nostram erat assumpturus. Nec mysterio vacare censendum est, quod replicetur littera *He*, hoc enim nobis duplicem illum respectum, relationemque, quam habet Filius ad Patrem & Spiritum Sanctum, indicat. Eadem litera cum aspirationis nota sit, eundem Incarnatum DEI Filium, nostram respirationem olim futuram insinuabat. Vnde Hieremias Thr. 4. *Spiritus oris nostri Christus Dominus.* Verè respirationem nostram se esse ostendit Salvator, cùm dixit affectu benignissimo: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos.* Non caret denique mysterio, quod quatuor illæ literæ Hebræis dicantur *Quiescentes*, quod solus DEVS trinus & unus, utpotè summum æternumque bonum insatiabilem hominis appetitum expleat, ita ut cor, mens, animusque noster in ipso solo suavissimè conquiescat. Quod Divus cùm in se expertus esset Augustinus, ingenuè fatebatur: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* In Confess. lib.

Tetragrāmati Nominis literæ ipsæ SS. Trinitatē exprimūt.

Spiritus S. unio & amor Trinitatis.

Litera Divini Nominis Abrahamo & Saræ cōmunicata, quia ex illis Messias oriturus.

Christus nostra respiratio.

Literæ Divini Nominis quiescentes, quia in illo est pax nostra

3. In hoc denique nomine Divinissimo Trinitatem reclusam agnoscentes Chaldæi, tria *Iod* Sphæricæ figuræ, addi-

Chaldæi, tribus Iod Sphæræ inclusis additâ vocali Cametz Trinitatem significabât

tâ desuper vocali *Cametz*, concludebant; ad insinuandum nimirum, quod tres Personæ illæ Divinæ, licet universum Orbem essent molitæ, erant nihilominùs unicum indivisumque principium, cùm Theologi cum Divo Augustino dicant: *Opera Trinitatis ad extra esse indivisa.*

Summus Sacerdos Nomen Divinum aureâ exculptum laminâ ad instar Coronæ in capite gestabat.

Nomen Dei Magnificentia.

Nomen Dei ita pulchrum ut concupiscentia oculorum videretur.

Ex hactenus dictis intelligimus nil nobs mirandum esse, quod olim apud Hebræos Nomen hoc *Iehovah* in tanta fuerit veneratione, ut summus Sacerdos, aureâ exculptum laminâ in fronte velut pulcherrimum Diadema, admirabili quâdam Majestate, ac magnificentiâ decoratum circumgestârit. Vnde Salomon ipsum Nomen Divinissimum, *Magnificentiam DEI,* appellare non dubitavit, Sap. 18. *Magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat.* De hoc eodem nomine Ecclesiasticus cap. 45. pulcherrimum illud celebravit elogium. *Corona aurea expressa signo sanctitatis, & gloriâ honoris, opus virtutis, & desideria oculorum ornata.* Græca Complutensis versio habet: *Coronam auream super mitram, sculpturam signaculi sanctitatis, gloriationem honoris, opera virtutis, concupiscentias oculorum, ornata, pulchra;* Quod pulchritudine suâ, ac ornamento, castissimam in hominum aspicientium cordibus, animisque succenderet voluptatem. Vnde non mirum cuiquam accidere debet, Alexandrum Magnum tantis victorijs ac triumphis de Asia, Indis, de toto penè Orbe reportatis tumidum, ac insolentem, cùm Hierosolymam esset ingressus, summumque Sacerdotem Jaddum, sacrosancto illo Nomine coronatum conspexisset, Nominis illius Majestate mansuefactum adeò, ut summâ animi demissione se in terram abjecerit, illudque adorârit, tum Iaddum accedens propiùs eum perbenignè summâ cum Principum Regumque totius Syriæ, qui eum comitabantur admiratione, salutârit, ut testatus est Ioseph lib. 11. Antiq. c. 8.

Alexander summum Sacerdotem Hierosolymis adoravit.

Mariæ Nomen Divino simile.

Hæc sanctissimi Nominis Arcana fusiùs enodare libuit, ut magis Mariani Nominis (cui tantâ cum hoc Divino intercedit affinitas, ac similitudo) præstantia enitesceret, clariusque intelligeremus illud veneratione maximâ, cultuque Hyperduliæ religiosissimo dignissimum. Cùm operis hujusce nostri scopus sit præcipuus, ostendere, quânam ratione Virgo Deipara in se, atque adeò ipso suo Nomine, Naturam Divinam Personasque, velut lucidissimo Speculo, repræsentârit.

4. Alterum Nomen *Tetragrammaton* est dulcissimum amabilissimumque IESV Salvatoris nostri Nomen, quod quatuor hiscé Hebraicis exaratur literis *Iod, Schin, Vau, Ghain*, quibus additis punctis, quæ vocalium vicem gerunt, Nomen *Iesuah*, quod salutem simul, & Salvatorem significat, efformatur; estque quoddam Nominis illius ineffabilis compendium, continendo in se priores duas literas, *Iod, He,* quibus si *Vau* adjungatur cum Virgula transversali ad instar Crucis, componetur Nomen IHV per abbreviationem.

IESV Nomen Tetragrámaton.

5. Tertium denique Nomen quadriliterum est Mariæ, Nomen suavissimum, quod quatuor hiscé scribi consuevit literis: *Mem, Res, Iod, Mem.* Cùm igitur Mariæ nomen sit *Tetragrammaton*, ad instar *Iehovah*, ad instar *Iesuah*, quæ omninò Divinissima sunt, quis dubitare audeat Marianum hoc Nomen Divinitatem quandam spirare, ejusque similitudinem præseferre, eòque magis, quod non solùm literis constet quatuor, verùm etiam unum *Iod* sibi ab illo Nomine Ineffabili mutuetur? quâ litera nobis significari videtur, quod quemadmodum Vniversorum Dominus, æquè Pater, ac Filius, imò & Spiritus Sanctus primum omnis nostræ fœlicitatis est principium, ita quoque sit nobis prima post DEVM Virgo DEIpara bonorum omnium tam spiritalium, quàm corporalium causa, cùm & ipsius Nomen sacratissimum perinde atque *Iehovah*, perinde atque *Iesuah* idem illud *Iod* in se complectatur. Quare de Virgine aptè Albertus Magnus pronúciavit: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Accedit quod pleræq; Nationes ad Numinum suorum ostendendam populis Divinitatem, eorum Nomina quatuor literis scriptitârunt, ut Lilius Giraldus in suis Syntagmatis observavit. Atque ut de Latinis taceamus, Græci, Θεός; Ægyptij, *Toit*: Persæ, *Siri*: Tyrrheni, *Esar*: Magi, *Orsi*: Arabes, *Alla*: Assirij, *Adad*: Mahometani, *Agdi*: Iapones, *Cami*. Populi denique non ita pridem, hac nostra ætate reperti, DEVM suum nuncupârunt, *Zimi*.

Mariæ Nomen Tetragrámaton.

Nominis Mariæ Iod litera Divina ostẽdit, illam nobis bonorũ omnium esse principiũ post Deũ.

Dei Nomen Tetragrammaton apud varias nationes.

6. Quid de reliquis maximi illius Nominis dicam proprietatibus, quæ mirificè summi DEI nostri Parentis sacrosancto Nomini conveniunt? Si enim

enim Nomen Dei ineffabile ac innominabile est, ut etiam vult Plato; est similiter & Deiparæ. Vnde Gabriël Archangelus summam Virginis dignitatem admiratus simul, ac veneratus primò aditu, Nomen ipsius effari non est ausus, quod Seraphicus sapienter observavit Bernardinus Senensis Tom.3. tract. de Beata Virgine Serm. 1. *Proinde*, inquiens, *fortè non nominavit eam Angelus in Evangelio, volens potiùs venerari silentio, quod exprimere nequivit elogio. Siquidem reverentiæ inditium est quandoq; non proprio nomine nominare, vel dignare, sed per circumlocutionem nominandum insinuare. Personam siquidem tantùm proprio nomine enunciamus, non item circumstantias dignitatis, & status.*

Cur Gabriël Mariam salutans, eam non nominârit

Hinc est quod idem Pater Seraphicus ineffabilitatē Virginei agnoscens nominis antequam ipsius auspicaretur Panægyricum priùs ejusdem Deiparæ imploravit opem, ac patrocinium: *Da mihi*, inquiens, *Virgo gloriosa virtutem, ingenium, & sermonem, ut fidelibus devotisq; tuis valeam tui Nominis gloriam nunciare, non quantum est, aut quale, sed ut tantillum ego parvulus tuus de laudibus tuis immensis enunciem ad gloriam tuam & devotionem meam, omniumq; legentium & audientium solamen.*

Ad B. V. Nomen laudandū, Divinum Virgineūque auxilium implorandū

7. Albertus Magnus etiam Tract. sup. Miss. egregiam sanè affert causam, cur Angelus Virginis Nomen minimè pronunciârit, quia nimirum cùm illud plenum foret gratiarum, insigniumque privilegiorum, id exprimere non valuit antequam ea quæ ipso continebantur exponeret, qualia sunt; *Ave gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus;* insinuare perspicuè volens Nomen hoc Sanctissimum in se continere: *Ave;* quod apud nonnullos Asceticos Patres ipsumqne Albert. & Antonin. idem sonat atque; *sine Va.* Fuit enim verissimè Virgo Deipara, absque væ calamitosissimo illo peccati originalis, mortalis, ac venialis, quibus misertimos in hoc mundo degentes mortales plerosq; subjectos denunciabat Aquila illa, quam Ioannes vidit Apoc. 8. v. 13. *Et vidi*, inquit, *& audivi vocem unius Aquilæ volantis per medium cœli dicentis, voce magnâ: væ, væ, væ, habitantibus in terra.* Idem Nomen prorsus venerabile, ac gratiosum, continet & illud Elogium: *Gratia plena;* quia quemadmodum S. Bonaventura & S. Antoninus testantur, Maria, immensa quædam gratiarum, donorumque cœlestium maria significat; citantque illud Gen. 1. *Congregationem aquarum appellavit* MARIA. Quæ aquarum seu gratiarum omnium congregatio, tunc videlicet in Virgine facta est, quando in instanti Conceptionis, ab omni peccati originalis macula præservata est. Eodem Nomine alterum illud continetur præconium; *Dominus tecum;* cùm enim DEI gratia plena esset, plena utique & ipso DEO ut esset, erat necessarium cum gratia, & charitas mutuam animæ in DEO, DEIque in animam habitationem importet. Hanc ob causam Civitas Dei, Templum Spiritus Sancti, totius denique Trinitatis nobile Triclinium appellata est. Reclusum denique Virgineo hoc Nomine postremum illud Angeli Elogium: *Benedicta tu in mulieribus.* Cùm enim mare quoddam gratiarum omnium, quas unquam Sanctorum animæ à primis mundi exordijs ad extremum usque judicij diem habuerunt, vel habituræ sunt, extiterit; per consequens sanè benedictiones omnes, ac gratias, fœminei videlicet sexus participavit; quæ præcipuæ, Virginitas, & fœcunditas, variæque de hostibus victoriæ numerantur. Quare præclarè Beatus concludit Albertus. *Omittit Angelus interponere Nomen MARIA, quia in aliud tempus nominandum, postquam gratiæ ejus fuerant explanatæ, sine quibus tam plenæ significationis Nomen non intelligeretur.*

M. Nomen multa in se continet privilegia ac gratias.

B. V. Nomen ineffabile.

M. à triplici væ peccati originalis, mortalis, ac venialis præservata.

M. instanti Conceptionis Mare facta gratiarum.

Per gratiam Deus habitat in anima.

Mulierū omnes benedictiones, Virginitatis nempè, Fœcunditatis, ac Victoriæ in Maria.

8. Porrò Sanctus Antoninus 4. P. Tit. 15. c. 14 præclarissimo illo Nomine; *Gratia plena;* jam tunc significatam ait ab Angelo, Virginem ad eminentissimam dignitatem evectam esse, siquidem & nunc cùm quis ad Pontificatum promovetur, nomina permutari consueverunt: *Angelus*, inquit ille, *dignissimè salutando Virginem nova dignitatis Nomine salutavit, vt per mutationem nominis, mutatio status figuraretur, & eminentia dignitatis. Quæ circumlocutio Nominis Beatissimæ Virginis, personæq; ipsius, est ita illi propria, ut nulli alteri, nec DEO, nec creaturis conveniat. Constat enim DEVM plenitudinis gratiæ non esse susceptivum, sed dativum. Nulla etiam pura creatura est plena gratiâ susceptivè, præterquam Virgo Beatissima, quæ tantum suscepit, ut pura creatura ampliùs suscipere non possit.* Hactenus ferè Antoninus. Quare de Virgineo hoc Nomine jure dicere possumus id, quod de IESV Nomine S. Bernardinus Senen. Tom. 2. Serm. 49.

Gratia plena; est Nomen novum, quod novam dignitatem Maternitatis denotat in B. V.

B. V. Nomen uti & Iesv est ineffabile.

Nomen unde dicatur ex Isidoro.

pronunciavit: *Deficit sensus, haret palato lingua, & omnis arescit sermo, cùm de Nomine IESV, ac de laudibus ejus mens humana considerat pronunciare sermonem. Est nempè tam amplum, atq; profundum pelagus Nomen ejus, vt plenam explanationem ipsius, nullus humanus intellectus exprimere queat. Vnde Isidorus ait, quod Nomen dictum est, quasi notamen, eo quod nobis res notas efficit. De Natura enim Nominis est notificare illum, cujus est Nomen; ita Nomen IESV incomprahensibilem nobis notat. Quis enim incomprahensibilem explicare queat? Quis posset exprimere infinitum; Aut quis DEVM & hominem poterit coarctare sermone? Propheta enim ad Dominum ait Psal. 47. Secundùm Nomen tuum Deus, sic & laus tua, id est, secundùm rem Nominis tui laudabilis es tu Domine. Sed quis rem Nominis ejus explicari poterit, vt laudet ipsum DEVM per eam & propter eam? Quis est tanta gratia, tanta virtutis, vt ad laudis ejus praconium aliquo modo reperiatur idoneus? Nemo prorsus.* Cùm igitur & Nomen Virginis adeò in se Divina comprahendat Mysteria, Divinumq; sit totum, humanę sanè linguæ, ut & Divinum Iesvm Nomen erit ineffabile.

Franciscus de Retza de solo Nomine Mariæ ingentem Tomum composuit

9. Hinc P. Franciscus de Retza Ord. D. Dominici illustre Sydus, & Academ: Viennen: Rector, qui tempore Alberti primi Archiducis Austriæ, circa annum 1302. vixit, ingentem Tomum de solo hoc gloriosissimo Mariæ Nomine, quod ejus cordi insculptum esse videbatur, deque Mysterijs in eo contentis conscripsit. Hunc M. S. in Monasterio Viennensi videre licuit; cujus ineffabilitatis Virginei Nominis initio varias apportat rationes: *Extollitur*, inquiens, *Virgo Beata hoc Nomine, à collectiva Bonitate, cujus est cunctos adjuvare, & omnibus suum bonum communicare. Nam dicitur MARIA ex universali perfectione, & Sancta Trinitatis speciali munere & donatione, qua Congregationes aquarum, id est omnium charismatum, virtutum, & gratiarum appellavit Maria.* Genes. 1. *Hoc enim Nomen Maria est Beatissima Virginis proprium, antequam conciperetur in utero à DEO per Angelum ejus parentibus insinuatum, eidem in Nativitate imponendum. Nomen hoc, est Nomen dignissimum, omnis virtutis & gratia expressivum. Nomen enim secundùm Grammaticos à notamine est dictum, & est substantia, & qualitatis rei nominata significativum. Cùm igitur tam substantia, quam qualitas Beatissima Virginis, sint ad plenum ineffabilia, hoc Nomen dignissimum non potest planè exprimi humanâ linguâ, non Angelicâ; non capi creatâ intelligentiâ, quoad sua contenta in se significata. Nam Virgo gloriosa, per hoc Nomen expressa, pro sua dignitate excellentissima, non potest sufficienter explicari, per quacunq; vocalia signa, vel mentalia instrumenta. Et verò si licuit Sancto illi de S. Paula Romana, clarissimo genere orta, virtutum, ac morum decore ornata illud proferre: Si cuncta corporis membra verterentur in linguas, & omnes artus mei humanâ voce resonarent, nihil dignum virtutibus S. Paula dicerem: multò magis, imò in infinitum plùs hoc possumus dicere de hoc dignissimo Maria Nomine, quod etiam omnes creatura, si simul loquerentur, non possent, vt dignum est, laudibus efferre, secundùm quod ait Ambrosius: Si rerum universitas singulis distincta speciebus in B. Dei Genitricis laudem, magnis succlamaret vocibus, tum dignitatem ejus intelligentibus hoc surditas, vel silentium appareret.* Hæc Retza.

M. Nomen bonitaté amplissimam in alios effusivam præfert.

M. Nomen dignissimũ omnis virtutis & gratiæ expressivum.

Si omnes creaturæ converterentur in linguas, M. Nomen dignè explicare non sufficerent.

10. De hac tanti Nominis ineffabilitate pijssimus Richard. à S Laurent. lib. 1 de laudib. Beatæ Virginis c. 2. ex D. Bernardo sic loquitur: *De gloria Nominis hujus, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, nec inerudita potest locutio parturire. Vnde nec mirum si pauca dicimus, qui cogitatione deficimus, nimirum, quibus gustare de tanta dulcedine non est datum; non enim datur sanctum canibus. Non autem intelligit, qui non gustat, sicut ait Psalmista: Gustate & videte: gustat affectus, videt intellectus; oportetq; ut gustus pracedat, ut illuminare valeat intellectum. Sic enim oculi Ionatha melle gustato fuerunt illuminati.* Gustato hoc Mariani Nominis melle, agnitâque ex Majestate ac Divinitate ipsius eminentiâ Sanctus Gerardus Martyr Episcopus Canadiensis, uti testatur Surius 24. Septemb. adeò Divinâ luce Nominis hujus perfusus fuit, ut subditos sibi Hungariæ populos edocuerit, ne unquam Nomen illud enunciarent, sed Deiparam, Dominam suam duntaxat, vocitarent, idque cùm facerent, inclinato in terram capite, submisso poplite illud summâ veneratione adorarent.

Nomen Mariæ Mel Ionathæ.

Nomen B. V. Gerardus Episcopus vetuit pronunciari, velut ineffabile.

11. Quod si duo illa Nomina *Iehovah, & Iesuah* Nomina sunt Divina, Divinam propemodum Nomen est & Virginis nostræ Sanctissimæ. Quam Divinitatem Seraphicus colligere videtur Bernardinus Tom. 3. tract. de B. V. Serm. 1. ex multiplici ipsius Nominis significatione, alijsque quibus à Sanctis Patribus appellari consuevit Nominibus: *Propterea*, inquit, *MARIA, non*

M. Nomen Divinum, quia multa significat, uti & Tetragrãmaton.

unam

unam tantùm, sed multiplicem habet interpretationem; ut sicut DEUM ipsum non uno tantùm nomine, sed multis nominamus, ut sic ejus incomprehensibilitatem enunciemus: sic & gloriosam Virginem multis nominibus designamus, & nunc lucem, nunc Solem, &c. vocare solemus, ut sic ad sublimitatem ejus cognoscendam aliquantulum pertingamus. Immensitas quidem gloriæ ejus omnem humani sermonis excedit inopiam. Vnde Anselmus lib. de Excell: Virg. c. 8. *Quid ampliùs dicere possum Domina? immensitatem quippè gratiæ & gloriæ tuæ considerare cupienti sensus deficit, lingua fatiscit.* Sic Bernardinus, qui quam plurimis alijs hujusce Nominis Mariani prætermissis significationibus, tres illas enucleat duntaxat, ut quod sit Stella maris, amarum mare, & Vniversorum denique Domina, quæ nos decursu sermonis prosequemur.

Immensitas Gratiæ & Gloriæ B. V. ineffabilis

12. Eandem Mariani Nominis Divinitatem vel inde colligimus, quod aliorum justorum Nomina in cœlis duntaxat conscribantur ac recondantur: *Gaudete*, inquit Christus, *quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Luc. 10. At verò Virginis Deiparæ in arcanis abstrusisque, ab omni hominum cognitione thesauris Deitatis. Vnde B. Cardinalis Petrus Damiani Serm. de Annunciatione, describens quânam ratione summa illa Majestas ad Virginem Gabriëlem Legatum pro redimendo genere humano ablegârit, illamque in Matrem Vnigeniti sui, ejus incredibili, castissimoque amore captus elegerit; mox subtexuit: *Evocatur statim cœlestis ille conventus, & juxta Prophetã init Deus Consiliũ, cogit conciliũ, facit sermonem cum Angelis de restauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovatione, ac illis stupentibus, ac mirantibus præ gaudio de modo redemptionis, statim te de Thesauro Divinitatis MARIÆ Nomen evolvitur, & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine illo nihil factum, ita sine illa nihil refectum sit: traditur Epistola Gabriëli, in qua Salutatio Virginis, Incarnatio Redemptoris, modus Redemptionis, plenitudo gratiæ, gloria magnitudo, multitudo lætitiæ continetur.* Quibus in verbis illud in primis expendendum est: *Vt sicut sine illo*, nomine scilicet Dei, quod essentiam significat, *nihil factum est, ita sine illa nil refectum sit*; ubi Divina quædam Omnipotentia Nomini Virgineo videtur attribui, quo ejus Divinitas nobis magis declaretur, & innotescat.

B. V. Nomen producitur ex Thesauro Divinitatis.

M. Nomen Omnipotens, uti Divinum propemodum.

13. Vnde Richardus à S. Laurentio lib. 1. de Laudib. Virg. ipsi Nomini IESV illud comparare, eique ejusdem illud præconium. *Oleum effusum Nomen tuum*, attribuere non dubitavit. *Rectè*, inquiens, *hoc Nomen Maria Oleo comparatur, quia inter omnia Sanctorum Nomina, post Nomen Filij, reficit lassos, sanat languidos, illuminat cœcos, penetrat duros, recreat fessos, ungit agonistas, putrefacit jugũ Diaboli, supernatat omni Nomini, sicut oleum omni liquori. Dedit enim ei tota Trinitas Nomen quod est super omne Nomen, post Nomen sui Filij, vt in Nomine ejus omne genuflectatur, uti manifestè patet, cœlestium, terrestrium, & Infernorum, & omnis lingua confiteatur Sanctissimi hujus Nominis gratiam, gloriam, ac virtutem. Non est in aliquo alio Nomine post Nomen Filij tam potens adjutorium, nec est aliquod Nomen sub cœlo datum hominibus post dulce Nomen IESV, ex quo tanta salus in homines refundatur.* Idem Deiparæ nomen oleo contulit pijssimus in Virginem Ioannes Cardin. Halgrinus, reddens rationem, cur sit tantopere ab omnibus dilecta. *Ideò*, inquit, *ab adolescentulis B. Virginis meritò Nomen diligitur, quia Oleum effusum Nomen suum. Nam sicut Oleum omnem liquorem supernatat, sic Nomen ejus, & invocatio, Nominis ejus omnium Sanctorum Nomina invocationesque Nominum superexcellit, & superat in efficacia subventionis, obtentu Divinæ gratiæ, & Dæmonum fuga.*

In Nomine B. V. omnia sunt instaurata.

M. Nomen Oleum effusum.

M. Nomen super omne Nomen excellentissimum.

Ad Nomẽ M. omne genu flectitur.

In M. Nomine salus nostra.

Nomen B. V. ab adolescentulis diligitur.

Nomen M fugat Dæmones.

Similia penè Nominis hujus Mariani Encomia Sapientissimus Idiota integro prosecutus est capite 5. in sua illa de Virginis excellentia contemplatione.

14. Quid de Alano dicam? qui postquam Augustissimum hoc Virginis Nomen etiam oleo contulisset, deque ejusdem fama illustrissima præmisisset: *Cujus Nomen præconatur Mundus, nisi Virginis hujus? Cujus laus celebratur in ore populi fidelis, nisi Virginis Matris? Cujus humilitas nobis proponitur in exemplum, nisi Virginis Mariæ? Cujus Virginitas nobis datur in speculum, nisi Virginis incorruptæ?* Mox hujuscé comparationis luculentissimas affert causas, variaque effecta utilitatesque ejusdem, quæ miram in fidelium animis meritò excitare valent pietatem: *Eleganter*, inquit ille, *fama & gloria Nominis eius Oleo effuso comparatur. Oleum enim esurientem reficit, ægrotantem sanat, membra defatigata mitigat, odorem parit, flammam nutrit. Sic & laude Virginis reficimur, exemplo ejus ad virtutum medicamina invitamur, adver-*

M. Nomen per totum Orbem celeberrimum.

M. Nomen reficit esurientes ægrotos sanat &c.

Nominis M. gloria in dies augetur.

adversitatibus fessi, eius patientia recreamur, vita eius forma illustramur: Nominis fama diffunditur & non solùm oleo, sed & oleo effuso Nomen eius comparatur. Quia sicut Oleum effusum magis redolet, sic quantò magis Nomen Virginis dilatatur, tantò magis gloriâ augetur. Quid denique de Honorio Augustodensi Presbytero, dicam? qui Nomen Marianum Oleum esse dixit, idque miris Divinisq; effectib⁹ insigne; quod varijs comprobavit exemplis cap. 1. in sigil. B. M. *Oleum*, inquiens, *alijs liquoribus infusum supernatat, & etiam infirmos sanat. Nomen autem Virginis est Maria, qui in tribulatione, eius auxilium invocant, omnia adversa, vt Oleum, per eam supernatant, ut puerulus Iudæus quem in fornace à flamma protexit, quod cum reliquis pueris Christianis corpus Christi sumpsisset. Qui verò peccatis infirmi, in eam confidunt, per oleum, Christum scilicet, citiùs salutem recipiunt, ut Theophilus qui scripto Christum abnegavit, & se Diaboli manibus tradidit, per eam chirographum à Diabolo recepit, indulgentiamq; sui reatus promeruit. Similiter Maria Ægyptiaca multis sordibus involuta, per eam non solùm veniam facinorum habuit, verùm etiam gloriosis miraculis claruit. Qui autem in salo huius sæculi navigant, eiusq; castitatem humilitatemq; imitando, ut stellam considerant, portum vitæ per eam tuti ingrediuntur. Vnde quidam, qui diebus singulis ante Virginis Altare sese inclinando eam Angelicâ salutatione avere iubebat, in mortis articulo ab illa protectus, deq; manibus Dæmonum, qui eum ad Barathrum rapturi erant, fuit ereptus. Pia enim Virgo subito adveniens,* inquit Honorius, *& Capellanum suum esse profitens, ab impijs iam desperatum eripuit, & sic ille vertice tuto per eam evasit.* Sic ferè Honorius.

Nomine M. omnia adversa superantur.

Puerulus Iudæus in fornace ardenti à B. V. protectus.

Theophilus per B. V. à Dæmonis captivitate liberatus.

Maria Ægyptiaca à B. V. à peccatis liberata.

B. V. Salutans quotidie, in hora mortis à Dæmonũ insidijs per eandem liberatur.

15. Aliud ex Verbis Richardi ac Idiotæ pro Nominis Deiparæ Divinitate asserenda eruimus argumentum, quod nimirum ab ipsa Sanctissima Triade, sicut & Nomen Salvatoris sit illi impositum, & postea ab Angelo Ioachimo & Annæ nunciatum, ut testatur Sanctus Antoninus 4. P. tit. 15. c. 14. & Retza. Vnde idem Richardus ait, hoc esse Nomen illud Novum, de quo Isai. 62. *Vocabitur tibi Nomen novum, quod os Domini nominavit.* Quod nobis in ipsis primis mundi incunabulis præfiguratum fuit. Licet enim Vniversorum Dominus Protoplasto mandaverit, ut plerisque creaturis à se conditis Nomen imponeret (*formatis*, inquit Moyses Gen. 2. n. 19. *Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea; omne enim quod vocauit Adam anima viventis ipsum est nomen eius*) aquis tamen potissimum, alijsque nonnullis, quæ Virginem adumbrabant, quales sunt cœlum ac terra, ipsemet, ore suo Sacrosancto, nomen imponere ad tanti Nominis Divinitatem denotandam non est dedignatus: *Congregationesq; aquarum apellavit Maria.* Addiditque mox Nominis tam insignis approbationem: *Et vidit Deus quod esset bonum.* Gen: 1. v. 10. Audiendus hic B. Albert. Tract. sup. Missus ubi operibus illis sex dierum ostendens adumbratam fuisse Deiparam: *Tertia diei*, inquit, *opus, est Congregatio aquarum in unum locum, id est in Virginalem uterum congregativum omniũ gratiarum. Sed in hoc est differentia, quod congregatio gratiarum vocatur MARIA media producta: Congregatio verò aquarum vocatur Maria, media correpta. Idq; ideò, quia transitorium est Eccli. 21. Et mare iam non est. Hæc autem media producta, quia perpetua est. Maria enim optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum.* Cùm igitur Nomen hoc augustissimum, ore Divino fuerit pronunciatum atque impositum Deiparę, summâ cum reverentia, & cordis, labiorumque puritate nobis semper erit nominandum, ne Divinæ ultionis flagella, ut ille Divini Nominis contemptor, de quo scribit Sanctus Eusthatius in Hexam: experiamur. Huic enim cum Moyses exaratum in chartula Divinum Nomen *Iehovah* tradidisset, illudque homo incurius parvi fecisset, repentino spasmo, vitam miserandum in modum terminavit.

Nomẽ M. novum à SS. Trinitate impositum.

Cœlo, terræ & aquis quæ M. significabãt Deus ipse Nomen imposuit.

M. Mare magnum omnium gratiarum

M. Nomen magna cordis orisq; puritate pronunciandum.

Poema irreverẽtiæ Divini Nominis.

Quam ob rem D. Bernardinus Senensis meritò in Mariano Nomine commemorando oris requirebat puritatem Tom. 3. serm. 2. *Quis*, inquiens, *mortalium, nisi Divino illustratus oraculo de unica Dei & hominis Genitrice quicquam modicum, seu grande præsumat edicere, imò non timeat hanc pollutis labijs nominare, quam Pater misericordiarum Deus ante sæcula perpetuam prædestinavit in Virginem dignissimam; Filius praelegit in Matrem; Spiritus Sanctus nova gratia domicilium præparavit?*

M. Nomen pollutis labijs minimè pronunciandum.

16. Vt porrò hujus Sacratissimi Mariæ Nominis Divinitatem, magis perspectam habeamus, considerandi sunt fructus uberrimi, quos ijs qui illud puro, devoto, amantique corde, labijsque, eâ quâ

Mariæ Nomen assiduè venerandum & ore promendum.

quâ par est reverentiâ, invocant, parere consuevit. Hos descripsit Apostolico suo stylo Thomas de Kempis lib. Vallis liliorum. c. 13. qui postquam docuisset hominibus spiritui excolendo deditis assiduè illud mente versandum, oreque pronunciandum: *IESVS & MARIA sint semper mecum in via, in omni loco, & in omni tempore pro bona custodia.* Postquam explicuisset insuper quantâ reverentiâ Nomina illa sacratissima cœlestis Patriæ cives prosequantur; hæc attexit: *Hæc sancta oratio trahit ad se in fervore Spiritus totam cœlestem Curiam, quæ sequitur cum omni reverentia Dominum suum IESVM Christum, & Dominam suam Sanctam Mariam Matrem IESV benedictam, omni laude dignissimam;* postquam, inquam, vim oratiunculæ illius exposuisset; fructûs ejus uberrimos mox adjunxit, docuitq; modum, quo omnibus penè membris nomina illa sacratissima sint colenda, atque veneranda: *Benè ergo & securè ambulat, qui IESVM & Mariam in corde portat, ore sæpè nominat, labijs benedicit, manibus plaudit, pedibus tripudiat, voce clamat, corde jubilat, oculis plorat, vultu suspirat, osculis placat, brachijs amplectitur, & flexis genibus adorat. Beatus qui IESVM, & Mariam sedulo invocat, devotè salutat, amorosè commemorat, eximiè honorat, lætissimè collaudat, altissimè glorificat, ardentissimè amat, jucundissimè celebrat & cantat.* Hæc ille; ex quibus sanè clarè perspici potest Virum hunc devotissimū Divinum quid in hiscè Nominibus latitans agnovisse.

Orandū, ut IESVS & Maria sint semp nobiscum.

Nomen IESV & Mariæ membris omnibus laudandū.

Beatus, q IESVM & Mariam sedulo invocat.

17. Mariani Nominis Divinitatem quandam agnovêre vel ipsi Hebræorum Rabbini, & præcipuè eorum Coriphæus Rabbi Heccados apud Galat. lib. 7. de Arcan. c. 13. qui dubijs Antonini Romani Consulis respondendo, docere non est veritus, in illo Messiæ elogio Isa. 9. *Et multiplicabitur ejus imperium;* Mariæ Nomen esse reclusum: voces enim illas legunt Hebræi; *Miriam Sarah;* quæ idem significant, quod, *Maria Domina*, quasi Messiæ laus, ejusque Nominis gloria, ac imperium in Sanctissimam ejus Matrem, ejusq; Nomen redundaret.

Nominis IESV gloria in M. Nomen redundat.

Divinum quid in Nomine hoc delitescere, multò ante agnovisse visa est Sibylla Erythræa lib. 8. orac. Sibyll. dum illud apertè nominat, & de Virgine MARIA brevem quandam novamque lucem, Verbum nimirum Incarnatum, in carne nostra abbreviatum, & novum omnium novorum maximè Novum, unicumque sub Sole Novum, lucem denique novam effectum, quâ universa penitus renovata est Creatura, egressurum vaticinata est.

Sibylla Erythræa Nomen Mariæ nominavit.

Et brevis egrediens Maria de Virginis alvo
Exorta est nova lux.

18. Quid de famosissimis illis Heroibus Argonautis dicam? qui ante Christi in mundum adventum 1200. annis, sumptuosissimum magnificentissimumque Templum Sacrosancto huic Nomini Cyzici in Hellesponto post raptum vellus aureum, tanquam illi, quæ vellus erat Gedeonis, in quod Incarnatum Verbum placidè ad instar pluviæ, ad Orbem irrigandum & fœcundandum illapsum est, ut Vaticinatus est David. Illi, inquam, quæ vellere plus quàm aureo humanitatis nostræ Agnum peccata mundi tollentem erat vestitura, consecrârunt; idque oraculi jussu, quod cùm consuluissent, cuinam tandem Fanum illud esset consecrandum; respondere coactus est mendacij Parens mendacissimus; Mariæ Virgini Parenti Verbi præpotentis, quod ad instar flammantis, ac fulgurantis sagittæ, Omnipotentiâ suâ Orbem domiturum erat Vniversum. Sed ipsius oraculi voces sanè memorabiles accipite:

Mariæ Nomini Argonautæ Templum consecrârunt.

M. Vellus aureum.

Assiduâ virtute decus sublime parate;
Atq; unum sic mando Deum, qui cuncta gubernat
Cœlesti residens solio colite, atq; timete.
Illius æternum, atq; ante omnia sæcula Verbum
Nescia Virgo viri nostras emittet in auras,
Quod velut igniferis impulsa sagitta procellis
Edomitum reddet Divino munere mundum
Hujus (quā Mariæ Nomē manet) *alma Genitrix*
Agnoscet Templum proprium sibi ritè dicatum.

Verbum Incarnatū sagitta fulgurans atq; inflāmans edomansque mundum Deo rebellem.

19. Oraculum hoc generosissimi illi Heroës æreis characteribus ad memoriam posteritatis sempiternam, marmori inscriptis, supra Templi illius fores erexêre. Verùm ab humani generis hoste perfidiâ obcœcata Gentilitas, Rheam Deorum Parentem summi DEI Matrem autumans, eidem per summum nefas Templum illud dedicârunt; quod tandem Zenon Orientis Imperator quemadmodum scribit Cedrenus sanctissimæ Filij DEI Parenti dignissimæ, uti decuit; summâ pietate dedicavit. Quam sumptuosum porrò, quam magnificum & DEI Matre dignissimum hoc Templum extiterit, testatur Plinius his verbis lib. 36 Nat. Hist. cap. 15. *Durat Cyzici delubrum, in quo filum aureum commissuris omnibus politi*

Mariæ Nomini Templum Argonautæ ex polito lapide, aureo filo innexo erexerunt.

Zenon Imperator Argonautarū Templum B.V. dedicavit.

liti

Dœmonis astus in Mariæ Nomine obfuscando.

liti lapidis subjecit artifex. Et licet Plinius dicat Artificem hunc in hoc Fano, eburneum Iovem, coronante eum marmoreo Apolline, dicaturum fuisse, Strabo tamen ait, dicatum DyndimenæDeorum Matri. Etsi enim Architectus ille id intenderit; Argonautæ tamen, ut Oraculi constat responso, veri Dei Matri id consecrare voluerunt, quod postea, suasu Dœmonis Dyndimenæ fuit dedicatum.

Dyndimene Deorũ Mater.

Calecutij Templum B.V. ab uno ex tribus Regibus ædificatum, illa adhuc vivente.

20. Quid in India Orientali Templa Mariano Nomini consecrata commemorem? Certè unus è tribus Regibus, qui Christi incunabula venerati sunt; fuit, qui Deiparæ adhuc viventi Calecutij sacram ædiculam extruxit, ut scribit Hieron. Osorius Alagabriensis Episcopus lib. 1. de rebus gestis Emmanuelis Regis Lusitaniæ. Cùm enim Vascus Gomes Classis Lusitanicæ Præfectus anno 1498. Mense Majo appulisset Calecutium, Indiæ Vrbem celeberrimam, & ad invisendum Regem in terram exscendisset, à quodam ex Regni primatibus, nomine Regis exceptus est humanissimè, moxque in templum apud illos sanctissimum, ac magnificentissimum est deductus. In hujus templi medio, inquit Osorius, erat Sacellum editum, formâ rotundum, ad quod per multos gradûs ascendebatur, ostium erat ex ære factum, & valdè angustum; intra Sacellum erat signum in adverso pariete locatum, cujus formam nostri propter loci obscuritatem aspicere nequiverunt, aditus in illud solis æditui, atque Sacerdotibus patebat. Quatuor æditui propiùs accedẽtes digito in imaginem intento bis Mariam inclamant; Catuelis unus ex primatibus cum reliquis, qui eum sequebantur, se repente in terram proni, manibus extensis abjiciunt, deinde surgunt, & more suo precationem peragunt. Nostri suspicati opem Sanctissimæ Virginis implorari, genibus flexis, pacem à Deo exposcunt, Virginemque Dei Matrem more nostris usitato venerantur. Sic Osorius; qui testatur etiam Regem Cranganoris Vrbis Indiæ antiquissimæ aliud templum Deiparæ ibidem erexisse. Hinc olim, inquit Osorius, Brachmanarum literis imprimis eruditus, cùm Sorori germanæ vitium intulisset, illius flagitij conscientia graviter afflictus, pœnas de se multorum dierum inedia, alijsque laboribus severè repetebat, nec tamen animi solicitudine levabatur. Quare Religionis causâ, iter suscepit in Persidem & Carmaniam, in qua antiquissima Magorum florebat disciplina, ex quibus duo opibus & sapientia clari Principes, Regi Cranganoris per literas noti, à Stella præter naturæ ordinem orta, edocti, Regem cœli in Judæa natum, ad eum adorandum se compararunt, quibus idem Rex Cranganoris subnigro colore qualem pictores, in hoc mysterio exprimendo, effingere solent, se tertium comitem adjunxit. Quare in posterũ reliquis nominibus abjectis, nomen; Cheriperimale(quod eorum lingua sonat; Vnum ex tribus) ex hac tam illustri societate, qua maximè gloriabatur, assumpsit. Adorato itaque Christo, eique muneribus oblatis, duobus illis Regibus associatus, Rex lætissimus, tertio demum anno in patriam reversus, ædem extruxit, quam Mariæ nomine consecravit, in qua Sanctissimæ Virginis imago cum Filio in ulnis, collocata fuit, sanxitque ut quoties in Templo æditui hoc Nomen inclamarent, toties se omnes, qui adessent, in terram prosternerent.

B.V. à barbaris in terram prostratis adoratur.

Vnius Regis ex tribus ob atrox scelus pœnitentia.

Rex Cranganoris duobus alijs Regibus ad Christi incunabula visitanda se adjungit.

Rex Cranganoris Templum B.V. ædificat, jubetq; ad Nomen Mariæ omnes ad terram prosterni.

21. Quid de immanibus illis anthropophagis Brasiliæ populis dicemus? qui olim licet ad instar ferarum viventes, omnia humana simul, ac Divina jura proculcarent, nihilominus tamen ubi Christi disciplina fuerant imbuti, adeò cicurati, atque mansuefacti fuisse dicuntur lib. 2. vitæ Iosephi Anchietæ, ut Nomen Iesv, ac Mariæ, summâ pietate venerati sint. In Catechesibus enim Pueri, & puellæ, alternantibus choris sacra illa mirificè, ac devotissimè concelebrant Nomina. Incipiunt Pueri concinentes: *Benedictum & clarificatum sit sanctissimum Nomen IESV.* Mox per antistrophen accinunt puellæ: *Et Sanctissima Virginis Mariæ Matris ejus, nunc & semper. Amen.*

Brasili Nomina IESV & Mariæ piè venerantur.

Pueri & Puellæ alternantibus Choris Nomen IESV & Mariæ in Brasilia concelebrant.

Ijdem similiter pueri, ac puellæ tanto in Virginem Matrem, ejusque Nomen venerationis feruntur affectu, ut Salutationum Angelicarum coronam certatim, alternatimque in duos choros distributi illi pertexant, absolutaque quâvis decade Sanctissimam Trinitatem, Deiparam coronantem, interposito versiculo; *Gloria Patri &c.* glorificent. Ex quibus sanè omnibus venerationis modis facilè est colligere aliquid plùs quàm huma-

In Brasilia Pueri & Puellæ Coronam B.V. recitant.

humanum, in augustissimo hoc Virginis Nomine esse reconditum, illudque post Nomen Dei, ipsiusque Filij, adoratione quàm excellentissimâ prosequendū esse.

Nomen Mariæ sūmâ adoratione post Deū prosequendū.

22. Audite Seraphicum Bonaventuram Divinitatem hujus Nominis agnoscentem, illudque velut Dei Nomen propemodum, ut toto terrarum Orbe deprædicetur exhortantem. Psal. 52. *Domina in nomine tuo salvum me fac, & ab injustitijs meis libera me; vt non noceat mihi calliditas inimici, sub umbra alarum tuarum protege me. O Domina, Domina adjuva me, gratiam tuam largire animæ meæ. Voluntariè offeram tibi sacrificium laudis, & confitebor Nomini tuo, quoniam bonum est. Quoniam ex omni tribulatione liberabis me, & inimicos meos despiciet oculus meus.* Et Psalmo 64. *Iubilate Dominæ nostræ omnis terra, psallite hymnum Nomini ejus, date honorificentiam Majestati ejus. Benedicat te Domina omnis caro, glorificet te omnis lingua.* Item Psalmo 74. *Confitebimur tibi Domina, & laudabimus nomen tuum; fac nos in tuis laudibus delectari. Cantate ei habitatores terræ, & laudem ejus in populis annunciate: Adorate illam in decore illius, glorificate Opificem pulchritudinis illius. Recordamini in sempiternum misericordiæ illius, retinete in mente virtutes & mirabilia ejus.*

Nomini B. V. psallendum.

M. Nomen toto Orbe celebrandum.

23. Totum denique cum omnibus suis animæ potentijs hujus Divinissimi Nominis laudibus sese impendere cupiens exultabundus canebat Psal 102. *Benedic anima mea Matri IESV Christi, & omnia præcordia mea glorificate Nomen ejus. Ne obliviscaris beneficia ejus, nec gratiam & consolationes ejus. Benedicite ei omnes virtutes cœlorum, glorificate eam Chori Apostolorum & Prophetarū. Benedicite ei mare, & Insulæ gentium, hymnum dicite ei cœli & habitatores eorū.*

B. V. Nomen totis præcordijs laudandum.

Agnovisse denique Sanctissimi hujus Nominis Divinitatem visus est Gverricus Abbas serm. 1. de Assumpt. cùm ad invocationem hujusce benedicti Nominis in omni necessitate suadebat recurrendum, docens in illo summam reperiri fœlicitatem simul ac securitatem. Cùm enim dixisset: *Miror, ac veneror in Maria generationis Mysterium;* Statim intulit: *Vide autem si non & Filij Matrem videntur agnoscere, dictante utiq; ipsis, veluti quâdam naturali pietate fidei, vt ad invocationem Nominis ejus primò vel maximè refugiant, in omnibus necessitatibus & periculis tanquam Parvuli ad sinum Matris. De his Filijs promissum est ei Isa. 62. Habitabunt in te Filij tui. Quod si jam habitamus in adjutorio Matris Altissimi, & in protectione ejus commoramur, tanquam sub umbra alarum ejus, postmodum in consortio gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confovebimur. Tunc erit vox una lætantium, ac aggratulantium Matri, ac dicentium: Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, Sancta DEI Genitrix. Nullatenus autem credendum majoris esse fœlicitatis & gloriæ habitare in sinu Abrahæ, quàm in sinu Mariæ, cùm thronum suum in ea sibi posuerit Rex gloriæ. Ponam in te Thronum meum.* Hæc Gverricus.

Ad B. V. Nomen in periculis recurrendum.

B. V. refugium, & tuta quies

24. Scire quis vult an Nomen Virginis sit Sanctum, uti est Divinum, de quo Psaltes canebat Regius: *Sanctum & terribile Nomen ejus.* Audite Doctorem Seraphicum cap. 3. Speculi B. V. *Hoc Nomen est sanctissimum, Nomen dulcissimum, Nomen dignissimum; tam Sanctissimæ, tam Divinissimæ, tam Dulcissimæ Virgini convenientissimè est impositum.* Audite Richardum à S. Laurent. qui expendens verba illa Evangelistæ. *Et Nomen Virginis Maria;* non modò Virginitatem, verùm etiam sanctitatem Mariano Nomini arctissimè connexam pulcherrimis argumentis, pro sua in Virginem pietate comprobavit. *Benè,* inquiens, *immediatè jungitur Mariæ Virginitas, quod non solùm eam nomine præferat, sed & alijs gratiam præbeat castitatis. Ita etiam Nomini Mariæ Virginitas, & sanctitas inseparabiliter sunt adjuncta, vt cùm B. Lucas c. 7. agit de pœnitentia Magdalenæ propter hujus Nominis reverentiam, non fuerit ausus Mariam, sed mulierem in Civitate peccatricem appellare. Paulò verò post c. 8. cùm eam à Domino justificatam dicit, deq; suis facultatibus ei ministrare, vocat Mariam, eiq; Susannam, & Ioannam adjunxit; quæ si Beatæ sunt, quia Domino de suis facultatibus ministrârunt, ista sanè Maria erit illis longè beatior utpote cui dicitur: Multæ Filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Ipsa enim sola prædictarum trium in se vocabula est interpretata, officiumq; executa. Si enim Susanna interpretatur Lilium, cui meliùs hoc convenit, quàm illi, quæ privilegium meruit castitatis? Ioanna, Gratia DEI dicitur, & quæ erit hoc nomine dignior, ea quæ gratiâ plena memoratur? Illa Domino cum Magdalena de terrenis facultatibus ministrârunt, ista propriè ministravit ei, de suis, utpotè, quæ de carne propriâ ministravit conceptum, & de lacte proprio nutrimentum.* Hæc Vir in Virginem devotissimus de sanctitate, ac gratia, alijsque virtutibus Nomini Mariano indissolubiliter annexis; quæ sanè

B. V. Nomen sanctum.

M. Nomen dulcissimum, ac dignissimum

M. Nomen gratiam exhibet castitatis.

Nomini B. V. castitas & Divina gratia sociantur.

Susanna, Ioanna, & Magdalena justificata B. V. repræsentant.

benè expensa ejusmodi sunt, ut nobis facilè persuadeant non decuisse Magdalenam, dum adhuc in peccatorum colluvie esset demersa, & priusquàm septem de illa essent ejecta Dœmonia, vocari Mariam, utpote Nomine, omni sanctitate plenissimo; cum Sanctitas S. Dion. Areopag. teste cap. 12. de Divin. nom: nil aliud sit, quàm, *Puritas ab omni scelere libera, itemq; perfecta, & prorsus incontaminata munditia*; quæ sicuti in Virgine DEI Matre suum sibi, à primo ipsius conceptionis immaculatæ instanti, sic in Nomine quoque ejus Sacrosancto defixisse ipsa est domicilium, ut non immeritò S. Petrus Chrysologus in Nomine hoc hæc, aliaque quam plurima, velut aureo quopiam scriniolo, seu myrrhothecio reclusa agnoscens virtutum decora, illud coloribus illis pulcherrimis depingere, nobisque ob oculos proponere verbis illis verè aureis non dubitaverit ser. 146. *Nomen hoc Prophetia Germanum est, hoc renascentibus est salutare, hoc Virginitatis insigne, hoc pudicitiæ Decus, hoc indicium castitatis, hoc DEI sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis.*

Sanctitatis definitio.

Nomen B. V. Collegium est sanctitatis.

Verè Nomen Marianum Collegium est sanctitatis, omnisque puritatis, atque adeò virtutum Divinissimarum absolutissimum compendium.

25. O quam præclarè sanctitatem omni peccati maculâ quam liberrimam Mariani Nominis, idem Seraphicus Bonaventura nobis declaravit in Speculo B. V. cap. 4. *Nomen*, inquiens, *illud affectuosum & dulcissimum, Nomen illud gratiosum & nobilissimum, Nomen id gloriosum & dignissimum optimè convenit B. V. Dominæ nostræ. Convenientissimè Virgo tam pia vocata est Maria, ipsa enim est Maria quæ & omni vitio caruit, & omni virtute claruit. Ipsa, inquam, est Maria, quæ à septem vitijs capitalibus immunissima. Maria enim contra Superbiam profundissima, per humilitatem. Contra invidiam affectuosissima, per charitatem. Contra iram mansuetissima, per lenitatem. Contra acediam indefessissima, per sedulitatem. Maria contra avaritiam tenuissima, per paupertatem. Maria contra gulam temperantissima, per sobrietatem. Maria contra luxuriam castissima, per Virginitatem.* Quæ omnia S. Doctor colligit probatque Scripturæ sacræ testimonijs luculentissimis.

M. Nomē septem peccatis capitalibus contrarium.

26. Hanc porrò sanctitatem Virgineum hoc Deiparæ Nomen non desumit à literis, non à nuda ejusdem pronunciatione, cùm ut præclarè docet P. Canisius lib. 1. de Virgine Deip. c. 1. Maria dicta fuerit civis Hierosolymitana, Mulier tam scelesta, ut suum ipsa Filium jugulârit, igneque coctum devorârit, ut scribit Ioseph. lib. 7. de bello Iud. c. 8. sed quod proprium hoc Deiparæ Nomen ad tantæ Matris honorem, ac sanctitatem relatum, ac piè reverenterque prolatum multis sæpè prosit, & singularem quandam energiam Divinamque virtutem contineat, utpotè quod nobis summam summi DEI Matrem simul, ac Virginem, de purissimis suis visceribus humanitatem nostram, ope Spiritus Sancti conceptam atque efformatam DEI Filio communicantem, repræsentat.

M. Nomē non desumit sanctitatem à literis.

Maria Dei Matrem Virg. nobis repræsentat?

27. Videre denique cupitis quâ ratione fœlicissimum MARIÆ Nomen, bonis omnibus affluat, & promptuarium veluti quoddam sit, ac Thesaurus vitæ atque salutis perinde atque Divinum? Ad memoriam revocemus, quod supra commemoravi, primam literam augustissimi DEI Nominis, quæ est *Iod* illo contineri, quæ cùm Principium significet, indicat sanè Deiparam Virginem post Devm, in quo vivimus, movemur, & sumus, ut ait Apostolus, nobis esse principium causamque vitæ & salutis; verbo, bonorum omnium absolutissimum quoddam compendium; ut non immeritò Doctus in Spiritu Idiota pronunciârit sapientissimè in Prol. contemp. *Inventa Maria invenitur omne bonum.*

Mariæ Nomen nobis est omniū bonorum Principiū.

Inventa Maria invenitur omne bonum.

Quod minime sanè nobis est mirandum. Si enim Devs ille in antiquo testamento fortis, Zelotes, terribilis, vindicans peccata Patrum in Filios, in tertiam & quartam generationem, quando Divinæ gratiæ fons ob Protoplastorum scelus, non ita largè in humanum genus emanabat, communicata Abrahamo & Saræ unicâ sui Sacratissimi Nominis literula *He*, amplissimis eos tam cœlestibus quàm terrenis replevit bonis, adeò ut cùm antea Abram Pater excelsus, & Sara Princeps mea, postea, Divini Nominis acceptâ literâ, bonus ille senex Pater multitudinis, & nationum; & Sara, Princeps absolutè; quin imò totius populi Christiani propagatores sint effecti. *Dixitq; ei DEVS*, inquit Moses Gen 17. 15. *nec ultra vocabitur Nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia Patrem multarum*

rum gentium constitui te, faciamq; te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, Regesq; ex te egredientur, & statuam pactum meum inter me, & te, ut sim DEVS tuus & seminis tui. Sarai quoq; uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram, & benedicam ei, & ex illa dabo tibi Filium cui benedicturus sum, eritq; in nationes, & Reges populorum orientur ex eo. Quod beneficiū tam grande visum est Abrahamo, ut ipsius quasi pōdere oppressus ceciderit in faciem suam Genes. 17. v. 17. In humilitatis signum, inquit Religiosissimus Novarinus in Vmb. Virg. Excur. 14. tanquam tantum onus ferre non posset, tantamque dignitatem, ac magnitudinem; scilicet nihil exiguum adeò, quod magnifaciendum non sit, dum à Deo esse cogitatur. Nullum leve censetur beneficiū, quod Deus exhibet. Tantum fuit unam literam Nominis *Tetragrammaton* nomini Abram inseri, ut sustinere vix posset Patriarcha tanti oneris, tantæ dignitatis magnitudinem. Si inquā ante legē gratiæ unicā sui Nominis Conjugibus illis impertita litera, adeò se supremum illud Nomen liberale erga ipsos, ac munificum exhibuit; quos tandem gratiarum thesauros ac gazas veræ Saræ Virgini nostræ Sanctissimæ totius Christianitatis Matri, ac Principi, Reginæ, ac Dominatrici totius Vniversi, infinita illā communicasse censenda est bonitas, cùm illi Nomen *Tetragrammatum* suo quàm simillimum, cum illi de eodem illo suo potentissimo Nomine literam *Iod*, imò & seipsum, ipsumque suum Vnigenitum sibi consubstantialem communem effecit? Vnde præclarè Divus Hieronymus, cùm maxima illa DEI expendisset promissa: *Quam literam*, inquit, *de Nomine suo communicari voluit Deus cum Nomine Abraham, ut ostenderet non modò se bona sua impertiturum ei, verùm etiam seipsum.* De literæ hujuscé adjectione sapienter D. Ambrosius lib. 2. de Abra. cap. 11. *Non est munus Dei una litera, sed virtus literæ, quæ exprimit muneris Divini gratiam.* Et quæ tandem est hæc gratia? DEVS ipse sine dubio, qui suam mortalibus largiendo gratiam, donaque cœlestia, ipse simul semetipsum eisdem impertitur, in eisdem velut templo gloriæ suæ habitando. Quo munere quid locupletiùs? Virtus item literæ *He*, est DEI Filius. quem nobis repræsentat; cùm enim *He*, Esse, & vivere, ut supra memoravimus, adsignificet, rectè sanè

Abrahamo unicā litera Divini Nominis addita, fuit causa bonorum omnium.

Vnicā litera Divini Nominis adeò plena bonis, ut eius pondus Abraham ferre vix potuerit.

Munus est Divinum Virtus literæ Divini Nominis.

DEI Filij nota dicitur, utpote, à quo omnia Essentiam vitamque tanquam rerum omnium Principio accepēre. Sara igitur aspiratione illa Nominis Divini aucta, cùm antea diceretur Princeps mea, vocata est absolutè Domina, ad DEI Matrem figurandam, quæ quoniam non literam Vnigenitum Patris repræsentantem, sed ipsum DEI Filium verum Esse, vitamque nostram, verum Spiritum, halitum, orisque nostri respirationem sinu suo receptura erat, jure merito universorum absoluta Domina, ac Regina Cœlorum, ac terrarum, omniumque creaturarum, tam spiritualis, quàm temporalis facta, & appellata est. Qua dignitate quid quæso honorificentiùs, quid sublimiùs, quid locupletiùs excogitari unquam potest? Quid obsecro hominibus cultui D. Virginis addictis beatiùs, quid feliciùs? Siquidem tam potenti atq; opulentæ benevolæq; serviendo Reginæ fieri non potest, quin omnibus cœli divitijs, donisq; copiosissimè augeantur.

28. Hæc Divini Nominis bona ac divitias insinuare nobis visus est DEVS ipse, cùm Moysi demandavit Exod. 28. v. 36. *Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere celatoris Sanctum Domino;* Nomen nempè suum *Iehovah*, ad ostendendum nimirum mortalibus, bonis temporalibus auro argentoque inhiantibus, Nomen illud secum non modò deferre sanctitatem, ac per consequens animi puritatem, virtutes omnes, spiritualium denique bonorum omnium affluentiam, verùm etiam opes divitiasque temporales, verbo, quicquid hominibus est desiderabile; Nomine illo sacrosancto contineri. Vnde illud Ecclesiasticus supra: *desideria oculorum ornata*: Complutensis vero Interpres: *Concupiscentias oculorum, ornata, pulchra* appellavit. Intellexisse sanè visus est Apostolorum Princeps auri argentique gazas omnes Divino Nomine contineri, cùm claudo illi mendico à se stipem postulanti; *argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do: In Nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Actorum 3. ac si facto illo clarè dicere voluisset: Petis à me aurum, petis argentum, quo tuam inopiam sublevare vitamque sustentare valeas, nil horum habeo, sed accipe Nomen hoc Divinum; hoc habito, dives eris, hoc tibi omnia ad vitam æquè corporalem ac spiritua-

Sara acquirendo literam He suo Nomini additam, est facta absoluta omnium Domina.

Qui M. potentissimæ cœlorum Reginæ serviūt omnibus bonis locupletantur.

Nomen Dei in aurea lamina scriptū.

Mariæ Nomen plenū bonis omnibus, ac divitijs.

Nomen Iesu plenum divitijs, auro & argento.

ritualem tolerandam necessaria suppeditabit affatim.

Eadem planè bona, easdem divitias, benedictiones denique omnes cœli & terræ continet Nomen hoc Sacratissimum Deiparæ nostræ. O quam præclarè Sanctus Methodius Martyr, Olympi, & Tyri Episcop. Orat. in Hypap.

NomenM. benedictionibus & gratijs omnibus plenum.

Benedicta tu celeberrima & desideratissima. Tuum Dei Genitrix Nomen Divinis benedictionibus & gratijs omni ex parte est refertum. Additque rationem hujuscé dicti sanè luculentissimam, quod in se Deum summum æternumque bonum, bonorumq; omnium Fontem sit complexa: *Tu incircumscripti (si ita loqui fas est) circumscriptio; tu speciosissimi Floris radix; tu Creatoris Mater; tu Nutrix omnia nutrientis; tu cuncta continentis, & comprahendentis comprahensio; tu illius gestatrix, qui verbo suo portat universa; Tu praangustus illius sinus, qui sinu suo omnia complectitur; Tu porta per quam in carnem ingressus est DEUS.* Quare Richardus à S. Laurentio lib. 10. de laud. Virgin. cùm eam portam Templi speciosam, nuncupasset, simulque docuisset ad illam nos debere sedere, ac mendicare, exemplo illius claudi, quem sanavit Petrus: Mox benedictiones secuturas subtexuit: *Surgemus à peccato, & ambulabimus de virtute in virtutem, fidei, bonorumq; operum passibus, ac compotes bonorum omnium, quæ sacro illo continentur Nomine, evadamus.*

M. Porta Templi Speciosa, ad quam nobis mendicandum.

29. Scire cupit quispiam an hoc Mariano Nomine maximum illud bonum, quod desiderare possunt mortales, nempè Vita ac Salus contineatur? Audiat S. Chrysologum serm. 46. qui expendens actionem illam admirabilem Salvatoris Lazarū ad vitam, at non absq; præsentia Mariæ, revocantis, Sacrati Nominis Divinū planè Deiparæ nostræ rimatus est elogium. Postquam enim per fœminam mortem, per fœminam, verè Matrem omnium viventium, vitam in mundum fuisse invectā dixisset, mox attexuit: *Martha mittitur ad Mariam; quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria, veniat Materni nominis bajula, ut videat homo Christum Virginalis uteri habitasse secretum, quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de sepulchris.*

M.Nomen mortuos in peccatis resuscitat.

Sine Maria fugari nō potest mors, nec vita reparari.

30. Et verè quam vitale sit Nomen hoc, ostendere dignata est Deipara Romæ Anno Domini 1470. in Conventu & Ecclesia Patrum D. Augustini appellata S. Maria de populo, cum inopinato, contagiosa lue Sacrista cum Socio fuit subito extinctus. Casu hoc tam repentino cùm Prior Conventus Fratres consternatos nimium quantum, advertisset, suasit omnibus, ut D. Virgini voto se obstringerent, ad quinque Psalmos D. Bonavent. quorum initiales literæ Mariæ Nomen exprimunt recitandos. Res mira, emisso ab illis Dei servis voto, & fideliter persoluto, pestis omnis extincta est, nec in posterum unquam Monasterium infestare ausa est. O Nomen Virginis salutiferum! ò Nomen vivificum! O Vita vitalis, dulcis, & amabilis! O animarum nostrarum respiratio suavissima! Iure S. Germanus hujuscé Nominis intelligens energiam Virginem alloquendo: *Si tu nos*, ait, *deserueris Sanctissima Deipara, quonam confugiemus? Quid nobis fiet? Spiritus & vita Christianorum? quomodo enim corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem; ita Sanctissimum tuum Nomen, quod in ore tuorum versatur, vita, lætitia, auxilij non solùm est signum, sed etiam ea procurat.* Idiota quoq; & Richardus à S. Laurentio lib. 1. eam vocavit *spiraculum hominis, quia peccator*, inquit, *per illam respirat in spem veniæ & gratiæ, exemplo Theophili.* Quemadmodum enim respiratio & frigidioris auræ in interiora attractio, vitæ conservatrix esse consuevit, ita quoque Sanctissimi gloriosissimæ Virginis Deiparæ Nominis invocatio. Hinc illam omnium viventium Matrem potiùs quàm Evam post Chrysologum Guerricus Abb. Serm. 1. de Assumpt. censuit appellendam: *Eva*, inquiens, *vetus illa non tam Mater, quàm noverca, quæ filijs ante propinavit præiudicium mortis, quàm initium lucis, dicta quidem est Mater cunctorum viventium, sed inventa est veriùs interfectrix viventium, seu Genitrix morientium, cùm suum generare nil aliud fuerit, quàm mortem ingenerare; & quia illa non poterat fideliter Nomen suum interpretari, Maria implevit Mysterium, quæ Mater est omnium ad vitam renascentium: Mater siquidem est vitæ, quia vivunt universi, quam dum de se genuit, omnes qui ex ea victuri sunt, quodammodo regeneravit. Unus generabatur, sed nos omnes regenerabamur, quia videlicet secundùm rationē seminis quo regeneratio fit, iam tunc in illo omnes eramus.* Sic Guerricus.

Nomen Mariæ Psalmis expressum Medicina peste laborantibus.

M.Nomen animæ respiratio.

MariæNomen in ore vitam, lætitiam & auxiliū procurat.

Maria vera Mater viventium

Eva nostra Noverca.

Maria generando Christum omnes regeneravit.

Eandem facit antithesim inter Deiparam vitæ mortalium, & Evam mortis

Austri-

Auctricem B. Cardin. Petrus Damiani Serm. 3. de Nativit. *Per mulierem*, inquit, *infusa est maledictio terræ, per mulierem redditur benedictio terræ. Per cuius manum potus mortis amaræ porrigitur, per eam quoq; dulcis vitæ poculum exhibetur. Largissimum benedictionis Novæ fluentum, totum detersit maledictionis antiquæ contagium.*

Maria Evæ per omnia contraria.

31. Quare dilectissimus ejus Filius, uti constat ex revelationibus S. Brigittæ lib. 1. cap. 50. singulares prorsus gratias vitamque animabus pollicetur se daturum ijs, qui Nomen ipsius Matris pijssimæ invocaverint. Vnde sic Matri est locutus. *Omnis quicunq; invocaverit Nomen tuum, & spem habet in te, cum proposito emendandi commissa, concedetur illi imprimis contritio pro peccatis, satisfactio, & fortitudo deniq; ad bona opera facienda, & insuper Regnum cœleste. Tanta enim est mihi dulcedo in verbis tuis, vt non possim negare, quæ petis, quia nil aliud vis, quam quod ego. Tu deniq; es, velut flamma lucens & ardens, quâ luminaria extincta accenduntur, & iam accensa convalescunt, sic ex charitate tua quæ ascendit in cor meum, & attraxit me ad te, reviviscent, qui in peccatis sunt mortui, & tepidi nigri sicut fumus in charitate mea convalescent.* Divus Bernardus denique citatus à Pelbarto Viro verè Seraphico in Stellario lib. 6. ar. 2. & Rutilio Benzono Episc. Lauret. lib. 2. in Magnific. c. 22. Dubit. 5. ut quam vivificum hoc Nomen MARIANUM sit, ostendat, confert hoc cum Vulneribus salutiferis Salvatoris. *Sicut enim Christus*, inquit, *quinque Vulneribus suis contulit plenè remedia mundo: Sic MARIA suo sanctissimo Nomine, quod quinque constat literis, confert quotidie peccatoribus veniam in hoc mundo.*

Invocanti Nomen Mariæ côceditur contritio.

M. flamma lucens & ardens, qua luminaria extincta accenduntur.

Mariæ charitate tepidi incalescũt.

M. Nomen suis 5. literis simile 5. Vulneribus Christi.

32. His perspectis tam eximijs Mariani Nominis emolumentis D. Anselmus monebat seriò, ut DEI Parentis ejusque Nominis augustissimi quam creberrimam ageremus memoriam, eò quod ipso memorato, quamplurimæ in animos nostros spirituales utilitates redundent, salusque nobis quæ alias ob justissimi iram Iudicis scrutantis Hierusalem in lucernis foret desperata, acceleretur. Sed tanti Doctoris, pijssimiq; in Virginem Præsulis verba audiamus lib. de Excellent. Virg. c. 6. circa finem. *Nihil utiliùs post DEUM memoriâ Matris eius, nihil salutariùs meditatione pij amoris, quo fervebat in memoria, & cõtemplatione Filij sui, nihil jucundiùs sapore pertractati gaudij eius, quo multipliciter vescebatur in eodem & per eundem Filium suum. Sæpè quippe vidimus & audivimus plurimos hominum, in suis periculis horum recordari, omnisq; periculi malum illicò evasisse. Velociorq; est nonnunquam Salus memorato Nomine eius, quam invocato Nomine Domini IESV Vnici Filij eius.* Hæc Anselmus, cujus rationem cur nimirum salus citatoribus passibus, Mariano invocato Nomine, quam ipsius Salvatoris nobis adveniat, uberiùs expressit Seraphinus Firmius Probl. 54. *Quia*, inquit ille, *à Filio in Virginem derivatur Divina pietas, absq; ullo justitiæ terrore: at in Filio licet attrahat pietas, terret tamen quod scriptum est; Iudicem eum esse, adeò severum, vt rationem exacturus sit de unoquoq; verbo otioso. Quid autem mirum si magis præfidat reus in sola pietate quàm in ea, justitiæ coniuncta, quando eadem est Divina pietas in utroq; & Filij, & eius Matris tribunali?* Quis igitur magis in Nomine MARIÆ non confidat, siquidem eadem illa pietas quæ in Nomine Salvatoris delitescit, in illo etiam reperitur, absque ullo tamen terrore admixto justitiæ, qui peccatores nimium quantum consternare consuevit. Hoc nimirum nobis indicare voluit Parisinus Cancell. Gerson, quando dimidium Regni nempè misericordiam, retentâ sibi potentiâ, Matri Filium communicasse censuit, ut Tract. de miser. Virg. fusiùs dicemus. Vnde ut ad misericordiam ab illa quodammodo cogi posset, eandem in cœlis penes se eodem in Throno considere voluit. Hâc ejus fretus pietate efficacissimaq; apud Filium deprecatione S. Bonavent. Psal. 39. ipsam humillimè exorabat: *Inclina vultum DEI super nos, coge illum peccatoribus misereri. Domina in cœlo misericordia tua & gratia tua diffusa est super terram.*

Vtilis memoria Nominis Mariæ.

Citiùs datur nobis salus invocato M. Nomine, quia Misericordiæ Mater est.

In M. est sola misericordia in Christo justitia & pietas simul.

M. Regnũ misericordiæ dedit retento sibi Regno justitiæ.

M. cogit quodammodo Filium peccatoribus misereri.

33. Neq; verò mirũ nobis videri debet Virg: tanta apud Divinã Majestatẽ, ad impetrandam nobis misericordiam auctoritate pollere. Est siquidem B. DEIpara creatura illa nobilissima atque excellentissima inter omnia DEI opera, quæ aliarum Princeps habetur, ut in Hebræorum secretissimis arcanis ac Mysterijs legitur, quæ *Mitraton*, hoc est Princeps facierum appellatur, eò quod assiduè coram facie superni Numinis assistat, tantæ in cœlesti Regis sempiterni curia auctoritatis, gratiæ, ac potentiæ, ut ipsamet manu suâ quasi deducat

M. creaturarum Princeps.

M. Mitraton, id est Princeps facierum, cur?

A M. in mortis articulo ante Christi tribunal securè ejus clientes deducentur.

ducat ante Dei faciem creaturas, quo beatificâ Dei visione perfruantur. Vox hæc porrò *Mitraton*, Mariæ nobis, Hebraico idiomate nomen mirificè repræsentat; ut clarè intelligamus, in mortis præsertim articulo, Nomine hoc Sacratissimo piè invocato, nos securè ante tribunal, faciemque illam terribilem Iudicis ad instar Solis, ignisque fulgurantem, à Virgine deducendos.

34. Hoc intellexisse videbatur Doctiss: Idiota in Prol. Contempl. Beatæ Virg: *Ipsa*, inquiens, *superbenedicto Filio sua irato potentissimè reconciliat servos, & amatores suos. Tanta quoq; est ejus benignitas, ut nulli formidandum sit ad illam accedere, tantaq; misericordia, ut ab ea nemo repellatur. Ipsa preces & Sacrificia servorum suorum, & maximè quæ sibi exhibentur repræsentat, in conspectu Divinæ Majestatis, imò apud Patrem & Filium procurat negotia & petitiones nostras;* atque ita Princeps quædam evadit facierum, dum ante facies Patris & Filij assistens humani generis curam gerit, nosque inauditâ benignitate, ad illas contemplandas deducere non dedignatur.

M. Filio reconciliat seruos & amatores suos.

Maria ante faciem SS. Trinitatis assistens tractat nostra negotia.

Assistentiam hanc Virginis ante faciem Dei, S. quoque Gregorius Nyssenus agnovisse videtur in verbis illis Sponsæ: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Ac si diceret, inquit S. Doctor. *Vidi facie ad faciem eum qui semper manet, & in humana natura est exortus: in eo requiesco & fio eius habitaculum.* Hom. 5. in Cant.

M. in Filio requiescit facta ipsius habitaculum.

Agnovit & Sanctus Ioannes Damasc. orat. 1. de Nativitate Beatæ Virginis, ubi eam tanquam faciei superni Regis jugiter assistentem sic alloquitur: *Ad Regium Filij tui Thronum pervenisti clarè eum ac latè conspiciens, & cum magna, ac inenarrabili quadam libertate adstans, Angelis atq; omnibus sublimioribus virtutibus, arcana quadam & omni dicendi facultate superior es lætitia; Patriarchis, sempiterna oblectatio; Prophetis, perennis exultatio; Mundo, benedictio; rebus omnibus sanctificatio; laborantibus, requies; mœstis, consolatio; ægrotantibus, medicina; tempestate jactatis portus; peccatoribus, venia; ijs qui in mœrore versantur, blandum solatium; omnibus poscentibus, promptum subsidium.* Hactenus Dam.

Magnâ libertate adstat Throno Filij B. V. ut pro nobis intercedat.

M. tempestate jactatis Portus.

35. Idem sensit Seraph. Bernardinus Senensis Tom. 1. Serm. 52. a. 3. c. 3. eam curialissimam Reginam, eò quod in cœli curia humanæ salutis apud Deum accuratissimè pertractet negotia. Cùm enim Salutationis Angelicæ postrema illa exponeret verba: *Ora pro nobis peccatoribus, &c.* ostenderetque singularem illam esse humani generis, ante Divinæ Majestatis tribunal Advocatam, hæc attexuit: *Quantò Mediator inter peccatores, & DEUM ad intercedendum est promptior, & vehementior, & ad impetrandum dignior, reverentior, ac gratiosior, tantò cæteris paribus est utiliùs eum habere pro Mediatore. Sed quanã comparari poterit Maternæ supplicationi? Adstat enim pro nobis supplex à dextris Filij vera Regina, quia summi Regis Mater, per generosam Conceptionem; quia summi Regis Filia, per gratiosam adoptionem; quia summi Regis Sponsa, per gloriosam Assumptionem. Adstat, inquam, talis Regina pro devotè postulantibus, ad intercedendum contra indignationem Iudicis, ad excusandum defectum nostræ infirmitatis, ad subveniendum, accipiens pro nobis plenè influxum Divinitatis.*

Maria Advocata prompta, vehemẽs, & gratiosa apud Filium.

Adstat Mediatrix Maria V. ad Thronum Dei, ut Mater, ut Filia, ut Sponsa.

Beatus denique Albertus Magnus Tract. super Missus, ut ostendat Virginem nostram esse Curialissimam, plurimumque auctoritate, ac gratiâ pollere ante supremum Iudicem, probat Rhetoricæ, & Iuris Civilis fuisse peritissimam, cùm nostra esse debuerit Advocata. Vnde & Prædicatorum Aureolam indeptam esse testatur. Advocati porrò tribus in rebus docet consistere consuevisse Sapientiam. Si in primis obtinere noverit causam quamcumque coram Iudice Iusto & Sapienti. Deinde si contra adversarium astutum, ac sagacem. Si demum in causa desperata victor evadat. Tum subsumit: *Sed Beatissima Virgo contra Iudicem sapientissimum universorum Dominum, contra adversarium callidissimum Diabolum in causa nostra omninò desperata, ob quam æternis mactandi supplicijs eramus destinati, optatam, favorisq; plenissimam sententiam obtinuit. Quare sapientissimam eam fuisse Advocatam necesse est.*

B. V. Curialissima in cœlo pro agendis nostris causis.

Maria Rhetoricæ & Iuris civilis perita.

Aureolam Prædicatorum promerita

Boni Advocati cõditiones omnes habuit B. V

Tum quia Sapientis est sapientissimum Advocatum eligere: quid porrò Spiritu Sancto sapientiùs, qui omnia novit, ac scrutatur etiam profunda Dei, eamq; nobis ipsemet elegit? Tùm quia nonnullorum Advocatorum, ut plurimùm solet esse proprium, injustam causam Sophisticè justam reddere. Et quæ tandem injustior causa quàm humani generis, coram supremo illo Iudice extitit? justum enim erat, ut vilissimus homuncio, terra & limus, pulvis, ac cinis, abjectissi-

B. V. in nostram Advocatam Spiritus S. elegit.

B. V. nostram injustam causam non Sophisticè, sed sapienter iustam reddidit.

jectissimus vermis, ac putredo, offenso jam Numine per summum nefas, spreto summo illo, æternoque Bono, æternis etiam excruciaretur supplicijs, millenisque mortibus mactaretur: Et tamen Virgo nostra curialissima, non Sophisticè, sed Sapientiâ suâ incredibili, gratiâque singulari, quâ in cœlesti pollet Curia, reddidit justissimam.

Et quia Advocatum Dialecticæ cognitione probè instructum esse convenit, probat idem B. Doctor Deiparam apprimè Scientiam illã calluisse, utpotè quæ omnia Sophismata Diaboli dissolvit, ejusque fraudes, captiones, astutiasque, suâ admirabili Sapientiâ patefecit. *B.V. Dialecticæ perita, Sophismata & captiones Diaboli dissolvit.*

Quis igitur neget Virginem esse Curialissimam, potentissimamque coram æterno Iudice in causis, negotijsque nostris Advocatam?

36. Hinc fortè in Synodo Chalcedonensi Definitione 2. Maria *Theotocos* appellata est. Quæ vox non modò Matrem Dei, sed & Negotiationem Dei significat. Hinc Ioannes Geometra Mariam Ius Civile, & Ius dirimens lites esse dixit. Quia nimirũ, ut doctè Didacus de Celada noster in Iudith figurata c. 7. interpretatur: Ius Civile dicitur, multiplex Imperatorum, & Iurisconsultorum Lex, per quam subditorum lites dirimuntur. Atque ita aptè dici potest Virgo Curialissima hominum Advocata, negotiatio salutis nostræ gravissima apud Deum, Ius denique Civile lites nostras dirimens periculosissimas. Quia solers ejus negotiatio, diligentissimaque pro nobis advocatio & pia intercessio, est Jus Civile, seu viva Lex, secundùm quam Judex ejus Filius misericorditer humanas lites dirimit. Sic igitur Deiparæ sacratissimæ, illa ante faciem Regis æterni assistentia, nostrique deductio, & intercessio, nil erit aliud, quàm jus nostrum, secundùm quod benignè judicamur à Filio. Non ergo cuiquam suâ causa diffidendum, qui Mariano Nomini devotus, à Virgine ad faciem seu tribunal Filij ducitur, cùm illa sit creatura Deo gratissima Divinæ faciei semper pro mortalium causis agendis assistens. *B. V. est nostrum Ius Civile, vivumque jus dirimens lites.*

37. Et hæc omnia Virgo sanctissima non, ut alij Advocati lucris inhians, sed gratis absque ulla nostræ retributionis Spe nobis exhibet, ex mero suæ ardentissimæ, quo nos complectitur charitatis affectu. Verissimè enim pijssimus Thomas de Kempis 3. Part. Ser. 4. ad Novit. docuit: *Non nostra quærit, nec nostris indiget, cui cœlestia ad nutum famulantur. Amat nostrum bonum cùm à nobis exigit servitium, cupit nostram salutem, cùm postulat sibi exhiberi laudem. Et quando Nominis sui memoriam celebrari conspicit, inde quærit occasionem benefaciendi nobis. Delectatur enim servitoribus suis rependere vicem. Vnde fidelis in promissis, & largissima in donis. Plena est delicijs, & semper Angelorum fruitur concentibus. Attamen hominum servitijs jucundatur, ut honor DEI & salus multorum latiùs inde propagetur.* Ex quibus omnibus facilè intelligimus quantum in Virgine hac, ejusque pijssimo Divinissimoque Nomine confidendum nobis sit, cùm Maria Mater sit Misericordiæ, Advocata & Patrona nostra clementissima apud justissimum severissimumque Judicem, quæ causas mortalium etiam desperatissimas in salutis nostræ negotio agit, transigitque fœlicissimè. *B.V. benignitas, ac liberalitas.* *B. V. bonorũ nostrorum non eget.* *B. V. hominum servitijs delectatur ut illis benefaciat.*

38. Sed ad Nomen Virginis revertamur. Addunt Hebræi literas Nomen hoc *Mitraton* componentes, simul nobis exhibere mysterij plenissimum numerum illum 999. eosdemque numeros esse literas ipsas, quibus Mariæ Nomen coalescit. Atque ita eminentissima illa Creatura *Mitraton*, nil erit aliud, uti diximus, quàm Maria Virgo Dei para, Princeps revera facierum, ante Divinarum personarum vultum, nostras causas actura, ac pro nobis deprecatura assistens, quæ materno jure suo in intima Divinitatis adyta post hujus vitæ catastrophen nos introducit. Verissimè enim de potentia hujuscé cœlestis Heroinæ B. Card. Dam. serm: 1. de Nativ: Virginem alloquens, pronunciavit: *Nihil tibi impossibile est, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. Quomodo enim illa potestas, tua potentia poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ante aureum illud humanæ reconciliationis Altare, non solùm rogans, sed & imperans, Domina, non Ancilla.* *Mysteriũ in numeris componentibus Nomen B. V.* *Mariæ nil impossibile ante Deum.*

39. Neque verò censendum est triplicatum hunc novenarium, ex quo Mariæ Nomen gloriosissimum coalescit, novo carere mysterio, cum numeri in sacris literis, hujuscemodi nomina componentes, arcanis sensibus referta esse consueverint. Hinc nefandi Antichristi Nomen ex ternis senarijs 666. conflatum, ut testatur Ioan. Apoc. 17. ingentia *Antichristi Nomen ingentes calamitates portendit.*

tia mala, labores, calamitatesque, quibus sceleratissimi Antichristi asseclæ atterentur, portendit. Senarius enim in sacris literis, numerus est tribulationis, ac laboris. Vnde universorum Architectus in fabricanda hac Mundi machina sex diebus laborasse, ac tandem in septimo requievisse in Sacra Genesi memorantur. Quare triplicatus senarius, immensam quandam Orbi terrarum denunciat afflictionem, trinam quodammodo in se quantitatis complectentem dimensionem; simulque indicat calamitatem illam atrocissimam, longam, latam, profundamque miseris mortalibus eventuram. Quod prænunciavit Salvator cùm ad Discipulos loqueretur: *Erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usq; modo, neq; fiet; & nisi abbreviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.* Matth. 24. v. 21.

Numerus Senarius est laboris & tribulationis.

40. Quemadmodũ enim augustissimum IESV Nomen, ut notavit Beda Venerabilis in Lucam in Græco Idiomate tres octonarios 888. præsefert, quod etiam Sybilla vaticinata est, ut testatur Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. Verbo Sibylla, significatque Resurrectionem, Gloriam, Beatitudinemque sempiternam (cùm octo omninò sint beatitudines; qui octonarius triplicatus nobis insinuat veram, solidam, omnibusque numeris absolutam hanc, quam in hac miserabili vita prægustamus, futuram in cœlis beatitudinem) Ita quoque Novenarius triplicatus, veram quandam perfectamque dignitatem, ac excellentiam Mariano nomine contineri, denotat. Hic siquidem numerus ex ternario omnium perfectissimo componitur, cùm ut dici consuevit; *omne trinum sit perfectum*; utpotè Sanctissimæ Trinitatis mysterium nobis repræsentans. Et quia ternarius novies in *999*. replicatur, innuitur nobis in DEIparæ Nomine, veluti vivâ quâdam imagine sacrosanctã Triadem perfectissimè quatenus creatura capax esse potest, cum omnibus suis attributis, ac perfectionibus tam essentialibus, quàm personalibus repræsentari; uti decursu operis erit videre. Triplicato denique hoc novenario sat luculenter declaratur in Virgine DEIpara plura, multoq; majora, quàm in novem Angelorum Choris, Triadem sacrosanctam suæ Divinæ gratiæ, eam inhabitando, demonstrasse argumenta. Cùm Novenarius ex triplicato ternario duntaxat construatur; triplicatus verò Novenarius ille *999*. ex novem ternarijs componatur. Quo ostendatur DEIparam sexduplo ampliùs quàm Angeli gratiæ promeruisse. Ex quo sanè Virginei Nominis arcano clarè perspicimus quãtopere DEIpara sanctissima, eminentissimâ suâ perfectione Naturam Angelicam in novem choros à DEO ter Opt: Max: sapientissimè distributam, antecellat.

Numerus octonarius triplicatus, æternã Beatitudinem notat.

Beatæ Virginis summam dignitatem triplicatus Novenarius indicat.

M. Nomen SS. Trinitatem omnesque ejus perfectiones repræsentat.

M. Nomine suo perfectionẽ ostendit Angelis excellentiorem.

41. Aliter Seraphicus Pelbartus lib. 6. Stellarij Par. 1. art. 2. literarum Mariæ Nomine contentarum arcana rimatus est mysteria. Ait enim quinis hiscé literis in primis Divinissimum Incarnationis æterni Verbi nobis repræsentari Mysterium; quod quinis illis verbis humillimis Sacratissimæ DEIparæ: *Fiat mihi secundùm verbum tuum*; peractum est. Eædem quinæ Nominis Mariani literæ Venerabilis Eucharistiæ Sacramenti institutionem in mentem nobis revocant, quæ totidem verbis à Christo Domino prolatis: *Hoc est enim Corpus meum*; facta est. Eædem illæ quinæ Mysteriosæ literæ, Redemptionem generis humani, quinque potissimum vulnerum susceptione, à Christo factam nobis indicant. Hæc Virginei Nominis, ex quibus coalescit, elementa, DEI misericordiam pietatemque illam effusissimam, quam Evangelicus Publicanus, quinque illorum verborum pronunciatione: *DEVS propitius esto mihi peccatori*; commeritus est; ad memoriam reducunt. Deniq; quinis illis literis indicatur, Nomen hoc esse Divinissimum. Siquidem & virtute, & literarum numero Divinissimo illi Incarnati Verbi Nominis IESV, est quàm simillimum. Concludit tandem Pelbartus pia hæc Mysteria Mariani Nominis literis compræhensa: *Quia*, inquiens, *DEI Mater Maria, ipsa est, quæ DEVM concepit. Ipsa est, de qua caro nobis in cibum data prodijt. Ipsa nostræ Redemptionis Ministra est. Ipsa Divinæ Misericordiæ Mater, ac Regina. Ipsa DEI Filio conformis, ac simillima, iccircò Nomen quinq; literarum sortiri debuit*. Hæc Pelbartus.

In quinq; literis Nominis B. V. varia contenta Mysteria.

42. Cùm igitur Nomen hoc tam arcanis Mysterijs, summam Virginis excellentiam denotantibus, sit refertum, tantamque similitudinem affinitatemq; habeat cum Divino, sitque sanctum, vitale, salutiferum, & quoddam quodammodo

modo

modo bonorum omnium, tam spiritualium, quàm corporalium compendium, quis quæso dubitabit unquam, quin excellentissimo Hyperduliæ cultu sit omnibus mortalibus colendum, adorandum? Quis canere dubitabit cum Venantio Poëta Christiano?

M. Nomē hyperduliæ cultu venerandum.

Nomen honoratum benedicta Maria per ævum.

Quis dubitabit in illud Judithæ prorumpere medullitus elogium? *Benedicta es tu Filia à DEO excelso præ omnibus mulieribus super terram, quia hodie ita Nomen tuum magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum.* Iudith 13. Magnificavit verè Dominus Mariæ Nomen non solùm in terris, ejusque famam, ac gloriam in sola terrarum ultimarum, ita evulgavit, atque amplificavit, ut nationes reliquis retro sæculis incognitæ, ut Japones, ac Sinæ Nomen hoc deprædicent, laudibusque in cœlum usque efferant. Vnde Sinæ cùm litera *R* careant, magnâ cum veneratione, *MALIA*, & scribunt & pronunciant. Magnificavit, inquam, Nomen hoc & in cœlis, & ita quidem, ut cùm humillima Virgo in Filij DEI Incarnatione ad eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem, mundique totius Dominium imperiumque evecta Ancillam Domini se esse dixit, ejus mox Nomen, totâ cœlesti curiâ fuit decantatum evasitque celeberrimum, ut testatur Bapt. Mantuan. lib. 2. Parth.

M. Nomen in Orbe novo celebre.

Sinæ quomodo Nomen B. V. pronūciēt.

M. Nomen toto cœlo celebre.

Divulgata polo res est, mysteria nôrunt
Ætherei cives. Maria tunc æthere totò
Nomen honoratum, cœli cantata theatris
Virginitas fœcunda fuit.

43 Quis dubitabit cum pientissimo Thoma de Kempis 3. P. serm. 6. ad Nov. in hujus tam sancti tamque admirabilis Nominis laudem exclamare: *O sacra & illustrissima V. M. quam præclarum & laudabile est Nomen tuum in universa terra: Nempè à Solis ortu usq; ad occasum, in diversis partibus, Iudæis & Gentibus, Græcis & Latinis, Romanis & Germanis prædicatum est Nomen tuum, per Evangelium IESV Christi Filij tui, & adhuc prædicatur inclytum Nomen tuum in omnibus Ecclesijs DEI, in Sacellis & Claustris, in campis & sylvis DEO dicatis, à parvis, & à magnis, per Sacerdotes & Doctores, & per diversorum Ordinum Prædicatores, qui omnes pariter te laudare & elucidare desiderant. Nam usq; ad cœli sidera te extollere, & super Angelicam dignitatem, tuam sanctitatem & pulchritudinem commendare, vocibus altis cuncti justorum spiritus inardescunt, & congaudent, & præ amoris magnitudine, & devotionis dulcedine cantando, meditando, orando, & tua sacra solennia celebrando nequeunt fatigari. Nam ut tu dicis: qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt adhuc sitient.* Hæc ille de Nominis Mariani celebritate. Quam si quis toto Orbe terrarum diffusam attentè contempletur, meritò amore hujus Nominis accensus, poterit exclamare: *Oleum effusum Nomen tuum.*

M. Nomen à Solis ortu usque ad occasū celebre.

M. Nomen laudando nemo fatigatur.

44. Senserat hujus Nominis odorem, famamq; in toto Vniverso sparsam S. Bonavent. in Spec: c. 8. qui postquam DEIparam Sanctæ illæ mulieri Ruth contulisset, de qua præclarum illud celebratur elogium Ruth c. 4. *Sit exemplum virtutis in Ephrata, & celebre nomen in Bethlehem.* Mox intulit: *O celeberrimi Nominis Maria, quomodo posset Nomen tuum non esse celebre, quæ etiam nominari devotè non potes, sine nominantis utilitate! Testatur id tuus Bernardus: O magna, ò pia, ò multum laudabilis Maria, tu ne nominari quidem potes, quin accendas, ne cogitari quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine Divinitus tibi insita memoriæ portas ingrederis.* Sic ille de celebritate, & fama Mariani Nominis, quod mirum virtutis odorem dulcedinemq; omnibus illud nominantibus, ac piè invocantibus ubique communicat. Vnde nil mirum illud toto terrarum Orbe nominari, summisque laudibus efferri. Maria siquidem est domus illa, ac Templum DEI viventis, de quo S. David in ipsius Christi persona loqui visus est 1. Paralip. 23. *Domum quam ædificari volo talis esse debet, ut in cunctis regionibus nominetur.* Et verè Maria Virgo in cunctis Regionibus Orbis terrarum nominatur & celebratur, dum eam dicunt beatam omnes generationes, inq; odorem unguentorum virtutumque ejus ad eas imitandas, omnes currunt.

M. Nomen celeberrimum toto Orbe.

M. Domus Dei ubiq; nominata.

45. Agnovit celeberrimū, ac famosissimum totoque Orbe diffusum velut preciosissimum Oleum Nomen Virgineum sapiens Idiota in Contempl. B. V. cap. 5. dum eam ita alloquitur: *Fama tui Sanctissimi Nominis, clarissima Virgo Maria prius clausa fuit, quamdiu in mundo demorata es, sed post tuam in cœlum Assumptionem, divulgata fuit per omnia mundi climata. In prædicatione enim Apostolorum, exivit in omnem terram sonus tui sanctissimi Nominis, & manifestum toti mundo effectum est.*

Apostoli Nomen M. in omnem terrā pdicarunt

Vnde non mirum & illud mox subdi: *Ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Si e-

nium adolescentulas Virgines sacras, amore IESV Sponsi in Cœnobijs reclusas, adolescentes item in Gymnasijs Societatis nostræ in Parthenijs Cõgregationibus versantes quis interroget, cur tanto in Mariam DEIparam pietatis, amorisq; affectu inardescant, curéam tanto devotionis studio, cultuque prosequantur, ac venerentur? respondebunt sine dubio ejus Nomen ubique decantatum, ejus mirabilium operum famã, ejus virtutes eximias, eius in omne genus hominũ singularem benevolentiam, clientelam, ac patrocinium planè maternum, ad instar aromatici cujuspiam olei, unguentique preciosissimi, gratissimum odorem exhalasse, cujus suavitate pellecti atque attracti, in castissimos ejus amores exarserunt. Dicatur igitur & jure quidem merito, Oleo Mariani Nominis in Orbem jam effuso, dicatur: *Ideò Adolescentulæ dilexerunt te nimis.*

Sodalitia Mariana Nomen B. V. amant.

Agnovit celebritatem, sanctitatem, virtutemque sanctissimi hujus Nominis idem Idiota, cùm dixit cap. 5. Contemp. *Tanta virtutis, ac excellentiæ est tuum sanctissimum Nomen, ò Beatissima Virgo, ut ad invocationem illius cœlum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant, Dæmones contremiscant, Infernus conturbetur. Tanta est virtus tui sacratissimi Nominis ò semper benedicta Virgo Maria, ut mirabiliter emolliat, & penetret duritiam cordis humani.*

Ad nominationem Nominis B. V. cœlum ridet, terra lætatur.

46. In quo Viri pientissimi Mariano Nomini attributo elogio, aliud, quoddam, Divino commune reperimus; adeò ut de hoc quoque canere non immerito possimus: *Sanctum & terribile Nomen ejus.* Verè enim cùm Nomen hoc Virginis augustissimum memoratur, Dæmones contremiscere, Infernum conturbari necesse est. Si enim ad invocationem nescio cujus Deastri, qui Dæmogorgon est appellatus, terra concuti, ac contremiscere à Lucano dicta est. Sic enim canebat:

M. Nomen Dæmonibus terribile.

Dæmogorgon terram contremiscere facit.

An ille
Compellandus erit, quo nunquam terra vocato
Non concussa tremit? qui Gorgona cernit apertũ.

Quis quæso dubitabit quin inaudito sacrosancto hoc, ac terribili Nomine DEIparæ, quæ à Sanctis Angelis; *Terribilis ut castrorum acies ordinata,* in Cant. 6. prædicatur: quia nimirum, ut explicat Card. Dam. serm. de Assumpt. *Terribilis est Dæmonibus, ordinata virtutibus, singularis timor malignorum spirituum, specialis amor civium beatorum.* Quis dubitabit, inquam, quin mox Tartareæ illæ phalanges nigrantesque Inferni domus, ac Regna, horribili terrore quatiantur, atque ita contremiscant, ut ab imis sedibus convulsa, mox ruitura videantur?

M. Nomen castrorum acies ordinata.

47. Audiendus hic Dionysius Carthusianus art. 21. in Cant. qui Angelicum illud elogium: *Terribilis ut castrorum acies ordinata;* attentiùs expendens, ita loquitur: *Terribilis est B. V. instar acierum ac exercituum Angelicorum spirituum, qui castra DEI vocantur.* Gen. 39. *Metuenda es ò potentissima Vniversitatis Regina, Angelis tenebrarum, & omni altitudini contra DEVM se extollenti. Tu enim multò sublimiùs, imperialiùs, gloriosiùs reprimis, & coerces aëreas potestates ab impugnatione, & infestatione militantis Ecclesiæ. Et sicut fluit cera à facie ignis, sicut fugit cervulus, ab insecutione Leonis: Sic deficiunt & fugiunt à tua potentia, atq; præsentia invisibiles hostes. Tu caput contrivisti Serpentis, & omnem perimis hæreticam pravitatem. O quantum formidant superbissimi illi tuam profundissimam humilitatem; qualiter ardentissima Charitas tua ipsos incendit, qualiter affligit crudelissimos, & invidiosissimos illos, viscerosissima pietas, ac redundantissima misericordia tua! Sic & mansuetissima tua dulcedo, ac dulcissima mansuetudo, amarissimos spiritus illos, in quibus prædominatur amens furor, irrationabilis concupiscentia, & proterva phantasia vehementer excruciat, & contorquet.* Hæc Dionysius.

M. exercitui Angelico confertur.

Virtutes M. formidandæ Dæmonibus.

48. Audiendus quoque est Gvilielmus Episcopus Parisiensis: *Dilectus filius,* inquit, *ut piam Matrem cunctis spiritibus malignis terribilem vehementer demonstraret, dixit de ea: Terribilis ut castrorum acies ordinata &c. Quasi diceret, quia te sciunt aërea Potestates esse Matrem meam, Matrem triumphatoris sui, verentur te Matrem terribilis, ejus qui aufert Spiritum Principum, id est destruit superbiam malignorum spirituum. Tu quoq; terribilis illis facta es, & non mediocriter, sed sicut est illis Angelicus exercitus ad coercendos eos Divinitus ordinatus* Sic Guil. Vbi simul rationem efficacissimam insinuat, ob quam Infernalibus illis larvis, ac Genijs Virgo evasit horribilis, quia nimirum ad eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem est evecta, qua sanè omnis eorum virtus fracta atque elumbata est.

B. V. terribilis Dæmonibus, quia est Mater Dei qui eorum robur infregit.

49. Quare jure merito Seraphicus Bernardinus Bustius Par. 11. Marial. Ser. 1. de Assumpt. Nomen hoc augustissimum Tonitruo, & ferreæ clavæ com-

comparavit. Interpretans enim illud Balaam Vaticinium: Num. 24. *Consurget Virga de Israël, & percutiet Duces Moab, vastabitq; omnes filios Seth*: hæc attexit: *Huius Virga nominatio, salutatio, ac laudatio est Dæmonibus valdè terribilis. Quando enim audiunt Beatam Virginem Mariam nominari, ita est, ac si sentirent clavam quâ percuterentur.* Adducitque exemplum piæ mulieris cujusdam, quæ diu varijs tentationibus Dæmonis, specie humanâ comparentis vexata, cùm eum nec aquâ lustrali, nec crucis signo posset abigere, tandem pij viri consilio his verbis usa: *Sancta Maria adiuva me;* eum illicò profligavit. Qui in rabiem versus ex hoc tam vehementi Virgineæ Virgæ ictu, in maledicta prorupit: *Diabolus*, inquiens, *in os illius intret, qui hoc te docuit.*

Mariæ Nomen Dæmoni est Tonitru & ferrea Clava.

Mariæ Nomen tentationes Dæmonis pellit.

50. Simile recenset exemplum Valerius Venetus in Prato Florido P. 1. c. 15. Exempl. 2. fuisse nempè Matronam quandam Deiparæ cultui addictissimam, quem & in alijs, præsertim filijs promovere conabatur. Habebat hæc ex filiabus unam, formâ pulcherrimam, atque insignem, vanitate tamen insigniorem. Hæc à Matre sæpius repræhensa, ut finem tandem tot suis poneret vanitatibus, jocis, ac choreis: Cùm surdo fabula caneretur, die quadam cùm ex choreis domum lassa redijsset, seseq; ad quietem, auramque captandam in domestico hortulo composuisset, Sathan in specie hominis formidabilis sese illi spectandum exhibuit, arreptoque ejus brachio violenter eam secum abducere conabatur. In his angustijs consternationeque constituta juvencula, uti à Matre olim fuerat edocta, exclamavit: *Virgo Maria adiuva me;* repetensque secum Salutationem Angelicam, humani generis hostem velut tonitruo (sic enim illam Bernardinus Bustius appellat) profligavit. Dum fugit Prædo Tartareus, stygijs agitatus furijs: *Maledictus*, inquit, *ille qui te hac pronunciare docuit: Nisi enim Nomen illud Sanctum invocasses, in Infernum ob tuas vanitates, Dei iussu, eras detrudenda.* Iuvencula hæc tandem gratitudinis memor, totam se, relictis mundi ludibrijs, Deo, Deiparæque cultui, ejusque Sanctissimi Nominis venerationi, quo à tam præsenti periculo fuit liberata, impendit, consecravitque.

Nomine Mariæ invocato, juvencula à Dæmonis raptu liberatur.

Salutatio Angelica Tonitruũ est contrà Dæmonẽ.

51. Scribit Seraphicus Vbertinus Casalius libro Arboris vitæ Tractat. de Nomine Iesv, & ex eo Pelbartus, quod cùm quædam mulier à Dæmone incubo nimium quantum vexaretur, nec ullum remedium tanto suo malo reperiret, petivit à B. Edmundo consilium, qui ei suasit, acciperet virgam, Nomine Iesv, & Mariæ utraque ex parte insignitam, eâque fœdissimum illum cacodæmonẽ cæderet, futurum enim, ut illorum Sacratissimorum Nominum virtute fugaretur, quod & factum.

M. Nomine Dæmõ incubus fugatur.

Quid de S. Antonio Patavino dicam? quem cum nocte quadam Tartareus Tenebrio strangulare attentaret, invocato Mariano Nomine, obortaque subito cœlesti luce, profligatus est.

S. Antoninus Patavinus M. Nomine à strangulatione liberatur.

52. Hæc demum pia assiduaq; hujus Sacratissimi Nominis invocatio, ac veneratio in tremendo illo mortis articulo adversus Sathanæ insidias Deiparam in auxilium nostrum pertrahit. Scribit P. Sylvanus Razzius Camaldulensis lib. 3. Mir. Beatæ Virginis Mirac. 2. Monachum quendam Cisterciensem, olim in sæculo militem, in gravem incidisse morbum, in extremoque vitæ constitutum limite, occurrente sibi gravissimorum scelerum in sæculo commissorum memoriâ in desperationis barathrum prolapsum fuisse propemodum, cùm ecce sibi invocata cœli Regina, omnem illi mentis caliginem dispulit, tantisque eum explevit solatijs, ut & Socios, & Abbatem in admirationem adduceret. A quo quæsitus undenam tam cita mentis illi orta esset serenitas? Respondit se peculiari reverentiâ dum viveret Nomen Mariæ Sanctissimum coluisse, ad ejus invocationem non modò caput, verùm etiam genua flexisse, proinde obsequijs hujusmodi sibi favorem Virginis demeruisse. Nec ita multò post lætitiâ plenus spiritum Deo reddidit.

Nominis Mariæ veneratio in articulo mortis liberat à desperatione

Ad Nomẽ M. caput & genua flectenda.

53. Quibus sanè exemplis manifestum evadit, quantopere maligni nefandique Spiritus Nomen hoc salutiferum perhorrescant. Et sanè meritò. Cùm enim Nomen hoc invocatum nobis repræsentet Virginem, ac Heroinam quandam fortissimam, Iudithâ, & Iahele longè generosiorem, quæ in Matrem Dei, universorumque Dominam, ac Reginam electa, æterno Verbo in ejus visceribus purissimis Regium humanitatis nostræ paludamentum, ac quandam quasi panopliam assumente,

M. Nomen quid repræsentet?

ad ereptionemque mortalium, de satanica captivitate proficiscente, generosissimè sit cooperata, ac devictis illis atrocissimis humani generis hostibus, unà cum eodem Incarnato Verbo, vasa eorum diripuerit, opima spolia retulerit, de immensè dilatatis quodammodo Orci faucibus, tot animarum myriades, incredibili virtute, ac fortitudine eruendo, gloriosissimum triumphum reportârit; qui fieri potest, inquam, ut Mulierem hujusmodi fortē, potentissimamq; Heroinam Stygię illæ larvæ non perhorrescant, qui fieri potest, ut Infernus ad ipsius Nomen, imis ex fundamentis non contremiscat?

B.V. Christo ad debellandos Dœmones cooperata

54. Quæ sanè Humanitatis nostræ Panoplia in Vtero Virginis, admirandi illius Opificis, Divinissimi nempè spiritus virtute fabrefacta, adeò cœlestem illum Gigantem armavit, ut non solùm ipse, & ipsa formidolosissimi essent Dœmonibus, sed & nos, eadem protecti, redditique inexpugnabiles, ignea Infernalis inimici tela extingueremus.

Quod nobis S. Method. Martyr orat. in Hypap. insinuavit, dum Deiparam alloquens: *Tu potentem illum*, inquit, *corpore, tanquam decenti quâdam Panoplia induisti, per quam quidem ipse à me facilè caperetur, ac cerneretur; ego verò tutum & commodum ad illum accessum haberem, per quam etiam omnia ignita maligni tela extinguuntur.*

Christi Humanit. Panoplia.

55. Virgineum, hoc potentissimumq; Nomen est Turris fortissima, Turris illa Davidica de qua Sponsus in Cant. 4. *Sicut Turris David collum tuum quæ ædificata est cum propugnaculis: Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

M. Nomen Turris fortissima.

Quod Virginis trutinans elogium Halgrinus Cardinalis legensque: *Cervix tua sicut turris: Cervix*, inquit, *B. V. eminentiam sublimitatis designat, propter quam ipsa dicitur Turris David, quam Christus verus David in Ecclesia militantem Hierusalem ædificavit, atq; erexit, ut esset peccatoribus munimen ac refugium. Propugnacula huius Turris sunt virtutes & gratiæ, dignitates, & prærogativæ, intentionum puritas, operumq; sanctitas, virtus orationis, & merita operum quibus B. V. peccatorem pœnitentem protegit, & expugnat inimicum. Clypei de turri hac pendentes virtutes sunt, quæ repellunt iacula tentatoris, eiusq; insultûs. Clypeus est prudentia, quæ repellit insidias Diaboli. Clypeus est fortitudo, quæ adversus impetus adversariorum resistit. Clypeus est temperantia, quæ ignea tela concupiscentiarum carnalium repellit. Armatura fortium, opera sunt virtutum, per quæ impugnatur, & debellatur Diabolus, velut gladio, lanceavè, qualia sunt opera iustitiæ, pietatis, & misericordiæ, orationes, & eleemosynæ.*

Quid sint Turris propugnacula

Quid clypei de Turri pendentes?

Concludit denique: *Dicitur ergo, quod mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Ad defensionem enim nostram, hostiumq; impugnationem ipsa nobis adiutorium omniumq; virtutum exempla subministrat.* Vnde S. Germanus Constantin. Patriarcha Orat. de Zona Virg. ipsam alloquens ajebat: *Tu nequissimi hostis contra servos tuos, invasiones, sola Nominis tui invocatione sanctissimâ repellens, tutos, ac incolumes conservas.* Quare sapienter Richardus à Sancto Laurentio lib. 1. c. 2. suadet peccatoribus maximè in tremendo illo mortis articulo, quo miseri mortales vel maximè tentantur, insidijsque Dœmonis appetuntur, ad Nomen Virginis, tanquam ad inexpugnabilem Turrim confugiendum: *Fortè*, inquit, *tentaris supra vires, & eò ampliùs tentatoris timens insidias, quantò te expugnatum ab eo aliquando recordaris? Recordare quod Turris fortissima sit Nomen Dominæ nostræ, ad ipsam confugiet peccator in tentatione, & ille etiam qui peccavit, & salvabitur. Sicut enim de Nomine Domini IESV Prov. 18. dixit aliquando Salomon: Turris fortissima Nomen Dominæ, ad ipsam currit justus & exaltabitur; ita nobis dicendum: Turris fortissima Nomen Dominæ, ad ipsam confugiet peccator, & salvabitur.* Nō enim tali hostium Infernalium furor, aut impetus nocendi avidus nocere poterit.

B. V. Virtutibus velut clypeis protegimur.

M. Nomen Turris fortissima, ad quam in periculo mortis confugiendum illud invocando

56. Vnde Hugo de Sancto Charo Cardinalis in c. 6. Cant. testatur ad solam Mariæ memoriam Dœmones contremiscere, eamque omninò sustinere non posse. Idem eodem cap. 6. in Cant. ait, Deiparam esse terribilem, ut castrorum aciem ordinatam potestatibus aëreis, quæ benè sciunt, quod quidquid petierit pro peccatoribus, impetrabit. Vnde 3. Reg. cœlestis Salomon ei dixit: *Pete, Mater mea, neq; enim est fas, ut avertam faciem tuam.* Hæc est Arca fœderis in qua respōsa accipimus, de hac exclamaverunt Accaronitæ 1. Reg. 5. *Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israël, ut interficiat nos & populum nostrum*, Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, & gravissima valdè manus Dei. Idem credendum est dicere Cacodœmones, visa hac animata Dei Arca. Hæc Arca Manna continet & reservat, quo pascamur in deserto hu-

Ad solam M. memoriam Dœmones cōtremiscūt.

Dæmones M. timent, quia quidquid petit peccatoribus, impetrat.

jus

jus sæculi vagantes, usque dum veniamus in terram promissionis. Hæc est ergo terribilis inimicis, ut castrorum acies. Vnde Eccli. 43. *Vas castrorum in excelsis in firmamento cœli resplendens.* Ordinata etiam est contra tres acies inimicorum, Paganos videlicet, Hæreticos & Iudæos. De quibus Eccli. 5. *Duas gentes odivit anima mea, & tertia non est gens quam oderim.* Atque ita hæc cœlestis Heroina non modò Tartareos hostes, verùm etiam eorum membra, Infideles omnes odit & persequitur; Christi verò Filij sui fideles munit, ac protegit, mirabilique suâ providentiâ, technas eorum insidiasque odorando, ac detegendo ab eorum tentationibus, atque insidijs præservat.

57. Hinc in Virginem pientissimus Halgrinus, ait illam esse nobis adversus Infernales hostes Turrim Libani. Interpretans enim elogium illud Sponsi attributum Virgini nostræ Cant. 1. *Nasus tuus sicut Turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Damascus,* inquit, *sanguinem bibens interpretatur, & significat Diabolum, qui sitit appetitq; bibere peccatorum sanguinem. Contra eius insidias opponitur Nasus, nempe Beata Virginis discretio ac providentiâ, quâ ipsius præsentit malitiam, & à longè quasi de specula illius prævidet invasiones. Vnde & Turri comparatur, à qua de longè inimicorum videntur incursus. Ipsa ergo & à longè respicit contra hostem, & velut Turris pro nobis fortiter sese opponit. Dicitur autem Turris Libani, quasi in Libano monte sita, qui candor interpretatur, ad ostendendum, quod candore Virginitatis, velut pede caput serpentis possit conterere.*

B. V. est nobis Turris Libani.

B. V. Providentiâ suâ à lõgè prævidet insidias Dœmonis

58 Quid mirum igitur, quod quemadmodum ait Bernardinus de Bustis Vir Deiparæ studiosissimus, ad ejus Nomen omnes Infernales Dœmones deflectant genua, & velint nolint ipsam adorent, quid mirum si ad ipsius nominationem paveant, & contremiscant, & quemadmodum loquitur S Gerardus Episcopus, & Martyr, *invitè Infernus Beata Maria ululet, & procacissimi Dœmones clament, quod eos fragilis una mulier debellârit, æternisq; vinculis ad Infernum alligârit.* Cùm enim illorum sit Domina, quæ secundùm Papiam, dans minas interpretatur, vel secundùm alios; domans manus, quid mirum illos ululare horrificosque clamores edere, cùm Mulierem sibi imperitantem, intentantemque minas, mulierem suas domantem manus, ac potestatem plusquam adamenteis catenis Orco adstringentem animadvertunt?

Audito M. Nomine Dœmones ululant, & velint nolint illud adorant.

Domina quid significat?

59. Hanc ob causam Nomen hoc Marianum, Jaculum quoddam esse contra inimicos Infernales potentissimum, asseveravit S. Antoninus Florentinorum Archiepiscopus 4. P. Tit. 15. c. 14. cùm enim varia in literis hujus Nominis rimatus esset mysteria; dixissetque primam literam, *Matrem universorum;* alteram, *Arcam thesaurorum;* tertiam; *Reginam cœlorum;* ultimam, *Advocatam peccatorum;* penultimam, *Iaculum inimicorum* Deiparam nobis esse, significari; mox subtexuit: *Terribilis est ut castrorum acies ordinata, terribilis utiq; Beata MARIA spiritibus malignis. Vnde frequenter ad eam orat Ecclesia: Tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe, quando nimirum maiora contra nos movet bella. De illa siquidem sub figura prima Matris nostra Eva dictum fuit serpenti antiquo: Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius* Gen. 3. *Mulier hæc Mater quidem omnium verè viventium spiritualis, est Maria. Nam Eva Mater erat omnium morientium. Maria verò contrivit caput serpentis dum superbiam, quæ caput & initium omnis est malitiæ, & peccati, in se extinxit. Contrivit etiam caput serpentis, nempè Dominium, quo se contra genus humanum erigebat, per fructum ventris sui benedictum; ut ita qui per lignum pomiferum vicerat, per lignum crucis vinceretur salutiferum. Insidiatus est serpens calcaneo Virginis in vita illius fine, sed in ea nil reprahensibile reperit, cui Sponsus dixit: Tota pulchra es, anima, & corpore, & macula non est in te, vel minimi alicuius peccati. Insidiatur deniq; serpens iste calcaneo mulieris, quoad semen eius spirituale, nempè Electos, sive in generali in fine mundi, quia tunc solvetur Sathanas de carcere Infernali, per semen suum Antichristum, ad perdendum animas; sive in particulari in fine vita cuiuslibet hominis etiam sancti, fortiter tentans ad decipiendum. Verùm adiutorio Christi, & Matris eius, insidiæ ipsius deteguntur, ut superetur, ut de multis legimus, quos in exitu suo quasi deficientes Virgo liberavit. Deniq; ipsa est sancta illa figurata Iudith devotissima, castissima, ac pulcherrima, quæ sapientiâ, ac fortitudine suâ, terribilem illum superbissimumq; Holofernem, caput eius obtruncando, populumq; Dei, de manibus eius liberando interfecit.* Hactenus S. Antoninus.

M. Nomen est Iaculũ contra Dœmones

Literarũ Nominis Mariani varia Mysteria.

Maria Mater omniũ viventium

Insidiatur Filijs B. V Sathan in hora mortis, & per illam liberantur

60. Hanc

60. Hanc Virginis fortitudinem contra Tartareos hostes contemplans Dionysius Carthus. ser. 3. de Concept. exclamavit: *O quam ineffabilis fortitudo est in carne mortali, in fragili sexu, in fœmina inter peccatores versante omnem aciem vitiorum prosternere, nec unquam saltem venialem culpam incurrere, & cunctas aëreas potestates, invisibiles humani generis hostes, nobilissimo triumpho debellare, universaq; eorum tentamenta velocissimè superare, tantoq; spiritualium armorum apparatu instructam incedere, ut ne quidem ei appropinquare auderent, utpote Terribili, ut castrorum acies ordinata.* Iure sanè merito acclamare huic figuratæ Iudithæ de Tartareo Holoferne triumphanti possumus: *Benedictus Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.* Idem Dionysius lib. 1. de Præcon. & Dignit. Beatæ Virginis c. 2. causam hujus inimicitiæ, ac dissidij inter Deiparam, Tartareumque colubrum inquirens, docet esse morum dissimilitudinem: *Quemadmodum*, inquiens, *amicitiæ origo, similitudo est, sic ex dissimilitudine inimicitiam proficisci palam reor. Ideò mulieri, inter quam & serpentem ponere Deus inimicitias censuit, contrarias serpentinis & Diabolicis dispositionibus & qualitatibus, qualitates infudit. Hinc enim livor profluxit. Scimus autem quod omnis culpa sit radix Superbia: atq; ob hanc in ima, à summis Angelus prolapsus est. Humilitas itaq; in primis praelecta huic mulieri impertienda fuit; & ob id ei serpens insidiatur & invidet; humillimam superbissimus ferre nequiens. Porrò ex superbia rancor scaturit, & ex humilitate Amor. Propria nempe superbus excellentiæ avidus, ei mox invidet, quo desiderij sui se effectu cernit destitui. Deniq; humilis se contemplans, & bonum omne fontana Bonitati attribuens, huius Bonitatis illicò amore succenditur, ipsiq; inhærere atq; uniri satagit. Vt igitur superbissimo summa est innata, ex propria voluntate invidentia: Sic humillima Virgini plenam, perfectamq; charitatem à fonte virtutum donari iustum opinor. Vulnerata ergo charitate extitit, uti livore serpentino Dœmon tortus est, & torquetur. Enimverò à fonte puritatis aversus Diabolicæ mentis animus, turpium, immundorũ, carnaliumq; operum factus est amator, turpitudine, immundiciaq; oblectatus. Mentis ergo, corporisq; Mulieri huic castitas præstanda fuit, quam immundissimo serpenti, mundissima Sanctissimaq; displiceret Virguncula. Igitur ex his, & similibus qualitatum diversitatibus semper serpentino innascitur livor animo, dum his illa stipata virtutibus, Deo approximare festinat: ille autem in aversionis suæ obliquitatis perseverans à fonte beatitudinis irrecuperabiliter elongatur.* Hæc de morum dissimilitudine inter Virginem ac Dœmonem Dionysius. Ex quibus inferre possumus aliam etiam dissimilitudinem; quod quemadmodum Stygius Veterator, pro innato sibi livore, ac malignitate sedulo quærit modos & rationes omnes nos perdendi; ita Virgo benignissima pro congenita sibi ingenus humanum charitate, vias omnes, ac artes mirâ sedulitate inquirit, quibus nos salvare, ac beatos æviternum facere possit.

M. Nomen Dœmonibus terribile, ut castrorum acies.

Inimicitiæ causa inter M. & Satanam, est morum dissimilitudo.

Satan qa superbus invidet M. quæ humilis & benigna est.

M. mundissima immundissimo Serpenti inimica.

Sicut Dœmon nos perdere, ita M. salvare cupit.

61. Solicitudinem hanc MARIÆ Virginis nos contra Dœmonum insidias defendentis Seraphicus Bernardinus de Bustis Par. 3. Marial. Ser 1. explicuit: *Quia*, inquiens, *adversarius noster Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, sic ipsa semper circuit quærens quem salvet, bonorum Medicorum more, qui civitatem, curando ægros circumeunt. Vnde à nonnullis appellantur, Circumitores. Quam ob causam Crater tornatilis vocatur quatenus circumcirca vadit semper, ut inveniat, cui poculum vitæ salutaris infundat.* Quam Virginis singularissimam S. Bonaventura Psal. 11. decantavit pietatem, dum eam sic est allocutus. *Salvum me fac Mater pulchræ dilectionis, fons clementiæ, & dulcor pietatis. Gyrum terræ sola circuis, ut succurras invocantibus te.* Quis igitur pientissimam hanc Virginis nos ubique protegendi solicitudinem expendens non statim ad Nomen ejus sacrosanctum totique Inferno terribile, tanquam ad Turrim fortissimam, Turrim David munitissimam, tot vallatam propugnaculis, ac clypeis, in omnibus Satanæ impugnationibus, non recurrat? quis in omni tentatione confidenter ad illam cum eodem illo ipsius Seraphino non exclamet: *Ad te levavi oculos meos Regina, quæ regnas in cœlis, adiutorium nostrum sit in virtute Nominis tui, per te omnia opera nostra dirigantur* Psal. 122. *Eripe me Domina ab omni malo, & ab hoste Inferni defende me; constringe & comprime vires eius malignas, & obtunde potenter astutias eius.*

B. V. circumit solicitè peccatores, ut illos sanet

B.V. Crater tornatilis, quia circumit quæritque cui poculum vitæ æternæ propinet.

Ad M. Nomen tanquam ad Turrim in omni tentatione recurrendum.

62. Quid jam de suavitate hujus dulcissimi Nominis dicam? Ejus sanè tantæ sunt deliciæ, ac cupediæ, ut Viri Deiparæ studiosiores quoties de ejus laudibus, ac præconijs disserunt, toties Angelorum harmonicos concentûs auribus

Suavitas Nominis B. V. omnes piorũ sensus afficit.

bus haurire, manna dulcissimum, nectar ambrosiamque degustare, florum suavissimorum fragrantiam, aromatumque omnium compositionem, magistrâ excellentissimi cujuspiam pigmentarij manu confectam, odorare, voluptates denique liquidissimas cœlestis Paradisi sibi prælibare videantur, ita ut identidem in illas interioris gaudij jucundissimi indices erumpant voces: *Exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum. Trahe nos post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Deniq; sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te Sancta DEI Genitrix.*

Nominis Mariæ dulcedo.

63. Delibaverat hujus suavissimi Nominis Mariani dulcedinem Venerabilis Dionysius Richelius lib. 3 de Præcon: & Dignit: Deip. c. 23. cui titulum hunc præfixit: De Dulcedine Amantissimæ Dei; ubi postquam verba illa præmisisset Deiparæ: *Spiritus meus super mel dulcis &c.* conversus ad Virginem ita loquitur: *Quid est ò dulcissima, quid est ò mitissima, ò verè nimis suavis Maria, quod nunquam per portas memoriæ ingredi vales, nisi infinitæ tuæ dulcedinis odorem aspergas! O dulcis & delectabilis, ò redolens & amabilis Maria!* Tum quidnam sit hæc ipsius dulcedo explicat:

Quid sit dulcedo Mariæ?

Quid est autem hæc tua interna dulcedo, nisi serena quædam dispositio, mentem habentis exhilarans, animumq; contemplantis oblectans atq; reficiens. Denique ex bonitate, amabilitate, & convenientia, dispositio ista dimanat: *Itaq; quo tu, ò Maria, melior, quo amabilior, ac convenientior omnibus es, eò utiq; dulciorem esse te palam est. Cùm nihil prorsus amaritudinis, nil tortuositatis omninò in te sit; sed misericordia summa, mititas plena, charitasq; perfecta. vnde elucescit quod verè tota suavis, tota amœna sis. Enimverò quo modò non dulcissima, imò & dulcedo quædam purissima esses, quæ infinitæ dulcedinis fontem, immensaq; suavitatis Regem concepisti, in vtero bajulasti, peperisti, lactasti, contrectasti, & ad incrementum perduxisti? Reliquiæ dulcedinis ejus permanserunt in te ò Maria, ejusq; suavitatis odor immobiliter tuæ adhæsit substantiæ. Ipse quippe Filius tuus cui psallimus: Quoniam tu Domine suavis & mitis, te omni creaturæ, ac præsertim homini amabilem esse voluit, dulcemq; effecit. Vnde ò Domina post DEVM Altissimum, nil prorsus in toto hoc Vniverso est, quod tuæ dulcedini par esse possit.* Hæc Richelius.

M. quo melior, eo dulcior est.

M. dulcis est, quia dulcedinis fontem peperit.

Nihil in mundo M. suavius.

64. Delibaverat Nominis hujus delicijs omnibus, ac voluptatibus refertissimi dulcedinem, quâ servos identidem suos Virgo recreare consuevit, Richardus à S. Laurent. lib. 1. c. 2. vbi *illud suave esse dixit per benignitatem. Sicut enim Nomen IESV mel in ore, in aure melos, in corde est jubilus, sic & Nomen Mariæ, si dicere audeamus. Nomen siquidem IESV cùm Nomen sit virile, nescio quid potentiæ, nescio quid austeritatis, sicut è contra Mariæ Nomen muliebre, nescio quid facilitatis, ac mansuetudinis præfert, ac commendat.* Vnde de hac Virginis morum facilitate securus suadebat D. Bernardus. *Percurre totam Evangelij seriem, & si quid increpatorium, si quid durum, si quid vel modicum habens indignationis repereris in Maria, suspectam habeas, & ad illam in posterum accedere verearis. Quod si omnia mansuetudinis plena sunt, vti sunt, gratias illi age, qui tibi talem dedit Mediatricem, in qua nil tibi possit esse suspectum. Quod si deniq;*, ait idem Richardus, *sexum ipsum verearis, eò quod vel tibi aliquando, vel alijs fuit in ruinam, Virgo est, purissima est, Mater pulchræ dilectionis est.*

Nomen M. dulce.

M. facilis, ac mansueta.

B. V. nemini potest esse in ruinam, quia Virgo purissima est.

65. Dulcedinem hanc Mariani Nominis degustare sæpiùs, ac sæpiùs planè insatiabiliter anhelabât Beatæ illæ mentes, ut censet idem Richardus, dum iteratis vicibus in Canticorum Canticis anxiæ sciscitabantur; *Quæ est ista? quæ est ista? quæ est ista?* non tantùm quia personæ demirabantur excellentiam, quæ nec primam similem visa est nec habere sequentem; sed quia forsitan, ut ejusdem verbis utar, *Dulce Nomen hoc sibi responderi desiderabant. Sicut enim Antiquis Patribus præsertim Isaiæ, Nomen Domini erat in desiderio animæ, cupientibus, vt inter homines IESVS Christus nominaretur, qui jam notus erat in cœlo, atq; ita Nomen illud quod cœlo concludebatur, effunderetur in terra, sic è contra Angeli sancti Nomen Mariæ nominari ejusq; notitiam ubiq; diffundi desiderabant, vt non intra terræ terminos dumtaxat coarctaretur, verùm etiam celebre haberetur in cœlis, ejusdemq; Divinâ dulcedine creaturæ omnes perfruerentur.* Sic ferè Richardus.

Angeli desiderant audire Nomen M. ut delectentur.

Nomen Iesu Prophetis fuit in desiderio animæ, quia optabant, ut ubique innotesceret.

In hujus Nominis dulcissimâ oblectatione conquiescebat pientissimus in Deiparam Bernardus, qui postquam in ejusdem Nominis pulcherrima excurrisset elogia ser. 2. super Missus ad finem, tandem, ipsius captus dulcedine, sic loquitur: *sed iam modicè pausandum est, ne & nos in transitu claritatem tanti luminis, Mariani scilicet Nominis, intueamur. Vt enim*

Bonum est in contemplatione Nominis B. V. commorari.

verbis Apostolicis utar, bonum est nos hic esse, & libet dulciter contemplari in silentio, quod laboriosa non sufficit explicare locutio. Hactenus Bernardus tam sancti Nominis expertus suavitatem.

66. Eandem Virginei Nominis, cum ardenti ejusdem Virginis amore nominati, expertus esse videbatur suavitatem devotissimus Thomas de Kempis 3. P. serm. 5. ad Novit. ubi cùm hæc præmisisset: *B. V. Maria abundantiori Divinæ dulcedinis solatio jucundissimè est refecta. Fortissimum & tu invenies solatium, si Mariæ Nomen gustaveris cordi tuo insertum. Habebis etenim multa bona, si benè fueris cum Maria;* mox varios eosque utilissimos invocationis & amoris Nominis Deiparæ recenset effectûs: *Dilectio,* inquiens, *Sanctæ Mariæ expellit omnem æstum carnalis concupiscentiæ, & donat refrigerium castimoniæ. Dilectio Sanctæ Mariæ facit mundum contemnere, & Christo in humilitate servire. Dilectio S. Mariæ ab omni mala societate conservat, & ad religiosæ conversationis puritatem informat. Dilige ergo Sanctam Mariam, & percipies specialem gratiam; Invoca Mariam, & obtinebis victoriam; Honora Mariam, & habebis mercedem perpetuam.*

Multa bona habet, qui sæpiùs nominat Mariam.

M. Nomẽ extinguit æstum libidinis.

Amoris Mariani fructûs.

67. Hujus dulcedinis sibi probè conscia Virgo Deipara, cibis, dapibusque illis cœlestibus, qui nunquam generant fastidium, Nectareis, Ambrosijsque illis cœlitum potibus, sitim explentibus semetipsam comparavit, cùm dixit: *Qui edunt me adhuc esurient,* apud Ecclesiasticum capite 24. Quæ verba expendens Dionysius in illum locum Siracidis scitè pronunciavit: *Utiq; qui Beatiss: Virginis suavitatem degustant, & qui eam sibi incorporant, eandem pleniùs cupiunt experiri, nec satiatur dulcedine tam præstantissima, ac Divinissima in DEO creatura.* Partem quoque alteram illius Sententiæ: *Qui bibunt adhuc sitient;* similiter considerans, ita loquitur: *Qui mea consolationis recreantur solatio, meq; syncerè contemplantur, & rore gratiæ meæ reficiuntur, eisdem frequentiùs, ac sæpiùs recreari optabunt.*

Nomen M. cibus cœlestis Nectar & Ambrosia.

68. Hinc est quod quemadmodum D. Franciscus ad pronunciationem Iesu Nominis tantâ cœlitus dulcedine perfundebatur, ut teste S. Bonavent. c. 10. in ejus vita, cùm illud exprimeret vel audiret, *jubilo quodam repletus interius, totus exterius videretur alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel harmonicus sonus ipsius immutasset auditum.* Ita quoque nonnulli Viri Sancti ad Mariani Nominis auditum aut enunciationem mirificis incessêre gaudijs, incredibilibus delibuti sunt delicijs. Certè Cæsarius lib. 7. c. 10. repertam scribit quandam, Virginis cultui addictissimam animam, quæ Marsilio cuidam Eremitæ vitæ sanctimoniâ non vulgari, ingenuè fassa est, Deiparæ Nomen sanctissimum se pronunciare absque admirabili quadam incredibilique dulcedine minimè posse. Ex qua cùm ille Dei servus esset sciscitatus, quânam ratione quibusve virtutum exercitijs tantam esset consecuta gratiam? Respondit illa: *Singulis diebus 50. Ave Maria cum totidem venijs dicere consuevi, per quæ tantam dulcedinem merui, ut omnis oris mei saliva, orationis tempore in mel conversa videatur.* Cujus secutus exemplum Eremita Sanctus, cùm pulcherrimum illud salutandi Virginem sex mensium spatio iterasset exercitium, eâdem, Deiparæ beneficio, potitus est gratiâ. Has cœli delicias cùm denique quidam Cisterciensis Ordinis Religiosus, à Deipara sibi devotis communicari, accepisset, easdem ad Virginem frequentando salutationes, eisdem perfrui promeritus est cupedijs. Concludit tandem Cæsarius: *Ecce his tribus exemplis satis ostensum est Nomen ejus esse super mel dulce, & quod hæreditas illius sit super mel & favum.*

NomenM. Mel in ore, exemplis comprobatur.

Non dissimile admodum recenset exemplum Discipul. lib. de Mirac. B.V. c. 71. de Matrona quadam Coloniensi, quæ pio cuidam Viro juxta Templum S. Severini confessa identidem sua peccata, fassa quoque est, se Nomen Dominæ nostræ absque mira quadam atque inusitata dulcedine pronunciare minimè posse, dum quotidie quinquies salutatione Angelicâ illam avere juberet, totidemque vicibus veniam pro peccatis postularet. Hujus exemplo Dei servus easdem ad Deiparam salutationes iterans dulcissimas, Christi Mariæque dulcedinem, mellis suavitatem longè transcendentem experiri quoque meritus est.

69. Unde Richardus à S. Laurent. lib. 10. de laud. eam dulcissimo Mannæ comparavit, *Quod admirabilis dulcedo sit consolationis, quam infundit specialibus suis amatoribus, ijsq; quos visitare dignatur: quam qui gustat verè exclamare potest præ admiratione; Manhu? quid est hoc? Hinc & ipsa de hac sua dulcedine gloriatur: Spiritus meus super*

B.V. Manna dulcissimum.

per

Dulcedo B. V. Nomini inest hæreditaria, & indeficiens.

per mel dulcis, & hæreditas mea, super mel & favum, quod idem est acsi diceret, ut docet, Richard. lib. 4. *Dulcedo mea hæreditaria & indeficiens, omnem sive manifestam, sive occultam, sive naturalem, sive artificialem transcendit.* Hanc suavitatem, ac dulcedinem admiratus Sponsus, in eaque sibi summoperè complacens: *Pulchra es*, inquit, *amica mea, suavis & decora sicut Ierusalem.* De hac ejus dulcedine jure canere poterat David Psal. 144. *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.* Hanc denique degustans in dies canit Ecclesia: *Speciosa facta es & suavis in delicijs tuis sancta DEI Genitrix.* Denique ibidem ait Richardus quemadmodum de Filio ita & Matre Vniversorum Domina illud prædicari posse Psal. 144. *Suavis Domina Vniversis, & miserationes ejus super omnia opera Domini. Non enim habet*, ut ait Salomon Sap. 8 *amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus ipsius, sed lætitiam & gaudium.* His similia de Virginis dulcedine celebrat elegantissimè B. Cardin. Damiani serm de Annunc. *Hæc est*, inquiens, *quæ affectibus suaviter indulcescit, quia magna multitudo dulcedinis ejus. Spiritus enim ejus super mel dulcis, in qua dulcis Dominus cum omni dulcedine supervenit.*

B. V. Nomen abũdantiam suavitatis universis communicat.

B. V. conversatio non habet amaritudinem.

70. Delibârat dulcedinem Mariani Nominis S. Bernardinus Senensis, qui tom. 3. serm. 3. Mariani Nominis illustrissima prosecuturus elogia contestatus est ingenuè: *Testis*, inquit, *est mea conscientia DEVS, quod si quando cœlesti gratiâ largiente interioribus curis exemptus, laudibus Virginis valeo totus vel per horulam occupari, tantâ mentis lætitiâ, tantâ interius suavitate perfundor, ut cunctis mundi vanitatibus, ac concupiscentijs conculcatis, nil appetam, quàm cum ipso lætitiæ Spiritu si fas esset, exilire statim ad Dominum, antequam illud gaudij spiritualis, curis iterum redeuntibus auferatur; & stimulante memoriâ delictorum, cythara mihi vertatur in luctum, & jubilus, prô dolor, in lamentum. Vide igitur quanta sit fœlicitatis & gloriæ in patria illa cœlesti, DEI Genitricem benedictamq; Virginem ordinibus Angelorum stipatam, choris Virginum comitatam, vultu gratiarum plenissimo, in sua dignitatis solio præsidentem revelata jam facie contemplari; quandoquidem in sordibus carnis, & mundi luto adhuc degentibus, tam læta contingit, in ipsius Nominis contemplatione sentire.* His pellectus atque inescatus suavissimi hujus Nominis Paradisiacis planè delicijs sese rursus ad Nomen Virginis celebrandum accingit: *Ad ipsum*, inquiens, *Mariæ Nomen itaq; iterum contemplandum, & iterum iterumq; descendere libet.*

In Mariæ Nomen S. Bernardini mirus pietatis affectus.

Miras delicias in laudando B. V. Nomine S. Bernardinus experitur.

71. Cujus Patris sanctissimi in Mariano celebrando Nomine amorem sedulitatemque imitatus Religiosissimus Bernardinus de Bustis, cupiensque cum ipsius Nomine & omen quoque, eamq; cum ipso Virginei Nominis extollendi facultatem habere, fatetur se à primis conversionis exordijs hoc distichon in honorem Sancti, quo suorum votorum compos esse posset, composuisse:

Bernardini Bustij in Nomen B. V. Amor.

Bernardine tuum sumpsi sanctissime Nomen,
Fac mea sit gestis cõsona vita tuis. P. 3. Mar. ser. 5

72. Et verò Vir hic devotissimus tantâ visus est, DEIPARAM ejusque Nomen deprædicandi consecutus gratiam, ut omnes qui ipsius legunt opera honori Virginis consecrata, & fœcundissimum intellectum atque ingenium, & ardentissimam amantissimamque DEIPARÆ collaudandæ jure merito admirentur, ac suspiciant voluntatem. Atque ut reliqua, quæ longum foret recensere taceam; in ipsis sanctissimi Nominis literis summâ sui animi voluptate, pulcherrima, dignitatem ejusdem repræsentantia rimatus est mysteria. Ad quæ prout par erat explicanda, cùm se imparem agnosceret: *Possum*, inquit, *non immeritò timere si scrutari velim Nominis Virginei dignitatem, ne ipsa Virgo dicat mihi: cur quæris Nomen meum quod est admirabile? Gen. 32. Tamen etsi non possum prædicare de illo prout meretur, aliquid tamen dicere conabor, prout quis ejusdem Virginis servulus tenetur. Bona enim voluntas defectum virium suppletura est.* Atque ita sermones quinque omninò in laudẽ suavissimi hujus Nominis impendit, in quibus tam varietate & elegantia conceptuum, quàm in Virginem pietatis, ac amoris affectibus est admirabilis. Iam enim literas Nomen hoc componentes Illustrissimis Heroinis, virtutum famâ conspicuis assignat, uti Micholi, Abigaili, Racheli, Iudithæ, Abisach, earundemque præclarè gesta, in Virgine totius vitæ decursu expressa fuisse longè præstantiùs demonstrat. Iam in eisdem literis Mediatricem, Auxiliatricem, Restauratricem, Illuminatricem, Advocatam nostram DEIPARAM esse copiosissimè ostendit. Iam illud Nomini IESV ob quinarium literarum numerum simillimum, cum Magistro Bartholomæo Pisano esse ait, easdemque literas varias

Nomen B. V. admirabile.

Maria Heroinis confertur.

Deiparæ virtutes designare; Misericordiam nempè, Altitudinem contemplationis; Religiositatem in cultu, habitu, & omni motu; Innocentiam, ac puritatem; Affluentiam denique omnium gratiarum. Rursus in eisdem literis ac syllabis alias, ex alijs virtutibus, mirâ sagacitate contexit nempè Mirabilitatem Conceptionis, & Nativitatis; Acceptionem ejus in Dei Matrem; Rectitudinem in omnibus vitæ suæ actibus; Imitationem perfectissimam Christi, cumque illo conformitatem; Altitudinem denique gloriæ, quâ super omnes Angelorum choros est exaltata. *Ipsa quoque Syllabæ*, concludit tandem idem Vir pijssimus, *ejus magnitudinem declarant. Et prima quidem Maternum erga fideles omnes affectum; Altera, Rigorem ejusdem ad Dæmones; Deniq; Acceptionem precum nostrarum, ipsius pientissimâ apud Divinum Numen interventione.* Vnde verba illa Divino ore prolata: *Hoc est Nomen meum.* Exo. 3. asserit pronunciare posse Deiparam: Nomen, inquam, meum excellentissimum, Nomen jucundissimum, ac suavissimum. Hoc enim Nomen censeri non debet inter illa, de quibus canebat PoëtaOvid. in Epistolis.

In M. Nomine affluentia omnium gratiarũ.

In M. Nomine Maternus ipsius affectus exprimitur.

Nomina sunt ipso penè timenda sono.

Non est terribile, ut illud Hectoreum, de quo idem in Persona Penelope:

Nomine in Hectoreo pallida semper eram.

73. Nomen enim hoc amorosũ est, dulcissimum est; Quo S. Bern. bonum omne tam honestum, quàm utile, & delectabile contineri perspiciens aptissimè pronunciavit: *O Nomen gloriosæ Virginis suavissimum, Nomen jucundissimum. Certè non sum dignus te nominare, sed si non sum dignus propter me, sum dignus propter te, quia tu digna es nominari, ac ab omnibus amari, ac revereri, quia per te gratiam acquirimus, gloriam impetramus. Per te ò Maria franguntur vincula, solvuntur debita, vincuntur vitia, solidantur confracta, recuperantur perdita, renovantur vetera; roborantur infirma; magnificantur minima; exaltantur infima; incepta promoventur; infecta perficiuntur; perfecta conservantur; Dæmones fugantur; purgatur cor; mens refulget; animus inflammatur; liquescit pectus, dulcescit gustus, & decoratur aspectus.* Sic ille.

Nominis Mariæ miri effectûs.

74. Mirificos hoscé aliosque quamplurimos Mariani Nominis contemplãs effectûs, virtutesque pijssimus Pelbartus de Themisuar lib. 6. Stellarij, ipsius amore ignescens medullitus exclamavit: *O Nomen dignissimum Maria, Nomen pium, Nomen confortans peccatorem! O Nomen dulce, Nomen amorosum, & beatæ Spei! O Nomen venerabile, & ab omnibus devotâ mente celebrandum; quid dicemus in tui laudem, cùm omnium deficiant linguæ, nec sufficienter te laudare queant! Verè Nomen Sacrum, Nomen fructuosum, Nomen mellifluum! Vtinã saperent & intelligerent homines, ipsumq; quotidie invocarent, ipsum semper in domibus, cordibusq; scriptum tenerent, vt gratiam, veniã, ac tandem gloriam Virg: benedictæ obtinerent! O gloriosum, ò commendabile Nomen, super omnia amabile, ac venerabile! O suave & confortativum Nomen Maria, Nomen Dominæ meæ Genitricis DEI mei! O vtinam sis semper in corde meo!*

In laudando Nomine B.V. omnium deficiunt linguæ.

M. Nomen semper in corde habendum.

Rursus vehementiâ amoris erga admirabile hoc Nomen abreptus, exclamat: *O quam dignum, ò quam excellens, & sublime est hoc Nomen gloriosissimum Maria! O quam vtile omnibus ipsum inuocantibus! Siquidem per hoc sanctissimum Nomen lapsus subleuatur, peccator liberatur, gratiâ infunditur, cor dulcoratur, Dæmon effugatur, tentatio refrænatur, pericula euitantur; pestes, & infirmitates repelluntur; orationes exaudiuntur. O fœlicissimum Nomen, per quod homo in morte assecuratur; in Purgatorio refrigeratur; & in cœlo ex præsentia tantæ Dominæ jucundatur!* Hascé porro 12. utilitates sacrosancti Mariani Nominis ait idem Pelbartus esse totidem Stellas, quas in modum Coronæ Virgineũ verticem pervenustè, splendore planè admirabili coronantes dilectus ChristiDiscipulus; Apoc. c. 12. contemplatus est.

Vtilitates invocationis Nominis Mariani.

Vtilitates 12. Nominis Mariæ, sunt velut Stellæ caput ejus coronantes.

75. Ob quas sanè utilitates jure merito & nos ei texere possumus Corollam 12. Angelicis salutationibus ceu stellulis fulgidissimis constantem, eamque religiosissimo Hyperduliæ cultu, exemplo pijssimi illius nostræ Societ. Adolescentis, Ioannis Berchman, ad consequendam præsertim animi puritatem venerari. Qui inter sua M. S. postquam Deiparam Mulierem amictam Sole, & in capite suo Coronam Stellarum 12. gestantem esse dixisset, hæc addidit: *Finis hujus pia exercitationis est, concipere erga B. V. hyperduliam sive reverentiam, gratitudinem, spem; eam imitandi desiderium. Ter recitabitur Pater noster ad Sanctissimam Trinitatem, 12. Ave Maria ad Beatissimam Virginem.* Tum prosequitur Meditatiunculas devotissimas in hoc sancto exercitio

Ioannes Berchmã cultu Hyperduliæ B.V. coluit texendo ei Corollam ex 12. Salut Angelicis.

tio usurpandas, quas quisque ad calcem vitæ ipsius videre poterit. Hac pietatis quotidiana exercitatione quâ Angelicus hic Adolescens, Deiparam fatigabat, id demum consecutus est, ut non modò omni turpi phantasiæ imagine, corporisq; titillatione etiam dormiens ipse careret, verùm etiam, ut amorem puritatis, uti faciebat ipsa Virgo beatissima, alijs afflaret, ut alibi diffusiùs ostendemus.

Ioannes Berchmã salutando M. puritatem cordis adeptus.

Tandem idem Pelbartus cupiens Nomen hoc imis mortalium exculptum esse medullis sapienter hortatur, pro sua in Deiparam charitate: *O fidelis anima, utinam saperes, ac intelligeres dulcedinem, ac fructum eius Nominis, & ipsum semper in corde, & ore haberes! Hoc te moneo, hoc exhortor ut descriptum habeas in domo vel ostio tuo, quo frequentiùs viso Virginis recorderis. Fœlix certè illa domus, ubi semper memoria tenetur Mariæ. O Christiane recognosce Nomen tuæ Matris Virginis benedictæ, quæ sola est spes, & refugium animæ tuæ, vita spes, & dulcis consolatio cordis tui, ipsum invoca, ipsum flexis genibus inclama, ipsum Nomen exora, ut Maria sit tibi Maria, id est Maris Stella in huius sæculi procella, qua dirigaris ad cœlestia Regna.* Sic ille.

Nomen B. V. in domo vel ostio habendum, ut fœlix domus illa sit.

76. Ejusdem sacrosancti Nominis suavitatem, ac dulcedinem idem paulò ante memoratus degustasse visus est Bernardinus, dum alia ex alijs in literis Mariani Nominis scrutatur mysteria. Post quam enim Deiparam Manum Dei auream; Apem item mellilegam; Regulam omnium viventium; Idriam Dei; Amygdalum denique Arboremúe cœlestem appellasset, ait, jure merito ob innatam Deiparæ dulcedinem, illam Apim nuncupari: *Apis, inquit, in sacra Scriptura dicitur B. V. quæ brevis fuit per humilitatem, volatilis per supernorum contemplationem, mellificans per cœlestis fructus productionem. De hac Eccl. 11. Brevis in volatilibus Apis, & initium dulcoris habet fructus eius.* De Api hac dixit Ambrof. lib. de Virgin. *Apis rore pascitur, concubitus nescit, mella componit.* Quid ergo dulciùs Virginis Nomine, quod Apem in se initium dulcoris, genitricem dulcissimi mellis complectitur? Quod si Amygdali Naturam investigemus, reperiemus sanè Virgineam dulcedinem suavitatemque in illa tam ratione ipsius arboris, quàm floris, ac fructus contineri. Cùm enim Amygdali radix sit amara, dulcis redditur per surculum arboris piceæ, ut testatur Isidorus lib. Ethymol. qui surculus quid notat aliud, quàm Verbum æternum, quod humanitatem nostram in utero Virginis assumens cœlesti eandem dulcedine perfudit, ac complevit. De surculo hoc loquebatur S. Iacobus Apostol. c. 1. *Suscipite insitum Verbum.* Et verò si Verbum Dei ab amaritudine peccati hominem præservare, ac liberare consvevit; cùm Salvator dicat: *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Ioan. 13. Multò magis dulcedine replere potuit Virginem Matrem suam benedictam, ut argumentatur idem Pater, eamque ab omni amaritudine cujuscunque peccati præservare; cùm faciliùs sit præservare ne quid inducatur, quàm inductum tollere. Quid de arboris hujus suavissimis floribus reliquas arbores ad parturiendum germinandumque suâ vigilantiâ celeritateque provocantibus dicam? Ante omnes arbores floruit sanè Virgo nostra, quando prima ante omnes Virgines à primis sæculorum exordijs, emisso voto Virginitatis suæ florem Domino consecravit. Qui sanè flos tam suavem toto terrarum Orbe diffudit odorem, ut tot myriades utriusque sexus Virginum pòst se traxerit, ita ut contemplatâ pulcherrimâ totius Ecclesiæ facie læti cum Poëta exclamare possimus:

B. V. Apis, quæ nobis dulce Mel Christum produxit.

B. V. Amygdalus dulcis.

Æterno Verbo dulcis effecta Maria, ut amygdalus.

B. V. Flos Virginitatis similis flori amygdalino, qui ante omnes floret.

Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos
Nunc frondent sylvæ, nunc formosissimus annus.

Quid deniq; de dulcissimo hujus Virgineæ arboris fructu dicam? Hic juxta D. Augustini mentem ser. de Nativ. cùm Incarnatum, amore nostri Dei Filium nobis repræsentet, non potest sanè, vel sola hæc hujus rei memoria suâ dulcedine animos nostros mirificè non delinire. Quis enim eximiâ quâdam suavitate, animiq; gestientis lætitiâ non perfundatur contemplans, dulcissimum illum sapidissimumque Divinitatis nucleum, carnis nostræ cortice inclusam fuisse, ut sapidissimum mortalibus exhiberet alimentum? Vnde mellifluus Bernardus: *Plenum prorsus omnis suavitatis dulcedine videre hominem, hominis Creatorem.*

77. Quod si Manum Dei auream, Mariam cum eodem Patre Religiosissimo esse nobis persuaserimus, incredibili profectò voluptate recreemur necesse est. Quis enim animo suo non delicietur

M. Manus Dei, quâ in cœlum deducimur.

tur cum audit vel Moysen Deut. 33. v. 2. *Omnes Sancti in manu eius sunt*. Vel Iobum c. 12. *In eius manu est anima omnis viventis*. Vel per Davidem loquentem Dominum Ps. 88. *Manus mea auxiliabitur ei*. Quis cum eodem Davide, fiducia in suavissimam Virginem plenus, non oret ad Dominum: Psal. 118. *Fiat manus tua vt salvet me?* Et Psal. 143. *Emitte manum tuam de alto, & libera me de aquis multis*. Quis summâ cum animi sui jucunditate Iesu Christo Vniversorum Domino gratias non agat, dicatq; cum eodem Propheta Regio? *Posuisti super me manum tuam, & salvum me facit dextera tua* Psal. 138. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Psal. 144. Quis tandem non speret, & sperando gaudeat, quod benignissima hac Divinæ bonitatis manu ad fœlicem beatamque Paradisi Patriam sit deducendus? Psal. 138. *Quoniam illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Quis gaudio incredibili non tripudiet, quod manus hæc Dœmones, iter nostrum ad immortalitatem, beatitudinemque præpedientes vincat, ac triumphet? Vnde & celeberrima Angelorum promerita est præconia: *Victricem manum tuam laudaverunt pariter*: Sap. 10. Hæc denique est Dei omnipotentis Manus illa, quæ unumquemque Virgini devotum protegit; unde hujusmodi gloriari meritò potest: *Sub umbra Manus suæ protexit me* Isa. 51.

M. Manus Dei, quâ protegimur.

78. Quis tandem sub umbra Manus hujus aureæ, tornatilis plenæque Hyacinthis divitias immarcescibiles, incomparabilesque cœli thesauros quam citissimè acquisiturũ se non confidat & gaudeat? Tornatilis nimirùm manus est Virgo, motu levissimo, ac facillimo, quin imò unico minimoque suspirio ad benefaciendum, omniaque bona largienda impellitur adeò, ut de illa verè dici possit; *Omnibus mobilibus mobilior est Sapientia*. Sap. 7. Ipsa enim ad suas opes nobiscum liberaliter communicandas, adeò prompta, adeò expedita est, ut quemadmodum loquitur Salomon Sap. 6. *Facilè videtur ab his qui diligunt illam, & invenitur ab his qui quærunt eam; verè praeoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat*. Denique adeò suorum amicorum studiosa, adeò obsequiosa est Virgo, ut *qui de luce vigilaverit ad illam, non sit laboraturus, assidentem enim illam foribus suis inveniet, quoniam dignos se ipsa circuit quærens, & in vijs ostendit se illis hilariter, & in omnia providentia occurret illi*, ut idem testatus est Sapiens. Quare Virgo ipsa hujuscé innatæ sibi benignitatis pro bè conscia dicere verè potest, ut ait Bernardinus: *Antequam clament ego exaudiam, & adhuc loquentibus ego audiam*. Isa. 65. n. 24. Manus denique hæc Divina, Manus hæc Virginea plena est hyacinthis, plena est gemmis preciosissimis virtutum cœlestium ad hominum animos locupletandos.

M. Manûs Tornatiles & veloces ad gratias suas nobis communicandas.

Manus B. V. est plena hyacinthis alijsq; virtutum gémis.

79. Hinc memoratus Pelbartus de Themisvar lib. 6. Stellarij P. 1. art. 2. cum Doctore Leonardo de Vtino Nomen Virginis preciosissimis lapidibus videlicet Margaritæ, Adamanti, Rubino, Iaspidi, & Alectorio, eorumdemque virtutibus conferre non dubitavit. Verè enim Maria Margarita est, quia sicut lapis hic est pulcherrimus, confortatque cor in periculis: Sic Nomen Virginis Mariæ refugium est nobis in omnibus periculis, & cor animumque nostrum roborat, atque confortat in tentationibus atque adversitatibus. Vnde illi meritò canit Ecclesia: *Sub tuum præsidium confugimus S. Dei Genitrix, &c.* Verè Virgo nostra Maria Adamas est, sicut enim hic eâ pollet virtute, ut reconciliet discordes, sic Maria inter Deum, & homines pacem conciliavit, adeò ut de illa dicere possimus: *Et in tempore iracundiæ facta est reconciliatio*. Eccli. 44. Sicut solet furor viri, per mulierem mitigari: sic per Virginem benedictam justissima superni Iudicis ira, ne mortales feriret, ac perderet, placata est. Rubinus quoque est Deipara, sicut enim miro hic coruscat splendore: sic Nomen Virgineum juxta sui Nominis ethymon illuminandi virtute eximiè pollet. Hinc de illa concinit Ecclesia: *Cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias*. Iaspis etiam est Maria. Quemadmodum enim gemma hæc ferentem in periculis tutum reddit, absque timore: sic Virgo nostra nos tutos reddit, suos clientulos à Dœmonibus, eorundemque tentationibus atque insidijs, utpote, uti sæpiùs diximus; *terribilis ut castrorum acies ordinata*. Alectorius denique Virgo nostra est: sicut enim lapillus hic preciosus possidentem reddit fortunatum, eique facilem, ad honores acquirendos sternit viam: Sic Maria, fœlices, ac beatos omnes eos reddit, qui ipsius pietatem, ac devotionem, imò corde

Nomine Mariano gemmæ preciosissimæ continentur.

B. V. Nomen fortunatos reddit, eisq; ad cœlestes honores viam sternit.

corde radicatam gestant, eisque ad cœlestes æviternosque honores capessendos viam aperit. Ipsa enim ex hac vita migrantibus obviabit quasi Mater honorificata, eosque ad honores illos nunquam terminandos benignissimè introducet. Quare præclarè Didacus de Celada ipsam prosperam Christianorum Fortunam, uti infra ostendemus diffusiùs, appellavit.

80. Cùm igitur Virg. Deiparæ Nomen gemmis, eisq; preciosissimis constet, fœlices omninò censendi sunt illi, qui Nomen hoc Virgineum in gazophylatio & thesauro cordis sui recondunt. Hos enim mirificè locupletari necesse est. Illa enim est, de qua Salomon Prov. 31. *Multæ filiæ congregaverunt sibi divitias, tu supergressa es universas.*

Hoc nimirum dulce Nomen, est illud Bonum, de quo Salomon Prov. 22. v. 1. *Melius est nomen bonum quàm divitiæ multæ.* Quæ verba expendens Richardus à Sancto Laurentio lib. 1. dicti hujus reddit rationem: *Mariæ siquidem Nomen longè meliùs est quàm divitiæ corporales, quia meliùs angustiam relevat paupertatis. Pauper es? confuge ad Nomen Mariæ, quæ tibi pauperrima exhibetur; & si devotè attendas, quod de hac paupertate exaltata est etiam super Angelos, iam non erit tibi onerosa paupertas.* Hæc ille.

M. Nomē nostræ divitiæ.

81. Dixeramus Virginis manus plenas esse preciosissimis Hiacynthorum gemmis, quibus clientulos suos locupletat, restat dicendum, illam etiam plenam esse Hyacinthi floribus suavissimis, cùm sit Terra illa benedicta, quæ dedit fructum suum, suavissimum Iesum, Terra illa nostra floridissima, in qua flores virtutum omnium apparent.

M. Terra florida.

82. Suavissimum hunc florum odorem, quem hæc Terra exhalabat Virginea experiri solitus erat Sanctus Hermannus Filius Virginis nostræ, ac Sponsus, cui non satis visum fuit, ut ad Mariani Nominis invocationem juxta sui Præmonstratensis Venerabilis Ordinis pientissimam consuetudinem, diebus feriatis terram, festis verò manum oscularetur, sed mox, ut suavissimum Mariæ Nomen, quocunque tandem die aures ipsius circumsonabat, ad terram toto corpore prostratus, diutissimè caput affigebat humo; cùmque aliquando esset quæsitus, cur ita faceret, respondisse fertur, ut Pater Laurentius Surius testatur in eius vita 7. Apr. *Quoties ad Nomen sacræ Virginis humi me abijcio, odor omnium florum, atq; aromatum, tanta suavitatis copia in nares meas influit, vt semper ibi hærere vellem si liceret.* Et hanc ob causam hic pientissimus Virginis Deiparæ Filius præ teneritudine amoris eam, Rosam vocitare consueverat.

S. Hermanni reverentia & amor erga Nomen Mariæ.

Maria dicta Rosa.

83. Qui sanè odor suavissimus certum quoddam fuisse videtur Divinitatis Nominis illius indicium. Quod etiam gentiles agnovêre. Vnde Ovid. 5. Fastorum cecinit:

Nominis Mariæ fragrantia

Mansit odor posses scire fuisse Deam

Hinc etiam Virgilius Æneid. lib. 1.

Ambrosiæq; comæ Divinum vertice odorem
Spiravêre.

Odoris suavitas Divinitatis indicium.

Hinc denique scribit Lucianus Deæ Syriæ (de qua nefarius à fide Apostata integrum, pro summa sua in Deum verum impietate conscripsit librum) Fanum hujusmodi odoribus aromatum omnium assiduè fuisse impletum, quales Arabiæ tellus solita est exhalare: *Intus*, inquit ille, *ipsa ædes auro multo resplendet, & tectum totum aureum est. Odorem autem effragrat Divinum quendam, qualis est terra Arabia, ac tibi à longè ascendenti auram spirat admodum suavem, & si inde rursus abeas haudquaquam cessat, sed & vestes tuæ in longum usq; tempus eandem auram retinent; & tu in perpetuum memoriam quandam eius tecum referes.*

OdorDeæ Syriæ in eius Templo Divinitatis indicium.

84. Neque verò solùm suavis Mariani Nominis odor nescio cujus Divinitatis est Indicium, verùm etiam, ille manus osculandæ ritus, ac cerimonia, quâ veteres in adorandis Dijs per summum nefas, uti idem affirmat Lucianus, Minucius Fœlix in Octavio, & S. Hieronymus in cap. 8. Ezech. usi sunt. Genuum quoque poplitumque incurvationem, quandam Divinitatis esse recognitionem asseruit Pineda lib. 1. in Iob c. 1. v. 20. qui enim genibus flexis supplex in terram corruit, nullam in se firmitatem stabilitatemque, uti nec dignitatem, honore gloriaque dignam, sed solùm Deum ante cujus Majestatis pedes humi abjectus jacet, agnoscit. Quod intellexisse visus est etiam Regius Psaltes Psal. 21. *In conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.* Ac si luculentius dixisset: Mortui qui sepeliendi in terram abijciuntur, in terram cadere, & Deum velut vitæ, ac mortis, imò & Resurre-

Osculari manum propriam erat adorationis indicium.

Genuum incurvatio est Divinitatis recognitio.

surrectionis Authorem agnoscere atq; adorare videntur.

85. Quapropter de dulcissimo hoc admirabilique Deiparæ Nomine jure merito pulcherrimum illud inter cætera reliquit elogium, quod reliquorum omnium foret compendium Religiosissimus ac Doctissimus P. Petrus Canisius è Societate nostra Germaniæ Apostolus lib. 1. de Deip. c. 1. cùm dixit:

Petri Canisij de Nomine Mariæ elogia.

Si ullum aliud venustum, præclarum, & gratiosum Nomen ulli contigit mortalium, quod scribi, legi, decantari, pingi, sculpiúe mereatur, id Mariæ Nomen videri potest; dignum sanè quod in omnium oculos, aures, & mentes incurrat, magnaq; cum reverentia & privatim & publicè nominetur. Nam & cum ipso Evangelio natum est si veram Mariam (non scilicet umbratilem illam Moysis Sororem) spectemus, nec abolebitur unquam, quamdiu vox Evangelica in mundo sonabit, sed ubiq; gentium & ab omni credentium ordine, clam, palam, celebrabitur, quod vt pios mirificè recreat & oblectat, sic etiam impijs profuit sæpè, quodq; nec ab alio quàm ab Angelo in terras demisso Sanctis Parentibus primum denunciatum est: quod deniq; inter alios omnes quorum Nomina in libro vitæ scribuntur, & excellentiùs & venerabiliùs indicatur. Sic Canisius.

86. Alter quidam è nostris Patribus ubi plurima in laudem ejusdem Nominis elegantissimè & doctissimè disseruisset, hæc ipsius honoris gloriæq; propagandæ cupidus, tandem annexuit:

Nomen M. ubiq; scribendum, ac pingendum.

Quod scribi aut insculpi vellem in gentilicijs stemmatis, in Templis, in Altaribus, in sepulchris, in fastigijs Ecclesiarum, in privatis ædibus, in cubilibus singulis, in Ianuis, in terminis regionum, & agrorum; in portis civitatum, in vijs publicis, in navibus, in galeis; labaris, hastis, ac clypeis militiæ, in locis ubi Sanctorum corpora quiescunt, in manibus cadaverum; in laureis & statuis Imperatorum, in vestibus singulorum hominum, ut hoc notata Nomine, singulari amore promoveat Deus. Sicut enim teste S. Bonaventura: *Hoc Nomen; DEVS; scriptum est in omnibus rebus: Sic Nomen Mariæ inscribi quoq; consentaneum est.* Nomen enim verè venustissimum, ac pulcherrimum est Maria, utpote Nomen summæ Dei Parentis, quæ Mater pulchræ dilectionis appellatur; Nomen verè gratiosum est Nomen Maria, utpote, quæ Virginem plenam gratiâ, imò immensum quoddam gratiarum Mare designat. Nomen verè dulce, ac suave est Maria, utpote nobis ob oculos repræsentans illam, quæ novem mensibus benignissimum illum suavissimumque Dominum, in suo purissimo gestavit utero, de quo jam pridem cecinerat David. *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.* Et Apostolorum Princeps: *Si tamen gustatis quoniam dulcis est Dominus.* Nomen denique Virginis Mariæ, Nomen est quod irretit, quod rapit, & ad se vinculis charitatis hominum oculos, ac corda trahit, mirificasque in omnium animis parit oblectationes.

Nomen Deus in omnibus rebus scriptum ait esse S. Bonav.

M. Nomẽ rapit ad se omnium animos.

87. Quod sanè minimè mirum nobis evenire debet, si enim nescio cujus Adolescentis, qui Earinus nuncupabatur, Nominis amore captus Martialis, perinde illo est oblectatus, atque amœnissimo Vere, perinde atque Hyblæis Atticisque famosissimis illis floribus, perinde atque suaveolentibus illis aromatis, quibus unica Phœnix superbiens sibi nidum rogumque construit, uti elegantissimis illis suis ipse fatetur carminibus, quæ amoris ejus Nominis œstro percitus, posteritati commendavit; ad illius Nominis memoriam, perindè se exhilaratum affirmans; atque si Charites ipsæ, Amores ipsi, Sirenesque fuissent jucundissima sua carmina modulatæ: quantò magis dulcissimum hoc jucundissimumque Deiparæ Nomen, summam nobis pariturum est voluptatem, gaudiumque, omnem humanum sensum exsuperans, si debito cum pietatis, amorisque affectu, eaque, quâ par est reverentiâ, à nobis fuerit usurpatum?

M. Nomẽ, Vere ipso amœnius.

M. Nomen Earini Nomine longè florentius.

O Maria Nomen Veris verè pulcherrimum, Nomen Veris amœnissimum, suavissimum, ac jucundissimum! Maria verè nobis est Ver ipsissimum, ipsa enim horridissimâ gelidissimaque peccatorum transactâ brumâ, flores, fructusque germinavit gratiæ, mundumque squallore scelerum variorum torpescentem, ac horridum, ad instar deserti, pristino nitori restituit, & juxta Evangelici Prophetæ vaticinium germinare fecit sicut lilium, & ad instar horti irrigui plantati secus decursus aquarum cœlestium, quæ nobis, per Mariæ Nomen, velut aquæ ductum assiduè communicantur, ut fructum afferat in tempore suo.

Maria nobis est Ver gratiæ, flores virtutum germinans.

88. O igitur Mariæ Nomen, Nomen Vernum, Nomen deliciosissimum,

M. Nomen cum violis rosisque natum.

Nomen cum violis rosisq; natum
Quo pars optima nuncupatur anni.

Hyblam

M. Nomen nectare dulcius.

Hyblam quod sapit, Atticosq; flores:
Quod nidos olet Alitis superba,
Nomen Nectare dulcius beato.
Nomen nobile, molle, delicatum.

O Nomen Mariæ, Nomen verè nobilissimum, Nomen excellentissimum, dignum quod preciosissimis lapillis conscribatur, dignum quod redolenti exaretur succino, preciosissimisque lapillis, dignum quod purissimarum Columbarum, castissimorumque Amorum pennis depingatur, dignum denique quod Gruum in sublimè volantium alis, ad sidera extollatur, earundemque calamis cœlis ipsis inscribatur. Canat igitur huic Nomini potiùs, quàm Earini, si sapit Martialis.

M. Nomen dignum quod scribatur p̃ciosis lapillis.

M. Nomen dignum, quod in cœlum extollatur

Nomen Erythrais, quod litera facta lapillis,
Gemma quod Eliadum pollice trita notat;
Quod penna scribente Grues ad sydera tollat.

89. Sed quid in Mariani Nominis ornamentum Ægypti coacervamus spolia, cùm cœlestis Hierusalem quam plurima decora, pigmentaque pulcherrima, quibus Viri pij, Virginique studiosi suavissimum æquè, ac dulcissimum gloriosissimumque Nomen exornârunt præ manibus habeamus? Audiamus mellifluum Bernardum, qui sicut in IESV Domini nostri Nomine, sic & in MARIÆ exornando extitit planè mirificus, unde propriâ edoctus experientiâ, agnoscens ejus admirabilem dulcedinem æquè, ac energiam cum DEIPARA amanter colloquens canebat:

S. Bernardi affectus erga M. Nomen.

Mater Christi decus Virgineum
Thronum sedens super athereum
Nomen tuum sapore melleum
Liquefacit affectum ferreum
Cordis mei.

Audiamus & D. Anselmum in suis devotissimis ad DEIPARAM carminibus, qui non modò dignitatem, ac gloriam, verùm etiam suavitatem, ac delicias hoc Nomine Mariæ sacrosancto contentas suspiciens, exclamavit:

S. Anselmi affectus erga Nomen M.

M. Nomen meliùs quàm multæ divitiæ

Nominis M. laudes multiplices.

O Maria Nomen bonum Nomen memorabile
O Nomen quod meliùs est, quàm multa divitia;
Balsamum aromatizans, thus mira fragrantia,
Flos aternus, Rosa lenis, Lignum semper viride,
Stella, Solis claritatem suo vincens jubare.
Speciosa, & suavis, canticum letitia,
Pradicanda, & laudanda privatim & publicè;
Non hic tantùm sed in tota mundi latitudine,
Et in cœlis Angelorum, dulci modulamine,
Quam amare nolle nullus potest sine crimine.
Tu es Mater IESV Christi suavis memoria.
Ob quam nobis sunt aperta Paradisi janua
Benedictum Nomen ejus Sanctum & terribile,
Qui per Orbem tuum Nomen fecit esse celebre.
Benedicant te per avum virtutes Angelica
Et ad laudem Creatoris te in omni tempore,
Omnes Sancti benedicant, & Tu me, & ego Te.

Per M. Nomen nobis cœli sunt apertæ Ianuæ.

90. Audiamus & Seraphici Ordinis Theologum Ioannem Hondemium Anglum, qui floruit circa annum Salutis 1350. Sic enim ille lib. 6. Christiados DEIPARAM alloquens, de ipsius dulcedine, varijsque canebat effectibus:

M. Nomen cor confortat, & mortem fugat.

Nomen tuum saginat viscera,
Et expressum pigmentat aëra,
Cor confortat, & fugat funera,
Vmbras delet, & donat sydera.

M. Nomen est Ensis formidabilis Dæmonibus.

Ense sacro vibrati Nominis
Cadunt hostes, vi fracti fulminis
Plùs trementes ad Nomen Virginis,
Quàm favilla, fragore turbinis.

M. Nomen in hora mortis nominandum.

Dulce Nomen velis dulcescere,
Mihi quaso labris illabere,
Vt te sciam securus legere,
Cùm cor coget mors ingemiscere.

91. Audiamus & S. Ioannem Baptistam loquentem de hac dulcedine Nominis Virginei S. Brigittæ lib. 1. Revel. c. 31. cui cùm se aliquando spectandam exhibuisset DEIPARA, aureâ veste, pallioque cæruleo, miræ pulchritudinis amicta, coronâque septem lilijs candidissimis totidemque lapidibus preciosissimis contexta, redimita; & ipse liliorum reliquorumq; lapillorum S. Præcursor explicuisset mysteria, septimum lapidem dixit esse *Plenitudinem omnis delectationis, ac dulcedinis spiritualis*, quæ in Virgine adeò plena, adeò copiosa, adeoque exuberans extitit, ut nulla possit esse delectatio, ac gaudium adeò magnum atque eximium, quod majorem plenitudinem, ampliùs incrementum, absolutioremque ex ea, ejusque visione beata, capere non possit perfectionem; cùm ipsa ultra omnes Sanctos gratia plena, & Vas puritatis, in quo Angelorum Panis omnem dulcedinem pulchritudinemque complectens, continebatur, extiterit. Tandem monet Sponsam Christi idem S. Præcursor quantopere, Mater DEI, dulcedinis omnis plenissima, veneranda sit: *Ipsam ergo, ò Sponsa ejus Filij honora, & toto corde tuo lauda, quia verè ipsa est omni laude honoreq; dignissima.*

S. Ioannes Bapt. laudat Nomen M.

In M. Nomine est plenitudo omnis dulcedinis spiritualis

92. Ipsam denique Virginem Veritatis æternæ Parentem dulcedinem hanc suam suique Nominis S. Brigittæ conte-

M.Nomen Flos melle plenus.

stantem audiamus lib. 4. Revel. c. 86. *Ego sum Flori simillima, de quo Apes trahunt dulcedinem, à quo quantumcunq; colligitur atq; exsugitur, ei nihilominus dulcedo innata permanet. Sic ego licet omnibus gratiam impetrare possim & impetrem, ea tamen semper superabundo.*

M.Nomen floribus rosarum, aureis literis exaratum.

93. Neque verò mirum cuiquam videri debet cùm Nomen Virginis floribus suavissimum odorem exhalantibus deliciarumque mella stillantibus audit comparari; Cùm Deipara Nomen suum hoc sanctissimum varijs floribus, rosis, ac lilijs manu altiori, ac Divinâ aureis characteribus inscriptum sæpiùs mundo ostendere, summâ hominum admiratione, ac stupore, ad suavitatem dulcedinemque suam contestandam: non sit dedignata. Testes sunt quinque rosæ illæ pulcherrimæ ex ore, oculis, auribus B. Ioscionis vita functi Audomari in Monasterio S. Bertini anno 1173 prodigiosè pullulantes, in quarum una, illa nimirum, quæ ex ore germinaverat, Nomen Mariæ erat exaratum cum versiculo, *Magnificat &c.* In reliquis verò quatuor, quatuor Psalmorum visebantur initia, *Ad Dominum; Retribue; In convertendo; Ad te levavi;* quorum initiales literæ combinatæ Mariæ Nomen exprimebant. Hos quinque Psalmos quotidie Dei servus, præmissâ ad singulos salutatione Angelica, in honorem Mariani Nominis recitabat. Non permisit servum suum inglorium Deipara: Convenère ad ejus funus, visendumque spectaculum, ex varijs locis tres Episcopi cum innumera Clericorum multitudine, & septem omninò diebus corpus Ioscionis inhumatum rosis illis vividis, odoremque suavissimum exhalantibus, exornatum permansit. Rosa porrò illa, Mariæ Nomine insignita, quæ ex ore processerat, crystallo inclusa, & in Altari reposita, Nomen Deiparæ & sanctitatem Ioscionis diù toti mundo celeberrimam reddidit.

B. Ioscionis Nomé B.V. honorantis gloria.

Singulæ literæ Nominis Virginei laudibus ornandæ.

M.Nomen in lilijs exaratum.

94. Lilijs etiam Deipara purissima, utpote Virgineam ipsius puritatem denotantibus, Nomen suum sacratissimum committi voluit, uti videre est apud Cæsarium, qui commemorat Religiosum quendam admodum rudem, nil aliud præter initium Angelicæ salutationis memoriæ imprimere potuisse. Quam cùm religiosissimè sæpiùs in honorem Virginis iteraret, adeò Dei Matri obsequiosa hæc Monachi simplicitas placuit, ut post mortem ex ore ipsius pulcherrimum lilium singulis in folijs Mariæ Nomen, ac salutationem repræsentans supra tumbam germinârit. Simili favore dignus habitus fuit Iacobus Barbutus Ordinis Minimorum, è cujus ore tria visa sunt prodire lilia Iesv & Mariæ Nomine admirabili candore, ac nitore coruscantia, ut ex illorum constat Chronicis in Kalend. Mariano citatis ad diem 29. Novemb. Ex quibus sanè miraculis, ac prodigijs facilè colligere licet Nomen hoc Deiparæ Nomen esse Regium, eamque Reginarum omnium maximam, siquidem illud Florum omnium Rosæ Principes liliaque repræsentârunt. Vnde Maroni sciscitanti:

Ex Iacobi Barbuti ore tria lilia, Iesv & M. Nomine insignita prodierunt.

Dic quibus in terris inscripti Nomina Regum
Nascuntur flores?

M.Nomen Regium siquidem floribus inscribitur Divinitus.

Respondere possumus: In terra hac Virginea, terra Sacerdotali, ac benedicta, Nomen Mariæ, Regio insignitum titulo pullulavit.

95. Quare de sacratissimo hoc Deiparæ Nomine prædicari potest id, quod de Nomine ejus Filij dilectissimi pronunciavit Origenes Hom. 1. in Cant. omnes nimirum ad sui amorem, omnes ad currendum in odorem unguentorum suorum trahere, & non modò odoratum, sed & omnes alios sensûs tam corporeos, quàm spirituales ad se allicere. Ait enim Nomen Iesv juxta 70. Interpp. versionem, esse unguentum exinanitum, quod Adolescentulæ dilexerunt, & traxerunt Sponsum post se, amoris videlicet vinculis, quibus ante ipsæ à Sponso tractæ ad currendam fuerant in odorem unguentorum ejus: quæ unguenta eædem animæ odoratu interno jam perceperant. Cùm enim præmisisset duplicem in quovis homine, reperiri hominem; internum, & externum: alterum de limo terræ; alterum ad imaginem & similitudinem Dei efformatum, ac proindè duplices etiam sensûs inesse homini, quibus non modò res materiales, verùm etiam spirituales percipiuntur; cùm, inquam, hæc præmisisset, subtexuit: *Si hæc solo ejus Nomine effecta sunt, quid putas faciet ipsa ejus substantia? Quid ex illa Adolescentulæ istæ virtutis, quid vigoris accipient, si quo modo aliquando potuerint ad ipsam ineffabilem ejus substantiam pervenire? Ego puto quod si ad hæc aliquando pervenerint, jam non ambulent, neq; currant, sed vinculis* qui-

M.Nomen omnes sensûs ad se allicit.

Duplex homo in homine, Internus & Externus.

Nominis IESV vis in trahendis ad se animabus.

Nomen IESV facit animas sibi adhærescere.

quibusdam Charitatis ejus adstricta adhæreant ei, nec ultra ullus mobilitatis in illis supersit locus, sed sint cum eo unus Spiritus.

M. oculos intuentiū ad se trahit.

O si Divam Virg. modo prout est in gloria oculis his cernere, ejusq; faciē pulcherrimam, Angelicis omnibus speciosiorem contemplari liceret, quanto gaudio, quanto tripudio corda hominum exilirent, quibus purissimi amoris catenis adstricta Deiparæ, atque illigata remanerent! in quæ laudum præconia omnium ora resolverentur! Hoc nimirum intelligabat Salomon cùm dicebat: *Viderunt eam Filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt.* Cùm ergo Nomen hoc suavissimum pronunciamus, imaginemur nobis illam illicò adesse, eamque clarissimâ circumfusam luce, oculis nostris obversari, cordaque nostra velut aureis catenis ad se pertrahere, verbis illis mellitissimis, quibus Thomas de Kempis in Solil. Ani. cap. 24. ipsam loquentem introducit: *Ego sum Mater pulchræ dilectionis, casti & sancti timoris, piæ allocutionis, & suavissimæ consolationis. Audito ergo Nomine meo exulta in toto corde tuo, inclina te reverenter, meq; saluta libenter. Nam honorando Matrem, honoras & Filium, qui DEVM habet Patrem. Ego enim sum Maria Mater IESV, & hoc Nomen mihi in æternum manebit. Benedic Filium cum Matre, & eris dilectus à Patre. Da ei honorem, & gloriam, quoties mihi aliquā exhibueris reverentiam. Ejus gloria mea lætitia, & mea laudatio, est ejus veneratio: Pone me & IESVM sicut signaculum super cor tuum, sicut signaculum super brachium tuum. Stans igitur, aut sedens, orans, aut legens, scribens, aut operans creber in ore, semper in corde IESVS versetur & Maria.* Quæ verba Virginis tam melliflua, cujus obsecro pectus licet adamantinum non emolliant? Quis his auditis tantæ ipsius charitati cum ejus Psalmista Seraphico Psalmo 26. amore castissimo succensus non respondeat: *Domina dilexi decorem faciei tuæ, & veneratus sum sanctam Majestatem tuam. Ne avertas faciem tuam à me, quia speciem & decorem tuam à juventute mea concupivi. Te amavi, & exquisivi Regina cœlorum, misericordiam tuam, & gratiam ne subtrahas à servo tuo.*

M. adest omnibus se invocātibus, & nos quasi aureis catenis suo amore ad se trahit.

Audito M. Nomine salutanda Virgo.

IESVS & Maria ponendi ut signaculū super cor.

In omni loco, ac tempore IESVS & Maria invocandi.

S. Bonav. à juventute sua speciem & decore B. V. adamavit.

M. vox Nomenq; dulcissimū

96. O si aures mentis nostræ venas suavissimi ejus susurrij audire possent! O sonet vox tua in auribus meis Virgo Maria! quæ habitas in hortis Paradisi cœlestis, en amici tui, en clientuli tui auscultant, fac me audire vocem tuam. vox enim tua dulcis, & facies tua decora: *Favus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, & eloquium tuum dulce.* Cùm ergo Nomen hoc Maria ad aures nostras adlabitur, imaginemur nobis cœlorum melodiam, Angelorum harmonicos nos percipere concentûs, quibus supernæ Curiæ, patriæque cives mirificè exhilarantur.

Nomen M. suave ad instar Angelorum melodiæ.

97. Mariæ dulcedinem auditu hauserat P. Franciscus de Retza Dominicanus, cùm Tom. 2. M. S. super Salve Regina dixit dulcem esse Virginem Beatissimam auditui, Musicâ modulatione. Est enim nobis illa, quod Dominus Ezechieli dixerat cap. 33. v. 32. Carmen Musicum, quod suavi dulcique sono canitur. Beatissima enim Virgo dulcissimè cecinisse memoratur, inquit, cùm Canticum illud suum, quo magnificavit, & exaltavit universorum Dominum, modulata est. Cecinit in primis ne tot Dei donis ingrata videretur. Deinde, ut nobis ad agendas Deo gratias, cùm ejus sentimus beneficia, præluceret exemplo. Cecinit denique dulce illud melos, ne ab ullo vinceretur Illustrium. Constat siquidem præclaras, illustresque fœminas olim carmina Deo, ob victorias, ac triūphos de hostibus reportatos cecinisse. Testis est Maria Soror Moysis, testis Debora Prophetissa, testis Iuditha Heroina generosissima. Verùm Virginis nostræ cœlorum Reginæ gloriosissimæ Canticum, omnium carmina, atque epinicia longo intervallo post se reliquit. Erat siquidem, ut idem loquitur P. Retza, omnibus his dulcior, jucundior, suavior, & auribus delectabilior cantus Musicalis modulationis Beatissimæ Virginis. Illæ enim fœminæ ob victoriam de inimicis temporalibus reportatam Deo carmina decantârunt: At verò Deipara Canticum illud suum summâ spiritus sui lætitiâ ideò composuit, ideò Dominum magnificavit, summisque laudibus extulit, quod antiqui Serpentis caput, virtute Filij, quem in utero gestabat, contriverit, omnesque aëreas potestates debellaverit. Crediderim planè id ad concentum hujus carminis accidisse Heroinæ nostræ generosissimæ, quod Valerius Maximus scribit, aliquando contigisse Romanis, qui cùm Philippum Macedonum Regem debellassent, omnesque Vrbes, quæ sub ejus fuerant potestate libertate donassent, tantis clamo-

M. est dulce Canticum, quo magnificavit Dominum.

Canticū illud Deo cecinit gratitudinis ergo.

Canticum M. suavissimum, quia cātatum ob victoriam reportatā de spiritualibus hostibus.

Lætitia Romanorum debellato Philippo Rege Macedonum.

Plausus Romanorum debellato Philippo aves ex aëre attonitas in terram cadere fecit.

ribus lætitiâ plausuque plenissimis aëra, cœlumque repleverunt, ut aves per aërem volitantes attonitæ, ac consternatæ quasi alarum destitutæ remigio, in terram corruerent. Nimirum Principes tenebrarum, aëreæque Potestates Aves quædam sunt humano generi perniciosissimæ, de quibus cecinit Moyses Deuter. 32. *Devorabunt eos aves morsu amarissimo.* De his sive eorum Primate loquebatur Dominus ad Iobum, teste S. Greg. 36. Moral. *Nunquid illudes ei quasi Avi?*

Potestates aëreæ Aves quædam sunt morsu amarissimo nos devorantes.

Aves igitur hæ Tartareæ, auditâ Virginis, ex intimo cordis affectu, clamore atque exultatione proveniente, dulcissimâ illa novi Cantici melodiâ, cohorrescentes, ex aëre, reliquisque mundi, quæ per summum nefas, mortalibus dominando occupârant, elementis, in tenebras exteriores, in Barathrum Inferni tanquam perditissimi Tenebriones corruerunt. Nimirum Virgo Beatissima Philomela quædã est, ut ait idem P. Retza, quæ peccatorum noctem, ac tenebras, simulque nefandos Tenebriones hoscé, cantu suo, lucem gratiæ brevi venturam annunciando, effugavit. Hæc ferè Retza de dulcissima Virginei Cantici suavitate.

M. Philomela cantu suo diẽ gratiæ annunciãs & Principes tenebrarum fugans.

98. Expertus fuerat dulcedinem Virg. modulationis, sive locutionis supra memoratus pientissimus in Virginem Thomas ibidem, quando suavissima à DEIpara consolatione accepta, exclamavit: *O gratissimum verbum, omni cœlesti dulcedine plenum! O vox sublimis de cœlo rorans, suaviter influens, peccatores consolans, & justos lætificans! O cœlestis fistula quam dulciter resonas in desperata conscientia! Et unde hoc mihi, ut alloquatur me Mater Domini mei? Benedicta tu Mater sanctissima, & benedictum eloquium oris tui. Nam mel, & lac sub lingua tua, & odor verborum tuorum super omnia aromata. Anima mea liquefacta est, ut locuta es ò Maria. Ecce ut facta est vox consolationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio anima mea.* Quoties ergo Mariæ Nomen auribus tuis insonat, toties credito tibi consolationem cœlitus, seu exhortationem ad virtutem aliquam transmitti. Hoc ergo Nomine, velut stimulo, aut calcari ad omnem sanctitatem excitare; hoc Nomine velut luce omnes mœsticiæ tenebras ab animo tuo abige, lætitiâque cœlesti recreare. Vox enim hæc, ut sæpiùs dictum, Illuminatam & Illuminatricem sonat.

M. in loquendo suavitas.

M. cœlestis fistula dulciter resonans in desperatorum conscientia.

M. Nomen stimulus ad virtutem.

99. O si gustus Virgineam illam dulcedinem, quâ totus cœlestis oblectatur Paradisus, degustare posset, quantis delicijs, cupedijsque perfrueretur! Verè enim dixit Richardus à S. Laurentio lib. 4. elogium illud increatæ Sapientiæ, attribuendo DEIparæ: *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Ipsa enim est Arbor illa vitæ in medio Ecclesiæ Paradisi consita, cujus fructus dulcissimus dat vitam mortuis. Ipsa est Mater honorificata cujus ubera Virginea lac pietatis assiduè miseris mortalibus distillant. Gustaverat hanc Virginis dulcedinem S. Bonaventura Ps. 20. dum canebat: *Quam dulcia diligentibus te eloquia tua Domina, quam suavia sunt stillicidia tuarum gratiarum!* Gustaverat dulcedinem eandem idem Kempensis, cùm dicebat. *Beata ubera tua Divina, ò Maria, quæ numquam cessant dulcissimum consolationis lac emittere. Nam præ ubertate gratiæ lactentis olim Pueri tui dilecti IESV, non potes innatam tibi Misericordiam denegare postulanti, sed gratiam sæpè exhibes etiam in multis delinquenti, ò Mater summæ pietatis, maximæ miserationis, & charitatis. Vnde ipsa suas celebrans delicias testatur Eccli. 24. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt adhuc sitient. Quia*, ut ait Richardus à S. Laurentio lib. 2. partic. 2. *qui ejus dulcedinem gustaverit, adhuc plùs de ea desiderat experiri. Ipsa est enim potus cibusque imitantibus se. Exemplo enim ipsius bene operari, est edere, & ejusdem exemplo in se pravas concupiscentias extinguere, est bibere.* Quoties ergo Nomen Maria pronuncias, toties te lac ejus sugere, dulcissimumque mellis favum, vel cœli Manna, Panem illum Angelicum omne delectamentum in se habentem degustare arbitreris.

M. Nomen dulce.

M. conversatio & convictus non habet tædium, sed lætitiã

M. Arbor vitæ in Paradiso.

M. Vbera consolationis lac fundunt, qui lactaverunt Christum Dominũ.

M. dulcedo nunquam parit fastidium.

100. O si Sanctissimis hujus Virginis pedibus provolui, tactuque ejus vestigia complecti liceret, ut suadebat Bernardus, imò & Sanctus Bonaventura, dum Psal. 14. invitabat omnes: *Amplectamur Mariæ vestigia peccatores, eiusque beatis pedibus provolvamur, teneamus eam fortiter nec dimittamus, donec ab ea meruerimus benedici:* Nam teste Richardo lib. 4. de laudibus Virg. *Ipsa speciosa nobis facta est, ad intuendum, & suavis ad tangendum in delicijs suis.* Quoties ergo MARIA auribus tuis insonuerit, toties illam velut castissimam Sponsam, schemate illo quo se Beato illi adolescenti Laurentio Iustiniano spectan-

Mariæ vestigijs insistendum, dũ pedes eius amplectimur

standam Divina Sapientia exhibuit, tibi obviantem, teq; ad purissimos suos amplexûs invitantem imaginare, illiq; medullitus dicito: *Te amavi, te exquisivi à iuventute mea, & quæsivi te mihi in Sponsam assumere, & amator factus sum formæ tuæ.* Dicito eidem animitus cum S. Bonav. Psal. 25. *Vre cor meum, igne amoris tui, & cingulo castitatis restringe renes meos.*

Maria castè amanda, ut Sponsa.

101. O si denique ad internum animæ nostræ odoratum, Vnguentum hoc Mariani Nominis pertingeret, quas delicias experiremur, quam hilares atque alacres, & ad currendum post Sponsum viam æternæ fœlicitatis quam expediti, quam denique Sancti, omnique labè puri evaderemus?

M. Nomen, internũ animæ odoratum afficit.

Si enim unguentum illud materiale jussu Dei Exo. 30. compositum ex myrrha prima, seu flore myrrhæ, ex cinnamomo, calamo aromatico, & casia, admixto oleo olivarum, quo unctus est Aaron, quicquid tangebat sanctificabat, erantque Sancta Sanctorum, ut ait Spiritus Sanctus: Quantò magis animæ nostræ, Nomine hoc Virgineo, velut unguento Aaronico preciosissimo delibutæ, sanctificabuntur, omnibusque vitiorum maculis depurabuntur? Nomen enim Mariæ est nobis Myrrha prima, est ipse flos myrrhæ sponte, absque ulla incisione distillans, quo promptitudinem suam, ad opitulandum mortalibus ostendat, præservando eos ab omni vitiorum, præsertim verò luxuriæ corruptione. Ipsa enim de se dicit: *Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.* Idem Nomen suavissimum est nobis Cinnamomum quoddam gratissimum. Vnde Virgo ipsa in Domino gloriabatur Eccli. 24. *Sicut Cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi.* Est Casia roseum, ex se odorem diffundens, animosque suavitate suâ longè excellentiùs recreans, quàm pulcherrima illa Iobi Filia, cui Casiæ nomen erat inditum. Nomen hoc benedictæ Virginis nostræ augustissimum est Calamus aromaticus, locum ipsum in quo nascitur gratissimo odore perfundens, ad indicandum, Cœlum ipsum, Divinitatemque, ex cujus thesauris Nomen illud sacratissimum fuit evolutum, ejus odore fuisse recreatam. His fruticibus aromaticis ab odoris fragrantia, suavitateque celeberrimis, Maria comparatur, ut mirificæ multiplicesque ipsius Sacratissimi Nominis deliciæ declarentur.

M. Nomẽ suavius unguento quo unctus est Aaron.

M. Nomẽ suave ad instar Myrrhæ electæ.

M. Nomẽ Casia odorifera & Cinnamomum.

Casia Iobi filia typus B. V.

Odore Nominis B. V. cœlum ipsum recreatur.

102. Hoc nimirum est Nomen illud bonum, quod Salomon tanquam disertissimus Ecclesiastes cap. 7. deprædicavit: *Melius est Nomen bonum, quàm unguenta preciosa.* Verè enim Nomen bonum est Maria Mater summi illius, æternique Boni Dei ter Optimi, terque Maximi, qui olim de se dixit Moysi: *Ego ostendam tibi omne Bonum.* Senserat Virgineorum unguentorum fragrantiam, quæ Nomine Mariano continentur Sponsus ejus Filius cùm dicebat Cant. 4. *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Nomen siquidem Virginis*, ut loquitur Richardus à Sancto Laurentio lib. 1. cap. 2. *dolori peccatorum medetur meliùs, quàm unguenta preciosa. Peccator es? ad Mariam confugias, ipsum solùm sufficit ad medendum, super omnia unguenta preciosa. Nulla namq; pestis tam efficax, nulla sic hæret, quæ ad Nomen Mariæ non cedat continuò, ut patet exemplo Theophili.* Sic Richardus.

M. Nomẽ bonum, & Vnguentũ preciosum

Nomẽ M. tanquam preciosũ unguentũ morbos, & pestes sanat.

103. Vnde Pelbartus Ordinis Seraphici duodecim utilitates invocationis Nominis Mariani, ut supra memoravimus, apportans, quibus illud tamquam totidem stellis circumdatum coruscat, octavam esse dixit; *Infirmitatis & pestis depulsionem. Non enim est pestis tam mala, quæ mox non abscedat ad Nomen Mariæ. Vbi namq; est Nomen Mariæ, Dæmonum nocumentum effugatur, & ægris medela datur. Vnde legitur in Vita S. Gregorij, quod cùm Romæ pestis grassaretur, & Imaginem Virginis, quam S. Lucas depinxit, in processione detulisset, pestifer ille aër, ad venerandæ illius Iconis Marianæ præsentiam mox depulsus fuerit, & salubris, summâ omnium admiratione redditus est. Novi puerum,* prosequitur idem Pelbartus, *qui cùm se peste correptum sensit, novem vicibus cùm Mariam Angelicâ Salutatione salutasset, simulq; pestilens apostema cruce signasset, sæpiùs à peste liberatus est; quo miraculo ostendit Virgo Nomen suum esse unguentum preciosum, quod omne morborum quantumvis gravissimorum genus sanat.*

Nomẽ M. 12. utilitatibus quas apportat, velut totidẽ stellis coronatũ.

Puer signato Cruce pestifero apostemate, & salutata Maria, sæpiùs à peste liberatur.

104. Quare jure merito Iustus Episcopus in Cantica, Mariam Areolam aromatum, vocitavit. De aromaticis hiscé salutaribusque unguentis, eorundemque mirificâ fragrantiâ, ac virtute præclarè Dionysius Carthus. art. 15. in Cant. *Tanta certissimè,* inquit, *est suavitas charismatum, & meritorum atq; virtutum, unctionum, & diffusionum serenissimæ Matris Dei, quod cuncta mundi odoramenta transcendit, imò & totam perfundit, aspergit, & delectat*

Odor Vnguenti Nominis B. V. cuncta mundi odoramenta superat, & Ecclesiam triumphãtem delectat.

ctat triumphantem Ecclesiam inenarrabili modo, Creatoremq; Universi, & totam super gloriosissimam Trinitatem universi Cives superni in Virgine Christifera medullitus laudant, extollunt, mirantur, amant, & amplectantur, fœlicitati, & gloria Genitricis Domini Dei sui inæstimabiliter congratulantes, atq; in ea gloriantes in Domino; tam beatissima creatura pulchritudinem maximè admirantes, eius dulcedinem haurientes, eius odoribus mirificè oblectati, ideoq; gratias incessabiliter referentes, pro omni salute & excellentia, quas sua præstantissima contulit Genitrici. Insuper universa Ecclesia militans, in fœtoribus huius exilij degens, odore, suavitate, aspersione, consolatione huius Deiferæ Virginis Advocatæ & Dominæ suæ, non mediocriter recreatur, fovetur, iuvatur & exhilaratur. Hæc ille.

Nomen B. V. Ecclesiam militātem, in huius exilij fœtoribus degentem suo recreat odore.

105. Idem pijssimus Dionysius, non modò Nomen Virginis, verùm etiam Vbera sanctissima, totum corpus animamque fragrantissimam fuisse suavissimumque odorem spirâsse asseruit, eandemque ob causam dictum esse, meliorem Vberum ejus fragrantiam unguentis optimis extitisse. Ita enim ille Art. 5. in Cant. *De corporalibus Divinissimæ Virginis uberibus hæc exponi possunt, quia beatissima vbera prorsus Deificata sunt ex contactu assiduo, & suxione oris illius adorandi, incarnati Sponsi, ideò eorum fragrantiam ait meliorem unguentis optimis.* Quod ille Abrahami præcipui Anachoretæ comprobavit exemplo, qui cùm intellexisset suam neptem fuisse prostitutam, ut eam reduceret militarem chlamydem induit, & in loco turpitudinis cum ea comedit. Cùmque ea collum ejus cœpisset stringere, vultum ejus exosculari, mox odorata est suavissimam fragrantiam corpusculi Sancti Viri, quod virtute abstinentiæ & continentiæ suæ etiam sensibiliter suavissimè redolebat, quo odore percepto, mox scelus detestata est: *Quantò magis*, inquit Dionysius, *piè credendum est, innocentissimum benedictissimæ Virginis incomparabiliter sobria, castæ, ac virtuosissimæ Sacrosanctum corpusculum, Deificataq; ubera, suavissimo fragrasse odore, præsertim cùm tam prædominans Virtus, ac puritas animæ, in corpus redundare soleat.*

Vbera B. V. imò totum corpus suavē spirabat odorem.

Suavis odor Abrahami Anachoretæ ex eius membris procedens impuram fœminam convertit.

106. Quare Maria rectè Oleum effusum, seu Vnguentum exinanitum, ut legit S. Ambrosius lib. 3. de Virginitate, vocitatur; fragrantiam enim illam suavitatemque odorum admirabilem, quâ mortales penè omnes post se trahit ab Incarnato Verbo quod principaliter Oleum effusum, Vnguentum exinanitum appellatur, mutuata est. Vnde postquam in purissimo ejus utero novem mensibus Dei Filius commoratus est, eam Hortum conclusum Cant. 4. qui tam varia aromatum suavissimorum genera emittebat, atque exhalabat, Cypri videlicet cum nardo, nardum & crocū, fistulā & cinnamomum, cum universis lignis Libani; myrrham, & aloë, cum omnibus primis unguentis; & ipsa Virgo hanc ob causam, Areolam aromatum se nuncupare non dubitavit.

B. V. suavem odorem ab Incarnato Verbo, in eius utero latitante mutuata est.

B. V. ab Incarnato Verbo Hortus plenus aromatis, ac primis unguentis facta est.

Vnde Sanctus Ambrosius loco citato intelligens Deiparam virtutum admirabilem illam fragrantiā unguentorumq; suavitatem ab Oleo illo effuso, ab Vnguento illo Divinissimo, Dei nempè Filio, amore nostri exinanito, dum formam servi in utero ejus accepit in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, participasse, sapienter sapidèque pronunciavit: *Hoc Vnguento uncta est Maria, & Virgo concepit, Virgo peperit bonum odorem DEI Filium. Hoc Vnguentum effusum est super aquas, & aquas sanctificavit. Hoc Vnguento uncti sunt tres pueri, & humorem illis flamma roravit. Hoc Vnguento David unctus est, & Leonum ora mollivit, feritatemq; permulsit. Fluit hoc Vnguentum quotidie, & nunquam deficit. Accipe vas tuum Virgo & accede, ut possis hoc Vnguento repleri.* Repleta sanè est hoc Vnguento Virgo nostra tanquam Vas quoddam aureum ornatum omni lapide precioso, tanquam Vas capacissimum ad capiendum quem cœlum & terra, atque adeò universa capere nequibat creatura. Vnde quid mirùm si tanta tamque mirificâ cœlestium Vnguentorum fragrantiâ plena fuit, eisdemq; Orbem universum recreârit.

Vnguento Nominis Iesu in Incarnatione uncta Maria, V. concepit, Virgo peperit bonum odorem Dei Filium.

107. Quare odorem hunc cœlestem percipientes, ex virtutibus ipsius Divinissimis emanantem, dicamus suavitate ipsius recreati, dicamus, inquam, illi animitus, dicamus medullitus ipsius in nos pietatis, dulcedinis, ac misericordiæ memores: Oleum effusum, Vnguentum exinanitum Nomen tuum. Quod elogium attentiùs considerans sæpius jam memoratus devotissimus Dionysius, ita Divinum Sponsum in laudem Matris excurrentem introducit: Tu ipsa ò Mater charissima visceribus internæ charitatis suavitatisque tota redundans,

Laudes Nominis B. V.

omni

B. V. fine dulcedine memoriâ mentemq; nostram non ingreditur.

omni misericordiâ affluis, tu præclarissimæ famæ es, tu portas piæ memoriæ, absque insitæ tibi dulcedinis aspersione nunquam ingrederis; recordatio tui afficit mentem, ideò adolescentulæ, id est animæ innocentes, ac simplices, seu recenter regeneratæ, aut conversæ; & adhuc pusillæ dilexerunt te. Te enim præ omni pura creatura amant universæ fidelium animæ, tanquam summam, & optimam Dominam, Sanctam Sanctarum, Advocatam, & Matrem, præcipuumque refugium, & cooperatricem reparationis humanæ, cui Regnum misericordiæ est commissum. Sic ille.

Omnes devotæ animæ, præ omni pura creatura diligũt B.V.

Vnguentum preciosissimum cœlestiq; fragrantiâ plenissimum Nomen V. esse intellexit Seraphicus ejus Psaltes Psal. 132. dum ei ita modulatus est: *Ecce quam bonum, & quam iucundum Maria, diligere Nomen tuum. Vnguentum effusum & aromaticum est Nomen tuum diligentibus ipsum. Quam magna multitudo dulcedinis*, addiderim ego, *& suavitatis tuæ Domina, quam præparasti diligentibus & sperantibus in te!* Idem in Psalterio minori Virginem salutans Vas hujus Sacerdotali, Vnguenti vocitavit:

NomenB. V. Vnguẽtum preciosiùs illo, quo Sacerdotes veteris Legis consecrabantur.

Ave Virgo Vas unguenti
Iam in oram vestimenti
Vnctionem quâ abundas
Supplicamus, vt infundas.

Vbi facilè animadvertimus cui tandem Vnguento, pientissimus hic Pater Virgineum Nomen contulerit, nempè illi quo Sacerdotes veteris Legis, servitio Divinæ Majestatis inaugurabantur, ac consecrabantur. Quod quam preciosis simul, ac suavibus aromaticis speciebus, DEI ipsius imperio componeretur, paulò ante commemoravimus: Vnde Nomen Virginis omnes illos effectûs in animis suorum clientium spiritualiter operatur, quos aromaticæ illæ species in corporibus humanis producere consueverunt.

Quare jure merito quod Petrus Riga in Cantica, de Vnguento Nominis IESV modulatus est, idem paucis immutatis de Nomine Virgineo concinere possemus:

M. Nomine multis morbis consulitur

Vt procul unguenti diffusio spargit odorem
Sic Nomen Mariæ diffundit ubiq; vigorem
Nomen ubiq; sonat Maria, hoc deprædicat orbis
Multis cõsuliter, Maria hoc in Nomine morbis.

108. Vnde Venerabilis jam sæpiùs citatus Richardus à Sancto Laurentio lib. 1. cap. 2. Nomen Virginis Oleum quoddam sive Vnguentum medicinale atque aromaticum dixit esse, illi persimile, quod Samaritanus in vulnera infœlicis illius Viatoris sauciati descendentis ab Ierusalem in Iericho, infudit. *O preciosissimum contra omnes vitiorum morbos Sanctissimi Nominis Deiparæ Oleum, ò aromaticum, ac suavissimum Vnguentum! O saluberrimum amuletum! O Nomen deniq; quod omnibus illud audientibus singularem parit lætitiam atq; oblectationem!* Memoria enim suavissimi istius Nominis longè meliùs, ac præstantiùs redolet, quàm pijssimi illius Regis Iosiæ, quæ dicitur in compositionem odoris facta opus pigmentarij. *Verè in omni ore quasi mel indulcabitur memoria eius, & sicut Musica in convivio vini* Eccli 50.

M. Nomẽ Oleũ Medicinale à Samaritano in vulnera infusum.

Memoria Nominis M. suavis, ac delectabilis.

Preciosissimi hujus saluberrimiq; Vnguenti Mariani Nominis senserat odorẽ Sapiens ille, simulque in Virginem pius Idiota, dum magno affectu eam cùm Sponsa ita deprecatus est in sua Contemplat. de Beata Virgine cap. 1. *Trahe me post te ò benedicta Virgo MARIA, vt curram in odorem Vnguentorum tuorum; trahe me post te, vt perveniendi ad te mihi augeatur celeritas. Odor unguentorum tuorum est fragrantia sanctarum virtutum tuarum, quæ velut unguenta redolent, & fragrant, dolores mitigant, & vulnera sanant. Tua unguenta fragrantissima sunt, scilicet cœlestis Sapientia, spiritualis gratia, immarcescibilis gloria.*

Vnguenta M. Nom. sunt virtutes ipsius.

109. Vt denique Origenes omnia omninò sensuum, internorum præsertim in Nomine IESV reposita esse oblectamenta nobis ostenderet, docet illud futurum viris perfecta consummataque virtute præditis Eden, seu Paradisum: *Qui autem*, inquiens, *dignus fuerit redire, & esse cum Christo, ille gustabit & capiet voluptatem Domini, perductus ad locum quendam, qui pro huiusmodi ciborum copijs, & varietatibus, deliciarum nominatur locus, propter quod & in Eden positus dicitur, quod delicias indicat. Ibi enim dicetur ad illum: Deliciare in Domino. Deliciabitur autem non in uno solo edendi, gustandiq; sensu, sed & auditu deliciabitur, & visu, & tactu, odoratuq; deliciabitur, in odorem namq; eius unguenti curret. Et ita omnibus sensibus suis deliciabitur in Verbo DEI, is, qui ad summam perfectionis, ac beatitudinis pervenerit.* Sic ille.

Nomẽ M. Paradisus voluptatis omnes sensûs interiores recreans.

Quid

M. Nomen delibationem cœlestium deliciarum exhibet.

Quid quæso magis apposite ad Nomen Mariæ dici poterat? Verè enim Nomen hoc, Paradisus est; locus deliciarum, sensus præsertim internos animi reficientium est. Quas sanè ij omnes, quicunque se virtutum, perfectionisque studio addixêre, quicunque peculiari cultu, veneratione atque dilectione Deiparam prosequuntur, ita adhuc in hac mortalitate delibare consueverunt, ut æternæ beatitudinis, vitæq; perennis gaudia sibi prægustare videantur.

Nominis M. variæ ethymologiæ.

110. Diximus abundè, ut autumo, de dignitate, gloria, ac virtute, deque admirabilibus planè Mariani Nominis effectibus, restat ut pauca, de ejusdem ethymologia, varijsque ipsius significationibus, disseramus. Non hic de singulis quæ afferri possunt agemus, cum suis locis, decursu operis, de illis simus tractaturi. Dicemus hic breviter de illis communioribus dumtaxat, ex quibus gloria Divæ Virginis magis elucescit. In primis Maria, ex communi Patrum consensu sonat Dominam: Stellam maris; Illuminatam; Illuminatricem: Mare denique quoddam immensum gratiarum omnium. De quibus pulcherrimis, admodumque mysteriosis significationibus Ioannes Gerson Parisiensis Cancellarius Tractat. 12. in Magnif. non modò Deiparam gloriantem, verùm etiam hæc Nomina interpretantem, Devmque ob tanti Nominis sibi traditi excellentiam, extollentem introducit:

Maria Domina mundi.

Magnificat, inquiens, anima mea Dominum, quia me Dominam constituit; secundùm Nomen meum, Maria enim, suâ interpretatione, Dominam insinuat. Futurum enim est, ut me Dominam non qualemcunq; sed Dominam mundi, Dominam beatam, me dicant omnes generationes.

Maria Illuminatã sonat

Scitote quoniam Dominus ipse est DEVS, DEVS autem scientiarum Dominus est, scientia, inquam quæ illuminat, quæ descendit à Patre luminum. Propterea consequens fuerat, ut Dominam me instituens, illuminaret secundùm Nomen Sanctum suum, & meum. Maria quippè dicitur Illuminata, & ipse est Lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; quantò ampliori perfudit lumine Dominam mundi? Proinde superest, ut Domina illuminata refundat lumen in cæteros. Est enim Lumen suiipsius naturali liberalitate diffusivum. Vnde factum, ut jure diceretur Illuminatrix. Sic enim sonat Maria proprium Nomen meum. Sic Maria per ethymologiam dicor Maris Stella, quam Illuminatricem esse constat. Hac illa sum quæ proxima Deo cardini totius machinæ mundi dirigo navigantes in civitatem, quoniam non habent hic manentem Civitatem, sed futuram inquirunt homines. Et qui homines? certè viatores procellis huius maris magni, fluctibusq; & cautibus incessanter graviterq; impulsi. Futurum est per omnes generationes, ut me Stellam esse Maris prædicent, me respiciant, cursus suos ad illustrationem meam dirigant. Nec fallentur hæc agentes, nec errabunt in devijs, nec in periculis contabescent. Itaq; Domino propitio Dominam invocantes, me Illuminatam & Illuminatricem aspicientes, patriam prorsum salutarem introibunt. Hæc sunt, quæ magnificat, magnum prædicat, magnum esse apud omnes generationes clarificat, & significat anima mea Dominum.

M. sonat Maris stellam.

M. dirigit iter navigantium, ut perveniant ad portũ.

Hæc Gerson de Virginei Nominis significationibus eleganter sanè, ac piè, de quibus nos, si non omnibus, saltem nonnullis agemus paulò post diffusiùs.

M. velut Stella maris semper aspicienda, si securi in mari huius sæculi navigare cupimus.

111. Interim libet hic audire Hugonem de S. Victore, qui in Institut. Monast. serm. 5. Deiparam Stellam maris in hoc periculosissimo mundi hujus pelago navigantibus, agnoscens, suadet, ut in tanto vitæ præsertim spiritualis discrimine constituti, ad Virgineam hanc Stellam oculos dirigamus. *Vt mare istud,* inquit, *salubriter transeamus, Maris Stellam Beatam Mariam sæpissimè salutemus, & salutando invocemus dicentes: Ave Maris Stella. More quoq; nautarum fundamus semper preces ad Beatam Mariam, & ad eius Filium: Multa enim sunt impedimenta nostra, sicut quidam Poëta testatur, ita concinens:*

Maris huius sæculi pericula.

Sævit mare, fremunt venti
Fluctus surgunt turbulenti,
Navis currit, sed currenti
Tot occurrunt obvia.
Hinc Sirena voluptatis
Draco, canis, cum Piratis
Mortem penè desperatis
Hæc intentant omnia.
Post abyssos nunc ad cœlum
Furens unda fert phasellum.
Nutat malus, fluit velum.
Nautæ cessant opera.
Contabescit in his malis
Homo noster animalis
Tu nos Mater spiritalis
Pereuntes libera.
IESV sacri ventris fructus
Nobis inter mundi fluctus

Sis

Sis via, Dux, & conductus
Liber, ad cœlestia.
Tene clavum, rege navem,
Tu procellam sedans gravem
Portum nobis des suavem,
Pro tua potentia
Ex te Natus nobis natus
Qui DEUS regnat beatus
Per immensa secula.

M. clavum vitæ nostræ in mari hujus sæculi regit.

112. Ob has Mariani Nominis interpretationes, mysteriaq; in ipso comprehensa Angelicus ille noster Adolescés Ioannes Berchman, ut habetur ad vitæ ipsius finem, adorandam sibi Deiparam esse cẽsuit, quo virtutis, eo Augustissimo Nomine comprehensæ particeps fieri posset. Cùm enim *Ave MARIA* interpretaretur hæc pronunciavit: Primo Adora Mariam, quæ interpretatur; *Stella Maris;* nam polare veluti Sydus periculosam vitæ hujus navigationem, si attentè inspicias, dirigit ad æternæ vitæ portum. *Illuminatrix;* nam virtutum suarum exemplo, Solis instar, ad benè operandum prælucet. *Domina;* cujus in superna curia auctoritas est maxima.

Ioannes Berchman adorat M. ob virtuté ipsius Nominis.

Secundo dole 1. quia naufragus in hoc mari, Syderis hujus ductum non quæris. 2. Quia tenebris ignorantiæ mersus, Illuminatricis hujus radios non optas. 3. Quia indigens alieno patrocinio supremum hujus Reginæ, cui nec facultas, nec scientia, nec voluntas tibi auxiliandi deest, patrocinium non desideras. 4. Spera ab hac Domina auxilium, ad expugnandos hostes spirituales; ab hac Illuminatrice lucem, ad te, Deumque cognoscendum: ab hac Stella maris, cursum securum ad portum salutis. 5. Gratias age Deo & Beatæ Virgini, pro his beneficijs Mariæ Nomine comprehensis. 6. Pete à Deo ut velit te duci ab hac Stella totius Mundi; illuminari, ab hac Illuminatrice totius mundi: regi ab hac Domina totius mundi. Sic ille.

113. Audite novam quandam eandemque doctissimam simul, ac pulcherrimam interpretationem hujus Nominis Mariani, quæ nobis mirificè ob oculos Virginis dignitatem repræsentat. Invenit hanc noster P. Ludovicus Alchazar, quantum assequor, eamque doctissimis suis in Apocalypsim Commentarijs cap. 12. v. 1. Not. 2. luculenter explicat, asseritque Mariæ Nomen legi apud Hebræos; *Mariam;* illudque non Stellam maris (uti hactenus communiter varij explicuêre) sed Stillam maris, significare: *Mar* siquidem apud Hebræos, *Stillam; Iam* verò, *Mare* significat.

M. Stillam maris, ité Sublimem & Excelsam significat.

114. Idem illud Nomen Hebraicum Excelsam, Sublimem denotat, inquit ille. Quæ sanè interpretatio egregias dotes Virginis, virtutum ornamenta, singularemque inter omnes creaturas excellentiam indicat. Licet enim in oculis suis Virgo sanctissima esset minima, sibiq; videretur Stilla maris tenuissima; in supremæ tamen illius Majestatis plusquam lynceis oculis, super Solem lucidioribus, immensum quoddam gratiarum omnium, charismatum cœlestium Mare, amplissimus quidam Oceanus, profundissima abyssus omnis perfectionis, ac sanctimoniæ videbatur. Quibus Dei exornata donis, Excelsa & Sublimis, super omnem tam humanã, quàm Angelicam Naturam, Divinæ proximior tam eximijs perfectionibus decorata, evasit. Adeò ut de Virginea hac sublimitate virtutum, deque profundissima ejus humilitate jure merito id possimus hic usurpare, quod de Divina Natura pronunciavit patientissimus Iob 11. v. 8. *Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior Inferno, & unde cognosces? longior terra mensura ejus, & latior mari.*

M. Mare & Oceanus omnis perfectionis.

M. Excelsior cœlo; abysso profundior, terræ spatijs longior, & mari latior.

115. Celsitudinem hanc sublitatemque Deiparæ, Nomen idem lingua Syriaca expressum nobis luculenter indicat. Hoc enim S. Hieron. lib. de Nomin. Hebræorum, & Damasceno, Chrysologo, & Arnoldo, alijsque quam plurimis attestantibus Dominam significat. (Quod sanè summam dignitatem Dei Parentis, quæ universalis creaturarum omnium tam in cœlo, quàm in terra, in Incarnatione Verbi, Regina potentissima fieri meruit) demonstrat. Verè enim Deipara Virgo ad eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem in Filij Dei conceptione evecta, universale Orbis totius Dominium jure suo adijt, ex quo Excelsa, & Sublimis super Creaturas omnes, quæ sub Deo sunt, effecta est. Iure igitur meritò universorum Dominus, Virginem hanc Dominium Universi, Divinitatemque sui sanctissimi Nominis *Iehovah* cum sanctitate reliquisque perfectionibus repræsentantem agnoscens, dicere illi poterat: *Novi te ex Nomine, & invenisti gratiam coram me.* Iure idem encomium rursus ingeminare poterat,

Maria Dominam sonat.

B. V. in oculis suis parva sicut stilla maris: in oculis Dei magna sicut mare immensũ.

terat, profundissimâ ipsius humilitate considerata, quâ licet, Domina Orbis terrarum esset declarata, Domina, inquam, gloriosa, excelsa super sidera, in oculis tamen suis, adeò vilis erat, adeò exilis & parvula, ut stilla perexigua maris sibi esse videretur. Vnde Dominus ille benignissimus, ac justissimus, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, tantam contemplatus in Virgine animi demissionem, tantis eam, & Naturæ, & Gratiæ ornavit dotib9, ut dignissima ipsius Mater esse mereretur. Quod in se experta DEIPARA summis incedens lætitijs cantabat: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Quæ verba Ioannes Gerson Paris: Cancel. expendens Tractat. 8. in Magnif. *Gloriatur*, inquit, *Psaltes nostra, cujus Dominus humilitatem respexit, gloriatur in humilium collaudatione simul, & exaltatione. Ex abundantia enim cordis humiliati loquitur. Legerat quod magnâ potentiâ DEI Solius, & ab humilibus honoratur. Propterea magnificat Dominum cum exultatione spiritus, quia sibi humili fecit magna qui potens est.* Fecit verè magna Virgini magnus DEVS, quia magnis eam privilegijs, excellentissimisque prærogativis ornavit, ita ut omnes supergressa etiam Angelicas supremæ Hierarchiæ creaturas, ipsa per se primam, post DEVM, Hierarchiam constituens, earum Dominium supremum, ac Principatum consecuta sit.

B.V. per se constituit Hierarchiam sup omnes Angelos.

116. Vnde B. Cardin. Petrus Dam. serm. de Assumpt. eius celsitudinem, ac sublimitatem, uti par est, extollere cupiens, eam in ipso Augustissimæ Triados Divinissimo Throno magnâ totius Curiæ cœlestis admiratione consedisse affirmavit: *Virgo regalis*, inquiens, *ad Thronum DEI Patris evehitur, & in ipsius Trinitatis sede reposita Naturam etiam Angelicam sollicitat ad videndum. Tota conglomeratur Angelorum frequentia, ut videat Reginam sedentem à dextris Domini virtutum, in vestitu deaurato, in corpore semper immaculato, circumdatam varietate, virtutum multiplicitate distinctam.* Eandem habituram in cœlis gloriam ait S. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 42 DEIPARAM, dum illam piè contemplatur adhuc in hac vita ad pedes Christi sedentem, ac sciscitantem, in quo Angelorum Choro esset reponenda? Cui benignissimum Filium ita respondentem introducit: *O Mater mea, vos non eritis in aliquo horum ordinum, sed super omnes ordines eritis collocata. Duæ enim cathedræ sunt, nobis præparatæ in cœlis, una mihi, altera vobis: super omnes choros Angelorum sedet Rex, & tu Mater mea in alia. Sic Salomon Matrem suam ornavit. assurrexit enim illi Filius honorabiliter, sedemq; ipsius juxta suam præparari jussit.* 3. Reg. 2.

B. V. suâ pulchritudine Naturam Angelicam solicitat ad videndum.

Thronus M. positus in cœlo juxta Thronum Filij.

117. Vt porrò B. Damian. magis magisque DEIPARÆ Virginis Vniversorum Dominæ, ac Reginæ celsitudinem sublimitatemque attollat, ait Excelsæ huic cœlorum Angelorumque Reginæ non modò Beatorum illorum spirituum omnes phalanges, uti Christo universorum Domino, ac Regi obviam in cœlos ascendenti processisse, verùm etiam ipsum Filium cum universa Aula cœlesti; quod sanè Celsitudinem Virginis dignitatemque propemodum Divinam summoperè illustravit. *Attolle*, inquit S. Cardinalis, *jam oculos ad Assumptionem Virginis & salvâ Filij majestate invenies occursum hujus pompæ non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt: Matri verò cœlorum palatia penetranti, Filius ipse cum tota curia tam Angelorum, quàm Iustorum solenniter occurrens evexit ad Beata Consistorium Sessionis, & ait: Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in te: Tota pulchra, quia tota DEIficata: macula non est in te, quia Spiritus sanctus supervenit in te, qui te mundavit. Sed & Virgo gratiosis cumulata muneribus tanta benignitati respondit: summæ dignitatis claritatem admirans: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Tenuisti, inquam, manum dexteram meam, quia etsi leva tua sub capite meo, dextera tamen tua jam amplexatur me; in voluntate verè tua deduxisti me, non in mea sublimitate, quia totum Opus Gratiæ est, non Naturæ, cum gloria deniq; suscepisti me, gloriâ utiq; gloriosa, quam non novit, nisi qui dedit, & cui donare dignatus es.* Sic Cardinalis.

B. V. in cœlos proficiscenti obviavit Filius.

Gloriosior fuit assumptio Dei Matris in cœlum, quàm ascensio Filij.

M. tota Opus Gratiæ.

118. Audiamus etiam S. Anselmum Archiep. Cantuar. lib. de Excell. Virg. c. 8. de hac gloria, ac celsitudine Virginis similem in modum cum S. Cardinali disserentem: *Contempletur animo qui potest, quo gaudio, quâ festivitate, quibus concentibus jubilabant omnes Beatorum Spirituum ordines, quando & unicam Domini sui Matrem adventare, & ipsum Dominum suum ei videbant omni suâ gloriâ decoratum velle occurrere. Stipatus itaq; mille millibus, imò innumerabilibus Angelorum agminibus, DEVS ipse huic piissimæ Matri suæ, de hoc mundo migranti occurrit, eamq; super omnes cœlos exal-*

tatam,

tatam, cuncta secum creatura perenni jure dominaturam in throno gloriæ collocavit. O dies tanti occursus gloriosa & fœlix! Dies tam præclara exultationis beata & celebris. Dies tam sublimis glorificationis festiva, & omni sæculo admirabilis. Dies enim illa non solùm te Domina ineffabiliter sublimavit, sed cœlum ipsum quod penetrasti, nec non cuncta quæ in eo sunt, novâ & ineffabili gloriâ decoravit. Nouâ quidem cœlum gloriâ decoravit, quia priorem gloriam ejus ex præsentia tui, ultra quam dici possit aut cogitari magnificavit. Nam cùm tu Domina illuc ascendis, novâ illud & præcellenti virtutum tuarum dignitate irradias, immensaq; miserationum tuarum & gratiarum tuarum luce perlustras. Hæc Anselmus de gloria Virginis, quâ super omnes sanctos evecta summum omnibus illorum ordinibus addidit ornamentum.

M. assumptione cœlum est decoratũ novâ gloriâ.

M. dignitate virtutum cœlũ irradiat.

119. Sed ad Cardinalẽ Damianum revertamur, & diligentiùs attendamus, quânam ratione sublimitatem hujuscé Virgineæ gloriæ, Divinæ Filij quam simillimam, alijs quoque confirmare pergit argumentis, argutè observans quâ ratione Spiritus Sanctus tam Filij, quàm Matris cœlos scandenti, Angelos eadem verborum formâ celsitudinem, ac gloriam utriusque demirantes introducit. Descendentem enim ad Inferos, & ascẽdentem ad cœlos Regem gloriæ obstupescentes, ter ingeminant: *Quis est iste Rex gloriæ? quis est iste qui venit de Edon?* &c. Similiter ad tantam gloriæ celsitudinem, ac majestatem exaltatam Regis Matrem in proprio ejus throno considentem super omnes suas Hierarchias contemplantes, interrogationem illam ter iterant: *Quæ est ista? quæ est ista? quæ est ista?* ut videre est in Canticis.

120. Hæc nimirum Virginis celsitudo & dignitas tam sublimis à Filio ipsi communicata, sunt illi manipuli gloriæ, quos quia in benedictionibus ubertim seminavit in terris, de benedictionibus eisdem & messuit in cœlis, unde & tanto honore coronari, & ad mensam summi Regis Regum assidere digna fuit, ut Gverric. Abbas ser. 4. de Assumpt. testatur: *Nullus sanè*, inquiens, *tam profusâ benedictione seminavit, sicut illa Benedicta in mulieribus, quæ benedictum semen de Ventre profudit. Sed semen dicam, an fructum? Meliùs utrumq;, qui enim semen est operantibus justitiam, fructus erit metentibus gloriam. Semen in passione, fructus in resurrectione. Potens in terra semen istud, quod cadens in terram mox excitavit potentiam suam, ut multum fructum afferret, & in semine illo benedicerentur omnes gentes, nam generatio rectorum benedicetur. De benedictionibus igitur tuis Maria metat, & quæ benedictionem omnium gentium seminavit, benedictionem omnium gentium singulariter accipiat; beatam me dicent, inquit, omnes generationes. Parum est hoc, Beatam te dicent omnes beatorum Spirituum ordines. Viderunt enim ascendentem Filiæ Sion cœlestis, & beatam dixerunt, & Reginæ laudaverunt eam. Prorsus de benedictionibus suis hodie Maria metit, quia refusa est spiritualiter in eam omnimoda benedictio illa, quam de se profudit. Date ei, inquit Spiritus Sanctus, de fructu ventris sui, & saturetur illo quem genuit.* Tum ad Virginem conversus, & ipsius gloriæ benedictionisque aliqua ex parte particeps fieri cupiens Sanctus Abbas, supplex illam deprecatur: *O Mater misericordiæ saturare Gloriâ Filij tui, & dimitte reliquias tuas parvulis tuis. Tu jam ad mensam Domina, nos sub mensa catelli, sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita familia hæc famelica à te postulat alimoniam vitæ. Per te fructũ vitæ communicavimus in mensa præsentium Sacramentorum, per te eundem fructum vitæ communicemus, in mensa perennium gaudiorum IESVM benedictum Fructum ventris tui.* Hæc Gverr. de gloria & celsitudine Virginis, ac Dominæ totius Vniversitatis, quam suo præsefert Nomine.

B. V. benedictionem omnium gentium seminavit, benedictionem omnium gentium & metet.

M. beatam dicunt omnes Angeli.

B. V. in cœlo saturatur fructu quem genuit.

121. Videre modo cupitis quantopere hæc Excelsa Domina in oculis DEI, parvula sit & abjecta in oculis suis? ut sibi exigua quædam maris stillula esse videatur? Audite illam in Cantico suo, quod in DEI Matrem electa, & super omnem creaturam exaltata cecinit; in quo reddens rationem, cur suprema illa, ac Divina Majestas, tot gratiarum ornamentis eam decorare non sit dedignata: *Quia respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ.* Seu uti ex Græco textu legit Vatablus: *Quia respexit Nihileitatem Ancillæ suæ.* Legunt alij, ταπεινοσιν, hoc est vilitatem. Ac si clariùs dicere voluisset: Ideò mihi magna fecit Dominus, ideò me ad tantam celsitudinem & sublimitatem Divinæ Maternitatis provexit, quia mihi in oculis meis ipsa vilitas, ipsum nihil esse videbar. Ideò denique me benignissimis suæ pietatis respexit oculis, quia stilla maris admodum parvula eram in oculis meis, effecitque ut immen-

B. V. in oculis suis parvula, vilis & abjecta.

B. V. in oculis suis Stilla maris; effecta est mare gratiarum.

immensum quoddam mare gratiarum omnium, Divinarumque quodammodo perfectionum potentiæ, sapientiæ, ac bonitatis evaderem Oceanus.

122. Ob profundissimam hanc humilitatem tantopere à DEO exaltatam, DEIPARA nostra jure merito appellari potest; *Luminare minus, quod minuitur in consummatione.* Eccli. 43. cùm enim se DEO ejusque donis, ac gratijs plenam, consummatamque in omni puritate sanctimoniaque consideraret, id planè quod Luna fecisse videtur, quæ plena luce Solis, eidem intimè sese conjungit, adeò, ut amplissimo ejus Orbe, velut pallio obtecta, pulchritudinem suam à mortalium aspectu, oculisque submoveat: *Omnem suæ lucis haustum eo regerens unde accepit*, ut inquit Plinius; ita ut in cœlo minimum ipsius non supersit vestigium, cùm tamen tunc vel maximè, Solari luce sit plenissima, utpote fonti omnis lucis vicinissima, ac unitissima. Simile quid fecisse videtur DEIPARA, Luna planè Virginea, cùm DEI Mater effecta, tantis Divinæ gratiæ splendoribus sese circumfusam, imò ipso sempiterno Iustitiæ Sole, velut aureo, quopiam Regalique Paludamento, varietateque virtutum circumamictam contemplata est. Tunc enim summè increato illi omnis lucis unita Fonti, ei sese ita submisit, ut hominibus nihil esse appareret, effecitq; ut alterum illud Lunę elogiũ sibi quadraret: *Humilis, & Excelsa; quia aliàs admota cœlo, aliàs contigua montibus*, ait idem Plinius.

M. Luna quæ unita Soli decrescit.

123. Sed incrementum illud imminutionemque Lunæ Richardum à Sancto Laurentio interpretantem audiamus lib. 7. de laudibus Virgineis. *Maria quo magis crescebat in omni virtute, plus decrescebat per humilitatem in sua reputatione iuxta Consilium Eccli. 3. Quantò maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Tum paucis interjectis tempus hujuscé imminutionis, atque incrementi annotavit: *Beata MARIA quando annunciata est gratia plena, & in Matrem Domini electa, quod fuit consummatio excellentiæ ipsius, quasi se mirabiliter imminuens respondit: Ecce Ancilla Domini. Hanc ob causam, ait lib. 12. ipsam Virgæ comparari, quæ gracilis est per totum, sed in summitate gracillima. Gracilitas est humilitas. Nam sicut Dei Filius formam servi suscepit in ea, & ex ea; sic & ipsa ex dono Filij formam accepit Ancillæ. Virga igitur hæc per totum gracilis, quia ipsa per totum humilis, sed in sua summitate fuit humillima, sicut Virga in suo vertice gracillima. Quod apparuit in responsione ad Angelum, conceptum Filij Dei nunciantem, quod summitas fuit eius excellentiæ. Auditis siquidem tantis præconijs, respondit: Ecce Ancilla Domini.* Hæc Richar.

M. quantò maior erat, tantò se magis in omnibus humiliabat.

B.V. ob humilitatem Virga gracilis.

O virtutem humilitatis præstantissimam, ac Divinissimam, quæ hominem ita Divina luce perfundit, ita sublimiter evehit, ut summæ participem efficiat Divinitatis! Quare non immerito de hoc humilitatis loquens spiritu Guerricus Abbas serm. 2. Quadrages. asseruit; *Nihil illo maiùs in donis Spiritus Sancti, nihil preciosiùs in Thesauris Dei, nihil sanctiùs inter omnia charismata, nihil salubriùs inter omnia sacramenta. Hæc humilitas non solùm peccatores iustificat, sed etiam iustos consummat, iustitiamq; eis accumulat.* Quapropter nil mirum nobis videri debet, si humillimam Virginem æternus Iustitiæ Sol sibi tantopere unitam, ac subditam, pulcherrimâ gratiarum omnium luce cumulaverit, atque in omni justitia consummaverit, nil mirum si hæc stilla maris ita in mare omnis perfectionis excreverit, ut excelsa, & sublimis, super omnes Sanctos & electos ab omnibus habeatur.

Humilitas donum Spiritus S. præstantissimum.

124. Vt porrò elogium illud Mysticæ huic, animatæque Lunæ, non autem huic aspectabili convenire intelligamus, audiendus est Cardinalis Halgrinus, qui postquam præmisisset ex eodem Ecclesiastico: *Luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis, & signum ævi*, dixissetque Beatam Virginẽ in omnibus nationibus ostensionem esse illius temporis, de quo Apostolus ad Galat. *Quando venit plenitudo temporis misit DEVS Filium suum factum ex muliere;* ostendissetque præterea illam esse signum ævi insigniens omnem ætatem præteritam & futuram, addidissetque præterea ex eodem Ecclesiastico: *A Luna signum diei festi*, quod ideò dici censuit, quod à Virginea hac Luna oriatur omnis nostra festivitas. Postquam, inquam, hæc præmisisset, de eadem Luna, ita prosequitur: *Luminare minus quod minuitur in consummatione, crescit autem mirabiliter in consummatione. Quod de Luna materiali*, inquit ille, *nequaquam intelligi potest, quæ non ante minuitur, & postea crescit, sed è converso: nec minuitur in consummatione, sed post consummationem. Igitur hic ordo verborum Beatam Virginem exprimit propriè.*

A B. V. omnis nostra festivitas, ac lætitia.

Nam

Nam ipsa cùm audisset tantam promissam sibi magnitudinem, quod foret Mater Dei, sese minuit, usq; ad Ancillam, & in hac imminutione concepit, & facta est Luna plena. Hæc Halgrinus.

B. V. in concept. Filij Lunâ plena.

125. Ob insignem hanc humilitatis virtutem nubeculæ illi tenuissimæ, ac levissimæ, de qua Isaiæ 19. *Ecce ascendet Dominus super nubem levem;* nubeculæ item illi parvulæ, velut vestigium hominis, quæ Eliæ tempore, largissimis imbribus terram irrigavit, comparari à Sanctis Patribus consuevit, ut suo loco dicetur. Quemadmodum enim hujusmodi nubecula, vel quæcunque alia, è terra, vel mari, vel etiam aliqua palude in altum sublata, repræsentare subinde, velut in lucidissimo quopiam speculo vultum solarem consuevit, ut Tiberij Imperatoris accidit tempore, quando, tota Roma spectante, prodigiosè tres Soles mundo illuxerunt: Sic Virgo Sanctissima, licet de Stirpe Adami, velut terra, palude, amaroque mari, ob totius naturæ humanæ corruptelam, ascéderit, ea nihilominùs adeò tenuis levisque, utpote pondere cujuscunque peccati absoluta, adeò rore Divinæ gratiæ fœcunda extitit, ut in se velut nitidissimo crystallo Iustitię Solem sempiternum expresserit. Quod si hujusmodi nubeculam radijs solaribus præfulgidam quis interrogaret, quonam pacto in se solis rotam, pulchritudinemque adeò eximiam tam vivis coloribus expresserit, cùm ex se naturaque suâ nil sit aliud quàm terræ, paludis, aut amari maris exhalatio, responderet sanè si posset, id totum virtuti potentiæque Solis, qui vaporem illum in altum efferendo, aspectu gratioso, suiipsius in illa pulcherrimam impressit imaginem: Pari sanè ratione si quis sciscitetur ex Virgine, unde nam illa tanta gloria, unde tam excelsa, Divinaque dignitas, ut licet de Adami peccato corrupta stirpe, velut fœculenta palude ascenderit, Dei tamen Mater, æterno illi Soli quam simillima, effici sit promerita? Respondebit sine dubio, genibus terræ fixis, in cœlum sublatis oculis, ac manibus, summo sese demittentis animi affectu: *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ.*

M. nubecula Solē in se repræsentās

M. velut nubes ex fœculentâ Adami stirpe velut palude, absque peccato exorta.

126. Accidit sanè humillimæ Virgini nostræ, quod miserabili illi pauperi, de quo scribit Eccli. 11. *Est homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate;* quibus verbis exprimi potest sensus, quem Virgo de se habuit reputando se stillam maris, nihilum, Ancillam, imò vilitatem ipsam. *Et oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate, & exaltavit caput eius;* En vobis benignissimum Divinæ Majestatis aspectum, quo Virgo humillima, inquè oculis suis abjectissima, velut Solaribus illuminata, atque ornata radijs, uti Sapphyrus pulcherrimam stellam, sic illa Solem increatum toti mundo in tenebris plusquam Ægyptiacis jacenti, Dei Mater effecta, repræsentavit. Hæc nimirum Divinæ Maternitatis dignitas erexit eam, ab humilitate, & nihileitate sui, & ex stillula maris exiguâ, immensus gratiarum effecta est Oceanus. Hæc eadem exaltavit caput ejus, ut super omnes Sanctorum Ordines, super omnes Angelorum Choros, velut omnium Domina, ac Regina eveheretur, & gloriari meritò posset: *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano, & quasi Cypressus in monte Sion, quasi Palma exaltata sum in Cades, & quasi Plantatio Rosæ in Hiericho, quasi Oliva speciosa in campis, & quasi Platanus exalta a sum iuxta aquas in plateis.* Eccli. 24. Vnde consecutum est illud, quod ait Sapiens: *Et mirati sunt multi, & honoraverunt DEVM,* qui licet mirabilis sit in Sanctis suis, mirabilior tamen multò extitit in Matre sua, quam Dominus coram toto terrarum Orbe ita mirificavit, ut ejus laudum præconia, beatitatem, fœlicitatemque tota hæc deprædicet Vniversitas. Vnde ipsa hæc futura, velut Vates sagacissima prævidens, canebat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, & Sanctum Nomen eius.*

Oculorū Divinorū vis.

M. Sapphyrus Stellā imò Solē Christum in se expressit.

Divina Maternitas evexit B.V. super omnes creaturas.

127. Ad sublimissimum hunc cœlestis Beatitudinis gradum provectam fuisse Deiparam, profundissimâ illa suâ humilitate affirmat Religiosissimus Carmelita Mantuanus lib. 2. Parth. aitque Angelorum omnium Primatis gloriosum Thronum (crediderim ego cum supra memoratis Patribus, longè sublimiorem ipsis Seraphinis, Deoque proximum obtinuisse) dum Patrem æternum in laudes Virginis excurrentem introducit:

B.V. ob humilitatem Luciferi sedem adepta.

Multâ sublimem laude puellam
Extulit, illustres atavos; & nomina clara
Gentis Iessææ referens, delataq; cœlo
Sacra, piosq; animos antiqua stirpis; inanem

Luciferi ostendit sedem (contermina semper
Regali fuit illa Throno, sceptroq; Tonantis)
Tum memorans veteres rixas, primævaq; bella
Cur non una omnes habeant habitacula Divi.

Et tandem varijs pro meritorum qualitate distributis Iustorum mansionibus, ac domicilijs, Thronum eminentissimum Angelorum omnium Coryphæi assignat Virgini;

Sicut Luciferi locus hic sublimior inter
Eminet, æterni numerosa sedilia Regni;
Sic Virgo quam parva domus angustia claudit
(Et Mariam pressæ monstravit acumine virgæ)
Humanis animis longè est præstantior; illi
Non fati ratio, non cœli mobilis ardor
Destinat hoc Solium, sed lege coërcita mentis
Libertas & noster amor.

B. V. gloria non fato, nec ex constellationibus, sed Dei gratia, virtute propriâ liberaque electione provenit.

Ostendit tandem Poëta sacer quantô de nova hac indepta dignitate cœlestis Patriæ cives exultarint gaudio, quantisque laudum præconijs suam Reginam infinitis intervallis, creaturis omnibus sublimiorem extulerint.

Sic fatus. At omne
Lætitiâ fremuit cœlum, diffusa voluptas
Cœlestes animos rapuit, sonuêre theatra
Plausibus, assensu superum, vulgata per omnes
Elysij campos magni est sententia Patris,
Temporeq; ex illo semper toto æthere Virgo est
Angelicis prælata choris & dignior omni
Agmine Spirituum, rutilo Cyllenia quanto
Marte minor flãma est, vel quantũ Delia tristi
Cedit avo, tellusq; Iovi, Venus aurea Phœbo.

B.V. lucidior Planetis omnibus.

128. Ex hactenus dictis evadit manifestissimum, profundissimam illam humilitatem Virginis, illam sui annihilationem in oculis Divinæ Majestatis, tantæ gloriæ, tantæ exaltationis extitisse causam; & omnium penè bonorum gratiarumque, quibus, in Domum Deo dignissimam ædificata assurrexit, fuisse stabilissimum fundamentum. Quod sanè si quispiam æquâ rationis lance ponderaverit, qui fieri potest, ut in summam non rapiatur admirationem, quod Sapientissimus ille supremusque totius Vniversitatis Architectus, ipsa Patris sempiterna Sapientia, tam nobilem, tamque excelsam, ac immensam, suaque Majestate dignissimam molem ædificij, supra Virgineæ humilitatis nihilum fundare attentârit? Verùm facesset omnis mox admiratio, ubi in mentem venerit, eundem Divinissimum Architectum prægrandem hanc spatiosissimamque terræ molem ad infinitæ suæ potentiæ, inscrutabilisque Sapientiæ ostentationem, super idem nihilum erigere voluisse.

B. V. humilitas omnis ipsius dignitatis fundamentũ.

Domus Virginea supra humilitatis nihilum fundata.

Hinc Iob inter reliquas supremæ Omnipotentiæ, Sapientiæq; laudes, ac præconia illud non inter postrema numeravit cap. 26. *Qui appendit Terram super nihilum.* Verè enim hæc Virginea & animata Terra, Dei manu potentissimâ, super nihilum ipsius humilitatis appensa est, cùm prolocuta est humillimè: *Ecce Ancilla Domini;* & rursus: *Respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Nam ut sapienter sententiam illam librans Richard. lib. 8. de laudib. Virg. *Vera,* inquit, *humilitas, quæ soli Deo innititur, infra se non videt nisi nihilum, nempè defectus proprios vanitatemq; mundi.* Hujusmodi oculos Deiparæ persimiles habuisse visus est Ieremias cùm mundi creaturarumque omnium vanitatem contemplans edixit c. 4. *Aspexi terram, & ecce vacua erat & nihil.*

B.V. tanquam terra fundata super nihilum.

129. Hinc Paulus Apostolus, de ingenti hac Ecclesiastici ædificij loquens mole, deque ipsius, adeò modicis exiguisque fundamentis supra negationem siue non Ens, ut loquuntur Philosophi supra nihilum fundatam pronunciavit 1. Cor. 1. *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Idem in fabrica Divinæ suæ Sapientiæ domicilij, in totius mundi instauratione, ac renovatione, Deipara cooperante peracta, fecisse visus est æternus Pater, super non esse, super annihilationem Virginis, super nescio quod Vacuum, quod in se reperiebat illa, tam insignem grandem, Majestateque plenissimam ædificij molem molitus est. Quod Vacuum, ab ipsis immaculatæ ipsius conceptionis exordijs, licet Divina Bonitas uberrimâ bonorum suorum largitione semper replere contenderit, ipsa tamen Virgo nescio quâ amabilissimâ concertatione illud, magis magisque sese demittendo atque annihilando, amplificare videbatur: eò demũ hujus amplitudo immensi atque inexplebilis pervenit Vacui, ut cùm illud explere suis donis, ac charismatis Devs minimè valeret quodammodo, decrevit tandem? Verbi sui infiniti atque immensi Personâ illud complere. Quod intellexerit sine dubio Apostolus, cùm Ephes. 4. pronunciavit ad rem nostram aptissimè: *Descendit vt impleret omnia.*

Ecclesia fundata supra Non ens.

B. V. Domus æternæ Sapientiæ super vacuum humilitatis fundata.

Vacuum Virginis implevit Dei Filius homo factus

130. Nec

130. Nec his augustissima illa atque sacrosancta contenta Trias, assidua secum agitabat consilia quânam ratione Virginem hanc tantoperè in oculis suis abjectam atque annihilatam, novis quotidie cœli cumularet muneribus. Vnde suspensa quodammodo, ac dubia, quibusnam gratiarum ornamentis, ac dotibus (cupiens preciosissimis quibusque à sua Omnipotentia, ac Sapientia inventis, eam locupletare) esset decoranda, postquam dixisset: *Soror nostra parva est*, stilla maris est, nihilum in oculis suis est; *Vbera non habet*, quia Virgo purissima est; mox subdit, quasi ineundo consilium: *Quid faciemus Sorori nostræ, in die qua alloquenda est?* Cant. 8. seu ut legunt 70. Interp. *In die quando Verbum fiet in ea?* Ac si diceret: quibus unionibus, quibus gemmis lapillisque virtutum preciosissimis, quibus gratiarum cœlestium monilibus pulcherrimam hanc humillimamque Sponsam exornabimus, die illa quâ Gabriële Paranympho, Spiritui S. erit desponsanda, die, quâ Verbum in ejus purissimo utero caro factũ, universa erit renovãda creatura? Attendat hic obsecro expendatque unusquisque hujuscé amplitudinem Vacui Virginalis, quod Devm ipsum, in modo illud explendi quodammodo, ut ita dicam, reddat anxium, ac dubium. Vnde quid mirum si hæc stilla maris, sibimet ipsi tam exigua, mare quoddam immensum perfectionum, Oceanus quidam vastissimus infinitæ Sanctitatis evadat; quid mirum si hæc humilis Ancilla, fiat Excelsa, & Sublimis? quid mirum denique si in totius Naturæ tam Angelicæ, quàm humanæ Dominam, in cœli quoque, ac terræ, totiusque Vniversi Reginam dignissimam eligatur?

SS. Trinitatis in ornanda B. V. solicitudo.

B. V. ob humilitatem Regina totius Vniversi electa.

131. Verè Deipara nostra ob profundissimam suam humilitatem creata est Regina Angelorum. Hinc S. Ioannes Damasc. Orat. 1. de Nativ. ipsius Genitoribus congratulans dicebat: *Vos Angelis superiorem, & nunc Angelis dominantem Filiam in lucem extulistis.* Et paucis interjectis ad Reginam hanc adhuc ab uberibus pendentem tot Angelorum myriadibus circumdatam conversus, admiratione plenus exclamat: *O sanctissima Filia quæ materni uberis lacte aleris, & ab Angelis undiq; cingeris?*

M. Regina Angelorum.

Hinc Deipara ipsa B. Gertrudi lib. 4. Insinuat. Divinæ pietatis c. 53. revelavit, quidnam agant beatissimæ illæ mentes fœlici illo die quo ipsius mundo contigit Nativitas: *Angeli*, inquit Dei Mater, *renovant ineffabilia illa gaudia, animiq; oblectationes, quibus toti perfundebantur novem illis mensibus, quibus Maternis visceribus conclusa delitescebam, quando mihi per vices famulabantur. Dum enim in purissimo illo Sanctissimæ Trinitatis speculo corporis mei singularem dignitatem atq; excellentiam quod hominum saluti cooperari debebat, contemplabantur, exultabant in meo obsequio, aërem ipsam purgabant, perfectioresq; efficiebant creaturas universas, quibus in utero Matris alebar.*

Angeli B. V. adhuc in utero Matris deservie-bant.

Hinc S. Ephræm Syrus Orat. de B. V. *Reginam supernorum civium & Dominam Angelorum nuncupavit.* Ipsius Dominium hoc in Angelos agnoscens Georgius Nicomediensis Episcopus, sapienter pronunciavit: *Oportebat non unum solùm Mariæ deservire Angelum, sed decies mille millia stipare.*

B.V. decies mille millia Angelorum stipabant, dum adhuc viveret.

Quid de Seraphico illo Bernardino Senensi dicam? qui tom. 2. ser. 51. a. 2. c. 2. *Assistebant illi innumerabiles multitudines Angelorum in ejus protectionem. Vnde Propheta ad Virginem: Angelis suis DEVS mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis. Piè etenim credo quod plurimas legiones habuerit Angelorum ad custodiam & protectionem suam, cùm & Elisæus, ut legitur 4. Reg. 6. Angelorum multitudinem habuit ad sui defensionem.* Hæc ille.

Quid de Fulberto Carnotensi dicam? qui serm. de Nativ. B. V. ob electionem in Dei Matrem Angelorum varia obsequia illi delata veluti Dominæ, ac Reginæ affirmavit? *Virgo*, inquiens, *hac dignitate venerabilis facta est ipsis quoq; Angelorum ordinibus, quod opere manifesto declaravit ille magnus atq; fortis Archángelus Gabriël, qui eam antequã Mater DEI fieret, quia futuram noverat, tantâ veneratione salutando prævenit: Quanta putamus provisio Angelorum circa tam DEO gratissimos Parentes ab initio suæ procreationis, & excubatio super tam ingentem Sobolem? Nulli fidelium dubium est, quod circa eam jam tunc omnis frequentia cœlestium agminum invigilabat, utpote quam supra se exaltandam minimè ambigebant.* Hæc Fulbertus, ex quibus constat ab ipsis incunabulis Virginem tanquam Dominam, ac Reginam ab Angelis summa in veneratione habitam.

M. Angelorum Ordinibus venerabilis.

132. Et si verò quamplurimæ cohortes Angelorum Dei Matri famulantes semper adstiterint, crediderim tamen

Luciferi ostendit sedem (contermina semper
Regali fuit illa Throno, sceptroq; Tonantis)
Tum memorans veteres rixas, primavaq; bella
Cur non una omnes habeant habitacula Divi.

Et tandem varijs pro meritorum qualitate distributis Iustorum mansionibus, ac domicilijs, Thronum eminentissimum Angelorum omnium Coryphæi assignat Virgini;

B. V. gloria non fato, nec ex constellationibus, sed Dei gratia, virtute propria liberaque electione provenit.

Sicut Luciferi locus hic sublimior inter
Eminet, æterni numerosa sedilia Regni;
Sic Virgo quam parva domus angustia claudit
(Et Mariam pressa monstravit acumine virga)
Humanis animis longè est præstantior; illi
Non fati ratio, non cœli mobilis ardor
Destinat hoc Solium, sed lege coërcita mentis
Libertas & noster amor.

Ostendit tandem Poëta sacer quantô de nova hac indepta dignitate cœlestis Patriæ cives exultarint gaudio, quantisque laudum præconijs suam Reginam infinitis intervallis, creaturis omnibus sublimiorem extulerint.

Sic fatus. At omne
Lætitiâ fremuit cœlum, diffusa voluptas
Cœlestes animos rapuit, sonuêre theatra
Plausibus, assensu superum, vulgata per omnes
Elysij campos magni est sententia Patris,
Temporeq; ex illo semper toto æthere Virgo est
Angelicis prælata choris & dignior omni
Agmine Spirituum, rutilo Cyllenia quanto
Marte minor flãma est, vel quantũ Delia tristi
Cedit avo, tellusq; Iovi, Venus aurea Phœbo.

B.V. lucidior Planetis omnibus.

128. Ex hactenus dictis evadit manifestissimum, profundissimam illam humilitatem Virginis, illam sui annihilationem in oculis Divinæ Majestatis, tantæ gloriæ, tantæ exaltationis extitisse causam; & omnium penè bonorum gratiarumque, quibus, in Domum DEO dignissimam ædificata assurrexit, fuisse stabilissimum fundamentum. Quod sanè si quispiam æquâ rationis lance ponderaverit, qui fieri potest, ut in summam non rapiatur admirationem, quod Sapientissimus ille supremusque totius Vniversitatis Architectus, ipsa Patris sempiterna Sapientia, tam nobilem, tamque excelsam, ac immensam, suaque Majestate dignissimam molem ædificij, supra Virgineæ humilitatis nihilum fundare attentârit? Verùm facesset omnis mox admiratio, ubi in mentem venerit, eundem Divinissimum Architectum prægrandem hanc spatiosissimamque terræ molem ad infinitæ suæ potentiæ, inscrutabilisque Sapientiæ ostentationem, super idem nihilum erigere voluisse.

B. V. humilitas omnis ipsius dignitatis fundamentũ.

Domus Virginea supra humilitatis nihilum fundata.

Hinc Iob inter reliquas supremæ Omnipotentiæ, Sapientiæq; laudes, ac præconia illud non inter postrema numeravit cap. 26. *Qui appendit Terram super nihilum.* Verè enim hæc Virginea & animata Terra, DEI manu potentissimâ, super nihilum ipsius humilitatis appensa est, cùm prolocuta est humillimè: *Ecce Ancilla Domini;* & rursus: *Respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Nam ut sapienter sententiam illam librans Richard. lib. 8. de laudib. Virg. *Vera,* inquit, *humilitas, quæ soli Deo innititur, infra se non videt nisi nihilum, nempè defectûs proprios vanitatemq; mundi.* Hujusmodi oculos Deiparæ persimiles habuisse visus est Ieremias cùm mundi creaturarumque omnium vanitatem contemplans edixit c. 4. *Aspexi terram, & ecce vacua erat & nihil.*

B.V. tanquam terra fundata super nihilum.

129. Hinc Paulus Apostolus, de ingenti hac Ecclesiastici ædificij loquens mole, deque ipsius, adeò modicis exiguisque fundamentis supra negationem siue non Ens, ut loquuntur Philosophi supra nihilum fundatam pronunciavit 1. Cor. 1. *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Idem in fabrica Divinæ suę Sapientiæ domicilij, in totius mundi instauratione, ac renovatione, DEIPARA cooperante peracta, fecisse visus est æternus Pater, super non esse, super annihilationem Virginis, super nescio quod Vacuum, quod in se reperiebat illa, tam insignem grandem, Majestateque plenissimam ædificij molem molitus est. Quod Vacuum, ab ipsis immaculatæ ipsius conceptionis exordijs, licet Divina Bonitas uberrimâ bonorum suorum largitione semper replere contenderit, ipsa tamen Virgo nescio quâ amabilissimâ concertatione illud, magis magisque sese demittendo atque annihilando, amplificare videbatur: eò demũ hujus amplitudo immensi atque inexplebilis pervenit Vacui, ut cùm illud explere suis donis, ac charismatis DEVS minimè valeret quodammodo, decrevit tandem? Verbi sui infiniti atque immensi Personâ illud complere. Quod intellexerit sine dubio Apostolus, cùm Ephes. 4. pronunciavit ad rem nostram aptissimè: *Descendit vt impleret omnia.*

Ecclesia fundata supra Non ens.

B. V. Domus æternæ Sapientiæ super vacuum humilitatis fundata.

Vacuum Virginis implevit Dei Filius homo factus

130. Nec

130. Nec his augustissima illa atque sacrosancta contenta Trias, assidua secum agitabat consilia quânam ratione Virginem hanc tantoperè in oculis suis abjectam atque annihilatam, novis quotidie cœli cumularet muneribus. Vnde suspensa quodammodo, ac dubia, quibusnam gratiarum ornamentis, ac dotibus (cupiens preciosissimis quibusque à sua Omnipotentia, ac Sapientia inventis, eam locupletare) esset decoranda, postquam dixisset: *Soror nostra parva est*, stilla maris est, nihilum in oculis suis est; *Vbera non habet*, quia Virgo purissima est; mox subdit, quasi ineundo consilium: *Quid faciemus Sorori nostræ, in die qua alloquenda est?* Cant. 8. seu ut legunt 70. Interp. *In die quando Verbum fiet in ea?* Ac si diceret: quibus unionibus, quibus gemmis lapillisque virtutum preciosissimis, quibus gratiarum cœlestium monilibus pulcherrimam hanc humillimamque Sponsam exornabimus, die illa quâ Gabriële Paranympho, Spiritui S. erit desponsanda, die, quâ Verbum in ejus purissimo utero caro factũ, universa erit renovãda creatura? Attendat hic obsecro expendatque unusquisque hujuscé amplitudinem Vacui Virginalis, quod DEUM ipsum, in modo illud explendi quodammodo, ut ita dicam, reddat anxium, ac dubium. Vnde quid mirum si hæc stilla maris, sibimet ipsi tam exigua, mare quoddam immensum perfectionum, Oceanus quidam vastissimus infinitæ Sanctitatis evadat; quid mirum si hæc humilis Ancilla, fiat Excelsa, & Sublimis? quid mirum denique si in totius Naturæ tam Angelicæ, quàm humanæ Dominam, in cœli quoque, ac terræ, totiusque Vniversi Reginam dignissimam eligatur?

SS. Trinitatis in ornanda B. V. solicitudo.

B. V. ob humilitatem Regina totius Vniversi electa.

131. Verè DEIpara nostra ob profundissimam suam humilitatem creata est Regina Angelorum. Hinc S. Ioannes Damasc. Orat. 1. de Nativ. ipsius Genitoribus congratulans dicebat: *Vos Angelis superiorem, & nunc Angelis dominantem Filiam in lucem extulistis.* Et paucis interjectis ad Reginam hanc adhuc ab uberibus pendentem tot Angelorum myriadibus circumdatam conversus, admiratione plenus exclamat: *O sanctissima Filia quæ materni uberis lacte aleris, & ab Angelis undiq; cingeris?*

M. Regina Angelorum.

Hinc DEIpara ipsa B. Gertrudi lib. 4. Insinuat. Divinæ pietatis c. 53. revelavit, quidnam agant beatissimæ illæ mentes fœlici illo die quo ipsius mundo contigit Nativitas: *Angeli*, inquit DEI Mater, *renovant ineffabilia illa gaudia, animiq; oblectationes, quibus toti perfundebantur novem illis mensibus, quibus Maternis visceribus conclusa delitescebam, quando mihi per vices famulabantur. Dum enim in purissimo illo Sanctissimæ Trinitatis speculo corporis mei singularem dignitatem atq; excellentiam quod hominum saluti cooperari debebat, contemplabantur, exultabant in meo obsequio, aërem ipsam purgabant, perfectioresq; efficiebant creaturas universas, quibus in utero Matris alebar.* Hinc S. Ephræm Syrus Orat. de B. V. *Reginam supernorum civium & Dominam Angelorum nuncupavit.* Ipsius Dominium hoc in Angelos agnoscens Georgius Nicomediensis Episcopus, sapienter pronunciavit: *Oportebat non unum solùm Mariæ deservire Angelum, sed decies mille millia stipare.*

Angeli B. V. adhuc in utero Matris deserviebant.

B. V. decies mille millia Angelorum stipabant, dum adhuc viveret.

Quid de Seraphico illo Bernardino Senensi dicam? qui tom. 2. ser. 51. a. 2. c. 2. *Assistebant illi innumerabiles multitudines Angelorum in ejus protectionem. Vnde Propheta ad Virginem: Angelis suis DEUS mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis. Piè etenim credo quod plurimas legiones habuerit Angelorum ad custodiam & protectionem suam, cùm & Elisæus, ut legitur 4. Reg. 6. Angelorum multitudinem habuit ad sui defensionem.* Hæc ille.

Quid de Fulberto Carnotensi dicam? qui serm. de Nativ. B. V. ob electionem in DEI Matrem Angelorum varia obsequia illi delata veluti Dominæ, ac Reginæ affirmavit? *Virgo*, inquiens, *hac dignitate venerabilis facta est ipsis quoq; Angelorum ordinibus, quod opere manifesto declaravit ille magnus atq; fortis Archangelus Gabriël, qui eam antequã Mater DEI fieret, quia futuram noverat, tantâ veneratione salutando prævenit: Quanta putamus provisio Angelorum circa tam DEO gratissimos Parentes ab initio suæ procreationis, & excubatio super tam ingentem Sobolem? Nulli fidelium dubium est, quod circa eam jam tunc omnis frequentia cœlestium agminum invigilabat, utpote quam supra se exaltandam minimè ambigebant.* Hæc Fulbertus, ex quibus constat ab ipsis incunabulis Virginem tanquam Dominam, ac Reginam ab Angelis summa in veneratione habitam.

M. Angelorum Ordinibus venerabilis.

132. Et si verò quamplurimæ cohortes Angelorum DEI Matri famulantes semper adstiterint, crediderim tamen

men

men Archangelo Gabriëli peculiarem à Deo curam Virginis fuisse demandatam. Hinc Eusebius Emissenus Homil. in Vigil: Nativ: vocat illum Consiliatorem Virginis, ejusque conscium castitatis. Hinc S. Hildeph. ser. 5. de Assumpt. de actionibus Virginis loquens, quibus erat intenta dum viveret: *Si quis adhuc studio pietatis indagare voluerit, quid post Ascensionem Domini egerit, quam sanctè, ac justè vixerit, & cum quibus habitaverit, soli DEO cognitum esse videtur, & Gabriëli Archangelo cui ejus tota causa commissa esse prædicatur à Domino, & Angelis secum collatantibus, secumq; loquentibus.* Hinc denique Card. Damiani ser. 1. de Nativ. V. mysteria in Throno illo Salomonis, Deiparam repræsentante evolvens, cùm ad duos illos leones, qui stabant juxta brachiola, pervenisset: *Duo leones*, inquit, *sunt Gabriël Archangelus & Ioannes Evangelista, quorum alter dexteræ Virginis, alter sinistræ custos deputatus est. Gabriël enim mentem; Ioannes carnem pervigili solicitudine servaverunt. Qui benè Leones dicuntur propter rugitum altisonæ vocis, duo enim verba nunciaverunt Orbi terræ, qualia nec dicta sunt, nec dicentur, & in quorum comparatione omnia muta debent apparere: Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, ait Archangelus. Audis in hoc verbo Incarnationem DEI, Redemptionem hominum, renovationem Mundi? In principio erat Verbum, dixit Evangelista. Animadvertis hic Verbi Divinitatem, Ecclesiæ fidem &c.* Hæc de Leonibus mansuetissimis Virginis adstantibus Damianus.

B. V. Gabriëli cura fuit commissa.

Gabriël & Ioannes Evangelista duo Leones custodientes B. V.

Neque tamen inficiandum est præter Gabriëlem ipsi tanquam Dei Matri, salutisque humanæ cooperatrici, atque Advocatæ, Reginæ denique Vniversali, alios quamplurimos Angelos, eosque ex sublimioribus Hierarchijs non tam ad ipsius custodiam, quàm ad ipsius gloriam, ac dignitatem fuisse designatos; cum communi Theologorum asseveratione constet, Viris Principibus, Regibus, ac Monachis, alijsque in publicis officijs, ac dignitatibus constitutis, plures administratorios Spiritùs ad illos tutandos, ac defendendos à Deo mitti solitos.

133. Verè Deipara Regina est cœli, ac terræ. Vnde S. Anselmus lib. de Excell. Virg. c. 9. de Beatorum discurrens gaudijs, illud non vulgare commemorat, ipsam Dominam, nimirum per quam tot bona eis provenêre, præ oculis habere, juxta Deum, quem de suo utero Virgo Beata peperit residentem, & jure Materno cœlo terræque cum eodem suo Filio præsidentem. *Consideremus*, inquit S. Antistes, *quâ exultatione exultabunt pro tanta ejus gloria, quo honore sublevabuntur in tanta ejus potentia? Omnis itaq; creatura defert eis, Filio nempè & Matri, honorem, non solùm quia videbant natura ipsorum consortem, esse suum Creatorem, sed etiam quia Dominam summam, & unicam Dominatricem cœli & terræ Mariam, ex his conspicient esse factam Reginam Angelorum.*

Aspectus B. V. in cœlis magna est gloria Beatis.

B. V. Regina cœli & terræ.

134. Quid de Divo Bonaventura dicam? qui cap. 8. in spec. Beatæ Virginis, probans Dominum omnium fuisse cum Virgine, ostendit pariter effectam omnium creaturarum Dominam, & potestatem habere non modò in militante, sed & in triumphante illa Hierusalem cœlesti: *Considerandum*, inquit Seraphicus Doctor, *quod Dominus iste de quo dicitur; Dominus tecum, ipse est generaliter Dominus creaturæ universalis. Vnde Iudith Dominus cœlorum, Creator aquarum, & Dominus totius creaturæ. Et Sap. 8. Dominus omnium dilexit illam. Omnium certè universaliter, omnium, inquam, visibilium, & invisibilium. Iste universalis omnium Dominus sic cum Maria fuit, vt ipsam etiam universalem omnium Dominam fecerit, Dominam cœli, Dominam mundi. Propter quod Anselmus: Regina cœli & Domina mundi Mater eius, qui mundat mundum, tibi confiteor quia corpus meum nimis est immundum. Hic autem attende quod Dominus hic Vniversalis qui cum Maria est, est Dominus potentissimus voluntate, vt ait Propheta: Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari, & omnibus abyssis, ita vt illi nemo resistere possit, teste Mardocheo: Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui tuæ resistere possit voluntati. Ecce Maria, quantus Dominus & quam potentissimus Dominus est, qui tecum est. Et quia Dominus potentissimus potentissimè tecum est, ideò & tu es potentissima secum; potentissima es, per ipsum, potentissima apud ipsum, ita ut verè dicere possis: In Hierusalem potestas mea, & in Ecclesia militanti in terris, & in Ecclesia triumphante in cœlis. Verè enim tam in cœlis quàm in terris potestatem habet Mater potentissimi Creatoris. Quam potentissimam cognoscit Anselmus orans: Exaudi pia, adesto propitia, adiuva potentissima, vt mundentur sordes mentis meæ, & illuminentur tenebræ meæ.* Hæc Bonaventura.

Quia Dominus potentissimus cum Maria, ideo & ipsa est potentissima.

B. V. Domina potētiss.tā in Ecclesia militante quàm triū phante.

135. Scire

M. Domina totius Universi, & Inferni.

136. Scire quis cupit an Virgo, Domina sit totius penitus Universi, hominum, Angelorum, cœli, terræ, ipsius denique Inferni? Audiat eundem Bonaventuram in Spec. cap. 3. ubi copiosè disserens de Nominis Mariani laudibus: *Maria*, inquit, *interpretatur Domina; hoc optimè competit tantæ Imperatrici, quæ revera est Domina cœlestium, terrestrium, & Infernorum, Domina, inquam, Angelorum, Domina hominum, Domina Dæmonum, Domina utriusq; creaturæ in cœlo, Domina in mundo, Domina in Inferno.* Dominium hoc in utramq; Naturam tam Angelicam, quàm humanam figuratum asserit in Regina Hester, cui duæ famulabantur Ancillæ, & super unam quidem innitebatur, inquit sacer textus Esth. 15. quasi præ delicijs, & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens: altera autem famularum sequebatur Dominam, defluentia in humum indumenta sustentans. Illa Angelicam, hæc Humanam veluti Typo quopiam designabat Naturam. Illi innitebatur, quia virtutum suarum splendore hæc Regina gloriosior, Angelicam reverberat dignitatem, ut ait Cardin. Dam. serm. 4. *Innititur illi*, ait Doctor Seraphicus, *tanquam familiarissima, se Angelis sociando, innititur tanquam delicatissima, in Angelis deliciando; innititur tanquam plenissima, se cum sua plenitudine Angelis communicando; innititur insuper tanquam potentissima, Angelis imperando; Omnibus enim Angelis Maria innititur, suo imperio. Unde August. ait Michaël Dux, & Princeps militiæ cœlestis, cum omnibus spiritibus administratorijs, tuis Virgo præceptis, in defendendis in corpore, & in suscipiendis de corpore animabus fidelium, specialiter tibi Domina & die & nocte se commendantium. Vides quomodo sit Domina Angelorum in cœlo? Altera verò Ancilla, Humanam denotabat Naturam, quæ Dominam suam Mariam sequitur in mundo; sequitur certè*, inquit Sanctus, *colligens vestimenta Dominæ nempè virtutes atq; exempla Mariæ. De hac Domina ait locutum fuisse Davidem dum canebat: Sicuti oculi Ancillæ in manibus Dominæ suæ: Ancilla*, inquit, *Domina Maria est qualibet anima fidelis, imò etiam Ecclesia universalis. Oculi hujus Ancillæ in manibus Dominæ suæ debent semper esse, quia oculi Ecclesiæ, oculi omnium nostrum ad manûs Mariæ debent semper respicere, ut per manûs ejus aliquid boni accipiamus, & per manûs ejus quicquid boni agimus Domino offeramus. Per manûs enim hujus Dominæ habemus quicquid boni possidemus, testante D. Bernardo: Nihil nos DEUS habere voluit, quod per manûs Mariæ non transiret.* Denique ut huic perfectissimo Dominio nil deesse posset, essetque omnibus numeris absolutissimum, extenderetque sese in omnes Orbis partes ipsosque Inferos penetraret, addidit: *Maria est Domina Dæmonum in Inferno tam potenter eis dominans, ut de ipsa cani possit: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Hæc Virga Virgo Maria Virga virtutis est contra inimicos Infernales, quibus magnâ virtute dominatur, & ideò Domina tam magna, tam magna virtutis meritò à nobis amatur, meritò à nobis laudatur, meritò à nobis exoratur, ut nos contra inimicos istos tueatur.* Hæc Bonaventura de Virginis Universali, amplissimoque in res omnes creatas Dominio.

Natura Angelica & Humana sunt Ancillæ B. V.

Michaël Mariæ paret imperio cum suis Angelis, ipsiusque clientes morientes defendit.

Humana Natura colligendo vestimenta B. V. ejus virtutes imitatur.

In manûs M. omniū oculi debent respicere, ut dona ab ipsa accipiant.

M. Domina Dæmonum, potenter eis dominas, ac frænās.

Audiamus B. Tho. de Kemp. 3. P. ser. 4. ad Novit. describentem Dominium potentissimum Nominis Deiparæ in hostes illos Tartareos: *Ipsi obediunt*, inquit, *Angelorum chori, quos mittere potest in solatium destitutorum: Dæmonibus imperat, ne quem molestare audeant, qui ejus ditioni se subjecit, & curæ. Expavescunt cœli Reginam spiritûs maligni, & diffugiunt audito Nomine Sancto ejus, velut ab igne. Horrent Sanctum & terribile Nomen Mariæ, quod Christianis est summè amabile, & ubiq; celebre. Non audent apparere, nec sua ludibria exercere ubi noverint Nomen clarere S. Mariæ. Tanquam Tonitruum de cœlo factum sic prosternuntur ad S. Mariæ vocabulum, & quo sæpiùs illud profertur, ac desiderabiliùs invocatur, eò citiùs & longiùs ipsi fugantur.*

B.V. Dæmonibus imperat, ne suos molestare audeant.

M. horrēt Dæmones velut Ignem.

M. Nomen Tonitruū est Dæmonibus.

137. Ostendit hoc Deipara in miserabili illa fœmina, in quam Anno 1370. integra malignorum spirituum legio commigraverat. Erant hi porrò adeò sævi, truculenti, ac sanguinarij, ut suis furijs agitatam fœminam, ad trucidandos in primis parentes, tum etiam parvulum filium adegerint. Cùm nullum tantis malis remedium adesset, & Cacodæmonum furor majores in dies vires sumeret, fœminamque illam tantis inferijs exagitarent, ut domum familiamque universam pessundare, ac funditus evertere velle videretur, nisi vesanæ huic Megæræ ferrea manibus pedibusque injecta fuissent vincula. Tandem amicis venit in mentem, ut ad Cellensem Virginem miraculis illustrem perduceretur. Hic à Viro Religioso Ordinis D. Benedicti,

Dæmonis sævitia in familiam quandam.

cum varijs admotis machinis Stygij illi Tenebriones ad fugam compellerentur, nec proficerent, tandem Mariæ sacrosancto invocato Nomine Tartarea illa legio profligata, & dissipata est. Rem hanc universam, prout gesta est, videre mihi licuit in antiquissima depictam tabula in Templo B. V. Cellensis ad memoriam Virginei Nominis gloriamque sempiternam.

Nomen B. V. in Templo Cellensi legionem Dæmonū expulit.

Hanc Mariani Nominis contra Dæmones vim atque energiam quidam nostræ Societatis non vulgaris Theologus admirans illud ipsi attribuit elogium: *Mariæ Nomen appello armaturam invictam contra Sathanam, timorem Dæmonum, gladium & flagellum, Regium vexillum contra Diabolum, trophæum clementiæ, hastam quâ Diabolus lethale vulnus accipit; vallum sacrosanctum, ac inexpugnabile, linguæ decus, munimentum vitæ, immortalem & maximum clamorem; triumphalem vocem, præstantem adversus peccata medicinam. Hoc tamen iterandum sæpiùs, quando fugandi Dæmones, pellendi morbi, frangenda Idola, reprimenda flamma, cicuranda feræ, vel abigendus mœror. Hæc vox sæpiùs proferenda egressuris vel ingressuris magnum aliquod periculum, ægris & moribundis, claudis, aridis, paralyticis, & oculorum lumine orbis. Verissima enim est D. Bonaventuræ sententia: Omnipotens post Dominum Nomen Mariæ.*

Nominis M. varia elogia.

Petrus denique Riga in M. S. Bibliothecæ Milstadiensis Equitum olim S. Georgij, ut ostendat quantopere Tartareis Tenebrionibus Deipara Virgo sit formidabilis, vocat illam Fundam, quâ effusus lapis, videlicet Christus prostravit Goliatum:

NomenM. funda David, quâ prostravit Infernalē Goliam.

Funda David, fudit Lapidē, quo funditur hostis,
Virgo DEVM fudit, quo malus hostis obit.

138. Dominium porrò hoc Virgo Deipara ab ipsa conceptione cum ipso Nomine, imò ipso sui in hanc lucem exortu consecuta est. Hoc docet Sanctus Chrysologus serm. 142. exponens verba illa Angeli: *Ne timeas Maria; Ante*, inquit, *causa dignitatis Virginis annunciatur ex Nomine. Nam Maria Hebræo sermone, Latinè Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominatoris Genitricem trepidatio deserat servitutis, quam nasci, & vocari Dominam, ipsa sui germinis fecit, & impetravit auctoritas, cùm non modò concepta, sed & nata absq; ullius peccati fuerit servitute.* Porrò quemadmodum Virgo hæc benedicta à primis annis Domina omnium universalis, ita quoque ab eisdem terror malignorum spirituum eis potentissimè dominando extitit. Vnde S. Ioan. Damasc. Orat. 1. de Nativit. B. V. jure merito exclamavit: *O Sanctissima Ioachim & Annæ Filia, quæ Principatûs & Potestates fefellisti, atq; ignea maligni tela extinxisti. O Sanctissima Filia in maternis ulnis conspicua, rebellibus Angelis formidabilis.*

Domina fuit totius Vniversi B.V. in sua conceptione immaculata.

B.V. Infantula Dæmonibus fuit terribilis.

139. Denique adeò perfectum adeò absolutum est hoc Dei Matris Dominium, ut idem omninò cum illo dilectissimi Filij, tùm Divinæ Maternitatis, tùm Sponsæ titulo esse videatur. Audiendus hic Guerricus Abbas serm 3. de Assumpt. qui ad æternam illam sempiternæ fœlicissimæque Patriæ requiem illam invitans: *Perge*, inquit, *Maria perge secura in bonis Filij tui, fiducialiter age tanquam Regina, Mater Regis, & Sponsa. Requiem quærebas, sed amplioris gloriæ est, quod tibi debetur Regnum & Potestas. Indivisum habere tecum cupit imperium, cui tecum in carne una, & uno spiritu indivisum fuit pietatis & unitatis mysterium, dum scilicet salvo honore Naturæ, geminato munere gratiæ juncta est Mater in Matrimonium. Requiesce igitur ò fœlix inter brachia Sponsi, replicabit tibi ni fallor inter amplexûs & oscula, quam suaviter requieverit in tabernaculo corporis tui, quam suavis in cubiculo cordis tui.* Hæc ille.

Dominiū B.V. idem est cum Filio.

140. Hujus universalis Dominij Virgo sacratissima sibi probè conscia gloriabatur apud Ecclesiasticum cap. 24 *In omni populo, & in omni gente primatum habui, & omnium excellentium, & humilium corda propriâ virtute calcavi.* Quis mihi det in numerum horum humilium adscribi, ut cor meum Sanctissimæ hujus Virginis, ac Dominæ amabilissimæ, pedibus purissimis, ac speciosissimis proteri, dignum sit? Quis mihi det Heroicarum ipsius virtutum, animo impressa vestigia circumgestare, atque ita tantæ Dominæ in me jus potestatemque profiteri? Hoc nempè in corda, animosque nostros jus, atque Dominium tanta Regina, hoc ipso quod Dei Parens, hoc ipso quod Dei Sponsa est effecta, sibi deposcit. Quod probè intelligens B. Petrus Damiani ser. de Annunc. ajebat: *Exultate Fratres in Domino, quia de Domina illa sermo nobis succedit, quæ singularem in cordibus nostris sibi vendicat Principatum. hæc est ad cujus Nomen corpus humiliter inclinatis, cujus horis reverenter assistitis, cujus memoriā jugiter frequentatis.*

B. V. eò quod sit Mater Dei habet jus, ac dominium in corda animosque nostros.

B. V. in corda nostra sibi vendicat Principatum.

Hoc

Hoc igitur & nobis singulare gaudium sit, ac lætitia, tantæ Virginis imperio, ac jurisdictioni subjacere, ejus Nomini sacratissimo summo pietatis affectu reverentiam exhibere, hanc summam arbitremur libertatem, ipsius servitio quam humillimè mancipari. Verissimè enim, ac gravissimè Divus pronunciavit Anselmus: *Servire huic Reginæ regnare est, & inter illius mancipia numerari plusquam Regium.* Hæc est enim, ut verbis utar S. Nazianzeni in Tragœd. de Christo patiente:

B. V. servire & regnare, & esse ejus mancipiũ est plusquam Regium.

Inclytissima, venustissima Puella Virgo
Infante DEO ditata,
Domina omnium dominatrix Mater Domini,
Hera, Filia, Dominantis Mater Verbi.
O Imperatrix omnium Augusta, Virgo beata
Quæ multum es præstantior omni sexu,
Honoranda, pudica, fœlicissima Virgo.

141. Virgineum hoc Dominium in homines potissimum universos, agnovére illi, qui hoc nostro sæculo summâ in Deiparam pietate, ac Religione, nonnullis pientissimorum Virorum, quos Cardinalis Petrus Damiani lib. 2. Epist. 14. circa annum 1072.; & Cæsarius Ordinis Cisterc. circa annum 1222. lib. 7. Hist. mem. c. 39. commemorat, exemplis, incitati, semetipsos, injectis collo nonnullis catenulis, ac compedibus, in perpetuos servos, ac mancipia Dei Genitrici summæ omnium Dominæ, ac Reginæ devoverunt, consecrârunt. Perinde, ac si sibi consilium illud Divinissimum à Spiritu S. apud Eccli. 24. datum arbitrarentur: *Audi Fili & accipe consilium intellectûs, & ne abjicias consilium meum. Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum: Subjice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris in vinculis ejus. Et erunt tibi compedes illius in protectionem fortitudinis & bases virtutis, & torques illius in Stolam gloriæ. decor enim vitæ est in illa, & vincula ejus alligatura salutaris.* His sanctissimis consilijs acquiescentes, alijsque gravissimis rationibus libello illo, Mancipium Mariæ, intitulato, contentis, persuasi, quamplurimi Viri & Religione, & nobilitate conspicui, ac illustres tota Polonia sese communi huic omnium Dominæ, ac Reginæ in humillimos servos, in mancipia, summam hoc libertatem & nobilitatem rati, uti revera est, obtulerunt. Quod si quispiam Virgineum hoc Dominium in res omnes fusiùs pertractatum videre velit consulat is Patrem Quirinum de Salazar Societatis nostræ Theologum in commentarijs Proverbiorum Salomonis c. 8. v. 15 ubi Deiparæ in verbis illis vocem agnoscens: *Per me Reges regnant, per me Principes imperant &c.* præclarissimè creaturarum omnium Dominium, ac Principatum, Deiparæ convenire demonstrat; Vnde tandem numero 140. quasi ritum illum pientissimum sese in mancipium Mariæ consecrandi approbans, ac collaudans, concludit: Sequitur Mariam in homines, Angelos, ac Dœmones, non Reginæ modò jus, id est potestatem jurisdictionis habere, sed etiam jus Dominij, ratione cujus verè & propriè servi illi mancipati, vel Mancipia sub ejus ditione constituta appellari debent. Legendus idem Salazar de Regio hoc Virginis Dominio in Defens. pro immacul. Concept. c. 32. §. 1. & 2. cap. item 5. ibidem à n. 6. & denique cap. 14. n. 10.

Dominã B V. in Vniversum agnoscentes viri pij, se illi in mancipium devoverũt

M. compedes in protectionem sunt fortitudinis.

M. vincula sunt torques.

M. Servi sunt mancipia, ratione ipsius in res omnes Dominij universalis.

142. Dominium hoc Vniversale in creaturas omnes Deiparæ agnoscens magnus ille Cardinalis in eandem pientissimus Cæsar Baronius, ut ejus Annales testantur passim in schedulis, libris, tabulis, imaginibus hujusmodi arbitraria nota * sexcenties iterata, ipsius servitio addictissimum se esse profitebatur. Inscriptionis enim illius literæ sensum hunc exprimunt tanti Viri in Deiparam devotissimum; *Cæsar Servus Mariæ; Maria Servus Cæsar.* O mihi liceat medullitus animitusque gloriosam adeò erga Virginem nostram, servitutem profiteri. Scribam igitur ego in posterum, scribant alij, summâ animi demissione Nomen Mariæ augustissimum, super omnium reliqua Sanctorum Nomina, post illud Divinum venerantes, scribam inquam * & alij simul pro sua charitate orent, ut: Laurentius Servus Mariæ; Mariæ Servus Chrysogonus, licet omni ex parte indignissimus, esse, pro infinita Virginis pietate, mereatur. Vt porrò Religiosissimus Cardinalis Nomen hoc Marianum imis infixum haberet medullis, Iconem Divæ Virginis depictam pectori appressam circumgestabat, & sub mortem, quæ ipsi die Sabbathi, die nempè Deiparæ sacro fœliciter contigit placidissima, eandem Iconem peramanter exosculatus est. Hujuscé porrò in Dei Matrē, totius vitæ decursu, imò cùm adhuc in Matris esset utero, pietatis non obscura dedit argumēta. Cùm

* C M M C Cardin. Baronius se servum B.V. professus est.

* L M M C Card. Baronius B.V imaginem de collo suspensam gestabat.

B.V. imaginem moriens osculatus est Baron. Cardin.

enim ejus Mater gravida ad Deiparæ Téplũ aliquãdo proficisceretur, infans quasi ultro se Virgini offerre vellet, inusitato quodam motu, quasi Præcursorem Domini imitatus, intra materna viscera commotus est, ita ut eum gaudio exilire, ac prosilire velle Mater arbitraretur. Vnde in lucem mox editum Deiparæ patrocinio obtulit, commendavit, totumque consecravit. Quæ infantis oblatio quam Dei Matri grata exstiterit, ex eo licet colligere, quod cùm esset bimulus, deque vita periclitaretur, in cunis ad Templum D. Virginis penè exanimis deportatus, precibus votisque triduo pro ejus incolumitate persolutis, restitutus est sanitati, voce illa cœlitus ad Matrem delapsa: *Bono sis animo, Filius tuus nequaquam morietur.* Ita testatur luculentissimè Pater noster Anton: de Balinghem in suo Mariano Kalendario ad 30. diem Iunij quo Cardinalis è vita discessit fœlicissimè Anno 1607.

Baronij à puero mira in Deiparam pietas.

Baronium adhuc infantem de vita periclitantem B.V. sanavit.

143. Agnovit idem hoc Vniversale Dominium Virg: P. Franciscus Binans Ordinis Minimorum, ut idem ex Chronico Minim. testatur Balinghen. Vnde & semetipsam hostiam & sacrificium illi facere summopere desiderare visus est. Quemadmodum enim teste Plutarcho in Iside Bovem, qui in victissimam Dijs erat casurus, certi Sacerdotes ad hoc destinati, qui Sigillatores vocabantur, sigillo notabant; sic hic pijssimus Deiparæ servus, Deo se, ipsiusque Matri in servum, sacrificiumque devovens, ob varia sibi à Virgine totius vitæ decursu collata beneficia, Nomen Mariæ, uti & Nomen Iesv scalpello sibi in pectore circa cor, non sine acerbissimo cruciatu, quem tamen libentissimè amore Iesv & Mariæ tolerabat, exculpserat, ardentissimè desiderans etiam in corpore, signa ejus rei, quam tantoperè adamabat, circumferre; memor illius moniti salutaris Sponsi, ejusque Sponsæ; *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Cantic. 8. Hoc amore Virgineo succensus nunquam nisi capite detecto Sanctissimum Mariæ Nomen memorabat, additâ insuper profundissimâ reverentiâ. Quod ab eo servatum etiam quadam in Disputatione in Gallijs, quando nescio quo cum Verbi ministro agebat de honore exhibendo Deiparæ; in qua Disputatione licet sceleratus Rabula cùm æstus caniculares sævirent, semper detecto esset capite, ad Nomen tamen Mariæ sacratissimum, quod P. Franciscus prolixè assiduèque summo honore, ac reverentia prosequebatur, caput impijssimum ventosa cucurbita dignum, in contemptum Virginis operiebat.

Victima Dijs sacrificanda olim sigillabatur à sacrificulo.

Franciscus Binás Iesv Nomen, ac M. scalpello in pectore sibi exculpsit.

Idem Frãciscus ad nominationem Virginei Nominis semper detegebat caput cum profundissima reverentia.

144. Sed quid dicam de P. Francisco de Retza Ordinis S. Dominici, Mariani Nominis cultore eximio, & Viennensis Academię olim, uti supra diximus, nobilissimo sidere, ac ornamento? Hic ut scribit Ioannes Nider adeò Deiparæ fuit studiosus, ut neminem eo studiosiorem viderit. Nunquam dulce Mariæ Nomen ad ipsius adlebebatur aures, quin statim Salutatione Angelicâ illud consalutaret. Idem factitabat conspecta ejus effigie. Quicquid stipendiorum ab Archiduce Austriæ, qui postea Albertus I. Imperator fuit, totis 40. annis quibus sacras literas docuit, recipiebat tanquam Doctor, ac Vniversitatis Viennensis Rector, totum in Templorum Deiparæ Nomini consecratorum reparationem impendebat. Quovis die Sabbathi, licet alia in suis lectionibus tractaret, mediam tamen lectionis ferè partem commemoratione Virginearum laudum, tantâ cordis teneritudine, ut sibi à magna lacrymarum vi temperare non posset, impendebat. Duodecim continuis annis quibus Librum Sapientiæ enodavit, semper iteratis illis verbis: *Primi & purissimi fructus ejus;* totus in explicandis Dei Matris præconijs defixus hærebat. Vnde & ingentia tria volumina super Salve Regina in ejusdem laudem composuit, quæ Viennæ videre, & legere subinde magno meo solatio, ob insignem in illis reconditam in Virginem pietatem, erudionemque licuit. Tertius porrò Tomus qui totus in Mariano Nomine summis laudibus extollendo, uti diximus, versatur admirabilis est, totusque mirificam in Dei Matrem spirat devotionem. Inter studendum quoties à libro ad librum, vel de loco ad locum transiret, eandem Reginã Angelicis verbis avere jubebat. Tandem 84. annos natus cùm in commentatione elogiorum Virginis assiduè colliquesceret, die ipsius Nativitatis inter sibi consueta, ac solemna devotionis Marianæ studia, Salve Regina concinens, lætus exspiravit. Kalend. Marian. 8. Septemb.

P. Francisci de Retza Dominicani in Nomen B.V. amor ac veneratio.

Idem Retza quovis die Sabathi in Scholis de laudibus M. tractabat.

Retza moritur in Nativitate B.V. Salve Regina concinendo.

145. Quid de S. Carolo Cardinali Bor-

Borromæo hujuscè nostri sæculi Sanctorum gloria dicam? Assumpserat Vir hic pientissimus Deiparam primis sui Pontificatus annis in singularem suam tutelarem, ac Patronam, ad quam in rebus æquè dubijs, atque adversis tanquam ad Asylum confidentissimè confugiebat, ejus Officium positis humi genibus, addita Coronâ, quâ tam sancto operi auream quandam coronidem imponebat, recitare erat solitus. Vigilijs Deiparæ omnibus, solo pane dumtaxat, & aqua contentus sese macerabat. Ad signum Salutationis Angelicæ, cùm iter faceret Virginem adoraturus, ac salutaturus, Equo desiliebat, terræ etsi lutulentæ defigebat genua. Tantô denique in Nomen Deiparæ amore, ac reverentia ferebatur, ut gravissimè constitutionibus Synodalibus sanxerit, ut Mariæ Nomine augustissimo memorato, tam Sacerdos Sacris operans, quàm Clericus ministrans, ad populum in amorem venerationemque Dei Matris accendendum, caput inclinaret.

Card. Borom. in B. V. amor, ac reverentia.

Ad signū Salut. Angelicæ equo desiliebat, ut salutaret M.

Card. Borom. sanxit ut ad Nomē M. tam Sacerdos celebrans, quàm Clericus ministrans caput inclinarent.

146. Quid denique de Bernardo Catalano Ordin. Cisterciens. de Calatrava hujus nostri sæculi clarissimo jubare dicam? De hoc Menologium ipsorum ad diem 2. Novemb. ita loquitur: *Quo Dei Parentem Virginem gloriosam, Angelorum Reginam affectu coluerit, præclaro testimonio posteris testatum reliquit. Puritatem mentis, & corporis, quo magis ad Angelicam naturam accederet, summâ curâ servavit. Dum ultimum ageret spiritum Beatos Patres Benedictum, & Bernardum sibi adstantes, unum à dextris alterum à sinistris, eius manus suaviter sustentantes, eiq; animum addentes conspexit. Quibus ducentibus, corpore solutus migravit in patriam.* Testimonium porrò suæ erga Deiparam devotionis, obsequij, ac synceríssimam servitutis quam toti Orbi contestatam ad piorum animos cultui Deiparæ mancipandos, esse voluit, propriâ manu exaratum ita se habet: *MARIA Virgo Sanctissima, Mater Domini nostri IESV Christi veri DEI & hominis, Advocata & Protectrix peccatorum; ego illorum maior, & qui magis tuo indiget favore, ô pietatis & misericordiæ Regina, ad pedes tuos provolutus, me in perpetuum tuæ Maiestatis Servum offero, & humiliter peto, in talem admittas, obtineasq; à tuo benedicto Filio eam gratiam, quæ ad tibi placendum in omnibus meis cogitationibus, verbis, & operibus requiritur, diligendo ex toto corde Divinam Maiestatem, quæ cogitavero, locutus, vel operatus fuero, vel omisero cogitare, dicere aut operari ad supremum honoris & gloriæ Sanctissimæ Trinitatis dirigantur: cui meæ actiones gratæ erunt, si tu Virgo immaculata hanc donationem, & oblationem, quâ me in perfectum servum tuum offero digneris admittere. Et precor S. Ioseph Sponsum tuum, Angelum custodem, S. Bernardum, & S. Benedictum, SS. Ioan. Baptist. & Evangelistam, Vincentium Martyrem, & Vincentium Confessorem, SS. Guilelmum & Honoratum, S. Annam fœlicem Matrem tuam, S. Magdalenam, SS. Apostolos, & omnem Curiam cœlestem, Angelos, & Spiritus beatos, velint pro me intercedere, quatenus tu dignissima DEI Mater me in perpetuum servum recipias, possimq; te imitari, in voluntatis propriæ resignatione, & profundâ humilitate, cæterisq; virtutibus quibus ornata fuisti. Et vt omni tempore constet, me tibi ipsum tradidisse, & ad eius rei perpetuam memoriam, & vt omnes qui præsentes literas viderint, sciant me tuum esse perpetuum famulum, & Lucifer, ac omnes Inferni Ministri desperent, nullamq; partem se in me habituros intelligant, hanc chartam propriâ manu scripsi, meo Nomine subsignavi, & armorum meorum sigillo communivi in Regia aula Legionensis Vrbis, ipsa die Nativitatis Salvatoris nostri, recepto prius ipsius sacratissimo corpore Anno 1606. ætatis meæ 38. Et omnes creaturas ad quas huius oblationis notitia pervenerit contestor, & provoco, vt si (quod DEVS avertat) gravibus meis peccatis id exigentibus, à recta virtutum via deviarem, indicent mihi, & memoriæ repræsentent, me non esse meum, idq; solùm facere, loqui & cogitare posse, quod gratum sit Angelorum Reginæ Dominæ meæ.*

Bernardi Catalani affectus erga B. V.

Morienti assistunt SS. Bern. & Bened. eumq; manu deducunt ad cœlum.

Bernard. se in servum perpetuum B. V. offert.

Perpetuus Mariæ Virginis Dominæ meæ Servus

Fr. Bernardus Catalanus.

147. Idem hoc Dominium in se Virginis agnoscens Ioannes Berchman, Societatis nostræ Iuvenis Angelicus libentissimè, & quam sæpissimè poterat de laudibus Dominæ hujus suæ clementissimæ loquebatur cupiebatque ut omnes intelligerent, illum ipsius Servum addictissimum esse, & ad eam glorificandum natum. Vnde ipsius Vitæ Auctor Par. 2. *Eo amore*, inquit, *in Beatissimam Virginem (qualis Filij erga Matrem esse solet) rapiebatur; quam colebat religione tanta, vt ad cultum eius propagandum in hanc lucem esse editus videretur. Id eò de se constare invulgus lætabatur, vt tantò liberiùs de eius passim laudibus hoc Nomine loqui posset, vtpotè publi-*

Ioannes Berchmā natus ad laudandū & serviendum B. V.

publicus Virginis Praco. Ad contestandum se non modò publicum ipsius encomiorum Præconem, verùm etiam humillimum Servum, ac Filium, mane quotidie ubi è lectulo surrexisset, inter reliqs pietatis exercitationes, ante communem toti Societati Meditationem, Orationem, quam ille Congregationis vocitabat, recitare consueverat, quâ se in Servum Beatissimæ Virginis offerebat; Vnde in ejus devotionis exercitij M. S. post mortem ipsius repertis hoc inter reliqua inventum est: Secundò recitabis Orationem Sodalitatis, protestando te velle esse verum Filium B. Virginis. Eam porrò Orationem ipse conscripsit, & est hæc, quæ sequitur: *Sancta MARIA Mater DEI & Virgo ego Ioannes Berchmans te hodiè in Dominam, Patronam, & Advocatam eligo, firmiterq; statuo, ac propono, me nunquam te derelicturum, neq; contra te aliquid unquam dicturum, aut facturum, neq; permissurum, ut à meis subditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur. Obsecro te igitur suscipe me in Servum perpetuum, adsis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deseras in hora mortis meæ. Amen.*

Quotidie nos B. V. in servos offerre debemus.

Quæ sanè sui ipsius oblatio ab omnibus sedulis DEIparæ clientulis, ac cultoribus in dies singulos, pijssimi hujuscé Iuvenis exemplo, frequentanda esset, ut se tantæ Dominæ, ac Reginæ Servos agnoscentes, totos se ipsius servitio dederent, obsequijs mancipaerent, atque ita in dies majoribus ab illa donis, ac gratijs locupletari mererentur.

148. Agnovit Dominium hoc universale in totum Orbem, mortalesque omnes gloriosissimæ Dominæ nostræ DEIparæ nostræ P. Paulus Iosephus de Arriaga, de quo P. Philippus Alegambæ in Bibliotheca Scriptorum Societatis IESV ita loquitur: Beatæ Virgini, conscriptis tabulis, se mancipârat, suumque mancipatum annuo donario Lauretum transmisso, sibi gratulabatur. In eandem servitutem, quotquot poterat, distributis etiam tabellis, invitabat. Mox nonnulla hujuscé ipsius servitutis DEIparæ exhibitæ, recenset obsequia: Ejusdem, inquiens, Virginis Officium semper orabat, ejus solemnitates, peculiari religione colebat; per vigilijs, & diebus Sabbati ita jejunabat, ut à meridie Veneris, ad usque meridiem Dominicæ nihil gustaret, idque totis 40. Annis constanter præstitit. Et cùm rogante importuniùs Episcopo Chuquiabensi, bolum unum semel, ne illum offenderet, sumpsisset, valido stomachi dolore cruciatus est, donec bolum illum rejectavit; mirantibus cunctis, hominem viribus pollentem, nec alias malè affectum, bolum unum nequivisse digerere. Arequipæ, & Lymę Sacellum, in formam Ædis Lauretanæ construxit, ubi noctes, ipse, diesque hærebat; & Iovis, ac Sabbati diebus convocatos è Sodalitate primarios, ad Virginis cultum amplificandum eos invitabat. Sic ille.

Paulus Iosephus Arriaga scripto se B. V. servituti addicit.

Varia servitutis obsequia B. V. præstita.

Sacellum B. V. in formam Lauretanæ domus construit.

Eandem ob causam existimarim eum scripsisse, & in lucem edidisse Literas illas, quibus se quis Beatiss. Virg: servituti possit mancipari. Librum item de B. V. ut notat idem Auctor.

A B. V. vocatur ad Societatẽ IESV.

Ad hæc porrò V. Sacratiss. servitutis obsequia deferenda, crediderim illum permotũ fuisse potissimum, singularis illius beneficij memoriâ, quo eum misericordiæ Mater Madridij literis operam dantẽ affecit. Egressus erat ille aliquando deambulatũ in agrum, cùm ecce aspectu, alloquioque Beatissimæ Virginis jubentis ut sibi, in Filij sui Societate deserviret, dignatus est. Paruit ille promptissimè, & in Societatem admissus, præclaris virtutibus charitatis, paupertatis, obedientiæ, ac præsertim humilitatis, quam noverat Virgini Matri gratissimam apprimè, claruit. Tantæ fuit humilitatis, inquit idem P. Alegambe, ut oblata quatuor votorum professionem, repudiarit, eâ usus ratione, Viro Sancto, ac Societatis genuino amatore dignissimâ; Nolle per suum exemplum aperiri aditum dispensationi Regularum, ut ab altera professione pedetentim quæratur, ad alteram transitio. Cæterum sic erat in literis versatus, ut Philosophiam, ac Theologiam non sine laude tractârit.

Ipsius profunda humilitas.

149. Ex his omnibus hactenus in laudem Nominis gloriosissimi Sanctiss: Dominæ nostræ cœlo, terræ, atq; adeò toti Vniverso dominantis Reginæ dictis, facilè est colligere, quanto honore, veneratione cultuq; hyperduliæ, tam ab omnibus SS. Patrib⁹, quàm alijs Viris Illustribus, totaq; S. Ecclesia dignum habeatur. Quapropter quicunq; Deiparæ sedulus cultor esse cupit, in Nomen hoc præcipuâ veneratione, ac dilectione feratur, hoc illi semper in memoria, semper in

Cultoribus ac clientulis B. V. Nomen ejus sedulo invocandũ, ac colendum.

in ore, in cogitationibus, in sermonibus, in actionibus omnibus occurrat. Hoc enim Nomen, Nomen est suavissimum, ac dulcissimum, Nomen Sanctissimum, ac potentissimum, Nomen augustissimum, ac Divinissimum, Naturam nobis Divinam, cum Personarum proprietatibus, atque attributis, velut clarissimum speculum repræsentans.

Quid nobis Nomē M. repræsentet?

Nomen denique hoc venerabilissimum cùm à fidelibus aliquo pietatis sensu memoratur, ponit nobis ob oculos creaturam inter Dei opera post Incarnatum Verbum primariam atque excellentissimam, Virginem omnibus tam Naturæ quàm Gratiæ dotibus, ac ornamentis conspicuam, cui similem nunquam nec vidit, nec visurus est Orbis; Matrem denique Dei Altissimi ejusdemque in difficillimo humanæ redemptionis negotio eximiam, amabilissimamque cooperatricem, cui proinde post Filium vitam salutemque nostram ex asse debemus. Hæc enim sese in oculis Divinæ Majestatis quam profundissimè abijciens, Ancillam se nominans, Maris stillulam se reputans, meruit Excelsa, ac sublimis inter omnes haberi creaturas, & Mare quodam fieri spatiosissimum atque immensum, uti sæpius supra memoratum est, gratijs cœlestibus exundans. Promerita denique est ob identitatem quandam naturæ humanæ cum Filio ipsi de sanguinibus suis, ad efformandum corpus, ope operaq; Spiritus Sancti communicando, indivisum cum eodem quoddam Dominium, ac Regnum, terrarum, ac cœlorum, hominum atque Angelorum, creaturarumque omnium, quæ in Vniverso continentur & parem propemodum cum Filio honorem, parem venerationem.

Quod sapienter sanè docuit Beatus Arnoldus Abbas Carnot. Tract. de laudib. Beatæ Virginis, Nomen Mariæ interpretans: Maria, inquit, *linguâ Syriacâ Domina dicitur, Christus Dominus*, Maria *Domina, licet ipsa Christi se profiteatur Ancillam. Hoc servitutis genus, omni Regno sublimiùs esse intelligit. Constituta quippe est super omnem creaturam, & quicunq; IESV curuat genu, Matri quoq; pronus supplicat, & Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quàm eandem.*

Filij gloria cum Matre communis est.

150. Hanc ob causam Doctorem crediderim Seraphicum in suo Psalterio Regium Psaltem imitatum, dum indivisum honorem & gloriam Iesu & Mariæ Nominum agnoscens, æqualibus penè cum altero laudibus ad celebrandum, extollendumque Marianum Nomen creaturas omnes invitat. Psal. 134. *Laudate Nomen Domini, benedicite Nomen Mariæ Matris eius*, & Psal. 57. *Laudate eam simul astra matutina, concentum illi facite omnes Filij DEI. Glorificate illam cœli & terra, mare & flumina, & fundamenta Orbis. Tonate illi desuper, & date illi laudem, glorifica illam terra cum omnibus habitatoribus tuis.*

Pari laude Nomen M. celebratur à Bonaven. ac Diviniū.

Idem hic Sanctus Pater, virtute hujuscé Nominis potentissimi confisus, has ei laudes faustasque adprecationes modulatus est: *Adiutorium nostrum sit in virtute Nominis tui, per te omnia nostra dirigantur: benedicta sis in cœlo, & in terra, in mari & in omnibis abyssis. Benedicta sit fœcunditas tua, benedicta sit Virginitas & munditia tua. Benedictum sit corpus tuum Sanctum, benedicta sit anima tua Sanctissima.* In Psalt.

151. Quare jure merito Petrus Blesensis Bathoniensis Archidiaconus serm. 28. de Assumpt. totius Ecclesiæ, Nomen Marianum, tantis studijs, venerationeque singulari prosequentis, collaudat pietatem, hortaturque omnes ad cultum tam Sancto Nomini, quàm religiosissimè exhibendum: *Nec frustra*, inquit ille, *consuevit Ecclesia intercessionem Beatissimæ Virginis affectuosiùs cæteris implorare, ita vt audito eius Nomine genua terræ affigat, imò pro Nominis reverentia quasi mare confragosum sonant vota populorum. Prosternamur ergo singuli, prosternamur universi ad pedes Beatissimæ Virginis quæ hodie facta, est splendidior astris, celsior Angelis &c.*

Ad Nomē M. quasi mare confragosum sonant vota populorum.

152. Verùm quid mirum Sacrosanctum hoc Deiparæ Nomen tanta cum pietate ab Ecclesia universa honorari, cùm illud ipse Dei Filius summo in honore semper habere non sit dedignatus, uti ipsamet gloriata est in revelationibus S. Brigittæ lib. 1. c. 9. ubi sic loquitur: *Filius meus quantum honoravit Nomen meum audi; Nomen meum est Maria, sicut legitur in Evangelio. Hoc Nomen cùm audiunt Angeli, gaudent, & reddunt gratias Deo, qui per me, & mecum talem gratiam fecit, eo quod vident ipsi Humanitatem Filij mei, in Deitate glorificatam. Illi qui in Purgatorio sunt, ultra modum gaudent, tanquam æger in lecto iacens si audierit ab aliquibus verbum solatij. Angeli etiam boni, audito hoc Nomine statim appropinquant Iustis, quibus dati sunt ad custo-*

Dei Filius B. V. Matris Nomē honoravit eiq; multa concessit privilegia

Nomē M. gaudium Angelorū

custodiam, & gaudent de profectu eorum. Omnes etiam Dæmones verentur hoc Nomen, & timent. Audientes enim hoc Nomen Maria, statim relinquunt animam, de unguibus, quibus eam raptam tenebant. Sicut enim avis, quæ in prædam ungues & rostrum habet, si audierit sonum aliquem relinquit prædam: Sic Dæmones, meo audito Nomine, statim animam relinquunt quasi perterriti. At nisi aliqua emendatio subsequatur confestim iterum advolant, quasi sagitta velocissima. Nullus etiam tam frigidus ab amore Dei est, nisi sit damnatus, si invocaverit hoc Nomen, hac intentione, ac proposito emendationis, quod non discedat ab eo statim Diabolus, & nunquam ad eum amplius revertatur, nisi voluntatem peccandi mortaliter resumpserit, licet aliquando permittatur turbare, non tamen possidere, ob maiorem tentati remunerationem. Hactenus de gloria virtuteque Nominis sui Deipara; deque privilegijs illi à Filio concessis.

Nomẽ M. gaudium animaru Purgatorij.

Dæmones audito Nomine M. prædam animarum ex unguibus dimittunt.

Peccator cum proposito emendationis, invocando M. à tentatione Dæmonum liberatur.

O Nomen verè Sanctum, ac potentissimum; Nomen verè venerandum, omnique honore, cultuque excellentissimo dignissimum; Nomen quod cœlum quod terra, quod Inferi reverentur, ac contremiscunt. O Nomen cordis deliciæ, ac jubilus; Nomen mentis jubar, ac gaudium! O Nomen denique voluntatum magnes, ac vinculum!

153. Iam sanè minimè mirum mihi accidet ubi legero nonnullos Viros Sanctos, memorato MARIÆ Nomine, nihil petentibus denegasse, suis se facultatibus, imò & propriâ libertate exuisse, eandemque cum tota vita sua, servitio DEI mancipasse. Non mirabor generosam illam Indolem S. Gerardi Episcopi Canadiensis & Martyris, qui cum aliquid, interposito MARIÆ Nomine, à se postularetur, cor illi ad instar ceræ colliquescere, oculi ad instar rivulorum exundare præ affectus in Nomen illud teneritudine, adeòque commoveri consueverat, ut nihil omninò posset denegare. Non mirabor etiam Doctorem illum virtute, ac rerum Theologicarum scientiâ Alexandrum Alensem verè magnum, qui beatitudinem illam nactus esse videbatur in hoc Nomine, ut quicquid, ejus interpositione fuisset petitum, judicaret longè beatiùs esse dare, quàm accipere; proinde effusissima quâdam liberalitate omnia concederet, ac dispertiretur. Vnde tandem hac ejus in Nomen Virgineum pietatis fama longè, latèque evulgata, Religiosissimi D. Francisci Seraphici Patres ab illo, ut semetipsum in illorum Ordine Divinæ donare vellet Majestati, postulare non dubitârunt; nec spes illorum irrita, nec suo fructu postulatio cecidit inanis, aut vacua. Amore enim Mariani Nominis exardescens mundi vanitatibus, atque illecebris proculcatis, sese DEO Virginique in Sancto illo Ordine Holocaustum in odorem suavitatis, summâ animi sui voluptate devovit, consecravit, totamque illam familiam sapientiâ suâ illustravit.

S. Gerardus ob Nomen M. dabat quæcunq; petebantur.

Alexãder Alensis interposito Nomine B. V. donauit se Religioni S. Francisci.

154. Quæ cùm ita se habeant huic Nomini sacratissimi nos totos, vitam nostram, cor, corpus, animamque devoveamus, hoc sensûs nostros tam internos, quàm externos oblectemus, nec unquam à suavissima illius memoria, invocatione, adoratione cessemus.
Ad hoc velut ad Asylum, velut ad sacram quandam Anchoram, ad Civitatem refugij confugiamus. Hoc sit nobis nostra in hoc mundo, dum degimus, cœlestis Hierusalem, nostra pacis visio, in qua tutè Nomen MARIÆ amantes habitant, ac conquiescunt. Verissimè enim cecinit Propheta Regius: *Et qui diligunt Nomen eius, habitabunt in ea.* Psal. 68. 37. O si S. Elisabethæ Reginæ Hungariæ ferventissimâ illa præditi essemus pietate, ut Deiparæ venerabili hoc audito Nomine, mox in genua procumberemus, & Salutatione Angelicâ illud veneraremur! O si B. Romæi Dominicani pietas illa in Virginem, imis cordis nostri medullis radicaretur, ut desiderio ipsius Nominis quam creberrimè recolendi, millies quotidie Salutationem Angeli Gabriëlis iteraremus! O si denique saltem vetulæ illius Iaponensis insistere liceret vestigijs, quæ ut literæ Annuæ nostræ Societatis Anno 1622. testantur, ita ardenti affectu, Nomen sui Amidæ detestata, Nomen IESV & MARIÆ venerata est, ut multis millenis vicibus, quotidie illa recoleret; versa nimirum superstitiosa impietate in veram synceramque Religionem. Hæc enim dum esset Ethnica totidem vicibus sui Amidæ Nomen, per summum nefas, quotidie hiscé conceptis verbis; *Namu Aminabud*; repetebat. Vtque ad tantam impietatem exercendam tempus suppeteret, mox illucescente Aurora, sese proripiebat è strato, latus ejus malo genio fodicante sine dubio,

Nomen B. V. Civitas refugij

S. Elisab. pietas in Nomine B. V.

B. Romæi pietas in B. V. Nomen.

Iaponensis anus Nomina IESV & MARIÆ millenis vicibus quotidie recolebat

dubio, licet illa quisnam esset nunquam dignoscere potuerit. Factum sanè admiratione dignissimum, quod nobis jure merito ruborem confusionemq; incutiat, nosque ad hujus Nominis augustissimi assiduam exstimulet invocationem. Hanc igitur mulieris hujus in Nomine Mariano, venerando saltem aliqua ex parte sedulitaté, ac religionem æmulemur. Ad illud tanquam ad fontem bonorum omnium avidissimè, multiplices Divinæ gratiæ rivulos hausturi, recurramus. Invitat nos ad hoc faciendum & ipsa pulchritudo, ac suavitas Nominis, & plenitudo gratiæ singularis, quam significat.

Accursius Iurisperitus dictus, quod accurrat, & occurrat contra tenebras Iuris Civilis

155. Si enim Accursius Florentinus Iurisperitus celeberrimus vel ex significatione sui Nominis ad se invitabat, in Decret. l. facta. §. si in danda ff. ad tre. Verbo conditio; Se habere, inquiens, honestum & pulchrum Nomen, quia occurrit, & succurrit contra tenebras Iuris civilis: quantò magis gloriosissimum hoc, honestissimum atq; pulcherrimum Mariæ Nomen, tantopere cum suo significato consonum, nos ad se invitare atque allicere debebit, cùm Dei Matrem, imò & nostram, gratijs omnibus redundantem, Dominamque nostram clementissimam, ac Reginam misericordiæ plenissimam; in causis nostris peculiarem apud Deum Mediatricem, atque Advocatam nobis repræsentet. Si igitur Conscientiâ scelerum stimulamur, si timore terribilis illius sempiterniq; Iudicis concutimur, si desperationis barathro in nostris causis absorbemur, ad Mariæ Nomen accurramus, illa nostra sit Accursia, illa nostrum animatum quoddam sit Ius Civile in litium tenebris, quas cum Tartareis illis habemus adversarijs; illa denique fidelissima sit apud Deum Advocata.

M. Nominis varia significata

M. Advocata nostra tota mitis & suavis.

156. Verissimè enim S. Antoninus 4. Par. Tit. 15. c. 14. *Pyssimus*, inquit, *DEVS providit nobis de Advocata, quæ tota mitis & suavis est. Nihil in ea invenitur asperum, nunquam ex ea processit verbum durum. Hæc est figurata illa prudentissima Mulier Tecuitis, quæ ita sapienter advocavit apud Regem David in causa Absalonis vani, superbi, & Fratricidæ exulis facti, ob tantum scelus à Hierusalem, ut induxerit Patrem ad misericordiam erga Filium, & ab exilio revocaverit: Sic Maria pro mūdo Deo rebelli, & occisore Fratris sui, animi sui nimirum, propter quem exul à superna Hierusalem constituitur, ita advocat & interpellat, ut DEVM Patrem placet, & conversum ad pœnitentiam in gloriam introducat.* Quare jure merito cū Ord. Seraph. Bernardino de Bustis de elegantissimo hoc excellentissimoque Nomine, congratulantes Deiparæ accinere possumus, ac debemus: *Admirabile est Nomen tuum in universa terra* Ps. 8. *Sit Nomen ejus benedictum in sæcula, ante Solem permanet Nomen ejus.* Vnde tot beneficiorum ab ipsa liberalissimè in nos collatorum memores cum eodē Matri huic sanctissimæ, ac liberalissimę modulari possum⁹ animit⁹: *Semper honos Nomenq; tuū laudesq; manebūt.*

M. Nomen Admirabile in universa terra.

Nomen M. benedictū ante Solē permanēs.

157. Maneant sanè, dum vivimus dum spiramus; faciamus mentem, memoriamque nostram sacrum quoddam hujus Nominis promptuarium, quo illud in omni nostra necessitate tam spirituali, quàm corporali, in omnibus humanæ vitæ actionibus depromere, summą cum tantæ tamque benignæ Matris laude, ac veneratione possimus.

Memoria nostra sit Mariani Nominis promptuarium.

Audiamus Sapientissimum hac de re Religiosissimi Thomæ de Kempis consilium 3. Par. ser. ad Novit. cap. 2. *Si consolari in omni tribulatione quæritis, accedite ad Mariam Matrem IESV, & omnia gravamina vestra, aut cito recedent, aut leviora fient. Eligite hanc benignissimam Matrē IESV præ cunctis Parentibus, & Amicis vestris in Matrem specialem & Advocatam ante mortem, & salutate eam Angelicâ salutatione frequenter, quia hanc vocem audit valdè libenter. Si malignus hostis vos tentat, & à laude DEI & Maria vos impedit, non curetis, nec laudare, nec orare cessetis, sed eò ardentiùs Mariam invocate, Mariam salutate, Mariam cogitate, Mariam nominate, Mariam honorate, Mariam semper glorificate, Mariæ vos inclinate, Mariæ vos commendate: cum Maria gaudete: cum Maria dolete: cum Maria laborate: cum Maria vigilate; cum Maria orate: cum Maria ambulate; cum Maria sedete: cum Maria IESVM quærite; cum Maria IESVM in ulnis portate: cum Maria & IESV in Nazareth habitate. Cum Maria in Hierusalem ite, cum Maria juxta Crucem IESV state; cum Maria IESVM plorate: cum Maria IESVM sepelite. Cum Maria & IESV resurgite; cum Maria & IESV cœlos ascendite; cum Maria & IESV vivere & mori desiderate.*

M. Nomine invocato, omnia gravamina aut recedunt, aut leviora fiunt.

B. V. Angelicam salut. audit libenter.

Cum M. actiones omnes auspicandæ, ac terminandæ.

Desiderandum cum IESV & M. vivere, ac mori.

158. Porrò si hanc IESV & Mariæ Matris ejus in vita, & in morte habere cupimus societatem, familiaritatem,

piamque conversationem, eorum sanctissimam vitam, moresque pientissimos nos imitari oportebit; agendumque omninò id, quo B. Petrus Cardin. Damiani cuidam Religioso Viro perfectionis studioso, Opusculo 49. cap. 7. cum illo Magno Antonio faciendum suadebat. Illius verba sunt hæc: Negligentes, negligenter aspice, studiosos autem circa animam suam, ac vigiles, vigilanter attende. Illud siquidem, ne aliena mala curiosè dijudices: hoc autem ut temetipsum ad bonorum exemplar, æmulatione Sanctæ imitationis informes. Propone igitur tibi aliquos egregios fratres, quorum recta vestigia tuto valeas imitari, & ut faciliùs valeas aspirare, exemplum tibi de veteribus dabo.

Exempla perfectorum Virorum imitanda.

Heracleotes Zeuxis, magno à Crotoniatis conductus est precio, ut Dianæ Simulachrum insigne depingeret, & ejus imaginem ad probatissimam suæ artis industriam, sine comparatione formaret. Poposcit autem omnes Vrbis Virgines in uno spectaculo colligi, ut futuri elegantiam operis, ex earum posset specie mutuari. Sed quia pudicas & honestas Virgines in publicum prodire fas non erat, earum fratres ducti sunt ad palæstram, ut ex eorum pictor decore, colligeret, quid de Sororum venustiore pulchritudine judicaret. Sed quia Natura non omnes uni pulchritudinis dotes attribuit, ut quod uni membro prærogat, alij sæpè demat, eoque fit, ut unum idemque hominis corpus, quod hic formositate præeminet, illic deformitate laboret, ex omni illo puerorum examine, quinque duntaxat Pictor elegit, quos ad compilandam cujusque pulchritudinis elegantiam præ oculis habuit. Quorsum hæc? Nimirum & tu, ex pluribus paucos eligas, ad quorum normam interioris hominis pulchritudinem effigiare contendas. Sicut enim ille, ab alio relucentes oculos, ab alio subductas aures, ab hoc denique lacteas, ac rubore suffusas mutuatus est genas: ita etiam tu, ab alio promptam obedientiam, ab alio ferventissimam charitatem, ab isto pernoctationis excubias, ab illo diuturni silentij disce censuram, quatenus sicut ille diversorum corporum habitudines ad unius simulachri speciem transtulit: Sic & tu, ex varijs Sanctorum virorum virtutibus, unius in te veri Dei restaures Imaginem, ut

Zeuxis industria in Diana depingenda.

ad eundem postmodum fœliciter agnoscendum revertaris Auctorem. Hæc ille sanè sapienter.

159. Verùm sapientiùs longè consilium est illud, ut Iesvm, & Mariam lucidissima omnis perfectionis, ac sanctitatis specula, virtutes omnes, quibus vera animi pulchritudo continetur repræsentantia, nobis ob oculos proponamus, eorundemque internam animi formam, speciemque, tanquam alter Zeuxis identidem contemplemur, & absolutissimam illam ipsorum spiritualem venustatem, ex omnibus creaturis deceptã, & compendio admirabili in illos congestam in nobis exprimamus. Sic enim futurum est, ut magnis passibus in via Domini progrediamur, & elegantissimam puritatis omnis, ac sanctitatis Imaginem in mentibus nostris depingamus. Hæc nimirum voluisse visus est Religiosissimus, ac devotissimus, paulò ante memoratus Thomas à Kempis serm. 3. ad Novitios, cùm dixit: *Summi Magistri virtutis, & omnis sanctitatis Luminaria sunt IESVS, & MARIA, quos pro modulo tuæ parvitatis tibi anteponere debes, & tanquam præsentes intueri. His junge te, his familiarem, & devotum te exhibe. Vbicunque audieris aliquid de IESV, & MARIA recitari, ibi aurem diligenter accommoda, ibi moram diutius trahe, & quid ædificationis, & latentis insit dulcedinis pensa. Quotiescunque etiam ad opus Divinum, accesseris peragendum, vel quando ad laborem communem, sive privatum aliquem actum fueris evocatus, primum ad cœlos oculos leva, & IESVM & MARIAM specialiter invoca, & ipsorum perpetuæ custodiæ suppliciter te commenda. Offer te quoque beneplacito eorum in cunctis agendis, ut fiat actio tua DEO grata. Laus IESV suavis & pulchra; laus Mariæ amabilis & decora. Quantò frequentiùs in eorum laude te exercueris, tantò in amore plùs cresces, atque in devotionis gratia convalesces: Qui magni sunt, & valde devoti, laudent magnificè & devotè. Qui autem parum olei habent, etiam hoc ipsum libenter Filio Olei & Matri gratiæ sacrificent. Silendum quidem videtur propter excellentem gloriam & dignitatem magnifici germinis Matris Virginis, sed quoniam pusillos & peccatores Maria non spernit, misericorditer vociferationem tuam in cœtum laudantium admittet, siquidem ait Propheta: Pauper & inops laudabunt Nomen tuum. O si posses indefessis vocibus dulce Nomen IESV, & amantissimæ ejus Matris Virginis collaudare!*

IESV & M. virtutes moresque imitandi.

IESVS & M. summi Magistri virtutis, & sanctitatis Luminaria.

IESV & M. laudes libenter audiendæ.

Ante omnes actiones ad IESVM & M. mens dirigenda.

Quo quis magis in laudibus IESV & Mariæ se se exercuerit, eò magis in eorum amore crescet.

O quam

O quam bonum & jucundum est istis servire, qui nobis tam fideliter, quam humiliter servierunt.

160. Serviamus ergo & nos, juxta tanti Viri consilium Salvatori nostro benignissimo, ejusque Matri sacratissimæ, Nomen ejus ubique, toto corde, animitus, medullitusque extollendo, ac venerando hyperduliæ cultu excellentissimo, summoque affectu cordis desiderando, ut ab Ortu Solis, usque ad Occasum, à Meridie usque ad Septentrionem, Mariani Nominis præconia ab omnibus linguis, gentibus, populis, ætatibus, summis, medijs, infimis decantentur. Proinde invitemus omnes cum S. Bonavent. Ps. 28. *Afferte Domina nostra Filij DEI, afferte Domina nostra laudem, ac reverentiam. Laudate pueri Matrem DEI, glorificate senes Nomen ejus.* Ps. 112.

NomenM. cœli aërisq; haustus atque respiratio

Ita deniq; assiduè nobis Virgineũ Nomen hoc in ore versetur, ut illud nobis vitalis respiratio esse videatur, proindè dicamus illi ingenuè cum S. German. Patriar. Const. Orat. de Dormit. B. V. *Non tantùm cœli haustu animæ nostræ respirant, quantum Nominis tui protectione confirmamur.*

M. beneficia, quemadmodum & ipsius Dei, omnibus momentis recolenda, ejusque Nomen benedicendum.

161. Quare quod D. Ambrosius libro de conditione humanæ Naturæ c. 2. piè admodum pronunciavit: Sicut non potest esse momentum, quo homo non utatur, vel fruatur DEI bonitate & misericordia, ita nullum debet esse momentum, quo præsentem eum non habeat in memoria; Idem sentiendum de summa, summi æternique Boni Parente optima, de Matre misericordiæ pientissima, quæ in Divina essentia veluti voluntario Speculo, ut loquitur Concilium Senonense, necessitates nostras, miseriasque tam particulares, quàm universales totius Ecclesiæ assiduè contemplans, horis, ac momentis singulis, nobis subvenit, sibique ingenitâ pietate, bonitatis suæ, gratiarumque communicatione eas tollit, suaque protectione, fidelissimoque patrocinio nos contra omnes adversitates tutatur. Vnde ne abominandum ingrati animi vitium incurramus, momentis singulis Nomen ejus sacratissimum, magno pietatis affectu benedicendum, ac glorificandum, perpetuaque memoria gratissimè recolendum, est adeò, ut non toties respiremus, quoties Mariæ meminerimus.

MEDITATIO VII.



Quam admirabile est Virgo DEIpara Nomen tuum in universa terra! O quam Divinum, ò quam Sanctum, quam Omnipotens, quã ineffabile est nõ modò hominum, sed & Angelorum linguis! O Nomen vita & spiraculum cordis! O Nomen dulcedo & suavitas animæ meæ! O quam præclarè tibi cecinit tuus devotissimus Servus Bonaventura. *Beatus Vir, qui diligit Nomen tuum Maria Virgo; gratia tua animam illius confortabit, tanquam aquarum fontibus irrigatam, uberem in eo fructum justitiæ propagabit.*

Beatus est qui diligit NomenM.

NomenM. flumen irrigans civitatem Dei & Paradisum.

Nomen enim hoc tuum ò Virgo, est velut flumen illud, cujus impetus lætificat Civitatem DEI; est Puteus aquarum viventium; est Fluvius ille de loco voluptatis egrediens ad irrigandum Ecclesiæ Paradisum. Hæc omnia nobis est Nomen tuum, ò MARIA. Cùm enim illius suavissimam memoriam recolimus, occurris tu ipsa Virgo incomparabilis, occurris mentis meæ oculis, velut Ancilla DEI humilis: Occurris ut stilla maris, in oculis quidem tuis, ob profundissimam, quâ polles humilitatem; at verò in oculis DEI, ut sublimis, atque excelsa cœlorum Domina, ac Regina; Occurris ut Oceanus, & mare quoddam immensum gratiarum, atque charismatum omnium Sanctorum, quorum privilegia, & cœli favores, velut multiplicia flumina, in te intrârunt, teque omnibus bonis cœlestibus redundantem effecerunt. Occurris ut Domina potentissima, ut cœli terræque, ut hominum atque Angelorum creaturarumque omnium, hac rerum universitate contentarum Coronata Regina, ubique Dominium tuum usque ad profundum Inferni in hostes illos humani generis atrocissimos, tenebrarum Principes exercens, ac potestate tuâ coërcens, ne tyrannide suâ, fidelium animas opprimant, inquè suam servitutem redigant. Occurris ò Virgo Sanctissima velut maris hujus mundi tempestuosi Stella fœlicissima, ac lucidissima, occurris ut sydus à Sole sempiterno Iustitiæ illuminatum, ac Illuminans, tenebrasque plusquam cimmerias è mentibus mortalium eliminans. Occurris ut Virgo pulcherrima, Divinâ quâdam, & mentis & corporis venustate conspicuâ, occurris virtutib' præclarissi-

M. Nomen invocatũ diverso Schemate eam nobis repræsentat.

rissimis velut preciosissimis monilibus, ita exornata, ut omnes in amorem tuum castissimum accendas, simulque corda te cõtemplantium suaviter ad te rapias. Occurris ut DEI Altissimi Mater benignissima Fructum illum dulcissimum ventris tui ulnis bajulans, liberaliterque omnibus, effusissimâ tuâ pietate, illum quasi offerens. Occurris ut Mater misericordiæ expanso ad omnes, præsertim peccatores, amplissimo tuæ pietatis sinu amplectendos, ac confovendos. Occurris denique cum te, Mater mea dulcissima nomino (quod tuus Bernardus de dilectissimi tui Filij Nomine Serm. 15. in Cantic. pronunciavit: *Cùm nomino*, inquiens, *IESVM, hominem mihi propono mitem, humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni sanctitate conspicuum, eundemq; ipsum Deum Omnipotentem, qui suo me exemplo sanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia mihi sonant, cùm insonuerit IESVS. Sumo ergo mihi exempla de homine, & auxilium à potente*) occurris, inquam, cùm te invoco, mihiq; ob oculos propono, occurris ut Virgo mitis, corde humilis, benigna, pudica, casta, misericors, & omni sanctitate conspicua, occurris velut Domina, & DEI Mater potentissima, quæ suo me exemplo erudiat, simulque roboret auxilio. Hæc omnia mihi sonant, cum auribus meis insonuerit MARIA; Sumam igitur mihi exemplum virtutis omnis, à Virgine humanitatis nostræ consorte, & adjutorium in tentationibus à DEI Parente Dominaque contra Tartareos hostes potentissima. O miram Divinæ pietatis circa nos dignationem, ò ineffabilem charitatem! Satis esse non videbatur Salvatori, Nomen suum dulcissimum nobis donasse, in eoque velut in lucidissimo speculo suas virtutes admirabiles, quas imitaremur, unà cum Divinitate Omnipotentiaque suâ, quâ ab Infernalibus inimicis defenderemur, repræsentasse, donare etiam Nomen MARIÆ Matris suæ Sanctissimæ nobis voluit, ut in eo velut purissimo crystallo nos identidem inspicientes, in virtutibus omnibus, puritate præsertim, ac castimonia, majores in dies faceremus progressus; in eoque Nomine potentissimo, tanquam in turri munitissima fortissimoq; propugnaculo contra Dœmones protectionem tutissimam reperiremus.

Nomen Iesu quid nobis repræsentet?

M. Nomẽ repræsentat nobis Virginem omnibus virtutibus conspicuã

Cùm ergo in hoc tuo Nomine, quod ab ore Divino Sanctissimæ Trinitatis, Angelique Gabrielis processit, te mihi velut Stellam maris Virgo benignissima in naufragoso, ac procelloso hujus sæculi pelago exhibeas, affulgesce menti meæ, & faciei tuæ serenissimæ splendoribus animum meum collustra, ut hâc luce prævia, ad æternæ beatitudinis portum pervenire valeam. Cùm etiam in hoc tuo Nomine te Virgo Sanctissima, videam esse mare quoddam, ac Oceanum perfectionis omnis spatiosissimũ, abyssum gratiæ, ac sanctitatis profundissimam, obsecro te, ut de tanta tantorum donorum supereffluentia cũ servulo tuo participes; & siquidem in te tot fontes charismatum influxerunt, rogo ut in me vel unicam derives venulam, quâ anima mea irrigata, flores virtutum, fructusq; bonorum operum tibi gratissimos germinare valeat. Domina es, & cœli terræq; Regina potentissima, infinitæ cujusdam potẽtię, quia potentissimus ille Dominus, cujus magnitudinis non est finis, fuit semp tecũ, unde cùm omnia possis, poteris etiam de tanta donorum tuorũ affluentia, atq; exuberantia mecum cõmunicare, meq; tuum servum, tuũ mancipium efficere, obsequijs tuis omnibus, æternum mancipatum, ac devotũ. Hoc unicum à te peto, hoc unicum enixissimè postulo, ut me omni mea libertate, quâ in vitia & effectûs tibi, tuoq; Filio contrarios feror, atque inclinor, me privare, ac spoliare, & sanctâ illâ servorum, ac mancipiorum tuorum servitute, quæ vera nobilitas est, ac libertas, donare non dedigneris. O si corpus hoc cum membris, ac sensibus omnibus; O si os, linguam, ac vocem; O si animam hanc, cum potentijs, memoriæ, intellectus, ac voluntatis ad Nomen tuum æternum benedicendum, ac glorificandum possem impendere! O quis mihi senas illas Seraphinorum det alas, illos multiplices Cherubinorum oculos, quibus dignitatem hujuscé Nominis eminentissimam contemplans, tantô illius amore succendar, ut toto terrarum Orbe ad ejusdem propagandam gloriam volitare desiderem! Tanta enim sunt, tamque effusa tua in me Virgo beneficia, ut etiamsi me totum quantus sum in corpore, animoque tibi dedicem, ac consecrem, nil dignum tantis tuis in me meritis me fecisse videar. Vnde coram oculis tuæ Majestatis, velut Servus inutilis,

M. Nomẽ Mare est gratiarum omnium.

In Nominis Mariæ laudibus contemplandis optandi mille Cherubinorũ oculi, & Senæ Seraphinorum alæ.

lis, ô Regina cœlorum, consistens, partim radijs tuæ Sanctitatis, ac Divinitatis perstrictus, partim confusione, ac rubore suffusus, quod Nomen tuum hoc Sanctissimum, dignè deprædicare, illudque eo, quo par est, affectu prosequi nequeam, cum Seraphicis illis Spiritibus os, faciem, ac mentis oculos, pedumque affectus velo, ac contego, ardentissimè cupiens, illud imis cordis mei medullis, ac visceribus, velut signaculum, velut characterem exculpi; quo fœliciter insignitus, ac notatus, verus tuus servus mancipiumque dignoscar. O quis mihi det, Mater mea pientissima, ut memoria mea hujuscé tui Nominis promptuarium efficiatur, ut verè possim dicere: *Memor fui MARIÆ & delectatus sum!* O quis mihi det, ut Nomen hoc tuum intellectus mei, unicum post DEUM circa quod assiduè versetur, sit objectum, ac scopus, arcana ejus, cognitione dignissima, contemplando Mysteria! O quis mihi det, ut Nomen hoc suavissimum unicum, meæ voluntatis post DEUM sit bonum, unicus finis, unicũ centrum in quo quiescam, unicus amor, quo totus vehemẽtissimè accẽsus, exclamare possim, cum tuo Seraphino Ps. 38. *Dulcore tuo liquefactum est cor meum, amore tuo inflammata sunt viscera mea.* Quare Virgo benignissima, atque optima per hoc Nomen tuum Sacratissimum, quod tibi in tua fœlicissima Nativitate fuit Divinitus inditum, te oro, atque obsecro, ut mihi amorem hujuscé suavissimi Nominis instilles, quo totus ardens, illud assiduè laudem, ac benedicam, illiusque gloriam ubique deprædicem. O si animitus cum eodem tuo Seraphino dicere possem: Psal. 40. *Te cupit os meum collaudare, te affectat mens mea affectuosissimè venerari: te desiderat anima mea exorare, quia tuæ tuitioni & protectioni se commendat tota substantia mea. Memento nostri Domina in beneplacito tuo, & fac nos dignos glorificandi Nomen tuum.*

M. Nomẽ dignum quod sit objectum humani intellectus & affectus

Da igitur mihi ô Virgo purissima, quæ forceps & calculus es ignitus, quo labia Isaiæ mandata sunt, da mentis animique puritatem, da oris, cordisque mundiciam, ut Nomen hoc tuum Sacratissimũ dignè, mente animoq; recolere, dignè ore sæpiùs pronunciare, ac denique corde ardentissimo amare atque amplecti valeam. Novi enim Nomen hoc, post illud Filij esse mortalibus bonorum omnium complementum. Quemadmodum enim tua beatissima Nativitas gaudium, fœlicitatem atque omne bonum peperit mundo, sic etiam tuum Sacrosanctum dulcissimumque Nomen, quod nobis immensa maria atque Oceanos quosdam amplissimos gratiarum donorumque cœlestium, cœlum quoddam luce, ac syderibus ornatissimum, Paradisum denique suavissimis virtutum floribus amœnissimum fragrantissimumque repræsentat.

Mente, ore & corde puro M. Nomẽ colendum

M. Nomẽ Mare bonorũ omnium continet.

M. Nomẽ cœlum luce Syderibusq; ornatum dũ nos illuminat.

Quare meritò Nativitatem hanc tuã quæ nobis tantum bonum attulit, considerando cum tuo devoto Iusto Landspergio libet exclamare Theoria 9. Ab æterno, & in æternum benedicta sit, ò nobilissima Virginum, Nativitas tua, optata sæculis, expectata gentibus, jucundissima omnibus, in qua tuo gloriosissimo videlicet Nomine, quod lucem Stellamq; sonat nova lux mundo oriri visa est, gaudium & tripudium universis terris. Hæc est illa Nativitas quæ gaudium Angelis, Deo gloriam, universoq; mundo lætitiam dedit, & benedictionem. Transierunt multa sæcula, quibus damnationis grassabatur immanitas in filios hominum, semperque in deterius roborabatur, nec in massa universæ carnis viam summa Sapientia invenit, quã tam luctuosæ perditioni, uti statuerat subveniret, donec ad te, ò fœlicissima, ac electissima, quam laudare gestit anima mea, ventum est. Quæ mox ut in mundum per humanæ generationis lineam venisti, tantâ mox omnis boni copiâ, tantâ virtutum varietate per ipsum ornata resplenduisti, ut per se summa Sapientia, non solùm primorum hominum peccata delere, verùm etiam nostra propitiari, inimicum sui operis, Diabolum elidere, cœlestis Patriæ damna redintegrare, hominem è Paradiso terrestri ejectum, in cœlestem reducere disponeret. Benedictum sit igitur tuæ Nativitatis exordium; Benedictum sit etiam Sacrosanctum Nomen tuum quod in illa sortiri promerita es. Hoc enim tuo Beatissimo Nomine, hac tuâ benè ominatâ Nativitate, nostræ captivitatis liberatio originem habuit. Benedictus sit DEUS Pater qui te nobis destinavit. Benedictus sit DEI Filius, qui te sibi in Matrem adoptavit. Benedictus sit Spiritus Sanctus, qui te sanctificavit. Benedictus sit Parens uterque qui te

M. Nomẽ Paradisus suis virtutibus ceu floribus nos recreans.

Cum M. Nomine nova lux mundo exorta.

Quanta fœlicitas ex Mariæ Nativitate, ac Nomine mũdo exorta.

SS. Trinitas in Nativitate M. benedicenda.

mundo in Salutem generavit. Eja ergo ò tu omnium creaturarum dignissima salve, quæ progrederis velut Aurora consurgens, electa ut Sol, terribilis potestatibus tenebrarum ut castrorum acies ordinata. Nobis denique omnibus, ut Stella matutina rutilans, & diem salutis prænuncians desideratissima advenisti. Salve ò benedicta, expectata, & millies optata Patribus salve. Beati oculi qui te viderunt, utpotè Puellam speciosissimam, & omnium oculis gratiosam, quam jure Dei altissimi Filius adamaret, cujus speciem & decorem speciosus præ filijs hominum concupisceret. O pulcherrima mulierum quæ formam vincis omnium illustrium!

Beati oculi qui M. Infantulam viderunt.

O Virgo singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis! O quam pulchra es Imperatrix cœlorum, quam Scrutator renum probat, quam Inspector cordium laudat, quam diligit Auctor pulchritudinis, cui testimonium perhibet Magister veritatis, cujus decorem mirantur Angeli, cujus pulchritudinem venerantur Sancti, cujus gloriam & benedictionem devoti contemplantur, ante cujus conspectum humana mens lætatur, ante quam Sathan fugit, & Infernus contremiscit. Pulchra denique es ò Domina, & macula non est in te. Impetra mihi à Filio tuo per augustissimum adorandumque Nomen tuum te obsecro, animæ pulchritudinem, conscientiæ puritatem, ut illi placeam qui me creavit, & nihil mihi extra illum placeat. Ipse solus sit mihi omnia in omnibus. Dignare me in obsequium tuum assumere ò Infantula fœlicissima. Impetra mihi talem puritatem & sanctimoniam, ut dignus fiam Matris Dei mei futuræ, esse bajulus. Neque enim nisi casta vis habere servitia, & ego immundus sum. Sed per te quæso Gratiosa, inveniam gratiam in oculis Dei, ut suâ pietate præveniat me, tecumque me renasci faciat, & me tibi, teque mihi donet: Quam per imitationem virtutum, & amorem castissimum in corde meo, velut in cunis jacentem, ubique & semper portem dulciter, simque parvulus & bajulus tuus sempiternus. Sentiam quoque in me benedicti tui Nominis virtutem, mentis videlicet, animique illuminationem, gratiarum fluenta, quę de te veluti mari scaturiunt, sentiam in mari hujus sæculi tuam, utpotè quæ Stella maris es, directionē, sentiam tuum, quæ Domina es Vniversi, suavissimum in me Dominium, ut tibi animitus dicere possim: Domina posside me. Sentiam denique in me nunc quod de te prædicatur, nempè miserationem tecum crevisse ab Infantia, & ab utero Matris tecum egressam. Miserere igitur miseræ animæ meæ, Mater misericordiæ, & libera me propter Nomen tuum de omnibus, ac præsertim animæ periculis in æternum.

Oratio ad impetrandam à M. V. conscientiæ puritatē, & ad dignum illi servitium exhibēdū.

Cum M. nata est misericordia.

Amen.

AVE MARIA.




DISCVR-



DISCVRSVS VIII.

Quod Virgo Deipara Divinarum personarum proprietates, atque attributa, & in primis Patris æterni Notionalem fœcunditatem in se repræsentet.

Domine DEVS virtutum quis similis tibi? Potens es Domine. *Psal. 88.*



I.

M. nova Pandora, quia donis perfectionibusque Divinis, ac humanis fuit exornata.

BEatus Thomas de Villanova Augustinianæ familiæ illustre Sidus serm. 2. de Annunc. internam potissimum Divæ Virginis nostræ pulchritudinem, ac perfectionem contemplans, Divæ illi, quæ ab omnium donorum multitudine Pandoræ, inter Deas nobilissimæ, atque celeberrimæ, Nomen invenit, eam conferre non dubitavit. Quemadmodum enim illa à Superis, varijs, ijsque pulcherrimis dotibus, à Mercurio nempè eloquentiâ; à Marte, fortitudine; à Pallade, Sapientiâ; à Venere, pulchritudine; ab Apolline, Musicâ, ita decorata fuisse memoratur, ut omnibus esset admirationi; Sic Virgo sanctissima à DEO ter Optimo Maximo omnium Angelorum, Sanctorumque, atque adeò universæ creaturæ venustate, ac perfectionibus; imò & SS. Trinitatis, quibusdam quasi splendoribus, ut Patris æterni fœcunditate, atque Omnipotentiâ; Filij Imagine, atque Sapientiâ; Spiritus S. bonitate, atque amore, alijsque attributis, quantum humanæ naturæ conditio patitur, dotata fuisse visa est. Quibus exornata donis, hæc nostra Pandora, ut verbis S. Viri utar, DEO non stupori, sed amori magis fuit: Placuit Virginitate, placuit puritate, placuit humilitate, placuit deniq; omnigenâ morum virtute. Eidem Pandoræ sacratissimam DEiparam Baptista Mantuanus lib. 1. Parthen. comparavit, dum ipsius immaculatam conceptionem, pulcherrimamque membrorumque omnium corporis symmetriam, aptitudinemque à Dijs quasi efformatam describeret, concinendo:

M. fuit à Patre æterno ornata fœcunditate, ac potentiâ; à Filio Sapientiâ; à Spiritu S. amore & bonitate.

Non tam multiplici Divorum munere, non tot,
Delicijs, non tam grato Pandora decore
Claruit, Ascræi cantu celebrata Poëtæ.

M. Opus sublime & excellens.

Quam ob causam eandem Virginem Opus sublime, & excellens, in quo expoliendo Natura, tot sæculorum myriadibus adlaborare visa est, eandem appellavit, dum ita cecinit:

Omne quod excelsū opus, & sublime futurū est
Difficiles ortus habet, incrementaq; tarda.

Prima virtus, in quâ B. V. se exercuit, fuit humilitas & gratitudo.

Eodem Pandoræ nomine indigitavit DEiparam Ioannes Bonifacius noster lib. 1. de Hist. Virginis cap. 7. ubi de primarijs ejus virtutibus agens, ita loquitur: *Prima Virtus, si Mechtildi credimus, in qua se Virgo rationis compos exercuit, Humilitas fuit, & actio gratiarum, quippè quæ tantis ornata donis, neq; se ulli hæc Divina Pandora prætulerit, & omnia DEO accepta retulerit, cum humilitate obedientiam sociavit, utramq; Charitatis administram esse voluit; quæ Charitas in Virgine quam altissimè se extulit, & reliquarum Virtutum Corona fuit.*

Charitas in B. V. reliquarū virtutum Corona.

2. Et verò hæc DEiparæ sacratissimæ, cùm Pandora, à Viris hiscè instituta comparatio, hujusmodi est, quæ nobis mirificè ponit ob oculos, quânam ratione Divinissimæ illæ Personæ minimè contentæ, quòd non modò creaturarū omniū, quin imò & suæ unicæ essentiæ pulchri-

chritudinem, ac perfectionem Dei Genitrici cômunicârint, verùm etiam quod suas quodammodo proprietates ei conferre non sint dedignatæ. Atq; ita factû, ut secû non vas aliquod, malis, miserijs, calamitatibusque refertum ceu Pandora illa fabulosa secum deferret, sed ipsa aureum vas quoddam varijs cœlestium virtutum distinctum gemmis, Divinâ potissimum fœlicitate, plenitudine gratiæ, bonisq; omnibus, humano generi, liberalitate effusissima communicandis, evaderet refertissimum.

Maria vas aureum, bonis omnibus refertum est effecta.

3. Virginem hanc nostram, Divinitatem in se velut in Imagine exprimentem, repræsentasse visa est etiam Dea illa Syria apud Lucianum (si tamen licitum miscere sacra profanis) sacris honoribus in sumptuosissimo, magnificentissimoque Templo ad instar veri Numinis adorata, quam ille *Deam multiformem*, quod aliqua ex parte Iunonem, ex alia Palladem, Dianam, siue Lunam referret, appellavit. Addit præterea quod in signum Divinitatis, lucidissimis radijs caput ejus obvallabant; & altera quidem manu Sceptrum, altera gestabat ignem. Hanc Deæ effigiem attentiùs considerans eruditissimus Causinus eam pro Symbolo Virginis nostræ, addita aptissima epigraphe: *Pro omnibus una;* posuit. Et jure sanè meritissimo. Si enim in Virgine beatissima communicationem quandam seu participationem cum Dijs quis desiderat, en vobis illam Divinæ Naturæ, imò & Personarum Patris, Filij, ac Spiritus Sancti, similitudinem referentem. Cupit quispiam radijs ipsius coronatum videre caput? Meminerit lucis illius, quâ post Incarnationem Verbi, in ejus utero peractam, facies illius velut Moysis radiavit. Meminerit illam mulierem esse amictam Sole, duodecim Stellis coronatam.

Maria, ut Dea Syria Multiformis.

Vna Maria post Deû nobis sufficit.

Hinc S. Bonav. in Psalt. Minori lucem hanc toto ore, oculisque Virginis mirificè emicuisse cecinit:

Ave Virgo cujus oris
De splendore Conditoris
Splendor clarè resplendescit,
Lucet corpus, cor clarescit.
Ave Virgo vincens Solem,
Cujus Infans terræ molem
Fundat, librat, & appendit,
Fines manu comprehendit.

Vultis in ejus manibus Sceptrum? Nomen ipsius in mentem revocate, eamque Dominam agnoscentes, cœlorum terrarumque omnium, atque adeò totius Vniversi Sceptra moderantem reperietis; cùm ipsa de se dicat Prov. 8. *Per me Reges regnant, per me Principes imperant.* Avetis in altera ejus manu ignem conspicere? Ardentissimam ejus, in Devm hominesque charitatem considerate, quâ tantoperè æstuabat, ut tota amoris flammis circumdata, tota quædam Sphæra ignea videretur, adeò ut Mantuanus lib. 3. Parthe. canere non sit veritus:

His superaddiderat Divina semina lucis,
Cœlestisq́, Pater totam lustraverat igne.

Et Sanctus Amadeus Episcopus Hom. 2 de laudibus Virginis. *Rubet ut Sphæra ignea, ut Regis purpura, ut coccus bis tinctus præferens amorem Dei & proximi.* Quod si Ignem illum dilectissimum ejus Filium ulnis ipsius, manibusque gestatum dixerimus, nil à ratione dissentiemur.

M. Charitas in Deû & proximum ardentissima.

M. Sphera ignea ob charitatem.

Ipse enim Infantulus, Devs ille fuit, de quo Moyses & Apostolus ait: *DEVS noster Ignis consumens est. Fuit ille DEVS, qui charitas est, ipse Divinus amor.* Ille denique qui dixit ad Discipulos: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?*

Iesus Filius Virgin. Ignis consumens.

4. Ob hanc in Virgine nostra tam multiformem gratiam, pulchritudinemque creaturarum omnium, atque ipsius etiam Creatoris, Divinarumque Personarum proprietates in ipsa delitescentes conferri etiam posset, Dearum pulcherrimæ, ac generosissimæ Dianæ, quam Seneca, *Hecatem triformem*, quod cœlo, terræ, Inferisque dominaretur, vocitavit. Vnde fortassis Sanctus Ignatius Martyr ob hanc Personarum Triados augustissimæ repræsentationem, *Monstrum Sacratissimum*, Dei param nuncupavit.

M. Hecate triformis ob cœli, terræ, Infernique Dominiû.

5. Ne igitur ampliùs tanquam quid impossibile inquirat David, an aliqua creatura cœlestis, super altitudinem nubiû elevata, uti sunt cœli, Stellæ, Sol, Luna, reliquique Planetæ, vel ipsa etiam Angelica Natura, Deo Vniversorum Conditori assimilari possit: *Quis,* inquiens, *in nubibus æquabitur Domino, aut similis erit DEO in Filij DEI?* Nec eandem replicet quæstionem, indagando in terris; an creatura aliqua Deo virtutum,

M. nil simile inter creaturas quæ in cœlo sût, etiam Angelicas.

ac

ac Vniversi totius Dominatori in virtutibus, in potentia reliquisque attributis similis reperiatur: *Domine*, inquiens, *DEVS virtutum quis similis tibi? Potens es Domine.* Nec desperabundus quodammodo, ac si creaturam hujusmodi DEO assimilatam impossibile sit invenire, dicat ampliùs: *Tu dominaris potestati maris, motum fluctuum ejus tu mitigas; tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.* Ecce tibi, ò David, Mariam Virginem gloriosissimam de Stirpe, tua velut rosam pulcherrimam, Veris, florumque Reginam purpuratam, de spinis germinantem, suavissimumque DEO, cœlitibus omnibus, ac mortalibus odorem exhalantem, en tibi vivam spirantemque DEI præpotentis imaginem, ac similitudinem; En Stellam, mari turbulento hujus sæculi ejusque potestati dominantem, ejusq; procellosos, indomitos, efferatosque motûs, ac fluctûs mitigantem Mariam.

M. Rosa Regina florum purpurata

En illam, suâ potentiâ penè infinita, ac Divina, humiliantem superbissimum Luciferum; en illam velut Heroinam, ac Imperatricem, cœlesti panopliâ virtutum, Divinarumque perfectionum armatam, Tartareum illum Draconem vulnerantem caputque execrabile conterentem, deque ipso, æterno Verbo in hominum redemptione cooperando, gloriosissimum triumphum reportantem.

B. V. cum Deo similitudo est analogica.

6. Quæ quidem DEIparæ cum DEO similitudo est analogica cum certa quadam proportione duntaxat; cùm fieri nequeat, ut pura creatura sive humana, sive Angelica, ob infinitam distantiam quæ inter creaturam Creatoremque inter Ens à se, perque Essentiam, & Ens per participationem intervenit, tantæ Majestati similis possit evadere.

Vnde Angelicus Doctor 1. P. q. 4. a. 3. ad 1. cùm quæsivisset: *Vtrum aliqua creatura possit similis esse DEO? Respondit similem esse non posse nisi secundùm aliqualem analogiam, & secundùm quod imitatur ipsum, prout contingit eum imitari, qui non perfectè imitabilis est.* Atque ita DEIpara Virgo sicut Divinam essentiam, ipsiusque attributa, ac perfectiones, sic etiam personales proprietates imitando, DEI similitudinem præ creaturis omnibus etiam Angelicis Divinitatis Throno vicinissimis ita in se expressit, ut nova quædam Trinitas (si ita loqui licitum est) in terris apparuisse videretur.

B. V. Divinas proprietates imitando Deo similis effecta.

7. Quod sanè minimè nobis est mirandum, cùm illam arte prorsus singulari, ac Divinâ, extremas suæ potentiæ, Sapientiæ, bonitatisque quodammodo exerendo vires, tota Trinitas sanctissima (cujus opera ad extra, juxta Theologorum commune pronunciatum, sunt indivisa) efformârit adeò perfectam, ut nulla creatura DEI Matre perfectior condi possit, ut Angelicus, ac Seraphicus Doctor sapientissimè docuêre. Vnde illam *totius Trinitatis nobile Triclinium* appellavêre. Virgo enim hæc beatissima unum ex illis operibus est præstantissimis, de quibus concinebat David Psalmo 103. *Lætabitur Dominus in operibus suis.* Vnde Rupertus Abbas lib. 3. in Cant. *Opera*, inquit, *in quibus lætabitur Pater, Filius & Spiritus Sanctus, esse Maternitatem Divinam, & Virginitatem Deiparæ. Hæc sunt egregia opera Trinitatis, hæc gratiora & pulchriora pijs operibus illius dicentis: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, Plasmantis de terra Adam, & Plasmantis de costa ejus Evam. Numquid enim non pulchriùs est, de utero Mulieris absq; viro, virum facere, quàm tunc de costa viri, mulierem fecisse? Illic enim, de viro mulier facta est, quæ perdat, hîc de Muliere Vir factus est, qui perdita salvet.* Sic Ruper. de eximia DEIparæ excellentia, quâ non modò Evam, verùm etiam omnes creaturas superavit.

M. Opus singulare, in quo lætatus est Dominus.

In Maria velut Opere pulchro lætatus est Dominus.

Vnde Divus Innocentius III. Pontifex Maximus, ut Opus DEI eminentissimum, ac prorsus Divinum DEIparam esse ostenderet, inter illam & Evam hanc pulcherrimam instituit antithesin ser. 3. de Assumpt. *Oportebat*, inquiens, *ut sicut per fœminam mors intravit in Orbem, ita per fœminam vita rediret in Orbem. Et ideò quod damnavit Eva, salvavit Maria, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Illa consensit Diabolo, & vetitum pomum comedit: ista credidit Angelo, & Filium promissum concepit. Ista concepit Filium ad salutem: Vocabis Nomen ejus IESVM, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Illa peperit in dolore: ista generavit in gaudio. Illa fuit de solo viro producta; quoniam ædificavit Dominus DEVS costam, quam tulerat de Adam in mulierem, sed produxit virum & fœminam. Hæc autem producta fuit de viro, & fœmina, sed solùm virum produxit. Quia novum fecit Dominus super terram, fœmina circumdedit Virum gremio uteri sui. Illa dicta est Eva: huic dictum est Ave, quia per hanc mutatum est No-*

M. & Evæ Antithesis.

men Eva. Illa fuit plena peccato: sed hæc plena gratia. Illa fuit maledicta in mulieribus; sed benedicta tu in mulieribus. Fructus ventris illius fuit maledictus Cain: sed fructus ventris hujus fuit benedictus IESVS. Hæc ille; Quibus sanè ostendit Deiparam opus longè excellentiùs extitisse, quàm Evam.

M. res omnes conditas dignitate superavit.

8. Quare præclarè S. Ioannes Damasc. Orat. 1. de Nativ. Virginem alloquens, ejúsque demirans excellentiam pronunciavit: *Sanè res omnes conditas dignitate antecelluisti; ex te enim sola summus ille Opifex partem assumpsit, hoc est, massæ nostra primitias. Caro ipsius, ex carne tua, & sanguis ex sanguine tuo.* Quibus ex verbis colligitur Deiparam non communem illam dumtaxat imaginem, similitudinemque Dei animabus à Creatore impressam, sed præter hanc, aliam longè excellentiorem ad Divinam Naturam moresque quam proximè imitatione accedentem fuisse sortitam, ut amorem superni Numinis sibi magis conciliaret; cùm morum similitudo, amoris conciliatrix esse consueverit. Vnde facilè crediderim ob hanc cum Sanctissima Trinitate similitudinem, illam ab Augustino: *Formam DEI;* à Beato Andrea Cretensi Episcopo: *à DEO sculptam statuam, & benè depictam, ac vivam primi Archetypi Imaginem;* à D. Ignatio Martyre: *Deiformem.* A D. Bernardo: *Veri Solis expressissimam Imaginem;* ab Idiota: *Visibilem Solis Iustitiæ Imaginem cum profusa plenitudine gratiarum,* in Contempl: B. V. c. 3. fuisse vocitatam.

M. Forma Dei: à Deo sculpta Statua: bene depicta, ac viva primi Archetypi Imago.

M. Solis Iustitiæ Imago.

M. in Annunciat. elevata fuit ad summam cum Deo propinq. tatem.

9. Divinam hanc porrò similitudinem Beatus Albertus Magnus super Missus, in Annunciatione adeptam Deiparam fuisse arbitratur. *In qua,* inquit ille, *Beatissima Virgo in substantia elevabatur ad summam propinquitatem cum DEO. Nisi enim eadem DEVS fieret, non potuit altiùs elevari, quàm quod esset Mater DEI. Ergo si substantia elevabatur ad summum, tunc & potentia & operatio in summum elevari debuerunt.* Idem propinquitatem hanc ad Divinam Naturam colligit ex ipsius Virginis Nomine. Maria enim præter alia, de quibus supra, significata, sonat, Illuminatam immediatè scilicet, à Fonte illo æterno omnis claritatis, ac luminis. *Nihil digniùs luce, vel nobiliùs, quia primo & principaliter Divina Natura, posteriùs Natura Angelica, ultimo corporea Natura comparatur. Porrò sicut in corporibus nil nobiliùs est luce corporali, in spiritualibus, luce spirituali; sic in summo nobilis est lux Naturæ Divina. DEVS enim lux est & in eo tenebræ non sunt ullæ. Vnde lux ad lucem illam immediatissima secundo loco erit nobilissima. Hæc autem erat B. Virgo, quæ non solùm ab hac luce, sicut Luna à Sole illuminata fuit, sed velut Aurora de se Solem produxit, quæ omnia illuminabilia illuminavit. Et sic per Naturam lucis exprimitur Beatissimæ Virginis dignitatis excellentia.* Sic ille.

B. V. nisi Deus fieret, non potuit altiùs elevari in Incarnatione.

Lux est creaturarum nobilissima.

M. illuminata ab æterna luce immediatè, & ex se velut Aurora Solẽ produxit.

Per lucẽ quã B. V. erat illuminata, exprimitur ejus excellentia.

10. Quemadmodum enim Divinæ Naturæ ex creaturarum pulchritudine deprehenditur excellentia: (*Inuisibilia enim DEI à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; ejus Virtus, & Diuinitas,* ait Apost. Rom. 1.) Sic quoque proportione quâdam ex lucis illius immediatissimæ à Divinitate emanantis nobilitate, incomparabilis Dei Matris dignitas deprehenditur. Et ex hac rursus animata Dei Imagine, ac similitudine, ipsius Trinitatis manibus elaborata, non tanquam è creaturarum vestigijs (quarum aliquæ, potentiam, aliquæ Sapientiam, aliæ bonitatem, aliaque atque alia Divina repræsentant attributa) sed velut ex vivo quodam Divinitatis simulacro, quod ipse supernus Artifex in amoris sui fornace conflavit, superexcellentem illam, ut eam vocat Dionys. Areop. agnoscemus Majestatem.

Ex Divina luce quã M. fuit illuminata, ejus dignitas dignoscitur.

M. Divinitatis Simulacrũ Dei manibus fusum.

Ex M. Dei Majestas agnoscitur.

11. Quam dignitatem in se agnoscens Virgo Deipara apud Salomonem Prov. 8. gloriabatur: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret.* Legunt alij ex Hebræo: *A sæculo Princeps inaugurata, aut initiata sum.* Ac si dicere voluisset: Cùm prima, ac principalis immediatè ipsi Deo, inde ab æternitate, à sæculorum exordijs assistens, tam innumeris Gratiæ donis exornata, constituta sim creatura, adhoc, ut ejus Divinam in me referrem similitudinem, jure merito me creaturarum omnium Principem inaugurari, atque initiari non est dedignatus. Alij verò legunt ex eodem textu: *A sæculo conflata sum;* quã lectionem paraphrasticè ad Dei sapientiam referens, sic reddidit Rabbi David, & quidem ad id, quod hic intendimus quam accommodatissimè: *A sæculo conflatilis in morem Imaginis, quasi per fusionem quandam, bonam in formam composita fui.* Verè bonam in formam summi illius æternique Boni, solâ Dei adminiculante gratiâ, non Natuta, per admirabilem quandam fusionem, donorumque omnium

M. prima creaturarum in Divina mente adstitit, & gratijs omnibus exornata facta est omnium Princeps.

M. effusione omnium gratiarũ Statua est ab ipso Deo fusa, ipsius Imaginem repræsentãs

nium cœlestium, charismatumque effusionem, conflatile quoddam Divinitatis Simulachrum composita fuit Virgo Deipara. Vnde quid mirum si in Imaginem Dei solâ opitulante Gratiâ fusa, ejusdem in se vivam, spirantemque repræsentârit similitudinem? Quare Cardinalis Halgrinus & Philippus Abbas singularem hanc perfectissimamque in illa Dei similitudinem contemplantes, non tam Annam, quàm ipsam Divinam Gratiam, Matrem ejus, ac Genitricem fuisse dixerunt, admoniti ipsius veridicâ Sponsi voce Cant. 8. *Vna est Columba mea, una est Matris suæ, electa Genitrici suæ. Vna est*, inquit Philippus, *Matri suæ, quia Mater Gratia, nec primam uisa est habere similem, nec secundam, non aliam, tantis uirtutum titulis honorauit.* Cardinalis verò in Virginem pijssimus ait dicere potuisse Virginem: *Gratia DEI sum id, quod sum.* Adeò totam illam in Virgine Dei similitudinem Divina Gratia sibi vendicârat.

Mariæ Mater, non tam Anna, quàm Divina fuit Gratia.

M. agnoscens se Filiam esse Gratiæ dicere poterat: Gratia Dei sum id, quod sum.

12. Hæc porro Dei similitudo in Deipara adeò perfecta, adeò omnibus penè numeris absoluta extitit, ut id de ea, quod de Imagine magnum Alexandrum repræsentante, exquisitissimâ Apellis illius famosissimi arte elaborata, dici posse videretur; duos nempè in mundo esse Alexandros; alterum Philippi, alterum Apellis: alterum Naturæ, alterum artis opus rarissimum. Et illum quidem Philippi esse insuperabilem, hunc verò Apellis inimitabilem: Illum vivum, spirantemque esse, hunc adeò vivum spirantemque videri, ut eum, solâ voce destitutum, intuentes crederent.

Apellis pictura Alexandrũ exprimẽs viva adeò, ut spirare videretur.

Duo Alexandri, alter Philippi, alter Apellis.

Tale quid sibi ferè persuaserat S. Areopagita Dionysius, cùm Virginem sanctissimam, velut animatum Simulacrum Divinam Imaginem repræsentans Hierosolymis contemplatus est. Credere jam illi erat proclivè nisi fidei vetuisset lumen, duo Numina pari Majestate, ac potentiâ mundum gubernare. Adeò perfectam supernus Artifex in Deipara expresserat sui similitudinem. Si enim Dei perfecta opera à Spiritu S. esse memorantur, hoc certè longè perfectissimum esse oportuit, quod velut Domicilium, suâ Majestate ad inhabitandum dignissimum præparârat.

Mariam S. Dionysius Deam quandam esse censuisset, nisi fide Christianâ esset prohibitus.

M. Opus perfectissimum, in quo Deus habitabat.

Vnde si Moyses, considerato hoc magnificentissimo mundi, cœli, terræque palatio adeò perfecto, ut nil ei vel addi, vel demi posse videretur, nõ ei epigraphem illam antiquorum, ut testatur Plinius in Præf. sui operis: *Apelles faciebat; Polycletus faciebat*; sed illam, tanti operis absolutissimam perfectionem consummationemque denotans: *DEVS creavit*; apposuit: multò sanè magis huic à Deo sculptæ sive fusæ Statuæ, operi omni ex parte consummatissimo; *DEVS creavit*; esset inscribendum; cùm Sapientissimus Idiota in contempl. B. V. cap. 4. sapientissimè pronunc âr it: *Inter omnia opera æterni Opificis, post operationem illam, quâ naturæ nostræ unitus est Filius tuus, speciale Opus fuisti, ò Beatissima Virgo Maria, qui ad hoc te fecit, vt quod de primo Opifico fuerat deformatum, per te reformaretur.* Deformata fuerat turpissimâ Superbiæ labe Angelica & humana Natura; unde condi singulari artificio debuit Virgo sanctissima, ut eis pristinam formam, ac pulchritudinem restitueret, essetque utriusque quoddam decus eximium, quoddam ornamentum singulare.

Mundi inscriptio: Deus creavit; perfectionem ipsius denotat.

M. Opus Dei speciale.

13. Quare præclarè ecstaticus Doctor Dionysius Richelius Deiparam longè admirabiliorem venustioremque totius Vniversi pulcherrimo hoc Opificio prædicavit lib. 1. de Præconio & Dignitat. Virg. cap. 30. *Quis DEVS magnus*, inquiens, *sicut DEVS noster? tu es DEVS qui facis mirabilia* Psal. 67. *Magnalia egisti, dum visibilia & invisibilia ex nihilo plasmasti, dum entium naturas distinxisti, & unumquodque aptissimè ordinasti atque locasti. Denique in cœlo & in terra mirabilia magna & inscrutabilia operatus agnosceris. Verumtamen non ampliùs est his species, neque decor, si ad ea quæ in charissima tua Filia operatus es, contemplemur. Neque enim tam admiranda est mundi creatio, quemadmodum DEI, quæ in ea, & ex ea, & per eam facta est Incarnatio; in qua multa miranda considerari queunt, ut puta infinitè distantium immediata unio; præsubsistentis Personæ vera generatio: Divinæ, ac Humanæ Naturæ hypostatica conjunctio: Infiniti circumscriptio, atque Æterni recens productio &c.* Capite verò 31. ut ostendat eximium quoddam excellentissimumque Supremi Artificis opus, in quo ejus principalia attributa, velut in Speculo enitescunt, esse Deiparam, hanc epigraphem illi capiti præfixit: *Quod pulchrum sit atque jucundum DEI Sapientiam, Bonitatem, atque Potentiam contemplari in Maria.* Tum prosequitur: *In omni operatione DEI*, inquiens, *hæc tria scire, velle, & posse relucent. In eo quippè quod rem de non esse ad esse tra-*

In creaturis non est species neque decor respectu pulchritudinis & perfectionis B.V.

Incarnatio in utero Virginis admirabilior quàm Mundi creatio.

In B. V. Sapientia Divina, Bonitas & Omnipotentia elucescit.

se traducit, manifestatur Potentia; in ordine verò Sapientia; in eo verò quod omnia propter semetipsum sine meritis ullius condidit, Bonitas resplendet. Sed in sublimi Virgine hæc pleniùs contemplari par est. Nempè nulla est in primis pura creatura, in qua ita uti in Maria hæc tria elucescunt. Bonitas namq; DEI in donis suis quæ gratuitò præstat, patenter innotescit, quoniam se communicare, ac diffundere boni proprietas est, ideòq; quo Divinitus sacræ Virgini plura gratiarum dona impertita sunt, eò utiq; DEI Bonitas lucidiùs in ea resplendet. Et quidem si universorum tam dona gratia, quàm naturæ perscrutemur, nullum comparabile illi comparebit. Cui enim creaturarum datum est Creatoris Parentem esse; cum æterno Patre eundem communemq; Filium habere, & hunc à quo Spiritus S. procedit, gignere; Mundi esse Salvatricem, Angelorum Dominam, cœlorum Reginam! O Dominator Altissime, quam verè bonus es, quam largus atq; benignus, qui creaturam tuam tibi sic vehementer conformasti, & te illi tam parem exhibuisti, qui illustrem istam Puellam nostram utiq; Virginem Matrem & Sororem tam Deiformiter sublimasti! DEI etiam Sapientia in Maria refulget in eo, quoniam per eam ordinatissimo prorsus processu, salvis temperatisq; æquitate atq; clementia, hominum est reparata fœlicitas. Concludit tandem Potentiam DEI in Deipara relucere, quod Tartareos hostes vicerit, ac triumphârit. Ex quibus omnibus intelligimus in Virgineo hoc Mundo fabricando atq; elaborando augustissimam Trinitatem attributorum suorum vires omnes exeruisse, Patrem suam Omnipotentiam, Filium Sapientiam, Spiritum Sanctum suam Bonitatem, quo Divinissimum Opus hoc omnibus numeris absolutissimum evaderet.

Divina Bonitas plurima dona B.V. impertiēdo mirificè resplēdet.

Nulli tot bona gratiæ communicata atq; B. V.

B.V. Deiformiter Divinâ Bonitate sublimata

Potentia Dei in B. V. elucet, quia per illam Dæmones superavit.

Quod agnoscens Doctor Seraphicus Bonav. in Psalt. Minori, ita illam salutavit:

Ave Virgo plena bonis,
Gratiarum dives donis
Opus DEI digitorum
Grande nimis & decorum.
Ave Virgo Decus rerum.

M. Opus Dei digitorum grande & decorum.

14. Qua in re id Divinissimæ illæ Personæ præstitisse visæ sunt, quod Plinius de eximijs illis Pictoribus Apelle & Protogene lib. 35. c. 10. commemoravit. Cùm enim hic Rhodi habitaret, & ab Apelle honoris gratiâ inviseretur, illo domi minimè reperto, cùm anus quædam, quæ tabulam magnæ amplitudinis, picturæ aptatam custodiebat, quis nam esset sciscitaretur, ut referre posset Protogeni à quo fuisset quæsitus. Respondit arrepto pennicillo; *Ab hoc*; simulque ut ait Plinius, *Lineam ex colore duxit summa tenuitatis per tabulam.* Quam ubi postea fuisset contemplatus Protogenes, dixit; Apellem venisse, non enim cadere in alium tam absolutum opus posse; simulq; alio colore tenuiorem lineam in ea ipsa duxit tabula, præcepitque abiens, si redijsset ille, ostenderet eam lineam, adijceretq; hunc esse quem quæreret. Atque ita planè evenit. Revertitur Apelles, sed vinci erubescens, tertio colore lineas intersecuit, nullum relinquens ampliùs subtilitati locum. *Placuitq;*, concludit Plinius, *sic eam tabulam posteris tradi, omnium quidem, sed Artificum præcipuè Miraculo*; additque; *in Cæsaris palatio tabulam illam avidè à se spectatam, spatiosiore amplitudine nihil aliud continentem, quàm lineas visum effugientes, inter egregia multorum opera inani similem, & eo ipso allicientem, omniq; opere nobiliorem.*

Apellis & Protogenis in lineis ducēdis concertatio.

Ex lineis Apelles & Protogenes agniti.

Tale quid in prægrandi hac Universi Tabula quodammodo Personæ illæ Divinissimæ, omnipotenti suâ manu, ac brachio, in creatione exhibuêre. Duxêre duas subtilissimas, easque pulcherrimas humanæ mentis captum, oculosque effugientes lineas, aliam aliâ subtiliorem, ac tenuiorem; Naturam nempè Angelicam, atque Humanam, in quibus elaborandis perficiendisque tam Gratia, quàm Natura, vires suas artemque universam adhibuisse visæ sunt. Tandem Trias beatissima, præpotenti suâ dexterâ, tertiam traxit lineam, duas illas intersecantem, adeò miræ subtilitatis, ac perfectionis, nullus, ut ampliùs subtilitati locus relinqueretur, essetque omnium miraculo. Et hæc fuit Deipara Virgo Sanctissima, Virgula nimirum de radice Iesse subtilissima, cujus admirandam subtilitatem, ac perfectionem tam Angeli, quàm reliqui contemplantes cœli cives stupore attoniti, tanto & Naturæ, & Gratiæ miraculo exclamârunt Cant. 3. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut Virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarij?* Quibus in verbis Beatus Petrus Card. Dam. serm. de Assumpt. Divinas Virgulæ hujus Virgineæ perfectiones advertens, postquam dixisset in sæculi vanitates vel descendere, vel cadere consuevisse mortales omnes, mox subtexuit: *Sola illa Mater, & Filia Creatoris*

Angelica Natura atque Humana lineæ sunt subtilissimæ superni Artificis manu ductæ.

M. Virgula de radice Iesse subtilissima duas lineas Angelicæ & Humanæ Naturæ intersecans.

M. Virgula fumi subtilissima cur?

nec

nec descendit, nec cecidit, sed de virtute in virtutem ascendens, consummatione virtutum vestita est. Virgula fumi recta est, subtilis, odorifera, & quantò magis in aëra extenditur, tantò ampliùs dilatatur. Sic Angelorum Regina recta est in sublimitate conversationis: Subtilis in Deitatis contemplatione, odorifera in virtutum opinione, unde currimus in odorem unguentorum suorum. Angusta in temporalibus, quia non erat ei locus in diversorio. In spiritualibus dilatata, quia adstitit Regina à dextris Domini. Sic Cardinalis.

B. V. Virgula recta sublimitate cõversationis.

B. V. Virgula subtilis contemplatione Deitatis.

15. Iure igitur Sanctissima Virgo Virgula subtilissima, ac perfectissima, utramque Naturam creatam subtilitate, ac perfectione excellere atque intersecare dici potest, siquidem in DEI Matrem electa, utriusque Naturæ ornamentis decorata, Angelicam etiam sibi sociasse Naturam visa est, adeò, ut non immeritò Sanctus Ignatius Martyr Antiochiæ Antistes Epistola 5. scribens ad Ioannem Apostolum pronunciàrit: *Nobis à fide dignis narratur; in Maria IESV humana Natura, Natura Sanctitatis Angelicæ sociatur.* Vnde quid mirum si utriusq; Naturæ eminentissimas perfectiones quasi flores complexa DEIPARA, dicatur à Tertulliano lib. adversus Valent. c. 12. *Simulacrum ex omnium creaturarum deflo- ratione constructum.* Quare in MARIÆ effformatione id edicere possumus, quod Emissenus Hom. 1. de Symbolo, ad tabulam alludens Zeuxis, qui Deam nescio quam picturus Agrigentinis, eorum inspexit speciosiores Virgines quemadmodum testatur Plin. lib. 35. c. 9. utquod in quacunque laudatissimum esset, pictura redderet: *De magnis*, inquit Emissenus, *eminentiora præsumpta sunt. Quomodo si aliquis pictor egregius, ex multarum pulchritudine personarum unam aliquam vellet coaptare, & exprimere personam, ex pluribus speciebus speciosa defloret, ac diversas vultuum gratias in unam faciem colligat, & de præcipuis præcipua eligat, & unam ex plurimis formam Artificis dispositione componat.* Talis pictor egregius, supernus ille Orbis extitit Artifex, de præcipuis Naturis illis, ac nobilissimis, Angelica videlicet, & humana, atq; adeò creaturarum omnium, præcipua, excellentissimas quæq; selegit, idque totum in unam Parentis suæ Sanctissimæ formam, manu æquè Magistrâ, atque artificiosâ contulit. Videre quis cupit hanc creaturarum in hac ornanda Virgine à DEO factam deflorationem?

In Maria Naturæ humanæ Natura Angelica est sociata

M. Simulacrum ex omnium creaturarum defloratione compositum.

Zeuxis Deam quandam picturus ex varijs Virginib. pulchritudinem decerpsit.

In Maria flore omnium creaturarum perfectionéq; Deus contulit.

Audiat devotissimum Virginis Idiotam, qui eam peramanter alloquens cap. 2. *Non defuit tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non scientia Prophetarum, non Zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia aut humilitas Virginum. In summa nullo genere vacasti virtutum, ò Virgo plusquam beata. Quodcunq; donum unquam alicui Sanctorum datum fuit, tibi non fuit negatum, sed omnium Sanctorum privilegia, omnia habes in te congesta. Nemo æqualis est tibi, nemo maior nisi DEVS, quia Spiritus Sanctus superveniens in te, & virtus Altissimi obumbrans tibi, quæ eras omnium virtutum ornamento prædecorata, pulchritudinem, puritatem, Sapientiam, & omnium virtutum gratiam adauxit & splendorem.* Ex quo præclarissimo nostræ Virginis elogio illud licet inferre, quod cùm nullam sibi æqualem creaturam, nullam superiorem habeat, nisi DEVM universorum Creatorem, omnesque Angelorum, Virorumque Sanctorum gratias, dona, charismata, ac privilegia in gradu longè excellẽtissimo sit complexa, & omnia in ea quantumvis perfectissima, obumbratione Spiritus Sancti novum augmentum, novum splendorem sint sortita, licet inquam inferre DEIPARAM hâc suâ perfectione Divinitati quodammodo communicasse, ejusque virtutes, atque operationes, Divinarum operationum, uti & ipsarum Personarũ Trinitatis fuisse æmulatrices.

In M. flos virtutum omnium, quæ repetiuntur in Angelis, reliquisq; Sanctis.

Nemo æqualis est Mariæ, nemo major nisi Deus.

Virtutes & operationes B. V. sunt perfectissimę, Divinarum æmulatrices.

16. Intelligere desiderat quispiam, quânam ratione DEIPARA Divinissimam illam Patris operationem ad intra, generationis sempiternæ fœcunditatem sit imitata? Recolat communem Theologorum cum Divo Thoma Doctrinam 1. Par. q. 37. ar. 1. & 2. quâ asseritur, Primam Sanctissimæ Trinitatis Personam suam essentiam ab æterno, cognitione comprehensiva contemplando, in eaq; creaturas omnes possibiles, immanenti fœcundissimi sui intellectûs actione, Verbum æternum producere, quod verissima est Patris similitudo, utpotè consubstantialis ejusdem Imago, seu ut loquitur Apostolus, *Splendor Paternæ gloriæ & figura substantiæ eius.* Quæ Filij productio sive emanatio, ex utero fœcundæ memoriæ, Sanctorum, seu Sanctis splendoribus circumdatæ, ante Luciferum, ab omni videlicet æternitate, verissima & est, & dicitur Generatio, quæ juxta Angelici Doctoris reliquorumq; Theologo-

Pater æternus essentiam suam contemplando, ab æterno generat Filium.

logorum definitionem art. 2. *Est origo viventis à vivente coniuncto in similitudinem Naturæ.* De hac apud Isaiam cap. 66. generatione ipse gloriari visus est Pater: *Numquid ego qui alios facio parere, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego qui cæteris generationem tribuo sterilis ero?* Quibus ex verbis Sancti Patres, ac Theologi non solùm Patrem æternum in filiorum adoptivorum generatione esse fœcundum, infinitâ suâ potentiâ Gratiæque energia infinitos populos, ac nationes ad fidem convertendo, verùm etiam Divino suo intellectu memoriaque esse fœcundum, Vnigenitum illum suum ab omni æternitate generando Filium, sibi consubstantialem, perque omnia quam simillimum. Vnde & ipse Filius de hac incomprehensibili nobilissimaque generatione gloriabatur Psal. 2. *Dominus dixit ad me; Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Generationis Divinæ definitio.

Pater æternus nō solùm fœcundus est in Filij, verùm etiam infidelium infinitorum generatione.

17. Hanc Patris æterni fœcunditatem, in dilectissimi sui generatione Filij imitari visa est Deipara nostra. Siquidem, ut nonnulli ascetici censuêre Patres Virgo rerum Divinarum contemplatione, & fortasse hujuscé sempiternæ ex Patre generationis, in spelunca Bethleemitica hærens defixa, intactâ mentis corporisque Virginitate purissimè, summaque exiliens animi lætitiâ, ac gaudio benedictum illum Virginei ventris sui, tot sæculis desideratum peperit Fructum. De hac cum Deo Patre generandi similitudine, & quâdam propinquitate qua ad ipsum proximè accedebat ipsa Virgo apud Salomonem Prov. 8. gloriari videbatur: *Cum eo eram*, inquiens, *cuncta componens*; seu ut legit Hebræus: *Propè* ipsum eram Nutritia, seu Nutrix, utique ejusdem illius Filij Patris æterni, quem uti communem cum Patre generavit, sic etiam eundem lacte suo purissimo nutrivit. Quæ gloria Virginis nostræ est prorsus ineffabilis, ac incomprehensibilis, ut meritò dixerit Sanctus Bernardus: *Ipsa est Virginis nostra gloria singularis; & excellens prærogativa Mariæ, quod Filium unum, eundemque cum Deo Patre meruit habere communem.* Sanctus verò Ioannes Damascenus Orat. 1. de Nativit. admirans quod Virgo nostra non solùm Dei Mater, sed & ejusdem Nutrix sit effecta extra se rapi videbatur. Postquam enim Virginem alloquens dixisset: *Caro ipsius* (nempè omnium Opificis) *ex carne tua, & sanguis ex sanguine tuo, & lac ex mammillis tuis suxit Deus, & labia tua Dei labijs unita sunt;* Mox exclamavit: *O miracula mentis captum atque orationis facultatem excedentia! Te rerum omnium Deus dignam prænoscens, amavit, amatam prædestinavit, extremisque temporibus in ortum produxit, Deique Matrem, suique Filij Verbi Nutritiam effecit.*

M. in generatione Filij Patrem æternum imitata.

M. in generatione Filij ad Patrem proximè accessit.

M. gloria singularis Filium cũ Patre æterno habere communem.

M. Nutritia, & Nutrix Filij Dei.

Quid porrò Deipara sibi meritorum ex hac Incarnati Verbi lactatione, ac nutritione comparârit, ostendit devotissimus Dionysius Carthusianus, Art. 5. in Cant. Dum *Vbera eius Deificata*, ac consecutivè *ipsam Virginem purissimam*, asseveravit: *Beatissima Vbera Divinissimæ Virginis prorsus Deificata sunt, ex contactu assiduo, & suxione oris adorandi Incarnati Verbi, eorumque fragrantia suavior fuit unguentis optimis.* Ide loco citato docet jugiter memores horũ castissimorum Vberum, quæ Deum lactaverunt, nos esse debere. *Nonné*, inqt, *suauissima sunt Vbera illa ad contemplandũ, quæ Regem gloriæ nutrierunt, quæ universæ fœcunditatis Fonti alimoniam influxerunt, quæ provisori cœli & terræ sustentaculum præbuerunt, & corpus illud dignissimum, quo sumus redempti sic alere, & ad incrementa perducere sunt electa. O pulcherrimi fontes ex quibus lactei rivi in os atque corpusculum adorandi Infantuli profluxerunt!*

Vbera B. V. quæ lactârunt Dei Filiũ Deificata, & suaviora unguẽtis optimis

18. Hanc Divinæ Maternitatis gloriam Sanctus Bernardinus Senensis Tom. 4. art. 4 cap. 2. expendens tam in Personis creatis, quàm increatis docet esse prorsus singularem, nec ulli alteri, quàm æterno Patri, & Virgini Matri ullo modo convenire posse: *Tanta est laus*, inquit, *quam ei tribuimus, cùm dicimus, Mater DEI, quod nec in personis creatis, Angelis vel hominibus, nec in personis increatis reperitur hæc incogitabilis dignitas, scilicet, quod habeat Dei Filium nisi in una Persona Divina, quæ est Patris, & una Persona humana, quæ est Matris. Insuper maiùs est hoc donum, quod sit Mater Dei, quàm quod sit Domina creaturarum Dei, vel universi, quia hoc dependet ab illo, sicut ramus à radice.*

Divina Maternitas seu Paternitas ĩ solo Patre & B.V. reperitur.

Maternitas Divina summum donum, ac dignitas.

19. Idem Pater Seraphicus Tom. 1. serm. 61. cap. 5. privilegium hoc Deiparæ, seu ut ipse vocat superexcellentiam, ait primam esse Stellam in ejus capite, ex duodecim illis, quibus eam dilectus Discipulus coronatam in sua Apocalypsi contemplatus est, additque superexcellentiam hanc nulli omninò nec Angelicæ, nec humanæ creaturæ, imò nec

Divina Maternitas est prima Stella in Diademate M.

nec Filio, nec Spiritui Sancto ampliùs communicari posse. Sed ipsa tanti Patris verba audiamus: *Sanè privilegium hoc isti soli Personæ ita concessum est, vt sicut impossibile est Personæ Filij, vel Personæ Spiritus Sancti generare DEVM, eò quod in eis non est Natura cum primitate fœcunditatis, nec intellectus fœcundus ad producendam Imaginem, sicut est in Patre. Vnde sicut impossibile est Patri aliud Verbum producere, eò quod Verbum genitum sit perfectissimum, & totam potentiam generandi exhausit in Patre: ita impossibile est mulierem aliam posse parere Deum, nisi per novam potentiam alicui à Deo collatam, quod certum est nunquam futurum. Potentia enim concipiendi, ac pariendi Deum, quæ humanæ Naturæ copulata fuit, prout dicimus Christum fuisse in lumbis Patrum, secundùm corpulentam substantiam descendit ab Adamo, usq; ad Virginem, fuitq; impossibile in aliqua muliere ad actum deduci, nisi in Mariam Virginem; quæ potentia per Nativitatem Christi ita exhausta est de Natura humana, vt quicunq; diceret Personam aliquam Divinam humanandam in aliquo secundùm corpulentam substantiam, esset hæreticus.*

Parere Dei Filiũ est privilegiũ nulli creaturæ ampliùs communicabile.

Hæc Bernardinus de singulari, ac prorsus incommunicabili Divinæ Maternitatis dignitate, quæ magis magisque elucescet, si singula quæ eam circumstant attentiùs expendantur.

20. Generat itaque ex suæ fœcundæ memoriæ utero Pater Filium absque Matre. Vnde à Mercurio Trismegisto in Pœmandro, DEUS Mas-fœmina appellatus est, non quasi uterque illi esset sexûs; sed quia in generatione Verbi solus fuerit operatus. Verba illius quia mysterijs plena, hic annotanda censui: *DEVS Mas-fœmina existens vita, & lumen genuit Verbum; quod alteram Mentem*, Spiritum Sanctum videlicet, *producit.*

Mercurij Trismegisti dictũ de Patre æterno.

Idem Pater ab Orpheo Matri-Pater eandem ob causam vocitatus est; ut testatur Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum.

Ætheris atq; Erebi, ponti, terræq; Tyrannus,
Terribilis tonitru, quassansq; palatia cœli
Dæmones, & quẽ horrent, timet, & quem turba (Deorũ,
Exitij expers Matri-Pater.

Genuit & Virgo Mater purissima eundem DEI Filium ex suo utero Virginali, absque Patre. Vnde Doctissimus Societatis nostræ Theologus Suarez Tom. 2. in 3. P. quæst. 32. sect. 2. cum S. Bonaventura, Scoto, & Gabriële, Deiparam activè ad conceptionem Filij concurrisse asserere non dubitavit.

B. V. etiã activè ad conceptionem Filij concurrit.

21. Eandem Divinæ generationis cum Patre similitudinem habuisse DEIparam insinuare visus est, Sanctus Petrus Chrysologus serm. 144. dum verba ille trutinaret Angeli: *Ecce concipies in utero: Propter reverentiam*, inquit ille, *dixisse suffecerat: Concipies; quod exaggerat, in utero; quid est? Vt conceptus esset veritas, non figura; vt partus esset proprietas, non imago, vt sit de Deo vero, Deus verus natus est, sic de vero conceptu veritas humani corporis nasceretur. In ortu Christi humani corporis iniuria sublata est, non natura, nec est creatura deleta, sed culpa damnata.* Ac si clariùs dicere Sanctus voluisset Antistes: Quemadmodum Pater æternus ex purissimo suo maximèque fœcundo memoriæ utero verum, ejusdem prorsus spiritualis substantiæ generat Filium: Sic Mater Sanctissima, ex utero suo Virginali verum ejusdem suæ substantiæ corporalis genuit Filium DEUM pariter & hominem.

Verus cõceptus est B. V. quia concepit in utero.

22. Generat Pater intactâ mentis Divinissimæ Virginitate, eò prorsus modo, ac longè adhuc perfectiori, quo Sol suum lumen caloremque producit. Vnde Divus Gregorius Nazianzenus Triadem Beatissimam Primam Virginem appellare non est veritus:

Prima Virgo est Trinitas.

Pater intactâ mentis Virgin. generat Filium.

Prima Trias Virgo, siquidẽ Patre natus anarcho
Filius est, nec enim Pater ortum traxit ab ullo
Vtpotè principium rerum & vitalis origo,
More nec humano generavit semine Natum.

Eandem Divinitatis agnoscens Virginitatem Sanctus Ambrosius Ser. 16. sapienter pronunciavit: *Quemadmodum Virgo Divinitas ediderat, ita eum & Virgo Maria generavit.* Hinc Beatus Albertus Magnus Tractat. super Missus; generationem temporalem Virginis, imaginem generationis æternæ fuisse asserere non dubitavit. *Vnde*, inquit, *sicut æterna est de uno manente incorrupto atq; indiviso, ita generatio temporalis debuit esse de una incorrupta, hoc est, de Virgine.* Et verò si homo Verbum mentis in suo intellectu dum efformat nullam patitur læsionem; & quâ tandem ratione pati posset Pater, qui actus est purissimus? Quo argumento Angelicus probat Doctor 3. P. q. 28. art. 1. convenientissimum fuisse ut DEI Filius nasceretur de Virgine. *Hoc enim*, inquit, *conveniens proprietati ipsius Filij missi, qui est Verbum Dei: Verbum autem*

B. V. Generatio fuit imago æternæ.

Generat. B. V. similis productioni Verbi mentis.

autem absq; omni corruptione cordis concipitur; quin imò cordis corruptio perfecti Verbi conceptionem non patitur. Quia ergo caro sic fuit à Verbo Dei assumpta, ut esset caro Verbi Dei, conveniens fuit vt etiam ipsa sine corruptione Matris conciperetur. Atque ita magna hæc Dei Parens æternum imitata Patrem, absque ulla corruptione, intacto prorsus Virginitatis manente sigillo Filium dilectissimum, cum æterno Parente communem purissimè generavit, ut cum Sedulio Poëta Christiano canit Ecclesia:

B.V. Patrē æternum in Filij generatione imitata.

Gaudia Matris habens cū Virginitatis honore.

23. Quod clarius nobis Beatus Andreas Ordinis Divi Augustini in M. S. libro de laudibus Beatæ Virginis cap. 3. ab Aloysio Novarino citatus explicuit, dum Vaticinium illud Isaiæ expenderet; *Ecce Virgo concipiet:* Vbi Filij Dei conceptionem simul, ac generationem in utero Virginali intellectus nostri conceptui, & Verbi Mentis productioni, & consequenter æterni Verbi generationi comparavit. *Ecce Virgo concipiet*, inquit Vir pientissimus, *hoc sanè dictum; concipiet; multum nos excitare debet ad considerandam Incarnationis illius formam. Siquidem concipere proprium mentis est, vt intelligeremus eadem synceritate Beatam Virginem Dei Filium concepisse, quâ ferunt mentem nostram intelligentia Verbum concipere.* Affert inde proprietates aliquas conceptus humanæ mentis, easdemque ingeniosè conceptui applicat Virginali. *Primum*, inquiens, *Verbum mentis in nobis absq; ulla læsione concipitur, non enim aut frangitur, aut minuitur mens intelligendo: Ita sanè Beatissima Virgo nullam fracturam aut læsionem in concipiendo Dei Filio sensit. Secundò, in nobis Verbum mentis, absq; macula concipitur; non inquinatur enim mens, etiam dum res sordidas intelligit, atq; apprehendit, sed cùm desiderat: Sic in Virgine Verbum caro factum est tam mundè, tam sanctè, vt ibi nulla posset macula cogitari. Tertiò, in luce concipitur Verbum; mens enim intelligendo illustratur: Quantum verò lucis B. V. accepit, ingrediente Deo, vt faceret eam Thalamum Paradisi? Vnde Propheta: Oriens Nomen eius* Zach. 6.

Concept. Filij Dei in utero V. similis conceptui intellect.

B.V. absq; læsione, absq; macula, magnâ perfusâ luce concepit Dei Filiū.

24. Generavit igitur Virgo Deipara ad instar humanæ mentis, generavit ad instar intellectionis Patris æterni ejus in se mirificè exprimendo similitudinem, generavit absque læsione salvâ integritate Virginali, generavit absque macula, generavit admirabili perfusâ cœlesti luce, Solem Orientem Iustitiæ vera Aurora producendo, ita ut tunc vel maximè Mulier amicta Sole dici posse videretur. Generavit, ut Stella profundit lumen, ac radium. Vnde Divus Bernard. ser. 2. super Missus est: *Ipsa*, inquit, *nempè Virgo aptissimè syderi comparatur. Quia sicut sine sui corruptione sidus emittit radium, sic absq; sui læsione Virgo parturit Filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa Stella, ex Iacob orta, cuius radius universum Orbem illuminat, &c.* Generavit denique ut Aurora gemmeum stillare rorem consuevit. Hinc ubi vulgatus Interpres legit; *Ante Luciferum genuit te*, Psal. 109. Legit Hebræus: *Ex utero Auroræ ros nativitatis tuæ.* Vbi Deiparam Auroræ pulcherrimæ, Filium verò fœcundissimo Rori contulit, quo sterilescens Orbis, ad instar solitudinis cujuspiam, ac deserti, flore vario diversarum virtutum, fructibusque bonorum operum fœcundatus est, ita ut meritò vaticinatus longè ante sit Isaias capite 35. *Lætabitur deserta & innia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.*

B.V. genuit Filiū, ut Stella, vel Sol radium.

B.V. generavit Filiū ut Aurora rorem.

25. Generat Pater æternus ad instar Vitis illius quam Pharaonis pincerna in somnis conspicatus est Gen. 40. v. 9. *Videbam*, inquiens, *coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores uvas maturescere.* Hinc Magnus Areopagita Dionysius cap. 2. de Div. Nom. Divinarum Personarum processiones florum germinationi, atque productioni comparavit: *Accepimus*, inquiens, *à sacris eloquijs, Patrem quidem esse fontanam, ut ita dixerim, Deitatem, Filium verò Spiritumq; fœcunda Deitatis, si modò ita licet loqui, Germina Divinitùs pullulantia, & quasi flores, & supersubstantialia lumina; Sed quâ ratione hæc fiant nec intelligere possumus.* Generat & Virgo suum Vnigenitum, ad instar Vitis fœcundissimæ & abundantissimæ, de qua sine dubio Incarnato Verbo canebat David: *Vxor tua sicut vitis abundans.* Vnde & ipsa Virgo in persona Incarnatæ Sapientiæ gloriabatur apud Eccli. 24. *Ego quasi Vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis.* Quæ verba Guerricus Abbas in Virginem pijssimus sic eandem explanantem introducit ser. 1. de Nativitate Beatæ Virginis. *Partus quidem meus non habet exem-*

Generatio Patris similis viti.

Divinarū Personarum productio similis florum germini.

B. V. Vitis germinās in generatione Filij.

Partus B. V. sine exemplo.

Odor Virtus est Filius Virginis.

exemplum in sexu mulierum, sed habet similitudinem in naturis rerum. Quæris quomodo Virginitas genuit Salvatorem? sicut flos vitis, odorem: Si corruptum inveneris florem, pro eo quod dedit odorem, violatum crede pudorem, quia edidit Salvatorem. Quid potes calumniari in proprietate similitudinis? Quid enim est aliud Virginitas, quàm flos inviolati corporis? Quid aliud est Filius Virginitatis, quam suavitas odoris? Quare Chrysippus Presb. Hierosol. in Vite Virginem Deum generantem agnoscens, magno pietatis sensu eam sic est veneratus: *Ave*, inquiens, *Vitis pulchras uvas producens.* De hac uva sive Botro Vitis nostra, in persona Sponsæ Cant. 1. læta concinebat: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Hinc S. Andreas Hierosol. Antistes serm. de Angelica salut. Angelum Virgini sciscitanti: *Quomodo fiet istud?* ita respondentem introducit: *Cogita quomodo Virga floruit, quomodo aquam Petra ediderit. Vnde nam ipsa fuit gravida?* Hinc B. Andreas Augustinianus loco citato inter reliqua Deiparæ elogia illud posuit non vulgare: *Tu Petra quæ fudit aquas in solitudine.*

B.V. generans Filiũ est Petra fundens aquas in solitudine

26. Eandem Conceptionem, ac Generationem Dei Filij, tam temporalem ex Matre, quàm æternam ex Patre, florum productioni contulit Albertus verè, & nomine Magnus eodem Tractatu, ubi causam investigans, ob quam æterni Patris Vnigena in Civitate Nazareth fuerit conceptus, docet ideò ibi concipi debuisse, quia cùm Christi Generatio, ex Virgine in tempore, & ex Patre in æternitate, velut amœnissimi suavissimique floris fuerit germen, atque productio, meritò in Nazareth, quæ vox florem significat, fieri debuit: *Sicut Divinæ generationi*, inquit ille, *ita & humana generatio florum, de flore assimilatur. Flos enim pullulat de uno germine in decore, & odore, cum spe utilitatis in fructu. Similiter Filius secundùm Divinam generationem procedit de uno, qui est in cœlis, sine Matre, & secundùm humanam generationem, de una in terris sine Patre. Benè ergo in Nazareth conceptus fuit, quia sicut flos de flore sine virili commixtione de sua Matre, salvo Virginitatis decore, & Matris utilitate processit. Vnde Bernardus: Semina Divinæ generationis esse videntur allocutiones & promissiones factæ ad Patres. Floruit ergo hoc semen mirabiliùs, quæ sunt ostensa in exitu Israël de Ægypto; Conceptio autem ista hujus seminis, & horum florum fructus est IESVS incarnatus. In Nazareth ergo annunciatur Christus nasciturus, quia in flore spiritualiter speratur fructus processurus. Nomen ergo Civitatis, in qua concipit & statum temporis & finem operis ad quem venit, indicat. Cùm enim Christus in Nazareth concipitur, hyems transijt, tempus innovationis advenit, fructus appropinquavit, omnibus semen exhibuit, medicinam confecit, sensum refecit, coronandis pauperibus venit. Hæ sunt florum proprietates, propter quas congruebat Christum in Nazareth concipi.* Hactenus Albertus.

Generatio Verbi in Nazareth meritò facta, quia ut flos processit ex Virgine.

Christus tanquam flos in Nazareth ortus.

27. Florem porrò esse Christum in uteri Virginalis Horto concluso, absq; ulla cultoris opera enatum, clarum est ut ipse Cant. 2. testatur; *Ego Flos campi & Lilium convallium.* Quæ verba Venerabilis Dionys. Richelius Art. 8. in Cant. expendens attentiùs: *Christus*, inquit, *est Flos campi, Filius Virginis hujus, cujus uterus fuit mundissimus campus, omni castitate, temperantia, puritate ineffabiliter decoratus. Est & lilium convallium descendens ex progenie Patrum humilium, ac Parentum Virginis admirandæ, inter cujus Parentes fuit omninò honorabile connubium, & thorus immaculatus, & specialiter in eorum conventione, quâ Virginem dignissimam genuerunt, omnimoda fuit honestas.* Ibidem ait Deiparam quoque Florem esse vernantissimum Vnde quid mirum, si Flos Florem illum Divinissimum germinârit? *Beatissima Virgo est vernantissimus, pulcherrimus, ac redolentissimus Flos campi hujus sæculi, in quo tanquam loco certaminis sumus constituti, quia militia est vita hominis super terram. Ipsa est Flos Horti deliciarum Paradisi cœlestis. Ipsa Flos campi militantis Ecclesiæ in terra peregrinantis, cujus ipsa est Mater, Flos, Regina, & Advocata, suis orationibus, & meritis procurans Ecclesiæ ornamenta virtutum, ac redolentiam meritorum. Deniq; ipsa est Flos cujusq; animæ devotæ eam amantis, cujus memoriam nunquam ingreditur sine fructu, & sine suæ dulcedinis diffusione.* Hæc Dionysius, ex quibus intelligimus purissimam Virginis esse generationem, qua Dei Vnigenitum edidit. Vt enim Divinam illam ex Patre Areopagita Dionysius, florum productioni; sic temporalem hanc, ex Virgine Matre, eorundem florum germinationi alter Dionysius superioris sæculi gloriâ comparavit.

Christus Flos Campi.

Vterus B. V. mundissimus Campus.

B. V. pulcherrimus & redolentissimus Flos Campi.

B. V. Flos cuiusque animæ devotæ.

28. Vnde dicere possumus Virginem nostram ad instar floridæ Virgæ illius Aaronicæ germinasse, quæ absque ullâ humanâ ope fronduit, floruit, fru-

B.V. Filiũ generavit velut Virga Aaronis.

&usque produxit. Audiendus hic Seraphicus Vbertinus Casalius lib. 1. Arboris vitæ cap. 6. *Hæc est illa Virga Aaron florida, non tamen humectata, quia benedicta Virgo sine viri consortio peperit Christum Dominum. Virga illa Aaron florens, fructus, & flores simul habuit, quia benedicta Virgo IESVM peperit, qui & in flore fragrantiam habuit suavissimi odoris ad Patrem, & in fructu saporis dulcedinem ad reficiendam animam, & in frondibus ad se confugientium parvulorum, sedulam sive ab æstu carnalium desideriorum, sive à facie persequentium inimicorum, protectionem. Hæc est Virga Iesse, de qua Flos IESVS ascendit ad personalem Filij DEI unionem, super quem septem dona Spiritus Sancti plenissimè requiescunt.* Sic Vbertinus.

B.V. generavit Filium, ut Virga Iesse Florem.

Ex quib⁹ similitudinibus perspicere facilè est, quod quemadmodū Filius ad instar floris originem traxit à Patre, ut ait Dionysius, sic idem ad instar floris, purissimam originem traxit à Matre.

29. Generat Pater æternus, ut principium vivens, ac conjunctum, eandem numero Vnigenito suo communicando viventem substantiam in similitudinem suæ Naturæ: cùm viva sit imago, ac figura substantialis Patris. Vnde Sanctus Athanasius in suo Symbolo: *Qualis Pater, talis Filius.* Generat & Mater Virgo, ut principium vivens conjunctum de eadem sua substantia Humanitatem, ope Spiritus Sancti, velut Regium quoddam paludamentum illi conficiendo, ex sua carne & Sanguinibus purissimis formatum.

Pater æternus generat Filium ut principiū vivens, ac coniunctum.

Humanitas nostra supremi Regis Paludamentum.

Hæc nimirum est Mulier illa fortis, quam difficile, vel impossiibile reperiri censebat Salomon, ut nimirum extrema tam inter se dissita, qualia sunt DEVS, & homo, vinculo unionis hypostaticæ simul colligaret. Vnde quasi desperans de talis Heroinæ inventione, exclamavit. Prov. 31. *Mulierem fortem quis inveniet? Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Quæ verba plena mysterijs ponderans accuratiùs Albertus Magnus Tract. super Missus mirificè brevi commentariolo illustravit: *Illa,* inquiens, *fortis Mulier est Beatissima Virgo, quæ ultimos fines, Deitatem scilicet, & Humanitatem in unam Personam conjunxit, gignendo Sapientiam, quæ attingit à fine Deitatis, usq; ad finem Humanitatis fortiter.* Vnde sequitur profectò hujuscé mulieris pretium esse prorsus inæstimabile, cùm duos thesauros, Divinitatem nempè, Humanitatemque ipsius increatæ Sapientiæ, sinu suo sit complexa, quam Iob c. 28. v. 12. intellectus sui librans trutinâ, quantum appenderet, quantiúe esset precij, nec illud ullo modo inveniret, exclamavit: *Nescit homo precium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. Abyssus dicit non est in me, & mare loquitur, non est mecum;* ipsius nimirum pretium, quia licet in maris fluminumque abyssis, infiniti pretiosissimorum lapidum, margaritarum, ac unionum, argenti quoque atque auri demersi latitent thesauri, his tamen vel quibuscunque alijs rebus quantumvis pretiosissimis, nullâ prorsus ratione Incarnata DEI appreciari valet Sapientia. Quare prosequitur Vir patientissimus: *Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonycho pretiosissimo, vel Sapphyro: Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri. Excelsa & eminentia non memorabuntur in comparatione ejus.* Quibus ex verbis colligere nobis licebit, tam esse Virginem DEIparam hominibus inappreciabilem, quam ipsam Incarnatam, in ejus purissimo utero, Sapientiam, à qua omne precium, dignitatemque suam derivavit; Nam ut præclarè Richardus à S. Laurent. lib. 7. de laud. B. V. loquitur: *Sicut corpus Solis non comprehenditur nisi in radio suo, sic nec Mariæ dignitas nisi in Filio suo. Quantùm enim Filius dignior, tantùm Mater excellentior.* Hæc denique Virgo cœli gemma pretiosissima, est illa Evangelica Mulier, ut idem docet Albertus quæ miscuit tria sata, DEItatem nimirum, animam, & corpus, addito suæ fidei fermento, panemque Angelicum, ad vitam mortalium sustentandam toti mundo confecit. Vnde sequitur, quod quemadmodum vitâ præsertim spirituali atque æterna nil reperiri potest pretiosius, ita nec Virgine, quæ nobis Panem tam nobilem, ac præstantem ad hujusmodi conservandam vitam præparavit.

M. Mulier fortis.

Vltimi fines à se longissimè distantes est Divinitas & Humanitas, quas Deus in Virgine conjunxit.

M. Mulier inæstimabilis cùm Divinitatem & Humanitatē Christi, velut duos thesauros complectatur.

In mari precium M. non invenitur, quia lapidibus preciosis gemmisq; maris est preciosior.

Nulli rei quantumvis precio sissimæ comparari potest M.

M. lapidibus preciosis Sardonycho, & Sapphyro non est comparanda.

M. preciū & dignitas colligitur ex Filij dignitate.

30. Denique Virgo nostra sanctissima æternum imitatà Patrem, suum dilectum Filium in similitudinem suæ Naturæ generavit. Vnde Nicephorus postquam à capite ad calcem formam Incarnati Verbi, vivis coloribus depinxisset, ad finem addidit: *Per omnia similis Divinæ, & immaculatæ suæ Genitrici.* Similitudinem hanc benedicti Filij cum

Mariæ per omnia similis Filius.

Matre

M. pulcherrima Filium pulcherrimum generavit.

Matre probat Beatus Albertus loco citato argumento Aristotelis: *Philosophus,* inquit ille, *definiens naturam, ait vim esse rebus insitam, ex similibus similia procreantem. Nisi ergo Natura impediatur, vel erret, Filius similis erit Patri, vel Matri; ergo qui nascitur de Matre, & non de Patre, taliq; operante qui impediri non potest, vel errare, ibi necesse est Filium similem esse Matri, & è converso. Sed ipse pulcherrimus; ergo & ipsa pulcherrima.* Hæc Albertus.

M. Petra similis Petræ, quæ est Christus.

31. Eandem similitudinem Gverricus Igniacensis Abbas serm. 2. de Annunc. testimonio comprobat Isaiæ c. 16. Verbi Incarnationem à Deo instantissimè efflagitantis: *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ de Petra deserti. Hoc est,* inquit ille, *abscinde Petram de Petra, sanctum & inviolabilem, sancta & inviolata proferat Virginitas. Si ergo Petra Christus, vt ait Apostolus 1. Corinth. 10. non degenerat à Matre Filius, quando & ipsa Petra nomine censetur. An non rectè vocatur Petra, quæ & in amorem integritatis proposito firma, affectu solida, sensu quoq; ipso adversus illecebram peccati tota insensibilis erat, & lapidea? An non rectè Petra Virginalis integritas, quæ & nihil parit per naturam sui, & cùm parit, parit roris virtute Divini, nec admittens conceptum, nec emittens, partum, novit aperiri?* De hac etiam Naturæ cum Filio similitudine audi rursus Albertū Magnum Tract. super Missus: *De gloria autem hominis Christi, non partem, sed totum habebat, cum quo vna in Natura, simillima in Gratia, & in Gloria, ipsum, ipsiusq; gloriam plusquam se & suam dilexit.* Denique Guilielmus Episcopus Parisiensis lib. de Rhet. Div. c. 18. dixit Matrem in Misericordia fuisse assimilatam Filio: *Alijs Matribus,* inquit, *assimilari debent Filij, te autem gloriosa Domina decet assimilari benedicto Filio tuo, & potissimum in virtute ea, per quam se fecit Filium tuum, & te Matrem suam. Hæc autem est misericordia, & propter hoc in misericordia es eidem simillima.*

M. lapidea, quia insensibilis contra peccati illecebrū.

M. simillima Filio in Natura, Gratia, & Gloria.

M. Filio in misericordia simillima.

M. Leæna unicum Leonem de tribu Iuda peperit.

32. Generat æternus Pater unicum dumtaxat Filium, totam suam, eandemque numero illi communicando substantiam. Vnicum etiam Virgo nostra parit Filium, ostendens revera generosam quandam se Leænam esse, quæ ob partus perfectionem, ut secretorum Naturæ testantur indagatores, non nisi unicum Leonem parit, Leonem, inquā, illum de tribu Iuda generosissimum. Et ne cuipiam hæc Matris misericordiæ cum Leæna comparatio sit offendiculo, audiat D. Epiphanium lib. 3. contra Hæreses. *Profectò etiam Genitricem ejus Leænam dixerim. Vnde enim gignitur omninò Leo, si non Leæna Mater ejus vocatur? Leænæ autem non contingit secundus partus, non ergo ampliùs partum novit Maria.*

Leænæ non contingit secundus partus, ob perfectionem fœtus.

33. Verùm quid opus est pluribus similitudinem hanc inter æternam Patris & temporalem Matris generationem confirmare, siquidem D. Matthæus initio sui Evangelij, Christi generationem describens, hanc nobis unico verbo demonstravit: *Abraham genuit Isaac,* eodem illo verbo *Genuit,* in tota illa Genealogiæ utens descriptione, quo etiam usus est Pater, suum Vnigenitum alloquens. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Psal. 2. Quod S. Paschasius lib. 1. in Matth. etiam observavit: *Notandum,* inquiens, *quod Matthæus, Genuit, non Generavit, dixit, fortasse vt eum recognosceres in finem ostensum, de quo Pater dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hoc ergo quasi proprium illi Verbum & familiarissimum ponitur.*

S. Matth. Evangel. Generationem Christi ex B.V. similem esse illi Patris æterni ostendit verbo; Genuit.

34. Quanta porrò sit hæc dignitas, à Virgine Deum gigni, & ad eminentissimam Divinæ Maternitatis provehi dignitatem, nec humana, quin imò nec Angelica mens capere, nec lingua quantùmvis disertissima potest exprimere. Vnde summam hanc in Virgine nostrâ gloriam, summam honorificentiam Patres fuisse testantur. Et verò si Divus Basilius Seleuciæ Episcopus Oratione 1. ob generationem humanam, quæ nobis cum brutis propemodum communis est, in Patre & Matre aliquem honorem agnoscit: *Homo,* inquiens, *fit Pater gignendo Filium, fitq; Divinis solus ornatus nominibus & honoribus: intemporalem Patrem, tempore imitatur, & appellatione; & Filius post partus dolores nuncupatur, Filium, qui sine passione est repræsentans.* Si, inquam, in humanis Patrem vel Matrem esse, honor reputatur; quantò magis in Divinis, eoque ampliùs, quo hæc Deiparæ nostræ sit purissima, absque ullo doloris sensu, & absque imaginabili corruptione, sempiternæ illi sempiterni Patris quam simillima. Quam sanè D. Anselmus Archiep. Cantuar. attentiùs contemplatus cap. 3. de Excellentia Virginis, eamque captu difficillimam agnoscens, invitat omnes ad exerendas mentis vires, ac conatus, quo dignitatem tantam aliquo saltem modo percipere va-

Divina Maternitas summa Dignitas.

Temporalem esse Patrem, est dignitas imitās intemporalem, & æternum Patrem.

Incognoscenda generatione purissima purissimæ Virginis, omnes mentis humanæ vires exerendæ.

valeant: *Intendat*, inquit S. Antistes, *mens humana & contempletur, videat & admiretur. Vnicum Filium sibi consubstantialem DEVS Pater genuit, hunc sibi tam unicum, & in omnibus omninò æqualem non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse B. Mariæ unicum, & naturalem Filium. Nec ita vt duo essent, unus videlicet Filius DEI, alius Virginis, sed unus idem ipse qui Filius DEI, in una Persona esset Filius Virginis; & qui Filius Virginis, unus & idem ipse esset in una Persona Filius DEI. Quis hæc audiens non obstupescat? Et quod DEVS tale quid velle potuerit, non ultra omne, quod dici potest, admirabile ducat?* Sic Anselmus.

B.V. unicũ suum Filium habuit communem cum Patre æterno.

35. Similia penè habet Albertus Magnus Tract. super Missus. Exponens enim verba illa Gabriëlis: *Ideoq; & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI:* agnoscensque Sanctam, ac purissimam Virginem, Sanctum & ab omni macula purissimum Filium peperisse, ita loquitur: *Non solùm*, inquit, *de sinu Patris in vterum tuum veniens, obumbrabit tibi; sed etiam id de carne tua sociabit sibi, & ex hoc jam vocabitur Filius DEI. Quemadmodum is, qui à Patre ante sæcula genitus est tuus omninò reputabitur Filius: Sic quoq; & qui natus est ex ipso, tuus erit Filius, & quod nascetur ex te, erit ejus, vt tamen non sint hi Filij, sed unus utriusq; Filius erit: Et licet aliud quidem ex te, aliud ex eo sit, non tamen cujusq; suus, sed unus vtriusque.* Hactenus Albertus de similitudine generationis inter Patrem æternum, & Virginem unum communemq; Filium generantem. Eandem Virginem Matrem, Devm in tempore generantem similem æterno Patri, ab æterno generanti esse pronunciavit pientissimus Dionysius Richelius lib. 1. de Præcon. & Dignitate B. V. art. 19. ubi ita loquitur: Pater Filium genuit, à quo omnis natura in esse processit, nempè omnia per ipsum facta sunt. Et Maria hunc edidit per quem omnis creatura ad benè perfectè, ac beatè esse pervenit. Omnium Creatorem genuit Pater, & universorum Salvatorem peperit Virgo Mater. Quemadmodum per Filium tuum Devs Mundum effecit; sic per Mariam interemptum refecit. En gloria tua ò Maria, omnem, ut cerno gloriam vincit. Peperisti enim proprium Creatorem, & Salvatorem tuum genuisti, & qui cuncta creavit, semetipsum ex te plasmavit. Benè quoque sibi in te complacuit, & qui demum creavit te, requievit in tabernaculo tuo, prodijtque ex castissimi, fœcundissimique tui ventris medio in vera humanitate, qui ex purissimo & superfœcundo corde Paterno effluit in vera Divinitate, perseverante nihilominus utrobique personalitate unâ, atque Divinâ. Sic Dionysius.

Quod peperit V. Sanctum est, atque purissimũ.

Per M. Deus Mũdum interemptũ refecit.

36. Hunc actum Dei Filium generantem in Virgine, æterno Patri generanti quàm simillimum, S. Antoninus, & idem B. Albertus Magnus ab eo citatus, vocat Actum Deiformissimum. Cùm enim P. 4. Tit. 15. cap. 43. Deiparam Cherubinis excelsiorem comprobasset; in proprietate præsertim, quam Sanctus Dionysius ait, activitatem quandam esse, quam Commentator in eo ponit, quod secundùm Devm incedant, id est, Devm in actibus suis imitentur: *Quodam*, inquit ille, *excellentiori modo hoc egit B. Maria. Vnde Odilio ait: Vnum pro certo scimus, quia omnis Mariæ actio & intentio semper intenta fuit in Domino. Et vt dicit Albertus, Deiformissimos Actus habuit, & in summo actu DEVM imitata est, quando DEVM genuit, & ipsa DEVM & hominem generavit.* Hoc idem S. Antoninus declarare volens, Deiparam super Seraphinos exaltatam, eosdemque de illius tam eximio charitatis ardore obstupescentes, novum Virgini Trisagion, præclarissimaque elogia, quæ ad Divinæ hujus Maternitatis amplificandam gloriam plurimum faciunt, depromentes introducit: *O Sancta DEI Mater, & omnium! ò Sancta Virgo Virginum! ò Sancta Mediatrix hominum! O Domina Regina cœlorum! O Dea, Deiformitate actuum, & Imperatrix Sabaoth exercituum cunctorum Angelorum! Decet te in gloria, & incendio charitatis sublimissimam, in supremo ordine nostro nobiscum residere, ut te perfruamur ò beatissima.* En vobis ex tanti Præsulis sententia, Deiparam nostram Deiformitate actus, Verbi Divini scilicet generatione, in Deam quandam transformatam. Quemadmodum enim Pater æternus, velut Sol æternus, ceu Lumen producit Filium, Lumen nimirum aliud ejusdem substantiæ: Devs verus Devm verum; sic quoque Virgo gloriosissima, velut lucidissima Aurora Dei Filium lucem mundi veram, illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum. Vnde præclarè Franciscus Petrarcha Poëta Christianus in Poëmate de B. V. cecinit:

Cherubini Deum actionibus suis imitantur.

M. Deiformissimos actûs habuit, generando Filium.

B. V. ter sancta.

M. Dea, Deiformitate actuũ

M. velut Aurora Dei Filiũ, ut lucem produxit.

Cujus

Cujus forma fuit summo tam grata Parenti,
Vt sua condiderit sanctam inter viscera lucem.

Ob internam animi pulchritudinem M. digna fuit quæ Dei Filium côciperet.

37. Ob ejusdem Divinæ Maternitatis dignitatem rursus Sanctus Bernard. Senensis To. 4. serm. 5. c. 5. cui Titulus: *Solus æternus Pater, & B.V. potuerunt Filium habere DEVM;* Deiparæ nullam creaturam, nec quidem Angelicam, nec Personam ullam Divinam, in ratione generationis, nisi Patrem, comparari posse affirmavit: *Persona,* inquiês, *Virginis tanta superexcellentia est, ut nec in Personis increatis, nec in Personis creatis, ut Angelis & hominibus inveniatur hac incogitabilis dignitas, scilicet ut habeat DEI Filium, nisi una Persona Divina, qua est Patris, & una Persona humana, qua est Matris. Sanè privilegium hoc isti soli Personæ ita concessum est, ut sicut impossibile est Personæ Filij, vel Spiritus Sancti generare DEVM, ita impossibile est, mulierem aliam parere posse DEVM.* Hæc Pater Seraphicus de dignitate Deiparæ, quâ Verbi Divini generationem æternam illam ex Patre mirificè æmulata est.

M. superexcellentia, quod sola cum Deo Patre habeat comunem Filium.

38. Hanc agnoscens Micheas Propheta Virgineam in tempore generationem, illi æternæ persimilem, postquam cap. 5. temporariam, ex Virgine, prædixisset futuram Nativitatem in Bethleem: *Et tu,* inquiens, *Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur; qui sit Dominator in Israël;* mox sempiternam illam ex Patre prædicavit: *Et egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Ac si dicat: Puerum illum, qui nascetur in Bethleem, & Dux ac Dominator ad populum Israëliticum gubernandum egredietur, ne purum hominem natum in tempore ex Matre Virgine arbitremini. Idem enim Filius Virginis ex utero illius egrediens, egressus est ab initio, à Patre videlicet, qui Principium & Fons, ac Fontana Deitas totius Trinitatis nuncupatur, egressus, inquam, est ex fœcundæ ipsius memoriæ utero primogenitus ante omnem creaturam, ab omni æternitate. Hinc Beatus Petrus Cardinalis Damianus ser. 1. de S. Ioanne Evangelista ita loqui videtur de hac temporali ex Matre, Christi Generatione, atque de illa sempiterna ex Patre loqueretur: Perinde enim utramque humanâ mente incomprehensibilem, perinde ineffabilem esse asseveravit: *Virginem parere,* inquit ille, *novum ac singulare est: DEVM verò parere ita omnem novitatem singularitatis*

Ex Virgine Matre in tempore genitus Dei Filius, à Patre genitus in æternitate.

Generatio Christi ex B.V. incomprehensibilis, & ineffabilis.

exsuperat, ita omnia quæ miranda sunt antecedit, atq. insuperabiliter supereminet, ut nec mente concipi, nec lingua valeat aliquatenus explicari.

Ex quo Prophetæ Vaticinio, pientissimique Cardinalis sententia, sanè gravissima, videre licet Generationem Deiparæ, Deiformem quendam actum fuisse, siquidem & utramque eodem egressionis Propheta expressit nomine, & de temporali loquens Nativitate, mox tanquam admodum germanam, ac gemellam subintulit æternam; Virgineæ in hoc dissimilem dumtaxat, quod virtus generativa in Patre sit æterna, à se & identificata Patri: in Matre autem à Spiritu Sancto, qui eam, altissimâ suâ virtute obumbrans; dignam effecit; ut Deum genitum in æternitate, gigneret in tempore, uti declaravit Angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Lucæ 1. cap.

Virtus generativa in Patre est æterna & à se: in Matre verò temporalis, & à Spiritu S.

39. Obumbravit illam verè Spiritus Sanctus, ut Columba ovo incubans, illud obumbrare fœcundumque reddere consuevit, quo tandem pullum excludat sibi quam simillimum. Hinc Tuitiensis Abbas Rupertus lib. 7. de gloria Filij hominis, priscos illos veteris testamenti Patres non modò Dei Filium expetijsse sub nomine Panis, ac Piscis, ut in mundum ad miseros famelicosque reficiendos mortales adveniret, ut patet ex Parabola illa Evangelica Lucæ 11. *Si petierit Panem, vel piscem &c.* verùm etiam ardentissimè ipsam quoque Matrem Virginem à Spiritu Sancto fœcundatam, sub ovi Symbolo flagitasse. Postquam enim præmisit: *Aut si petierit ovum, nunquid porriget ei scorpionem? Quod vel quale ovum?* quærit Abbas religiosissimus; *Illud nimirum,* respondet, *cui Spiritus Sanctus obumbrare dignaretur superveniens in illud, in modum volucris, ovo suo supersedentis, donec pullus in eo formetur. Sic enim futurum erat; & sic factum est. Spiritus Sanctus, ô Beata Virgo Maria superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, & ita concepisti, & peperisti Filium Volucrem, id est, non terrenum corpus habentem. Huiusmodi ovum sine dubio petebant priores Filij, maximè illi, qui non solùm fidem, verùm etiam Prophetiam habebant tanti Sacramenti.*

M. Ovum à Spiritu S. fœcundatum, quod exclusit Filium volucrem.

SS. Patres petebant antiquitus Dei Filiû sub symbolo Ovi.

Christus Avis.

40. Eandem fœcunditatem Deiparæ Sacratissimæ idem Spiritus Divinissimus se daturum polliceri videbatur, quando in primis nascentis mundi incuna-

Aquæ quibus Spiritus S. superferebatur M. notabant.

cunabulis Gen. 1. *Ferebatur super aquas.* Quid enim aliud aquæ illæ, quibus Domini incubabat Spiritus, denotabant, quàm Mariam, ut docet Sanctus Antoninus & Beatus Albertus, nec non alij, Mariam, inquam, mare quoddam gratiarum omnium, omnisque absolutissimæ justitiæ, ac Sanctitatis Oceanum, in quem flumina donorum omniū, quæ in aliquem unquam Angelorum aut hominum divinitus profusa sunt, concurrerunt. Vnde hi Sancti Patres jure meritò tantam aquarum congregationem dixêre vocari; MARIA. Quia reverà in Mariam aquæ omnes demissæ cœlitus confluxerunt, in eaque congregatæ sunt, ut sit & vocetur MARIA, uti superiore Discursu dictum est. Harum porrò aquarum immensitatis, ut se Spiritus Sanctus Auctorem, illarumque gratiarum liberalissimum Donatorem, ac Dominum ostenderet, idem Moyses ait: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

M. mare & Oceanus gratiarum.

Videre cupitis fortasse admirabilem hujuscé Divinissimi Spiritus, super has aquas incubationis effectum? Audite Sanctum Amadeum Lausanensem Episcopum Homil. 3. de laudibus Virgin: qui verba illa expendens Angeli: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: superveniet,* inquit, *in ubertate, in affluentia, in plenitudine: & in effusione carnis, & animæ, cùmq; repleverit te, erit adhuc super te, & super aquas tuas feretur, facturus in te quiddam meliùs, & mirabiliùs quàm cùm ferebatur super aquas à principio, vt materiam creationis in distinctionem formamq; produceret.* Spiritus igitur ille, qui in prima creaturarum efformatione aquis, ad pisces, volucresque generandas communicavit fœcunditatem, idem eandem, imò & longè majorem vim, ac energiam contulit MARIÆ. Vnde Divus Basilius Magnus verbum illud: *Ferebatur,* censet idem esse, quod fovebat, vivificabat aquas, præparans eas ad mox futuram fœcunditatem: aitque Sanctus hic Doctor se interpretationem hanc, ex Magno quoddam Viro didicisse Syro, qui S. Ephræm insignis alias ipsius amicus fuisse creditur.

Sicut Spiritus S. suâ virtute dedit aquis vim generativā piscium & avium: ita idē dedit B.V. ut generaret Christum.

SpiritusS. initio mūdi dum ferebatur super aquas, eas vivificavit, ut producerent Aves & Pisces.

41. Similiter locum illum Divus exposuit Hieronymus lib. de quæstion. Hebraicis in Genesim. Vocem enim Hebraicam: *Merachepheth,* ait, *Incubare, Confovere,* significat; ductâ à volatilibus similitudine, quæ incubare ovis, eaque confovere, naturalique calore vivificare, ut pullos suos excludant, sunt solitę. Vnde in Christi baptismate ad Iordanem Spiritus hic Divinissimus in specie columbæ avis fœcundissimæ advolavit, ad insinuandum nimirum aquas baptismi Salvatoris nostri, fore suarum gratiarum fertilissimas, perinde, ac ipsis mundi nascentis principijs; futurosque fideles hiscé undis aspersos, aliquos quidem ad instar volatilium, rerum cœlestium contemplationi deditos, alios verò ad instar piscium, quorum plurimi pinnulas habere solent, ut in hujus mundi mari degentes, identidem in altum, ad Divinorum considerationem sese attollere, atq; ex mari ad auram cœlestem hauriēdam exilire possint.

Christiani sunt alii qui aves per contēplationē, alij pisces

42. Atque ita Virgo nostra gloriosissima Sancto Spiritu ad instar illarum aquarum obumbrata, ac fœcundata produxit, & ipsa Piscem nobis, nobilissimum illum Callionymum, hoc est, pulchri Nominis, qualis est IESVS, Nomen scilicet pulcherrimum, & super omnia Nomina præstantissimum.

M. velut aquæ produxit nobis Piscem Callionymum, & Phœnicē.

Callionymus piscis hic dicitur fuisse ille, quem Tobias junior cœpit, cujus vel solùm fel, lumen oculorum cœco parenti restituit. Fel istud significabat memoriam Dominicæ passionis ad instar Collyrij cœcis mortalibus futuram. Vnde suadebat illis apud Ieremiam ipse Dominus Th. 3 v. 19. *Memorare paupertatis & transgressionis meæ, absinthij & fellis;* quo nimirum omnes dilectionis transgressûs, & egressûs metas in monte Calvario aceto felle cōmixto, ab ijs, quibus terram lacte & melle manantem donavi, fui potatus. Hoc Collyrium sine dubio Christus Dominus Episcopo illi Loodiceno vitijs obcœcato adhibendum suadebat, Apo. 3. *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas.*

Piscis Callionymus IESVS.

In Passione Christus omnes amoris transgressûs metas.

Collyriū oculorum fel & acetum quod bibit Christus in Cruce.

43. Produxit denique hæc aquarum Congregatio, scilicet Maria Avem unicam Christum, amoris Phœnicem, avium præstantissimam, produxit avium Reginam aquilam, quæ provocatura erat pullos suos ad volandum, & super eos volitatura pandens iter in cœlum ante eos.

M. velut aquæ produxit Phœnicem & aquilam Christum.

Fœcundissimam hanc Virginitatem, Virgineamque Fœcunditatem Sanctus Bonaventura ardenti pietatis affectu, eam in Psalterio Minori consalutavit:

Ave

Ave Virgo, quam perflavit
Et perflando fœcundavit
Auster fructu spirituali,
Christo flore Virginali.

B.V. Hortus quem Auster Spiritus S. perflavit.

Ecclesia quoque Tornacensis ejusdem amplissimas celebravit laudes in suo Missali antiquo ita concinens:

Spes salutis, pacis portus,
Vas virtutis, florens Hortus
Aromatum area.
Tu serena Sole vero
Cella plena vino mero
Granum sine palea.
Tu fœcunda, tu fœcundans
Mater munda mundum mundans,
Exemplar mundiciæ.

M. granũ sine palea.

M. exemplar mundiciæ.

Idẽ rursus S. Bonavent. Virginitatem fœcunditati in Deipara sociatam suspiciens, ita eam salutavit in eodem Psalterio minori:

Ave Virgo singularis
Vera veri Salutaris,
Et emissæ lucis Mater
Cui DEVS verus Pater.

44. Eandem Dei Genitricis fœcunditatem, indissolubili, cum Virginitate associatam nexu celebravit Sanctus Ildephonsus lib. de Sanctissima Virginitate Mariæ c. 2. dixitque virtutes has sese mutuò exornare, & utramque incomprehensibilem atque ineffabilem esse; verba ipsius sunt hæc: *Sed illud est inæstimabile, illud incomprehensibile, illud inennarrabile, illud admirabile, illud inauditum, ut Virginitas conceptu clarescat, ut partum Virginitas comitetur, vt generatio adsignet, ut Virginitas probet Matrem, Matrem quoq; vt Virginitas glorificet, Virginem vt gravitas Matris ornet, vt decus Maternum Virginitas assequatur, decusq; Virgineum Matris fœcunditate servetur. Ita Maternam Virgo accipit veritatem, ita Virginis gloria transit in Genitricem.*

Virginit: & fœcunditas in B.V. indissolubiliter sociatæ.

Hisque tam mirabilibus in Virgine perpetratis prodigijs, tandem in illud admiratione plenissimum, quampluriinis conglobatis Synonymis, Divinæ Incarnationis, in utero Virgineo peractæ, excellentiam demonstrantibus prorupit epiphonema: *O virtutum, ò creaturarum omnium DEVS, ò Factor, ò Auctor omnium mirabilium Deus, qui cunctis miraculis tuis, universis insignibus tuis, totis mirabilibus tuis, omnibus magnalijs tuis, hoc factum; hoc opus miserationis tuæ Thesauros aperiens; pietatis arcana demonstrans; indulgentiæ divitias reserans, clementiæ rivos emittens; in salutem meam, & mundi, in liberationem, & iustificationem meam & mundi, fecisti sine loquendi ratiocinatione mirabile, egisti sine rei exemplo singulare, formasti sine comparationis similitudine potentiale, complesti sine consimili æquiparatione vitale: finxisti sine intelligendi consideratione inæstimabile, sine oblivione perenne, sine defectu stabile, sine interruptione iuge, sine fine laudabile.* Hæc Sanctus Antistes, quibus sanè mirificam, eminentissimamque Deiparæ nostræ Virginitatem, æquè, ac fœcunditatem, utpotè Divinam illam Patris æterni æmulantem, humillimè venerans, illustravit.

Incarnatio, miserationis Dei Thesauros aperuit.

Incarnationis Diviņę varia Encomia.

Incarnatio sine fine laudibus celebranda.

45. Verùm quid de altera illa fœcunditate Deiparæ dicemus, quâ similiter in tot fidelium animarum spirituali generatione, Patrem quotidie, ad finem usque sæculorum imitari visa est, cùm illum per æternitatem non possit? Noverat enim summum illum omnium Parentem in hodiernum usque diem suum generare Filium, generaturumque in æternitatem omnem, cùm Divinissimus intellectus cognitionem illam comprehensivam suæ Essentiæ, in eaque creaturarum omnium possibilium, suspendere nequeat.

B. V. fœcunda in generatione pluriмorum filiorum spiritualium.

Quæ sanè filiorum adoptivorum generatio, licet sub Cruce acerbissimos dolores, quos in partu effugerat, exantlando, facta fuit, cùm dilectissimi sui iussu Filij, Ioannem in Filium assumpsit, in eoq; omnes nos, ita illo cõmendante Ioan. 19. in filios suscepit: *Mulier ecce Filius tuus; deinde ad Discipulũ, ecce Mater tua; & ex illa hora accepit eam Discipulus in suam*, Matrem videlicet; fit nihilominus in hodiernum usque diem, fietque ad consummationem usque sæculorum, ejus pijssimis fidelissimisque precibus, patrocinijs, & meritis apud Filium, ipsius Doctrinæ Magisterio, virtutum exemplis, innumerabilibusque miraculis, tot congregationum, ac sodalitiorum propagatione; quæ quid aliud videntur esse, quàm totidem amantissimorum ipsius Filiorum, ipsius pietatis lacte enutritorum domicilia?

B.V. sub cruce nos in filios adoptavit

M. suis precibus patrocinijs, ac meritis innumeros filios generat.

Vnde Rupertus Abbas lib. 13. in Ioan. considerans verba illa morientis in Cruce Salvatoris: *Mulier ecce Filius tuus &c.* quærit, quonammodo Mater nostra sit Maria, & cur Ioannem Filium pepererit afflictissima, cum Iesvm summo in gaudio in lucem ediderit?

M. afflictissima sub cruce filios adoptivos peperit.

Re-

Respondit: *Quia verè, sub Cruce dolores patiẽdo, ut parturientis in passione Vnigeniti, omnium nostrum Salutem B. V. peperit, ideò omnium nostrum Mater est. Itaq; quod de hoc Discipulo dictum est ab eo, qui iustissimè curam suæ Matris habebat: Mulier ecce Filius tuus. Itemq; ad eundem Discipulum: Ecce Mater tua; rectè de alio quolibet Discipulorum, si præsens adesset, dici potuisset; nisi quia licet omnium, ut dictum est, Mater sit, pulchriùs tamen huic, ut Virgo Virgini commendari debuit, præsertim cùm huic Discipulo talis gratia reposita esset, ut Verbum ipsum, quod illa Mater carnẽ factum pepererat, ipse, quantum mortali homini possibile fuit, imò plusquàm alius quis mortaliũ omnium potuit Evangelico stylo describere.*

Quia B.V. salutem omnium peperit, ideo nostra Mater est.

B.V. acceptat omnes Christi fideles in filios, maximè tamẽ eos qui sunt Virgines.

O fœlicem sanè, ac omnino gratiosum Ioannem, qui Dei ipsius, ac totius gratiæ Matrem, in Matrem sibi à Christo dari promeruit! Vnde quid mirum eum, Ioannem appellatum, gratijsque innumeris fuisse cumulatum, siquidem, Gratiâ plenam, imò Mare gratiarum omnium suæ fidei commissum habere meruit? O si etiam de unoquoque nostrum Virgini beatissimæ à Christo glorioso jam in cœlo regnante diceretur! Mulier ecce Filius tuus. O si de quolibet Sodali Parthenio quoque dici posset: *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua.* Vbi Rupertus illud: *In sua*, paupertatemque Ioannis ponderans, ita loquitur: *Non prædia, quæ nulla habebat vel habiturus erat, quippè de illis unus est, qui Dominum secuti, relinquerunt omnia; sed sic in sua dictum est, ut illa quoq; communio rerum, quâ dividebatur singulis, prout cuiq; opus erat, ad huius curam, quicquid illi esset necessarium, pertinebat.* Verùm quoniam Virgo gloriosissima æternâ modo perfruitur beatitate, quæ Boëtio teste: *Status est omnium bonorum aggregatione perfectus;* bonorumque nostrorum non indiget, offeramus piam, synceramque illi in omnibus gratificandi, ac serviendi promptissimam voluntatem, cùmque ea de omnibus bonis nostris communicandi desiderium; communicabit nobis illa, mihi credite, de donis cœlestibus, singularibusque suis gratijs plum hunc nostrum in se affectum liberalissimè compensabit.

Ioannes B.V. similis, quod sicut illa Verbum Dei ventre, sic ille mente, cõcepit, cùm dixit: In principio erat Verbum.

S. Ioannes cum B. V. sua omnia cõmunicabat.

Voluntas prompta Virgini serviendi offerenda.

46. Hæc enim Mater nostra benignissima gratiam nobis prævenientem impetrare consuevit, intellectum illuminando, movendo, ac inflammando affectum; gratiam item concomitantem ad inchoandum opus bonum, ad vitam ex præscripto rationis puram sanctamque inchoandam; subsequentem denique, ad perseverandum in bono, in semel arrepto sanctæ vitæ instituendæ proposito, usque ad mortem, tentationes temperando, ac submovendo; viresque Tartareorum hostium imminuendo, ne nobis majores, quàm tolerare valeamus tentationes immittant, Maternoque suo nos sinu sub umbra alarum suarum protegendo.

B. V. suis clientulis gratiam prævenientem comitantem & subsequentẽ impetrat.

Hinc Sanctus Epiphanius lib. 3. cont. Hæres. Deiparam potiori jure, quàm Evam, omnium viventium Matrem vocitandam esse censuit. Hinc Sanctus Ildephonsus, & Sophronius eandem Matrem gentium appellârunt.

M. omniũ viventium Mater.

Dixi sub Cruce, Deiparam Matrem omnium effectam; quâ de re audiendus S. Antoninus Archiepiscop. Florent: P. 4. Tit. 15. cap. 2. ubi ostendit quando tandem nobis in Matrem data sit Deipara? *Imperator cœlestis*, inquiens, *Dominus Iesus Christus, in throno Crucis residens per hoc dictum ore suo prolatum loquens Ioanni, Matrem suam Virginem ei dedit in Matrem, ipsum Ioannem Matri suæ adoptans Filium. Nec Virgo Mater, etsi longè inferiorem à se indignata est, in Filium suscipere. Et Ioannes ipse, etsi tali & tam dignissima Matre se indignum agnosceret, intelligens sui profectum, cum omni reverentia ex illa hora accepit eam in suam, scilicet Matrem.* Sic Sanctus Antoninus.

B. V. sub Cruce Mater omniũ effecta.

S. Ioannes Filius B.V. & in illo omnes fideles.

47. Audiendus & Guerricus Abbas Igniacensis ser. 1. de Assumpt. qui non Evam sed Mariam verissimam omnium viventium Matrem peramanter Filium in membris totius Ecclesiæ complectentem, nosque omnes simul cum Vnigenito Patris generantem agnoscens, sic loquitur: *Ipsa unica est Virgo Mater, quæ se Patris unicum genuisse gloriatur, eundem unicum suum in omnibus membris eius amplectitur, omniumq; in quibus Christum suum formatum, vel formari agnoscit, Matrem se vocari non confunditur. Eva vetus illa non tam Mater quàm noverca, quæ Filijs antea propinaverat præiudicium mortis, quàm initium lucis, dicta quidem est Mater cunctorum viventium, seu Genitrix morientium; cùm suum generare nihil aliud sit, quàm mortem ingenerare. Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum, ista implevit mysterium, quæ & ipsa, sicut Ecclesia, cuius forma est, Mater est omnium ad vitam renascentium;*

B.V. Filiũ suum in omnibus Ecclesiæ membris agnoscit.

Eva Genitrix morientium, M. Mater viventiũ.

Evæ generare, erat mortem ingenerare.

Mater

Mater siquidem est vita quâ vivunt universi, quam dum ex se genuit, nimirùm omnes qui ex ea victuri sunt, quodammodo regeneravit. Vnus generabatur, sed nos omnes regenerabamur, quia videlicet secundum, quo regeneratio fit, iam tunc in illo omnes eramus. Sicut enim in Adam fuimus ab initio propter semen carnalis generationis: sic in Christo ante initium, propter semen spiritualis regenerationis.

M. nos omnes in Filio generavit.

Porrò beata illa Mater Christi, quia se Matrem Christianorum cognoscit, ratione mysterij, Curâ quoq; se Matrem eis præstat, & affectu pietatis. Neq; enim duratur ad filios, quasi non sint sui, cuius viscera semel quidem fœta, sed nunquam effœta, nunquam desinunt fructum parturire pietatis. Benedictus siquidem fructus ventris tui gravidam te, ò pia Mater, inexhaustâ pietate reliquit, ex te quidem semel nascens, sed in te semper manens, & affluens, & in horto concluso castitatis, fontem signatum charitatis, semper abundare faciens, qui licet signatus sit, foris tamen derivatur, & in plateis aquæ eius nobis dividuntur. Licet namq; fons charitatis proprius Ecclesiæ, incommunicabilis sit alienis, beneficium tamen eius impertiri gaudet etiam inimicis. Deniq; si servus Christi filiolos suos iterum, atq; iterum parturit, curâ atq; desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus, quantò magis ipsa Mater Christi?

M. Mater Christianorum curâ & affectu pietatis.

B.V. viscera nunquã effœta, quæ semper fructum pariunt pietatis.

In B. V. semper est fons abundans Charitatis, qui foras derivatur.

Et Paulus quidem genuit eos verbo veritatis, quo regenerati sunt prædicando; Maria verò longè diviniùs & sanctiùs, Verbum ipsum generando. Laudo quidem in Paulo prædicationis ministerium, sed plùs miror, ac veneror in Maria generationis mysterium. Hactenus Guerr. qui sanè & miram fœcunditatem Deiparæ, & filiationis nostræ præstantiam, Maternamque Virginis nostræ, in humanum genus mirificè deprædicavit charitatem, indulgentiam, effusissimam pietatem, atque misericordiam.

M. Verbũ generando, non autem illud prædicando, uti Paulus nos regeneravit.

48. Quas virtutes Charitatem videlicet, ac misericordiam Dionysius Carthusianus gemina pientissimæ hujuscé nostræ Matris, dixit esse ubera, quibus suos spirituales filios nutrit foveťque. Explicans enim illud Sponsæ Cant. 4. v. 5. *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs;* ita loquitur: *Duo ubera B. V. quibus nutrit, lactat, & refovet confugientes ad se, sunt Charitas ejus Materna, & Pietas maxima, per quas prona est omnibus misereri, ac subvenire, ac velocissima, instar hinnulorum misericorditer intueri, ac refovere; de qua nil durum, austerumq; legitur, imò in omnem affectum misericordiæ videtur tota esse conversa. Propter quod Mater gratiæ, & Regina misericordiæ nuncupatur.*

B.V. Vbera sunt Charitas & Misericordia.

49. Audiamus & devotissimum Richardum à S. Laurentio lib. 6. de laud. Virg. qui Deiparam sacratissimam nonmodò Matrem gratiæ, verùm etiam Matrem vitæ, id est Christi, quem ipsa generando, peccatores ad vitam gratiæ regenerati sũt, appellavit: *Maria est,* inquiens, *Mater vitæ, hoc est Christi, quo vivunt universi, quem dum ex se genuit, nimirũ omnes qui ex ea victuri sunt quodãmodo regeneravit. Et si enim unicum genuit Filium in carne, in eo tamen spiritualiter Mater effecta est magnæ multitudinis filiorum, quorum primogenitus est Christus, secundùm Apostolum ad Rom. 8.* Vnde significanter dixit Evangelista Luc. 2. *Peperit Filium suum primogenitum; sicut enim Eva dicta est omnium viventium Mater, vitâ naturæ; ita Maria Mater omnium viventium vitâ gratiæ. Ipsa enim nobis portavit vitam, & aperuit nobis portam vitæ, & ad vitam viam novam ostendit, Virginitatem vovendo. Vnde ipsi convenit quod de Filio dicit Micheas c. 2. Ascendet pandens iter ante eos. Vita enim ejus semper fuit ascensus, & ubi ipsa regnat cum Filio, suis orationibus introducit peccatores.* Hactenus Richardus.

M. unicũ generando Filium Mater effecta est magnæ multitudinis Filiorum.

Tota vita B. V. fuit ascensus ad virtutẽ.

50. Eandem Matris benignissimæ in nos charitatem celebravit S. Petrus Chrysologus serm. 146. dum illam mari rubro, quo Dœmones, velut Ægyptij sunt demersi, & populus Christianus, ad instar Israëlis in novam est renatus creaturam; tum Mariæ Sorori Moysis, quæ ex aquis illis populum regeneratum quodammodo, in novamque Filiorum Dei, ex Pharaonis captivitate, libertatem assertum videns, sumpto in manûs tympano, lætitiâ, gaudioq; exiliens, novum Domino carmen, sono tympani illud associando modulata est: Sed ipsa verba tanti Antistitis audiamus: *Maria Mater vocatur, & quando non Maria Mater? Congregationes,* inquit, *aquarum appellavit Maria. Nõnne hæc exeuntem populum de Ægypto concepit uno vtero, vt emergeret cœlestis in novam creaturam renata progenies? juxta illud Apostoli 1. Corin. 11. Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes Mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in Mari. Et vt semper Maria humanæ prævia sit Salutis; populum quem unda generatrix emisit in lucem, ipsa jure præcessit in Cantico: Maria,* inquit, *Soror Aaron sumens tympanum in manu sua, dixit: Cante-*

M. mare rubrum, quo Dœmones sũt submersi.

M. figurata in Maria Sorore Moysis, quæ ad eripiendum de servitute Pharaonis Israelẽ Moysi, id est Christo cooperata est.

M. humanæ salutis prævia.

mus Domino, gloriosè enim magnificatus est. Exod. 15.

51. Eximiam hanc summi DEI Parentis optimæ in Ioannem, inque Filios hominum, dum eosdem in Filios suos adoptat, S. Bernard. Sen. To. 1. serm. 55. art. 1. c. 3. admiratus dignationem, eam vix fuisse possibilem pronunciavit: *Pulsantur*, inquiens, *admiratione omnium legentium, sive audientium mentes, scilicet, quo motu, quo sensu, quâ ratione, quâ possibilitate, quâ vera authoritate ista dicantur, quod Discipulus transeat in Filium Virginis, & Virgo habeat purum hominem Filium, quem non genuit. Impossibilia quidem videntur hæc, sed nihil impossibile est apud DEUM. Pietate quidem & ratione opus est ad ingrediendum tale mysterium.* Tum istius Filiationis spiritualis modum edocere volens, sic subnectit: *Mulier & non Mulier, sed super Angelos & homines, & mulieres superexcedens mulier accepit à Filio, quem cum æterno Patre unicum possidebat Filium, præter ventrem, quem ante in carne habebat ipsa nepotem. Sed in quo Filiationis genere Ioannes Virginis factus est Filius, aut ejus Mater facta est Virgo? Non hoc Natura favet, non conceptus, non partus exequitur, non ingressus in uterum, ut denuò nasceretur. Mysticè igitur in Ioanne intelligimus omnes animas electorum, quorum per dilectionem B. V. facta est Mater. Filius enim in Græco, nomen amoris est. Omnis enim Christi amor in amorē Virginis transit, ut meritò Filius, id est amor Virginis nuncupetur, magisq; Virginem habeat Matrem, quàm illam, quæ illum ex peccato damnatum, mundo suscepto semine generavit. Mutatur hæc Maternitas, & Filiatio ex authoritate verborum Christi in Cruce pendentis, propterea natura transit in gratiam, & gratia nobilitat naturam. Non quod una in alteram commutetur, sed quia natura, ex gratiâ perficitur. Mala Mulier Eva, corruptione Naturæ: Bona Mulier Maria, Mater gratiæ, Mater misericordiæ. Datur Mater gratiæ, pro Matre Naturæ. Voluit igitur Christus in Cruce pendens antequam moreretur per omnia præostendere Charitatem, & quantum humanæ naturæ contulerat dignitatis, ut firma spes esset remeationis ad Patrem. Unde si dedit potestatem filios DEI fieri, his qui credunt, in nomine ejus, quod non per naturam, sed per gratiam fit. Cur non dedisset nobis, ut filij essemus Matris ejus, quod fit per gratiam, quæ infinita potentia est, non per naturam, quæ est potentia limitata? Quamobrem ex illâ horâ accepit eam Discipulus in suam. Ex illâ horâ scilicet, quâ Christus pro Matre reddidit Matrem, aut Matri naturæ addidit Matrem gratiæ, Discipulus Matrem Virginem in suam, animo reverenti, & animo inclinato suscepit. Ex his igitur apparet manifestè, ò fidelis anima, quam insatiabilis amor sit dulcis IESU, qui omnimodo tuam omninò operatur salutem, tuis compatiens lapsibus, in recommendatione maternâ tibi medicinam providit, & apud justitiam suam efficacem tibi constituit Advocatam. Ille verò qui primo meruit hujus medicinæ sanitate potiri, Discipulus ille, quem diligebat IESUS, qui sicut in cæteris, sic & maximè fuit in ista recommendatione dilectus, non mediocriter fuit ditatus ampliatione, virtutibus, meritis, ac supplicationibus hujus sacratissimæ Matris.* Hæc Bernardinus

Mirabile est hominem, Dei Matris Filium effici

M. Mulier, non mulier, sed omnibus Angelis hominibusq; excellentior creatura.

Ioannes B. V. Filius per gratiā

Dei Filius, est Amor B. V.

Maria bona Mulier: Eva mala.

Pro Matre Naturæ data est nobis Mater gratiæ Maria.

Christus dando nobis B. V. in nostrā Matrem ostendit suum in nos amorem esse insatiabilem.

Christus commendando nos suæ Matri, providit nobis medicinam & Advocatam.

52. Hanc Christi in donanda Matre Dilecto Discipulo, liberalitatem, ac munificentiam dum consideraret mellifluus Bernardus Tract. de Pass. cap. 10. præ amoris teneritudine colliquescere videbatur; postquam enim paraphrasi pereleganti verba reddidisset Christi: *Mulier &c. Tu me Filio corporaliter privaris, unde tibi amicum præ cunctis dilectum, in Filium do, cujus præsentiâ interim dum absum consoleris. Tu verò me Patre spoliaris, unde hanc Matrem mihi charissimam tibi in Matrem do. Conservate jura mutua charitatis ad invicem, tu istum Filium, tu istam Matrem habendo;* His, inquam, præmissis, amore accensus, exclamat: *O quam munificus factus es, in nuptijs tuis Rex, & Sponse bone IESU! Quam largè quæ habuisti, omnia tradidisti! ecce ipsis crucifixoribus tuis orationis affectum, latroni Paradisum, Matri Filium, Filio Matrem, mortuis vitam, manibus Patris animam tuam; toti mundo signa potentiæ contulisti, pro redimendo servo, non ex parte sed totum sanguinem ex multis & largis foraminibus profudisti.* Sic ille.

S. Ioannes fuit à B. V. ditatus virtutibus & meritis.

Christi amor & liberalitas in Matre nobis donanda.

53. Hæc porrò Salvatoris verba, quibus Matri dilectissimæ Ioannem in Filium tradebat B Petrus Cardinalis Damiani serm. 2. de S. Ioanne tantæ fuisse asseveravit energiæ, ut ea verbis consecrationis Eucharistiæ conferre non dubitârit: *Neque*, inquiens, *verba illa, quæ Salvator noster in Cruce positus, protulit: Mulier ecce Filius tuus &c. Sic simpliciter sunt accipienda, ut humano tantùm videantur more prolata, sed prorsus efficacia sunt, & Divinis virtutibus fulta, atq; inevitabili veritatis authoritate subnixa: Illud enim unicum Patris Verbum quod in cruce pendebat substantivum, & consubstantiale Patri, ac sempiternum est,*

Vis verborum Christi in Matre nobis tradēda admirabilis.

est, atq; iccircò verba quæ locutus est quia Spiritus & vita sunt, inaniter transire non potuerunt: Cœlum, inquit ipse pius IESVS, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Sicut enim dixit Matri: Hic est Filius tuus, ita dixit Discipulis: Hoc est corpus meum; & tantus fuit in illis verbis effectus, vt illicò panis ille, quem dabat, Dominicum fieret corpus. Dixit enim & omnia facta sunt, mandavit & creata sunt. Ex quadam igitur similitudine, si dicere audeamus, & beatus Ioannes non solùm filij potitus est nomine, sed propter verba illa Dominica, quoddam majus necessitudinis Sacramentum apud B. Virginem meruit obtinere. Consideremus itaq; quanta gloria magnus vir iste credendus est, qui per quoddam adoptionis arcanæ mysterium & Filius Virginis, & frater est Salvatoris. Hinc est quod mentem ejus DEVS ad tantum puritatis, ac mysticæ revelationis culmen evexit, vt ei non modò statum Ecclesiæ præsentis ostenderet, sed etiam quid deinceps futurum esset usq; in perpetuum revelaret. Hactenus Damianus.

Verba Christi Mulier: ecce Filius tuus, similia illis: Hoc est corpus meum.

Verborũ Christi efficacitas

B. Ioannes est Filius Virginis, & Frater Salvatoris.

54. Ob hanc Virgineæ Filiationis, ac plusquam Angelicæ puritatis, dignitatem, quam ex DEIparæ diuturno consecutus erat consortio, S. Apostolus innumera obtinere promeritus est privilegia, quæ ubertim prosequitur Damianus, qui quoniam non ita est omnibus ad manus, libuit ea hic attexere, quo magis DEIparæ cultores ad ipsius filialem amorem servitiumque fidelissimum inflammentur. Inter hæc porrò privilegia illud est non vulgare, quod Angelus, nullâ prorsus ratione sese ab illo passus sit adorari. Vnde quasi consternatus, quod tam digna tanquam DEO, DEIparæque dilecta persona ante se venerabunda procideret, exclamavit Apocalypsi 19. *Vide ne feceris, Conservus tuus sum.* Et licet nonnulli censeant Angelum ideò Ioannis venerationem illam refugisse, quod Virgo in carne esset fragili, ac mortali, puritatemque Angelicam gloriosiori quâdam ratione æmularetur; nihilominus tamen cùm Iosue, teste S. Ignatio Mart. Epist. ad Philipp. & Hier. lib. 1. cont. Iovin. Virgo fuerit, & tamen ad genua Angeli procubuerit, nec illam adorationem respuerit, sublimiorem aliquam dignitatem, Angelum illum, perspicacissimo suo intellectu rimatum fuisse in Ioanne censendum est. Hanc nobis inter alias quam plurimas insinuasse visus est jam memoratus Beatus Petrus Cardinalis Dam. Serm. 1. de S. Ioanne, dum Virginitatem Ioannis DEIparæ Virginitati affinem, propinquamque fuisse asseverat. Sed ipsa verè aurea tanti Cardinalis verba audiamus: *Hanc nimirum hominis eminentiam, hanc meritorum sublimium celsitudinem Angelus ille cognovit, qui se ab illo adorari prohibuit. Refugit obsequium ab illo suscipere, quem noverat apud communem Iudicem locum gratiæ familiariter obtinere: noluit adoratorem quem decernebat æqualem: Fratrem recognovit, Socium judicavit, subjectionis obedientiam non accepit. Quamvis enim in omnibus Sanctis semper sit Angelica mundicia contubernalis, & cognata virginitas, beatus tamen Ioannes tanto reliquas Virgines superat, quanto Virginitati B. M. per sedulitatis, ac perpetuæ custodiæ meritum appropinquat. A qua sola videlicet præceditur, quia fœcunditas Virginalis, quæ est in Maria, nullis est omninò meritis comparanda; & non solùm, quia fœcunda est, sed quia Deifica est. Atq; ita sicut venerandæ Matris Domini Virginitas B. Ioannis Virginitatem excedit, sic ipse pro glorioso ejus contubernio cæteros à mundi primordio Virgines antecellit.* Sic Damianus.

Angelus dignitatẽ Ioannis admiratus non est passus se adorari.

S. Ioannis Virginitas gloriosior quàm Angeli.

Iosue fuit Virgo.

Virginitas B. Ioannis germana Virginitati M. ac similis.

Cur Angelus se adorari à S. Ioanne non est passus?

Angelus Ioan. adoratorem respuit, quẽ apud communẽ Dominum agnoscebat æqualem.

Fœcunditas Virginalis in M. nullis est omninò meritis comparãda.

55. Ex quo quidem contubernio & propinquitate Ioannis cum Virgine, similitudinem quandam ejusdem videtur consecutus, ut quemadmodum DEIparæ nostræ Virginitas fœcunda (quod in nullum omninò etiam præstantissimum cadere potest Angelum) pariendo Verbum illud æternum, extitit; Sic quoque Ioannis quodammodo mens illa Virginea, idem illud Verbum ab æterno à Patre genitum, rursus mente suâ conceptum, quasi generavit, in lucemque protulit, cùm dixit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEVM.* Ac proinde vel ex hoc privilegio Ioannes Virginis Filius planè matrizans, illius quam simillimus existimandus est. Quid mirum igitur si Angelus tantam in Ioanne admiratus excellentiam DEIparæ quam simillimam, tanti viri adorationem recusavit?

S. Ioannes ex contubernio B. V. cæteras à mundi exordio Virgines antecellit.

S. Ioannes similis V. Deiparæ, quod Verbum æternum mente, sicut illa ventre concepit.

56. Quid de alijs hujuscè Virginalis Filij admirandis planè, quibus eum Divina liberalitas, plenâ, quod ajunt, manu, locupletavit, privilegijs DEIparæ quam simillimis dicam? Moritur Virgo suavissimè absque ullo doloris sensu; purissimus ejus Spiritus infinitis Beatorum Spirituum stipatus myriadibus, astra petijt; corpus ejus Sanctissimum Filij incorruptionem imitando, nullam

S. Ioannes B. V. in morte similis.

vidit corruptionem. Non degenerat Virgineus hic à Matre Filius, dulcissimè & ipse dissociatur à corpore, inque sui Creatoris, purissimâ illam animam exhalat sinum. Quid enim lux illa, quæ eũ exspirantem circũdedit, notabat aliud, quàm illius, qui de se ipso verissimè dicebat. *Ego sum Lux mundi*; amabilissimam præsentiam? Virgineum etiam ipsius corpus nulli corruptioni post mortem videri potuit obnoxium, dum nullibi in præsentem usque diem illud reperiri valuit. Vnde idem B. Cardinalis Petrus Damiani serm. 2. de S. Ioanne censuit, dilectissimum hunc Christi Discipulum Matrem Virginem imitatum, cùm animâ corpori purissimo rursus associatâ in cœlum, velut Regiæ cujuspiam pullum Aquilæ evolasse suæque sanctitatis excellentissimæ, puritatisque Virgineæ, Marianæ non absimilis, in monimento ad memoriam sui nominis sempiternã, vestigia, manna videlicet, cibum Angelicum reliquisse.

S. Ioannes clarâ luce circũfusus moritur.

S. Ioannes cum anima & corpore velut Aquila in cœlum evolavit.

Verùm ut hæc, quæ diximus, majus obtineant firmamentum, ipsa tanti Doctoris verba audiamus: *Iam verò*, inquit ille, *illa Beata migrationis ejus novitas mirabilis, quem non moveat? Quis fœlicissimæ consummationis gloriam non obstupescat? Quia enim mirabiliter vixit, mirabiliter obijt, & quia non communem cum hominibus vitam duxit, non communi hominum morte transivit. Nam, ut historia continent, quadratam in Ecclesia fieri foveam jussit, moxq; in eam descendens extentis manibus, post prolixa fusa orationis verba migravit. Mox autem tanta super eum lux cœlitus est emissa, ut nullus eam ferret aspectus. Postmodum verò inventa est fovea nihil aliud in se continens, nisi manna, quod videlicet sicut dicitur, usq; hodie scaturire non desinit, sic nimirum, sic Dilectum Authori vitæ Discipulum transire, de sæculo dignum fuit, ut tam fieret à dolore mortis extraneus, quàm à corruptione carnis fuerat alienus. In sepultura, Crucis in modum jacere voluit, quia jugiter crucem, vivendo portavit.* Inde institutâ inter B. Petri & Dilectissimi hujus Virginis Filij mortis comparatione, mirificè ipsius suavissimum extollit ex hac vitâ transitum, ejusque in Verbis illis Christi: *Sic eum volo manere donec veniam*; eximiam agnoscit fœlicitatem: *Veniam*, inquiens, *ut eum vinculo carnis absolvam. Veniam, ut eum ad gloriæ meæ consortium transferam; Veniam, ut laboribus ejus dignæ remunerationis præmium reddam. Veniam, non mittam supernam aliquam virtutem, non Angelicam potestatem, quæ hujus ministerij mihi fungantur officio, quæ obedientiæ hujus exequatur effectum. Ipse per memetipsum veniam, ipse egredientem ejus animam in gloria mea claritate suscipiam, quam & in carne manentem Divinitus illustrabam. Ad hujus deniq; promissionis effectum clarum dedit indicium, cùm in ejus obitu radiantem fecit enitescere lucem, per quam videlicet liquido patuit, ipsum cœlitus advenisse lucis Authorem. Adfuit igitur Dominus suæ promissionis non immemor, qui & animam ejus in illa superna Hierusalem quiete susciperet, & sacratissimum corpus, in ea, quæ ipse novit secreti recessus arcana trãsferret. Nam & de B. Enoch legitur, quia ambulauerit cum DEO, & non inueniebatur, quia transtulit illum DEVS. Quantæ igitur reuerentiæ habendus est hominibus B. iste Ioannes, quem ipse Author Vitæ honorauit, in carne manentem, honorauit & de sæculo recedentem? Nimis enim honorati sunt amici tui DEVS. Honorauit siquidem eum in vitâ, cùm de sacrosancto pectore suo illi reclinatorium fecit. Honorauit rursus in morte, cùm ad suscipiendam fœlicem meritis animam dignatus est advenire. Nec mirum si diversis eum honoribus cumulavit, quem & in consortium sibimet adoptivæ fraternitatis adscivit.* Sic Cardinalis.

S. Ioannes quia non communẽ hominibus vitam duxit, non communi morte obijt.

S. Ioannis mors mirabilis, Virgineæ quã simillima.

In S. Ioannis Sepulchro Manna.

S. Ioannes liber à corruptione mortis, quia liber à corruptione fuit carnis.

S. Ioãnni morienti ipse Christus adstitit.

Anima Ioannis morientis in luce suscepta, qa Christi lumine fuit hic dum viveret illustrata.

Christus S. Ioannẽ viventem & de vita hac recedentem honoravit

57. Sed de Manna in sepulchro hujuscè dilecti Christi Discipuli; Filijque Deiparæ charissimi reperto, eundem Damianum differentem tantumq; prodigium celebrantem rursus videamus: *Iam verò*, inquit ille, *illud quis dignè miretur, quod in Sepulchro ejus Manna reperitur, & in terræ specu panis cœli, non semel, sed quotidie nascitur. De quo scriptum est: Panem de cœlo dedisti eis Domine, omne delectamentum in se habentem. Veniant igitur omnes nationes gentium, & obstupescant miraculum, omnibus ubiq; sæculis inauditum. Veniant, inquam, & admirantes aspiciant, quia in Sepulchro, quod domus est vermium, panis nascitur Angelorum, de quo Propheta: Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo: quod illis tunc mittebatur de cœlo, nunc scaturire conspicitur de sepulchro. Ecce quid meretur pudicitia Virginalis. Ecce quanta magnitudinis est inviolata carnis integritas. Videte, considerate, perpendite, quid deliciarum incorruptio carnis habet in cœlo, si cibum cœli generat in Sepulchro. Quantis illic honoribus sublimatur B. Virginitas, ubi nimirum sola est gloria; si & in loco fœtoris, atq; putredinis tam mirabiliter est gloriosa?*

In Sepulchro S. Ioannis Manna quotidie nascitur.

Virginalis pudicitiæ merita.

Virginalis incorruptio panẽ cœli generat in Sepulchro.

58. Causam porrò hujuscè prodigij

gij illam potissimum fuisse crediderim, quod cùm Christus Dominus, ejusque Mater tanquam ipsius fidissima Patrona, Parensque dilectissima, ad illud sepulchrum placidissimè sanctissimam, illam purissimamque animam exhalanti adstiterint, certissima suæ præsentiæ indicia ad tanti Apostoli perpetuam gloriam relinquere voluerint. Christus enim Dominus æquè atque ejus Mater amantissima, Manna sunt dulcissimum, suisque amatoribus, creaturarum omnium, quæcunque in mundo hoc reperiri possunt, delicias ad instar Mannæ communicare consueverunt, adeò, ut illis habitis, velut summum æternumque bonum possidentes mortales, verè cum Seraphico Francisco dicere possint: *DEVS meus & omnia.*

Christus & B. V. morienti S. Ioanni assistentes præsentiæ suæ indicium Manna in sepulchro reliquerunt.

59. Tandem de fœlicissimo hujus animæ beatissimæ unà cum corpore in æternam vitam, ad Matris suæ Beatissimæ imitationem transitu eundem Cardinalem audite: *Etsi non audemus pleniter definire, pium tamen est arbitrari, vt sicut de Beata Dei Genitrice creditur; Ita etiam Beatus Ioannes iam resurrexisse probabiliter asseratur, quatenus sicut in Virgineâ fuerunt integritate participes; ita nihilominus & in anticipatâ resurrectione meritò videantur æquales; nec sit in resurrectione diversitas, quibus tantâ fuit unanimitas conversationis in vitâ. Si enim beatissimi Virgines isti Ioannes & Maria, nullatenus surrexissent, cur in eorum tumulis sepulta cadavera non iacerent, cùm scilicet Beatorum Petri & Pauli cæterorumq; Apostolorum, ac Martyrum corpora suis quæq; noscantur Mausoleis tumulata? Nam quod verè Beatus Ioannes obierit, ac procul dubio mortis iura persolverit, nullo modo meliùs, quàm eius verbis comprobatur. Porrò autem siue resurrexisset, siue non, quod in sepulchro sanctum eius corpus ulterius non apparuit, Diuina sine dubio virtutis operatio fuit, renouatumq; est illud de corpore Moysi nunc etiam in Ioanne miraculum; de quo Deuter. 34. Mortuus est Moyses famulus Domini, iubente Domino; & sepelivit eum, & non cognovit homo sepulchrum eius, usq; in præsentem diem. Qui enim legislatorem tunc dignatus est nullis scientibus sepelire, ipse etiam corpus Evangelistæ sui secreto quodam mysterio voluit sepulturæ subducere. Nec immeritò in dignitate, suis delatâ cadaveribus, congruunt, qui & in sublimibus vitæ suæ meritis, diversis licet temporibus concorditer claruerunt.. Verùm, ut cum bona S. Moysis pace loquar, Ioannes potior invenitur. Ille siquidem minister extitit legis, hic prædicator extitit gratiæ.*

Piè creditur S. Ioãnes cum anima & corpore uti V. Mater in cœlum evolasse.

Quia S. Ioannes B. V. in vita fuit similis, dignus fuit ut etiam in morte ei assimilaretur.

Moysis sepulchrum ignotum.

S. Ioannes cum Moyse in sepultura convenit.

S. Ioannes cum Moyse confertur.

Tandem varijs inter utrumque appositis parallelis, concludit vel ex eo, majori dignitate fuisse conspicuum Ioannem, quod Virgineum illud animatumque Incarnati Verbi Tabernaculum, ejus curæ fuerit comissum: *Moyses*, inquiens, *tabernaculo præerat, quod nubes operiebat; ita vt aliquando nec ipse Moyses posset intrare Exod. 40. Ioannes verò melioris tabernaculi custos factus B.* MARIÆ *minister extitit, quam non videlicet corporea huius aëris nubes obtexit, sed Spiritus Sanctus invisibiliter obumbravit. Et gloria Domini, hoc est Filius Dei, qui hoc tabernaculum non mox discessurus, sed veram carnem suscepturus implevit, non mansit sub aërea caligine nubis, sed potiùs in lumine Solis: In Sole siquidem posuit tabernaculum suum. Per illum datum est Manna Israëlitico populo; ecce quantò gloriosiùs habet iste Manna etiam in sepulchro?*

S. Ioanni Virgineũ Tabernaculum cõmissum fuit.

B. V. Tabernaculũ fœderis.

60. Ex his alijsque innumeris Sanctissimi Evangelistæ privilegijs facilè est perspicere quantæ quamque eminentis; DEIparæ Filij futuri sint dignitatis, si vestigijs ejus insistentes, filiali, castissimoq; amore, & quam diligentissimo in rebus omnibus, ejus gloriam honoremque concernentibus ferantur, obsequio. Quod sine dubio unusquisque pro modulo suo præstiturus est, si non tam nomine, quàm omine, reque ipsa Ioannes esse contendat, & lethalia peccata quæ Divinam in nobis Gratiam extinguunt cane pejùs & angue aversetur, omniaq; extrema subire potiùs, & mille mortes amplecti eligat, quàm vel unico scelere supremam illam Majestatem, Bonitatemque offendere. Præclarè enim Sanctus docuit Antoninus 4. P. Tit. 15. c. 2. illis solis in Matrem dandam esse DEIparam, in quibus cœlestis reperitur gratia, eosque solos ejus dilectissimos evasuros filios, qui se ab omnibus peccati perpurgarint maculis: *Quia verò*, inquit Sanctus Antistes, *Ioannes interpretatur; in quo est gratia; cuilibet etiam qui Ioannes dicitur & existit, non nomine, sed eius interpretatione, in quo scilicet est gratia gratum faciens, datur Virgo Maria in Matrem ut dici possit: Ecce Mater tua: Vnde Anselmus, Mater Dei facta est Mater nostra.*

M. datur in Matrem illis, in quibus est gratia.

61. Et jure sanè merito Mater gratiæ datur Filio, in quo est gratia, Mater pulchræ dilectionis Discipulo quem præ cæteris diligebat IESVS. Virgo denique

Quã merito M. data in Matrem Ioanni?

Virgini. Unde Beatus Arnoldus Carnotensis Abbas ser. de septem verbis Domini hinc deducit quampuri, quam sancti sacrorum ministri esse debeant, siquidem Mater purissima, Virgineo, purissioque Discipulo, à Christo donatur: *Tradit Christus exemplum*, inquit, *quod ad conservanda, quæ sancta sunt, debeat eligi sanctitudo, nec sacramentorum arcana impuris sint exponenda conspectibus, nec possit dignè sacris ministrare mysterijs, nisi qui in scholâ studuerit continentiæ conversari. Decet enim, ut qui mundandis vel mundis officium exhibeat, omnimodâ resplendeat sanctitate, quia omninò huic formæ contrarium est, ut contrectet incorrupta, corruptus, & purificatorijs muneribus manum apponat impurus.* Unde paulò ante eundem Discipulum summo sacrorum Antisti contulerat, cui in sancta sanctorum soli patebat ingressus, proinde eundem alloquens ajebat. *Solus illi assistis propitiatorio; solus illud Vas aureum continens manna, illud Divinæ legis scrinium Pontifex destinatus observat. Loco Filij positus es, & ut vicem in Matre suppleas ordinaris, nec abnuit te Mater sancta vicarium, licet longè imparem & inferioris tituli, tamen quia sic visum est Filio amplectitur successorem.*

Sanctis Ministris, Sancta sunt committenda.

S. Ioannes quia incorruptus & castus fuit, ideò B. V. illi comissa.

Optat ergò aliquis Virginis hujus esse Filius, optat ut ejus puram protectionem, ac Patrocinium suscipiat hæc Sancta Sanctorũ, sit Sanctus? ab omni labe, peccati liber, ut Ioannes, sit purus in animo & corpore, Angelicamque ipsius mundiciam quoad potest æmuletur.

62. Neq; verò tunc Virgo cùm stabat juxta Crucem, verùmetiam cùm Christũ peperit, ut alibi dictũ, Mater nostra est effecta, ut ait Goffridus. Cardin. serm. 7. de Purif. *Verè, bona Maria peperit Christum, & in Christo peperit Christianos. Est itaq; Mater Christi, Mater Christianorum; si Mater Christi, Christianorum Mater est, patet profectò, quia fratres sunt, Christus, & Christiani. Nec solùm Christus Christianorum frater est, sed Pater omnium hominum, & præcipuè Christianorum.*

B. V. cùm Christum peperit Mater Christianorum effecta.

Et quoniam peccatis ex albo Filiorum Deiparæ obliterari, mortales contingit, docet idem Cardinalis, quânam ratione, in pristinam cum Deo, ejusque Matre gratiam redire, & veri Ioannes evadere possimus: *Et nos quidem*, inquit ille, *Christiani sumus; at voluntate, malitiâ, & multiplici malignitate, à tanta fraternitate facti degeneres, tanti Patris nos indignos fecimus hæreditate. Unde ad Matrem ipsius, & per ipsam ad ipsum recurramus, qui piâ, & misericordi dispensatione Matrem suam, nostram esse voluit, ut nobis in nostra necessitate ferret auxilium. Et quoniam Redemptorem nostrum paratissimum ad ignoscendum novimus, & eius gloriosam Matrem habemus, si volumus, in adiutorium, non est nobis iacendum in peccatis, sed citius resurgendum. Et quia nostris meritis hoc minus, imò nihil penitus agere possumus, aliunde quæramus consilium. Hic sanè misericordiâ Redemptoris, & eius Matris auxilio solummodo nobis restat agendum. Et ideò fratres, nos miseros, & infœlices humiliter fateamur, & cum timore pariter, ac dilectione oremus bonam Dominam Matrem* MARIAM *piam Virginem, ut nobis peccatoribus non indignetur, quam ut dignum est nunquam honoravimus, sed multis iniurijs ad iram provocavimus. Non sit memor iniuriarum, sed quo nos genuit amore vincatur, Matrisq; pietate circa nos hæreat, quasi iam pro peccatis deputatos ad pœnam. Suscipiat causam nostram Mater pijssima, & negotium nostrum agat, nobisq; auxilietur, ut nos à morte peccatorum, suo auxilio suscitatos inducat in templum gloriæ cœlestis & offerat Filio suo, & ad pedes eius nos ponat.* Hactenus Cardinalis de Materna Virginis in mortales omnes effusissimâ pietate, ejusdemque in pariendis Christi Filijs fœcunditate.

Ex albo Filiorum B. V. per peccata & maliciam delemur.

Ad B. V. peccatores ut Deo reconcilientur confugiant.

B. V. Orãda ne nobis indignetur.

M. nunquã ut dignum est honoratur.

M. non est memor iniuriarum, quia amore quo nos genuit, ad pœnas deputatos eruit.

63. Fœcunditatem hanc porrò Maternam, ad fideles Christo pariendos, sicut & illam, ad DEI generandum Filium participavit, sine dubio, à summo illo rerum omnium Parente, à quo omnis Paternitas in cœlo, & in terra nominatur. Quare præclarè Seraphicus Bernard. Senensis ser. 11. ar. 2. c. 1. *Ab ipso*, inquit, *æterno Patre B. V. recepit fontalem fœcunditatem ad generandos omnes electos.* Idem ait DEIparam in primo Incarnationis Filij DEI, instanti virtute Spiritus Sanctus non solùm concepisse Christum, verùm etiam omnes fideles, utpotè ejus membra: *Sanctissima Virgo*, inquit ille, *per consensum in Incarnationem, omnium Electorum salutem viscerosissimè expetijt, & procuravit, & ex tunc in suis visceribus omnes baiulauit, tanquam verissima Mater filios suos.* Hinc Divus Augustinus lib. de Virg. c. 6. *Hæc*, ait, *Mater est spiritu membrorum Salvatoris, quia cooperata est charitate, ut fideles in Christo nascerentur.* Hinc Sanctus Cyrillus Alexan. Hom. 6. contra Nest. ipsi velut Matri amantissimæ conversionem Gentium, ac regeneratio-

B. V. fœcunditaté pariendi tam innumerabiles filios à Patre æterno participavit.

B. V. in primo Incarnationis instanti nõ solùm concepit Christũ, sed & omnes fideles utpote ejus membra.

rationem in spiritu attribuebat: *Per te omnis creatura Idolorum errore detenta conversa est ad agnitionem, veritatis, & fideles omnes ad sanctum baptisma pervenerunt, totoq; Orbe terrarum constructæ sunt Ecclesiæ, te adiutrice gentes perveniunt ad pœnitentiam.* Hinc denique Guerricus Abbas ser. 2. de Nativitate Beatæ Virginis alludens ad illud Apostoli quod perscripsit Galatis: *Filioli mei quos iterum purturio donec Christus formetur in vobis*, ait Virginem quoque Deiparam fideles omnes hac ratione parere. *Hoc ipsum*, inquiens, *& Maria sapere videtur, quæ dilectum uteri sui, dilectum votorum suorum insinuare cupiens affectibus omnium, cupit formare Vnigenitum suum in omnibus filijs adoptionis, qui etsi geniti sunt verbo veritatis, nihilominus tamen parturit eos quotidie desiderio, & curâ pietatis. donec occurrant in virum perfectum; in mensurâ plenitudinis ætatis filij sui, quem semel parturivit & peperit, quia peperit sine dolore, nec est experta difficultatem & molestiam parturitionis, cùm pareret gaudij fructum æterni.* Sic Guerricus.

B.V. convertit Gētes ad fidem.

B.V. format Filiū suum in omnibus suis filijs adoptionis.

64. Hæc admirabilis tantarum gentium, ac populorum conversio, ac regeneratio, ope Virginis, inusitatâ imperceptibilique quâdam facta est celeritate, ut non immeritò Cardinalis Cajet. hac in parte Deiparam Auroræ contulerit, quæ momento temporis innumeras roris stillas, toto terrarum Orbe, facilitate mirabili generare consuevit. De hujus Virgineæ generationis facilitate loqui visus est Isaias c. 66. quandò dixit: *Antequam parturiret peperit, antequam veniret partus eius, peperit masculum.* Quod licet de Christi generatione intelligat Richardus à S. Laurentio lib. 4. intelligunt nihilominus etiam nonnulli de spirituali hac fidelium regeneratione, quæ eâ fœlicitate, absque ullâ parturitione, ac dolore Virginis, qua ipsa Christi Nativitas facta est. Vnde meritò tam inexpectatam, ac prodigiosam propemodum ipse Evangelicus Propheta contemplatus prolem, mox subjunxit: *Quis audivit unquam tale, aut quis vidit huic simile? Nunquid parturiet terra in die una? aut parietur gens simul? quia parturijt & peperit Sion Filios suos.* Ac si clariùs Propheta diceret: Nonne si terra, ineunte verè, simul, & semel flores, fructusque diversi generis, quibus alias totum anni circulum coronare consuevit, uno die ubique produceret, & simul ubique terrarum gentes, ac populi momento temporis, velut ex Draconis Agenorei seminatis dentibus consurgerent, res foret inaudita, res foret obstupescenda? Pari quoque ratione res est omninò admirabilis, res omnes naturæ excedens limites, tam brevi tempore, tantâ fœlicitate tot gentes, ac populos, immanitate, ac barbarie efferatos in novam creaturam regenerari. Miraculum hoc soli Creatori, ejusque Divinissimæ Matri, animatæ illi Sioni competit, in qua habitando ipse, tam admiranda, ac prodigiosa opera perpetrare, tam innumeros fidelium populos, velut copiosissima cœlestium apum examina, ad fidem, cooperante ipsâ etiam Virgine, convertendo, non est dedignatus, uti in novo Orbe, exigui temporis spatio Societatis nostræ minimæ industriâ potissimum, videre est.

À B.V. conversio gentium, & generatio celerrimè perfacta.

Vt Aurora innumerabiles roris guttas citissi. parit, sic B.V. suos filios.

B.V. qualibet terrâ fertilior, quod tot filios spirituales brevi tempore pepererit.

Gentes tam cito ad fidem fuisse conversis est Miraculū Christo, ejusq; Matris tribuendum.

65. Admirabilem hanc Deiparæ fœcunditatem, purissimæ associatam Virginitati admirans Sponsus memorabile illud uteri tam sancti, tamque fœcundi protulit elogium: *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus lilijs.* Cant. 7. quibus verbis Richardus à S. Laurentio lib. 2. de laud. B. V. Partic. 5. compassionem & Charitatem asserit Virginis innui, quæ miseros mortales omnes, in ventre suo portat, & quantum in se est, sua omnibus communicat per charitatem. Vnde venter ejus dicitur: *Acervus tritici.* Et de hac portatione in utero suo spirituali, pietatem ejus designante, loquitur ipsa cum Filio: *Ego feram, ego portabo, & salvabo.* Isaiæ 46. Simili penè ratione idem elogium interpretatur Honorius Augustodunensis Presbyter in Sigillo B. V. c. 7. *Vterus*, inquiens, *hujus beatus, in quo latet Vnigenitus DEI Incarnatus, qui fuit triticum, de quo conficitur panis fidelium; Ipse etiam acervus, quia in eo cumulatur credentium populus, verè vallatus lilijs, qui stipatus est Virginum choris.* Denique Virginalis hic uterus, acervo tritici comparatus, quod fœcunditatem Deiparæ quâ multitudinem, & quendam quasi populorum, gentiumque acervum, visceribus amplissimæ suæ charitatis complexa est, denotet, docet Petrus Riga in Commentarijs M. S. super Cant.

B.V. acervus tritici vallatus lilijs ob multitudinem filiorum, & puritatem

Venter designat turbas, quæ corde fideli
Sunt triticū, quarū mens tendit ad horrea cœli.
Quæ quia vallantur nitidorū germine florum,
A sanctis dum sancta trahunt exempla bonorū

O ute-

O uterum purissimum, ac fœcundissimum omnibus terrarum cœlorumque spatijs ampliorem, qui granum illud frumenti, quod de cœlo in terram Virgineam cadens, & in se novem mensium spatio confovens, acervum ingentem fidelium, Virgineâ puritate nitentium protulit. Verè granum illud frumenti cœlestis cadens in terram illam multum fructum attulit.

B.V. Congregationes sunt acervi tritici vullati lilijs.

66. Et licet omnis fidelium Ecclesia sit Grani illius ingẽtis uberrim⁹ fructus, Congregationes tamen cultui Divæ Virginis potissimum mancipatæ, totoque terrarum Orbe, usque ad Sinas & Iaponios, ultimamque Thulem disseminatæ, acervi quidam copiosissimi tritici, omni lolio depurati, lilijsque Virgineæ puritatis circumvallati, mihi esse videntur.

B.V. Filij, lilijs castitatis, ac puritatis vallantur.

Quas Virgo pientissima peculiari benevolentiâ, amore, ac curâ plusquam maternâ prosequendo, velut acervos tritici, sinu, uteroque suo recondere, exemplisque suæ castitatis, ac sanctimoniæ, velut lilijs circumvallare videtur, donec tandem in cœli horrea importentur.

Maria ager minimè cultus qui manipulum fidelium protulit.

Quare præclarè Sanctus Epiphan. lib. de laud. Virg. de illa pronunciavit: *Ipsa est ager minimè cultus, quæ Verbum vel Granum frumenti suscipiens, etiam manipulum;* innumerabilium videlicet Christianorum, atque adolescentium, sanctissimo ipsius cultui sese devoventium *germinavit.*

Vterus B. V. granum frumenti proferẽs, copiosam messem fidelium germinavit.

De eadem hac Virginea fœcunditate præclarè etiam Gverricus Abbas disserit ser. 4. de Nativit. Domini. *Cùm cœli rorarent desuper, & nubes pluerent justum, Salvatorem terra germinaret; tanta superna benedictionis ubertas, quid ni fœcunditatem terris omnibus præstaret? Benedixisti Domine terram tuam, dedisti benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum, videlicet de uno grano frumenti, quod germinavit alvus Virginis ubiq; terrarum pullulante copiosâ messe fidelium.* Idem Abbas pientissimus serm. 2. de Annunc. licet ob illibatam Virginitatem, Mariam deserto cuipiam contulerit, eandem tamen ob fœcunditatem, terræ benedictæ, Paradiso deliciarum, Arbori vitæ, fructum benedictum IESVM cumque eo innumeros fideles germinanti comparavit. *Prorsus hodie,* inquit ille, *benedixisti Domine terram tuam illam benedictam in mulieribus. Hodie dedisti benignitatem Spiritus S. ut terra nostra daret benedictum fructum ventris sui, & rorantibus cœlis desuper, uterus Virginalis Salvatorem germinaret. Maledicta terra in opere prævaricationis, quæ etiam exercitata, spinas & tribulos germinat hæredibus maledictionis. At nunc benedicta terra in opere Redemptoris, quæ remissionem peccatorum, fructumq; vitæ parturit universis, filijsq; Adæ præjudicium Originalis dissolvit maledicti. Prorsus benedicta illa Terra, quæ omninò intacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore cœli Salvatorem germinat, & mortalibus Panem Angelorum, alimoniam vitæ æternæ ministrat. Hæc itaq; terra quia inculta erat, videbatur esse deserta, sed erat opimo fructu referta; videbatur esse Eremus solitudinis, sed erat Paradisus beatitudinis. Planè Hortus deliciarum D E I, Eremus cujus campi germinaverunt germen odoris, planè desertum refertum, de quo Agnum Dominatorem terræ Pater emisit.* Hæc Gverricus de Virginea fœcunditate Deiparæ, Agnum DEI, & cum illo innumeras oves, animas videlicet fidelium parientis.

B.V. Terra benedicta, & fructifera.

B. V. desertum & Eremus cujus Cãpi germinaverunt germen odoris.

67. Hæc nimirum est Sara illa, Mater illius innumerabilis DEI populi, qui ad instar Stellarum cœlestium & arenæ, quæ est in littore maris, juxta Domini promissionem erat multiplicandus, proinde meritò Evangelicus Propheta illam summâ colendam observantiâ omnibus porfectionis Studiosis, post Abrahamum, Christum videlicet, Parentem nostrum amantissimũ suadebat Isa. c. 51. *Audite me,* inquiens, *qui sequimini, quod justum est, & quæritis Dominum: Attendite ad Petram unde excisi estis, & ad cavernam laci, de qua præcisi estis: Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos. Quia unum vocavi eum, & benedixi ei, & multiplicavi eum.* Quæ verba expendens Richardus à S. Laurent. lib. 6. de laud. V. *Ipsa,* inquit, *videlicet Deipara est Anna, quæ priùs sterilis, quo ad propositum Virginitatis, peperit hoc modo plurimos. Ipsa eandem ob causam figurata est per Saram, quæ licet non nisi unicum Filium carnaliter peperit Abrahæ, cui Dominus: In Isaac vocabitur tibi Semen, Gen. 21. dicta tamen est Mater totius Israëlitici populi.*

B. V. Sara Mater totius populi Israëlitici.

M. velut Sara imitanda.

Idem lib. 9. ait jure merito Virginem cavernam Lacus ab Isaia appellari: *Quemadmodum enim lacus receptaculum est aquarum, ita Virgo receptaculum fuit omnium pœnalitatum, quæ super Filium transierunt, in cujus persona ajebat Ionas cap. 2. circumdederunt me aquæ usq; ad animam. Illa enim ideò facta est cum Filio lacus miseriarum, ut eriperemur de lacu miseriæ & de luto fœcis, & salvaremur à descendentibus in lacum. Attendendum*

B.V. lacus pœnalitatum quæ erant in Filio.

B. V. peperit nos, cùm suum peperit Creatorem.

dendum igitur ad Saram hanc quæ ideò dicitur Princeps, quia Maria, cùm Filio Dei ubiq; principatur. Hac verè peperit nos quodammodo, quando nostrum peperit Salvatorem, qui verus Isaac & risus, gaudiumq; omnium extitit mortalium. Sic ferè Richardus.

68. Cùm igitur Deipara Virgo summi Dei Mater, facta sit omnium quoque nostrum Mater fœcundissima, atque amantissima, quid nobis restat aliud, nisi ut nos ei affectum filialem eumque ardentissimum ostendamus, incorruptisq; moribus, sedulâque ipsius præclarissimarum virtutum imitatione nos ejus veros esse Filios demonstremus, ne illa ipsius in nos cadat repræhensio, quam nonnemo indignus orans Virginem. *Monstra te esse Matrem;* audire meruit: *Monstra te esse Filium:* Filium porrò Virginis verè se demonstrat esse ille, qui, uti idem Richardus de S. Laurent. lib. 2. testatur, *imitator est illius in castitate, largitate, atq; humilitate. Filius enim ejus es, cujus opera facis. Vnde S. Petrus Ravennas: Qui Genitoris non facit opera, negat genus. Hinc Salvator. Si Filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Tandem concludit: *Filij ergo sunt Mariæ, imitatores ejus, in benignitate, mansuetudine, misericordia &c. Tales nimirum currunt in odorem unguentorum ejus.* Quamobrem placidissima illa Virginis vox aures nostras identidem circumsonare debet: Prov. 8. *Nunc ergo Filij audite me, beati qui custodiunt vias meas;* meis vestigijs, virtutum imitatione insistendo; audite disciplinam, quæ nimirum Filij mei præceptis, Sodalitatumque continetur institutis, & estote Sapientes, & nolite abijcere eam. Imaginemur nobis vocem illam Filij usurpare Matrem: *Fili, præbe cor tuum mihi.* Quæ vox cujus quæso ferreum, atq; adamantinum pectus non emolliat; cujus cor gelatum non liquescat, ac fluat? Quis denique est, qui ad dulcissimam æquissimamque petitionem hanc, amoris vehementissimi flammis exardescens in vocem illam Seraphici Doctoris non erumpat? Psalmo 109. *Paratum cor meum Domina, paratum cor meum laudes tibi psallere, ac cantare; major est Charitas tua cunctis divitijs, & gratia tua super aurum & lapidem preciosum.*

B. V. illis se monstrat esse Matrem, qui se moribus mõstrant ipsius esse Filios.

Filij B. V. debemus esse imitatione ipsius virtutum.

B. V. Filij observare debent ejus virtutum impressa vestigia ad imitandũ.

B. V. cor pũrum expetit.

B. V. cor offerendũ exemplo S. Bonaventuræ.

69. Promptissimâ igitur atque effusissimâ quâdam liberalitate, tanti viri exemplo, corda nostra Deiparæ consecremus, ut illa, puritate suâ plusquam Angelicâ emundet, igne castissimi sui amoris inflammet, inque suum cor purissimum sic liquefacta transformet.

70. Hanc gratiam Ludovicus V. Gallorum Rex à Virgine sibi donari desiderans, pro affectu illo singulari quo in eam ferebatur, Comitatum Bononiensem, cum Oppido, illi consecravit; utque ostenderet se ex puro amantique corde ad perpetuam tantæ Virginis laudem, gloriamque propagandam donationem illa adeò liberalem fecisse, Cor quoque purissimo conflatum ex auro ponderis bis mille aureorum obtulit, perpetuâque lege sanxit, ut ejus Successores tantundem singuli præstarent, ac Mariam Dei Matrem totius illius tractus Dominam, quæ jam inde ab Anno 1212. circiter in Oppido illo eximijs miraculis inclaruerat, agnoscerent, ac venerarentur. Kal. B. V. 30. Aug.

Ludovici Regis Franciæ liberalitas erga B. V.

Idem Rex Cor aureum obtulit B. V.

71. Exẽplum sanè insigne, ac planè Regium pietatis in Virginem Matrem, imitatione dignissimum. Cor quidem aureum tanti ponderis, ut quivis offerat, non opis est nostræ. At verò, ut ei cor nostrum auro charitatis puritatisque decoratum offeramus, consecremus, pro virili nos adlaborare oportet, si genuini ejus Filij, ac clientuli esse desideramus. Nihil enim quod in mundo preciosum est, ac delectabile, non aurum, non argentum, non reconditos rerum exquisitissimarum thesauros Virgo æquè æstimet, atque nostram synceram, quâ ipsam, ejusque dilectissimum Filium prosequimur charitatem. Hæc aurum est obrizum, aurum illud ignitum, ac probatum, quod Christus ut à se potissimum emeret, Præsul ille Laodicenus, si locuples fieri vellet, suadebat Apoc. 3. Quemadmodum enim metallum hoc, inter reliqua principatum obtinet, ita Charitas inter virtutes. Hæc nos tantæ Matris dignos reddit filios, dilecto à Christo Ioanni persimiles. Habita enim hac virtute præclarissimâ, reliquarum formâ pulcherrimâ, Divinam quoque, quâ nil est in mundo præstantius, obtinemus gratiam, quæ cùm idem cum Charitate sit, ut plurimi censent Theologi, nos in Dei, Virginisque charissimos adoptat filios, Christo cohæredes cœlestis Regni efficit, simulque omnibus cœli bonis etiam in hac vitâ locupletat, adeò, ut qui eam possidet, beatitatem illam cœlestem nullo fine terminandam, adhuc in hac lacrymarum, ac miseria-

Offerendum B. V. cor aureâ charitate conflatũ.

Charitas inter omnia preciosissima B. V. charissima.

Charitas aurum ignitum, & probatũ.

Charitas Regina & forma virtutum.

Charitas idẽ quod Gratia.

Gratia & Charitas dat nobis prægustũ æternæ beatitudinis.

rum valle, pace illâ animi, quæ exsuperat omnem sensum, perfruens, delibare videatur.

72. Quæ sanè adoptionis Gratia omnibus divitijs, gazisque Persicis, margaritis omnibus, ac gemmis preciosior æstimanda est. Verè enim illa habita fateri ingenuè possumus cum Salomone Sap. 7. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.* Charitatem quoque ejus, maternamque curam, quâ nos tanquam verissimos Filios, Sinu suo confovet, corde amantissimo, atque dilatato complectitur, rebus omnibus preciosissimis preciosiorem æstimemus. Verè enim de hac ejus dilectione, ac charitate dictum est in Cant. c. 8. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilatione, quasi nihil despiciet eam.*

Cum B.V. veniunt nobis omnia bona.

Amor B. Virg. quo nos prosequitur res preciosissima.

73. Incredibile dictu est quantâ solicitudine, quantâque curâ, pietatis plenissima circa nos, resque nostras distineatur Virgo Sanctissima; quam Beatus Antoninus 4. P. tit. 15. cap. 2. ut comprobaret utitur Isaiæ Vaticinio cap. 49. *Nunquid potest Mulier oblivisci infantem suum, ut non misereatur Filio uteri sui? Nullo modo,* inquit Sanctus Antistes, *sed magnam curam habet, ut provideat ei, de nutrimento & necessarijs. Et hinc est quod parvulus magis recurrit ad Matrem, pro his, quæ vult, quàm ad Patrem, quia magis à Matre experitur obtinere, quàm à Patre quod petit? O quanta cura est Virgini Matri de nobis? omnibus aperit sinum misericordiæ suæ, nec est qui se abscondat à calore beneficiorum ejus. Sileat misericordiam tuam ò Virgo Beata, ait B. Bernardus, quicunq; in necessitatibus suis te invocatam sibi deesse senserit? O quam verè de hac Muliere dixit Sapiens: Vbi non est mulier, ingemiscit æger. Non reperitur aliquis Sanctorum qui noverit ita compati, & adjuvare in infirmitatibus spiritualibus & corporalibus ægris personis, sicut Mulier hæc B. V. Maria. Deniq; nunquam fuit ullus Sanctus, vel Sancta ita affecta ad salutem & omne bonum populi Christiani, sicut B. V. Maria. Vnde cum Christus tribus lanceis vellet mundum, ob superbiam, avaritiam, atq; luxuriam perdere, B. V. precibus suis sententiæ obtinuit dilationem.* Sic ferè Sanctus Antoninus.

B. V. non potest suorum filiorum oblivisci.

B. V. omnibus Sinum misericordiæ aperit.

Vbi non est Maria æger peccator ingemiscit.

Nullus Sanctorũ ita afficitur erga salutem Christianorum, uti B. V.

B.V. obtinet apud Filium, ut nemo illorũ pereat pro q. bus vel semel ipsa oraverit.

74. Agnovit hanc curam solicitudinemque Virginis planè maternam in negotijs salutis nostræ pertractandis apud Filium Goffridus Cardinalis ser. 8. de B. V. *B. Maria Mater Virgo, & Sponsa intacta, pijssima apud pijssimum Filium suum obtinebit, ut nemo illorum pereat, pro quibus vel semel oraverit. Nec mirum, quia universum mundum suis precibus salvare potest, si ipsa voluerit. Et ipsa quidem pro universo mundo paratissima est ad precandum, totusq; mundus salvaretur, si precibus ejus se faceret dignũ. Hæc veracissimè apud omnipotentem Filium, ut diximus, oranda potest quicquid desiderat, sed pro illis, qui semper peccare desiderant, nullatenus orat. Pro quibus etiam nullus Sanctorum orare præsumit.* Et paucis interjectis differentiam ponens inter cœlitum, & Deiparæ Orationes: *Cæteri Sancti,* inquit, *Dominum DEVM orant, & orando impetrant, sed honorabilis V. Maria, si illum ex eo quod DEVS & Dominus est, exorare meritò creditur, ex eo tamen quod homo est, & natus ex ea, quasi quodam Matris imperio apud ipsum impetrare quicquid voluerit, piâ fide non dubitatur. Nam si quilibet Sanctus apud justum Iudicem obtinet quicquid sibi jure debetur; Hæc quæ est Mater Iudicis, omniumq; Sanctorum Domina, jure Matris nunquam fraudabitur. Hoc est enim materni juris apud Filios dignitate sublimes, ut si Matres eorum eos sæpius rogent, quia Domini sunt, eis etiam aliquando quasi imperent, quia Filij sunt. Bonum utiq; naturæ quod DEVS hominibus dedit, nunquam sibi, qui est summum Bonum, & à quo bona cuncta procedunt, negabit. Et quod hæc Beatissima Virgo Mater Domini fecisse legitur in terris, immeritò facere dubitaretur & in cœlis. Nam vino deficiente nuptiarum, dixit Filio: Vinum non habent, ac si ipsi præciperet, ut ipse faceret. Hoc bona Mater pietate quidem præcepit, quod bonus Filius piâ obedientiâ complevit.* Hactenus Card. de curâ pijssima Sacratissimæ Dei, omniumque mortalium parentis, amoris affectibus plenissima.

B. V. universum mundum suis precibus salvare potest, si vult.

Mundus totus salvaretur, si precibus B.V. se faceret dignum.

B. V. non orat pro illis, qui semper peccare desiderāt.

B.V. quodam Matris imperio impetrat à Filio quicquid voluerit.

B. V. patrocinium & preces nunquam suo effectu fraudantur.

Immeritò dubitamus B.V. intercedere pro nobis in cœlo, quæ intercessit in terris ad nuptias.

75. Amoris hujus Virginei in nos affectum insinuare visus est ipse Salvator cum Laodiceæ Episcopo, amplissimam illam faceret promissionem Apocal. 3. *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in Throno meo.* Et quem tandem Thronum hunc cujus nos consortes futuros adpromittit Dominus esse arbitramur? Thronus hic, ex communi Patrum consensu est Virgo Deipara, quæ amplissimo nos suæ charitatis Sinu velut utero Filios dilectissimos complectens, quid facere videtur aliud, quàm unà cum Vnigenito suo in Throno uteri sui Virginalis nos collocare? Hinc Beatus Damianus Cardin. ser. 1. de Nat. B. V. Vterum hunc Virginis, Thronum cœlestis Salomonis

Vterus B. V. Thronus Filij Dei.

B. V. suæ charitatis Sinu filios suos complectens, in eodem Throno eos cum Filio consedere facit quodāmodo.

monis atque adeò ipsius increatæ Sapientiæ appellavit: *Fecit*, inquiens, *Thronum, vterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo sedit illa Majestas.* Hinc S. Ephrem Syrus ser. de laud. B. V. eandem consalutans: *Ave*, inquit, *Throne Creatoris mei gloriosissime.* Atque ita Filium esse Virginis Beatissimæ adoptivum, nihil erit aliud, quàm in ejus corde velut Throno, unà cum Filio, summâ cum pace, exuperante omnem sensum, cœlestemque beatitudinem æmulante, conquiescere.

Charitas Divina cor hominis dilatat

76. Quod minimè nobis mirum accidere debet, siquidem S. Machario teste, Divina charitas cor humanum ita nonnunquam dilatare consvevit, ut nullo habito proborum, improborumve discrimine mortales omnes amantissimè complectatur. Hujusmodi cor habebat Paulus cum amore exæstuans, clamabat: *Os nostrum patet ad vos ò Corinthij, cor nostrum dilatatum est.* Quæ verba ponderans S. Chrysostomus *Cor*, inquit, *Pauli dilatavit Charitas, totum mundum complexa est.* Vnde scribens ad Philippenses c. 1. ajebat se illos habere in corde. De Corinthijs similiter 2. Epist. cap. 7. *In cordibus nostris estis.* Quod si tam amplum, Charitate Divinâ dilatatum cor habebat Paulus, quid obsecro de corde illo Virgineo, in quo 9. mensibus ipsa substantialis requievit Charitas, censendum est? Erat, erat cor illud cœlo, terrâ, omnibusque elementis capaciùs, siquidem illum, quem universa capere nequit, natura, valuit comprehendere.

Cor B. V. charitate Divinâ in immensũ fuit dilatatum, in Incarnatione Filij.

B. V. ipsa fatetur se Matrem esse omnium universalem, tam justorum, quàm peccatorum.

77. Hinc est quod ipsa Deipara Mater nostra pijssima effusissimæ hujus atq; amplissimæ suæ pietatis probè conscia, Sanctæ revelavit Brigittæ, se non modò Matrem esse Dei, verùm etiam omnium Beatorum in superna Patria degentium, justorum etiam in hoc mundo, ac peccatorum, animarum quoque illarum, quæ ultricibus Purgatorij flammis expiantur, omnesque corde suo amantissimo complecti. Sed ipsa verba dulcissima tantæ Matris, ex sphæra quâdam ad instar Solis radiante, prodeuntia, ut scribit Sancta illa Vidua lib. 4. Revelat: c. 138. audiamus: *Ego sum Mater DEI, quia sic illi placuit. Ego sum Mater omnium; qui sunt in superno gaudio, quibus in augmentum ipsorum lætitiæ cumulatur gaudium, eò quod videant faciem Matris suæ blandam.*

B.V. aspectu suo blando cumulat Beatis in cœlo gaudiũ.

Sic placuit DEO dare omnibus in cœlesti curia gaudium & exultationem, de mea Virginitatis puritate, mearumq; virtutum pulchritudine, quamvis habeant incomprehensibiliter ex ejusdem Divinitatis potentia totum bonum. Sum etiam Mater omnium qui sunt in Purgatorio, quia pœnæ omnes, quæ debentur purgandis, pro peccatis, qualibet horâ precibus meis, quodammodo mitigantur. Ita placet DEO vt aliquæ, ex his pœnis, quæ eis de rigore Divinæ justitiæ debentur, minuantur. Ego sum Mater totius Iustitiæ, quæ est in mundo, quam justitiam Filius meus dilexit dilectione perfectissimâ. Et sicut Materna manus semper est parata ad opponendum se periculis, in cordis sui Filij defensionem, si aliquis eum lædere niteretur, ita ego parata sum jugiter justos, qui sunt in mundo defendere, deq; omni spirituali periculo liberare. Ego etiam sum quasi Mater omnium peccatorum sese emendare volentium, habentiumq; voluntatem, in DEVM ampliùs non peccandi. Sum etiam voluntaria ipsum peccatorem in meam defensionem accipere sicut charitativa Mater, dum Filium suum nudum videret ab inimicis acutos gladios habentibus sibi occurrentem. Nonne ipsa sese viriliter periculis opponeret, vt Filium de manibus inimicorum liberaret, & eriperet, & in sinu suo gaudenter conservaret? Ita facio, & faciam ego omnibus peccatoribus, misericordiam meam, à Filio meo petentibus. Hæc illa. Eadem, ut reipsa verè Matrem se ostendat, sequenti capite, ejusdem revelat Materna pietatis viscera sese exhibiturã promittit Greg. XI. summo Pont: si desertis Gallijs, rediret in Italiam, & Romæ resideret. Verba Virginis hæc sunt: *Sicut pia Mater dilectũ videns Filium nudum, & frigidum in terra jacentem, & ad erigendum se nullas vires corporis habentem, sed præ desiderio favoris, & lactis materni, querulis vocibus eum vagitu plorantem, tenerâ dilectione compassa Filio festinè occurrit, & ne frigore deficiat, piâ manu maternâ elevavit eundem, leniter fovit, maternoq; sui pectoris calore mitissimè calefecit, eumq; dulciter mamillarum suarum lacte cibavit: Sic ego Mater misericordiæ faciam Papæ Gregorio, si Romam redire voluerit animo permanendi & voluntatem habuerit ibidem, vt pius Pastor plangendi gemebundis compassionis lachrymis animarum sibi commissarum æternam perditionem; & innovare statum Ecclesiæ proposuerit, cum debita humilitate pastoraliq; charitate. Tunc enim ego sicut sua Mater elevabo eum de terra velut nudum, frigidumq; Filium, id est, separabo eum, totumq; ejus cor, ab omni delectatione terrena, mundanoq; amore, & calefaciam ipsum suaviter, materno*

B.V. est Mater animarum Purgatorij.

B. V. precibus, horis singulis Purgatorij pœnæ mitigantur.

B. V. in nostris periculis suã manum opponit.

M. Mater omnium peccatorũ se emendare cupientium.

B.V. Gregorio XI. se pietatis viscera exhibituram promittit, si deserta Gallia redeat in Italiam.

Oratio B. V. lacti similis, quo nutrimur instar infantium.

terno calore charitatis meæ, quæ est in pectore meo. Saturabo etiam ipsum lacte, id est, oratione meâ, quæ lacti est persimilis, quam fundam ad Dominum DEVM Filium meum, ut ipse dignetur, unire Spiritum suum Sanctum cum interno sanguine cordis ejusdem Papa.

78. O effusissimam Virginis Matris in omne genus hominum pietatem, ò charitatem, omnium gentium linguis, ac litteris toto terrarum Orbe deprædicandam! Hæc verè vel sola cogitatio mortalium omnium corda, ad amandam DEI Matrem pellicere est sufficiens. Hæc nobis castissimam in illam ingenerat dilectionem. Cùm enim in memoriam revocamus, DEI Altissimi Matrem sacratissimam, atque dignissimam, miserabilium etiam hominum, vilissimorum planè vermiculorum Matrem evadere, non fuisse dedignatam, fieri non potest, quin, in imis præcordiorum nostrorum fibris flamma vehementissimæ Charitatis in illam exardescat. Vnde fortassis ipsa hujus sui effectus admirabilis probè sibi conscia, Matrem pulchræ dilectionis apud Eccles. 24. sese nominare voluit, quasi ipsa pulcherrimam hanc castissimamque sui dilectionem animis nostris ingeneraret.

M. Mater pulchræ dilectionis, quia amorem illum, quo eam, ut Matrem diligimus, nobis instillat.

79. Quod si menti nostræ occurrat Virginem subinde suos adoptivos filios eodem castissimorum uberum lacte, quo ipsum DEI Vnigenam nutrivit, irrorasse, qui fieri potest, DEVS immortalis, ut totum cor nostrum, pulchro hoc, castissimoq; ejus amore non liquescat, ac fluat, imò verò etiam præ teneritudine langueat? Favorem hunc planè singularem, gratiamq; prorsus ineffabilem experiri meruit, non semel duntaxat, sed ternis omninò vicibus Sanctissimus Bernardus Doctor mellifluus, qui melleam illam, lacteamque dicendi ubertatem, ac suavitatem à Virgineis hiscé Vberibus tanquam Paradisi fontibus mutuari visus est; adeò, ut ei etiam dici posset: *Favus distillans labia tua; mel & lac sub lingua tua.* Cant. 4. Hinc in Menologio Cisterciensium die 13. Maij quo ei eximium hoc privilegium concessum est, hiscé verbis adscribitur: *Eodem die Sanctissimus Abbas Bernardus, à Regina cœlorum, singulari amoris prærogativâ lactatur.* Tribus porrò in locis favor hic Virgineus contigit Bernardo. Primò Castellione, ut testatur Franci-

S. Bernardus ter lactatus à B. V.

S. Bernardus melleam lacteamque eloquentiam ex lacte B. V. accepit.

scus Bivarius in Bernardo Vindicato, lib. 1. §. 5. ubi ita loquitur: Suxisse autem Bernardum Mammillam Virginis nemo nescit, quod utique universi Orbis picturæ sacræ loquuntur, & gravissimo testimonio apud Castellionem hactenus servato, & ab Edmundo de Cruce, Cisterciensi Generali justificato comprobatur. Quod testimonium mox annectit: In Ecclesia S. Beroli Castri Castellionis super Sequanam, inquit, quædam Imago in veneratione & honore B. V. M. antiquitus exstructa fuit. Hæc S. Bernardo Filium suum obtulit miraculosè in Ecclesia: Bernarde, inquiens, suscipe Puerum meum totius mundi Redemptorem. Deinde ultra omnem humanæ naturæ virtutem, ac si Christi frater naturalis fuisset, manu dictæ Imaginis susceptâ mammillâ B. Bernardo sibi devoto, ore aperto tres guttas lactis ab ejusdem Imaginis mammillis profluentes miraculosè distillabat. Quibus guttis sic susceptis, ejusdem DEI Genitricis, & Christi ipsius Filij Orator laudes quamplurimas cœlorum Reginæ, Sancto aspirante Pneumate, & Mariæ opitulante gratiâ composuit. Gratiam porrò hanc ibidem obtinuit dum Deiparæ *Ave Maris Stella* concineret, & illa verba: *Monstra te esse Matrem*; pronunciaret. Sic ille.

S. Bernardus Castellione lactatus à B. V.

B. V. Filiũ suum in ulnas dedit Bernardo.

Eadem illa Imago cùm aliquando, urgentibus necessitatibus publicis, deponeretur, lactis guttas distillavit, ut ostenderet sine dubio se Matrem misericordiæ futuram. Addunt denique in manûs Sacerdotis, qui Iacobus Viandot dicebatur, cùm Imaginem illam piè cõtrectaret, lactis copiam defluxisse.

Imago B. V. sæpiùs lac copiosè fudit.

Deniq; quod Castellione B. V. etiã Filiolũ Bernardo ad manûs tradiderit, testatur Imago quædam antiquissima ibidem reperta cum hac inscriptione:

Bernarde multum dilecte mi Capellane
Cape, suscipe de mea manu
Dulcem IESVM Salvatorem mundi.

80. Altera vice dilectum suũ Bernardum simili favore dignata est Virgo benignissima Spiræ in Germania; quem descriptum ab eodem Bivario in Bernardo Vindicato lib. ult. §. 10. audire libet: Liquet Sanctum Bernardum Cantici *Salve Regina*; devotum extitisse, quippè cùm & ultima illa verba: *O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria*; ipse addiderit, eo tempore quo legati Apostolici munere

Spiræ rursus B. V. salutat Bernardũ, & lac ori ejus instillat.

S. Bernardi devotio erga; Salve Regina.

nere functus, Spiram invisit, ubi cùm illius decantationi adesset, Spiritu Dei afflatus, ter genua flexit ante Deiparæ Imaginem, à qua meruit resalutari, illis verbis: *Salue Bernarde.* Cujus rei etiam hodie testimonium extat in Cathedrali Ecclesia tabulis æreis incisum, eodemq; tempore, ut scribit Eisengrenius in Spiræ Chronicis, egregio illo dilectionis pignore, lacte Virgineo rursus donatus est Bernardus; Id quod & Canisio, Costero, & alijs placuisse video.

Imago B. V. quæ lac S. Bernardo instillavit, Spiræ piè colitur.

Idem hoc ad longum prosequitur Barnabas de Monte Albo to. 1. Chron. Cisterc. lib. 3. c. 64. ubi inter reliqua habet, etiam nunc Imaginem illam Virginis, ex cujus mammilla lac in os Bernardi profluxit, summâ veneratione asservari, maximoq; populi concursu, fœminarum præsertim, quæ vel uberum dolore, vel lactis penuriâ laborant, coli testatur.

S. Bernardus in Claravalle à B. V. tertio lactatur, dum serm. de Annunc. componebat.

81. Denique tertia vice clementissima Domina nostra simili favore in Claravalle Filium suum Bernardum prosecuta est, ut scribit Bernardus de Brito Chron. Cisterc. lib. 1. cap. 26. idque ei contigisse asserit, dum sermones illos aureos imò lacteos, ac mellifluos super Missus meditaretur. Dum enim quâdam nocte, totus Divæ Virginis laudibus absorptus, Templum ingrederetur, in ectasim raptus eandem Dei Genitricem Puerulũ Iesvm dulciter amplectentem, innumeris Angelis sociatam, ingenti Divinoq; splendore coruscantem contemplatus est. Quâ visa, cùm in ejus amorem castissimum mirificè exarsisset Bernardus, Virginei lactis nectar gustare meruit. Vnde ex eo tempore dulciùs, suaviùs, ac eloquentiùs longè summæ Dei Parentis encomia, magnâ totius Ecclesiæ admiratione, gaudio, ac fructu prosecutus est. Missum facio Fulbertum Carnotensem Episcopum, quem ægrotantem Virgo nostra invisens, lacte ori ejus instillato, pristinæ restituit sanitati; missum facio denique Clericum illum, de quo B. Petrus Cardin. Damianus, qui eodem Virginis favore dignatus, convaluit.

Fulbertus Episc. lacte B. V. convalescit.

Ex hactenus dictis apertè colligimus gloriosissimam Dominam nostram Dei Matrem, mortalium quoque Matrem amantissimam, & curâ, & providentiâ planè admirabili esse, siquidem non contenta nobis de communibus alimentis providere, ut alibi ostendemus, etiam proprio nos lacte nutrire, ac pascere, quo Virgineam quandam, Divinamque complexionem nanciscamur, pro sua infinita in nos pietate non dedignatur.

82. Quæ materna planè Deiparæ pietas attentiùs considerata hujusmodi profectò est, ut nostros animos penitus ad sese trahat, nosque sibi arctissimo amoris vinculo devinciat. Quare eam Magnetem humanorum, castissimorumque cordium rectè dixerim. Quod nemini sanè mirum videri debet; siquidem ipsa D. Virgo S Brigittæ lib. 3. Revelat. cap. 32. se Magnetem esse revelavit: *Quidam,* inquiens, *quærens lapides, reperit Magnetem, quem in thesauro suo custodivit, perq; eum navem ad tutum portum deduxit: Sic Filius meus multos quærens lapides Sanctorum, me specialiter sibi in Matrem delegit, vt per me homines ad portum cœli deducerentur. Ergo sicut Magnes sibi ferrum attrahit, sic ego DEO dura corda attraho.*

B. V. Magnes humanorum cordium.

83. Et licet hæc Deiparæ in nos materna tenerrimaque charitas ad omnes ipsius virtutes consectandas nos trahere & inflammare debet; ad animarum tamen zelum potissimum in nobis excitandum, est peridonea. Quis enim fœcunditatem hanc dilectionemq; attentiùs contemplans Deiparæ, dilatato corde, omne genus hominum complecti, & Christo parere bono saltem exemplo, orationibus, pijs colloquijs, alijsque virtutũ exercitationibus, quam ardentissimè non desideret? Zelum hunc animarum ardentissimum in Deipara indicant verba illa Cant. 7. *Veni Dilecte mi egrediamur in agrum &c.* Quam invitationem amantissimam contemplans Dionys. Carthus. Art. 24. in Cant. sic eam eleganti planè reddidit paraphrasi. Postquam enim præmiserat: *Ego Dilecto meo, & ad me conversio ejus,* & hunc in modum dictum hoc explicuisset: *Ego Dilecto meo totaliter sum intenta, devotissimè ei vacans, affectuosissimè semper inhærens, ab eo excellentissimè sum electa, & prædilecta, & facta sum ei Mater, & Sponsa, Filia & Ancilla, ac Domina, quia subditus fuit mihi. Et ad me conversio ejus, id est, qui tam summè & unicè me dilexit, gratè & hilariter me aspexit, in omnibus me direxit, custodivit, protexit. Et quia tam gratiosissimè egit mecum, & ego ejus amore accensa sum, totisq; præcordijs illius honorem Passionisq; ipsius fructum, id est, mundi salutem postulo.* Postquam, inquam, hoc præ-

B. V. Charitas nos ad animarum zelũ exstimulat.

B. V. gratitudo erga Filium, cui ob tot gratias zelum animarum rependit.

præmisisset, mox hæc attexuit: *Ideò deprecor eum: Veni Dilecte mi egrediamur in agrum, id est, meritis tuis, & precibus meis convertatur Mundus ad fidem tuam, gratiosèq; visitemus genus humanum, ut non in populo Iudaeorum dumtaxat, sed ubiq; terrarum divulgetur in gentibus Evangelium tuum, ac juxta Oraculum meum; Beatam me dicent omnes generationes. Commoremur in villis, manendo pijssimè in eorum cordibus, qui erant inculti, seu simplices moribus. Manè surgamus ad vineas, visitando velociter, ac benignè quascunq; Congregationes fideles, quia ipsis periculum est in mora, qui indesinenter indigent gratiâ nostra, & assistentiâ pia. Videamus si floruerit vinea, si flores fructus parturiant, videamus si vigeat Religio Christiana, & producat à nobis exoptatos fructus. Ibi dabo tibi Vbera mea, id est, ad tuum honorem effundam charitatem, & pietatem meam super credentes, eos misericorditer consovendo & protegendo, tanquam Ecclesiæ Advocata.* Tandem, ut ostendat Virgo zelantissima, quibus modis, ac medijs ad animarum conversionem salutemq; utatur atq; in posterum usura sit, mox hæc subjunxit: *Mandragora dederunt odorem suum in portis nostris, id est, preciosissima virtutes tua & merita mea, sapientia & fama Evangelij tui, ac excellentia mea, suaviter sunt diffusa ad gentes propinquas, & per SS. Apostolos, per quorũ prædicationem, tanquam per portam alij introierunt, ad fidem, atq; Ecclesiasticam unitatem, notificata sunt gentibus.* Concludit denique ardentissima hæc animarum Zelatrix; *Omnia poma nova & vetera, id est, quidquid ex lege, & Prophetis, & Evangelicâ lege didici, ac profeci, ad tua Majestatis gloriam, ò dilectissime Sponse, ac Fili reservavi, retuli; & nunc communico fidelibus tuis, & cunctis electis ad te convertendis, & per te salvandis, quorum me Matrem & Advocatam constituit.* Hæc ille.

B. V. preces ad Filium, ut mundus convertatur.

Vbera B. V. sunt Charitas & Pietas.

Mandragoræ sunt virtutes Christi, & merita ipsius Matris, quorum odore gentes convertuntur.

84. Quis jam obsecro hoc tam illustri Deiparæ exemplo, ac zelo, quo animas omnes absque ullo discrimine complexa est, etiamsi rudis, ac literarum imperitus sit, non se ad juvandos homines, eorumque salutem promovendam excitet, & pro captu suo sese impedat? Neque enim Doctores dumtaxat Verbique Divini Præcones, Matres Filiorum spiritualium esse consueverunt, cùm & idiotæ, animarum zelo flagrantes, conversioni animarum dare operam, & fœcundæ Matres evadere possint. Vnde S. Franciscus, teste Seraphico Bonaventura, Fratrem quempiam simpliciorem spectatæ pietatis, superbis, vanisque Concionatoribus præferre consueverat. Ad quod confirmandum, illo Spiritus S. Oraculo utebatur: *Donec sterilis peperit plurimos: Sterilis est frater pauperculus,* inquit Sanctus; *qui generandi Filios in Ecclesia non habet officium, hic pariet in judicio plurimos, quia quos nunc privatis Orationibus convertit ad Christum, sua gloria tunc Iudex adscribet.*

Etiã idiotæ zelo animarum ardentes, Matres sunt.

O Virgo Sanctissima Mater omnium viventium, Mater pulchræ dilectionis, Mater gratiæ, ac misericordiæ ingenera, obsecro te, per viscera tuæ Maternæ pietatis, per Virgineam fœcunditatem tuam, animis omnium Ecclesiasticorum pulchram hanc dilectionem; ingenera gratiam, ac misericordiam, quo pulchrâ hâc tuâ inflammati charitate, gratiâq;, ac misericordiâ tuâ præventi, viscera pietatis, ac misericordiæ, quibus mundum universum recludere contendant, nanciscantur, atque animas preciosissimo Filij tui sanguine redemptas, ipsiusque gratiâ regeneratas ad cœlestem Patriam perducant.

Amen.

MEDITATIO VIII.

I.



Quam verè, Virgo Deipara, servus tuus Augustinus Divinæ Maternitatis tuæ dignitatem, Virgineámque potissimum fœcunditatem, fœcundámque Virginitatem in te contemplans, edixit: *Quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in tuis laudibus referemus?* Altior verè cœlo est hæc tua dignitas, de qua loquimur, abysso profundior. Siquidem Devs ipse infinitâ suâ, nullis limitibus circunseptâ potentiâ, aliam perfectiorem efficere minimè potest, dignitatem, nec hanc ulli alteri communicare creaturæ, quàm tibi soli effusissimâ suâ impertiri dignatus est liberalitate. Quid mirum igitur si Anselmo dilectissimo tuo Filio, *hujus immensitatem gratiæ, gloriæ, fœlicitatisq; tuæ consideranti deficiebat sensus, lingua fatiscebat?* Cujus enim sensus animusque capere, aut comprehendere; lingua valet eloqui, creaturam, aliquam in rerum natura reperiri, quæ omnium creaturarum Authorem immensum illum, atque infi-

Infinitum intra se concludere, Genitorem universorum, æternum æmulando Patrem, valeat regenerare? Verè gratia hæc, gloria, ac fœlicitas, immensus quidam est Oceanus, prorsus imperscrutabilis; est abyssus, in quo humanæ meæ cogitationes demerguntur. Quare Divinissimam hanc tuam Maternitatem, Virgineamque fœcunditatem humillimo silentio laudo veneror que, totoque corde, ac corpore prostratus adoro.

B.V. fœcunditas silentio potissimū veneranda.

2. Sed quid de altera, quâ tot filiorum in Ecclesia, fœcunda Mater es effecta, dicam fœcunditate? Verè hæc omnes nostros affectus ad sese rapit, hæc omnium corda ad instar Magnetis ad se trahit.

Mater Dei facta est Mater hominum, quis non obstupescat, quis extra se non rapiatur? quis amore vehementissimo non exardescat? Mater Dei eisdem uberibus lactat hominem, quibus olim Vnigenam Dei Patris! Quis ad tantam Filiationis Deiparæ exaltatus dignitatem, ampliùs ullius rei creatæ minus ordinatâ tangatur, aut teneatur affectione? Quis suam vilitatem agnoscens tantam Dei Matris dignationem non suspiciat atque admiretur? Si David Propheta nihilum expendens hominis, capere non poterat, quânam ratione suprema illa Majestas ipsius meminisse dignaretur: *Quid est*, inquiens, *homo, quia memor es ejus, aut filius hominis quoniam reputas eum?* quid tandem dicturus fuisset, si Matrem Dei, Matrem hominum futuram, eosdemque lactaturam audisset?

O Mater pijssima atque amantissima, monstra verè te nostram esse Matrem, nos tuos genuinos efficiendo Filios. Tu Mater es castissima, tu Mater es purissima, tu Mater es pulchræ dilectionis; ingenera obsecro in nobis castimoniam Angelicam, ingenera mentis corporisq; puritatem, ingenera denique castissimam tui, rerumque Divinarum dilectionem, atque amorem, ut ab hujusce mundi futilibus illecebris cupiditatibusque abstracti, velut amantissimi Filij, universum amorem nostrum in te, post tuum dilectissimum Filium, in te, inquam, unicam Matrem nostram benevolentissimam transferamus.

3. Quod si, ò Virgo Mater Sanctissima, ad animarum quoque nostrarum dignitatem (quâ voluntatem Patris æterni facientes Matres Christi evadimus) mentis nostræ intuitum cogitationesque transferamus, tot undique nos Divini amoris flammis circumseptos animadvertentes, fieri sanè non poterit quin nostra corda, affectus vehementiâ liquescant, ac fluant. Quis enim Divinæ charitatis non exardescat igne, dum cogitat, se conformatione voluntatis suæ, cum Divinâ, Dei Matrem quodammodo æmulari posse, tuamque puritatem, sanctimoniamque imitari? Quid enim Divina voluntas, cui conformamur, est aliud, quàm sanctificatio nostra, secundùm Apostolum? Quid sanctificatio? quàm reddi sanctum, purumque, & ab omni scelere liberum, itemque perfectâ incontaminatâque præditum esse munditiâ? Quis porrò ita purus, ita omnis peccati expers, ita perfectè mundus, atque ab omni vel minima noxarum labecula liber esse potest, uti tu Virgo sanctissima, sanctior cœlicolis, purior Solis radijs?

Mater Christi homo evadit conformando voluntatē suam cum Divina.


Impetra igitur mihi rogo obtestorq; te, per Virgineam fœcunditatem, fœcundamque Virginitatem tuam hujuscé tuæ puritatis, sanctimoniæque imitationem, quâ quicunque fuerit præditus, voluntati Divinæ conformis, ac per consequens Mater Christi, tibi non absimilis evadat necesse est. Quæso te, Mater pijssima, per immaculatam conceptionem tuam, da mihi omnium etiam minimorum peccatorum horrorem, atque detestationem, ut illa ad instar virulenti colubri fugiam atque abominer; puritatem autem cordis animique ardentissimè complectar, quo tibi gratior, inque tuo servitio atque obsequio ferventior efficiar. In hac cordis munditia obsecro te, cum tuo Seraphino Psal. 15. *Conserva me Domina, quoniam speravi in te, mihiq; tua stillicidia gratiæ impertire. Per alvum tuam Virginalem, & viscera tua, quæ Filium DEI altissimum genuerat, obtestor te:* per benedicta Vbera tua, quibus lacte Sacrosancto Salvatorem nutrijsti, oro te, ut cor mundum in me creës, & spiritum rectum innoves in visceribus meis, quo novo corde, ac spiritu tibi, tuoque Filio, in Divinam ejus voluntatem transformatus, serviens in hac vita, tandem æternæ illius consors, te æviternum laudare, Nomenque tuum exaltare promerear.

Interim dum vivam, dum spirabo, te Matrem

Matrem meam dulcissimam amabo, toto corde, totâ anima, totis viribus, medullis, visceribusque animæ meæ. Te semper summâ animi mei demissione post dilectissimum tuum Filium venerabor, enitarque in dies, ut in amplexûs tuos currat anima mea, tibique filiali affectu adhæreat. Nunquam denique quiescam exemplo tui illius fidelissimi servi, dilectissimique Filij, donec obtinuero amorem tenerum erga te dulcissimam meam Matrem, quem omninò me, tuis fidelissimis patrocinijs, ac precibus apud Filium, impetraturum confido. O utinam amorem omnem inordinatum, omnesq; affectiones vitiosas creaturarum hic castissimus, ferventissimusq; Dei tuiq; Amor in me occidat, meq; totum Devs tibi inseparabiliter uniat, ac possideat, & totum quantus sum in suum beneplacitum convertat; quo anima mea illius Sponsa efficiatur fidelissima. Hoc tuis precibus calentissimis potentissimoq; patrocinio mihi impetra Domina mea dulcissima Virgo Maria. Impetra quoque ô Mater benignissima, erga proximum perfectam charitatem, quâ necessitatibus omnium, atq; defectibus, ac præsertim internis animi medullitus condoleam, omnium salutem, ac profectum, ardentissimo desiderio totum me saluti animarum impendendo sitiam, de omnium consolatione, ac bono gaudeam, & in omnibus non meipsum, sed Devm quæram, ut cum tandem perfectè in cœlesti patria inveniam, ejusque beatifica visione cum SS. Angelis, reliquisque Beatis in æternum videam. Amen.

Ioannes Berchmannus.

A V E M A R I A.



DISCVR-



DISCVRSVS IX.

Quod DEIPARÆ Virginis Potentia Patris æterni omnipotentiam æmuletur.

Domine quis similis tibi? Potens es Domine. *Psal. 88.*

I.



Vemadmodum in prima mundi creatione æternus rerum omnium Pater mente suâ Divinissimâ Beatissimam nostram possedit, ac complexus est Virginem, ut ei totius Vniversi florem, omniumque creaturarum communicaret perfectionem; ita planè eandem possedisse visus est, cùm omnipotentiæ suæ admiranda prorsus prodigia, non modò in Orbis ipsius molitione, verùm etiam in alijs suis Divinis operibus, quæ in veteri exarantur Testamento, tam in cœlo, quàm in terra, in mari, ejusque abyssis, ac elementis perpetrabat, ut illi similem quandam virtutem, atque omnipotentiam conferret. Quod in se Virgo agnoscens Deipara Prov. 8. gloriabatur: *Quandò appendebat fundamenta terræ cum eo eram cuncta componens.* Seu ut legit Hebr. *Ego eram cum ipso nutrita.* Seu ut Chaldæus Paraphrastes: *In latere illius eram quasi nutrita.* Perinde, ac si dicere voluisset: Dum sempiternus omnium Parens, magnam hanc Orbis moliretur machinam meme quodammodo ad latus in sua mente Divina, ad instar dilectissimæ collocavit filiæ, quo mihi non modò creaturarum omnium, verùm etiam suorum attributorum, uti potentiæ, sapientiæ, bonitatisque, quantum pura creatura capax esse potest, communicaret pulchritudinem; ac proinde nemini mirum accidat, si secundùm mei Nominis Ethymon, me Dominam, Reginamque adeò potentem exhibeam. Cùm enim sim Filia, à moribus tanti tamque potentis Patris minimè mihi degenerandum est, sed de optima ipsius natura participandum.

Maria ad latus Patris æterni velut Filia enutrita.

M. velut Filia indolem Patris æterni æmulata.

2. Vnde S. Methodius Martyr dixit, Orat. in Hypapante in Deiparam illud cadere: *Optimam partem elegit sibi Maria*; participando non modò cum Patre in generatione Filij DEI, verùm etiam in ejus infinita quodammodo omnipotentia: *Tu sola*, inquiens, *simul cum DEO, eorum, quæ DEI sunt, partem habere digna fuisti, solùm DEUM generans, cum DEO Patre unigenè, ac sempiternè genitum.* Ex quo Sanctissimi Martyris dicto illud licet inferre, quod quemadmodum partem optimam cum Patre communem habuit in generatione Filij, ejusdemque essentia, exprimendo illam in se, ad instar genuinæ Filiæ, in qua Patris indoles mirificè resplendere consuevit: sic etiam in infinitâ ipsius omnipotentiâ. Cùm, uti D. Thomas loquitur 1. P. q. 25. art. 2. Esse DEI sit infinitum, per consequens ejus potentia activa sit infinita necesse est. Cùm igitur DEIPARA DEI Essentiam infinitam, uti sæpiùs suprà memoratum est, in se quodammodo exprimat, velut Filia, Omnipotentiam quoque ejus infinitam repræsentabit.

M. optimam Partem elegit participãdo de potentia reliquisque attributis cum Patre

Essentia Dei infinita, uti & ejus Omnipotentia.

M. sicut Essentiam Dei repræsentavit in se, ita & Omnipotentiam.

3. Quæ quidem Virginis Filiatio, seu in Filiam æterni Patris adoptio, non est illa cum reliquis justis communis, sed alia quædam longè altioris Ordinis ob summam illam excellentiam, ac immensitatem quandam gratiæ, ut eam vocant SS. Epiphanius, ac Bonaventura. Cùm enim Virgo sacratissima non modò Mater, verùm etiam Sponsa, ac Soror sit

 Chri-

Christi, uti sæpiùs eam vocitat in Canticis, cùmq; ipse in carne, ac sanguine participet illi, ad instar Fratris cum Sorore; sequitur sanè ipsam quoque ex hoc capite relationem quandam habere ad Patrem, & singularissimo quodam modo vocari Filiam.

M. singulari quodā modo Filia Patris æterni

4. Quod si Deiparam in quantum est Sponsa Christi consideremus, uti eā sæpiùs SS. Patres appellant, vel hoc nomine jure merito Filia Patris æterni nuncupabitur. Sponsæ siquidem non modò secundùm leges Civiles, verùm etiam naturales, Parentem Sponsi, suum etiam Patrem vocitare consueverunt. Cùm enim Sponsus caput sit Sponsæ, ei unitum, ut sit necesse est. Vnde quemadmodum Sponsus habet relationem Filij ad Patrem, ita similiter & Sponsa, ob intimam illam quæ inter illos succedit unionem, cùm sint; *Duo in carne una.* Quod luculentissimè fuit vaticinium, in Christo ejusq; Matre quodāmodo verificatū; hujus enim caro, fuit caro Christi, ut Divus affirmavit Augustinus, quia sanguinem visceraque sua ad efformandam ejus humanitatem, ope Spiritus Sancti subministravit. Hinc idem Sanctus Doctor cont. Pelag. *Si vir & uxor*, inquit, *est una caro, non aliter est Nurus deputanda quàm Filia.* Hinc S. Theodoretus in cap. 3. Cant. asseruit, Sponsam dum mariti domum ingreditur non debere ampliùs progenitores suos, Parentum nomine, sed mariti compellare.

M. Filia Patris æterni, quia Filij Dei non modò Mater, sed & Sponsa est.

Quare Cant. 8. Sponsam in Deiparæ persona ita Sponso loquentem audimus: *Quis mihi det te Fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat? Apprehendam te & ducam in domum Matris meæ.* En ut Sponsa Sponsi Matrem, in cujus domo jam habitabat, suam vocitet? Vnde Baldus apud Tiraquellum lib. 1. Connub. n. 28. sapienter pronunciavit: *Puella quæ tuo nupsit Filio, Filia tua est arctiori vinculo, quàm adoptionis.* Cùm igitur vinculum hoc Sponsæ cum Parente Sponsi arctiùs sit quàm adoptionis, consequens sanè est illud propemodum esse naturale, & quod quemadmodū Sponsus naturalem relationem Filij habet, ad Patrem, ita quâdam etiam ratione ipsa Sponsa; unde meritò naturalis poterit vocitari Filia, tam arctâ inter utrumque mediante unione, quæ unum quid, conspirantibus animis, voluntatibusque, ex utroq; videntur constituere.

M. Patris æterni Filia arctiori vinculo quàm adoptionis.

5. Quapropter Pater æternus Psalmo 44. qui totus in Epithalamiun horum Sponsorum cœlestium conscriptus est, Virginem hanc gloriosissimam ob intimam illam, cum Filio suo unionem vocat Filiam, ut exponit Divus Hieron. Epist. 140. & Rupertus Abbas: *Audi*, inquiens, *Filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.*

6. Vt porrò unio hæc carnis inter Christum, Sanctissimamque nostram Virginem intelligi meliùs possit, observandum in ea duplicem reperiri colligationem. Prima illa est, quæ inter Patrem, vel Matrem, ac Filiam intervenit. Altera est, quæ inter Sponsum & Sponsam. In prima illa connexione Deipara caput extitit Filij, & ipse, quâ homo, ejus preciosissimum membrum.

Inter Christum & B. V. duplex Vnio: Matris & Filij; Spōsi & Sponsæ.

In secūda verò Christus caput Virginis extitit, utpotè Sponsus, & ipsa ejus membrum capiti connexum, idque nobilissimum, ac principale in hoc Ecclesiæ corpore. Et ob hanc tam arctam cum Christo Sponso suo unionem jure merito Filia æterni Patris naturalis propemodum vocitanda erit.

Quare non abs re Salomon eam gloriantem ad instar dilectissimæ Filiæ introducit, in se nimirum supremum omnium Parentem, rerum creatarum pulchritudinem omnem, suorumq; Attributorum, uti Omnipotentiæ similitudinem, quantum humanæ naturæ fert capacitas, transtulisse.

7. Quæ sanè Divinæ Omnipotentiæ similitudo in eo potissimum elucescit, quod Virgini sanctissimæ possibilia sint omnia, ob eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem, quæ ei potentiam, dominationemque quandam infinitam in res universas contulit. Siquidem, ut Angelicus docet Doctor loco suprà citato in Corp. *Quodlibet agens quo perfectiorem habet formam, tantò major est ejus potentia in agendo.* Cùm igitur Virgo beatissima nobilissimam, omnibusq; numeris absolutissimam, eamque omnibus cœli donis, immensâque quâdam gratiâ, ac infinitâ exornatam sortita sit animam, consequens sanè est, infinitam quoque ejusdem esse ipsius quodammodo in agendo potentiam, ad cœlos pertingentem, ad extremos terrarum limites sese extendentem, ad centrum usque terræ Inferosque penetrantem.

M. omnia sunt possibilia.

B. V. perfectissimā animam sortita, ac potentiā.

8. Vn-

8. Vnde non immeritò Sanctorum Patrum nonnulli Virginalem hanc potentiam cum Incarnato Verbo dixêre communem; quam illa meritò de congruo, unà cum gloria, Divinæque Maternitatis dignitate promerita est; Quâ sicut Domina, ac Regina totius constituta fuit Vniversi; sic quoque meritò de congruo, potentiam, Dominiumque supernaturale jurisdictionis, & proprietatis, quoad animarum salvationem, illi simillimum quod Verbum Incarnatum de condigno promeruit, consecuta est.

B. V. meritò de congruo jus salvandi animas consecuta

9. Ita nimirum Virgo nostra antequam in DEI Matrem eligeretur, erat constituta, quemadmodum vilis quæpiam, infimæque sortis puella ad potentissimi cujuspiam Principis, Regisque postulata nuptias, quæ mox ut Regij thori consors est effecta, Regni quoque Dominium jurisdictionis, ac proprietatis ob carnis illam, quæ inter Sponsos intervenit unionem, tam lege naturali, quàm positiva indipiscitur. Lege, inquam, naturali; hæc siquidem à rebus excellentioribus, ac præstantioribus, inferiores regendas esse docet. Lege positiva, quia si Vlpianus l. Princeps. ff. de legibus, præclarè de Imperatrice terrena pronunciavit: *Princeps legibus subditus non est: Augusta verò licet sit subdita, Princeps tamen eadem illi Privilegia concedit, quæ ipse habet;* multò magis de hac cœlorum Imperatrice dicendum erit, Principem illum supremum eadem illa, quibus ipse fruitur privilegijs, Virgini largissimè impertiri, ac proinde eandem illam suam omnipotentiam, eidem communicare, adeò ut quemadmodum Princeps ille Regum terræ, ita & hæc gloriosissima universorum Regina; verè dicere possit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Hinc Richardus à S. Laurent. lib. 4. de laud. Virg. *Cùm eadem*, inquit, *sit potestas & communis Matris & Filij, quæ ab omnipotente Filio, omnipotens est effecta, quia non est potestas nisi à DEO: unde dicit cum Filio: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, tamen excellenter potens est in Ecclesia triumphante. Vnde dicit: In Hierusalem triumphante potestas mea, imperandi videlicet quicquid volo, tam virtutibus Angelicis, quàm animabus Sanctis, & quos volo, in illud Regnum introducendi. De illa enim verè dici potest illud Eccli. 42. In omni necessitate omnia obediunt ei.* Hinc de communicatione hujus potentiæ Filij cum Matre B. Petrus Card. Damiani serm. 1. de Nativ. præclarè Virginem alloquens, disseruit: *Fecit tibi magna qui potens est, & data tibi est omnis potestas in cœlo, & in terra, & nihil tibi impossibile est, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. Quomodo enim illa potestas potentiæ tuæ poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ad illud aureum reconciliationis humanæ altare non solùm rogans, sed etiam imperans, Domina non Ancilla.* Sic ille.

Lege naturali & positiva B. V. Regina est potentissima.

M. cœlestis Imperator eadem privilegia, quibus ipse potitur concedit.

Vna eademque potestas Matris, & Filij.

M. in omni necessitate omnia obediunt.

M. data est omnis potestas in cœlo & in terra.

10. Potentiam denique hanc Virginis nostræ, Patris æterni Omnipotentiæ ostendit S. Anselmus lib. de Excell. Virg. c. 11. fuisse quam simillimam ex eo, quod quemadmodum Pater æternus Verbo creavit Vniversum, sic DEIpara, eodem Verbo in suo purissimo utero Incarnato, idem admirabili prorsus modo recreavit. *Vtique cuncta*, inquit S. Antistes, *quæ DEVS bona & utiliter fecit, in eo statu, quo condita fuerunt, esse destiterunt, & per hanc beatissimam Virginem in statum pristinum revocata sunt, ac restituta. Sicut ergo DEVS suâ potentiâ parando cuncta, Pater, & DEVS omnium: ita Beata DEI Genitrix Maria, suis meritis cuncta reparando Mater est, & Domina rerum. DEVS enim est Dominus omnium, singula in sua natura propriâ jussione constituendo, & Maria est Domina rerum, singula congenitæ dignitati per illam quam meruit gratiam restituendo. Et quemadmodum DEVS in sua substantia genuit eum, per quem cunctis originem dedit: ita B. V. Maria, de sua carne mundissima peperit illum, qui decorem primæ creationis omnium, cunctis restituit.* Ex quibus sanè sancti hujus Doctoris verbis facilè est colligere, DEIparam nostram, mirificam Patris æterni omnipotentiæ repræsentasse similitudinem, eamque jure merito, vel hanc ob causam, Filiam, supremi omnium Parentis indolem, suâ potentiâ reliquisque virtutibus æmulantem, nuncupari.

B. V. Patri æterno similis dum verbo Fiat mundum reparavit.

Pater æternus sic dictus, quod cuncta suâ potentiâ paraverit, & Maria est Mater & Domina, eò quod cuncta reparaverit.

11. Et quoniam omnipotentiam hanc infinitam propemodum ad cœlos usque, inque omnes mundi partes usque ad Inferni abyssos extendi diffundique suprà memoravimus, videndum in primis, quânam ratione cœlos attingat. Quod ex varijs Sanctorum Patrum loquendi modis, quibus modò Fenestram, modò Portam, modò Scalam, modò Pontem cœli DEIparam, compellant, perspiciemus.

M. potentia cœlos attingit.

M. Cœli Fenestra.

Videre cupit quispiam DEI param Sanctissimam, cœli Fenestram, per quam in cœlum mortales ingressi, gloriâ Beatorum perfruuntur, effectam? Audiat D. Augustinum: *Facta est Maria Fenestra cœli, quia per ipsam DEVS verum fudit sæculis lumen, & per ipsam DEVS descendit ad terras, vt per ipsam homines ascendere mererentur ad cœlos.* Hanc ob causam Sancta canit Ecclesia: *Quod Eva tristis abstulit, tu reddis almo germine, intrent vt astra flebiles, cœli fenestra facta es.*

M. Fenestra crystallina.

Audiat S. Vincentium serm. de Incarnat. *Fenestra clarior crystallo erat Virgo Maria, per eam enim transivit radius Solis æterni DEI Filius, intrans ad domum hujus mundi illuminandam, sine fenestræ fractione.*

Ad Mariã velut ad fenestram clamandũ pauperibus, ut de cœlestis convivij micis nobiscum communicet.

Audiat & Richar. à S. Laurent. lib. 2. de laud. Virg. *Beata Virgo Fenestra cœli est. Solet autem contingere in quibusdam convivijs, vt pauperes timentes iracundiam Ianitoris, ad fenestram clament, vt eis aliquid projiciatur. Modò discumbunt Sancti, & Angeli, in convivio cœlesti, ubi Christus ostium; Ianitor, justitia ejus est. Hanc si reformidas, clama ad fenestram, Mariam, inquam, orando, pauperiemq; tuam allegando, vt saltem de micis illius convivij, ubi sunt plena fercula, jaciat tibi aliquantulam consolationem, aliqua fragmenta gratiarum: Iacta igitur cogitatum tuum in Dominam, & ipsa te enutriet. Ipsa enim esurientes implet bonis, datq; escam esurientibus, dicens cum Filio Hierem 31. Inebriavi animam lassam, & omnem animam esurientem saturavi.* Hæc Richard.

M. Porta cœli.

M. Reseramentũ portarum cœlestis Paradisi.

12. Videre cupitis eandem Virginem cœlorum Portam? Audite Sanctum Ephræm Syrum orat. de laudibus Deip. eam salutantem: *Ave Porta cœlorum & Scala ascensusq; omnium. Ave reseramentum Portarum cœlestis Paradisi.*

Encomium hoc S. Antoninus 4. Par. tit. 15. c. 20. inter duodecim Virginis privilegia planè singularia, quæ ille duodecim Stellas ipsius caput coronantes appellat, reposuit; citansque Sanctum Augustinum sic Virginem loquentem introducit. *Porta facta sum cœli, Ianua facta sum Filio DEI; Illa facta sum Porta quam vidit Ezechiel. Dicitur B. Maria Porta, quia cùm proprietas Portæ sit importare, & exportare, id est, medium, per quod res ab extra ad intra civitatem vel domum importantur; medium quoq; per quod res, quæ sunt intus in civitate, vel domo exportantur, per B. Mariam exivit de cœlis ad nos quicquid unquam gratiæ creatum venit in mundum, unde dicitur Mater gratiæ, Mater misericordiæ: Verè enim, vt ait Salomon, omnium bonorum Mater est. Et mundus de ea potest dicere: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Dicitur etiam Porta, quia omnis, qui de terris intravit in cœlum, vt Sancti omnes, per ipsam, vt Portam, seu medium intrârunt. Et ideò Fœlix cœli porta appellatur, quia omnes importat in cœlum, per benedictum fructum Filium suum. Deniq; cœli Porta, & cœlestis Porta nuncupatur, quia Sapientia ipsa increata, DEI Filius, velut aqua ductus intravit, & exivit per eam, carne nostrâ vestitus; semper tamen clausâ Virginitate inviolatâ.* De Porta hac piè cecinit paulò ante memoratus Richard. lib. 10. de laud. B. V.

M. Porta quia per illam importamur in cœlum, & per illam nobis Gratia exportatur è cœlis.

Per Mariam & ex Maria nobis omnia bona cœlitus proveniunt.

M. lucis Ianua.

Ave lucis Ianua
Portarum præcipua
Patens Regi gloriæ;
Qui servavit veniens,
Nec confregit exiens
Seras pudicitiæ.

Quod si Apostoli dicuntur duodecim Portæ Hierusalem, quoniam præ cæteris & doctrinâ suâ & meritis, exemplisque nos importârunt in cœlum: multò magis poterit dici B. Virgo Porta cœli, propter majùs, & perfectiùs ipsius suffragium, ac vitæ exemplum: & prætereà quia omnes per Christum Mediatorem natum, de Virgine in cœlum introducuntur. Quare meritò Petrus Morales sic B. Virginem loquentem introducit:

Ianua sum cunctis superã cupientibus Vrbem,
Nec sine me quisquam ritè beatus erit.

B. V. Salutem & abundantiam cœlestium donorum mundo attulit.

13. Hinc Pelbartus de Temisvar Pannonius Ordinis Seraphici lib. 11. Stell. P. 1. c. 9. & 10. Deiparam cœli Portam, ac Fenestram agnoscens, dixit illam Salutem mundo, & exuberantiam cœlestium donorum mortalibus apportasse; additque hæc duo privilegia totidem esse Stellas in corona illa, quæ caput Virginis cingebat, pulcherrimè radiantes. Et hanc ob causam dicitur Inventrix gratiæ, Genitrix vitæ. Licet enim Abraham & Moyses invenerint gratiam apud DEVM; non tamen invenerunt illam pro alijs, sed pro se solummodo: Beata autem MARIA Virgo, ait idem Pelbartus, perditam à genere humano gratiam invenit, & recuperavit pro omnibus, quia per eam omnes gratiam salvificam recuperârunt per Filium, virtualiter ipsam nobis afferentem. Vnde Augustin. Ser. de Nativitat. B. V.

M. Inventrix gratiæ.

O Bea-

Omnes gratiæ Dei per manus M. trāseunt.

O Beata MARIA, quis tibi dignè jura gratiarum & laudum præconia valeat rependere, quæ tuo singulari merito, mundo succurristi perdito? Hanc ob causam denique eam DEUS omni dono Spiritus Sancti, omni gratiâ, bonisque cœlestibus implevit, ut de plenitudine ejus totus mundus accipere possit gratiam. Hinc Dominus DEUS nullum donum spirituale, nullam gratiam in mundo haberi voluit, quin manus MARIÆ transierit. Propterea ab Ecclesia dignissimis Nominibus ad id pertinentibus honoratur, dum dicitur; Porta cœli; Fenestra cœli, Ianua Regis alti, &c. Sic ferè Pelbartus.

Maria Scala cęli

Maria Scala Iacob.

14. Videre cupit quispiam DEIparam ad cœlos Scalam effectam? Audiat D. Augustinum jam memoratum sermone citato, ubi rationem hujusce reddit appellationis: *Facta est* MARIA *Scala cœlestis, quia per ipsam DEVS descendit ad terras, vt per eam homines ascendere mererentur ad cœlum.* Hinc B. Andreas Cretensis Episcopus orat. 2. de dormit. *Scalam Iacob,* supra quam DEUS innitebatur, vocitavit: Insinuare luculenter volens, eam Mediatricem DEI, & hominum esse, perque eam nos, ac preces, votaq; nostra, ex hac lacrymarum valle, ad cœlos, ante conspectum summæ illius Majestatis ascendere. Quam etiam rationem attigit S. Damascenus orat. 2. de Nativit. B. V. eandem alloquens: *Eodem modo tu quoq; Mediatricis munere perfuncta, descensusq; DEI Scala effecta, per quam ipse infirmam nostram massam assumpsit. Hinc Angeli quidem ad eum descenderunt, ut videlicet Domino, ac DEO deserviant; homines autem Angelicâ vitæ ratione usi, in cœlum sublime rapiuntur.*

15. Scalam hanc Omnipotentis DEI brachio, operaque Spiritus Sancti fabricatam dixit idem Damasc. orat. 1. de Nativit. *Fortè,* inquiens, *illud Excelsi brachium obtusum Naturæ ligonem, Spiritu Sancto tanquam digito suo exacuens, vivam Scalam sibi ipsi condidit, cuius ima pars in terra firmata est, summa autem in cœlum vsq; porrigitur, in qua DEVS requievit, cuius locum Iacob conspexit, per quam DEVS, sine ulla migratione descendens, vel vt rectius loquar, indulgenter se demittens, in terra visus est, & cum hominibus conversatus est. Hac Spiritualis Scala, hoc est, Virgo in terra firmata est, (ex terra enim ortum habet) caput enim ipsius ad cœlum pertinet. Omnis quippè mulieris caput Pater extitit.* Hæc Damascen.

M. peccatorum Scala.

M. Scala Regni cœlestis.

Quid D. Bernardum memorem, qui Virginem peccatorum Scalam esse pronunciavit serm. de Aquæ ductu: *Filioli, hæc peccatorum Scala est, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ.* Beatus verò Laurentius Iustin. *Scalam Paradisi.* Seraphicus Bonaventura: *Scalam Regni cœlestis, & gloriæ.*

Scalam quoq; ad cœlestem Beatitudinem capessendam DEIparam agnoscens S. Anselmus in quâdam oratione ad Virginem sic loquitur:

Tu es enim Mater Christi suavis memoriæ
Ob quam nobis sunt apertæ Paradisi Ianuæ,
Quæ tam potens es in omni bonitatis opere
Vt omninò sit beatum, qualis sis agnoscere.
Scala tu cœlestis, per quam descendit ipse Deus
Sponsam traducens terrenam super cœlestia.

Similia habet B. Card. Dam. Hom. 3. de Nativ. B. V. *Hodie nata est Regina mundi, Fenestra cœli, Ianua Paradisi, Tabernaculum DEI, Stella maris, Scala cœlestis, per quam supremus Rex humiliatus, ad ima descendit, & homo qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit.* Scalam hanc cœlestem B. Ioannes Geometra venerabundus salutavit Hym. 1. in DEIP.

Salve Scala polum penetrans, & sidera tangens
Quæq; DEVM nobis, nosq; DEO reparas.

M. de terris ad cœlos transvecta, facta est Scala.

16. Et licet semper nobis Scala ad cœlestem Patriam Virgo extiterit, extitit tamen vel maximè cùm in cœlos est assumpta. Sic enim Leo Imperator Hom. 6. testatur: *De terris ad cœlos transvecta, Scala facta est mortalibus, quâ ad cœlos scandant.*

Vnde meritò Virgo Beatissima de se prædicare potest illud, quod Symposius Poëta in Ænigmate 77. de scalis cecinit, sic eas loquentes introducens.

Scalæ laudes.

Nos sumus ad cœlū, quæ scādimus alta petentes
Concordi fabrica, quas unus continet ordo
Vt simul hærentes per nos comitentur ad auras.

M. Scala Sapphyrina.

O Scalam admirandam, ô Scalam preciosissimam, preciosiorem longè quàm fuerit illa Sapphyrina 365. cōstans gradibus, ducens ad Templum Liberi Patris, ut scribit Herod. lib. 2. Scala verè est Sapphyrina Virgo DEIpara, cùm Sapphyri proprietates omnes in se cōplectatur, sitque ad instar cœli cùm serenum est; ut alibi fusiùs demonstrabitur.

17. Neque verò duntaxat Scala

nobis ad cœlum Virgo facta est, sed etiam Pons. Vnde Proclus Constantin. Patriarcha: *Hæc sola Pons est, per quem DEUS ad hominem descendit.* Eodem Pontis nomine eam Divus compellavit Damascenus orat. 2. de Dormit. Deip. *Tu ad vitam Pons, ad cœlum Scala, verè inter mulieres Beata, ac Beatissima.* Atque ita verè illi dicere possumus, quod Sanctus Gregorius Thaumat. ser. in Theophania de ejus dilectissimo prædicavit Filio: *Tu terram, & cœlum, tuo sancto Nomine, quodam quasi ponte iunxisti.* Quemadmodum enim Sanctissimo illo Iesu Nomine, quo salus nostra continetur, medullitus, cumque intimo animi sensu invocato, de hoc terrarum exilio, velut ponte tutissimo in fœlicem illam, beatamque Patriam: sic dulcissimo Mariæ, magno amoris affectu in ultimo illo, ex hac vita discessu memorato identidem nomine, transimus fœlicissimè.

B.V. Pons ad cœlum ducens.

Nomen Iesu Pons ad cœlum.

M. Nomine in morte invocato, velut Ponte transimus in cœlum.

18. Imò Virgo benignissima, quo suaviùs suos clientulos in cœlum transmittat, fit quodammodo illis currus, ac vehiculum, ita ut illi verè acclamare quisque ex nobis possit: *Mater mea, Mater mea currus Israël, & auriga eius.* Vnde Venantius Fortunatus lib. de Part. Virg. præclarè cecinit, ipsam alloquens.

M. Currus Israël, quo subvehitur in cœlum.

Fœlix qua generi humano sub Tartara lapso
Ad cœlos facta es sors, via, Porta, Rota.

Vbi per Synechdochen Rotam pro ipso curru accepisse visus est. Vel ut alij censent, per Rotam, machinam quandam architectonicam intellexit, quam Architecti Gruem vocant. Instrumentum mirè sanè artificiosum, quo prægrandes lapides, ad editiora loca in ædificijs, facillimo negotio subvehuntur. Talis nimirùm Rota, sive Troclea est Virgo Deipara, quæ peccatores maximorum scelerum mole graves, quos nulla media Spiritus, non piorum orationes, non eleemosynæ, non jejunia, aliæque corporis afflictationes ad Deum convertere, & ad cœlum subvehere potuerunt, soliùs hujuscé Virginis patrocinium subvexit clementissimum. Quam grande, quam grave saxum fuit Theophilus ille famosissimus in profundum Barathri Infernalis, peccatorum mole penè demersus! Quis illum inde extulit? Quis ad cœlorum fastigium evexit? Hæc Virginea nempè Rota, ac Troclea; cujus vim motricem agnoscens B. Petrus Cardin. Damiani dicebat affectu pijssimo ipsi Deiparæ ser. 1. de Nativit. *Quid tibi negabitur, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus revocare? Infœlicem animulam totum illud, quod in te factum est, proprio charactere denegantem, de luto fæcis, & miseria sublevasti.* O homo scelerate, qui bibis iniquitatem quasi aquam, qui tantâ, peccatorum gravissimorum mole prægravaris, ut in cœlum respicere non possis, sed assiduo ferreæ necessitatis jugo oppressus ingemiscis cum Davide Psal. 37. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me;* Ne animum despondeas, ne in desperationis barathrum corruas, ad misericordiam Mariæ effusissimam mentis oculos convertas. Illius nempè pietas, ipsius misericordia, ac potentia est ingeniosa machina, quâ licet immensâ peccatorum mole fueris prægravatus in cœlum attolléris, & ex te velut precioso vivoq; lapide Hierusalem cœlestis ædificabitur.

M. Troclea, quâ in cœlum peccatores subvehuntur.

Theophilus grave saxum in Barathrū desperationis prolapsū, erigitur in cœlum per Mariam.

Quare meritò D. Bernard. serm. 2. super Miss. ad Mariani Nominis invocationem quemcunque peccatorem, licet gravissimorum scelerum mole ad Acherontis ima se deprimi sentiat, hortatur: *Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis; ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis, in beatam illam nimirum Hierusalem, ut ex te quoq; tamquam vivo expolito, precio soq; lapide, gravedine illa scelerum depositâ, ipsius ruina instaurentur.*

M. invocatio è desperatione liberat.

Ex his sanè videre licet quânam ratione Virginis Deiparæ potentia ad cœlum usq; pertingat, dum non solùm justi omnes per illā, velut per Scalam, Pontemúe, velut per Portam, ac Fenestram, per currum, ac vehiculum, Rotam denique, ac Trocleam quandam, Divino artificio compositam ad Empyrei Palatij illius eminentissimam fabricam, sed etiam alij mortales, quantumvis sceleribus gravati, attolluntur.

19. Eadē Virgo hæc, quod caput est, ipsum lumen gloriæ in cœlesti Patria Beatis videtur communicare. Dum enim suis potentissimis precibus, ac patrocinijs Divinam mortalibus impetrat gratiam, quæ quoddam semen est gloriæ,

riæ, in illorum intellectu consequenter lumen causat gloriæ, quo Beatorum corroboratus intellectus, ut loquitur D. Thomas, ad Divinæ Essentiæ claram visionem elevatur. De hoc lumine gloriari visa est apud Ecclesiasticum c. 24. *Ego feci, ut oriretur in cœlis lumen indeficiens;* æternum nimirùm illud, in intellectibus Beatorum nunquam terminandum. Lumen hoc nobis insinuare voluisse visus est B. Petrus Card. Damian. serm. de Assumpt. dum elogium illud Sponsæ; *Electa ut Sol*, interpretatur: *Electa imò praelecta ut Sol*, inquit ille; *quia sicut Sol solus Orbem illuminat, sic hac solo solidiori lumine & Angelos & homines illustrat.* Idem sensisse visus est Richardus de S. Victore cap. 39. in Cant. *Nec solùm per eam lux gratiæ in terris, sed etiam visio animabus data est in cœlis.* De hac Virginis luce admirabili, quâ adhuc dum moraretur in terris radiabat, beatificâque perfruebatur identidem visione, idem Richard. de S. Victore cap. 26. in Cant. *Tota quoq; lucida fuit opere, nil in se tenebrosum habens vel sinistrum, sed totum lucidum & perfectum, ut aliorum aspectibus pateret, & exemplo luceret, induta vestitu deaurato virtutum, & circumdata varietate meritorum. Talem Rex cœlestis concupivit, tam decora, sic vestita, Sol Iustitiæ sese infudit, & in ea se carne vestivit. Nec mirum si lucida fuit, quam splendor gloriæ implevit, si pulchra fuerit, quæ splendorem lucis in se suscepit.*

B.V. nobis lumen gloriæ, ut Deum clarè videamus, impetrat.

20. De hac summæ DEI Parentis in cœlis potentiâ, laudem illam trutinans Sponsæ: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in lilijs;* idem trutinans Richardus c. 23. in Cant. luculentissimum dedit testimonium, postquam enim dixisset, per hinnulos hosce intelligi posse Angelos, hominumque animas, ad Regnum jam translatas; qui benè hinnuli dicuntur, quia montem cœlestis habitationis conscenderunt, Divinæque contemplationis dulcedine reficiuntur sicut hinnuli, & alta petere solent, & lacte nutriuntur; postquam, inquam, hæc de beatis Angelis, hominibusque sanctis præmisisset, mox de gloriosissimæ nostræ Virginis attexuit potentia. *Itaq; cùm tam Angeli, quàm sanctæ animæ pro peccatoribus soliciti sint, & eis tam meritis, quàm intercessione subveniant, credendum est Beatam Virginem tantum in hoc posse, quantùm utramq; hanc creaturam. Imò utrâq; potior indicatur; quia utraq; per hanc reparatur; & Angelorum ruina per hanc restaurata est, & humana natura reconciliata. Quid autem mirum si B. V. & peccatoribus reconciliationis, & pijs gratiæ lac fundit, quæ mundum reconciliavit, & ipsam gratiam peperit, imò ipsum fontem gratiæ, qui distenditur per mundum, & extenditur usq; ad mundi terminum?* Hæc Richardus.

Angeli & Animæ beatæ sût quidam Hinnuli.

B. V. Angelorum ruinas in cœlis instauravit.

B.V. Mundum Deo reconciliavit.

Hanc ob causam censet Albertus Tract. super Miss. DEIPARAM omnium Sanctorum etiam Angelorum Matrem prædicari posse: *Omnium Sanctorum*, inquiens, *quos per spiritualem gratiam mediante Virgine regeneravit DEVS, dicitur Mater ipsa Virgo; imò etiam Angelorum dicitur Mater, quia ipsa mediante eorum restaurata est ruina.* Sic ille.

M. omniũ Angelorũ & Sanctorũ Mater.

21. Sed quod omnem mentis excedit captum, quod omnem superat eloquentiam illud est, quod Virgo gloriosissima, potentiâ suâ ipsum attingat DEVM, eamque, in illam supremam, potentissimamque exercere videatur Majestatem. An non Virginis hujus sentire se ostendit potentiam, cùm in persona Sponsi Cant. 4. dicebat: *Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui;* seu ut 70. vertêre Interpretes. εκκαρδίωσας. hoc est. *Excordasti, stupefecisti.* Ac si clariùs dicere voluisset: Tanta tua est potentia ò Virgo, ut vel unicus oculi tui duntaxat aspectus, sit mihi ad instar jaculi cor potentissimè transverberantis. Aspectus iste tuus est velut violentus prædo mihi cor surripiens, meque penitus exanimans. Hinc est quod Sponsa Dilectum, Cor suum appellare non dubitat, dum ait: *Ego dormio, & Cor meum vigilat.* Quæ verba Rabbi Salomon sic est interpretatus: *qui meum est cor, cùm ego dormio, ipse ad me custodiendum vigilat.* Siquidem amoris de Sponso cœlesti reportando triumphum, corque ipsius in suam potestatem redigendo, ac vivendo non aliâ vitâ, ac corde, quàm Sponsi, jure meritò illum cor suum nuncupare potuit, & dicere cum Apostolo: *Vivo ego, iam non ego, vivit verò in me Christus.* Atque ita sentire quivis poterat potentissimam hanc Virginem de cœlesti, Divinoque Sponso triumphantem, vixisse corde, vitâque Sponsi, perinde, ac si cor ejus fuisset proprium; Vnde si quis ei amorem surripuisset Sponsi,

M. in Deũ ipsum quodammodo potentiam suam exercet.

M. Dilectus, est Cor ipsius.

Filius qui est Cor Mariæ vigilat ad illam custodiendã.

M. vivebat corde, & vitâ Sponsi sui

Sponsi, tantum præstitisse fuisset visus, quantum ille, qui ei cor ejus proprium subripuisset. Quæ obsecro major potentia hujusce Virginis in Orbe reperiri potest universo? Quis audivit unquam fœmineum sexum alias per se fragilissimum, potestatem in cor ipsius Dei proprium habuisse, adeò ut illud sub jus quasi suum redigat, sibique mancipet?

M. de ipso Divino corde triumphavit.

22. Audivimus Salomonē in suis Proverb. dixisse: *Cor Regis in manu Domini; quocunq; voluerit inclinabit illud.* Sed nunc demùm audimus: *Cor Regis æterni in manu Virginis, quocunq; voluerit inclinabit illud.* O quoties supremus ille omnium Rex, ac Monarcha, æquissimusque scelerum hujus mundi Vindex, universos perdidisset mortales, nisi Virgo nostra potentissima eius cor ad pietatem, misericordiamque potiùs, quàm justitiam vindictamque inclinasset, ac inflexisset! O quoties Deus ille ultionum Dominus fortis, zelotes, vindicans peccata Patrum in filios in tertiam & quartam generationem furoris sui justissimi, sagittis sceleratos exterminasset peccatores, nisi Deipara sese murum, pro illis opposuisset, ipsiusque manûs quodammodo precibus suis validissimis alligasset!

Cor Regis supremi in manu B.V.

M. suâ potentiâ ligat manûs Dei, ne sumat vindictam

23. Hinc est quod illa gloriabatur in Canticis: *Tenui eum nec dimittam.* Quæ verba trutinans Ioannes Cardinalis Halgrinus: *Ostendit B. Virgo*, inquit, *quod iratus erat Dominus contra vineam suam, plebem videlicet Iudaicam, quæ conversa erat in amaritudinem, & fecerat labruscas, cùm facere debuisset uvas. Ait ergo: tenui eum, ne vineam suam dissiparet omninò. Et subdit: nec dimittam, sed continuâ precum constantiâ furorem ipsius retinebo. Quod enim Dominus Sanctorum precibus retineatur, ostendit Moysi: Cerno, inquiens, quod populus iste duræ cervicis sit, dimitte me, ut irascatur furor meus contra eum. Non dimittam ergo eum, sed semper tenebo, & instabo precibus, donec introducam ad Matrem, sive Genitricem meam plebem Iudaicam, & per fidem habitet ibi, tanquam in domo vel cubiculo suo proprio.* Sic Halgrin.

M. tenet Deum, ne irascatur in peccatores.

24. Quod si scire cupiat quispiam, quid oculus, quid crinis, Dei cor tā potenter vulnerans, significet? Audiat Rupertum Abbatem lib. 3. in Cant. ubi cœlestem Sponsum Virginem sic alloquentem introducit: *Quis unquam ita habuit, ut tu habes Soror mea Sponsa unum oculorum? Vultûs enim tui nunquam sunt in diversa mutati. Quid erat illa uniformitas vultuum non se ampliùs in diversa mutantium? nisi identitas cogitationum, & valdè intenta earundem perseverantia precum, quas profectò quis discernat, vos scitis ò Amici, qui dicitis: Vivus est Sermo DEI, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, hoc est unum oculorum, hæc uniformitas vultuum, oculorum spiritualium, vultuum internorum, preces perseveranter dirigere ad Dominum, ac semper cogitare id ipsum. Et quis in hac re talis, ut tu dilecta specialis, quam solam præ cunctis amantibus totam occupavit, totamq; possedit amor Dilecti? In hoc uno Soror mea, per Spiritum Sanctum, amorem verum Sponsa mea. In hoc uno oculorum tuorum vulnerasti cor meum. Vnde & viscera mea super te se continere non potuerunt.*

Quid unus oculus, quid unus crinis Sponsæ significet?

Vnus oculus Sponsæ, est unitas & identitas cogitationum ad Deum.

Ex quibus pientissimi Abbatis verbis colligere licet, unicum illum Virginis oculum, Divinum cor sauciantem nil aliud esse, quàm assiduum in Divinam præsentiam intuitum, continuamque precum pro humani generis salute ad Deum directionem. Preces nimirum Virginis erant armatæ, penetrabiliores omni gladio ancipiti; unde quid mirum si Divinum illud cor sauciarent? Nec minùs fortis, ac penetrabilis Deiparæ crinis extitit, quem idem Rupertus profundissimam ipsius humilitatem esse dixit: Vnde sic ad Virginem in persona Sponsi loquitur: *Neq; solùm in uno oculorum tuorum vulnerasti cor meum, sed & in uno crine colli tui, id est, in ima humilitate cordis tui; quem videlicet crinem semper unum vidi, quam humilitatem semper uniformem, & indeficientem semper esse conspexi; quid uno crine graciliùs, quid humilitate subtiliùs; quid crine flexibiliùs, quid humilitate confractiùs? Iste est crinis colli humilis, cogitatus mulieris caput non habentis. Nam caput mulieris Vir. Attamen Sponso desponsari viro non renuisti, & inter hæc unum oculorum tuorum, & illum crinem colli tui magis, ac magis in me fixisti, fide fortis, spe stabilis, charitate immobilis. Itaq; semper & ubiq; sive unitatem habens oculorum, id est, vultum in diversa non mutatum, vulnerasti cor meum; unum illum crinem tuum, spiritum humilem, & contribulatum in me jecisti, velut spiculum præacutum, & sic vulnerasti cor meum. Alij quondam fortes, & validi me tenuerunt, & dicentem: Dimitte me; non dimiserunt, & luctando fortiter contra DEVM fortes fuerunt, tu autem etiam vulnerasti cor meum. Et illi quidem luctando, atq; vincendo æternam sibimet*

M. continuat preces pro nobis.

M. preces armatæ.

M. humilitate suâ Deum expugnat.

Crinis Mariæ, est humilitas cor Dei vulnerās.

Oculus M. Spiculum acutum cor Dei vulnerans.

bene-

benedictionem, & necessariam peccato populi sui indulgentiam obtinuerunt, tu autem quid invenisti, quid accepisti vulnerando cor meum? Hoc nimirum quod Virgo, & Mater es, & hunc esse fructum unius oculorum tuorum, & unius crinis colli tui, quod cùm reputares te indignam viro, facta es digna DEO; cùm te indignam judicares facere semen in Israël, facta es digna facere salutē in Israël, cùm indignā te reputares lactare filiū hominē, digna habita es, mãmis pulchris, uberibus pulcherrimis Virgineis, atq; intactis lactare Filiū Deū & hominē. Hactenus Rupert. de potentia solius oculi, crinisq; Virginei cor Divinum saucientis, deque tantæ victoriæ reportatis spolijs.

M. judicās se indignā viro, vovendo Virginitatem facta digna Deo.

25. Potentiam hanc Virginis, incredibilemque fortitudinem, quæ in illa fuit in summo, ut ait B. Albertus Magnus, hujusmodi comprobavit argumento tract. super Missus est: *Quidquid fortiùs est fortiore, fortiùs est infirmiore. At Beatissima Virgo fuit fortior tribus fortioribus, omni Viatore; fortior nimirum DEO, Morte, Diabolo. Humilitas enim Beatissimæ Virginis DEVM superavit quodammodo, quando eum de cœlis ad terras humilitate deducens, charitate vinculatum pariter & humiliatum, vulneratumq; in sua Virginitate incarceravit. Vnde in Canticis ajebat ipsa: Dum esset Rex in accubitū suo, nardus mea dedit odorem suum. Et Salomon in Proverbijs: Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus precium ejus. Ultimi fines sunt Divinitas, & humanitas, maximè à se distantes. Vnde fortissima Mulier fuit, quæ hac conjunxit. Sic igitur fortitudo Beatissimæ Virginis rigorem fortitudinis Divinæ severitatis superavit. De qua Moyses: Cujus fortitudo similis est Rhinocerotis, cujus fortitudo in gremio Virginis mansuescit. Atq; ita patet, quānam ratione Beatissima Virgo fortitudinem DEI superaverit. Alter fortis, est ipsa Mors, cui nemo mortalium resistere potest. Omnes enim morimur, & quasi aqua subterranea dilabimur. Hac etiā fortior erat Virgo beatissima, quæ mortem destruxit. Sicut enim mors intravit per fœminā, quæ vitam destruxit, sic & vita redijt per B. V. quæ mortē destruxit. Et ita Beatissima Virgo fuit destructio mortis, ac per consequens fortior Morte. Postremus fortis, est Diabolus, de quo Iob: Non est potestas super terram, quæ comparetur ei. Beatissima tamen Virgo fuit illo fortior, quia ipsa caput ejus contrivit.* Hactenus Albertus.

M. fortior Deo, Morte, Diabolo.

B. V. Deū superavit humilitate.

Fines maximè à se distantes, Divinitas, & Humanitas.

Dei fortitudo similis Rhinoceroti.

Per M. intravit Vita; sicut per Evam mors.

B. V. fortior Diabolo, cujus caput contrivit.

26. De eadem potentia Deiparæ, quâ in Dei Filium, illum de cœlis in terras pertrahendo usa est, B. Amadeus Lausanensis Episc. Hom. 2. sic loquitur: *Candet perpetuâ Virginitate & perfectâ puritate, decoris quoq; suavitate, fortem Rhinocerotem inclinat, DEVM Majestatis invitat.*

M. Devm velut Rhinocerotē mansuefecit.

Audiendus hic etiam Rupertus Abbas de hac Divina fortitudine, ac potentiâ Rhinoceroti comparata: *Fortissimus spirituum DEVS, velut Vnicornis, id est, potentia singularis, DEVS incomprehensibilis invictaq; virtutis, Virginei tractus odore uteri, illi inclusus est, & ex eo tantùm comprehendi potuit, & occidi.* Sic Rupertus.

Non minùs eleganter sapideque tam potentiam Deiparæ, quàm Divini Numinis in peccatores severitatem; atque, ut ita dicam ferociā, describit Richard. à S. Laurent. lib. 1. cap. 5. de laud. B. V. *Odore*, inquiens, *suavissimo suæ humilitatis DEI Filium illexit, totumq; rapuit, qui illectus, & totus raptus, de sinu Patris salijt in uterum Matris. Nec solùm in ventre ejus odorem Virginitatis, sed & mente odorem humilitatis reperiens, hisq; odoribus, odorem suæ Divinitatis admiscens, de Ancilla fecit Sponsam, deq; creatura Genitricem. Sic nimirum humilitas Mariæ Regem cœli attraxit ad terram, & velut Aquilam odore prædæ concupitæ illectam, carni immaculatissimæ copulavit; ascendente fumo aromatum virtutum ejus, in conspectu gloriæ magni DEI, invenit gratiam coram oculis Domini. Statimq; Rex egrediens de loco sancto suo, deq; excelso cœlorum habitaculo prosiliens exultavit, ut Gigas, ad currendam viam, nimioq; pervolans desiderio prævenit nuncium suum ad Virginem, quam elegerat, quam amaverat, cujus decorem concupierat, & quasi Vnicornis mansuetissimus in Sinu Virginis depositâ iracundiæ feritate, quam ob primorum parentum peccatum, ad genus humanum habuerat, se recepit. Hunc à longè, de summo cœlo egredientem, ac venientem prospiciens, exultansq; dicebat: Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Erat nimirum DEI Filius Sapientia illa, quæ juxta Iob c. 28. trahitur de occultis, nempè de Sinu Patris: occultis, inquam, ad quæ nulli creaturæ patebat accessus, quasi quibusdam funibus intimorum desideriorum, ac suspiriorum Patrum antiquiorum. Inter quos Maria, quia magis dilexit, profundiùs suspiravit, vehementiùs desideravit, fortiùs etiam traxit, cùm dixit: Osculetur me osculo oris sui.* Cāt. 1. Hæc Rich.

M. humilitatis vis, in superno Rege ad se pertrahendo.

M. æternā Sapientiā suæ humilitatis funibus traxit de occultis, id est, Sinu Patris.

27. Verùm ut meliùs potentiam Virginis nostræ, in irā Omnipotentis contra genus humanum placanda, penetremus, operæ precium est naturam tantisper scrutari Rhinocerotis, ac Mono-

 noce-

nocerotis, quibus sacræ paginæ DEVM irascentem, priusquam de Virgine carnem assumeret, conferre consueverunt. Vti Num. 23. ubi Balaam Ariolus Divino afflatus Spiritu, victorias æterni celebrando Verbi, quas de populi Israëlitici reportavit inimicis, sic loquitur: *Dominus DEVS ejus cum ipso est, & clangor victoriæ Regis in illo: DEVS eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est Rhinoceroti.* Seu ut legêre 70. Interpret. Monoceroti. Audiamus de eadem comparatione Moysen, qui Filij DEI invictissimam decantando fortitudinem, ac potentiam, eundem Rhinoceroti comparavit. Deut. 33. *Quasi primogeniti Tauri pulchritudo ejus, cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usq; ad extremũ terræ.*

DEI fortitudo Monoceroti seu Rhinoceroti similis.

David denique Incarnandi Verbi studiosissimum atq; amantissimum audiamus Psal. 28. *Et dilectus quemadmodum Filius Vnicornium.*

Vnicornis natura.

28. De Monocerotis porrò seù Vnicornis natura scribit Plin. lib. 8. Hist. animalium. cap. 21. *Asperrimam autem feram, Monocerotem venantur, reliquo corpore equo similem, capite cervo; pedibus elephanto, caudâ apro, mugitu gravi; uno cornu nigro mediâ fronte, cubitorum duorum eminente. Hanc feram vivam negant capi.* Ælianus verò lib. 16. de Animal. cap. 20, & lib. 17. cap. 44. eundem Vnicornem sic describit: *Est juba, & pilis furvus, pedibus celer, cornu nigro, mansuetus erga alias bestias.* Rhinocerotem denique ita à principali dictum cornu, quem in naribus gestat, (habet enim aliud minusculum, uti insinuavit Martialis.

Ille gravem gemino cornu sic extulit ursam,
Iactat ut impositas Taurus ad astra pilas.)

Rhinocerotis natura.

Rhinocerotem, inquam, sic depingit Oppianus lib. 2. de Venatione: *Paulum supra summum nasum attollit cornu sævum, acutum, ut atrocem gladium, illo æs perforaret, impetu facto feriens, durumq; diviserit saxum.*

De eodem Rhinocerote Plin. lib. 8. nat. Hist. c. 20. quem ait visum in ludis Pompei Magni, sic loquitur: *Rhinoceros est unius in nare cornus. Alter hic genitus hostis Elephanto: cornu ad saxa limato praparat se pugnæ; in dimicatione alvum petens, quam scit esse molliorem, longitudo ei par, crura multò breviora, color buxeus.* Pugnam hanc olim Olysippo temporibus Emmanuelis Lusitaniæ Regis circa annum 1515. spectavit, in qua Elephas succubuisse fertur. Quantâ porrò vi Rhinocerotis hæc polleant cornua, declaravit jam memoratus Martialis, dum de eo cecinit lib. de Amphit. Cæsa. Epig. 9.

O quam terribiles exarsit pronus in iras!
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat.

29. Cùm igitur supremum illud Numen in genus humanum justissimâ indignatione accensum feris hujusmodi adeò terribilibus sacræ literæ comparant, simul Divæ Virginis nobis incredibilem, Divinamque potentiam declarant, quâ tam mirificè iram ipsius superare, ac placare, vel unico illo suæ voluntatis actu novit, cùm dixit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi &c.* Tunc enim DEVS ille fortissimus, qui ad instar Vnicornis, aut Rhinocerotis infinitæ suæ potentiæ, ac justitiæ cornu, mugitu horribilium sententiarum, mundum quatere, ac ventilare consueverat, in ejus uteri Virginalis Sinu, omni depositâ feritate furoreque vindictæ mansvefactus est.

Vnicornis Divinus in utero B.V. mansuefactus.

O quam horribilis mugitus hujuscé Vnicornis extitit, cùm in veteri lege identidem intonuit: *Ego sum DEVS fortis, Zelotes, vindicans peccata Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem. Quam terribilis mugitus! Non videbit me homo, & vivet. Tollatur impius ne videat gloriam DEI.*

Quam tremendum ostendit esse suæ justitiæ cornu, cùm terram dirumpendo sub pedibus Core, Dathan, & Abiron, vivos deturbavit in Infernum, ut attestatus est Moyses Num. 16. *Confestim*, inquiens, *dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis, & universâ substantiâ eorum, descenderuntq; vivi in Infernum, operti humo, & perîerunt de medio multitudinis.* At verò ubi DEVS hic zelotes, terribilis, in potentissimæ hujuscé nostræ Virginis, humanitatem nostram assumendo, Sinu mansuefactus est, ex DEO ultionum Domino, factus est Pater misericordiarum: ex DEO forti, ac zelote; DEVS totius consolationis: ex DEO vindicante peccata in tertiam, & quartam generationem, evasit DEVS, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, cùm misericordia ejus sit à progenie, in progenie timentibus eum, ut canit ipsa Virgo sanctissima.

Divini Vnicornis ira in perdendis Core, Dathan & Abyron

Divinus Vnicornis per B. V. factus Pater misericordiarum, & DEVS totius consolationis.

30. Atque ita illud possibile factum est, quod velut impossibile ipse Dominus Iobo cap. 39. proponebat. *Nunquid volet Rhinoceros servire tibi, aut morabitur*

Divinus Rhinoceros in præsepi moratus, servivit nobis, formam servi accipiens.

tur ad præsepe tuum? Verè enim modo respondere possumus: Imò verò nobis servit Rhinoceros ille terribilis, ac indomitus, mansuefactus à Virgine hac mansuetariâ, ut eam vocat Delrio. *Exinanivit enim semetipsum,* ut ait Apostolus, *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.* Quam exinanitionem Gverricus Abbas Ignatiensis ser. 3. de Nativ. contemplans:

Quæ fuerit Dei Filij exinanitio?

Magna prorsus, inquit, *exinanitio ista in oculis videntium, ut splendor gloriæ, & figura paternæ substantiæ, non nisi formam præferat servilem, & in ipsa non habens speciem neque decorem. Quasi enim parum exinanitus esset, si homo solùm fieret, etiam humanæ carnis gloriam ita funditus in se evacuavit, sapientiam infatuavit, infirmavit virtutem; minuitq; magnitudinem; ut & in nativitate minimum, & in passione se exhiberet novissimum virorum, unde nec reputaverunt eum.* Verè modo respondere poterat Iobus, eundé illum terribilem Rhinocerotem ad præsepe nostrum commorari, siquidem Virgo potentissima, ita illum domuit, ut ei manûs, pedesque colligaret, uti testatus est ejus Secretarius Luc. c. 2. *Involvit,* inquiens, *eum pannis, & reclinavit in præsepio.*

M. ligavit Rhinocerotem Divinum ad præsepiû, quando involvit Filium pannis &c.

Terribilem hunc Rhinocerotem ad præsepium ligatum, ac tantopere mansuefactum rursus considerans idem pientissimus Abbas, admirabundus in illa prorupit verba: *Vis videre DEUM exinanitum à semetipso? vide jacentem in præsepio: Ecce DEUS noster, Esaias ait c. 30. qui de tam longinquo vidit & cognovit præsepe Domini sui, imò DEUM in præsepi: Ecce, inquit, DEUS noster. Ubi quæso? in illo, inquit, præsepio Infantulum quidem ibi invenio. Hunccine tu dicis illum esse, qui dicit: cœlum & terram [illegible]leo, imò cujus Majestati angusta est [illegible]i latitudo, pannis involutum video. Hunccine tu dicis illum esse, qui gloriam & decorem induit lucis inaccessibilis, amictus incircumscripto lumine, sicut vestimento? Vagientem audio. Hiccine est, qui in cœlis tonat, sub cujus vocis tonitruo potestates Angelicæ submittunt alas suas. Sic est, inquit alius Propheta, satisfaciens pro Isaia, omninò sic est; hic est DEUS noster, sed exinanitus est, ut te repleat, & à se quodammodo deficere voluit, ut te reficiat. Conclamat omnis Chorus Prophetarum uno Spiritu, eâdemq; sententiâ, & si aliqui voce diversâ; Sic est, hic est DEUS noster, & non æstimabitur alius præter eum, neq; enim est alius præter eum.* Sic ille.

Deus pannis involutus, cui angusta est omnis cœli latitudo.

Divini Unicornis ingens potentia.

31. Verè hic est Deus noster ille quondam terribilis, ad instar Rhinocerotis, formidabilis ad instar Unicornis, potentiâ planè obstupescendâ Deiparæ nostræ, adeò mitis & humilis corde, omni Majestate illâ formidabili depositâ, effectus, ut omnes ad sui amorem attrahat, atque pelliciat. Quâ de re rursus idem Gverricus serm. 4. de Nat. præclarissimè loquitur: *Verbum DEI seipsum breviari, & quodammodo minui voluit, adeò ut de incomprehensibili immensitate sui, ad angustias uteri quodammodo se contraxerit, & continens mundum, in præsepi se passum sit contineri. In cœlo Verbum istud horribili altitudine suâ virtutes Angelicas stupefecit; in præsepio simplices & hebetes pascit. Ibi subtilissimis Angelorum intellectibus inscrutabile, hic etiam obtusis hominum sensibus palpabile. Quia enim DEUS non poterat loqui nobis, quasi spiritualibus sed quasi carnalibus, Verbum ejus factum est caro, ut non solùm audire, sed & videre posset omnis caro, quod os Domini locutum est. Et quia in sapientia sua non cognovit mundus sapientiam DEI, dignatione ineffabili, eadem Sapientia DEI se stultitiam fecit, ut quamlibet idiotis, vel hebetibus se discibilem præberet, per stultitiam prædicationis salvos faceret credentes. Cùm solis nimirum parvulis concordat iste parvulus; in solis requiescit humilibus, & quietis.* Hæc de magno illo formidabilique Unicorni in Sinu Virginis abbreviato, ac mitigato Gverricus.

Imensum Verbum abbreviari, assûptâ humanitate, voluit.

Dei Sapientia incarnata, in præsepio simplices & hebetes pascit.

Sapientia Incarnata se stultitiam fecit in hoc mundo.

32. Rursus Richardus à S. Laurent. lib. 6. de laudibus Virg. omnipotentiam Deiparæ, in cœlesti illo Rhinocerote perdomando prolixè deprædicavit. *Hæc est Virgo,* inquiens, *quæ sævum Rhinocerotem mansuescere fecit in suo gremio Virginali. Dicunt qui naturas animalium scripserunt, quod Rhinoceros vel Unicornis, animal sit sævissimum, tantæq; fortitudinis, ut nullâ venatorum arte capi possit, unicoq; Cornu suo quod gestat in fronte, uti dicit B. Isidorus, vel in nare, ut S. Gregorius omnia disrumpit obstantia. Verùm per Virginem in tantum mitescit, ut à venatoribus capi possit. Est enim connaturale Unicorni seu Rhinoceroti, ut visâ Virgine, in Sinum illius se reclinet, suæq; ferocitatis oblitus mansuetissimè requiescat. Rhinoceros hic Christus est, cujus potestati, per cornu designatæ nemo resistit. Quare de ipso apud Isaiam c. 2. dicitur: quiescite ab homine cujus spiritus in naribus ejus est, quia excelsus reputatus est ipse. Sævus & indomitus hic Rhinoceros videbatur, quando pro sola superbiæ cogitatione, Luciferum cum suis de cœlo;* pro

Rhinoceros Divinus quam severus in Lucifero, ob unicâ superbiæ cogitationem puniendo.

pro morsu pomi, Adamum expulit de Paradiso, originalem mundum delevit diluvio: Sodomitas igne complutos, & sulphure demersit in Infernum. Sic in cœlo, sic in terra Vnicornis iste sæviebat, donec gloriosa Virgo nostra ipsum in gremium uteri Virginalis suscepit, eumq́ Virgineâ suâ carne vestivit. In qua incomprehensibilis secundùm Deitatem, capi dignatus est à venatoribus, Gentibus scilicet, ac Iudæis, adductusq́ spontanea occisioni se passus est crucifigi. Glossa enim ad illud: Nunquid volet Rhinoceros servire tibi? quod animal hoc ubi se captum advertit, ex indignatione moritur. Sic & Christus mortuus est, ex indignatione quam habuit contra peccata. Vnde in persona ipsius dixisse visus est Ezech. cap. 3. Abij amarus in indignatione spiritus mei. Abij, inquam, quasi spontaneus, amarus ad amaritudinem passionis, abij deniq́ in indignatione spiritus mei, quam habui propter peccata. Hæc Richardus. quibus sanè & potentiam Deiparæ, & Incarnati Verbi in humanum genus mansuetudinem, quam in Sinu Virginis acquisivit, mirificè nobis ob oculos proposuit.

Rhinoceros Divinus in cælo & in terra terribiliter desævijt.

33. Iam in posterum? ne tam anxiè inquirat Salomon fœminam aliquam fortem, ac robustam, quæ post tot alias, in manu forti faciat salutem in Israël: ne ampliùs desperabundus dicat: *Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus precium eius.* Seu ut legêre 70. Interpp. ἀνδρείαν, *Virilem Mulierem*: seù ut Chaldæus: *Mulierem Bonam?* Ecce enim Mulier optima Virgo est Deipara, quæ Divinæ naturæ Bonitatem æmulata, postquam sinu suo Vnicornem cœlestem fovit, nobiscum fructum vitæ æternæ communicavit. En vobis mulierem virilem, ac magnanimam, quæ ineffabili suâ fortitudine, ac potentiâ de supremo mundi triumphavit Monarchâ, illi adimendo cor, illum ligando, & uteri sui cœco quasi recludendo carcere. De fœlici hâc suâ captivitate fecisse visus est mentionem Sponsus Cant. 7. in elogio illo Sponsæ: *Coma capitis tui sicut purpura Regis iuncta canalibus;* seù ut legunt 70. Interpp. *Cæsaries capitis tui, sicut purpura, Rex ligatus in canalibus;* insinuare volens, non solùm se oculo, ac crine Sponsæ sauciatum; verùm etiam crinibus crispantibus ad instar aquarum per canales decurrentium ligatum, ac captivatum. Ne quærat igitur tam solicitè Salomon, ne dicat ampliùs: *Mulierem fortem quis inveniet?* Hæc enim est

M. Mulier Virilis.

M. Mulier bona.

M. supremum Regem ligavit.

nostra Virgo Deipara, uti interpretatus est D. Bernardus ser. 2. super Missus est. *Quam verò aliam*, inquiens, *requirebat Mulierem Salomon, quàm Mariam scilicet? Noverat enim Vir sapiens huius sexus infirmitatem, & fragile corpus, lubricam mentem; tamen quia DEVM noverat promisisse, & ita videbat congruere, vt qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipsam, vehementer admirans dicebat: Mulierem fortem quis inveniet? quod est dicere: si ita de manu Fœmina pendet nostra omnium salus, & innocentia restitutio, deq́ hostibus victoria, fortis omninò necesse est, vt provideatur, quæ ad tantum opus possit esse idonea. Ac ne quæsisse putetur desperando, subdit prophetando: Procul & de ultimis finibus precium eius. Hoc est, non vile, non parvum, non mediocre, non deniq́ de terra, sed de cœlo, nec de cœlo proximo terra precium huius fortis Mulieris, sed à summo cœlo.* Hactenus Bernard.

M. Mulier fortis, quã inquirebat Salomon.

34. Quam inæstimabile porrò sit hujuscé Mulieris fortissimæ, atque potentissimæ de ipso Deo summo omnium Rege triumphantis precium, textus Hebræus nos edocet: legit enim: *Longinquum, & ab unionibus, seù margaritis, rubinis, seù adamantibus precium eius.* Septuaginta verò Interpp. *Preciosior est lapidibus preciosis, quæ talis est.* Verè Virgo Deipara Mulier est preciosissima, inæstimabilior multò, quàm omnes orientis gemmæ, uniones, lapillique preciosissimi; in illa enim Divinitas Filij Dei, in quo omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei sunt absconditi, est recondita, cui vilissima carnis nostræ unita massa, adeò appreciata fuit à Deo Patre, ut eam ad solij sui dexteram collocare non sit dedignatus, dum Filium Matremque super omnes Angelorum Hier[illegible]as exaltavit.

M. Mulier preciosissima, gemmis omnibus preciosior.

35. Mulier verè Vir[illegible] fortis, ac potens extitit Deipara, quæ in unico suo crine, majores vires habuit, quàm Samson in pluribus. Majores vires in unico suo oculo, quo altum illud cor Dei amore sauciatum est, quàm habuerit propemodum ille, cui canebat David: *Qui respicit terram & facit eam tremere.* Vnde tantam Virginei ocelli ampliùs tolerare non valens potentiam Sponsus in Cant. 6. eam amanter rogitabat: *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Seù ut legit Rabbi Abraham: *Averte oculos tuos à me, quia ipsi fortiores fuerunt me, prævaluerunt mihi, abstulerunt*

M. oculorum vis.

lerunt mihi robur meum, & Dominium meum; in puniendis maximè peccatoribus.

Ipsa enim sese Deo opponere quodammodo, eique flagellum, sagittasque in sceleratos mox ejaculandas de manibus, suâ vi, potentiâque eripere, imò & nescio quâ ratione cum Deo altercari videtur, ut inquit Richardus à. S. Laur. lib. 2. de laud. Virg. *Sæpè*, inquiens, *quos Filij justitia damnat, Matris misericordia liberat. Iustitia enim Filij, & misericordia Matris sic altercari videntur, ut Deut. 32. habetur. Nam cùm Iustitia Filij dicit: Ego occidam, & percutiam: Misericordia Matris respondet: Ego vivere faciam, & sanabo. Eadem Matris Misericordia concludit, ad suam indicandam vim, & potentiam: Et non est qui de manu mea possit eruere. Fugias igitur sub protectione manus eius, uti fecit Theophilus, & nihil erit pertimescendum. Ipsa enim est Abigail, cuius prudentia retinuit furorem David, ne vindicaret se de stulto Nabal. Ipsa siquidem se suppliciter invocantibus favet, iratoq; Filio dulcia verba repræsentat, quibus delectatus Filius facilè mansuescit.* Hæc ferè Richardus.

M. pro nobis cum Deo quasi altercatur

Confugiendum ad protectionem manûs Deiparæ.

B. V. Abigail dum Deum iratum mortalibus placat.

36. Potentiam hanc Virginis in irato placando Deo, agnovit B. Andreas Augustinianus Mediolanensis in M. S. suo lib. de excell. Virg. dum illam castissimæ Abisag contulit: *Abisag Sulamitis*, inquiens, *sinu suo David senescentem calefecit, tu Virgo DEVM nobis irascentem refovisti.* Agnovit Virginalem hanc potentiam Doctor Seraphicus Psal. 35. dum ei modulatus est: *Potentia & virtus in brachio tuo, robur & fortitudo in dextera tua: Benedictum sit imperium tuum super cœlos, benedicta sit magnificentia tua super terram. Inclina vultum Dei super nos, coge illum peccatoribus misereri.* Hanc denique apud Deum experta Deiparæ omnipotentiam Sancta Mater Ecclesia, jure meritò Salutationem Angelicam illis conclusit verbis: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis, &c.* Causam assignavit S. Bernardinus Senensis Tom. 1. ser. 52. c. 3. ostendens Virginem potentissimam apud Deum esse pro nobis Mediatricem: *Quantò enim*, inquiens, *Mediator inter peccatores, & Deum ad intercedendum est promptior, vehementior, & ad impetrandum dignior, reverentior & gratiosior, tantò, cæteris paribus, est utiliùs eum habere pro Mediatore. Sed quænam Maternæ supplicationi poterit comparari? Adstat enim pro nobis supplex à dextris Filij vera Regina, quia summi Regis Filia, per gratiosam adoptionem; quia summi Regis Sponsa, per gloriosam Assumptionem: Adstat, inquam, talis Regina, pro devotè postulantibus ad intercedendum contra indignationem Iudicis, ad excusandum defectum nostræ infirmitatis, ad subveniendum, accipiens pro nobis plenè influxum Divinitatis, quam nobis infundit hic per gratiam, & in futuro per gloriam IESVS.* Quare potentissimam apud Deum Iudicem æquissimum Mediatricem illam agnoscens S. Basilius Seleuciæ Archiepiscopus, suos Auditores, ut Virginem compellent, sic adhortatur orat. 39. de Annunc. *Vinculo charitatis nobis invicem colligati tales ante Deiparam voces effundamus: O Virgo Sanctissima supernè nos aspice, esto propitia, nunc quidem nos in pace rege. At ad Thronum Iudicis sine confusione adductos, in ea statione nos colloca, quæ est ad Filij tui dexteram, ut in sublime rapiamur, & pari cum Angelis hymno increatam, eiusdemq; Naturæ Trinitatem personemus, quæ in Patre, & Filio, & Spiritu S. cognoscitur & laudatur in sæcula.*

M. Abisag Sulamitis.

B. V. cogit Deum peccatoribus misereri.

Nulla oratio Matris Dei intercessioni potest comparari.

M. Mediatrix potentissima pluribus titulis.

M. suos clientes ante faciē Iudicis sine confusione adducit.

37. Potentia denique hæc Sacratissimæ Virginis, quâ prævalere ipsi Deo visa est, adeò eximia, adeò excellens, ac gloriosa est, ut eam idē D. Bern Senen. To. 4. ser. 51. cap. 4. inter Virgineorum privilegiorū duodenas illas stellas, quib⁹ ipsius venerabilis redimitur vertex numeraverit, Potestatēq; vocitârit. Sic igitur ille ad verbum pro suo in Virginem pientissimo affectu, quē mirari licet, vix tamen imitari: *Plus potest*, inquit, *facere B. V. de DEO, quàm DEVS, de seipso. Quædam enim contraria videbantur inter DEVM, & Virginem, quæ cùm accessit DEVS ad Virginem concordata sunt.* Idem S. Pater postquam dixisset Virginem non posse parere nisi Devm, de Deo; & Devm Patrem non posse non generare Devm, & hunc immortalem dumtaxat, æternum, infinitum, invisibilem, insensibilem, sub formâ Dei solius, subjunxit: *Et tamen Virgo DEVM fecit hominem, & DEVM finitum, mortalem, modicum, temporalem, palpabilem, sensibilem, visibilem, sub forma servi, suppositum sub natura creata.* Tandemque post attentam admirandæ hujus Virginalis potentiæ, qua ipsi Deo superior fieri visa est Deipara, contemplationem, tantarum rerum admiratione perculsus Vir hic Deiparæ amantissimus exclamavit: *O ineffabilis humilitas Creatoris! O incogitabilis virtus Virginis Matris! O incomprehensibi-*

Potestas M. est Stella una ex duodecim, quæ ipsius caput coronant.

M. Potentia incogitabilis.

hensibilis altitudo Mysteriorum Dei! Vna Mulier Hebraa fecit invasionem in domo Regis aterni. Vna puella nescio quibus blanditijs, nescio quibus violentijs decepit, & vt ita dicam, vulnerauit rapuitq; Divinum cor, Divinamq; sapientiam. Vnde conqueritur Deus de B. V. Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum. Vbi Glossa: pro amore tui carnem assumpsi, & vulneribus primis in Cruce vulnerasti cor meum. Primogenita enim Filij sui fuit, & principaliter pro ea redimenda mundum venit. Ex quibus omnibus infert Pater Seraphicus, obortis lacrymis, præ affectûs teneritudine, potuisse aliqua Virginem fecisse, quæ nullo modo potuisset Dei infinita Omnipotentia, proindeq; Virgineam hanc Potentiam, Divinæ illi Patris æterni quodammodo præeminere: *Ex Virginis igitur carne,* inquit, *(flens dico) summam Altitudinem vestivit humilitate; summam Latitiam vestiuit pœnalitate; summam Opulentiam vestiuit paupertate; summam Lucem vestiuit tenebris; summum Honorem vestiuit opprobrijs: summum Amabile vestiuit flagellis. Revera DEO Patri, per omnem modum impossibile erat, vt de se tale aliquid faceret, Propterea in hoc consistit Virginis prarogatiua, quia cùm hac DEVS non possit, nulli alteri creatura concessit.*

M. primogenita Redéptoris, quia principaliter pro ea redimenda in mundũ venit.

M. summã Altitudinem vestivit humilitate, lucem, tenebris humanitatis.

Ex hoc tandem pientissimo mentis discursu colligit terrestris hic Seraphinus incredibilem non modò Dei, verùm etiam Deiparæ in genus humanum charitatem. *Quod autem sic generauit,* inquiens, *totum pro salute generis humani procuratum est. Vnde sicut illud, quod Pater dedit Filio, maius omnibus est Ioan. 10. sic quod Mater dedit ei, maius etiam omnibus est. Quid igitur agendum, nisi cum Gregorio exclamandum: O mira circa nos utriusq; Parentis IESV Christi pietatis dignatio; ò inestimabilis DEI, & Virginis dilectio charitatis, qui vt servum redimerent, communem Filium tradiderunt, propter nimiam charitatem, quâ Deus & Virgo nos miseros peccatores dilexerunt.* Hæc ferè Seraphicus amore Seraphico in Christum ejusque Matrem succensus Bernardinus in laudem potentiæ Virginalis.

M. mira charitas in diligendis hominibus.

38. Hanc eandem omnipotentiam contemplans Sponsus, Angelicis virtutibus, ac Potestatibus de Pharaonis exercitibus, curribus, ac quadrigis triumphantibus, eosque in maris rubri abyssis, demergentibus illam comparavit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis,* scilicet subvertẽdis, *assimilaui te amica mea.* Cant. 1. Ita S. Gregorius Nyssenus Hom. 3. in Cantica elogium hoc Sponsi est interpretatus, cùm enim præmisisset: *Aliam potestatem equitatui Pharaonis obiectam didicimus ab historia; nempè Nubem & Virgam, & violentum, vehementemq; ventum, bifariamq; mare diuisum; & profundum in puluere, & ex undis effectum murum, siccamq; abyssum per intermedios in aquis muros arefactam, ac solidatam, per qua omnia salus parta est Israëlitis, quando Pharao cum toto exercitu, equis, curribusq;, undis fuit obrutus. Nullis igitur equestribus copijs exercitui Ægyptiorum obiectis, non facilè fuerit scire cuinam Equitatui contra currus Ægyptios apparenti, nunc assimiletur Sponsa: Equitatui meo,* inquit, *qui in curribus Pharaonis reportauit victoriam, assimilaui te propinqua mea:* Vbi, inquam, hæc præmisit, mox ita subtexuit: *An non manifestum est, quod quemadmodum fieri non potest, ut nauali pralio sit parta victoria, nisi nauticus exercitus hostium demerserit exercitum, qui est in nauibus: ita nec in equestri pralio victus erit quispiam, si non aliqua equestres copia inimicorum, ex aduerso steterint. Quoniam ergo id quod erat validissimum in exercitu Ægyptiorum, vim quandam, qua minimè sub oculos cadebat, per quam etiam parta est de illis victoria, sentiebat (quam vim, Equitatum Dei scriptura nominauit) eam potentiam Diuinam fuisse intelligimus, quam belligerantes Ægyptij experti, clamabant inter se: Dominus bellum gerit aduersus Ægyptios, fugiamus à facie Domini. Exod 14.*

M. Potentia similis Angelicæ, Pharaoné in mari rubro debellanti.

Hac autem virtus sub aspectum minimè cadens patrabat in mari miracula, qua Ægyptijs exitium afferebant; quam virtutem, Angelicum exercitum esse existimamus, de quo Propheta: qui ascendis super Equos tuos, & equitatus est tua salus Abac. 3. Dauid quoq; Currûs Dei memorat Psal. 7. Currus Dei decem millibus multiplex, cui subiunguntur millia eorum, qui illos dirigunt. Praterea virtus illa, qua Eliam sublimem, è terra ad locum athereum evehit, equorum nomine à scriptura appellatur. Zacharias deniq; c. 1. eos spiritus, qui terrarum orbem obiuerunt, per quos terra habitabatur, ac quiescebat, uocitauit Equos. Habet ergo Equos Vniuersorum Dominus, ac Possessor; alium quidem sursum tollentem Prophetam; alium facientem, ut inhabitetur Orbis terra, alium iungentem se Dei Currui: Alium qui Deum accipit vectorem ad salutem hominum; alium deniq; qui Ægyptias obruit copias. Cùm ergo in Diuinis hiscè equis, magna sit, ut per ipsas eorum operationes apparet, differentia, Sponsa illa, qua per cursum virtutis Deo appro-

Angeli in mari rubro contra Ægyptios pugnârunt.

Angeli sunt Equi Dei.

Angelorũ varia ministeria in hominibus salvandis.

propinquauit meritò assimilatur Equis, qui copias Ægyptias perdidere. Quanta porrò laus hæc Virginis nostræ, hoc elogio Sponsi inclusa extiterit, mox Sanctus subtexuit Antistes: *Multas autem easque magnas laudes simul Verbum complectitur, estque quidam encomiorum catalogus, laudumque argumentum hac anima quæ Deo coniungitur, Diuinis hisce Equis assimilatio.* Hactenus ferè Nyssenus.

M. cum Angelis comparatur à Verbo, magnus contexitur laudum catalogus

39. Ex quibus colligere proclivè est potentiam Virginis Angelicæ, imò Divinæ illi similem, quâ in educendo Israëlitico populo, in manu potenti, & brachio extento, de Pharaonica captivitate, summa illa Regis æviterni Majestas, atque omnipotentia usa est. Quemadmodum enim summus Vniversi totius Imperator operâ Angelorum in eripiendo de Ægyptiaca captivitate Israële usus est, ita quoque cooperationem Virginis in liberando genere humano à Satanica Tyrannide adhibere non est dedignatus. Vnde & ipsius consensum in Incarnationem requisivit, tanquam is, qui eam suæ virtutis participem, & cooperatricem humanæ salutis instituere decreverat. Hinc sacræ literæ de hac populi ex Ægypto ereptione ita loquuntur, ut totam illam victoriam non tam Angelis, quàm ipsi Deo attribuere videantur. Quare cùm Israëliticus populus à tergo se insequentes formidaret Ægyptios, Moyses eos animaturus ajebat: Exodi 14. *Nolite timere, state, & videte magnalia Domini quæ facturus est hodie, Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis, usque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Et paulò post, totius illius exercitus Pharaonis curruum subversio, ac demersio attribuitur Domino: *Fugientibusque Ægyptijs,* ait Moyses, *occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.* Idem Moyses denique & Maria Soror ejus, Virginis nostræ typus perelegans, in Epinicio quod Divinæ Majestati ob tam insignem victoriam triumphantes modulati sunt, tantum, tamque insigne beneficium, tot tantaque Divinæ providentiæ miracula, ac prodigia Dei infinitæ potentiæ attribuere: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, Equum & ascensorem deiecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutē. Iste Deus meus, & glorificabo eum, Deus Patris mei, & exaltabo eum. Dominus quasi Vir pugnator, omnipotens Nomen eius. Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare, electi Principes eius submersi sunt in mari rubro. Dextera tua magnificata est in fortitudine, dextera tua percussit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos, misisti iram tuam quæ deuorauit eos sicut stipulam, &c.* Exod. 15. Atque ita dicimus summum cœlorum Regem exercitus Angelorũ in exercitũ Pharaonis, Ægyptiorumque immisisse, Deoque Duce atque Adjutore fortiter depugnasse Angelos, gloriosissimumque triumphum tulisse.

M. potentia similis Angelicæ, ac Divinæ.

M. Dei cooperatrix in salvandis hominibus.

Dei omnipotētia in liberādo populo Israelitico, de captivitate Pharaonis

40. Cùm igitur Sponsus cœlestis, suo equitatui, de exercitibus curribusque Pharaonis triumphanti confert Sponsam, ejus potentiam non modò Angelorum, sed & suæ consequenter comparere visus est.

Angelorũ potentia mira.

Quod si in Theologorum sententia unicus Angelus tantæ est virtutis, ac potentiæ, ut momento temporis, totum terrarum orbem subvertere, ac pessundare valeat; & jam beatæ illæ Intelligentiæ immensas penè illas, vastissimasque orbium cœlestium assiduè absque ulla defatigatione movent, gyrantque moles: quantam, Deus immortalis, quamque incredibilem Deiparam Virginem adeptam fuisse potentiam credendum est, quæ omnium Angelorum Regina, à primis immaculatæ suæ conceptionis exordijs constituta est? Quare de Virginea hac Omnipotentia, quod de Divina cum D. Tho. docent Theologi, id jure meritò pronunciari posse crediderim, eam nimirùm tantam, tamque infinitam esse quodammodo, ut ejus vis, ac energia ad omnia illa sese extendere possit objecta, quæ manifestam in se minimè implicant contradictionem, esseque longè omnibus Angelicis virtutibus, ac potestatibus, atque adeò omnibus Hierarchijs simul unitis, efficaciorem.

M. potentia, Angelicâ excellétior, cùm sit eorum Regina.

41. Neque verò mirum cuiquam videri debet, Virginem nostram Angelorum Equitatui, armatisque exercitibus à Sponso comparari, cùm, eodem Sancto Nysseno, & D. Bernardo teste, quævis sancta anima eisdem conferatur. *Nec miraberis,* inquit Doctor mellifluus ser. 39. in Cant. *Vnam animam Equitatus multitudine similatam, si aduertas quanta in ipsa una, quæ tam sancta anima sit, virtutum acies habeantur, quanta in affectionibus ordinatio, quanta in moribus disciplina; quanta in ora-*

Animà Angelis similis.

in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in Zelo terror, quanta deniq; ipsi cum hoste conflictuum assiduitas, numerositas triumphorum. Quod si quælibet sancta anima Divinæ gratiæ decorata ornamentis, Angelorum exercitui, quæ conferatur digna est, multo sanè magis Virgo DEIPARA, quæ gratiarum, sanctitatisque omnis extitit abyssus profundissima. Quapropter sæpiùs Sponsus in Cant. ejus eximiam, præsertim internam admirans pulchritudinem, DEI ipsius essentiæ, attributorumque Divinorum, potentiæ, sapientiæ, bonitatisq; æmulantem, eam aciei castrorum benè ordinatæ, ac formidandæ comparavit. Imò adeo fortem, ac terribilem censuit, ut plura in ea castra quodammodo delitescere viderentur. Vnde & dicebat Cant. 8. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* castrorum, inquam, de quibus ajebat Iacob Gen. 32. cùm sibi obviam facti fuissent Angeli DEI: *Castra Dei sunt hac.*

M. ob plenitudiné gratiæ eximiamq; virtutem, Angelorũ exercitibus comparatur.

Hinc Psellus apud B. Theodoretum lib. 3. in Cantica elogium illud expendens Sponsi juxta 70. Interpp: lectionem: *Pulchra es propinqua mea, sicut bona voluntas, decora sicut Hierusalem, terror sicut acies ordinata;* sic eundem Sponsum loquentem introducit: *Pulchra facta es, & macula non est in te, meritò bonæ voluntatis comparata. Nam tu quoq; vis omnes homines saluos fieri. Præclarè enim assimilata es ipsi Hierusalem, in qua cum Patre meo requieui. Quamobrem & terrorem obtines & formidabilis es, ut Angelorum meorum acies ordinata.* Quare jure meritissimo eam B. Andreas Cretensis orat. 2. de Dormit: B. V. sic compellavit: *Tu es ille decies mille millibus multiplicatus DEI Currus, quæ millia locupletum ad eum carne contectum adduxisti.*

B. V. vult omnes homines salvos fieri.

M. Currus Dei multis millibus Angelorum cõstans.

42. Satis superque hactenus magnam Virginis ad cœlos usque pertingentem potentiam, Angelicam, Divinamque æmulantem, DEUMque ipsum quodammodo, amore nostri expugnantem contemplati sumus; restat ut jam eandem Virginis potentiam, toto terrarum orbe se porrigentem atque diffundentem consideremus.

Potentiam hanc infinitam totum longè latèque Vniversum complectentem insinuare visa nobis est ipsa DEIpara, cùm de semetipsa dixit: Eccl. 24. *Ego quasi Terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ.* Quemadmodum enim Arbor hæc incredibili virtute pollet tam in floribus, frondibus, fructibus, quàm in ipsa quàm ex se sudat resina, uti suo loco diffusiùs comprobabitur: sic Virgo Beatissima ramos potentiæ suæ toto orbe diffundens, omnibus suum patrocinium, auxiliumque offert, nosque inexpugnabiles contra humani generis inimicos omnes reddit. Verè enim rami hi Virginis, per orbem expansi, rami sunt gratiæ, quam omnibus abundè ipsa impertitur, quâ, veluti fortissimâ mortales armati panopliâ, peccata ad instar atrocissimorum hostium prosternunt. Verè rami potentiæ Virginalis, rami sunt honoris; prostratis enim hostibus, quid nos manet aliud quàm sempiternus honos, & gloria, & beatitatis laurea immortalis? Quare præclarè Richardus à Sancto Laurentio lib. 2. de laudibus Virginis exponens causas, ob quas DEIparæ servire omnes teneantur, pronunciavit: *Quia potentissimè protegit servos suos, à triplici aduersario, Mundo scilicet, carne, ac Diabolo, quibus est terribilis, ut castrorum acies ordinata. Itaq; quoties supra vires tentaris, ad eam clamandum: Esto mihi Domina turris fortitudinis, à facie inimici: sicut enim paruulus timens canem fugit, & clamat ad Matrem. Sic quicunq; vehementer tentatur, morsumq; Diaboli vel cuiuscunq; tentatoris pertimescit, per orationem ad Matrem pietatis confugiat: Ipsa enim sibi fideliter seruienti sic loquitur: Isa. 43. Seruus meus es tu, cùm pertransieris per aquas, tribulationes videlicet, tecum ero, & flumina tentationum, & persecutionum non operient te. Ideò quisq; ipsius deuotus seruus securè illi potest dicere illud Iob 17. Pone me iuxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me. Verè enim de ipsius adiutorio discretè præsumendo illud, cum Psalmista Ps. 43. usurpare possumus: In te, in virtute nimirum nobis, à te impertita, & à Filio impetrata, inimicos nostros, Carnem, Mundum, ac Diabolum ventilabimus ad instar palearum deyciemus; cornu; fortitudine scilicet Christi, in te incarnati, secundùm Bedam. Quemadmodum enim cornu duriùs est carne, mollius osse; sic Christus Maiestatem humanitate sanctissimâ temperauit, ut nec omninò terror nos Maiestatis obrueret, nec levitas humanitatis dissolueret. Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. In Nomine enim MARIÆ spernimus motûs peccatorum intus in corde surgentes, dum cum indignatione eos repellimus. Propterea Servo & Amatori MARIÆ Propheta*

Potentia B. V. Terebinthus ramos suos extẽdens per totum orbem.

M. potenter nos defendit à Mundo, Carne, Diabolo.

In tentatione ad Mariam clamandũ

M. potentia protecti, reddimur inexpugnabiles.

In Nomine M. spernimus tentationes inimici.

M. adstat nobis à dextris, ut nos à tentationibus protegat.

pheta dicere videtur: Adstitit Regina à dextris tuis ad te juvandum, ut scilicet tibi prospera, & salubria impetret. Ipsa enim adstat ad dexteram pauperis, ut salvam faciat à persequentibus animam ejus. Quare in multitudine, vehementiáq; tentationum dicendum est illi, quod Rex Iosaphat ad Dominum orabat 2. Paral. 20. In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Hæc ferè Richardus.

M. velut Nebula ab ardore Solis Iustitiæ nos protegit.

43. Verè DEIPARA Virgo, potentiâ hâc suâ totum terrarum Orbem protegens Nebula quædam lucidissima, ac saluberrima Solis Iustitiæ calorem, furoremque in genus humanum temperans dici potest. Vnde ipsa ajebat de semetipsa Eccli. 24. *Ego quasi nebula texi omnem carnem.* Hanc contemplans cecinit Ecclesia: *Aspiciens à longè ecce video nebulam totam terram tegentem.*

Hæc est illa nebula, de qua legimus 3. Reg. 8. *Dixit Dominus, ut habitaret in nebula.* Verè enim Vniversorum Dominus in Virginis utero carnem assumens, in ea velut Regali quopiam palatio inhabitavit

Hæc est illa nebula, de qua Sapiens Eccli. 43. *Medicina omnium in festinatione nebulæ.* Erat mundus universus ad instar infœlicis illius hominis descendentis à Hierusalem in Hiericho, qui incidit in latrones, & acceptis vulneribus, relictus fuerat semivivus. Huic Virgo DEIPARA promptissimo illo suo consensu; *Ecce Ancilla Domini fiat mihi &c.* saluberrimam attulit Medicinam, simul & Medicum universorũ mortalium Christum IESVM.

M. concipiendo Filium DEI celeriter nobis attulit Medicinam.

M. nos protegit ne ipsa nobis noceant elementa.

Dicat ergo, dicat jure meritò Maria sanctissima, potentissima totius mundi Protectrix, ac Patrona: *Ego quasi Nebula texi omnem carnem.* Protegit enim verè DEIPARA suos fideles servos, ne eis vel ipsa elementa noceant, ut testatur memoratus jam Richard. à S. Laurent. lib. 2. de laud. Virg. *Protegit ab igne, uti Puerum illum Hebræum, qui cum alijs æqualibus Imaginem Deiparæ adorârat.* Hic enim cùm à Parente in fornacem ardentem esset injectus, visa est Virgo, in illa ipsa specie, ac effigie, quam adoraverat, pallio suo puerum protegens, fecitque medium fornacis, quasi ventum roris flantem. Quare meritò cuilibet suo servo dicere potest DEIPARA, ait idem Richardus:

M. suâ potentiâ defendit ab igne, & alijs elementis.

Servus meus es tu, cùm ambulaveris in igne, non combureris. Isa. 43. Protegit in aquis eosdem suos servos, quibus amanter cum Filio loquitur: Cùm pertransiêris aquas tecum ero. Ipsa enim Navis quædam est, quæ amicos suos naufragantes in fluctibus hujus maris suscipit. Vnde Eccli. 24. loquitur: *In fluctibus maris ambulavi, cum familiaribus meis videlicet, tanquam navis, ut eos à naufragio peccatorum eriperem, ereptosq; in portum salutis deducerem. Ambulat deniq; in fluctibus maris, mœstos consolando; Protegit in aëre ab aëreaꝛum potestatum incursu. Si enim,* inquit Richardus, *Maria pro nobis, quis contra nos? Si ipsa est, quæ justificat, quis est, qui condemnet? Protegit tandem & in terra. In omni, inquit illa, terra steti Eccli. 24. fideliter videlicet me invocantibus semper adfui, ut justos in virtute conservarem. Hæc nimirum est terra illa, quæ adjuvit Mulierem, quam Draco Tartareus infestabat. Apocal. 12.*

M. suâ potentiâ nos defendit in aquis.

M. nos defendente, nullus nobis nocere poterit.

44. Idem Richardus denique lib. 4. Omnipotentiam Virginis Orbi universo Elementisq; dominantem deprædicans: *In hoc,* inquit, *manifestissimè apparet Omnipotentia Mariæ, quod uti in miraculis ejus legitur, multos de sua damnatione jam certos, multos aquis præfocatos, multos ex improviso mortuos liberavit; multos qui sine pœnitentia in mortali peccato decesserunt, ab ipsis Diaboli faucibus potenter eripuit, utq; agere pœnitentiam possent, ad vitam revocavit. Ita namq; ingeniosa est, & subtilis ad peccatorum salvationem, uti Diabolus ingeniosus est, & subtilis ad eorundem damnationem. Quâ autem justitiâ, vel quo jure ipsa damnabiles, & sine pœnitentia in mortali peccato defunctos salvet, quis sufficiat enarrare? Constat autem, quod & ita faciat, & salvâ justitiâ faciat. Vnde ad hujus rei evidentiam, dicitur ipsa Cant. 4. Fons signatus. Licet enim Fons hic misericordiæ exuberans sit adeò, ut semper fluant miserationes ejus: integro tamen illibatoq; justitiæ sigillo fluunt, quia ita ingeniosè facere novit misericordiam, ut non frangat justitiam. In summa de ipsa uti de Filio dici meritò potest: Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Ipsa enim una cùm sit omnia potest, & permanens in se, omnia innovat, & per nationes in animas sanctas se transfert, & Amicos DEI, & Prophetas constituit. Sap. 7. Verè Deipara una cùm sit, velut unica Phœnix, ac singularis, suâ pietate, charitate, præsidio, ac patrocinio omnia potest, ex dono Filij, à quo Omnipotente, omnipotens est effecta, & permanens in se immutabilis, bonitate, potentiâ, ac misericordiâ, omnia, atq; adeò hominem ipsum innovat, propter* quem

B. V. ingeniosa, & subtilis in hominibus salvandis.

M. Fons misericordiæ exuberans.

M. unica in sanctitate omnia potest ex dono Filij.

quem facta sunt omnia. Hominem, inquam, qui habet cum omni creatura participium, innovat gratiâ, in præsentis vitæ statu, & futuræ, sempiternâ gloriâ. Verè per nationes, gentesq; omnes, sine personarum acceptione in animas sanctas se transfert, gratiam infundendo, easq; sanctas, DEO gratas, & amicas efficiendo. Verè Prophetas Virgo constituit, illuminando DEI, Divinarumq; rerum cognitione, unde & Illuminatrix dicitur. Ipsa enim illius Civitatis est Regina, cujus Filius Rex est, eisdemq; privilegijs secundùm leges communiter gaudent. Cùm igitur eadem communisq; sit potestas Matris, & Filij, sequitur ab omnipotente Filio omnipotentem effectam (non enim est potestas nisi à DEO, Rom. 14.) usq; adeò, ut dicere possit cum Filio: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Item Eccli. 24. *In Hierusalem potestas mea; æquè militanti, ac triumphanti excellenter potens. &c.* Sic ferè Richardus.

M. Prophetas constituit illos illuminando.

Quamobrem Euthychianus S. Theophili vitæ scriptor, ut habetur apud Surium 4. April. hanc Dei Matris apud Filium pro defendendis Christianis agnoscens Omnipotentiam, ita eã alloquitur: *Sancta, ac veneranda, & omnibus laudibus celebranda Dei Parens, quæ sola casta & pura, quæ est sola sancta anima & corpore, quæ sola habet fiduciã ad eũ, qui est natus ex ipsa, quæ est Solatium eorum, qui affliguntur, quæ est Vltio eorũ, qui vexantur, quæ est Amictus eorum, qui sunt nudi, quæ est Baculus senectutis, quæ est firma Defensio eorum, qui mane ad eã vigilant, quæ semper suis ulnis fovet Christianos.* Et paucis intercalatis: *Sanctissima DEI Parens est Refugium eorum, qui affliguntur, Opes & Defensio generis Christianorum, & semper intercedit pro Christianis.* Sic ille.

45. Multa hic mihi eaque præclarissima, Virginis hujusce admirabilem potentiam consideranti, occurrunt elogia, verùm unicum reperio, quod omnem excedit intellectum, omnem superat admirationem, Deiparam nimirum antequam in rerum existeret natura, dum adhuc Divinissimâ illâ mente possideretur, incredibili præditam fuisse omnipotentiâ, quod Divus observavit Bernardinus Tomo 4. serm. 5. cap. 2. dum ait Protoplastos, Divini illius præcepti transgressione, annihilationem omnimodam fuisse promeritos, quam tamen benignissimus avertit Creator, intuitu solius Virginis gloriosissimæ, quæ in lumbis Adam per seminalem rationem delitescebat. *Maria*, inquit Pater Seraphicus, *per multa annorum millia antequam nasceretur, primò & principaliter Adamum & Evam, totamq; ejus posteritatem præservavit in suo Esse. Constat enim quod ex propria illorum transgressione, non solùm mortis, sed & annihilationis exterminium sint promeriti. Ob præcipuam tamen reverentiam, singularissimamq; dilectionem, quam habebat ad Virginem eos præservavit. Illam enim ab æterno super omnes creaturas, DEO non uniendas, quæ creandæ erant, superexcessivè dilexit. Propterea præservati sunt Protoplasti, nec ut merebantur in nihilum sunt redacti. Ratio est, quia hæc benedicta Puella in lumbis erat Adæ, secundùm seminalem rationem, eratq; potentia hujus Puellæ producendæ in primis parentibus impressa, donec in actum educeretur. De ipsa namq; nasci debebat DEI Filius. Indulsit misericors DEVS primis parentibus, nec eos annihilavit, quia exorta minimè fuisset Virgo beatissima, ac per consequens Christus, sive, quod idem est, DEVS carnem non assumpsisset humanam. Propter hanc igitur creaturam tam nobilem salvati sunt Parentes nostri, quemadmodum etiam Noë; de diluvio inundante; Abraham de sede Regis Chodorlaomor; Isaac, de Ismaele; Iacob, de Esau; Populus Iudaicus, de Ægypto, & de manu Pharaonis, & mari rubro; de manibus diversorum Regum, ac Tyrannorum, ut Nabuchodonosor, de captivitate Babylonica, & Assyriorum; David, de Leone, Vrso, Golia, & Rege Saule. Deniq;, ut brevi sermone, cuncta comprehendam, omnes liberationes, & indulgentias factas Patribus in veteri testamento, non ambigo DEVM fecisse, ob hujus benedictæ Puellæ reverentiam, atq; amorem.* Sic Bernardinus, qui insuper præservationem hanc Protoplastorum, ab annihilatione, unam ex illis duodecim fulgidissimis Stellis, quæ gloriosissimum Virginis coronant caput, esse dixit.

M. antequam esset conceptâ, suâ omnipotentiâ annihilationem Adami impedivit, post lapsum.

AmorDei in B. V. æternus.

Antiqui Patres potentiâ B. V. varijs periculis liberati.

Præservatio Protoplastorum per B. V. est una ex 12. Stellis quibus coronatur.

46. Ob potentiam hanc, quâ Virgo nostra & Protoplastos, & universum Orbem protegit, crediderim de illa prædixisse Isaiam c. 4. *In die illa erit Tabernaculum in umbraculum diei, ab æstu, & in securitatem, & in absconsionem à turbine, & pluviâ.* Sic enim Anonymus quidam apud doctissimum Novarinum lib. 4. Vmbræ Virg. Discursu 57. *En ergo vobis*, inquit ille, *Tabernaculum, quo protegamur, de quo fortè Isaias vaticinatus est. Omnium hoc Tabernaculum esse ostendit, cùm nulli singulariter dicitur esse futurum. Est enim Maria universalis Interpellatrix, Omnium Mater, Gallina pullos suos congregans, Turris David omnes*

B. V. Tabernaculũ nostrum, & Vmbraculum cõtra cupiditatis æstum.

nes protegens, est refugium in omni tribulatione, absconsio in omni tentatione: misericordia visceribus abundat, in omnes pauperes, & tamen domus est refugij, omnibus confugientibus ad eam. Hæc Anonymus.

47. Quibus ex verbis facilè colligimus Deiparam mortalibus omnibus non modò esse refugium, protectionemque potentissimum, verùm etiam quoddam quasi totius Orbis terrarum fulcrum solidissimum. Vnde jure de Deo illud Iobi cap. 20. v. 7. in laudem Virginis prædicare possumus: *Qui appendit terram super nihilum;* super humilitatem nimirum Deiparæ, quæ cùm Magni Dei Mater esset effecta, nihilum tamen sibi in oculis suis esse videbatur: *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ;* seu, ut ex Græco legit Vatablus, *Nihileitatem Ancillæ suæ.* Ex quo licet colligere Mariam sanctissimam omnipotentiâ suâ admirabili, profundissimâque simul humilitate, terram universam quemadmodum Atlas cœlum, sustentare, ejusque nutu, ac supercilio Orbem niti, atque gubernari, idque privilegium ipsi esse à mundi Conditore Deo concessum, ob sanctæ humilitatis meritum, quâ sese infra mortales omnes demisit, abjecitque. Videns enim universorum Opifex tam solidum in Virgine humilitatis fundamentum, sciensque quantis demum motibus terra hæc, mortalium scelere, cupiditate, ambitione, alijsque innumeris penè malis, ac turbinibus quatienda esset, eam super hoc Virgineum nihilum appendere, & quasi in humeros invictissimæ hujus, potentissimæque Heroinæ imponere voluit, ne in interitum rueret, ac pessundaretur.

B. V. Nihilum super quod appensa est terra.

B. V. Atlas qui sustentat Orbē.

48. Quod intelligens Fulgentius in sua Mythol. citatus à Pelbarto: *Cœlum & terra,* inquit, *jam pridem ruissent, si non Maria suis precibus sustentasset.* Vnde Galatinus lib. 7. Arcanorum Cathol. Verit. cap. 2. præclarè asseruit, quod quemadmodum mundus, amore B. Virginis fuit conditus, sic ejusdem potentiâ, meritisque sustentatur. Quare Rabbi Anchelos illud Genes. 1. *In principio DEVS creavit cœlum, & terram,* interpretans, ex Chaldaico vertit: *Propter Sapientiam DEVS creavit cœlum, & terram.* *hoc est,* ut inquit Galatinus, *amore intemeratæ Virginis, quæ est mundi sapientia, creavit cœlum, & terram. Non solùm autem totus mundus, amore Beatissimæ Virginis conditus est, sed etiam sustentatur. Mundus enim ipse ob nostras pravas actiones, nullo pacto consistere posset, nisi ipsa gloriosa Virgo eum suâ Misericordiâ & Clementiâ, pro nobis orando, sustineret.* Sic ferè Galatinus.

Mundus amore B. V. non modò cōditus est, sed etiam sustentatur.

49. Et jure sanè merito pronunciamus Summi Dei Parentem optimam, omnipotentiâ suâ penè infinitâ, ad instar Atlantis Orbem sustentare. Si enim Philo Hebræus lib. de migratione Abrahæ dicit: *Vir justus est quasi fulcrū, & firmamentum generis humani.* Si Gverricus Abbas ser. 4. de S. Ioanne, *Præcursorem, Cedrum Paradisi, Columnam cœli, humani generis Gloriam, Miraculum mundi,* vocitavit. Si D. Hieron. illa verba Iob c. 9. expendens: *Sub quo curvantur, qui portant Orbem;* universaliter de omnibus justis pronunciavit: *Portantes Orbem sancti rectè intelliguntur, qui gloriâ meritorum suorum magni, & potentes sunt apud DEVM. Hi ergo cordis humilitate ad interveniendum pro peccatoribus in conspectu ejus sunt incurvati: Ita Sancti portant mundum, dum eum ne ruat, ac pereat orationum fortitudine sustentant.* Si, inquam, Sancti orationum suarum virtute, ac vi mundum, ne pereat, atque exterminetur, sustentant: quam energiam, obsecro, virtutemque, potentissimam Deiparæ apud Devm deprecationem habituram sperandum est? Hanc crediderim ob causam à B. Andrea Cretensi Hierosolymit. Archiepisc. Orat. 2. de dormitione B. Virg: eam, *Potentiam, quæ nequit labefactari,* fuisse appellatam Eandem ob causam ipsam potentissimo cuipiam Regno contulit, sic exclamando: *O Regnum è terrenis quidem sumptum, sed ex superna gloria potentiam habens inexpugnabilem! O Christianorum fidei Propugnaculum, & propugnatrix eorum, qui in te spem collocârunt! Per tuas preces arma Barbarorum, infantium tela ducimus, lanceaq;, & galea, & jaculatio inutilia atq; inefficacia manent.*

S. Ioannes Bapt. Cedrus Paradisi, Columna cœli.

B. V. Potentia nequit labefactari.

Intercessione B.V. Barbarorum arma sunt tela infantium

50 Agnovit potentiam hanc in Deipara mundum sustentantē S. Germ. Constantin. Patriarcha sermone de zona Virg. cùm eam alloquens, dicebat: *Quis post tuum Filium curam gerit generis humani, sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? Tu enim cùm Maternam habeas apud tuum Filium fiduciā, atq; potentiam, nos tuis interpellationibus, atq; intercessionibus, ipsi efficis familiares, das salutem, ab æternoq; liberas supplicio. Omnia tua* admi-

B. V. Potentia in genere humano protegendo.

admirabilia sunt ò Deipara, omnia ingentia, aliorumq; vires superantia, propterea & patrocinium tuum majus est, quàm, ut intelligentiâ apprehendi possit. Potens ergo est tuum auxilium ò Deipara, ad salutem, & non indiget aliquo alio ad DEVM intercessore.

51. Agnovit & Gotfridus Cardin. serm. 8. *Beata*, inquiens, *Maria Mater, Virgo, & Sponsa intacta, pijssima apud pijssimum Filium obtinebit, ut nemo illorum pereat, pro quibus vel semel oraverit. Nec mirum, quia universum suis precibus mundum salvare potest, si ipsa voluerit. Et ipsa quidem pro universo mundo paratissima esset ad precandũ, totusq; mundus salvaretur, si ejus precibus se faceret dignum. Hæc veracissimè apud omnipotentem Filium, ut diximus, orando potest quicquid desiderat; sed pro illis, qui semper peccare desiderant, nullatenus orat, pro quibus nullus Sanctorum orare præsumit.* Et paucis interjectis: *Cæteri Sancti*, inquit, *Dominum DEVM orant, & orando impetrant. Sed honorabilis Virgo Maria, si illum, ex eo, quod DEVS, & Dominus est, exorare meritò creditur; ex eo tamen, quod homo est, & natus ex ea, quasi quodam Matris imperio apud ipsum impetrare quicquid voluerit piâ fide non dubitatur. Nam si quilibet Sanctus apud justum Iudicem obtinet, quicquid sibi jure debetur, hæc quæ est Mater Iudicis, omniumq; Sanctorum Domina jure Matris nunquam fraudabitur. Hoc est enim Materni juris apud Filios dignitate sublimes, ut si Matres eorum, eos sæpius rogent, quia Domini sunt, eis etiam aliquando quasi imperent, quia Filij sunt. Bonum utiq; naturæ, quod DEVS hominibus dedit, nunquam sibi, qui est summum bonum, & à quo bona cuncta procedunt, negabit? Et quod hæc Beatissima Virgo Mater Domini fecisse legitur in terris, immeritò facere dubitaretur, & in cœlis. Nam vino deficiente nuptiarum in Cana Galilææ dixit Mater IESV ad IESVM: Vinum non habent; ac si ea ipsi præciperet, ut ipse faceret. Hoc bona Mater pietate quidem præcepit, quod bonus Filius piâ obedientiâ complevit.* Sic Cardin.

Nemo perit pro quo B. V. vel semel oraverit.

B.V. si vult universũ Mundum suis precibus salvare potest.

B. V. pro illis, qui semper peccare desiderant non orat.

B. V. jure materno Filiũ pro nobis orando, ei quasi imperat.

52. Ob potentiam hanc quam in placando Filio habet DEIPARA, jure merito illam Richard. à S. Laurent. lib. 12. de laudib. Virg. Virgæ illi Mosaicæ Petram in Eremo ferienti copiosissimosq; aquarum rivos elicienti comparavit: *Hæc est*, inquiens, *Virga Moysis, quæ percussit Petram, & fluxerunt aquæ, ita ut biberet populus & jumenta. Petra Christus est, ut ait Apostolus. Duritia hujus petræ rigor est, sive severitas Iustitiæ Divinæ. Ipse autem nunquam severus, ac durus est erga peccatores, quin effundat aquas gratiarum vel indulgentiæ, si hæc Virga eum tetigerit piâ oratione.* Et licet mira sanè potentia Virgæ illius extiterit, major tamen longè est Virginis nostræ. aquæ enim illæ etsi aquam de petra eduxerint, potumque populo jumentisque præbuerint, jumenta tamen illa ratione destituta, ut ante brutis suis, animalibusque affectionibus obnoxia, permanserunt. At verò aquæ gratiarum, quas Virgo vi, energiâque suæ orationis nobis impetrat, mirabili Metamorphosi, in novos homines, ac cœlestes transformat. Quæ, obsecro, potentia major, hâc Virgineâ usquam reperiri potest? ex silice elicere aquam, pecudes quodammodo ratione destitutas, in homines rationis compotes transmutare? Verè ò Virgo potentissima fecit tibi magna, qui potens est, & sanctum Nomen ejus.

B.V. Oratio est Virga Moysis, aquas gratiarum de Petra, quæ est Christus, eliciens.

53. Quid de S. Ioanne Damasceno dicam? qui Orat. 1. de Nat. B. Virg: gloriam Virgineæ hujuscé Omnipotentiæ demiratus, eandem Conceptaculum Divinæ Omnipotentiæ appellavit? Quasi DEVS universæ suæ Omnipotentiæ vires, virtutemq; in Virginem, ad genus humanum protegendum contulisset. Verè enim ex quo Omnipotens illud Verbum, ex illius utero Virginali carnem assumpsit, & cum illa, & in illa Dominus novem mensium spatio habitavit, cum ipsa tam Omnipotentiam, quàm reliqua sua attributa, pro tam nobili non ingratus hospitio, communicavit. Vnde D. Bonavent. in Speculo cap. 8. ipsam alloquens, præclarè dixit: *Quia Dominus potentissimus potentissimè tecum est, ideò & tu potentissima secum, potentissima es per ipsum, potentissima apud ipsum, ita ut verè dicere possis illud Eccli. 24. In Hierusalem potestas mea. Hierusalem signat Ecclesiam triumphantem in cœlis, signat etiam Ecclesiam militantem in terris. Nam verè tam in cœlis, quàm in terris potestatem habet Mater potentissima Creatoris. Quam potentissimam agnovit Anselmus, cùm orans ait: Exaudi pia, adesto propitia, adjuva potentissima, ut mundentur sordes mentis meæ, & illuminentur tenebræ meæ.* Hactenus Bonaventura.

Christus pro mercede hospitij uteri Virginalis Matri sua quodammodo attributa communicavit.

B.V. Omnipotetia à Filio derivata.

54. Quid de B. Georgio Nicomediensi Antistite dicam? qui etiam mirificè Virginis nostræ potentiam, in humano genere protegendo deprædicavit

Orat.

Orat. de Præsent. Deip. *Per te, inquiens, Regnum cœlorum speramus nos assecuturos. Te nostræ salutis habemus adiutorem, te nostri auxilij habemus defensorem; te proponimus, cuius ore, nostra dicatur excusatio, te nostræ fiduciæ circumferimus gloriationem.* Et non ita multò post: *Da petitioni convenientem (potes enim) eventum; habes, vt Mater in Filium, quæ recusari non potest, fiduciam. Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile, ne immensam tuam clementiam superet multitudo peccatorum. Nihil tuæ resistit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo iussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ potestati serviunt: te omnibus suis operibus reddit excelsiorem, qui ex te natus est. Tuam enim gloriam Creator existimat esse propriam, & tanquam Filius in ea exultans, quasi debitum exsolvens, implet petitiones.*

B.V. habet vires insuperabiles contra nostra peccata, ne illam expugnēt.

Christus gloriam Matris cēset esse suam.

55. Et licet Virgo gloriosissima potentiam hanc suam in omne genus hominum exercere consveverit, exerit tamen vel maximè in juvandis, protegendisque peccatoribus, qui ad illius auxilium, præsidiumque confugiunt, vel eo nomine quod illorum causa ad dignitatem Divinæ Maternitatis sit evecta, quibus proinde peculiari quâdam obligatione videtur obstricta. Hoc argumento D. Ansel. lib. de excell. Virgin. c. 12. ad Deiparæ patrocinium misericordiamque implorandum usus est, totumque nobilissimum illud opus hâc oratione digna sanè quæ, à Clientulis Marianis, quotidie summo pietatis affectu recitetur, ad mirificam ejus potentiam, misericordiamque celebrandam, conclusit: *Rogamus te Domina per ipsam gratiam, quâ te pius & omnipotens DEVS sic exaltavit, & omnia tibi secum possibilia esse donavit, quatenus id apud ipsum nobis impetres, ac obtineas, vt plenitudo gratiæ, quam meruisti, in nobis sic operetur, quo participium beati præmij nobis eius misericordiâ quandoq; condonetur. Ad hoc quippè DEVS noster per te factus est Frater noster, vt quemadmodum ipse dignatus est consors fieri nostræ humanitatis, sic nos mereamur fieri consortes suæ Divinitatis. Intende ergo Domina pijssima, vt nobis ad effectum proveniat, propter quod DEVS noster, ex tuo castissimo utero factus homo inter homines venit, nec sis quæso exoratu difficilis, quia procul dubio idem benignissimus Filius tuus erit ad concedendum quicquid voles promptissimus, & exaudibilis. Tantummodò itaq; velis salutem nostram, & verè nequaquam salui esse non poterimus. Quid igitur stringet larga misericordiæ tuæ viscera, ô Domina, contra nos, vt nolis salvari nos? Certè DEVS noster misericordia nostra est, & tu eiusdem Domini nostri absq; dubio vera Mater es. Si tu ergo, quæ Dei Mater es, & eò revera misericordiæ Mater, & gratiæ, denegas nobis effectum misericordiæ, cuius tam mirabiliter facta es Mater, quid faciemus cùm idem Filius tuus advenerit, cunctos æquo iudicaturus iudicio? Subveni ergo nobis Domina pijssima, & non consideratâ peccatorum nostrorum multitudine, velle tuum ad miserendum nobis inflecte. Cogita quæso & recogita apud te, quia non ad damnandum, sed ad salvandum peccatores, Conditor noster ex te factus est homo. Cur igitur non iuvabis peccatores, quando propter nos, in tantam celsitudinem es leuata, vt te Dominam habeat & veneretur omnis pariter creatura? An ideò utrum pereamus non ampliùs curabis, quia quicquid de nobis miseris ultra eueniat, gloriæ tuæ iactura nulla inde proveniet? Et hoc quidem bona Domina fortassis aliquomodo dici posset, si pro tua soliùs exaltatione, & utilitate Mater DEI facta fuisses. Sed utiq; DEVS qui hominem assumpsit è tua carne castissima, hoc fecit pro tua, & nostra omnium salute. Si ergo tu quæ plena salute es potita, non intendis, vt eadem salus pro modulo nostro etiam ad nos usq; pertingat, iam tuorum sufficiens commodorum, nostrorum negligens esse videberis, & quæ pro totius mundi saluatione meruisti fieri Mater Altissimi, cùm nos postposueris, quos obuoluit finis sæculi, quid quæso proderit nobis tua gloriosa, & fœlix exaltatio? Et quid inde habemus dulcis & affectuosa exultatio? Vt ergo Filium tuum totius mundi Saluatorem, & te eius Reconciliatricem esse veraciter sentiamus, eò nos propensiori studio iuva precamur, & foue, quò in fæcibus mundi natos, & alitos potiori levamine prospicis indigere. Ab initio deniq; renouationis humanæ omnibus sub tuum præsidium confugientibus hucusq; succurristi, & iccircò, præ omni creatura, omni laude dignissima dici, & esse meruisti. Eia succurre oramus, vt laus quam per tot sæcula dignè possedisti, continua tibi duret in gratia ipsa, quâ mundo perdito subvenisti. Tibi ergo nos commendamus, tu procura ne pereamus, effice potiùs vt salus nostra de die in diem multiplicetur, & Filio tuo Domino nostro vita nostra iugi deuotione famuletur.* Hactenus S. Antistes, qui sanè tam piâ, amorisque affectibus plenissimâ oratione luculenter ostendit, Virginem quidem in omni quidem hominū genere juvando, protegendoque; maximè tamen in peccatoribus esse potentissimam. Ipsius enim amor in peccatores omni-

B.V. Omnipotentia, maximè in cōvertendis peccatoribus elucescit.

B.V. Deus omnia possibilia facienda secum cōcessit.

Salus nostra in voluntate B. V. posita est.

M. pro peccatorū salute Mater Dei facta est.

omninò est invincibilis, nec ullis peccatorum torrentibus flammâ tantæ charitatis extingui potest. *Verè enim lampades eius lampades ignis, atq; flammarum: aqua multa non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Cant. 8. Vnde B. Cardinalis Petrus Damian. existimabat hujuscé veritatis se evidentissimam habere demonstrationem: *Scio*, inquiens, *benignissima Domina, quia amas nos amore invincibili.*

B.V. in homines amor est invincibilis.

56. Quare Concilium Basileense Sess. 43. suadet omnibus, ut ad Virginem, velut ad asylum confugiant, eò quod ipsa nos ad se, dilectumque Filium, velut Magnes ferrum pertrahere cupiat: *Inter omnes*, inquiens, *qui cœlestem Regem pro nobis interpellant, præcipuè ad gloriosissimam illam, & omni laude dignissimam DEI Genitricem MARIAM est recurrendum, quæ quantò altior existit, tantò humiliùs ad nos respicit, omnes ad se trahere cupiens, pro quibus in utero gestauit Saluatorem.* Quam præclare potentiam Virginis Patres hi deprædicant, dum eam potentiæ Patris æterni conferre videntur. Quemadmodum enim ipsa increata de se attestatur Veritas: *Nemo venit ad me nisi Pater meus traxerit eum;* ita sanè nemo venit ad Christum, nisi MARIA, potentissimæ suæ charitatis funiculis ipsum attraxerit. Hinc sapientissimus Idiota Virginem alloquens in contemplat. cap. 1 ajebat: *Sicut nemo venit ad tuum Filium superbenedictum, nisi Pater traxerit eum, sic etiam quodammodo ausim dicere, quod nemo venit ad Filium tuum gloriosissimum, nisi tuis sanctissimis subsidijs traxeris eum. Trahe igitur me torpentem, vt reddas currentem, trahe me peccantem, vt reddas pœnitentem, &c.*

B. V. homines trahit ad Filium.

57. Trahit quidem Virgo potentissima virtute suâ planè Divinâ fideles omnes, sed potissimum peccatores tanquam benignissima Mediatrix ad Filium. Vnde observat Richardus à Sancto Laurentio lib. 2. de laud. B. Virg. Christum morientem eam habere voluisse penes crucem, à parte Aquilonis, quasi reipsa diceret, se ipsâ mediante dexteram suæ propitiationis extensurum peccatoribus congelatis. Notat insuper idem Richardus ab Aquilone Salvatorem non solùm ad Matrem suam extendisse dexteram, verùm etiam caput spinis coronatum inclinasse, quasi diceret: *O vos peccatores! precibus Matris meæ vobis dexteram porrigo, caputq; meum spinis confixum ostendo.*

Cur B. V. Christus Cruci adstare à parte Aquilonis voluerit.

M. precibus Latro in Cruce conversus

Verè Dexteram hanc Latroni illi, secum in cruce pendenti benignissimè porrexisse, placatus intercessione sanctissimâ, Matris suæ, quæ inter ipsum, Latronemque juxta crucem stabat media, visus est, dum ex homine nequam, ac blasphemo, suum Confessorem gloriosissimum, cœlestis Paradisi sedibus dignum effecit, ut affirmat Cardinalis Petrus Damiani citatus à P. Alphonso Salmerone Tomo 1. tract. 40. Atque ita abundè obsequium illud quod sibi, Filioque in Ægyptum fugienti præstitit, compensavit. Asserunt enim Dionysius. Carthus. de Vita Christi par. 1. cap. 13. cum Anselmo, quem citat Torres de Institut. Principis lib. 13. cap. 1. & Iacobus de Voragine ser. de Innocentibus B. Virginem cum Puero IESV, & B. Ioseph proficiscentem in Ægyptum in Latrones incidisse; quorum unus Dismas nomine, Pueri formâ & aspectu delectatus dixerit: *Verè dico vobis, si fieri posset, DEVM carnem nostram assumere, assererem hunc Puerum DEVM esse;* quâ oratione placatos reliquos, Matrem, Puerumq; illæsum dimisisse. Advertendum porrò conversionem hanc minimè factam, dum Christus in montem Calvarium proficisceretur, quia nondum inter Latronem, & Christum sese interposuerat Mater, quæ ubi primum Cruci adstitit, à blasphemijs destitit, sociumque blasphemantem increpuit: *Neq; tu times DEVM, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei, dum veneris ad Regnum tuum.* Lucæ 23.

Latro in Cruce veniam meruit per intercess. sionem B.V.

B. V. fugiens in Ægyptū, in latrones incidit.

58. Matris hæc inter Christum Latronemque interpositio, præfigurata videtur in serpente illo æneo, qui DEI jussu, à Moyse in columnam sublatus medebatur ijs, qui ab ignitis serpentib⁹ sauciabantur. Quemadmodū enim serpens ille non prius medelam saucijs afferebat, quàm erectus esset, & inter ipsum populumque saucium, columna interponeretur. Sic nec Dismas tot peccatorum, ad instar ignitorum serpentum morsibus saucius, sanatus est, sed tunc demum cum Columna illa Mundi, Virgo DEIpara inter Filium, ipsumque Dismam intercessionis suæ potentiam interposuit. Hinc B. Andreas Augustin. Mediola-

Christus in Cruce Serpens æneus morsus serpentū sanans.

diolanensis in suo M. S. inter reliqua Virginis præconia illud præclarissimum commemoravit: *Tu Columna, cui ad salvandum populum serpens est impositus in Eremo.* Hanc ob causam D. Epiphan. lib. de laudib. Virgin. eandem Deiparam Thronum Cruciformem appellavit: *Dico Sanctam Virginem esse cœlum, Thronum simul, & Crucem, extendens enim sanctas ulnas, Dominum portavit; Thronus cherubicus, cruciformis & cœlestis.*

B. V. Columna, in qua serpens æneus est suspensus.

59. Iam tandem mirari desinam, ubi audiero à Drogonio Episcopo Hostien. serm. de Sacramento Dominicæ Passionis, pium hunc Latronem Columbam vocari, uti impium illum ejus socium, Corvum: Et Iesvm cruci affixum alterum Noë in Arca. Verè enim Deipara Columba Virginea, de qua Sponsus Cant. 8. *Vna est Columba mea, perfecta mea;* Verè Columbam alteram hæc Divina Columba, suâ quasi umbrâ, ac protectione eam fovendo, exclusit, atq; in spiritu generavit, simulque ab Inferni cruciatibus potentissimè eripuit. Quod si Virgo nostra potentissima Latronem illum, ab Inferni faucibus eripere, eúmque ab æterna morte protegere valuit; quid tandem suis fidelissimis præstituram servis, suo potentissimo confidimus patrocinio? Si Oza, & Filij Heli, in quorundam sententia, ab æterna damnatione, non aliam ob causam, quàm quod Oza penes Arcam, vivam Deiparæ nostræ figuram, animam exhalavit, & illi quod pro ejusdem Arcæ defensione depugnaverint, præservati sunt, ut asserere videtur Abulensis. q. 17. in lib. Regum. quantò magis ab æterno interitu fidi ipsius servi, ac Clienculi, ipsius infinitâ propemodum omnipotentiâ præservabuntur?

Christus in Cruce inter duos Latrones, Noë in Arca, cum Columba & Corvo.

Oza & Filij Heli propter Arcam fœderis salvati.

60. Si demum Sacerdos Abiatar, cùm dignus esset morte, præsentissimum evasit periculum, non aliam ob causam, quàm quod eâ die gestaverit eandem Arcam! *Et quidem Vir mortis es*, inquit Salomon, *sed hodie te non interficiam, quia portasti Arcam Domini DEI.* Et quomodo non animatâ hæc Domini Arca ab æternæ damnationis sententia liberabit eos, qui ejus cultui peculiari studio sese devoverunt? Arcam quid nisi Sanctam Mariam dixerimus, inquit Ambrosius ser. 25. de Sanctis. *Siquidem Arca, intrinsecus portabat testamenti tabulas,* Maria *autem ipsius testamenti portabat hæredem. Illa intra semet legem; Hæc Euangelium retinebat; illa Dei vocem habebat, hæc Verbum: Arca intus, forisq; auri nitore radiabat; Sancta* Maria *intus forisq; Virginitatis splendore fulgebat; illa terreno ornabatur auro, ista cœlesti.* Atque ita portare Arcam Domini nil significabit aliud, quàm in corde suo affectum pientissimum in Mariam radicatum conservare, subque ejus patrocinio umbrâque conquiescere. Quare identidem magno pietatis affectu illud ipsi cum Sancto Bonaventura in Psal. ingeminandum est: *In umbra alarum tuarum Domina requiescam; quia delectabile mihi est refrigerium tuum.* Verissimè enim Beatus Alanus lib. de Psalt. de hâc Virgineâ asseveraverit umbrâ, ac refrigerio: *Habentibus devotionem ad hanc, signum est ordinationis, & prædestinationis permagnum ad gloriam.*

Abiatar à morte liberatus; quod gestaverit Arcam Domini.

B. V. Arca fœderis.

Quid sit portare Arcam?

M. à mala morte liberat.

Devotio erga B. V. Signum prædestinationis.

61. Cum enim à Patre æterno prædestinati omnes conformes fieri debeant imagini Christi, ut ait Apostolus Rom. 8. sequitur sanè quod quemadmodum ipse Dei Filius peculiari affectu, ac reverentiâ prorsus Filiali Matrem dilectissimam est prosecutus, dum ei subditus & obediens extitit; sic omnes ad vitam præordinati sempiternam, semetipsos Dei conformando Filio, eandem Deiparam, singulari pietatis sensu colere, ac venerari debeant. Quod qui faciunt singulariter potentiam ipsius, in omnibus suis actionibus experiantur necesse est.

62. Ne porrò potentiæ huic Virginali aliqua perfectio defuisse videretur, & Politicam dumtaxat in ordine ad mundi gubernationem esse arbitraremur, ostendit habuisse etiam spiritualem in ordine ad Hierarchiam Ecclesiasticam, gravissimus ille Parisinæ Academiæ Gancellarius supra citatus Tract. 4. in Magnif. asseritque potestatem, & characterem etiam Ordinis eminenter Deiparam habuisse. Vnde cùm Discipulus ex ipso sciscitaretur, an Virgo haberet characterem Ordinis? Respondit: Non habet characterem Sacerdotalem formaliter fateor. Habet autem eminentiùs, ad reconciliationem peccatorum, ad apertionem Paradisi, quia verè ponitur fœlix cœli Porta. Ad auxiliandum contra potestates aëreas, contra calamitates, & miserias omnes, tam animarum, quàm corporum, quoties placuerit, scilicet, illos misericordes oculos ad

B. V. habuit potestatem & characterem Ordinis virtualiter, ac eminenter.

nos

nos convertere, quoties nos voluerit; tanquam pia Mater filios quamquam debiles,& fœdos curandos,purgandosq; suscipere. Sic ille.

Idem confirmat B. Albertus Magnus Tract. super Missus est, discursu facto non solùm de Ordine in communi, sed etiam per Ordines singulos. *Licet autem,* inquit ille, *Beatissima Virgo Sacramentum Ordinis non recepit, quicquid tamen dignitatis vel gratia in ipsis confertur, hoc plena fuit,habuit enim omnia illa æquipollenter & excellenter.* Si enim Ministri Ecclesiæ habent dignitatem beneficialem,per characterem excellentiæ (intelligere eum crediderim Coronam clericalem) Beatissima Virgo habuit Coronam Regni triumphantis; & militantis Ecclesiæ. Vnde Summus Ministrorum & Servus Servorum Dei, appellatur Papa. Hæc autem est Regina & Domina Angelorum,& totius mundi Imperatrix. Si in Ministris est potestas spiritualis temporalis à DEO, vel subdelegata, vel vicaria: In ipsa est plenitudo potestatis cœlestis perpetua, ex auctoritate ordinaria. Si in Ministris est executio ligandi,ac solvēdi per usum clavium; in ipsa est legitima dominandi potestas,ad ligandum&solvendum per imperium.

B.V habet Coronam triumphātis, & militantis Ecclesiæ.

63. Prosequitur deinde idem Albert. per singulos Ordines discurrens, ostenditque singulos habuisse eminenter. Et ne videatur,inquit Albertus,virtutes sive dignitates tantum generales habuisse,& specialibus caruisse, dicimus ipsam singulorum Ordinum dignitates & gratias, per æquipollentiam & cum excellentia possedisse. Vnde de minoribus Ordinibus mox subtexuit, eam potestatem illam habuisse, quæ in ipsis continetur: *Habuit,* inquit ille, *cum Exorcistis Dæmonum expulsionem. Vnde de illa dicitur: Ipsa conteret caput tuum,quemadmodum Iudith interfecit Holofernem,& Esther vicit Aman. Cum ostiariis habuit introductionē mundorum; & immundorum exclusionem.* Hinc Ezech. *Porta hæc erit clausa Principi, Princeps ingredietur per eam.* quasi dicat: *Porta hæc Principem & imitatores eius introducet, & indignis erit clausa. Habet cum Accolytis illuminationem: Quæ est ista quæ progreditur, quasi Aurora consurgens, pulchra ut Luna,electa ut Sol? Illa enim est Stella orta ex Iacob. Cum Lectoribus omnium Prophetarum expositionem habuit in seipsa ad literam,ut patet maximè in illo Vaticinio: Ecce Virgo concipiet: Et Angelus: Ecce concipies in utero. Deniq; ipsa est Doctrix Disciplina DEI. Habet cum Subdiaconis Doctrina Apostolica ostensionem. Vnde significatur per Arcam in qua fuit Manna. Habet cum Diaconis Verbi DEI conservationem. Vnde de ea dicitur: MARIA autem conseruabat omnia verba hac conferens in corde suo. Habet cum Sacerdotibus Dominici corporis per seipsam formationem,tractationem,communicationem. Corpus enim Domini, mediante eius verbo,ac consensu, de eius carne, ac sanguinibus formatum fuit,ipsumq; familiarissimè, ac diutissimè tractavit,nobisq; in cibum, potumq; communicauit. Per hoc nos omnes ad iugum suum suaue & onus leue charitate ligauit, ab omnibus culpis,ac pœnis non solùm solutos ostendit,sed & absoluit.* Hæc Albertus.

In B.V. eminēter sunt singulorum sacrorum Ordinum dignitates

In B.V. potestas Ordinum Minorum.

B.V. corpus Christi formavit ope videlicet Spiritus Sancti.

64. Ostendit demum Doctor hic verè magnus potentiâ suâ DEIPARAM Pontificum, atque adeò Summi Pontificis potestatem attigisse,dum eorum ministeria facit esse communia. *Si enim Episcopus Sacerdotes ordinat Sacramenti collatione, & Beatissima Virgo per continentiæ obligationem,quibus ipsa dicere videtur: Mundamini qui fertis vasa Domini. Confert Episcopus prabendas, ac beneficia instituendo; Beatissima autem Virgo prabendas suarum gratiarum faciendo. Consecrat Episcopus Templa corporalia dedicando: Beatissima autem Virgo Templa spiritualia; castimoniam inspirando, illamq; sibi specialiter vendicando. Consecrat Episcopus Virgines extrinsecus benedicendo. Consecrat easdem Virgo Beatissima interiùs,virtutibus adornando, easq; Filio suo desponsando,sibiq; in filias specialiter adoptando, easq; demum ad dignissimum statum exaltando,ut sint DEO proxima. Incorruptio enim facit proximum DEO.*

B. V. habet in se summi Pontificis potestatē eminēter.

B.V. consecrat Virgines, eas virtutibus exornando.

65. Habet denique convenientiam cum Papa Beatissima Virgo,dum omnium nimirum Ecclesiarum solicitudinem, potestatis spiritualis plenitudinem, privilegiatorum actuum complectitur universalitatem. *Ecclesiarum solicitudinem, quia Papa est Pater Patrum. Ipsa autem Mater est omnium Christianorum, imò & omnium bonorum. Habet Papa potestatis plenitudinem in hac vita, sed non in cœlo, nec in Purgatorio, nec in Inferno. Totam autem habet Beatissima Virgo potestatem, tam in cœlo, quàm in Inferno, ac Purgatorio.* Hæc ferè Albertus, ex quibus sanè quicquid potentiæ, ac potestatis in rebus humanis, tam sæcularibus quàm spiritualibus reperitur in mundo, totum in Virgi-

B.V. habet omnium Ecclesiarum solicitudinē sicut Papa.

Virginem copiosissimè est congestum.

66. Scire demum avet quispiam, quânam ratione Virginalis hæc omnipotentia, hujusce mundi angustijs minimè contenta, ipsum terræ centrum, Inferos, inquam, penetraverit? Audiat ipsam gloriantem apud Eccli. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Quâ sanè promissione innuit, se suâ omnipotentiâ non modò ipsum Tartarum penetrare posse, ad compescendos, frænandos, vinciendosque Cacodœmones, ne humano generi nocere, mundumque exterminare valeant; verùm etiam Purgatorium, ubi tetrâ caligine miseræ illæ circumvallatæ animulæ Inferorum veris, non tamen æternis amburuntur incendijs, ea, suâ potentiâ mitigando, roremque suæ maternæ pietatis, ac commiserationis affundendo; illæ enim verè sunt sperantes in Domino.

B. V. Potentia Infernum penetrat.

67. Et verò penetrat Heroina hæc potentissima in hodiernum usque diem inferiores partes terræ, penetrat Tartara, & contra Infernales illas potestates, potentiæ, virtutumque suarum acies ordinat; atque instruit, ibi vincit, ibi triũphat, atque adamanteis, stygias illas larvas, catenis adstringit, ne genus humanum infestent, mundumque evertant universum. Divinam hanc Deiparæ in Tartareis edomandis, ac triumphandis hostibus potentiam, pervenustè Beatus describit Amadeus, dum eam, ad instar Heroinæ cujuspiam mira gloriosissimè patrantem, ac triumphantem, introducit, Hom. 8. de laud. Virg. *Novis*, inquiens, *triumphis, novâ perditorum ereptione, novis populorum incrementis exultans gratulatur in Domino, nec contenta partis spolijs, sed humanæ salutis cupida, hoste livido longiùs propulsato alias, atq; alias exuvias sibi semper acquirit. Igitur in manu potenti, & brachio excelso, Tyrannorum fines egreditur, munitissima quæq; domorum aggreditur, inferna sub pedibus suis faciens contremiscere, & Principem mortis nimio terrore percussum resilire. Deniq; ipsa jubente vehementer evomit prædam, quam jam in ventrem malitia trajecerat, reyciens cum dolore, quam ingenti cum superbiâ detinebat. Surgunt lapsi, redeunt pœnitentes, peccator videt, & irascitur. Maxilla ejus hamo Dominicæ crucis perforata reddit liberos, quos antea detinuit captivos, dentibus suis fremens & tabescens. Per Matrem Filio, per Virginem reconciliantur DEO, vita dati, morti penitus subtracti. Desiderium peccatorum peribit, desiderium verò B. M. perficitur, quando educuntur quotidie vinculati de lacu miseriæ, & de luto fæcis, vt de peccati ergastulo, & de profundo iniquitatis, indulgentiæ dono respirent in aures perennes libertatis. Sic illa colligit dispersos, revocat aversos, eruens eos qui ducuntur ad mortem, quosq; trahi cernit ad supplicia liberare non cessat.* Hæc Amadeus.

B. V. fortis Heroina.

M. Triumphatrix Dœmonũ.

M. Principem Tartareũ facit evomere prædas animarum.

B. V. suâ omnipotentiâ liberat de profundo iniquitatis.

68. Quæ sanè omnia jam sæpè memoratus Richar. lib. 4. luculentissimis illustravit exemplis: *De Omnipotentia Mariæ*, inquiens, *dicit Fulbertus Carnotensis: Mater DEI ubiq; imperiosa est, ubiq; magnifica, secundùm charitatem erga superos; & super inferos per discretionem. Hæc misit in auxilium magni Patris Basilij Angelum, suscitavitq; militem, qui hostem ejus Iulianum Apostatam interfecit. Hæc est quæ Chirographum Theophili, Diabolo potenter ereptum captivo reddidit signum libertatis, ipsumq; se suppliciter invocantem ab ipsis Diaboli faucibus potenter eripuit. Ipsi certè pronum est Angelos Sanctos in ministerium mittere, & ad beneplacitum suum Inferorum facta quassare, adeò, vt de ea congruè dici possit. Omne quod voluerit faciet, & sermo illius potestate plenus est, nec ei dicere quisquam potest, quare ita facis?* Eccli. 8.

Omnipotentiæ B. V. exempla.

B. V. omne quod vult facit.

69. Potentiam hanc admiratus Sponsus, jure merito illi blandè dicebat Cantic. 7. *Pulchra es amica mea, suavis & decora sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Quibus sanè verbis declarat Sponsus universam Virginis fortitudinem, ac potentiam in interna animi pulchritudine, in Heroicarum virtutum, quibus cœlestis Hierusalem æmulatur, imò exuperat cives, coordinatione consistere. Quam ob causam S. Chrysologus ser. 146. ipsam Collegium sanctitatis; B. Albertus Magnus: Congregationem gratiarum. Et Card. Damian. ser. de Assumpt. Virtutum Conventum nuncupavit. Hac illustrium virtutum coordinatione Virgo Deipara perinde formidabilis Tartareis videbatur hostibus, atque Chaldæorum exercitus olim Ninivitis, quos cùm Nahum Propheta cap. 2. ad pœnitentiam revocare conaretur, sic horribilem illum exercitum armis ipsis ignem flammasque; vestitu verò ipso, sanguinem vomentem, descripsit: *Clypeus fortium ejus ignitus: Viri exercitus in coccineis, ignea habena currus in die preparationis ejus.* Talis acies benè ordi-

B. V. fortitudo, ac potentia in interna animi pulchritudine consistit.

B. V. ordinatione virtutum potens & formidabilis Inferno.

ordinata atque horrifica, ignem, flammas, sanguinemque spirans toti Inferno visa est Virgo nostra potentissima, adeò ut eam vel à longè conspicantes diffugerent, & vel nomen ipsum perhorrescerent, uti ostensum Discursu 7.

Cur B. V. Castrorũ acies dicatur?

Castra quasi Casta dicuntur.

70. Nec immeritò Virgo castrorum acies nominatur: Si enim Isidoro teste lib. 9. Ethym. c. 2. Castra, quasi casta, quod ibi castretur libido (nullæ enim olim in illis mulieres aderant) dicta sunt: quæ res in hac naturæ universitate adeò pura, adeò casta, quàm hæc Heroina potentissima, hæc omnium Virginum Regina, Virgoque Virginum unquam extitit? Quid mirum igitur si castissima hæc potentissimaque Castra, Dœmonum phalanges exhorrescerent, ac contremiscerent? Certè Richard. de S. Victore cap. 26 in Cantic. ex eo probat illam Inferis fuisse metuendam, eò quod tota pulchra & absque macula testimonio extiterit Sponsi: *Tota ergo pulchra meritò dicitur*, inquit ille, *quia pulchra facie fuit, pulchra mente & corpore, quæ etiam ipsis Principibus tenebrarum terribilis fuit, ut ad eam accederet, eamq; tentare non præsumpserint.* Tum causam annectit; virtutum nempè pulcherrimam coordinationem: *Deterrebat enim eos*, ait, *flammâ charitatis, incendebant orationes, & fervor devotionis; stupebant immunem à peccatis.* Quam Dœmonum fugam, aptissimâ declaravit similitudine S. Bernardinus Tom. 2. ser. 51. art. 2. cap. 2. *Sicut magnus ignis*, inquiens, *muscas effugat, sic ab ardentissima Virginis mente, & inflammatissima charitate effugabantur Dæmones, & pellebantur in tantum, quod solùm in modico non erant ausi respicere mentem ejus, nec de magno spatio illi propinquare. Si enim hoc legimus de aliquibus Sanctis, saltem post aliquem de Dœmonibus in tentationibus acquisitum triumphum; quantò magis de Matre Domini nobis credendum est, quæ semper contra omnes Dœmones triumphavit?*

B. V. formidabilis Dœmonibus.

B.V. Dœmones sicut ignis muscas effugabat.

71. Tanta est hujus Virginis potentissimæ in Cacodœmones potentia, ut non solùm eos suâ præsentiâ in fugam conijcere, verùm etiam tanquam vilissima abjectissimaque mancipia captivare sit solita. Quod luculenter sanè Divus Bruno Ordinis Carthusiensium Patriarcha sanctissimus ser. de Nativ B. V. comprobavit. Expendens enim generationis Iesv Christi librum à D. Matthæo conscriptum, ejusque geniales lineas, postquam dixisset: *Hæc linea incipit ab Eva, & desinit in Mariam, in principio mors, & in fine vita consistit. Mors per Evam facta est, vita per Mariam reddita est;* subjungit illicò modum quo Eva mortem, Deipara vitam Orbi universo peperit. *Illa à Diabolo*, inquiens, *victa est; hæc Diabolum ligavit, ac vicit. Cùm enim ab Eva usq; ad ipsam Virginem linea extendatur, in ipsa tamen hamus ille ligatus, & incarnatus est, per quem captus est Leviathan, serpens antiquus, qui est Diabolus & Sathanas, ut qui per fœminam Regnum intravit, per fœminam de Regno ejceretur, & qui fœmina illusit, & suis vinculis sibi eam ligavit, ab hac fœmina illuderetur & ligaretur. Hoc est enim quod Dominus ad Iob dixit: Nunquid illudes ei, & ligabis eum Ancillis tuis? Quasi dicat, ut ego, qui per Ancillam meam illum ligabo, & fortitudine privabo. Hæc est illa Ancilla Beatissima Virgo Maria, quæ etiam de seipsa loquitur: Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ. Hic considera potentiam DEI, qui tantam superbiam per unius Virginis humilitatem domuit.* Hæc Bruno.

B.V. Dœmones ad instar mancipiorum ligat &captivat

M. vitam, Eva mortem nobis peperit.

Per Ancillam suã M. Deus Leviathan Tartareũ ligavit.

72. De hac Deiparæ in omnes Dœmones, imò etiam in bonos Angelos imperio, ac potentia, hæc in sermone suo Angelico c. 20. Sanctus Angelus Divæ revelavit Brigittæ: *Virginis animam quando fuit à corpore separata, statim super omnes cœlos ipse DEVS mirificè sublimavit, eiq; imperium super universum mundum donavit, Angelorumq; Dominam æternaliter constituit. Qui quidem Angeli ita postmodum obedientes Virgini effecti sunt, ut omnes inferni pœnas libentiùs sustinerent, quàm aliquibus ejus præceptis in aliquo contradicerent. Super omnes etiam malignos Spiritus ipsam sic DEVS potentem effecit, ut quotiescunq; ipsi aliquem hominem, Virginis auxilium, ex charitate implorantem impugnaverint, ad ipsius Virginis nutum illicò pavidi procul diffugiant, malentes pœnas suas, miseriasq; sibi multiplicari, quam ejusdem Virginis potentiam super se taliter dominari.* Hæc enim est Virga Virtutis Dei, de qua David Ps. 20. quia, ut idem ait Richardus lib 12. in ipsa Virtus, & potentia Dei mirabilia operatæ sunt. Hæc est Virga illa, de qua Isaias 11. *Percutiet terram virga oris sui.* Verè enim Virgâ hâc suæ omnipotentiæ, de ore Dei egrediente (ut ipsamet testatur: *Ego ex ore Altissimi prodivi.*) non modò terram, terrenosque homines, sed ipsum Centrum terræ, Dœmonesque ibidem commorantes supremus Imperator percussit,

B. V. anima ubi primum à corpore separata fuit in omnes Angelos bonos malosque Dominiũ obtinuit.

Dœmones malunt pœnas Inferni tolerare, quã potentiã in se B. V experiri.

B.V. Virga Virtutis Dei.

fit, atque triumphavit. Hæc est Virga Moysis, per quam tot innumera prodigia, Divina Omnipotentia Pharaonem Ægyptiosque, atque adeò tartareas potestates omnes debellando perpetravit. Quare Leo Imperator illam sic salutavit: *Ave Virga, quâ assumptâ secundus Moyses, vel potiùs antiquo illo antiquior, & Dominus submersit persecutores; servans verò eos, quos labor luti, & laterum attriverat.*

B. V. Virga Moysis Ægyptios, hoc est Dæmones percutiēs.

73. Eandem Virginis Omnipotentiam in domandis, profligandisque Orci phalangibus, in interna mentis, animiq; pulchritudine sanctitateque consistere docet etiam Ioan. Card. Halgrinus, expendens illud Cant. 1. *Si ignoras te, ò pulcherrima mulierum;* & illud quod sequitur: *Equitatui meo in curribus Pharaonis &c. Vt*, inquiens, *non se ignoret, hic docet eam, quanta sit potentia contra spirituales nequitias. Et quia vocavit eam pulcherrimam mulierum, consequenter ejus pulchritudinis subjungit laudem, perinde, ac si diceret: O Amica mea præ cæteris mihi dilecta, ego in curribus Pharaonis deterrendis & conterendis assimilavi te Equitatui meo.* Currus autem Pharaonis idem censet Halgrinus malitias esse Sathanæ, qui contra fideles animas, velut in quatuor rotis militat, in quatuor nempè vitijs, virtutibus Cardinalib⁹ oppositis: *Per Equitatū autem Christi*, inquiēs, *intelligi potest Sanctorum exercitus, in quorum acie Spiritus, corporibus, velut Equites præsidentes, carnem fræno temperantiæ retinent, ne se præcipitet currendo per concupiscentias: eandemq; ne pigra sit & inobediens, stimulis timoris, amorisq; Divini urgent, velut calcaribus, ad boni operis cursum. Hi sunt equi, quos Iosue subnervasse, non occidisse legitur, ne nimis currerent, & tamen aratris, portandisq; oneribus deservirent. Caro enim occidenda non est, sed castiganda, ne superba sit & lasciva, & vt ad bona opera sit obediens, in servitutem redigenda.* Equitatus igitur, sive exercitus iste, cui assimilatur B. V. in deterrendis, perturbandis, effugandisque spiritualibus nequitijs est illa Sanctorum acies ordinata; quibus omnibus ipsa una B. V. comparatur, utpotè quæ ad instar instructissimi, fortissimique equitatus, malignis spiritibus terrorem incutiat. Vnde illi dicitur: *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Cui proinde apponi potest jure meritissimo elogium: *Pro omnibus una.* Quicquid enim sive virium, sive potentiæ Sanctorum singu-

Sancti sūt Dei Equitatus.

In B. V. omnium Sanctorū virtus, ac potentia reperitur.

li, vel unitim omnes contra Infernales hostes habuêre, id totum Divæ Virgini collatum fuisse, minimè nobis ambigendum est.

Honorius Augustodunensis lib. 4. in Cant. Elogium illud Sponsæ: *Equitatui meo &c.* sic est interpretatus: *Sicut populus D E I à Pharaone per Virgam Moysis: ita Ecclesia à Diabolo per Virgam Iesse Mariam, & florem suum Christum liberata est.*

74. Gerson denique Cancellarius Paris. tract. 4. in Magnif. *Maria*, inquit, *comparatur Equitatui D E I in curribus Pharaonis, non propter se, sed propter nos viatores, quos à Diabolico Pharaonis defendit incursu. Confugiamus igitur ad eius opem, quoniam submerget Pharaonem istum, Regem super omnes filios superbiæ, cum curribus suis in amarissima pœnitentiæ lacrymis.* Hæc Gerson.

In tentationibus ad B. V. confugiendum.

75. Idem Halgrinus eandem hanc Virginis potentiam Humanitati Christi, Verbo hypostaticè unitæ, cujus virtute tanta, tamque admiranda Divinæ suæ Omnipotentiæ perpetravit prodigia, comparavit. Postquam enim 70. Interpretum lectionem sequendo dixisset: *Equo meo assimilavi te amica mea;* subintulit: *Hic est ille Equus, de quo ait Zacharias c. 1. Vidi per noctem, & ecce Vir ascendens super Equum rufum. Hic est Equus humanitatis assumptæ, proprio sanguine rubricatus, cui velut Equo insidens DEVS, de Diabolo triumphavit. Ait ergo Filius: In curribus Pharaonis & exterrendis & conterendis, & si non adæquavi, tamen assimilaui te Equitatui meo, sive Equo meo, ò Mater dilectissima. Quia licet in exterrendis & conterendis castris Diaboli humana Maternalis Virginitas minimè adæquatur Deitati, in his tamen eidem præ cæteris assimilatur.* Sic Halgrinus.

B. V. omnipotētia similis Verbó Incarnato.

Equus rufus est Humanitas Christi.

B. V. humanitati Christi præ cæteris assimilatur.

76. Quanta porrò Humanitatis Christi potentia in Cacodæmonis frangendis debellandisque viribus extiterit, ostendit Isaias, dum illam gladio acutissimo, ac rhomphææ cuipiam validissimæ confert cap. 27. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leviathan vectem, & super Leviathan serpentem tortuosum.* Sive ut legêre 70. Interpretes: *Inducet Dominus Gladium sanctum, magnum, & fortem super Draconem colubrum fugientem.*

Humanitas Christi Gladius sanctus, magnus, & fortis.

Gladium hunc fortissimum, quo caput Leviatham serpentis antiqui, Draconisque Infernalis truncandum erat, Sancti Patres tam Latini quàm Græci, Basil. in Psal. 44. Cyrill. Alex. in Isaiam,

Humanitas Christi Gladius grandis & fortis, quo Draco Infernalis trucidatus.

Nazianzen. Tertullianus lib. 4. in Marcionem, Procopius Gazeus in Isaiam 49. c. Rupertus Abbas in Zachar. & demum S. Augustinus in Psal. 7. asserunt Humanitatem Christi Sanctissimam, ex purissimis Virginis sanguinibus, ope Spiritus Sancti efformatam; quam velut acutissimum, ancipitemque gladium Verbum æternum assumendo, omnem Sathanæ superbissimi potentiam prostravit, denotare. Vnde præclarè D. August. in illud Psal. *Nisi conuersi fueritis Gladium suum vibrabit;* pronunciavit: *Gladium dicit esse Humanitatem Christi, qui in primo adventu, tanquam in vagina humilitatis absconditus: in secundo verò veniens iudicare viuos, & mortuos, vibrabit gladium, & iustis suis lumine; terrore, verò impijs coruscabit.* Cùm igitur in ejusdem Augustini sent. Caro Christi sit quasi Caro Mariæ, consequens sanè est, eadem propemodum Mariam, quâ Humanitate Christi, potentiâ insignem esse, eandemque verè Gladium fortissimum, atque sanctissimum ad Draconis tartarei demetendum caput illud superbissimum extitisse, atque adeò illi meritò Epinycion illud Ioachim summi Pontificis, quod Iudithæ caput Holofernis detruncanti; modulatus est, posse concini Heroinæ nostræ gloriosissimæ cap. 13. *Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.*

B.V. est etiam, uti Filius grandis & fortis Gladius ad truncandum Draconem Infernalem.

77. Hinc Rupertus Abbas lib. 4. in Cant. potentiam hanc Virgineam in Infernalibus conterendis potestatibus agnoscens introducit Sponsum Tartareo hosti insultantem, & ad certamen quodammodo singulare cum Virgine ineundum provocantem, verbis illis Cant. 4. *Surge Aquilo: quis ille,* inquiens, *est Aquilo? Ille nimirum qui dixit: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ipse est serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas. Vnde iste Aquilo surget? quomodo surget? surget de occultis insidijs, ubi iacebat olim, & serpebat lubricus anguis, quando primam mulierem decepit: non ibi surrexit, vt impugnaret, sed serpendo sibilauit, ut deciperet. Vires quippè non habebat prius, quàm consensum ei voluntarium praberet mulier. Inter te, & illum, Soror mea Sponsa, DEVS inimicitias posuit, & iccircò de te omninò desperauit, imò de fraude sua, de dolo, siue de actibus suis aduersum te nihil habet spei, vt decipere possit. Dico ergo illi: surge Aquilo, quid iaces in terra, quid insidiaris calcaneo nostro, nihil proficis insidiando. Potiùs surge, viribus utere, & toto malignitatis impetu debacchare. Egisti olim, vt serpens, age nunc, vt Draco magnus, Draco rufus, habens capita septem. Age quod agis, surge qui surgis, debacchare, qui debaccharis.* Hæc Rupertus in persona Sponsi Virgineæ potentiæ conscij.

Magnam opinionẽ de Potentia & fortitudine Sponsæ habet Sponsus.

Aquilo est Diabolus.

B. V. fortissimis Heroinis fortior, ac potentior.

78. Hæc nimirum est fortissima illa Iahel, quæ clavo suæ potentiæ Sisaræ crudelissimi caput terebravit Iudic. 4. Hæc est Mulier illa Thebes, quæ lapide caput Abimelech confregit. Iudic. 9. *Et ecce una mulier fragmen molæ desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.* Hinc S. Andreas August. in M. S. Dei param alloquens: *Tu Virgo lapide angulari Christo Diabolum occidisti.* Hæc demum fortissima est illa mulier in Abela, quæ Sebæ crudelissimi Regis David inimici caput amputavit, civitatemque ab obsidione, eversioneque liberavit. 2. Reg. 20.

B. V. Caput Tartarei serpentis contrivit.

79. Nec mirum cuipiam videatur hascé antiqui testamenti mulieres, atque Heroinas ferè semper capita inimicorum populi Israëlitici percussisse. Vivæ enim extitere Virgineæ Heroinæ nostræ figuræ, de quà antiquo serpenti jam pridem pollicitus erat Dominus Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum;* triumphando nimirum non modò de originali peccato; quod omnium venenatum caput est; verùm etiam de alijs omnibus. Vnde D. Bernardus ser. 2. super Miss. *Ipsa caput contriuit venenatum, qua omnimodam maligni serpentis suggestionem, tam de carnis illecebra, quàm de mentis superbia deduxit ad nihilum.* De hoc fortissimæ Heroinæ nostræ adversus hunc Tartareum serpentem triumpho, præclarè Dionysius Richelius in Procemio lib. 1. de Præcon. & Dignit. Mariæ: Quemadmodum, inquit, iustâ, ac ineffabili æternæ æquitatis censurâ, uno transgrediente, fœminâ, consilium exordiumque præstante, cuncti cecidimus, sic uno obediente, fœminâ cooperante, & concipiente, atq; gignente Deum, ab infernalis obligatione necis, singuli liberamur. Et ob id inter hanc fœminam, serpentemque æmulatio orta est. Verumtamen ipsa prævalet, quippè quæ caput illius conterit. Nihilominus insidiatur ille calcaneo istius. Circuit namque, ut Leo rugiens, quærens quem devoret, schismata, atque hæreses inducens, & hujus demum mulieris dignitati, per os reproborum

Causa dissidij inter Infernalẽ serpentẽ & B. V.

borum

borum suorum maledicit. Sic ille.

80. Et licet semper potentissima Regina nostra de stygijs illis serpentibus triumphârit, illisque sæpiùs prædas, ex purgatorij maximè ignibus eripuerit; triumphavit tamen vel maximè in gloriosissima illa sua in cœlos Assumptione, plurimasque animas, velut opima spolia, illis eripuit, secumque in cœlum abduxit. Quod nobis Gerson Cancell. Parisinus insinuat, dum Virginem sic alloquitur Tract. 4. in Magnif. *Scandens ad æthera Potestates aëreas debellasti, nihil adversus te malignantes spiritus se posse sentientes. Admirari potiùs oportebat Dæmones atq; expanescere, quasi quærentes inter se: quæ est ista quæ ascendit per desertum, quasi Aurora consurgens, quæ nobis est umbra mortis, & terribilis, ut castrorum acies ordinata? Non est quidem incredibile Christum fuisse, cuius currus erat decem millibus multiplex, per Angelos ducens secum multam ex Purgatorio captiuitatem, ob honorem nouæ coronationis ipsius, quæ Regina misericordiæ, & Domina gratiæ, & Mater misericordiæ, sub cuius imperio sunt omnia iura Regnorum, ut in suo nomine flectatur omne genu cœlestium, terrestrium, & Infernorum, quamuis aliter ad Filium benedictum, qui tamen subditus illi esse dignatus est.* Hæc Gerson.

B.V. Potẽtia in Purgatorio.

B. V. in sua ad cœlos assumptione plurimas animas è carceribus Purgatorij liberavit.

81. Neque verò solùm Virgo gloriosissima fortitudine sui omnipotentis brachij de Inferno, deque ejus cohortibus triumphum reportat ad instar illius mulieris, quæ ut ait Salomon Prov. 31. *Accinxit fortitudine lumbos suos, roborauit brachium suum;* verùm etiam universos sibi devotos, ac clientes panopliâ quâdam armat inexpugnabili, ut reverà omni armorum genere instructi formidabiles ipsis Orci satellitibus videantur. Quare hoc nobis ostendere volens Sponsus illud de ipsa prædicavit elogium Cant. 4. *Sicut Turris Dauid quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Seù ut legunt septuaginta Interpretes: *Omnia iacula potentium.* seù ut alij; *Omnes lanceæ potentium;* Alij denique: *Omnes hastæ fortium.* His tot armorum generibus instructa Virgo, quid aliud, quàm illam de cerebro Iovis progeneratam Palladem, ad Infernalem Draconem conterendum, ac debellandum, nosque potentissimè contutandos nobis repræsentat?

M. ad nos defendendos fortitudine roboravit brachium suum.

B.V. Turris David ad nos protegendos, ac tuendos.

M. varijs armis ad defendendos mortales contra Dæmones instructa.

B. V. armata Pallas in nostra defensione.

Scire cupitis quînam tandem sint isti clypei, quæ fortium armatura, atque panoplia? Sunt nimirum varij, ijque efficacissimi modi, ac media, quibus invicta hæc Heroina suos clientulos defendere, ac protegere consuevit. Clypeis sanè hiscé, armisque validissimis undique à capite ad calcem Virgo videtur circumdata. Est enim Filia Regis illius potentissimi, cui canebat Psal. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Seù ut Divus legit Hieronymus: *In Scutulatis;* innuere volens, Regium hujus Heroinæ paludamentum, varijs contextum scutis, ac clypeis, quibus Orbem universum non modò adversus Tartareos hostes, verùm etiam Divinæ ultionis tela, ac sagittas protegit, atq; defendit.

B.V. mille scutis ad nos protegendos vestita.

82. Hæc nimirum Virgo potentissima Templum est illud Zorobabelis, cujus facies, ut 1. Machab. c. 4. est legêre, *coronis aureis, ac scutulis ornata fuit;* quibus mortales instructi, & in acie contra Mundum, carnem, Satanamque strenuè depugnantes, victores evadunt, aureisque coronis, laureolisque in cœlesti capitolio, post triumphatos hostes coronantur.

M. Templum Zorobabelis, scutis & coronis aureis ornatum.

83. Scire cupitis quænam sint hujuscé inexpugnabilis atque animatæ Turris propugnacula? Audite Halgrinum Cardinalem: *Propugnacula, quibus hæc Turris ædificata est, sunt virtutes, & gratiæ, dignitates, & prærogatiuæ, intentionis puritas, operumq; sanctitas; vis orationum, ac merita operum, per quæ B. V. peccatorem pœnitentem protegit, & inimicum expugnat.* Hæc Halgrinus.

B.V. Propugnacula, quibus nos defendit contra inimicos Infernales.

84. Imò Heroina hæc fortissima, ut toti mundo declaret se potentiâ suâ, Divinam illam æterni Patris Vniversorum Domini, ac Conditoris Omnipotentiam æmulari (qui de semetipso ajebat: *Ego ero ei, ait Dominus, Murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* Zach. 2.) vocat semetipsam quoque Murum Cant. 8. *Ego Murus;* ignitæ scilicet charitatis, Leones illos Infernales exterrens. Vnde Richardus lib. 7. de laudibus Virginis: *Ipsa,* inquit, *nos protegit contra Diabolum, contra vitia, ac peccata quasi igneus Murus. Vnde dicit cum Filio: Ero murus igneus in circuitu eius, nempè Ecclesiæ. Aptè porrò dicitur; in circuitu; contra circuitum Diaboli, qui tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret.*

B. V. est nobis Murus ignis.

B.V. Murus in circuitu nostri, contra circuitum Diaboli nobis insidiantis

85. Et licet ab instanti suæ imma-

culatæ Conceptionis, ob plenitudinem omnium gratiarum Murus, & Turris fortitudinis, ac protectionis toti Naturæ humanæ adversus capitalissimos illius hostes extiterit; nihilominus tamen postquam Altissimi Mater dignissima est effecta, suisque purissimis uberibus lactavit Salvatorem, peculiari nos ratione, ad instar filiorum, velut Murus igneus cingit, velut Turris fortissima nos protegit, majori longè potentiâ, quàm ante Filij Dei Incarnationem, adeò ut Cacodœmones, nullâ prorsus ratione nisi consentientibus, nobis nocere valeant, sponteque in prædam nos ipsi dedamus. Vnde non contenta dicere: *Ego Murus.* Mox addidit. *Et Vbera mea sicut Turris; ex quo facta sum coram illo, quasi pacem reperiens.* Quasi clarius dicat: Facta sum Pacifica post subjugatos, debellatosque Inferos, post reconciliatum, pacificatumque cum Deo genus humanum. Atque ita Virgineæ istæ meæ, illibatæque Mammillæ, quæ priùs pietatis toti mundo extiterant monimenta, modò fortitudinis, atq; omnipotentiæ vobis sese exhibent argumenta.

M. Murus fidelium, & Turris fortitudinis facta est, postquam Dei Filium concepit.

Vbera B. V. sunt fortitudinis & omnipotentiæ argumenta.

86. Hic Guilelmum Abbatem religiosissimum hæc verba Sponsæ pervenustè interpretantem audiamus: introducit ille Deiparam cum Sorore parva, seu cùm recens nata Ecclesia loquentem, atq; hortantem, ut in suis necessitatibus ad se, quasi ad locum munitum accedat, atque confugiat, inque sua tutela consistat, donec eò usque crescat, atque grandescat, ut infirmioribus proximis, vel Murus, vel Ostium fiat. *Ego*, inquit, *Murus, & ubera mea sicut Turris. Ac si dicat*, inquit Guilelmus; *Parvula es, & delicata, & nondum idonea stare in acie aduersus hostes rigidissimos Principes tenebrarum. Ergo ad me veni, apud me mane. Ego enim Murus ad protegendum, Murus inexpugnabilis circumcingens eos, qui ad me confugiunt: planè qui hoc Muro circumdatur, tutus est ab his, qui in circuitu ambulant impij, & à capite eorum, qui tanquam Leo rugiens circumit quærens, quem deuoret. Et Vbera mea sicut Turris. Ego Murus simul, & Mater. Murus ad protegendum, Mater ad nutriendum. Murus infirmis; Mater parvulis. Propter insufficientiam virium campum times? Murus sum, intra me abscondere à facie inimici. De paruitate tua confunderis, & crescere vis? Mater sum, meo lacte nutrire. Murus sum per fortitudinem, & Mater per pietatem. Ego Murus inexpugnabilis, & excelsa habens propugnacula: ego Mater admirabilis & amabilis, & grandia habens Vbera. Quam grandia? Sicut Turris. Vbera mea non tantum sunt Vbera, sed etiam Turris. Non tantùm nutriendi, sed & protegendi vim habent. Nullus me putet habere, quo nutriam, & non habere, quo muniam. Materna pietas mea quos nutrit, etiam munit: quos nutrit, vt discant, atq; grandescant, munit à facie inimici, donec iam grandes effecti, contra eum in campum fiducialiter exeant.* Tum Vir pijssimus conversus ad Virginem, sic eam lætitiâ gestiens alloquitur. *Sed nunquid tu ò pia Mater, numquid tu non una es filiarum Eua? quid est quod tam gloriosa, tam præclara de te loqueris? Vnde tibi prærogatiua hæc? Non in me ait, sed in Domino glorior. Nihil enim habeo quod non acceperim, unde nec glorior, quasi non acceperim.*

B. V. in homines pietas.

B. V. Murus ad protegendum.

B. V. est hominibus Mater & Murus.

B. V. Murus intra quem abscōdimur à facie inimici.

B. V. Materna pietate quos nutrit, eosdem etiam munit, tanquā turris

87. Vt ostendat porrò se gratiam hanc protegendi, nutriendique spirituales filios accepisse in Incarnatione Verbi, mox subtexuit: *Quæritis quando esse cæperim, qualem me conspicitis? Planè talis & tanta sum, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Insusitatè loqueris, ò pia Mater, coram eo dicis, & de quo dicas, non exprimis, & tamen habet Nomen. Quid quæritis Nomen eius, quod est mirabile? Quid opus fuit exprimi, quod tam impressum est notitia omnium? Quis ignorat de illo loqui, os meum, cui iugiter inhæret cor meum? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Ergo coram Dilecto meo, coram Deo meo facta sum quasi pacem reperiens. Magnum quidem inimicitiarum chaos firmatum erat olim inter DEVM, & hominem, venitq; Filius hominis dissoluere illud, & facere pacem; venit in uterum meum, assumens ibidem hostiam pacis, in ara Crucis suo tempore immolandam. Atq; ideò magnum illud pacis Sacramentum, præ omnibus, siue sanctis, siue hominibus mihi statim innotuit. Deniq; mox, ut ex carne mea Verbum caro factum est, inueni & sensi me habere in utero de Spiritu S. & reperiri in utero meo quasi pacem, id est hostiam pacis, cuius immolatio hostia est plena Pax. Reperi & sensi subitò in utero meo hostiam pacis, & hoc non ex me, nam ut hoc reperirem excellentis gratiæ fuit. Ergo Diuinitus facta sum quasi pacem reperiens, & hoc coram eo, non coram Angelis, & hominibus. Nullus enim hominum sciebat quid in utero meo ageretur: nec coram Angelis erat, quam suauiter ego sentirem illud, sed totus ille suauissimus, atq; dulcissimus sensus meus intus coram illo erat, de cuius utiq; munere erat.*

B. V. in Incarnatione Verbi facta Murus protectionis nostræ

Amor B. V. erga Verbum Incarnatū

M. inter Deum & hominem pacifica.

88. Con-

B. V. in Incarnatione Verbi, ab illo omnipotentiam mutuata est.

88. Concludit tandem ab Incarnato Verbo in utero suo Virginali Humanitatem nostram assumente, totam illam suam Omnipotentiam se mutuasse: *Porrò ex quo sensi*, inquiens, *me in utero habere de Spiritu Sancto, procul dubio tanta excellentia, tanta potentia, tantaq; clementia facta sum, vt omnibus ad me confugientibus, non tantùm Murus sim ad muniendum, sed & Mater ad nutriendum, & talis Mater, cuius vbera sunt sicut Turris, id est, cuius Materna pietas non tantùm paruulos nutrit, sed etiam dum adhuc in nutrimentis sunt minus apti ad prælium, hostibus inaccessibiles faciat; cùm creuerint, fiducialiter processuros in campum, non tantùm carnem, & sanguinem, sed & spiritualia nequitiæ in cœlestibus pronocaturos ad prælium.* Sic Guil.

Vbera B. V. sicut Turris, est eius innos Materna pietas.

89. Quare Gabriel Angelus eandem virtutem hanc genus humanum protegendi acquisituram Virginem, in Filij Dei Incarnatione, ope Spiritus S. in eius utero peragenda, agnoscens, pronunciavit: *Spiritus S. superueniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ac si clarius dicere voluisset: Vbi Divinissimus ille Spiritus, qui Devs omnipotens est, te afflaverit, seque cum suis donis, ac muneribus utero tuo infuderit, adeò copiosâ te perfundet gratiâ, adeò potenter contra omne peccatum obumbrabit, ac proteget, ut & alios obumbrandi, ac protegendi, contra insultus mundi, carnis, & Sathanæ virtutem sis habitura.

B.V. à Spiritu S. obumbrata, obumbrat genus humanum contra tentationes Dæmonum.

90. Imitatur nimirum Virgo Beata Sponsum suum Spiritum S. atq; ita, quemadmodum ille ipsi, ita illa nobis, velut arbor patula, atque amœna obumbrat, nosque potentiâ suâ protegit, ac defendit. Præclarè enim Beda Venerabilis ser. 1. de Annunciatione de hac Spiritus Sancti obumbratione disseruit: *Obumbrari nobis dicimus, cum feruente meridiano Sole, vel arborem mediam, vel aliud quodlibet umbraculi genus inter nos, & Solem opponimus, quo ardorem eius, vel lucem tolerabiliorem nobis reddamus. Redemptor ergo noster non immeritò Solis luce, vel ardore designatur, quia nos veritatis scientiâ illustrat, & amore inflammat. Vnde ipse ait: Vobis timentibus Nomen meum orietur Sol Iustitiæ. Huius Solis radios Beata Virgo suscepit, quando Dominum concepit. Sed idem Sol, seu Divinitas Redemptoris nostri, tegmine se humanæ Naturæ, quasi umbraculo quodam obtexit, quo mediante, Virginis eum viscera ferre sufficerent, sicq; Virtus Altissimi obumbrauit ei, cum Diuina Christi potentia, & eam præsentialiter impleuit, & ut capi ab illa posset, substantiâ se nostræ carnis obnubilauit.* Sic Beda.

B.V. in nostra protectione Spiritũ S. imitata est.

Quomodo Spiritus S. B.V. obumbraverit?

91. Cùm igitur vel ardor Divinæ Iustitiæ nos terire, vel insidijs suis hostis Tartareus nos vult aggredi, obumbrat nobis Virgo hæc potentissima, quæ carne de suis purissimis sanguinibus efformata, Divinitatis splendorem ardoremque temperavit, obumbrat, inquam, nobis ad instar frondosæ umbrosæque arboris, nosque ab omnibus casuum adversorum incursibus, protegit, dum fidelissimum suum patrocinium apud Filium, precesque validissimas interponit. Quæ cum illi sint acceptissimæ, tutos nos securosque esse jubent, adversus quascunque hostium Infernalium irruptiones. Præclarè enim plentissimus Cardinalis Ioannes Halgrinus: *Beata Virgo*, inquit, *Murus est nostræ defensionis, & super eam ædificauit tota Trinitas propugnacula argentea, vt precibus suis benè sonantibus inimicum repellat; & hoc signatur in argento, quod cæteris metallis dulcius sonat. Addit: Et Vbera mea sicut Turris; misericordia, & pietas mea, quibus quasi uberibus, suffragiorum dulcedine lacto filios Ecclesiæ; sunt turris, munimentum scilicet, refugium, & securitas peccatorum. Et hoc ita, ex quo sic accepta, sic grata, sic placita facta sum coram eo, vt quasi pacem reperiens, id est, verè pacem reperiens, & faciens inter DEVM & hominem, ut essem Pacifica, tanquam Mater veri Pacifici, Mediatrix, Mater Mediatoris.* Hactenus Halgrinus de potentissima Deiparæ nostræ Sacrosanctæ intercessione.

B. V. ad instar Arboris frõdosæ nos ubumbrat

Beatissim. Trinitas in Deiparâ fabricavit propugnacula argentea ad nostram defensionem

Vbera B. V. misericordia & pietas eius.

Deiparæ Materna pietas, est refugium & securitas peccatorum.

92 O infinitam Heroinæ nostræ, Divinissimamque Omnipotentiã ab Incarnato Verbo, ac Spiritu Sanctissimo ipsi communicatam, quâ, uti hactenus diffusè ostendimus, ad cœlos usque pertingit, portasq; ejus cui voluerit referat, quâ summum Devm ipsum vincit, ac triumphat, quâ toto terrarum Orbe sese in immensum quodammodo extendit, qua demum ipsius Inferni penetrat abyssos, ejusque incolas, adamanteis adstringit catenis, ac vinculis, ne in humanũ genus, ad libitum sævire valeant. Ne ergo amplius creaturam aliquam Deo similem in potentia requirat David. Virgo enim hæc sicut Dei Patris est Filia, sic illum ad instar Filiæ in potentia reliquisque perfectionibus, quoad fieri potuit, æmulata est.

93. Quan-

93. Quando quidem igitur omnes illi, qui se peculiari studio, ac pietate Deiparæ cultui addixêre, in Virginea hac Turri tuti, ac securi inhabitare videntur, quis erit adeò vecors, qui se sub hujuscé Virginis tutelam, ac clientelam non dedat, seseque totum ipsius servitio atque obsequio non addicat, ac mancipet? ut ejus præsidio, panopliâque inexpugnabili instructus, ac munitus malignis spiritibus reddatur formidabilis? Accurramus igitur ad Virgineam hanc, animatamque Turrim in tentationibus, atque oppugnationibus inimicorum cum fiducia, præsentissimum semper in tribulationibus, angustijs omnibus reperturi auxilium, præsidiumque firmissimum. En vobis hæc animata Turris non portas 12. ut cœlestis Hierusalem, sed pandit omninò mille. Siquidem ubi vulgatus Interpres legit: *Mille clypei pendent ex ea*, legit S. Ambrosius ser. 4. in Ps. 118. *Mille ostia pendent in ea;* insinuare volens Deiparæ nostræ potentissimæ facilitatem benignissimam, quâ semper se promptissimam, ad mortales omnes, in suam clientelam recipiendos exhibet. Ingrediamur igitur Turrim hanc, confugiamus ad Patrocinium Virginis, magnâ animi alacritate concinentes: *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te Sancta, DEI Genitrix.*

B. V. Turris fortissima mille portas ad nos recipiendos reserans.

Prosternamur ad pedes Dominæ hujuscé potentissimæ, ejus implorantes in tot mundi periculis præsidium, consilium Divi Bernardi amplectentes, qui sermone de Verb. Apoc. ajebat: *Amplectamur Mariæ vestigia Fratres mei, & devotissimâ supplicatione beatis illius pedibus provolvamur, teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis. Potens est enim, nempè vellus est medium inter rorem & aream, Mulier inter Solem, & Lunam, Maria inter Christum, & Ecclesiam constituta.*

B. V. amplectenda vestigia, imitando ipsius virtutes.

Dicamus illi cum D. Anselmo: *O tu illa piè potens, & potenter pia Maria, de qua Fons est ortus misericordiæ; ne contineas precor tam veram misericordiam, ubi tam veram agnoscis miseriam. Tantummodo velis salutem nostram, & verè nequaquam salvi esse non poterimus.* Ingeminemus identidem illud cum devotissimo Richardo à S. Laurent. *Pone me Domina iuxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me.* Ingeminemus, inquam, hæc aliaque similia, certò nobis persuadentes, nullas omninò Cacodæmonis insidias, nullos impetûs contra Mariæ fidelem, piumque Clientulum prævalituras. Licet enim verissimum illud sit, quod sub Symbolo *Behemot* de fortitudine potentiaque illius, in persona ipsius Dei vaticinatus est Iob 41. *Reputabit quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs. Non fugabit eum Vir sagittarius, in stipulam versi sunt lapides fundæ. Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam. Sub eo erunt* (ò res formidanda atque deploranda) *radij Solis, & sternet sibi aurum quasi lutum*, Viros nempè justos, suasionibus ipsius in peccata prolapsos. *Deniq; non est potestas super terram, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret.* Licet, inquam, verissima sint hæc omnia, quæ de ejus efferata potentia scripsit Iob, & nemo viribus proprijs Tyrannidi ipsius crudelissimæ possit resistere, auxilio tamen potentissimæ Heroinæ nostræ, quæ in primo immaculatæ suæ Conceptionis instanti, ejus caput conterere potuit, de ipso gloriosissimum triumphum reportabit. Impetrabit enim suis potentissimis precibus apud Filium, ut ejus caput superbissimum conteramus, totamque illam ejus tam formidabilem, modo à Iobo descriptam potentiam rideamus. Ipsa enim cùm sit illa Luciferi triumphatrix Stella ex Iacob, de qua vaticinatus est Balaam Numer. 24. *Orietur Stella ex Iacob, & consurget Virga de Israël, & percutiet Duces Moab, & vastabit omnes Filios Seth;* percutiet & crudelissimos nostros Inferni hostes, eorumque potentiam vastabit, ac demolietur, ita ut nobis ampliùs, nisi consentientibus, nullatenus nocere possint.

M. piè potens, & potéter pia, in sublevandis nostris miserijs.

NullæDæmonis insidiæ contra clientes B. V. prævalét.

Dæmonis fortitudo, ac ferocia

B. V. impetrat nobis gratiã, & Dæmoné vincamus.

B. V. percutit & vastat Dæmones.

94. Hæc enim est magna illa potentissimaque Bellatrix Debbora, quæ cum Baraco, typo Salvatoris nostri verissimo, contra acerbissimos Israëlitici populi hostes depugnans, de omnibus gloriosissima evasit triumphatrix. Vnde sicut Debbora, pulcherrimæ hujus de Infernalibus hostibus per fœminam, sibi similem olim reportandæ victoriæ præsaga, jucundissimum elegantissimumq; epinycium, cecinit: ita postmodum, & Deipara, in Domini Dei exercituum laudem, Canticum lætissimum modulata est. Verè Virgo nostra est bellatrix Debbora. Si enim hæc Apis interpretatur; & Deipara Apis est, mel suis Clientulis, ac Filijs; aculeū nostris hostibus pungentissimum relinquens. Verè Salvator,

B. V. Debbora bellatrix.

B. V. Apis mel Filijs, aculeum nostris hostibus relinquens.

vator ejus Filius Baracus est. Si enim hic, nomine suo, fulgur splendoremque sonat; & Salvator Fulgur est, Paternæq; gloriæ Splendor, in splendoribus Sanctorum ante Luciferum genitus. Hinc Isaias de ipsius loquens adventu, canebat cap. 42. v. 1. *Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur, ut splendor iustus eius, & Salvator eius, ut lampas accendatur.* Splendor hic Salvatoris nostri hominum mentes illustrat, ut fallacissimorum inimicorum technas deprehendamus. Fulgur hoc eosdem percellit, exterretq; hostes. Vnde adventum suum in universale judicium fulguri comparavit. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usq; in Occidentem, ita erit & adventus Filij hominis.* Matth. 24. v. 27.

Barac quid significet?

Christus luce suâ nos illuminat, ut technas hostium agnoscamus.

Fulgur verè est Christus, quia & loquendo, increpandoque, fulgura quædam mittebat, & faciei suæ splendore mentes irradiabat. Si enim Pericles ille tonare, fulgurare, permiscere omnia apud Græcos, suâ eloquentiâ ferebatur: quantò magis Dei Filius, verborum Divinâ vi, atque efficacitate, animas mortalium convertere, mundi contemptum, terrenarumque rerum proculcationem persuadere; interna omnia in mentibus hominum, & foris omnem naturæ ordinem miraculis permiscere, stygijsque hostibus terrorem incutere poterat? Si denique Barac Patrem habuit Abinoam, Patrem scilicet Pulchritudinis; & Christus æternum illum Patrem, Fontem, Genitoremq; omnis tam internæ, quàm corporeæ pulchritudinis, à quo velut radius à Sole, velut candor ab æterna illa luce processit. Quis igitur ab his Ducibus fortissimis, atque potentissimis Iesv, & Maria protectus alicujus hostilitatis arma pertimescat? Expugnavêre Barac & Debbora Iabinum, & Sisaram, validissimosque Chananæorum exercitus; Et Mundi Salvator Dei Filius, ejusque Mater sanctissima, quorum illi umbræ dumtaxat vacuæ extitere, suâ infinitâ Omnipotentiâ non expugnabunt, non ad internecionem, hostium nostrorum phalanges delebūt? In quacumque ergo tentatione, Dœmonumque conflictu, auxilium fidelissimum Bellatricis nostræ potentissimæ Virginis Deiparæ imploremus. Erit illa quemadmodum Filio in redemptione; ita nobis quoque in omni tribulatione, atque angustia Adjutorium, obumbrabitque nobis Omnipotentiâ suâ Divinissimâ super caput nostrum in die belli.

Christus est Fulgur, & Fulgor.

Pater Barachi Abinoam vocatus, id est, Pulchritudo.

MEDITATIO IX.



Quis loquetur potentias Dominæ nostræ, auditas faciet omnes laudes ejus? O Domina quis similis tibi? Potens es Domina? Potentia enim tua, Divinæ Omnipotentiæ est quam simillima; infinita propemodum, immensa, incomprehensibilis. Attingit cœlos, illorum portas reserat; Angelorum ruinas instaurat; de ipso Deo, ipsum placabilem humano generi reddendo, ne justissimæ iræ suæ furore illud extermìnet, triumphat. Toto Orbe terrarum eadem tuâ Omnipotentiâ ad instar immensæ cujuspiam fructiferæ, saluberrimæque arboris, omnia affatim humanis usibus necessaria suppeditantis, ramos expandit, varias comunicando gratias, fructûsq; salutiferos, quibus animæ infeliciter peccatis enectæ, reviviscant, Regniq; cœlorū hæredes efficiantur. Penetrat demum ipsū Infernū omnipotentia tua, ò Virgo sanctissima, ubi ad instar fortissimæ cujuspiā Heroinæ, imò ad instar aciei castrorum probè instructæ, atque ordinatæ, adversus illas Orci phalanges bellum geris, vincis, triumphum reportas. Alligas illum fortem armatum, adamanteis vinculis, ac compedibus, vires ipsius roburque elidis, ne mortales infestet, denique antiqui hujus serpentis, colubrique tortuosi caput conteris, ut venena virulentarum suggestionum in tuos clientulos minimè valeat effundere. Quapropter, Domina mea, ac Regina potentissima laudent te, tuamque omnipotentiam, cœli & terra, omnesq; creaturæ, quæ eorum ambitu continentur, tuas laudes, ingentiaque beneficia deprædicent. Admitte me quoque in earum numerum, ut illlis sociatus, gratias, favoresque tuos in me collatos cum tuo Seraphino Psal. 29. concinam: *Exaltabo te Domina, quoniam suscepisti me, ab iniquo aduersario liberasti me. Conuertere ad me, & viuificabis me; de portis mortis reduc me, & de fluctibus tribulationum, quæ circumdederunt me. Propter imperium & magnificentiam dexteræ tuæ contere & dissipa omnes ad-*

versarios meos, & ego offeram tibi sacrificium laudis, gloriamq; tuam devotissimè exaltabo. Confundor sanè atque erubesco in conspectu tuo, Domina mea clementissima, quoties me tuis gratijs, ac beneficijs, quæ ex omnipotentiâ tuâ, ceù ex vivo Fonte scaturiunt, me undique circumdatum contemplor, pro quibus tota vita mea, omnes tam intellectus, quàm voluntatis operationes meæ, te semper benedicere, ac collaudare, tuam gloriam potentiamque loqui deberent; Tu enim mea fortissima es Protectrix, mea Turris fortitudinis, tu meum Præsidium, tu Salus unica, post benedictum tuum Filium animæ meæ. Quare cùm te ego condignè deprædicare nequeam, ò Virgo prædicanda, omnes totius Orbis creaturas, ut vices meas obeant, invito cum tuo Bonaventura: *Benedicite omnia opera Dominæ gloriosæ, laudate, laudate & superexaltate eam in sæcula. Benedicite Angeli Dominæ nostræ, benedicite cœli Dominæ nostræ. Benedicat omnis creatura Dominam nostram, quam Rex sic voluit benedici: Benedicta sis, ô summi Regis Filia, quæ odore præis cuncta lilia.*

In signum porrò humillimæ meæ, quam tuæ omnipotentiæ jure debeo, ò Imperatrix totius Vniversi potentissima, subjectionis, offero tibi meipsum totum cum omnibus tam corporis, quam animi viribus, ac potentijs, & coram te corde prostratus, dico cum Propheta: *Domina possìde me;* defende, protége me omnipotentiâ tuâ infinitâ. Et quia anima mea in hac peregrinatione, dum hoc corporis detinetur ergastulo variorum inimicorum, mundi, carnis, ac Sathanæ impeti consvevit insidijs, sub umbra tuæ immensæ omnipotentiæ, me recipe, ac protege. Vtq; tantò gratior tibi, ò Imperatrix potentissima hæc mea accidat supplicatio, verbis tui Seraphini eam corā tua Majestate repræsento: *Domina, ut non noceat mihi calliditas tua, sub umbra alarum tuarum protege me. Esto umbraculum protectionis in tentationibus nostris, expansio alarum tuarum defendat nos à devorante.*

Ad te denique Mater mea pijssima, Domina mea potentissima, affectu humillimo, corde quam possum amantissimo in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus, ac periculis, quibus Hæreticorum furore, ac rabie undiq; circumvallamur, ac penè opprimimur, recurro, te oro, atq, obsecro, per effusissima illa tuæ pietatis viscera, quæ mundi Salutem portaverunt, per amorem illum tuum, quo dilectissimum Filium tuum caput nostrum, nosq; ejus membra complexa es, ut dexteram tuæ potentiæ, ac Majestatis ad nos defendendos extendas, & quæ cunctas hæreses hactenus in universo mundo, tuo omnipotenti brachio interemisti, easque pedibus virtutis tuæ, uti & earum Caput, Tartareum illum colubrum, contrivisti, has quoq;, quæ modo passim in Orbe Christiano grassantur, atque universum funditus propemodum genus humanum evertunt, interimas atque conteras. Tu quæ Stella ex Iacob, & Virga de Israël, conterens Duces Moab diceris, diffunde clarissimos lucis tuę radios in mortalium animas, mentiumq; eorum tenebras, plusquam cimerias irradia, ut veræ fidei Catholicæ agnitâ veritate ad Ecclesiam revertantur. Quod si in perfidiæ suæ tenebris obstinati perseverare velint, sis illis ò Domina potentissima, sis illis Virga ferrea, & tanquam vas figuli eos contere, eorumq; contumaciā, quâ tuum, tuique Filij Nomen blasphemare non cessant, dexterâ tuæ virtute prosterne. Inter hascé angustias ne mei quoque Mater mea pientissima, atque amantissima obliviscaris, libet hic cum tuo Iusto Landspergio Epist. 8. te compellare atque deprecari: Spes mea unica post DEVM B. V. M. Mater dulcissima, atque gloriosissima, offero me tibi, commendo, & resigno me ad pedes tuos. Suscipe me in Filium; esto mihi pia Mater. Impetra mihi, ut vitam tuam, & eas virtutes, quibus tu tuo Filio placuisti, pro modulo aliquo, quantum DEO placuerit, imitari merear. Adesto mihi in omni tentatione, insidijsque Diaboli. Custodi & dirige me, ut in omni bono, & in omni virtute semper proficiam, & in DEI, atque tuo servitio, atque amore nunquam deficiam,

Amen.

AVE MARIA.


DISCVR-



DISCURSUS X.

Quod DEIPARA Virgo Patris æterni Omnipotentiam, quâ Mundum condidit, fuerit imitata.

Domine quis similis tibi? Potens es Domine. Psal. 88.



I.

Ametsi juxta commune Theologorũ axioma, in Dionysio Areopag. cap. 2. de Divin. nomin. & Augustino lib. 1. de Trinitate c. 4. fundatum. *Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa;* Mundi nihilominus creatio attribui, atque appropriari Patris æterni omnipotentiæ consuevit. Vnde in Fidei Symbolo nos credere in DEUM Patrem omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ profitemur. Qui licet minimo suæ voluntatis præpotentis nutu totum condiderit Vniversum; in condendâ tamen pulcherrimâ creaturarum Luce, in creando Firmamento seù cœlo sidereo, Sole denique, ac Luna efformandis verbo *Fiat*, usus est: *Fiat lux; Fiat Firmamentum, fiant luminaria in Firmamento.* Quod sanè verbum tantæ extitit energiæ, ut celeritate prorsus inperceptibili creata, perfectaq; fuerint universa.

SS.Trinitatis Opera ad extra sunt indivisa.

Mundi creatio Patri æterno appropriata.

2. Potentiam hanc tam in creationis opere, quàm in alijs Divinis actionibus contemplans magnus Legislator Moyses, cùm admirabilem, incomparabilemque censuisset, exclamavit Exo. 15. *Quis similis tui in fortibus Domine, quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atq; laudabilis faciens mirabilia.* Eandem Divinam omnipotentiam demiratus Propheta Regius Psal. 144. in ejus laudem, lætitiâ gestiens, reliquosque ad eandem celebrandam invitans, modulatus est: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis. Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi. Gloriam Regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur.*

Omnipotentia Dei & Sapientia in creatione Mũdi eluxit.

3. Et verò summus hic Orbis Architectus in hac Vniversi fabrica tantam æquè Sapientiam, ac omnipotentiã demonstravit, quantã nulla potest capere creatura. Vnde tam inter Philosophos, quàm Theologos illa celeberrima moveri solita est Quæstio; An creatura aliqua velut instrumentum assumi possit, ad aliquid creandum, cùm certum sit, ut agens principale, nec de absolutâ DEI potentiâ assumi posse; cùm creatio, actio ex nihilo sit subjecti, quæ virtutem in agente requirit infinitam; cujus cùm creatura capax esse nequeat, nec creationis per consequens esse poterit.

Nulla creatura ad creationẽ tanquam Agens principale assumi potest.

Creatio est ex nihilo subjecti.

4. Et licet hæc ita se habeant, videtur tamen reperta in rerum natura, excellentissima quædam creatura, quæ omnipotentiam illam Patris æterni in Orbe condendo æmulata sit. Et hanc DEIPARAM Virginem fuisse arbitramur, quæ ex nihilo suæ humilitatis, novos duos moliri quodammodo, ac fundare visa est mundos, & tertium hunc aspectabilem, totâ admirante naturâ, renovare. Vox enim illa Virginea, *Fiat*; quam, infra omnes mortales, ipsumque, ut ita dicam, terræ sese demittendo centrum, Mater Altissimi pronunciavit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm verbũ tuum;* adeò omnipotens extitit, ut Humanitatem Christi, veram Mundi lucem, cœlum

B.V. consentiendo Incarnationi Verbi effecta quodammodo Omnipotens.

Humanitas Christi parvus Mundus.

verè sydereum, virtutum omnium, gratiarumque distinctum Stellis, Solem unicum, Lunamque Mundi hujus, momento temporis, Divinissimo tamen cooperante Spiritu, absolverit.

5. In qua sanè Christi humanitate sanctissima, veluti parvo, imò immenso quopiam Mundo, res longè admirabiliores, quàm in hoc nostro visibili, tota obstupescente natura, peractæ sunt. Conceptus enim ille sacratissimus eodem quo factus est instanti, verus DEUS, ac verus extitit homo; corpus habens perfectissimum, cum omnibus lineamentis, membris, ac potentijs eodemque momento temporis, quo animæ unitum quoque fuit hypostaticè & Personæ Verbi. Conceptus hic Divinissimus sicut ab æterno, incorruptâ processit de mente Patris, sic in tempore, intactâ egressus est Virginitate Matris. Eodem instanti tantâ Sapientiâ, usuque rationis fuit præditus, quantò in matura 33. annorum erat ætate. Quod nimium quantum videbatur mirabile Hieremiæ Prophetæ cap. 31. cùm memorabile illud edidit Oraculum: *Creavit Dominus novum super terram: Fœmina circumdabit Virum.* Qualis porrò quantusque Vir hic adhuc maternis reclusus visceribus extiterit, præclarè docuit D. Bernardus hom 2. super Missus: *Virum*, inquit; *fuisse dixerim IESUM non solùm cùm jam diceretur Vir Propheta, potens in opere, & sermone, sed etiam cùm tenera adhuc Infantiæ membra DEI Mater blando, vel foveret in gremio, vel gestaret in utero. Vir igitur erat IESUS nec dum etiam natus, sed Sapientiâ, non ætate, animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentiâ membrorum. Neq; enim minus fuit Sapientia IESUS conceptus, quàm natus, parvus, quàm magnus. Sive ergo latens, sive vagiens in præsepio, sive jam grandiusculus interrogans Doctores in Templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo æquè profectò fuit plenus Spiritu S. Nec fuit hora in quacunq; ætate sua; quâ de plenitudine illa, quàm in sua conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur. Sed à principio perfectus, à principio, inquam, plenus fuit Spiritu Sapientiæ, & Intellectus. &c.* Sic Bernard.

Conceptio Christi admirabilis.

Dei Filius in utero Virginis Vir fuit perfectus in Sapientia.

Hinc S Greg epist. ad Quirin. l. 9. c. 61. de eadem Humanitate à Spiritu S. sanctificata, donisque omnibus gratuitis in primo Incarnationis momento exornata, sic loquitur: *Unctus est Christus oleo Spiritus S. sed præ consortibus, quia nos priùs peccatores existimus, & post unctione Spiritus S. sanctificamur: Ipse autem ibi ab eodem Spiritu unctus est, ubi conceptus. Nec ante conceptus, & postea unctus, sed concipi de Spiritu S. ungi fuit.*

6. Eodem Conceptionis puncto Humanitas illa sacrosancta Divinam clarè contemplata fuit essentiam, simulque Christus Comprehensor, ac Viator extitit, ut loquuntur Theologi. Audiendus hic Richar. de S. Victore lib. 2. de Emm. cap. 23. Qui cùm docuisset mel quoddam cœleste è cœlis, à Patre nimirum, & Spiritu S. depluens, quo in hac vita adhuc degens Christus nutriebatur, beatitudinem illi fuisse, mox addidit: *Certè ab ipsa hora Conceptionis Christus repletus est totius dulcedinis, & suavitatis plenitudine. De hoc torrente voluptatis cæteri potantur sed in patria, iste hoc ipso potatus est etiam in peregrinatione sua: ille torrens voluptatis ejus usibus cessit; Et mirum quomodo homo unus, imò puer parvulus totum absorbere potuit. Sed ut adhuc mireris, iste de quo loquimur parvulus, qui nobis est datus, melleâ quidem & supercœlesti dulcedine priùs est cibatus, quàm natus.* De hac cœlestis fortasse beatitudinis fruitione, dum adhuc inter mortales degeret in Persona Regij Vatis gloriabatur Psal. 15. *Providebam Dominum in conspectu meo semper.*

Christus in hac vita Comprehensor & Viator simul, clarè Deum vidit.

7. Videte quæso, quam novus, quam admirabilis, plenusque miraculis sit hic Mundus sacrosanctæ Christi Humanitatis, unico illo verbo Virgineo, *Fiat*; Divino illi quam simillimo fabricatus? Iam minimè sanè mihi mirum accidet, cùm Deiparam nostram potentissimam, in cujus utero novus hic Mundus humanitatis est conditus, audiero à S. Damasceno, *Officinam*; à Petro Damiani Cardinali, *Abyssum miraculorum*; à S. Ildephonso lib. de Virginit. B. V. c. 11. *Omni miraculo mirabiliorem, omni opere potentiorem, omniq; signo, ac prodigio augustiorem*, nuncupari.

Christi Humanitas Mundus quidã est, miraculis plenissimus.

B.V. Officina, & Abyssus miraculorũ.

B.V. omni Miraculo mirabilior.

8. Hæc nimirum sunt illa magna; quæ sibi Spiritus S. virtute potenti, DEUM, qui à se potens est, fecisse gloriabatur in suo Cantico Virgo nostra: *Fecit*, inquiens, *potentiam in brachio suo.* Quæ verba D. August. tom. 9. super Magnif. expendens, ait, potissimum de augustissimo Incarnati Verbi mysterio in utero Virginali, Spiritus Divini ope, operaque peracti, atque adeò de novi hujuscé, ac

planè

planè Divini Mundi creatione, quâ nihil unquam majùs, nil mirabiliùs Virginea fuit architectatâ potentia, intelligenda esse; *Magnum fuit*, inquit S. Doctor, *vt Virgo sine virili semine Filium conciperet. Magnum fuit, vt DEI Patris Verbum, carne suâ indutum vtero gestaret. Magnum fuit, dum se Ancillam confessa esset, vt Mater fieret Plasmatoris. Ideò dicit Magna, quia mysterium Incarnationis Verbi super omnia constat esse ineffabile. Nihil enim unquam majùs mirum factum est, quam vt DEVS fieret homo, & Natura incomprehensibilis corporis substantiam sibi sic uniret, vt nec minùs in ea esset, quàm in se erat, immensa, nec major in se extiterit, quàm in illa fuit creata. Hæc ergò sunt Magna.* Imò dicamus nos adeò magna, adeò miranda, ut humana mens ea, nec capere, nec lingua tam admirandam creationis seriem eloqui ullo modo valeat.

Incarnatio Res Magna.

9. Eandem DEI Omnipotentiam in Virgine prædicavit Hugo de S. Vict. lib. in Magnif explicans Magna illa, quæ in ea Dominus perpetravit summâ totius Orbis admiratione: pòstquam enim eadem illa præmisisset, quæ Augustinus, hæc attexuit: *Sed hæc omnia si magna sunt, impossibilia tamen non sunt, à quo facta sunt, quia potens est. Et ideò fecit mihi magna qui potens est, & singulariter magna, quia singulariter potens. Propterea non ait, hoc vel hoc potest; sed potens, inquit, est, vt omnipotentem intelligas, qui absolutè potens dicitur, quia omnia potest. Potentiam ergo confessa est, nec ampliùs dixit, quia credi potest ejus potentia, quia est, sed quanta sit, aut qualis, comprehendi non potest. Iccircò solùm confessa est, potentiam discutere non præsumpsit, quia sciri non potest, quanta est, de qua verissimè scitur, quia immensa est. Eant ergo nunc, & de suo sensu glorientur, qui opera Divina, ratione se putant discutere, & ejus potentiam sub mensura coarctare.* Sic ille de ineffabili atque humanæ menti incomprehensibili DEI Omnipotentia, quam in fabrica Humanitatis Christi velut admirabili Microcosmo in utero Virginis exeruit.

Potentia Dei immensa, incomprehensibilis.

10. Quis enim capiat? quis edicat Mundũ hunc simul parvulũ, simul quoq; esse posse magnũ; parvulũq;, ac magnum Dominum à Virgine nostra nihilominùs fuisse magnificatum? cui unquam hujusmodi miracula, ac prodigia audire? cui res tam inter se pugnantes componere licuit? Hæc antitheta tam admiranda præclarè inter se combinavit Albertus tract. super Missus est: *Dominus IESVS Christus*, inquiens, *in Incarnatione factus est magnus, & parvus, quia factus est DEVS & homo. Magnus, in quantum DEVS, parvus, in quantum homo respectu Divinitatis. Vna igitur eademq; persona magnificata, & parvificata est. Magnificentia hæc à Deitate: parvitas autem, sive exinanitio ab humanitate, quia Diuina natura non habet, quo crescat. Quod autem persona dicitur exinaniri, non habet ratione Divinitatis. Est autem parvificatio sive exinanitio, non naturæ diminutio in aliquo, sed cum inferiori unio: sic & Magnificatio non est natura extra metam propriam elevatio, sed cum summa natura personalis conjunctio. Erit itaq; magnus nobilitate, dignitate, virtute, potestate, famâ, novitate.* Quæ omnia cum eximius Doctor, sacrarum literarum comprobâsset testimonijs, ostendit tandem magnum fuisse Christum in quantum homo, discursu facto per omnia Aristotelis Prædicamenta. *Magnus erit*, inquiens, *secundùm omnem modum: Magnus secundùm substantiam, quia DEVS. Magnus secundùm Quantitatem, quia Omnipotens. Magnus secundùm Qualitatem, quia summè bonus DEVS. Magnus secundùm Relationem, quia Filius DEI. Magnus secundùm Quando, qui Æternus. Magnus, secundùm Vbi; quia Vbiq;. Magnus secundùm situm, seu positionem, quia cœlum illi sedes est, terra scabellum pedum ejus, sedetq; super Cherubin & ambulat super pennas ventorum; sedet ad dexteram Patris, & adstat nunc vultui ejus, pro nobis. Magnus secundùm Habitum, quia vestimenta ejus sunt candida super nivem; quia fortitudo & decor indumentum eius, indutus enim decore præcinxit se virtute, conscidit saccum suum & circumdedit se lætitiâ. Magnus quoq; in Actione, quia, vt principio Deus creavit cœlum, & terram; hoc est in Filio, quem genuit, in quo omnia creavit, recreavit, iustificavit, glorificavit. Item opera fecit, quæ nullus alius fecit, & opera, quæ ipse fecit, testimonium perhibent ei, quia magnus Filius magni DEI. Magnus quoq; in passione, ipse enim novissimus virorum, vir dolorum, & non fuit dolor similis dolori eius. Sic igitur patet qualiter Parvulus secundùm omnem modùm magnificatus est.* Hactenus Albertus.

Quomodo Dei Filius per Incarnationem Magnus & Parvus fit.

Christus Magnus secundùm omnia Prædicamenta.

Deus Pater Filio velut Principio creavit cœlũ, & terram.

En vobis mirabilia, Virgineo illo verbo, *Fiat*, atque incomprehensibilia perpetrata, en vobis parvum magnumque Mundum tenellæ Virginis comprehensum utero. Quis igitur potentiam DEI Matris, Patris æterni omnipotentiam

æmulantis in tantorum prodigiorum molitione non admiretur atque obstupescat?

11. Admiratus est potentiam hanc S. Basilius Seleuciæ Archiepiscopus orat. 39. cùm de Filij Dei Incarnatione loquens: *Videtis*, inquit, *quantum per ipsam peractum sit mysterium, quod omnem linguam cogitationemq; transcendit? Quis ingentem Deiparæ potentiam non miretur?* Iure merito ingentem Deiparæ potentiam vocitat S. Antistes, utpotè proximè ad illam Patris sempiterni accedentem. Nec immeritò dicere possemus potentiam hanc, unam illam extitisse gratiam, quam Virgo invenit, attestante Gabriële, apud Deum. Hanc jam memoratus Albertus dixit, fuisse multiplicem, colligitque ex illo, *Apud*; fuisse Deo quam vicinissimam, quamq; simillimam: *Invenisti*, inquit ille, *gratiam increatam, & in illa, & cum illa omnem creatam, venerunt enim tibi omnia bona pariter cum illa. Hæc autem omnia invenisti apud DEUM. Apud dico, propinquissimâ similitudine, dignitate, familiaritate, naturâ, veritate. Et hoc apud DEUM Creatorem* (quem nimirum, in omnipotentia illa, quâ Mundum condidit imitata es) *recreatorem, justificatorem, & glorificatorem.* Unde idem Albertus ait, à Deipara genitum Christum non spermaticè; non seminaliter, *sed conditivè, seù crealiter per Spiritum S. Etsi enim non fuit purè creatio, est tamen illa proprietas, & similitudo creationis, quia fuit subitò & immediatè à DEO, quæ non indiget materia.* Ex quibus tanti Doctoris colligimus verbis, Deiparam Verbi Incarnatione, seù sacratissimæ Humanitatis, quæ Mundus quidam fuit, formatione, summum Mundi Conditorem fuisse æmulatam.

B. V. Potentia ingens.

Gratia illa, quam invenit B. V. apud Deum fuit multiplex, & Deo ipsi simillima.

B.V. Christum genuit conditivè seu crealiter, suâ potentiâ quasi infinitâ.

12. Neque verò mirum nobis videri debet, cùm Christi Humanitatem Mundo conferri intelligimus; si enim tam veteres, quàm recentiores Philosophi quemvis hominem Microcosmum, Minorem Mundum appellârunt, quod omnes Entis creati gradûs in sese complecteretur, nimirum essentiam communem, cum cœlis, ac Elementis; animam vegetativam, communem cum plantis: sensitivam, cum animalibus; intellectivam cum Angelis: quantò magis Augustissima Humanitas Christi Personæ associata Verbi, in qua, perfectione longè eminentiori, omnes illi entis creati gradûs, atque adeò creaturæ velut in quodam magno Mundo continentur, quàm in se ipsis sint, siquidem earum nonnullæ expertes cùm sint vitæ, in Verbo illam reperiunt, attestante Ioanne: *Quod factum est, in ipso vita erat*; quantò, inquam, magis Humanitas Salvatoris magnus, novusque Orbis erit appellanda?

Humanitas Christi Microcosmus.

Humanitas Christi Magnus & novus Mundus.

13. Hanc fortassis ob causam S. Cyrillus Humanitatem Christi vocat Civitatem, cujus appellationis causam reddit S. Hilarius: *Civitatem*, inquiens *carnem quam assumpserat, nuncupat, quia, ut Civitas ex varietate, ac multitudine civium consistit inhabitantium, ita in eo per naturam suscepti corporis, quædam universi generis humani congregatio continetur.*

Humanitas Christi Civitas quædam.

14. Hinc Clemens Alexandr. lib. 5. Strom. circa initium cùm antiquæ legis vestis Sacerdotalis, de qua Salomon Sap. 18. *In veste poderis, quam habebat, totus erat Orbis terrarum*; exponeret mysteria, dixissetque: *Pontificis autem vestis talaris est signum Mundi sensilis*; tandemque gemmarum, quæ in superhumerali, atq; rationali continebantur, & tintinnabulorum factâ explicatione, quibus annos, dies, Solem, Lunam, reliquosque Planetas significari censuit; mox subtexuit; Veste illa, Humanitatem nostram denotari, quâ Dei Filij velata Majestas, ad Orbem redimendum, innovandum, & ad instar Atlantis sustentandum, novo quasi conclusa Mundo, adventavit: *Aiunt*, inquit ille, *indumentum, vestem, inquam, talarem prædicere carnis susceptæ dispensationem, per quam in Mundo visus est propinquiùs.* Quod si Sacerdotalis illa exterior vestis, Orbem universum repræsentabat, consequitur clarè Humanitatem Salvatoris, novum quendam mundissimumque extitisse Mundum, perfectionumq; creaturarum omnium absolutissimum compendium.

Humanitas Christi est Vestis Sacerdotalis, in qua descriptus erat Mundus.

15. Quod si finem etiam spectemus, ob quem Summus Sacerdos Poderem illum, in quo erat descriptus Orbis terrarum, gestabat, reperiemus sanè eundem pulcherrimam Humanitatis Christi figuram extitisse. Scribit enim Philo Hebræus lib. 6. de Monarchia, Summum Sacerdotem, Mundum in veste descriptum gestantem, meminisse debere, Mediatorem se esse Mundi, apud Deum, quem pro toto genere humano deprecari, eique pro tot creaturarum benefi-

Sacerdos summus antiquæ legis Orbem in veste sacrificaturus gestabat, ut sciret se pro Mundo apud Deum esse Intercessorem.

cijs,

cijs, quæ nobis cœli, terra, reliquaque Elementa assiduè proferunt, gratias agere; meminisse tandem vitâ, moribusque rectè ordinatis, Mundi ordinem, consensum, harmoniamque in se repræsentare oportere. Quæ sanè omnia Summus Sacerdos, noster secundùm ordinem Melchisedech, humanitatis nostræ veste circumdatus abundè præstitit. Ipse enim Mediator Dei & hominum fuit, ut ait Apostolus. Ipse in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Hebr 5. Ipse peracta cœna usus creaturarum, Patrisque in primis liberalitate, hymno dicto exivit in montem Olivarum. Ipse denique voluntatis suæ conformitat, cùm illa Patris æterni, subjectioneque Humanitatis, ad Divinitatem; appetitus sensitivi, ad rationalem, Mundi pulcherrimum concentum, benevolentiamque partium Vniversi sese invicem complectentium, ad vivum in se expressit.

Poderis mysteria.

Humanitatis Christi cum Divinitate, Appetitus sensitivi cum rationali mirus cõcentus.

16. Sed, ad potentiam Virginalem brevissimo illo, *Fiat*, comprehensam contemplandam revertamur. Quæ sanè infinitæ cujusdam sit virtutis necesse est, utpotè quæ res tam inter se distantes, qualis Devs est, & Homo, simul, unione tam arctâ, qualis est Hypostaticâ, vincire atque copulare potuerit. Quod argutè B. Albertus Magnus jam memoratus eodem Tract. super Missus. tali comprobavit argumento: *Coniungere ea quæ sunt infinita distantia, est virtutis, & potentiæ infinitæ. Eiusdem autem virtutis est operari conceptionem & unionem, quæ simul fiunt in uno. Sed in unione DEI, & Hominis substantiæ, infinita distantia sunt coniuncta. Fuit igitur hoc à virtute infinitâ, igitur non creata, quæ infinita esse non potest.* Cùm igitur Virgo Sanctissima ad hujusmodi unionem tam distantium extremorum, & voluntatis consensu, & purissimi sui sanguinis, visceru mque subministratione Spiritui Divinissimo fuerit cooperata, potentiam sanè quandam, virtutemque infinitam eam nancisci oportuit. Si enim magna censetur virtus, & potentia Summi totius Orbis Architecti, quod quatuor Elementa, inter se pugnantia in corpore humano combinârit; major quod eadem materialia cùm sint, sibique invicem contraria, Spiritui creato, animæ nimirum rationali, in hoc mortali corpore unire potuerit: Quantò major infinitaque propemodum virtus Virginis existimanda est, cum suo illo, *Fiat*, effecit, ut Humanitas Christi sacratissima materialibus composita Elementis Spiritui Increato, Personæ, scilicet, Divini Verbi, adeò arctè uniretur, ut Deus Homo, & Homo Devs, inauditâ hactenus fieret metamorphosi!

B.V. coniungendo extrema infinitè à se distantia, infinitam quandam omnipotentiam ostẽdit.

Vnio corporis ex elementis inter se pugnantibus compositi cum anima rationali, indicat potentiã infinitam.

17. Neque verò solùm in hoc novo Humanitatis Christi condendo Mundo Virgo gloriosissima summam manifestavit Potentiam, verùm etiam sui Creatoris facta Imitatrix, manifestavit & Bonitatem, quæ cum naturâ suâ diffusiva atque communicativa sit, pronunciato benedicto illo, *Fiat*, sese mox quam effusissimè communicavit, sanguinem proprium, ac purissimum, spiritûs omnes, ac viscera, ad novi hujuscé Mundi, in quo Divina Majestas domicilium, thronumque suum fixura erat, creationem liberalissimè subministravit. Vnde Albertus Magnus; *B. V. largissima*, inquit, *fuit; quia DEO dedit Mundum*, innovatum videlicet, *vel Humanitatem, quæ ad instar erat Mundi; & homini in Mundo Regnum cœlorum & ipsum DEVM. Et sic patet, quod B. V. in summo habuit Largitatis benedictionẽ, quæ nimirum reperiebatur in tribu Dan.*

B.V. in Incarnatione Verbi suam patefecit Bonitatẽ.

B.V. liberalitas erga Verbũ Incarnatum.

18. Manifestavit denique in novi hujuscé Mundi creatione Virgo Deipara, cœlestem æmulando Patrem, eximiam etiam quandam Sapientiam. Ad imperium enim Virginis duo extrema infinitâ, & locorum & temporum intercapedine, à se dissita; Primum nimirum atque Vltimum illicò, incomprehensibili quâdam ratione uniuntur. Vnitur, inquam, Verbum primum omninò creaturarum omnium Principium: *Principium, qui & loquor vobis*, ajebat ipse de se Christus, *Principium*, inquam, *per quod facta sunt omnia*. Ioan. I. Et rursus, *Ego sum Alpha*. Apoc. I. Vnitur inquam Verbum Humanæ Naturæ, quæ in illo magno sex dierum opere, ultima, ac postrema creaturarum omnium fuit condita. Atque ita factum, ut increatæ illius Sapientiæ Parens potentissima attingeret à fine, usque ad finem fortiter, duo inter se distantissima uniendo extrema omniaque suaviter disponeret, Spiritu illo, qui super mel est dulcis, cooperante, Humanitatem Divinitati, velut Sponsam, in uteri sui Virginalis thalamo, amicissimè sociando.

B.V. in Incarnatione suam patefecit Sapientiã, Primum cum Vltimo sociãdo.

19. O Po-

19. O Potentiam Virginis admirandam, ò Virtutem planè Divinam, illi Patris æterni persimilem, ac germanam! Hanc D. Bernardinus Senensis attentiùs contemplans Tom. 4. ser. 6. c. 11. cùm de privilegiorum Stellis Virgineum Deiparæ verticem coronantibus dissereret, memorabilem æquè atque admirabilem pronunciavit sententiam: *Sola benedicta V. M. plùs fecit DEO, vel saltem tantùm, ut sic dicam, quantùm fecerit DEVS toti generi humano. Credo enim certò, quod mihi indulgebit DEVS, si nunc pro Virgine loquar.* Prosequitur deinde creationis seriem Microcosmi, Hominis videlicet, cujus formatio sicut totius Vniversi, Patri æterno à SS. Patribus attribui consuevit, ostenditque in Humanitatis velut parvi, novique Mundi creatione Virginem Deo Patri quam simillimam, imò si ita loqui fas, aliquo modo superiorem. *Congregemus*, inquit Pater Seraphicus, *quæ DEVS homini fecit, & consideremus, quæ Maria Virgo Domino satisfecit. Primò, namq; DEVS formavit hominem, de limo terræ, sed Maria formavit eum de purissimis sanguinibus suis, deq; purissima carne sua, quæ rebus omnibus Mundi prævalet. 2. Impressit DEVS decorem imaginis suæ. Sed gloriosa MARIA impressit in eum imaginem suam. Nam sicut ipsa pulchrior erat omnium fœminarum; sic IESVS est pulchrior formâ & speciosior præ filijs hominum. 3. Fecit DEVS hominem sine passionibus famis, sitis, frigoris & consimilium. Sed sedula Mater IESV, & præ cunctis hominibus pia, omnibus passionibus eius occurrebat; fami scilicet, siti, nuditati, frigori, calori, sicut status pauperrimus exigebat, & hoc cum maxima patientia sua. 4. Vestiuit DEVS hominem, pelliceâ veste. Sed Virgo benedicta vestiuit eum in præsepio, suis panperculis pannis, & processu temporis tunicam ei inconsutilem fecit, quæ omnibus mūdi vestibus prævaluit. 5. Docuit DEVS hominem Sapientiam; sed sapientissima, & prudentissima Virgo Maria docuit Christum puerilia aliqua fugere, & sequi eam. 6. Nutriuit DEVS hominem de fructibus Paradisi, sed B. V. nutriuit Christum suo sacratissimo lacte, ubere, de cœlo pleno, cuius minima stilla prævalet omnibus fructibus Paradisi terrestris, ac totius Mundi. Reddendo igitur singula singulis, scilicet, quæ fecit DEVS homini, & quæ DEO B. V. fecit, videbis quod plùs fecit MARIA DEO, quàm homini DEVS.* Sic Sanctus, amoris in Virginem solito abreptus æstu.

B.V. mira potentia ostensa in Incarnatione Verbi.

B.V. plùs præstitit Verbo Incarnato, quā Deus homini.

Mira B.V. in Verbū Incarnatū benignitas.

Lactis B.V. minima stilla valet plùs quam omnes fructus Paradisi, terrestris, ac totius Mundi.

20. Ad alium jam novum Mundum unicò Virginis verbo fabricatum considerandum veniamus. Vidisse visus est novum hunc Mundum Ioannes Evangelista, mentis, Divinâ luce, irradiatis oculis, cùm dixit: *Vidi cœlum novum, & terram novam.* Ap. 21. Quid enim est aliud novum hoc Cœlum, nova hæc terra, quàm Virgo Deipara? Quæ semetipsam quodammodo, benedictum illud, *Fiat*, pronunciando, cœlum quoddam, hoc aspectabili longè capaciùs, ac venustiùs; Terram ampliorem longè hac, fœcundioremque creavit, cùm immensum illud incomprehensibileque Verbum, quod totus non capit Orbis, uteri sui Virginalis comprehendit angustijs.

B.V. Cœlum novum, & Terra nova.

21. Quare jure meritò S. Epiphanius lib. de laudib. Virginis eam *cœli, terraq; inhabitata appellauit Mysterium*, quia nimirum universorum Conditor in illa, velut Mysterijs, arcanisque plenissimo quodam cœlo, ac terra, eminentissimam ejus, cœlestemque perfectionem humilitatemque suspiciens, longè jucundiùs, quàm in hac rerum Vniversitate, quæ Mundi nomine vocitatur, inhabitare, audito illo humillimo Verbo, *Fiat*, non est dedignatus. Vnde de sinu Patris illicet, velocitate, ac impetu avulsus admirabili, in sinum descendit Virginis, ad instar tramitis illius Aquæ immensæ de fluvio Paradisi, ad instar aquarum illarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano, corde videlicet Patris; quod verè Libanus quidam est, ac candidatio, quâ animę fidelium ad æternam gloriam candidantur.

B. V. est cœli & terræ inhabitatæ Mysteriū.

Cor Patris æterni Libanus

22. Agnovit & S. Ildephonsus Archiepiscopus Tolet. magnam hanc Dei Matrem, Mundum quendam novum esse, Mundum planè admirabilem mysterijs, miraculisque compositum, cùm lib. de Virgin. B. V. cap. 8. dixit, quod quemadmodum Mundus hic ex nihilo creatus fuit, ita Mundus Virgineus ex miraculis rebusque singularibus nunquam visis, nunquam auditis, ut objectū quoddam perennè foret admirationis: *Sicut totum*, inquit ille, *fecit ex nihilo, ita faceret ex inauditis hoc solùm Opus, quod semper esset in miro.*

M. est Opus Dei factum ex inauditis, ac insolitis, ut semper esset admirabile.

23. Agnovit Richardus à S. Lauren. lib. 7. Deiparam nostram cœlum, & terram, atque adeò Mundum à Deo inhabitatum esse in verbis illis Genes. cap. 1. *In principio creavit DEVS cœlum, & terram*, utpotè primarium Opus Dei, in quo

quo sibi singulariter complacuit, quodque suâ complere dignatus est præsentiâ: Vnde gloriabatur ipse Vniversorum Dominus Ierem. 23. *Cœlum, & terram ego impleo;* hoc est, ut idem ait Richard. *Animam & Corpus Mariæ.* Et David Ps. 102. *Dominus in cœlo paravit sedem suam;* in utero videlicet Virginis thronum, ope, operaque Magni illius Artificis Spiritus Divinissimi, ad deliciandum cum filijs hominum sibi præparavit.

Cœlum, & terra sunt Anima & Corpus Mariæ, quod Deus implevit.

M. est terra à Deo possessa.

Hæc est Terra illa cujus possessionem peculiari quâdam ratione sibi Devs assumpsit, canente Propheta Regio Ps. 23. *Domini est terra, & plenitudo ejus, Orbis terrarum.* Vnde ipsamet Virgo glorians, dicebat Prov. 8. *Dominus possedit me initio viarum suarum.*

24. Agnovit denique Ord. Seraph. Ioannes Hondemius, qui circa annum 1350. vixisse memoratur, agnovit, inquam, gloriosissimam Virginem Mundum cœlestem, & sublunarem esse: ipsamque solam difficillimam illam quadrandi Circulum reperisse scientiam, dum humillimo illo, artificiosissimoque suo, *Fiat,* Circulum illum immensum Naturæ Divinæ, in utero suo purissimo quodammodo quadravit, effecitque, ut lapis fieret angularis, hoc est, Devs homo, faciens utraque unum, Naturam humanam uniendo, cum Divina; quæ in hac incomprehensibili prorsus unione, nil penitus de immensa illa deperdidit capacitate quam habebat, dum in sua apud Patrem esset Sphæra Divinitatis. Sed ipsius Hondemij gratiosam planè Poësim audiamus:

B.V. in utero suo quadravit Circulum Divinitatis.

M. Dei Paradisus, ipsum continens.

M. Divinũ Centrum, & Spæram in se continet.

Vt Aurora Virgo progrederis
Solem tenens, Cœlum efficeris,
Paradisus pradignè diceris
Cùm hunc vita Fructum protuleris.
Solem verum dum sinu retines,
Dum regyras, moves & sustines,
Omni cœlo tu quia praemines
Centrum, Sphærã claudis, & contines.
Linearis rerum creatio
Circulatur, & fit perfectio
Cùm extrema commodatur unio,
Tuo Virgo vernanti gremio.
Artem nosti quadrantem Circulum,
Quẽ quadrasti carnis quadrangulũ,
Sphæra DEI dans per miraculum
Sanciatum sanando seculum.

25. Avet quisperspicere, quânam ratione æternum imitando Patrem unico verbo, *Fiat,* condentem universa, effecta Virgo sit Firmamentum, ac Cœlum? Consideret, quod simul, ac sese Divinæ conformavit voluntati Deipara: *Ecce,* inquiens, *Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum:* mox omnipotens æternumque illud Verbum in ejus descenderit uterum, atque ita animatum illud Cœlum, illius Dei viventis, qui apud Isaiam loquebatur: *Cœlum mihi sedes est;* Solium effectum est. Verba enim illa Deiparæ, auras, nubila, planetarum Orbes, omnesque penetravêre cœlos, ad cœlum usque Empyreum, ad Sinum usque pervenêre Patris ad instar suavissimi odoris nardi, Deique Filium de sede Patris, in sinum Virginis pertraxerunt, eamque cœlum quoddam Virgineum, spiransque effecêre. De hac suorum verborum suaveolentia ajebat Virgo Sanctissima Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum.* Quæ verba mellifluus trutinans Bern. Ser. 42. in Cantica sic exposuit: *Ac si voce Maria dicat: Nullius mihi meriti conscia sum ad tantam dignitatem, nisi quod respexit DEVS humilitatem Ancillæ suæ. Nam quid est aliud: Nardus mea dedit odorem suum, quam placuit mea humilitas? Non mea, inquit, nobilitas, non mea sapientia, non mea pulchritudo, quæ nulla erant mihi, sed quæ sola inerat humilitas dedit odorem suum, id est, solitum. Solito placet DEO humilitas, solito planè atque ex consueto: Excelsus Dominus & humilia respicit. Et ideò dum esset Rex in accubitu, id est, in excelso habitaculo suo, illuc quoq; humilitatis odor ascendit. Accubitus Regis Sinus est Patris, quia semper in Patre Filius.* Odoratus igitur supernus omnium Rex suavissimum Virgineæ humilitatis odorem, à supremo cœlo, Sinuq; Patris egrediens, in Sinu Virginis velut lucidissimo cœlo resedit. Hic sanè cum eodem Bernardo exclamare libet: *O magna humilitatis Virtus, cui etiam Deitatis Majestas tam facilè sese inclinat.* Serm. 43. Majestas, inquam, illa, quam Sibylla sic loquentem introducit lib. 1. Sibyll. Ora. lib. 8. Bibliothecæ Patrum:

B. V. verbo suo, Fiat, effecta est Firmamentũ, & Dei Solium.

Verbum Virgineũ, Fiat, suavissimi odoris Nardus.

Nardus suavis, est humilitas B. Virginis

Accubitus Regis cœlestis, est Sinus Patris æterni.

Humilitati B.V. ipsa Dei Majestas se facilè inclinavit.

Porrò ego sum, qui sum (memori quod mente teneto)
Cœlum vestitum præbet mihi; Pontus, amictum,
Terra mihi fulcitq; pedes, & corpus amicit
Aër, astrorumq; Chorus me circuit omnem.

Dei magnitudo immensa.

Cœlum hoc Sanctus contemplans Epiphanius loco jam citato ipsius penetrans mysterium, ejusque contentum, ipsam Dei, scilicet, Majestatem, venerabundus illud salutavit: *Ave splendidum*

B. V. Cœlum splendidum. *Cœlum quæ cœlis incomprehensum contines DEVM.* Et ne nobis mirum videretur, quod DEIPARAM tam inclyto decorârit nomine, mox rationem subtexuit: *Vbi enim Christus est, ibi Cœlum.*

Vbi Christus, ibi Cœlum.

26. Videre quis cupit, an Virgo, cœlestem æmulata Patrem dicentem: *Fiat lux, & facta est lux;* lucem in suo cœlo condiderit? Consideret ipsam in lucem quandam pulcherrimam fuisse transmutatam, ubi primum consensum præbens Angelo, fœlicissimum illud pronunciavit, *Fiat.* Ex qua deinde luce Sol Iustitiæ sempiternus, Humanitas videlicet sociata Verbo, efformata fuit. Siquidem SS. Patrum nonnulli ex luce illa initio Mundi condita, Solem generatum asseruerunt. Vnde Richard. à S. Laurent. lib. 7. de laudibus Virgin. *Maximè,* inquit, *Maria facta est lux in Conceptione Salvatoris; Filio DEI, qui est lux æterna, converso ad eam. De qua conversione ipsa Virgo Cant. 7. Ego Dilecto meo, & ad me conversio ejus.* Nimirum Luna etiam est DEIPARA, quæ Sole ad eam converso illuminatur. Hanc DEIPARÆ in lucem transformationem admirabilem considerans Epiphanius jam citatus, admiratione plenus, exclamavit: *O Virgo Sancta lucis æternæ Mater, lucis, inquam, quæ in cœlis copias Angelorum illuminat.* Vnde dignitatem eminentissimam Divinæ Maternitatis in ea cognoscens, supplex eandem veneratur: *Ave quæ in lampade lucem inextinguibilem gestas.* Eandem DEIPARAM lucis sempiternæ parentem lucidissimam agnoscens Chrysippus Presbyter Hierosl: consalutavit: *Ave Solis Ortus, qui nullum ferre potest Occasum.* Virgo enim in Christi conceptione, ceù nova quædam Aurora, absque ulla tenebrarum admixtione, Orbi illuxit, diemque fœlicissimum humano generi auspicata est. Vnde B. Alcuinus ser. de Nativit. *Sicut Aurora,* inquit, *rutilans ò Maria, veri Solis splendorem præcessisti, vt verè diem salutis; diem propitiationis à tua claritate initiare dignum fuerit.*

B. V. suo verbo, Fiat, in Lucē transmutata.

B. V. in Incarnatione facta est Lux.

B. V. Lucis æternæ Mater.

B. V. Aurora rutilans.

27. Hæc nimirum est figurata illa Regina Esther, de qua Esth. c. 10. legimus; *Parvus Fons in lucem, Solemq; conversus est.* Erat Virgo DEIPARA parvus Fons in oculis suis, imò quædam aquæ Stillula, cùm dixit: *Ecce Ancilla Domini.* At ubi primùm edixit: *Fiat*, in Lucem, Solemque, mirabili prorsus conversa est metamorphosi.

B. V. parvus Fons in Lucem, Solemque conversus.

28. Videre quis cupit, an *Fiat* Virginale DEIPARÆ simile sit illi Patris æterni, quo pulcherrima illa Mundi ornamenta, Solem, Lunamque condidit? *Fiant*, inquiens, *Luminaria in Firmamento.* En vobis illam ad omnipotens verbum illud suum *Fiat*, in Solem quendam admirabilem, prodigiosumque transformatam adeò, ut dilectus Christi Discipulus tam admirabilem contemplans metamorphosim, perinde, ac ingens quoddam miraculum conspexisset, ac prodigium dixerit Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta Sole.* Quæ verba considerans Cælius Pannonius: *Tunc*, inquit, *amicta Sole fuit, quando virtus Altissimi eam obumbravit, illumq; intra vterum concepit, qui intra omnia, extra omnia super omnia, & infra omnia incomprehensibilis fuit.* De hac Virginis in Solem Iustitiæ Christum ineffabili transmutatione præclarè D. Bernardus serm. de Verbo. Apoc. *In te manet Sol Christus, & tu in eo, & vestis eum, & vestiris ab eo. Vestis eum substantiâ carnis, & vestit ille te gloriâ suæ Majestatis. Vestis Solem nube, & Sole ipsa vestiris.*

B. V. suo Fiat, in Solem, & Lunam transmutata.

M. Mulier amicta Sole.

29. Similiter eodem verbo, *Fiat*, pronunciato in Lunam plenam in diebus suis lucentem, transformatur. Solis enim illius æterni in Incarnatione recipiens radios, amabilissimâ repleta est luce. Cui sic unita, & Orbe illius, immenso contecta, quia omnem lucis haustum, (quod de Luna hac aspectabili dixit Plinius) in illum refundebat, à quo acceperat, adeò semetipsam humiliavit, parvique fecit, ut quodammodo nihilum videretur: deque illa similiter illud ejusdem Plinij dici posset: *Nunc immensa Orbe pleno, & repente nulla;* Atque ita DEIPARA luminare minùs, quod minuitur in consummatione, in lucis nimirum, Divinorumque donorum perfectione, æternum in se recipiendo Verbum, facta est. Nónne videbatur DEIPARA immensa fuisse Orbe pleno, perfecta, ac consummata, quando, *Ave gratia plena*, ab Angelo salutata fuit? Nónne repente visa est nulla, cùm eidem respondit Angelo: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum?*

B. V. in Incarnatione in Lunam transformata.

B. V. in oculis suis ob humilitatem nulla.

30. Hoc est illud nimirum Luminare minùs, quod conditum ideò fuit, ut præesset nocti peccatorum, in profundo scelerum somno jacentium. Luminare enim hoc Virgineum ita illis præest,

B. V. velut Luna illuminat peccatores.

præest, ut eos luce suâ illuminet, ut propria peccata agnoscentes, ea detestentur. Quare Innoc. III. Pontifex Max: sapienter hujusmodi admonebat ser. 3. de Assumpt. B. V. *Qui jacet in nocte culpa, respiciat Lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus ad compunctionem illustret; quis enim in nocte invocavit eam, & non est exauditus ab ea? Qui ad diluculum pœnitentia surgit, respiciat Auroram, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus ad satisfactionem illuminet.*

Peccatoribus in nocte culpæ dormientibus recurrendum ad Mariam.

31. Virginem hanc tam repentè mutatam in Firmamentum, in Lucem, in Solem, ac Lunam admiratus Salomon, cujusnam tandem sit naturæ, sciscitatus est? *Quæ est ista,* inquiens, *quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol?* Quasi sibi persuadere non posset eam puram fœminam esse, sed humanâ naturâ longè majorem, excellentioremque. O admirandam Virginalis illius, *Fiat*, virtutem, ac energiam, quo tam pulchrum immensumq; conditum est cœlum, tam venustâ luce, luminaribusque coruscantibus exornatum! Siquidem Virgo, prolato illo suo potentissimo verbo, mox Cœlum, Lux, Sol, ac Luna effecta est. Ad hunc igitur Mundum novellum, ad Virginem hanc respiciens, perculsus admiratione, dicat ejus Filius Ioannes: *Vidi cœlum novum, & terram novam.* Apoc. 21.

32. Terra nova revera fuit Deipara, terra, inquam, illa, de qua canebat David Psal. 66. *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum;* Seu ut legit Tertull. cont. Iud. cap. 12. *Terra nostra dedit benedictiones suas.* Quænam porrò illæ fuerint benedictiones, prosequitur: *Vtiq;*, inquiens, *illa terra Virgo nondum pluvijs irrigata, nec imbribus fœcundata, ex qua homo tum primùm plantatus est, ex qua nunc Christus secundùm carnem ex Virgine natus est.*

Deipara est Terra Virginea.

33. Terra revera Virginea & magis fœcunda, quàm illa Paradisiaca, est Deipara; in eam siquidem illud sempiternæ semper viridans, vernansque transplantatum est Vitæ lignum, Fons, inquam, omnis vitæ, Dei Filius, ut humano generi, scelere Protoplastorum emortuo, vitam redderet. Vnde S. Theodotus Ancyranus Oratione, quam in Concilio recitavit Ephesino, præclarè in laudem illius exclamavit: *O Virgo quæ ipsum vicisti deliciarum Paradisum. ille sine semine, omne plantationis genus protulit, ex Virgine terra ortis plantationibus: Hæc autem Virgo, illa terra melior est, non enim pomorum protulit Arborem, sed Virgam Iesse, Fructum, Salvatorem hominibus afferentem. Et illa terra Virgo erat, & ista Virgo, sed illius quidem arborem nasci præcepit DEVS.*

Deipara Terra Paradisiaca.

34. Hortus verè deliciarum Paradisi est Deipara, in quo illa vera Vitis, operâ Spiritus S. transplantata fuit. Hortum hunc adeò fœcundum, adeò varijs virtutum floribus vernantem, atque amœnum contemplans Sponsus, admiratione suspensus, celebravit: *Hortus conclusus Soror mea, Sponsa, Hortus conclusus.* Cāt. 4.

Deipara Hortus deliciarum Paradisi.

35. Terra denique nova, mediante illo omnipotenti suo, *Fiat*, effecta est Deipara, Terra, inquam, illa, quam tam anxiè cœlesti rore charismatum, donorumque Spiritus Sancti irrigari cupiebat Isaias, quo tandem Florem illum pulcherrimum, Fructumq; suavissimum toti Mundo germinaret Salvatorem: *Rorate*, inquiens, *cœli desuper, & nubes pluant Iustum, aperiatur Terra, & germinet Salvatorem.* Atque ita ex hac Terra benedicta, ac nova, ad illud, *Fiat*, illicò germinavit, ac in lucem prodijt: *Germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus Terræ sublimis* Isa. 4.; effectaq; sunt varia mirabilia, cum totius naturæ admiratione, de quibus præclarè S. Ildephonsus lib. de Virginate B. V. c. 8. *Sicut*, inquit, *in uterum Virginis uteri Factor ingressus, novitatis opus effecit, faciens quod ante non fecerat, licet & faciendum esse prædixerat, ut in admiratione rei, remotâ lege naturæ, hoc fieret, quod & in se natura factum agnosceret, & inde in se fieri hoc posse negaret. Vnde nulla concordia usitatæ rei id fieri posse monstraret.* Tandem alio magis stupendo concludit miraculo: *Ita homo pareret DEVM, ita parturiret Terra Diuinum.*

M. Terra nova germinans Salvatorē.

Miracula in utero Virginis facta cum admiratione Naturæ.

36. Videte quæso, quænam tandem sit hæc nova atque admirabilis Terra, quæ tam nobile, Divinumque Germen protulit? Videte, quam admirabile, novumque sit hoc Cœlum, qualis hæc Lux, Sol, Luna, qualis demum sit hic Virgineus, atque animatus Mundus, qui ad Deiparæ nutum efformatus est? Iure merito eam D. Hieronymus, Cœli, terræque pulchritudinem salutavit. Iam considerandum vobis relinquo, quantâ animi sui voluptate Verbum æternum, tot virtutum radijs, ac splendoribus, tot pulcherrimis variarum perfectio-

M. cœli & terræ pulchritudo.

fectionum floribus, ac fructibus, tot creaturarum venustate Virgineũ hunc, animatumque Mundum exornatum cernens, novem mensibus inhabitâri? Quam Virginei hujuscé Mundi pulchritudinem, contemplans Chrysostomus, mirificè deprædicavit: *MARIA speciosior facta, & est dignior, quàm totus Mundus, quia quem Mundus non merebatur accipere in cubiculo uteri sui sola ipsa suscipere meruit.*

M. specio-sior toto Mundo.

37. Vnde quid mirum, si B. Cardin. Petrus Damian. ser. de Annunc. hujuscé animati Mundi contemplatus delicias, asseruerit DEI Filium, immundo hoc, scelestoque contempto, in quo per peccatum Protoplasti corrupta sunt universa, in illo sibi fixisse domicilium, ibiq; summam perinde, ac in ipso sinu Patris reperisse voluptatem. Vnde uteri hujus voluptates, ac delicias, Spiritum Sanctum admiratum, ait quæsijsse: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens?* Inde per omnes Mundi creaturas facto discursu, exordio ab Angelis desumpto: *Nunquid*, inquit, *in Angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit pravitatem? Nunquid in constellatione, vel scintillatione Stellarum, quarum alia convertuntur in sanguinem, alia cadunt de cœlo, alia in tenebras obscurantur? Nunquid in aëre, vel igne, vel ventis? Nequaquam, quia non in igne Dominus, si verax est ille; non in commotione Dominus, non in Spiritu Dominus. Nunquid in aquis, ubi furens & tortuosus Leviathan immoratur, aut in terra, quæ sub maledicto Adæ spinas emittit, & tribulos?* Tandem his dictis, percursisque omnibus Mundi hujus creaturis, memorabilem illam, pulcherrimamque protulit sententiam: *Non est locus voluptatis, nisi uterus Virginis.* Hic enim solus dumtaxat novus Mundus, est mundus, omni carens corruptione, atque defectu; ac proinde istic majori animi sui oblectatione, ac quiete conquievit, quàm in ipso Paradiso, qui locus voluptatis dicitur, cùm Virgo ipse Paradisus, ipse locus deliciarum DEI sit; de quo innumerabilium gratiarum perfectionum, omnisque Iustitiæ, ac Sanctitatis exundant flumina. Quare jure merito hæc in DEIPARA S. Basilius Seleuciæ Episcop. suspiciens, ser. de Annunc. illam hunc in modum, Gabriëlem imitatus, salutavit: *Ave perpetuò vernans castitatis Paradisus, in quo Vita Lignum plantatum, omnibus Salutis fructum fundit, Fons miserationum fluenta ubertim emittens.*

Vterus B. V. est velut Patris æterni Sinus.

In solo utero Deiparæ, DEI Filius locum voluptatis reperit.

B. V. perpetuò vernans castitate Paradisus

38. Hujus tam exuberantis, sive Fontis, sive Horti emissiones considerãs, Cœlestis ille Spons', mirifico, dulciq; celebravit carmine. Cant. 4. *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri, cum nardo; nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum, cum universis lignis Libani, myrrha, & aloë, cum omnibus primis unguentis.* Quâ tot arbuscularum, fruticumque aromaticorum enumeratione, Rupertus Abbas multiplicem DEIparæ gratiam, perfectionemque humano generi communicatam asserit denotari: *Quidquid*, inquiens, *gratiarum, quicquid virtutum, quicquid operationum cœlestium Mundus accepit, emissiones tuæ sunt. Vt ubi erant priùs spina, & vepres, carduus, & lappa, tribulus, urtica, & paliurus, universitas nequitiarum, ibi sit cyprus, & nardus, & crocus, fistula, & cynnamomum, myrrha, & aloë, Vniversitas gratiarum, iuxta numeri septenarij Sacramentum. Pulchra valdè varietas Paradisi nostri, ubi & altitudo lignorum Libani, & humilitas aromatici germinis spectaculum commune præbebit.*

In B. V. virtutes omnes, & gratiæ.

39. Spectaculum verè pulcherrimum est toti Mundo, in Virgineo hoc Paradiso, altam Divinæ Maternitatis Cedrum, humilitatis nardum, Ancillæ nempè Vilitatẽ contemplari. Hæc nimirum virtutũ varietas hujuscé Paradisi, supremũ omnium Regem cœli, Paterni Sinus assvetum delicijs, ad se pellexit, atq; invitavit, simulque effecit, ut suæ Divinæ pietatis in hanc humilitatis suavissimam Nardum, conijceret oculos, ejusque odore mirificè oblectaretur. *Bonus*, inquit mellifluus Bernardus loco sup. cit. *odor, qui de hac valle plorationis ascendens, perfusis circumquaq; vicinis Regionibus, ipsum quoq; Regium accubitum suavitate respergat.* Tum rationem reddens, cur humilitas Nardo comparetur addit; *Est nardus humilis herba, quam & calidæ ferunt esse naturæ hi qui herbarum vires curiosiùs explorârunt, & ideò per hanc videor mihi non inconvenienter virtutem humilitatis accipere, sed quæ sancti amoris vaporibus flagret.* Fragravit verè atque flagravit Sanctis ijsque suavissimis Divinæ charitatis ardoribus humillimum cor Virginis, quando voluntatem suam cum Divina conformans, Ancillamque se nominans, dixit; *Fiat mihi secundùm Verbum tuum.* Vnde quid mirum, si æterni Patris Vnigenitus sibi tantopere in ejus humilitate, reliquisque virtutibus complacuerit, ut non alium volu-

Divina Maternitas alta Cedrus.

Humilit. est nardus

Humilitas B. V. ardens amore Divino.

voluptatis, deliciarumque locum in hoc Mundo, quam Virginis uterum reperire posse videretur? Quid mirum si tot insignia omnem naturæ ordinem transcendentia in illa perpetrârit miracula; quæ S Ildephonsus insigni planè in Deiparam affectu lib. de Virgin. B. V. c. 8. explicuit, ubi cùm redderet causam, cur ipsa cecinerit: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum Nomen eius.* Mox subjunxit: *Ideò utiq; vt per hanc Virginem DEVS fieret Homo, Verbum fieret caro, & Filius DEI Factor omnium fieret Filius Matris, quam ipse formaverat. Esset q; Dominator nascendo subditus Ancillæ, quam ipse condiderat: Sicq; haberet Ancilla in subdito Dominum, Ancillam Dominus in Prælato. Ita Factorem suum pareret Mater; ita Factor informis materiæ & nouitatis suæ materiam faceret Matrem, atq; fieret ex ea, quam fecerat idem Factor. Vt haberet nascendi Auctricem, cui faciendi Auctor extitit idem, semperq; diversa essent concordantia; dum pro humanis humiliantur Divina; & in Divinis sublevantur humana; Dumq; quod sublime est, cedit humili; & humile dirigitur in sublime. Dum forte infirmatur in humili, & humile roboratur in forti. Dum Fœminam aggreditur DEVS, & profert fœmina Virum.* Ex quo sanè ingeniosissimo Sanctissimi Antistitis discursu facilè perspicere licet, quibus Patris Vnigena, in Virginei uteri domicilio perfruitus sit delicijs, siquidem ibi tam varios Divinæ suæ Sapientiæ, Potentiæq; demonstravit lusus, admirandaque spectacula.

Incarnationis varia Miracula, ac Paradoxa

40. Alios etiam suæ Sapientiæ, Potentiæque eodem in deliciosissimo Virginis utero, veluti quodam cœlesti theatro Incarnatum Verbum lusisse visum est lusus, ut Sanctus insinuavit Augustinus, qui verba illa Deiparæ: *Respexit humilitatem Ancillæ suæ*, Tom. 9. in Magnific. accuratè trutinans, varijs ludit in antithetis, dum ait Naturam humanam Protoplastorum scelere, atque superbiâ perditam, Virgineæ humilitatis beneficio fuisse recuperatam; Substantiam nostram olim abjectam, nunc evectam; Ancillæque humilitatem ad Maternitatis Divinæ sublimitatem exaltatam. Evæ demum arrogantiam despectam, Mariæ humilitatem electam: *Benè Maria*, inquit Sanctus Doctor, *in humilitatem Dominum respexisse testatur, quia Divinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperavit. Nam in ea Verbum Patris, corporis substantiam, quam sibi uniret, assumpsit, quasi ad eam, quam priùs abiecerat Naturam, sublimandam, per misericordiam respexit. Quia se, humilitatis, quod erat, Ancillam cogitavit, ideò quod non erat sublimitatis Mater esse meruit, quia humilitatis ostendit servitutem.* Tum paucis interjectis Evæ, ac Mariæ instituens differentiam: *Eua, inquit, propter superbiam creaturam DEI se esse, & opus Dei non considerans, DEO parificari voluit: MARIA autem suo Factori humiliter se subdens, Ancillam se nominauit. Et iccircò illa abiecta, hæc electa est; Superbam despexit, & humilem respexit, id quod superba perdidit, humilis recepit.* Sic August.

Deiparæ humilitas quantopere exaltata.

M. ab Evâ quam diversa.

41. Hæc nimirum miracula, sunt signa illa, & mirabilia, in quibus lusisse ab initio sæculorum æterna visa est Sapientia. Hæc est signorum illa innovatio, & mirabilium commutatio, quam tantopere Siracides Eccli. 36. tandem aliquando, ut fieret exoptabat, Divinam obtestando Majestatem: *Innoua signa, & immuta mirabilia, glorifica Manum, & brachium dextrum;* in quo fine dubio facturus erat extremum potentiæ suæ. humanitatem nostram ad dignitatem Vnionis hypostaticæ evehendo. Quibus in verbis Cardinalis Halgrinus secretiora investigando mysteria in Deipara, tandem horum mirabilium signorum, dum superbæ opponitur Evæ, reperit innovationem: *Libeat, inquit ille, attendere in hac Sponsa, qualiter primæ Sponsæ opponitur. Prima igitur Sponsa, de costâ Viri sui formata est: Sed de carne huius Sponsæ formatus est Sponsus eius. Vnde dicitur: Innova signa, immuta mirabilia. Mirabile siquidem fuit de costâ Viri formare Mulierem: Immutatio mirabilium est, quod de sola carne mulieris formatus est homo. Cæterum cùm osse Viri formata est caro mulieris, signum fuit quod per mulierem humana infirmaretur Natura. Facta est autem signorum innouatio, cùm de carne mulieris factus est Vir, per quod significatum est, quod per hanc generationem, humana Natura ab infirmitate, reverteretur ad firmitatem.* Hactenus Halgrinus de signis, ac miraculis perpetratis in utero Virginis, mediante Incarnatione Verbi, quod in eo, velut novo quodam Mundo suæ Majestatis, defigens thronum, ac domicilium, non modò tot miraculorum perpetratione, signorumque vario-

Signa & Mirabilia in Incarnatione immutata

M. Evæ opposita.

rum lusu, verùm etiam virtutum Virginearum pulchritudine, tantas expertum est delicias, atque cupedias, ut præ illo, Mundum hunc tanquam immundissimum aspernaretur.

42. Tantæ denique Virgineus hic Mundus, quem DEIPARA suo *Fiat*, potentissimo molita est, extitit perfectionis, ut de hoc tam singulari, ac proprio Divinæ Majestatis opere, dici possit cum Moyse: *Viditq; DEUS cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona* Gen. 2. Valdè, inquā, perfecta, omnibusq; numeris absoluta, adeò ut pfecto huic animato Mundo, nec quidem Laudator defuerit, quem Propheta quidam desiderabat, cùm ab ipso Mundanæ hujus fabricæ quæsitus esset Architecto; quidnam in illa deesse videretur, ut testatur Philo Alexandrinus. Non, inquam, absolutissimo huic spirantique Mundo, huic Cœlo, ac Terræ, à Divina Majestate inhabitatæ, defuit Laudator.

Mundo Virgineo non defuit Laudator.

Omnes enim generationes, quæ ab exordio extitère Mundi, futuræque sunt usq; ad sæculi consummationem, juxta ipsius Virginis vaticinia, laudum ejus præconia deprædicaturæ sunt. Unde Ioannes Gerson Parisinus Cancellar. Tract. 3. in Magn. *Enunciasse*, inquit, *videtur Prophetico spiritu plena Verbigena nostra, quod hoc nomen adiectivum appropriatè sibi, & antonomasticè daretur per omnes generationes, velut nomen epitheton desuper sibi datum, sibi debitum, sibi placentissimum, convenientissimum, ac iucundissimum.* Tum idem Gerson Laudator hujuscé Mundi mundissimi, inter has generationes esse cupiens, exclamat: *Dignare nos laudare te Virgo Sancta, ò terq; quaterq; Beata.* Tandem rationem indagans Discipulus, quam ob causam laudent, & beatam nostram dicant omnes generationes, respondit Gerson: *Ratio iam prætacta est ex fine. Omnes enim generationes sunt affines ei, non qualitercunq;, sed ut matri, debent iccircò cognoscere beneficiorum largitiones, ex ipsa procedere, hæc autem recognitio est sua benedictio. Qua in re dic, quod omnes generationes beatam dicunt Mariam, sicut ad ipsā omnes habent pietatem saltem naturalē, naturalē enim habent amorem omnes generationes ad eam secundùm genus suum post Dominum nostrum Iesum Christum. Dic quod Mater est effecta. Unde ipsamet clamat: Venite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini: Memoria mea in generationes sæculorum, sicut misericordia Dei est à progenie, in progenies timentibus eum. Dic quod generationes hominum degeneres sunt habendæ; quæ Mariam non piè colunt, nec beatam spontaneè recognoscunt. Spontaneè, inquam, quia velint nolint, illam naturali pietate venerantur, & colunt, ut de Dæmonibus ait Iacobus: Dæmones credunt & contremiscunt. Dic præterea, quod ab initio, & ante sæcula creata sit, hoc est, prædestinatā causa, finis, & affinis omnium generationum, quæ debent recognoscere & benedicere genus suum, imò regenerationis initium post Christum. Dic, quod apud generationes sæculorum, generatio præterit, & generatio advenit: Ipsa verò est Terra permanens, de qua Veritas orta est, quæ manet in æternum. Dic, quod nobis omnibus affinis est, velut in omni genere affinitatis, ista quam benedicunt, & beatificant omnes generationes. Est Soror ab humana specie, est Mater ex nostra, post Filium regeneratione. Est cognata cum Angelis, & nobis, ex similitudine intellectualis naturæ. Est unum cor nobiscum, una anima, unus animus, & unus spiritus ex dilectionis obligatione. Dic, quod perinde fiduciam magnam habemus adire in omnibus necessitatibus nostris ipsius thronum pietatis. Planè despicere non potest genus suum, quæ Mater est pietatis, cuius origo progreditur ex generis unitate.* Quas Virginei Mundi laudes ubi audivisset Discipulus, adeò ejus celebrandi, atque extollendi amore fuit succensus, ut & ipse Mundi hujus animati Laudator evaserit, senseritque se ad eam extollendam insufficientem: *Gratis*, inquiens, *desidero, gratis affecto colere, benedicere, & prædicare Beatam, & beatificandam per omnes generationes, quia fecit ei Dominus magna qui potens est, & Sanctum Nomen eius.*

Omnes generationes laudant Deiparā.

Deiparæ antonomasticè Beatæ Nomen convenit.

Rationes variæ, cur V. Deipara vocatur Beata.

Ad Mariā omnes generationes naturalem habent amorem.

Generationes, quæ B. V. nō colūt, habendæ degeneres

B. V. nobis affinis in omni genere affinitatis

B. V. est cognata cum Angelis, & hominib. ob intellectualem Naturam.

B. V. est unum cor nobiscum, una anima, unus spiritus per nostri amorem.

B. V. nos tanquam genus suū despicere nō potest.

43. Desideratis alium hujus Mundi mundissimi Laudatorem? Audite S. Ildephonsum lib. de Virgin. B. V. cap. 1. Vaticinium illud ejusdem DEIPARÆ: *Beatam me dicent omnes generationes*, explicantem. *Beata tu inter Mulieres, integra inter puerperas, Domina inter Ancillas, Regina inter Sorores. Beatam te nouerunt omnes cœlestes Virtutes, beatam prædicant omnes Vates. Beata tu fidei meæ, Beata tu animæ meæ, Beata dilectioni meæ, Beata præconijs, & prædicationibus meis. Prædicem te, donec prædicanda es, diligam te, donec diligenda es. Laudem te, donec laudabilis es. Seruiam tibi, donec seruiendum est gloriæ tuæ. Tu enim concipiens solum DEUM, postremum facta es Sponsa Filij DEI: Tu generans simul DEUM, & Hominem, Genitrix facta es Filij DEI.* Quibus sanè

B. V. æternum amāda, & prædicanda.

ſanè verbis ſat luculenter, toti Mundo conſtare voluit, quo tandem laudum præconio Mundum hunc extollere deſiderârit, præconio nimirum æterno, quia æternum erat laudabilis, ut & ipſius Incolà Patris Vnigenitus, qui in ipſo, carnis noſtræ paludamento ſeſe veſtivit. Proinde Bernardus, æternas hujuſcé Mundi laudes eſſe cupiens, Latini Poëtæ verſiculos, quibus æternitatem deſcribere viſus eſt, huc tranſtulit ſer. 3. ſuper Salve Regina.

S. Ildephōſus præconio æterno cupit laudare B. V.

In freta dum fluvij current, dum montibus umbra
Luſtrabunt, convexa polus dum ſydera paſcet
Semper honos, Nomenq; tuum, laudesq; manebunt.
Spes mea Virgo pia, Virgo ſacra, Virgo Maria.

44. Et licet hi Viri Sapientiſſimi, hujuſcé Mundi pulcherrimi, prꝺſtātiſſimi fuerint Encomiaſtæ, ac Laudatores, inter omnes tamen excelluit ipſa Deipara, quæ ſola perfectiſſimè à Deo ſibi conceſſa nobiliſſima cognoſcens ornamenta, ſola quoque Mundi hujus digniſſimam egit Laudatricem, dum lætiſſimum illud Carmen Vniverſorum Auctori modulata eſt: *Magnificat anima mea Dominum.* Quod Canticum jure merito Ioannes Gerſon. Tract. 4. in Magnif. *Canticorum Canticum, Canticum amoris, per amorem, Canticum nuptiale, Canticum deniq; novum*, quia nova fecit omnia, jure merito appellavit. Quod quàm dulce, quam amabile omnibus extiterit generationibus, proſequitur: *Intonans*, inquit ille, *voce ſerenâ perſonuit præconium, imò tonuit, & exclamavit voce grandi, ad aures ſæculorum omnium:* Verè Virgini ob hoc dulce Canticum dicere poſſemus:

Canticū B.V. Canticum amoris, & Canticū novum.

Tale tuum nobis Carmen Divina Maria,
Quale Sopor feſſis in gramine, quale per æſtum
Dulcis aqua ſaliente ſitim reſtinguere rivo.

Quam dulce ſit Canticū B. V.

45. Satis hactenus ſecundi hujuſcé Mundi Virginei contemplati ſumus molitionem, humillimo, potentiſſimoque ſuo, *Fiat*, abſolutiſſimam, reſtat tandem, ut videamus, quânam ratione, eodem Deiparæ verbo, aſpectabilis hic Mundus fuerit innovatus, & in novum quodammodo Mundum tranſmutatus.

Quod, ut tantò faciliùs intelligamus, ſciendum Protoplaſtorum ſcelere univerſam corruptam fuiſſe creaturam, cùm homo compendium quoddã creaturarum omnium extiterit, omneſque Entis creati gradûs in ſe complexi ſit, ut ſuprà commemoratum eſt. Vbi primum ergo obedientiſſimum illud Verbum; *Fiat*, à Virgine prolatum eſt, mox natura illa humana ejus uteri Virginalis clauſtris contenta, quæ ad inſtar parvi Mundi perfectiones, gradûſque totius Vniverſi complectebatur, unita hypoſtaticè Verbo, ipſiuſque perſonalitate ſubſiſtens, fuit ſanctificata, & ad hujuſmodi dignitatem plenam gloriâ, ac Majeſtate provecta, ut major ſanè ulli rationali communicari nequeat creaturæ; ſicque Natura illa ad tantam dignitatem elevata, atque innovata, creaturæ quoque omnes, atque adeò Mundus Vniverſus honoratus, ac glorioſus, inſolitaq; quâdam novitate, inſignis evaſit.

Adam & Eva per M. renovati.

In Humanitate Christi totus Mūdus innovatus, ac glorioſus evaſit

46. Hinc Apoſtolus ad Epheſios ſcribens cap. 1. de Patre æterno: *Propoſuit*, inquit, *in Chriſto inſtaurare omnia, quæ in cœlo, & in terra ſunt in ipſo.* Inſtauravit verè & Virgo Sanctiſſima, Omnipotentiam æterni imitando Patris, creaturas omnes, quæ peccato Adæ corruptæ, atque deſtructæ, in priſtinam novitatem longè excellentiorem, honoremque unionis hypoſtaticæ, dignitatibus omnibus præſtantiorem ſunt revocatæ, & novo quodam ſplendore affectæ. Vnde Græci Patres Auguſtiſſimum Incarnationis appellant myſterium; Oeconomiam, hoc eſt, univerſalem diſtributionem, ac diſpenſationem, quâ univerſorum Dominus, velut optimus Paterfamilias, neceſſitati, utilitati, honorique totius ſubvenit Vniverſi. Hinc Cajetanus Cardinalis 3. parte q. 1. art. 10. hanc honoris ſublimitatem rimatus, Filij Dei in carne noſtra mortali Adventum: *Elevationem totius Vniverſi in Perſonam Divinam* vocitavit. Annectitque præterea, Deum toti Vniverſo ſe ſummo modò communicaſſe, dum incarnatus eſt.

Incarnatio Verbi dicitur Oeconomia.

Incarnatio, Elevatio totius Vniverſi in Divinā Naturam.

47. Quod ſapientiſſimè ſanè à tanto Cardinali pronunciatum eſt. Vltimum enim, extremumque ſuæ Bonitatis effuſiſſimæ in hoc Myſterio ſacratiſſimo exerere voluiſſe viſus eſt Deus. Cùm enim Divina illa Natura, ſumma & infinita ſit Bonitas, ſummè profectò, infiniteque creaturis ſuis ſeſe communicare debebat; cùm, S. Dionyſ. Areopagita teſte: *Bonum ſuiipſius diffuſivum ſit.*

Summam ſuam Bonitatem in Incarnatione Deus oſtendit, ſe omnibus creaturis comunicando.

48. Et licet Bonitas hæc largiſſima Divinæ Majeſtatis ſeſe plurimùm in Orbis hujus molitione creaturis omnibus benevolentiſſimè impenderit, ſemetipſã illis, per præſentiam, potentiam, eſſentiamque adeò intimè uniendo, ut Apoſtolus dicere non dubitârit Areopagitis

Divinæ Bonitatis magna communicatio in creatione mundi.

tis Act: 17. in celeberrima illa sua Concione, quâ inter reliquos hic ipse conversus Divinæque Bonitatis effusionem expertus est Dionysius: *Non longè est ab unoquoq; nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus, sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt: Ipsius enim, & genus sumus.* Licet etiam majori adhuc unione creaturis suis per infusionem suæ gratiæ, quâ Divinæ consortes efficimur Naturæ, ut ait Apostolorum Princeps 2. Pet. 1. in justificatione sese conjunxerit. Licet deniq; sese magis adhuc fœliciùsq; uniêrit creaturarum suarum intellectui, voluntatique, mediante qualitate illâ omnes naturæ vires transcendēte, quam Theologi, lumen gloriæ vocitant, quo intellectus Beati confortatus, atq; corroboratus (qui aliàs in rerum divinarū contemplatione, perinde se habet, ac noctua ad lumen Solis, ut testatur Philosophus) elevatur ad conteplationem illius summi æternique Boni, ut illud facie ad faciem intuendo, atque amando in illud transformemur, ut ait Apostolus 2. Cor. 3. *Nos verò omnes revelata facie gloriam DEI speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu.*

Triplex Dei cum creaturis unio.

Licet, inquam, tribus hiscé modis infinita illa, immensaque Bonitas summoperè copiosissimâ cœlestium donorum profusione sese creaturis communicaverit, nihilominus tamen ultima hæc Personæ suæ communicatio, atque cum humanitate nostra hypostatica in utero Virginis, ope, operaque Spiritus Divinissimi peracta unio, quâ se, ut Angelicus loquitur Doctor Opusc 60. *Generibus singulorum in unitate Personæ copulavit,* omnem aliam quamcumque infinitis intervallis transcendit communicationem. Hæc enim non est intentionalis unio, quæ mediante specie, objectoque fit; Sed est Personalis, substantialisque duarum Naturarum in supposito Divino tam arcta, intimaque connexio, ut per communicationem idiomatum, indivisis in se, incommixtisq; substantijs, DEVS in hominem; & homo vicissim in DEVM, inaudito hactenus modò fit quasi transformatus.

Personalis cum creaturis unio omnium perfectissima.

Per unionem hypostaticam Homo factus est Deus.

49. Hanc porrò tam immensam Divinæ Personæ communicationem, unionemque hanc hypostaticam, per quam & natura humana, & in ipsa omnis hæc rerum universitas instaurata, innovata, atque recreata, imò & DEIficata, denique ad eminentissimam, quâ major sub DEO nequit intelligi, dignitatem, prolato illo benedicto verbo, *Fiat*, evecta est, DEIpara Virgo promerita est.

O verè immensam DEI nostri bonitatem! ô communicationem effusissimam! O verè admirabiles Divini Amoris adinventiones, ad instar Magnetis, humanos affectûs ad sese potentissimè rapientes, inventiones verè dignæ, quæ ab omnibus creaturis tantopere in hac Filij DEI Incarnatione nobilitatis, atq; decoratis, æternis laudibus ubique deprædicentur!

50. Bonitatis hujuscé Divinæ tam propensam in genus humanum, omnesque creaturas effusionem, Divinique Amoris gratiosas illas inventiones Evangelicus Propheta nos, pulcherrimo quodam, jucundissimoque Cantico celebrare docuit c. 12. Postquam enim sub aquarum Symbolo, quæ de fontibus Salvatoris ita copiosè emanant, ut nullo pretio haberi possint, eorum mentionem fecisset: *Haurietis*, inquit, *aquas in gaudio, de fontibus Salvatoris:* Mox attexuit: *Et dicetis in die illa: Confitemini Domino, & invocate Nomen ejus, notas facite in populis adinventiones ejus, mementote, quoniam excelsum est Nomen ejus. Cantate Domino, quoniam magnificè fecit, annunciate hoc in universa terra;* Conversus tandem ad Virginem, in cujus utero hæc Divini Amoris spectacula atque inventiones, velut Regia quapiam in Civitate, totâ applaudente naturâ ob tantum instaurationis beneficium; sunt peractæ, invitat illam ad novam exultationem, laudesq; Altissimo decantandas: *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israël.*

Divina gratia aquis comparatur, eò quod nullo precio haberi possit.

B. V. Est Sion, in qua habitavit Dominus.

51. Intellexêre SS. Patres, illo Virginali, *Fiat*, universam innovatam atq; recreatam fuisse Naturam, & imprimis S. Ioan. Damasc: Orat. 1. de Nativit: Cùm ostenderet, quam ob causam dies Natalis Virginis piè celebrandus colendusque sit: *Nos*, inquit ille, *DEI Genitricis Natalem honore complecti convenit, per quam mortalium genus redintegratum est, per quam primigenita Matris Evæ mœror in lætitiam mutatus est. Per eam quippè Creator Naturam omnem, interjecta humanitatis beneficio in meliùs commutavit: Nam cùm homo media quadam inter mentem, & materiam sede constitutus rerum omnium conditarum,* tam

Per B. V. primigeniæ Matris Evæ mœror in lætitiam mutatus est.

tam quæ in aspectum cadunt, quàm quæ oculorum aciem effugiunt, nodus, ac vinculum sit, profectò Artifex DEI Verbum humanæ Naturæ copulatum, per eam cum universis rebus conditis, unitum est. Quamobrem humanæ sterilitatis depulsionem celebremus, quandoquidem bonorum sterilitas, ac velut mutilatio quædam à nobis sublata est. Hæc Damascen.

Homo rerum omnium conditarum nodus est, & vinculum.

52. Idem sensit S. Petrus Chrysologus serm. 143. qui differens contra nonnullos blaterones impudenter gannientes non decuisse incarnari DEUM, referentesque ad injuriam Divinitatis magnum hoc pietatis Sacramentum, ostendit clarè convenientissimum fuisse, Opificem opus suum inveteratum, ac collapsum renovare, ac reparare: *Venit*, inquiens, *ad Virginem DEUS, hoc est, ad opus suum Opifex, Creator ad creaturam suam. Quando ad Opificis honorem operis restauratio non redundat? Quando honor non deputatur ad gloriam, si Factor facturam suam non reparet? Ne amittat quis opus suum, nónne cùm veterascit, revocat, & cùm cadit, erigit? & cùm destruitur in meliùs non reformat? ergò quod in partu Virginis agitur, non est Creatoris injuria, sed salus est creaturæ. Si DEUS fecit hominem, quis arguit cùm refecit? Et quod ex limo formasse, dignè creditur, quare ex carne reformasse judicatur indignum? Quid pretiosius caro, aut limus? ergò reparationis nostræ quantò pretiosior materia, tantò major est gloria.* Ex quibus verè aureis S. Antistitis verbis clarè colligitur Incarnationem Dominicam ad nutum Verbumque, *Fiat*, Virginis peractam, instaurationem, ac innovationem universæ extitisse Naturæ. Vnde cùm tandem sibi objecisset: *Quæ nascendi necessitas DEO, cui suppetit faciendo potestas?* Respondit: *Quæ? ut ipsam naturam nascendo reficeret, quam fecerat operando, quia quæ facta fuerat, ut generaret ad Vitam, ipsa generabat ad Mortem. Per peccatum primi Hominis natura lethale vulnus accepit, & cœpit esse origo Mortis, quæ erat initium Vitæ. Hoc est ergo negotium Nativitatis, quod nasci compulit Christum, ut Naturæ curam Nativitas daret Auctoris, & naturæ curatio esset vivificatio filiorum.* Sic Chrysol.

Incarnationis fructus in humanū genus redūdans.

Conveniens erat, ut idem Deus, qui hominem fecit, eundem reficeret.

Ante Incarnationem Verbi omnes generabantur ad mortem.

53. Audiamus & Divum Anselmum, qui lib. de excell. Virg. c. 10. docet creaturas omnes post Protoplasti peccatum atque inobedientiam summoperè indignatas, quod inimicis DEI, atque Rebellibus servire deberent, quæ à prima sui origine ad justorũ hominum servitium erant conditæ. At verò ubi per Incarnationem Verbi, assensumq; Virginis homines sunt DEO reconciliati, ac sanctificati, servitutem illam æquo animo pertulisse. *Homo*, inqt ille, *qui à Deo inter cæteras creaturas sublimis naturæ creatus est, dum Deum, per inobedientiæ reatum inhonoravit, omnia quæ sui juris priùs erant, amisit, omniaq; quæ sui status integritatem servaverunt quâdam confusione, ipsa reatus sui immanitate, quantum in ipso fuit, vulneravit. Adjecta est eis, super hac confusione, & alia confusio, quia huic, quem à suo Conditore per mala vitæ merita exorbitare videbant per suæ conditionis legem, Ministerij sui obsequium, nullo tempore abnegare volebant. Ingerebatur, igitur, operibus DEI contumeliosa quædam oppressio, & fiebat de illis gravis & contumeliosa abusio. Ius siquidem nullum in ijs quæ DEI sunt, justè debet habere, qui voluntati ejus, pravis actionibus non veretur contraire. In eo igitur, quod lumine cœli & syderum motu in suis usibus homo reus potiebatur, idem cœlum, & sydera ipsa magni honoris detrimenta patiebantur. Nempè illi serviebant, propter quem se instituta sciebant. Ad obsequium sive servitium justi hominis, non injusti, qui tunc erant, condita fuerunt. Hoc ipsum de aëre, de terra, & quæ profert, de Mari, & omnibus aquis, ac de ijs, quæ continent licet dicere & sentire. Omnes igitur rerum formæ informi quâdam contumeliosáq; obfuscatione tegebantur, eò quod ipsis, qui DEUM suum incessanter offenderant ministrare, ac subdi sine intermissione cogebantur. Duravit autem hæc in rerum substantijs injuria, quousq; venit in carnem illa, de qua loquimur, B. V. Maria. At ubi venit ipsa, in seq; Filium DEI incorporavit, & pristinam dignitatem in DEO, qui nascebatur humana natura recuperavit, nihil ultra confusionis aut injuriarum alicui rerum speciei resedit, imò libertatem Patriæ creationis suæ confestim recipere meruit. Nam ipsa cui lege conditionis suæ jus libertatis maximum erat, obsequendi videlicet illi, quem ad DEI imaginem conditum noverat, cùm ipsum in Creatoris sui similitudinem, quam peccando in se corruperat, per bona opera* (dixerim ego, etiam per Mariam) *redire conspexit, non mirum si deinceps obsequendo dominatui ejus contumeliosæ jugum servitutis excussit.* Hactenus Ansel.

Creaturæ dedignantur homini peccatori deservire.

Creaturarum quam miser Status fuerit ante Incarnationem.

Ad obsequium justorum hominum creaturæ sunt conditæ.

Creaturarum omnes formæ informes videbantur ante Incarnationem.

Per B. V. omnes creaturæ pristinam dignitatē recuperârunt.

54. Neque verò creaturæ omnes, gravi se affectas injuriâ solùmodo, peccatori serviendo, existimabant, verùm etiam ingemiscere quasi videbantur, quod pristinum illum vigorem, symme-

Per Virginis Fiat, creaturæ reflorescere visæ sunt.

triam, ac pulchritudinem amisissent, & senescentes quodammodo in extremum vergerent interitum atq; exterminium, siquidem *quod antiquatur & senescit, penes interitum est*, ait Apostolus. At verò ubi primùm sacratissima Virgo desideratissimum illud suum pronunciavit, *Fiat*, creatura omnis juvenescere, ac reflorescere visa est; Siquidem illi, qui senium nescit, hypostaticâ unione in utero Deiparæ copulata est. Quâ de re præclarè S. Andreas Hierosol. Episcop. serm. de Annunc. ubi varia Dominicæ Incarnationis mediante Mysterio, donata hominibus recensens beneficia, hoc posuit non postremum: *Hodie*, inquiens, *summâ Universi Opifex potentiâ conceptum apud se jam dudum de rerum creatione consilium ad finem perducit. Quia prior nostra effigies novam figuram consequitur, & senio quasi confectus Mundus, per Mariam peccatorum senectam exuit.* Hæc ille.

Per M. senio confectus Mundus senectam exuit.

55. De eadem Mundi senectute, sacrosanctô Deiparæ nostræ renovata conceptu præclarè Guarricus Abbas Ignatiensis serm. 4. de Nativit. qui postquam dixisset: *Venisse plenitudinem temporis, in quo confligunt gratia, & ingratitudo, velut in stadio uno, in quo pugnat Sapientia adversus malitiam, propter quod & in Mundi hujus descendit arenam; pugnans, nolensq; vinci à malo, sed volens vincere in bono malum. Abundabat etiam iniquitas, & licet humana congelata esset, Divina tamen non frigescebat Charitas. Magnus ille ardor Charitatis revera aquis multis inextinguibilis, quod cùm extremum jam judicium postularet multitudo peccatorum, DEUS tamen Filium misit, ut non judicaret Mudum, sed ut salvaretur per ipsum;* Cùm, inquam, hæc præmisisset, mox attexuit: *Cùm igitur jam penè consummata Mundi malitia finem indiceret temporis, Redemptoris Adventus novam, & inopinatam plenitudinem temporis rebus infudit humanis. Cùm enim Mundus consenuisset, & propè interitum esset, temporis ætate, subitò ad adventum Conditoris sui, novâ, & insperatâ virtutis juventute, fideiq; quodam calore juuenili renovatus est.*

Incarnatio est plenitudo temporis, in quo cōfligunt gratia & ingratitudo &c.

Mundus in adventu Christi juvenescit

56. Quod si quis scire velit, quibus in vitijs sceleribusque Mundus hic miserabilis consenuerat, reperiet planè in eisdem omninò, in quibus senes inveterati dierum malorum obsolescere consueverunt; cujusmodi sunt, Avaritia, Libido, Superbia, rerum caducarum, ac terrenarum amor. Considerate Reipublicæ Romanæ Statum, considerate hujus mundi Principes, Reges, ac miserabilium illorum temporum Monarchas. Quis magis tumidus, quis opum appetentior, quàm Tiberius Cæsar? quis turpior, fœdiorque, ac scelestior, Herode? Respicite ad Magistratum Templi summorum Sacerdotum, Scribarum, ac Pharisæorum, qui eodem illo regnabant tempore, quantus fastus, quanta divitiarum cupiditas, quanta luxuriæ fœditas, aliaq; quamplurima, quæ in illis regnabant scelera, quibus Deo abominabiles, ac detestabiles evaserant, ut non immeritò Salvator sepulchris dealbatis, quibus fœculenta, putidissimaque continentur cadavera, eos comparare non dubitaverit.

Mundi senescentis vitia, quæ in senibus reperiri solent.

In adventu Christi quis fuerit Mundi Status.

57. Denique Virgo Deipara per suum illud efficacissimum verbum, *Fiat*, totâ innovatâ atque ad juveniles annos quodammodo reductâ creaturâ, per conceptum suum Virgineum fecundi illius Adæ, de cœlo cœlestis, in animis hominum ejusdem pulcherrimam impressit imaginem, effecitque, ut Dei Filij, virtutum formâ in nostris moribus reluceret. Quâ de re præclarè S. Chrysol. ser. 117. qui postquâ dixisset renatos fuisse homines, effectosque cœlestes, ubi Virgo Dei Filium concepit; addidit: *Ut quos origo limosa stirpis profuderat sub misera conditione terrenos, cœlestes pariat, & ad similitudinem sui perducat Auctoris. Ergo jam renati, jam reformati ad nostri imaginem Creatoris, quod præcipit Apostolus, impleamus: sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Hortatur tandem, ut jam ita recreati per Virginis assensum, proculcatis vitijs Christi imaginem, ejus heroicis virtutibus expressam, in nobis circumgestemus. *Fuerit*, inquiens, *necessitas quod de terra concreti, cœlestia aspirare nequimus; quod de concupiscentia nati, concupiscentiam non valuimus evitare; quod illecebris dominantibus acquisiti coacti sumus illecebrarum turpitudinem sustinere; quod sæculi huius habitaculo recepti, captivi fuimus malis. Iam tandem ad instar nostri Domini, sicut diximus, jam renati, quos utiq; concepit Virgo, vivificavit Spiritus, portavit pudor, genuit integritas, nutrivit innocentia, edocuit Sanctitas, Virtus exercuit, DEUS adoptavit in Filios, imaginem totam, totâ similitudine nostri portemus Auctoris, non Majestate, quâ solus est, sed innocentiâ, simplicitate, mansuetudine, patientiâ, humilitate, misericordiâ, concordiâ,*

B.V. homines limosos, reddit cœlestes.

Christi Imago in animis nostris virtutū exercitio exprimenda.

Imago Christi in nobis exprimenda innocētiâ, simplicitate, mansuetudine, patientiâ, humilitate &c.

cordiâ, quâ dignatus est nobis fieri, & esse communis. Cesset vitiorum pruritus pestifer, delictorum lethalia blandimenta vincantur: discutiatur à sensibus caligo tota pompæ sæcularis; abijciatur à mentibus mundanæ cupiditatis illusio; appetatur paupertas Christi, quæ divitias in cœlestibus possidet sempiternas; tota sanctitas animæ custodiatur, & corporis, ut non magnitudine, sed actu imago Creatoris nostri portetur & clarescat in nobis. Hactenus Chrysol. qui serm. 146. regenerationem innovationemque hominum ait non minùs nostræ Virgini fuisse propriam; quàm fuerit primæ Virginis Evæ, generatio: *Est ergo*, inquit ille, *muneris Virginalis, ut regeneret per DEUM Virgo, quod per DEUM Virgo generavit.*

B.V. præclarũ naturæ nostræ Ornamentũ, Gloria luti nostri.

58. Hanc humanæ naturæ instaurationem per DEIPARAM factam Hesychius Hierosol. Presbyter considerans, pulcherrimis celebravit elogijs: *Ecce Virgo Mulierum egregia, è Virginibus electa, præclarum naturæ nostræ Ornamentum, Gloria luti nostri.* S. Damascenus ob eandem causam illam; *Humanæ naturæ Venustatem, Mulierum Ornamentum* vocitavit.

B.V. humanæ naturæ venustas est & Regina; collapsi nostri generis excitatio.

Orat. verò 3. de Nativit. B. V. Naturæ Reginam, nostræque massæ primitias, collapsi nostri generis excitationem, & in integrum restitutionem. Denique per Nativitatem Virginis, inquit, id quod cognatum nobis est, DEIficationis initium sumit. Quia videlicet Diva Virgo, Mater DEI futura, gratiâ DEIficari cœpit, postea verò ejus in uterum adveniente Verbo, humanitatemque nostram assumente, perfectiùs quodammodo DEIficata fuit, ac per consequens humana natura cum illa. S. Germanus Archiepisc. Constant. serm. de Lumin. DEIparam ipsam Renovationem rerum antiquarum, eandem ob causam appellavit.

B.V. Renovatio rerum antiquarum.

Mundi renovatione B.V. eminentissimã sortita dignitatem.

59. Quid B. Petrum Cardinalem Damian. commemorem? qui serm. de Assumpt. ait DEIparam, ob hanc Mundi renovationem ad eminentissimam evectam fuisse dignitatem, & ad instar Solis, tam Angelicam, quàm humanam splendore gloriæ superasse naturam: *An putas quod non contremiscat tota rationalis creatura ad contemplationem tantæ dignitatis? Considera & quæ in cœlis, & quæ in terris, in Virgine refabricata, DEUM qui cœlum palmo metitur, Virginei ventris brevitate conclusum, redemptionem hominum, Angelorum restaurationem, deniq; quicquid est, fuit, & erit per Virginis uterum renovatum, & tunc tibi cogitatio suggeret, quod locutio demonstrare non potest.* Sic ille.

M. merita instaurationem Angelorum, salutemq; hominum per Incarnationem.

Sermone verò de Annunciat. in hac Mundi instauratione potentiam, *Fiat*, Verbi Virginalis, confert cum omnipotentia Verbi, per quod facta sunt omnia. Agens enim de æterno Divinæ Majestatis consilio, quo Incarnationem æterni Verbi ad humani generis reparationem decrevit: *Evocatur*, inquit, *statim cœlestis ille Conventus, & juxta Prophetam, init DEUS consilium, cogit concilium, facit sermonem cum Angelis, de restauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovatione, ac illis stupentibus, ac mirantibus præ gaudio de modo Redemptionis. Et statim de Thesauro Divinitatis, Maria Nomen evolvitur, & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine illo nihil factum, ita sine illa nihil refectum sit.*

Nomen M. de thesauro Divinitatis prõptum.

Sicut sine Verbo nil factum, sic sine M. verbo Fiat, nil refectũ

60. Quid doctissimum, pientissimumque Idiotam commemorem? qui hunc in finem, ad restaurationem nimirum Angelorum, hominum, totius denique Mundi natam, factamque DEIparam asseveravit? Unde totus, ejus castissimo amore succensus, sic eam est allocutus in Contempl. B. V. cap 4. *Inter omnia opera æterni Opificis, post operationem illam, quâ natura nostra unitu est Filius tuus, Speciale Opus fuisti, ò B. V. Maria, qui ad hoc te fecit, ut quod de primo opificio fuit deformatum, per te reformaretur. Hic enim summus Opifex primò considerat Angelicam naturam, quæ in parte ceciderat, & humanam, quæ corrupta erat, & corpoream inferiorem, quæ peccato hominis fuerat deterior effecta. Sed ad hæc omnia te fecit Virgo Maria sanctissima, ut ex suo superbenedicto fructu, Angelica natura repararetur, humana renovaretur, inferior à servitute liberaretur. Ædificavit ergo Angelis te Reginam, hominibus medicinam; creaturæ inferiori libertatem.* Et paucis interjectis, eandem Virginis amplificat gloriam: *Dedit te Angelis instaurationem, hominibus & naturæ nostræ in reparationem, inferiori creaturæ in liberationem, sibi in Matrem, Dæmonibus in hostem; detentis in limbo in ereptionem. Per te ò superbenedicta V. Maria innocentia reparatur, Vita Angelica reducitur, DEUS homini pacificatur, & unitur, Diabolus vincitur, & conteritur, quia de te scribitur: Ipsa conteret caput tuum.* Sic Idiota.

B. V. ad hoc facta, ut Mundũ reformaret.

Omnes creaturæ per B. V. renovatæ.

B. V. Instauratio Angelorũ, & hominum.

61. Quid tandem de S. Bernardino

Senensi dicam! qui sublimiorem adhuc Virginis rimatus est dignitatem in hac Orbis instauratione, non modò enim Mundi reparationem: ac renovationem, ut sæpè alibi DEIPARAM dixit, verùm etiam perfectionem, consummationemque, suo benedicto illo Verbo, *Fiat*, ultimam toti Vniverso, omnibusque in eo comprehensis creaturis attulisse, testatur Tom. 4. ser. 5. c. 8. quam perfectionem ipse unam ex Stellis ijs duodecim, quæ ejusdem coronant caput, esse voluit. Sed ipsa verba Seraphici Patris stylo exarata Apostolico audiamus: *Licet, DEVS in Mundi creatione nil produxerit imperfectum, sed perfecta omnia, ut eorum exigebat Natura, ultima tamen perfectionis consummatio, usq; ad Virginis partum dilata, soliq; Virgini reservata videbatur. Omnia namq; Entia, unum nobilissimum Ens appetebant: Viuentia, unum nobilissimum viuens: Sentientia quoddam nobilissimum sentiens: Conceptiones, nobilissimum conceptum: Natiuitates, omnium nascibile: Rationalia, singularissimum Rationale: Spiritualia excellentissimum Spirituale. Creatura deniq; omnes, unum quoddam optimum, purum, creatum. Atq; his in hunc modum imperfectis, provisum est Mundo, de Fœmina super omnibus benedicta, quæ unico suo partu omnibus rerum generibus summam, ultimamq; attulit perfectionem. Aduertito diligens anima benedictam hanc Puellam tantam Vniuerso invexisse perfectionem, ut ulterioris perfectionis capax esse non possit, adeò ut DEVS, ordinariâ suâ potestate ipsum perficere ulteriori perfectione non possit, Imò si ipse Pater, vel Spiritus Sanctus de Fœmina aliquando nasceretur, nulla Orbi perfectio adveniret. Quicquid enim Diuinitatis, quicquid æternitatis est, totum in Orbe diffusum & productum est, per Virginem, in æterno illo, quod generauit, Supposito.* Nec hæc tam sublimia de Virgine, Sanctus Pater dixisse contentus, concludit illam ipsi etiam DEO aliquas addidisse perfectiones: *Nec Virgini Magnum est*, inquiens, *quod perfectionibus Orbis ultimam perfectionem adduxerit, cùm & ipsi Vniuersitatis Auctori, nonnullas attulerit perfectiones, puta, æterno principio, incœptionis exordium; Æternitati Divinæ, temporalem periodum; Infinitati immensæ, corpoream quantitatem; Speciei æternæ, novam pulchritudinem. Et de his omnibus scripsisse, videtur Psalmista: Omnis consummationis vidi Finem, qui est B. V. Maria.* Hæc Bernard. de admiranda Verbi Virginalis omnipotentia, quâ Mundum instaurando, eundem etiam perfecit.

B. V. toti Mundo ultimam perfectionem addidit.

Mundi perfectio est Stella in Corona B. V.

B. V. omnibus rerum generibus summam ultimamq; attulit perfectionem, suo partu.

B. V. tantâ Vniverso attulit perfectionem, ut ulterioris capax esse non possit

B. V. ipsi Deo aliquas perfectiones addidit.

62. Iam sanè minimè mirum nobis accidere debebit, cùm Sanctos Patres tam disertè in laudes Verbi hujus Virginei, *Fiat*, quo Mundus hic novus, ac planè admirandus Humanitatis Christi, quo & ipsa Virgo quodammodo semetipsam, alterum novum Mundum, sui Creatoris capacissimum; quo denique Mundus hic aspectabilis, cum Naturâ humanâ, atque adeò universâ creaturâ instauratus, ac recreatus est; excurrentes audim⁹; cùm fuerit *Fiat* illud tot, tantorumq; mirabiliũ Artifex admirabilis, utpotè Dominicæ Incarnationis, quæ opus inter omnia opera, tam Gratiæ, quàm Naturæ est excellentissimum, innumera in se complectens signa, ac mirabilia. Proinde Verbum hoc Virgineum, *Fiat*, superare videtur, alterum illud Divinum, quo cœli firmati sunt, quo lux, ac luminaria in cœlis creata sunt. Hæc enim omnia, & vitâ, & ratione destituta cùm sint, creaturæ rationali, quæ illo verbo Virgineo instaurata, ac recreata est, conferri minimè possunt. Vnde ad hanc creandam tota simul Trinitas Beatissima, præmisso gravi consilio, concurrere debuit: *Faciamus*, inquiens, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* At verò ad Sanctissimæ DEIPARÆ Verbum illud Beatissimum, *Fiat*, ipsa Humanitas Christi, facta, est, ut sæpiùs jam dictum, in eaque tota Natura humana, adeòque universa Creatura recreata est.

Verbum Virgineũ *Fiat*, quo omnis creatura instaurata est, jure à SS. Patribus laudatur.

Verbum *Fiat* Virgineum quam excellens.

63. Cujus rei cùm rationem pervestigo, aliam reperire nescio, quàm quod Virgineum hoc, *Fiat*, fuerit consensus voluntatis, DEO sese submittentis, atque obtemperantis, ab animo humili, & sese annihilante procedens; fuerit conformatio voluntatis, cum voluntate Divina, & quædam in illam transformatio. Vnde quid mirum, quod summa illa, æternaque Majestas, opera tam admiranda, atque Divina, per consensum illum Virginis patrari voluerit, cùm hujusmodi Virgineus voluntatis actus, quidam quasi DEI actus esse videretur, ob intimam Virginis in ipsum DEVM, amoris vi, factam transformationem? Hinc est quod Verbum hoc, *Fiat*, Virginale, majori longè vi, ac energia præditum esse videri voluerit, universorum Artifex, quàm suum. Siquidem ad suum *Fiat*, semper effectus adnectitur: *Fiat lux*,

M. *Fiat* fuit omnipotens.

lux, & facta est lux: Fiat firmamentum, & fecit DEUS firmamentum. Ad verbum autem Matris, nil addere voluit Evangelista, ut toti ostenderet Mundo, hoc ipso quod ejus Mater sanctissima dixerit, illud idem omninò peractũ esse debuisse, intelligerentq; universi mortales ejus *Fiat,* esse omnipotens adeò, ut eo pronunciato infallibiliter certissimus sequatur effectus, ita ut supervacaneum planè sit, ad illud quicquam addi. Ex qua sanè consideratione, mirificus in Virginem amor, fiduciaque quidlibet apud Filium impetrandi, in hominum animis excitetur necesse. Tantummodo velis salutem nostrã, inquit Ansel. c. 12. de excell. B. V. & verè nequaquã salvi esse non poterimus.

In B. V. voluntate nostra salus consistit.

64. Tantæ virtutis, ac efficaciæ benedictum hoc, *Fiat,* extitit, ut ad recreationem hanc universi concurrere fecerit Deiparam in genere causæ efficientis, Materialis, Formalis, ac Finalis, ut S. Antoninus 4. p. Tit. 15. c. 20. luculenter ostendit, dum probare contendit, jure merito Deiparam Matrem omnium à Salomone vocitari: *Et permaximè,* inquit, *est Hominum omnium Mater genitura, & cura, quia unum hominem genuit, per quem omnes recreavit, seu regeneravit. Hoc autem opus recreationis propter quod dicitur Mater omnium, B. Maria Dominus secundùm quadruplex genus causarum communicavit. Causa efficiens nostra recreationis in esse gratia post DEUM, sub DEO, & cum DEO est, quia ipsa nobis illum genuit, qui nos omnes recreavit, seu regeneravit per suam passionem, virtutem gratis Sacramentis conferrentem. Causa materialis fuit hujusce recreationis, quia Spiritus Sanctus de purissimis ejus carnibus, ac sanguinibus, ipsius mediante consensu, carnem assumpsit, inq; suum corpus transformavit, per quod nostra redemptio, ac recreatio facta est. Causa formalis nostra recreationis est B. Maria, quia omnibus sua Deiformissima conversationis speculum & exemplum est. Item reversionis à tenebris, & conversionis ad intuitum lucis. Causa deniq; finalis nostra recreationis est, quia opus totum Redemptionis post DEUM in ipsius gloriam, & honorem ordinatum est. Unde Apocal. 4. Seniores procidebant ante sedentem in Throno, mittentes coronas suas ante Thronum, recognoscentes se coronas omnes, humilitate, & humanitate Christi, quam assumpsit de Virgine, accepisse.* Addiderim ego, ideò Seniores illos coronas suas ante Thronum Agni deposuisse, ut ingenuè faterentur fidelissimo Patrocinio, ac precibus, ac præcipuè in Incarnationem Dominicam consensu Virginis, quæ animatus quidam Thronus humanitatis Christi extitit, se gloriam illam cœlestem, coronamque fœlicitatis æternæ consecutos.

B. V. in omni genere causæ ad renovationem concurrit Universi.

B. V. est Causa efficiens, materialis, formalis, & finalis nostræ recreationis.

M. est Deiformissimæ conversationis Speculũ, atq; exẽplum.

M. Thronus Humanitatis Christi.

Concludit tandem S. Antistes: *Omnes ergo, imò omnia cùm sint recreata, & per eã renovata, Matrem eam debent reputare, eamq; super omnia, & super omnes creaturas venerari.* O vim atque energiam hujus Deiparæ consensus admirabilem, quo Divinæ Majestati suam conformando voluntatem, tantorum bonorum Orbi universo causa extitit!

B. V. cùm Mater sit omnium creaturarum eas suo *Fiat* instaurando, jure ab omnibus colenda est.

65. Theophylactus consensu hoc promptissimo tacitè dixisse censet Deiparam: Tabula sum pictoria, pingat Pictor quod voluerit. Atque ita illa Patris omnipotentis dextera vivis cœli coloribus, ac luminibus, sui vivam, consubstantialemque depinxit, expressitque imaginem, ac figuram, Filium suum dilectissimum, qui est *Splendor Gloria,* ut loqtur Apost. Heb. 1. *& figura substantia ejus.*

B. V. Tabula, in qua Dei Verbũ depictum, ac descriptum est.

Tanta Virginis fuit in hoc consensu humilitas, ut B. Laurent. Iustin. serm. de Annunc. censeat exemplo sapientissimæ Abigaëlis, adorasse pronam in terram, ac dixisse: *Ecce famula tua sit in Ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei* 1. Reg. 25. *Tunc,* inquit S. Patriarcha, *ad DEUM conversum est cor Virginis, novâ irradiatum luce, insolito Charitatis desiderio liquefactum, ac repletum devotionis affectu. Solo igitur mente, ac corpore prostrata, humillimè inquit: Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm &c.*

B. V. Abigail prõpta ad lavandos pedes famulorum Domini.

66. Hinc S. Bernardinus Senensis tom. 2. serm. 45. c. 10. inter Famulas, quæ Deiparæ ministrabant, quas ille vocat Domicellas, unam ex illis ait Ancillam nuncupari, quæ Officium Coquinariæ Gloriosæ Virgini Mariæ exhibebat paropsides abluendo, domum everrendo, totiusque domus humilitatis officia peragendo, & ipsa hæc domicella (quæ non erat alia, quàm Sanctissima humillimaque Deipara) inquit Seraphicus Pater, *cùm Virgo legeret: Ecce Virgo concipiet; intelligens ex declaratione ipsius Virginis, quod hac Virgo, de qua loquebatur Propheta futura erat Filij DEI Mater, anxio desiderio tali Sanctissima Virgini obsequi, & famulari postulabat; illam alloqui, & contemplari, vel saltem illi in aliquo humillimo officio ministrare. Dum ergo in hujusmodi desiderijs Sancta Virgo flammesceret, Angelo nunciante, se Virginem*

B. V. Domicellæ quænam fuerint, æ pedissequæ.

B. V. familiarissima Humilitas.

B. V. Mater DEI effecta, humilitatis nomen, quod est Ancilla assumpsit.

nem illam esse, de qua per Isaiam Spiritus S. prophetavit, didicit, auditaq; Domini voluntate, humiliter obtemperavit & Mater DEI, Regina Cœli, & Mundi effecta, non gloriosæ altitudinis, sed infimæ humilitatis nomen assumpsit, dicens: *Ecce Ancilla Domini Fiat. Quasi diceret: Nequaquam dici mereor DEI Sponsa, & Mater, sed in omni abjectione Ancilla.* Hæc Bern.

B.V. futura Templum Domini humilitatem velut lapidẽ fundamẽtalem posuit.

67. Verè Virgo sanctissima ædificatura ex se Templum DEO viventi, Sapientûm Architectorum diligenter observavit leges illas, de quibus scripsit etiam D. Augustinus serm. 10. de Verbis Domini: *Quantò majus erit ædificium, tantò altiùs ponitur fundamentum: Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis de fundamento, priùs cogita humilitatis.* Erat Virgo Beatissima a primis suæ immaculatæ conceptionis exordijs Mare quoddam, juxta Nominis sui Ethymon, omnibus gratijs plenissimum, in quod flumina donorum, Charismatumque Spiritus S. omnia confluxerant. Erat, inquam, mare illud, de quo Sapiens Eccli. 2. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat;* id est, non intumescit. Cùm enim tam sublimi dignitate, Divinę nempè Maternitatis, efferri atque intumescere posset ad instar Maris cujuspiam, aut Oceani, cujus fluctûs altissimè extolluntur: *Mirabiles enim elationes Maris;* Stilla tamẽ sibi visa est in oculis suis, abjecit, humiliavit se, facta est Domini Ancilla, suâque humilitate Vniversum Orbem recreavit.

B.V. humilitas profundissima

M. Mare in quod omnia gratiarum intrârunt flumina, & tamen non intumuit.

Verbum, Fiat Deiparę ab omni creatura expetitum.

68. O Verbum, *Fiat*, millies benedictum, terque, quaterque beatum, à cœlo, terra, ab omni Adæ expetitum posteritate, ab ipsis Patribus, qui Limbi carcere detinebantur, ab ipso denique cœlorum Rege ardentissimis desiderijs expectatum. De hoc mellifluâ suâ eloquentiâ præclarè excurrit more suo Divus Bern. ser. 4. super Missus. Postquam enim Legationem exposuisset Archangeli, conversus ad DEIparam, sic loquitur: *Audijsti Virgo factum, audijsti & modum, utrumq; mirum, utrumq; jucundum: Iucundare Filia Sion, & exulta satis Filia Hierusalem. Et quoniam auditui tuo datum est gaudium & lætitia, audiamus & nos à te responsum lætitiæ quod desideramus, ut jam exultent ossa humiliata. Expectat à te Angelus responsum, tempus est, ut revertatur ad DEVM, qui misit illum. Expectamus & nos, ò Domina verbum miserationis, quos miserabiliter premit Sententia damnationis. Ecce offertur tibi pretium salutis nostræ, statim liberabimur si consentis. In sempiterno DEI verbo facti sumus omnes, & ecce morimur; in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat à te pia Virgo, flebilis Adam cum misera Sobole sua exul de Paradiso, hoc Abraham, hoc David; hoc cæteri flagitant Sancti Patres, Patres scilicet tui, qui & ipsi habitant in Regione umbræ mortis. Hoc totus Mundus tuis genibus provolutus expectat. Nec immeritò quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus deniq; Vniversorum filiorum Adam, totius generis tui. Da Virgo responsum festinanter. O Domina responde verbum, quod terra, quod Inferi, quod expectant & Superi. Ipse quoq; omnium Rex, & Dominus quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum, in qua nimirum proposuit salvare mundum. Et cui placuisti in silentio, jam magis placebis ex verbo, cùm ipse tibi clamet è cœlo: O pulchra inter Mulieres fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram. Nunquid non est hoc quod quærebas, quod gemebas, quod diebus, & noctibus orando suspirabas? Quid igitur? Tu es cui hoc promissum est, an aliam expectamus? Imò tu ipsa, & non alia. Tu, inquam, illa promissa, illa expectata, illa desiderata, ex qua Sanctus Pater tuus Iacob jam morti appropinquans vitam sperabat æternam, cùm dicebat: Expectabo salutare tuum Domine. In qua denique, & per quam DEVS ipse Rex noster ante sæcula disposuit operari salutem in medio terræ. Responde igitur citiùs Angelo, imò per Angelum Domino. Responde verbum, & suscipe Verbum. Profer tuum, & concipe Divinum: Emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Quid tardas? Quid trepidas? Crede, confitere, & suscipe. Aperi Virgo Beata Cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostiũ.* Sic Bern.

B.V. Verbum Fiat, est verbũ miserationis, liberãs nos à sententia damnationis

In Verbo Virginis *Fiat*, refecti sumus, & ad vitam revocati.

Ex ore B. V. pendet consolatio miserorum, redemptio captivorũ, liberatio damnatorum.

B. V. nostram salutem semper diebus, ac noctibus gemẽs atque orans suspirabat.

Per B. V. ipse Rex noster ante sæcula disposuit operari salutem nostram in medio terræ.

69. Audiendus hic quoque de eodem hoc argumento D. Augustinus ser. 7. de Nativit: qui Mundum catenis vinctum, captivumque, DEVM verò Scalæ illi Iacob innixum, mox ad nutum Virginis descensurum, pro homine liberando, sibi videre visus, sic loquebatur: *Responde iam Virgo sacra, assensum tuum Angelus præstolatur, DEVS in porta est, Angelum quem moraris expectat. O Beata Maria, sæculum omne captiuum tuum deprecatur assensum, te DEO Mundus suæ fidei obsidem fecit,*

Mundus ante consensum B. V. in Incarnationem erat captivus, catenisq; vinctus.

cit, per te parentum suorum iniurias abstergi deprecatur: Responde Verbum, & suscipe Filium, da fidem, & senti virtutem, pande sinus roseos Virgo perpetua; fides tua modò aut aperit cœlum, aut claudit.

70. Audiamus denique B. Laurent. Iustin. Patriarcham de effectibus admirandis hujus Virginei consensus luculentissimè disserentem ser. de Annunc: *Isto unico consensu repleuit cœlum gaudio, Angelis omnibus exultationem præbuit, captiuo sæculo spem dedit, Dæmones uniuersos exterruit, adstantem lætum fecit nuncium, ac detentis in inferno Patribus libertatis gratiam repromisit. Affectu quippe auido, extensis in cœlum manibus, propatulo cordis auditu, huiuscemodi præstolabantur responsum. Erat nempè illis præ libertatis amore diuturna nimis expectatio, pauidaq; obseruatio, ne ob humilitatis Virtutem retineretur Virgo, consensumq; negaret. Verùm ut datum à MARIA percepere responsum, omnes pariter prorumpentes in laudes, Domino decantauêre. Benedictus Dominus DEUS Israël, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ, &c.*

Virginei consensus in Incarnationem Verbi miri effectus.

B. V. Patribus in limbo libertatem suo assensu promisit.

Gaudium Patrum in Limbo ob Virginis in Incarnationem consensũ.

71. Quo in consensu humillimo crediderim sanè Virginem defixos in DEI manus habuisse oculos ad instar illius Ancillæ, de qua canit Regius Vates: *Sicut oculi Ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum DEUM nostrum.* Quæ verba interpretans Bernardinus de Bustis: *Per oculos*, ait, *intelligitur intellectus & affectus. Per manus autem, DEI eiusdem potentia, & ipse DEI Filius. Sicut enim homo per manum operatur, sic per Verbum DEI facta sunt omnia. Intelligi potest etiam per DEI manus eius voluntas, quia sicut homo operatur manu, sic & DEUS operatur solà voluntate. Beata igitur Virgo Ancilla DEI suos oculos, cogitationes scilicet, ac voluntates, semper in manibus DEI habuit potentiam DEI in semetipsa considerando. Unde canebat: Quia fecit mihi magna qui potens est. Intellectum quoq;, affectumq; in DEI manum defixum habuit, quia DEI Filium super omnem intellectum Angelicum cognoscebat, ac diligebat. Deniq; intellectum, affectumq; in manu DEI fixum habuit, quia se Diuinæ voluntati semper conformare studuit, ac proinde, ut se huius Diuinæ conformaret voluntati. Angelo humiliter respondit: Ecce Ancilla Domini; Fiat, &c.*

Intellect. & affectus B. V. in Deum fuit semp fixus.

B. V. intellectum & affectum in manu Dei fixum habuit, quia Divinæ voluntati se cõformavit.

72. Tantò porrò amoris affectu Virgo ad vocem Angeli DEI voluntatem sibi annunciantis obedivit, ut charitatis ardore liquefieri visa sit. Unde Cant. 5. concinebat: *Anima mea liquefacta est, ut Dilectus locutus est.* Quemadmodum enim quod liquefit, omnem formam suscipit, sic Virgo DEI percepta per Angelum voluntate, ad omnia ejus capescenda jussa sese ostendit paratissimam. Hinc verba illa Sponsæ ponderans Richardus à Sancto Laurentio lib. 4. sic ea paraphrasi perereleganti reddidit: *Anima mea liquefacta est, per incendium charitatis, parata videlicet ad instar metalli liquefacti decurrere, in omnes modulos Divinæ voluntatis, ut Dilectus locutus est ad me per Gabriëlem, postulans me in Matrem; cui me obtuli in Ancillam.* Sic ille.

B. V. amore liquefacta, ad omnem Dei nutũ promptissima.

73. Idem Richardus lib. 2. de laudibus Virgin. partic. 2. ob istud tam insigne Virginis nostræ parendi studium, Aurem illam appellavit. Cùm enim docuisset DEIparam humano generi membris omnibus deservijsse, de ipso auditu mox attexuit: *Auditu simplici ad nostram Salutem suscepit Nuncium Gabriëlis; & ab auditu ipsius initium sumpsit reparatio nostra, ut intraret remediũ, unde morbus irrepserat, & eisdem vestigijs sequeretur Vita, Mortem; lux, tenebras; veritatis antidotum, Serpentis antiqui mendacium venenatum: & vita Ianua fieret auditus, per quem intrauerat mors in Mundum. Hinc de ipsa Domino canebat David Psal. 9. Præparationem cordis eorum, id est, humilium, audiuit Auris tua, hoc est Beata Virgo, quia ipsâ mediante pauperes exaudis, sicut homo mediante aure suâ.*

B. V. sicut omnibus membris nobis servivit, sic & aure, consentiendo Angelo.

Auditus B. V. est Vitæ Ianua.

B. V. est Auris Dei, quia illâ mediante, nos audit, & exaudit.

74. Ob hanc DEO parendi promptitudinem Guerricus Abbas Ignatien. ser. 1. de Assumpt. ait jure merito appellandam DEIparam: *Voluntas mea in ea: O MARIA*, inquiens, *non vocaberis, ait Dominus ultra derelicta, & terra tua non vocabitur ultra desolata, ut quia Virgo, ideò sis infœcunda, sed vocaberis: Voluntas mea in ea: id est Dilectus Filius meus in ea, quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur.* Quare jure merito Beatus Andreas Mediolanensis Ord. Eremit. D. August. in M. S. Codice à Novarino Viro Doctissimo citatus inter reliqua præclarissima Virginis elogia illud, eam alloquens, numeravit: *Mater Samsonem talem Filium, per abstinentiam genuit, tu talem per obedientiam suscepisti.* Unde corpus quod dilectissimo suo exhibuit Filio, totum auris quædam ad parendum promptissima esse videbatur: Ubi enim legit Apostolus Hebr. 10. *Corpus autem aptasti mihi*; legit in persona Christi Regius Vates Psal. 39.

M. Nomẽ ob eius obedientiam, dicitur: Volũtas mea in ea.

Sicut Sãsonem Mater per abstinentiam, sic B. V. per obedientiam genuit Filiũ Dei.

Aurẽ

Corpus Christi conceptũ ex Virgine obedientissima, fuit totũ quasi Auris.

Aures autem perfecisti mihi. Quasi corpus illud natum de Virgine obedientissima, totum esset auris ad obtemperandum nata, utpotè quod Virgineæ obedientiæ pulcherrimum germen extitit. Quare Hugo Charensis illud Psalmistæ Vaticinium: *Aures perfecisti mihi;* sic est interpretatus: *Perfectam obedientiam dedisti mihi.*

Christus à B. V. Matre perfectam obedientiam accepit.

75. Quapropter, ut se humillimæ, obsequentissimæque Matri à primo incarnationis instanti conformaret, mox voluntatem suam nutui Patris æterni promptissimè subdidit. Quod pervenustè nobis expressit Ezechiel, cui Dominus cap. 40. *Porta,* inquit, *hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus DEVS Israël ingressus est per eam, eritq; clausa Principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino.* Porta enim hæc semper clausa, communi Sanctorum Patrum asseveratione, Deiparam semper Virginem denotat, in qua velut regali Solio Princeps ille Regum terræ, Rex Regum, & Dominus Dominantium novem mensium spatio resedit, ibique jucundissimè voluntatem Patris æterni faciendo, deliciatus est. Obedientia enim illi ad instar sapidissimi, mellitique panis, ad instar suavissimarum epularum fuit, ut ipse apud Ioannem contestatus est cap. 4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ut perficiã opus eius.* De toto hoc argumento præclarè, sapidèq; jam memoratus Guerr. ser. de Annunc: *Sedebit,* inquiens, *in ea, quoniam requiescet in ea, sedebit in ea tanquam in throno grandi, quem Salomon Rex sibi de ebore fecit. Si attendas angustias uteri, locus prorsus angustus est; si latitudinem cordis, Thronus grandis est, propter quam etiam uterus tantæ Maiestatis capax factus est. In ea ergo Princeps sedit, & panem comedit, quia si quis, inquit, aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum. Non est hæc cœna sine pane, quando & ipse qui cœnat panis est vitæ, panis qui hodie descendit de cœlo, & dat vitam Mundo. Sed res mira, si idem est qui cœnat, & qui cœnatur, & qui comedit, ipse est panis, qui ab eo comeditur. Revera res mira, sed res vera, quia Christus non alio pane, quàm seipso pascitur. Ipse namq; totus est panis, Verbum propter se; Caro propter Vnionem Verbi; Verbum igitur pascitur de Verbo, Filius vivit de seipso. Quia sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio Vitam habere in semetipso.*

Christus in Deiparæ utero, velut Porta clausa deliciatus est, faciendo voluntatem Patris.

Christi panis erat facere voluntatem Patris.

B. V. uterus Thronus grãdis.

Christus non alio pane, quã seipso pascitur.

Atque ita Filius faciendo voluntatem Patris, quæ illi ad instar cibi est, eademque est cum suâ (siquidem ipse testatur: *Ego & Pater unum sumus*) de semetipso vixit, de seipso in utero Virginis deliciosissimè nutritus est.

76. Neque verò censendum liberalissimum Dominum, Matrem suam, quæ illi & obsequentissima extitit, & de semetipsa hospitium & triclinium exhibuit; indonatam pro tantis beneficijs abire permisisse. Apertâ siquidem, effusissimâque manu, ut tantam decebat Majestatem munera sua, pro tantis meritis illi communicavit. De merito hoc audiendus Divus Bernardinus Senensis Tom. 4. ser. 6. c. 3. quod ille Stellam unam ex ijs 12. quæ Virgineum cingunt Verticem, esse pronunciavit: *Plùs meruit,* inquit ille, *gloriosa Virgo, unico illo consensu Conceptionis Filij DEI, quàm omnes creaturæ, siue Angeli, siue homines in cunctis suis actibus, motibus, & cogitationibus. Et quidem omnes qui meruerunt, nil ampliùs mereri poterant, quàm secundùm diversos statûs, & gradûs gloriam fœlicitatis æternæ. Hæc autem Virgo in illo glorioso consensu meruit extinctionem fomitis, Primatum Orbis, Dominium Mundi, super omnes creaturas, Sceptrum Regni, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum Spiritûs, omnium scientiarum, & maximè Theologiæ, interpretationis sermonum, Spiritum Prophetiæ, discretionis spirituum, operationis virtutum, gratiæ sanitatum. Meruit deniq; fœcunditatem in Virginitate, & Maternitatem Filij DEI: Meruit quod sit Stella Maris, Porta cœli, & super omnia quod Regina misericordiæ nuncupetur, ac talis Nominis consequatur effectum.* Sic Bernardinus.

B. V. Dei effusissimâ liberalitate locupletata.

B.V. quãtùm meruerit in cõceptione Filij Dei.

Hoc meritum est una Stellarum ipsius Diadematis.

B.V. consensu suo promerita Primatũ Orbis, plenitudinemq; omniũ gratiarum.

M. merita suo consẽsu, ut sit Regina misericordiæ, & huius nominis effectus.

77. Ob hæc tot, tantaque illi cœlitus communicata munera, ac charismata, jure merito Deipara Mons quidam ex aromatis omnium virtutum compositus appellari consuevit, ad quem cœlestis Sponsus eorum illectus suavitatis odore descendere, in eaque commorari non est dedignatus. Vnde in Canticis lætus concinebat: *Ibo mihi ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris.* Cant. 4. Quæ verba idem Guerr. expendens ser. 1. de Annunc. *Venit ille,* inquit, *in illum Montem altissimum Montium, Montem non modò Myrrhæ & thuris, sed & omnium aromatum. Dico autem Virginem Virginum, omnium plenam gratiarum, inter quas tamen præcipuè, nisi*

B.V. Mons aromatũ.

B.V. Mons Myrrhæ, & collis thuris.

In B. V. Myrrhà castitatis, & Thus pietatis.

nisi fallor, redolebat Sponso myrrha castitatis, & thus pietatis. Odor ipse super omnia aromata, odor iste Dominum Majestatis de excelsis attrahit, & invitat, ut inclinet cœlos, & descendat, sicut probat dies hæc, in qua Altissimus, Angelo misso de cœlo, ipse quoq; descendit in uterum Matris, qui semper manet in Sinu Patris.

78. Cùm igitur Virgo Deipara humilitatis, obedientiæ, reliquarumque Virtutum insigni merito, non modò ad Divinæ Maternitatis dignitatem, verùm etiam ad similitudinem quandam excellentissimam Creatoris, Patris, videlicet, æterni, verbo *Fiat*, cuncta creantis sit evecta, Orbem universum eoque contentas creaturas recreando, atque innovando: cùmque eam ex humillima Ancilla, primam creaturarum omnium factam esse videamus, imitemur ejus hanc profundissimam humilitatem, ut quemadmodum illa, uti loquitur D. Bernard. serm. de verbis Apoc. *Facta est novissima prima, quæ prima cùm esset omnium se novissimam faciebat*, ad apicem illum cœlestis, sempiternique honoris conscendamus, gratiamque apud Deum humilia respicientem inveniamus. Virtus hæc sicut Dei Filij mitis, & humilis corde, sic etiam Sanctissimæ ejus Matris est propria.

B. V. omnibus suis actionibus exemplũ nobis fuit humilitatis.

Vnde totius vitæ decursu ipsius præclarissima, atque luculentissima non modò in Incarnatione Verbi, verùm etiam in omnibus suis actionibus exempla nobis exhibere studuit. Atq; ut reliqua ipsius gesta prætermittam, in purificatione sanè, in qua, cùm post benedictum Filium omnis puritatis, ac sanctimoniæ esset Fons, ad instar tamen Peccatricis cujuspiam, summâ animi demissione sese legi Mosaicæ Virgo purificanda, rarissimo, ac prorsus insolito illorum temporum exemplo subjecit, quo nobis perfectissimæ humilitatis formam imitandam relinqueret, nosque præclarissimo illo facto, ad ipsius consectanda vestigia excitaret. Vnde jam sæpiùs memoratus Abbas Gvarr. ser. 4. de Purific. *Cùm*, inquit, *Beata purificatio Mariæ recensetur, manifestè de nostra ipsorum purificatione admonemur. Quem verò tanti non moveat Auctoritas exempli, cùm videamus scilicet, quia illa Sancta Sanctarum Sanctissima, quæ nihil purgandum habuit, purgationis tamen legalis implere mandatum non renuit? O Mater immaculata, Mater intacta, nõnne tibi conscia es puritatis, quia, scilicet, integritatem tuam nec conceptus, nec partus violavit, sed sacravit? Quare ergo tanquam muliebre aliquid in concipiendo, vel pariendo sis passa, sic mundationis, quæ muliebri provisa est infirmitati quæris remedia?* Ad hæc Virginem in hunc modum respondentem pro nostra eruditione mox introducit: *Sic*, inquit, *decet nos omnem implere justitiam, ut quæ Mater summa electa sum Iustitiæ, Speculum quoq; sim totius & exemplar Iustitiæ. Novi ego superbiam Filiorum Evæ, quæ promptior est ad excusandum, quàm expurgandum commissa. Necessarium arbitror, ut vitijs Originis antiquæ statim in initijs, omnia nova generationis occurrant exempla, Mater prævaricationis peccavit, & excusavit procaciter: Mater redemptionis non peccet, & satisfaciat humiliter, ut Filij hominum qui de Matre vetustatis traducunt necessitatem peccandi, de Matre saltem novitatis trahant humilitatem purgandi.* Hactenus pijssimus in Virginem Abbas, cum quo etiam hujus Discursus finem facio, adhortans omnes, sicut ipse suos domesticos, ad animum à vitijs expurgandum, hocque Dei Matris humilitatis exemplum intuendum.

B. V. in Purificatione summa humilitas eluxit.

M. Sancta Sanctarũ Sanctissima.

M. Speculum totius Iustitiæ.

Intueamur sanè irretortis oculis Deiparam nostram humi prostratam, humilitatis suæ abysso quadam absorptam quodammodo, voluntatem suam cum Divina conformantem. Imaginemur nobis ad ejus humillimum illud verbum *Fiat*, inclinari cœlos, ima summis sociari, Verbumque æternum de Sinu Patris in ejus castissimum uterum, ad instar aquarum, cum impetu, de Libano fluentium immigrare, moxque eam in novum quendam Mundum, in novum Cœlum, Terramq; transformari, totumque Vniversum, creaturasque ipso contentas recreari, renovarique. Atque ita tandem intelligemus, quanta sit humilitatis Virgineæ, ejusque omnipotentis voluntatis virtus, ac energia, intelligemus, inquam, omnipotenti suo *Fiat*, Deiparam in nobis quoque, si ad eam cum fiducia, amoreque filiali recurrerimus, effectûs admirabiles operaturam, largissimumque illum suarum gratiarum Fontem, plenitudinemque nobiscum liberaliter communicaturam, & ad postulationes nostras singulas, imò ad minimos nutûs, pro innatâ sibi benignitate dicturam promptissimè;

FIAT.

MEDITATIO X.

Dignitatem tuam ò Virgo gloriosissima, ad quam consensu tuo humillimo provecta es, mihi cogitanti, mês deficit, lingua obmutescit. Video enim tuo illo verbo demissionis plenissimo, te ad eminentissimam Divinæ Maternitatis provectam esse gloriam; Video in te vivam quandam Creatoris, verbo cuncta condentis expressam imaginem. Video te æterni Patris Virtutem ipsius creativam gratiosè æmulantem, esse Filiam. Video te, tu illo *Fiat*, Omnipotenti, virtute admirabili, in te Cœlum, Terramque condentem. Verè enim Virgo sacratissima tu novum Cœlum es, Cœlum illud Empyreum, in quo Superni Numinis Sedes fixa est. Quemadmodum enim illud, magnitudine suâ omnia simul cœlestia superat corpora, sic tu multitudine, & amplitudine meritorum, gratiarumque omnium, puras omnes creaturas excedis. Tu Cœlum es Stellatum, varijs, ijsque pulcherrimis Virtutum distinctum, sideribus, in quo æternus Sol Iustitiæ comparuit, totumque Mundum salutari suâ luce irradiavit. Tu terra nova es, ac benedicta, in qua Divina Bonitas plantavit Lignum vitæ dulcissimum, suum in uterum tuum Virginalem mittendo Filium, ut mortuo in sceleribus Mundo, Vitam nullo fine terminandam afferret. Tu ipsam Humanitatem Christi sanctissimam eodem tuo illo verbo, *Fiat*, superveniente in te, atque obumbrante Spiritu Sancto, velut novum quendam Mundum, ratione, humanæ menti incomprehensibili, linguæ etiam Angelicæ ineffabili condidisti; atque effecisti, ut Dei nostri, cujus olim justitia, minæ, terroresque dumtaxat Mundo innotuerant, humanitas atque benignitas appareret, hominesq; timore, ac terrore Divini Numinis prostratos quodammodo, ad tantæ benignitatis, pulchritudinisque Divinissimæ, quæ ore, oculisque Sacrosanctæ illius Humanitatis promicabat, amorem erexisti, inflammasti; ut tam eximiam Divini illius Hominis venustatem contemplantes, ab amore noxio rerum creatarum aversi, affectum universum planè in nobilissimã illam naturam Divinitati, personali vinculo arctissimè unitam transferrent.

Tu denique verbo tuo, *Fiat*, Virgo potentissima, Patris æterni universorum Creatoris æmulatrix, perditum, pessundatumque Mundum, Creaturasque in illo comprehensas recreasti, instaurasti; Dum enim homo scelere Protoplastorum collapsus erigitur, ad pristinamque dignitatis formam revocatur, omnes in illo pariter eriguntur, dignitatique pristinæ, ac formæ restituuntur creaturæ; cùm ipse illarum omnium sit absolutum quoddam Compendium, essentiam in se complectens cum cœlis, ac elementis communem, vitam vegetativam, cum plantis: sensitivam, cum animalibus: intellectualem, cum Angelis. Quid ergo pro tantis tuis in hominem meritis, tibi totum humanum genus, atque adeò totum debebit Vniversum? Sanè jure merito mihi exoptandum esset, ut omnes creaturæ à te reformatæ, pristinoq; suo decori redditæ, te summis laudum præconijs extollerent, plenoque ore celebrarent. Optandum verè nobis foret omnibus, ut omnes converterentur in linguas, teque semper sine modo sine fine deprædicarent, neque ulla unquam ætas de tuis laudibus conticesceret.

Laudent te igitur Domina mea amabilissima, totiusque creaturæ Regina potentissima; laudent te cœli, & omnes ornatûs eorum. Laudet terra cum omnibus quæ ejus amplissimo Sinu continentur; Laudent omnia Orbis terræ climata; Laudet Oriens simul & Occidens; Laudet Meridies, atque Septentrio, Nomen tuum illud gloriosissimum ex Divinitatis Thesauris evolutum glorificent in sempiternum. Vt porrò tanto gratiores tibi nostræ sint laudes, libet cum devotissimo, castissimoque tuo amatore, ardentissimo Seraphino, creaturas omnes, quæ per te hujus recreationis atque innovationis gaudent beneficio, ad te pro dignitate collaudandam invitare, atque summo affectu exclamare: Psal. 95. *Cantate plenæ gratiæ Canticum novum, Cantate Mariæ omnes terrigenæ Orbis.* Et Psalmo 148. *Laudate Dominam nostram de cœlis, glorificate eam in excelsis. Laudate eam omnes homines, & jumenta, volucres cœli, & pisces maris. Laudate eam Sol, & Luna, Stellæ, & Circuli Planetarum. Laudate eam Cherubin, & Seraphin, Throni, Dominationes, & Potestates. Laudate eam omnes Legiones Angelorum, laudate eam omnes Ordines Spirituum*

super-

supernorum. In hoc creaturarum, Virginem summâ animi voluptate glorificantium constituta choro, & quid tu tandem agis ò Anima mea? Nónne audis suavem hunc omnium creaturarum cœli, terræque, Deiparam collaudantium concentum? Cur tu quoque illis te non associas? Cur animitus, medullitusque laudum cantica, actionesq; gratiarum tuæ Instauratrici benignissimæ non persolvis? Cur te totam ejus servitio, cultui, obsequioque non addicis, ac mancipas? Siquidem illi post Deum te totam quanta es, cum tuis potentijs, memoriæ, intellectus, ac voluntatis, earum denique operationibus; corpus hoc cum suis membris, ac sensibus debes?

In ejus igitur laudibus, ac obsequio te, tuasque facultates omnes occupato, ejusq; instaurationis in te factę sis cooperatrix. Benedic igitur Anima mea Dominam, & omnia quæ intra me sunt Nomen Sanctum ejus.

Erubesce, quod perversâ tuâ voluntate, quod ipsa instauravit, ac innovavit Virgo, tu destruas, ac deturpes, cùm potiùs innovata hæc, Virginis beneficio, Dei Imago, varijs virtutum coloribus, tibi quoque assiduè ornanda esset, inque suo nitore, ac splendore conservanda. Et quoniam agnosco, ò Virgo, me hoc, absque ope singulari mihi demissa cœlitus præstare non posse, ad Te recurro Mater nostra pijssima, Redemptrix, ac Regeneratrix totius humani generis potentissima, impetra mihi à tuo benignissimo Filio, ut quod ille ad imaginem, & similitudinem suam efformavit, quodque tu collapsum reformasti, suâ gratiâ ipse in nitore splendoreque pristino conservet, novisque in dies donorum cœlestium amplificet incrementis. Rogo te denique, ò Mater purissima, totius puritatis, sanctimoniæque immaculatum Speculum, rogo te, inquam, & obsecro cum tibi devotissimo, ac Religiosissimo Idiota cap. 3. Contemplat, per Virgineam fœcunditatem, fœcundamque Virginitatem tuam, quibus Orbem universum tam mirabiliter innovasti: *Munda cor meum immundum, & inquinatum, ò pijssima Virgo Maria, tuisq; precibus obtine mihi speciem spiritualem, per quam in servitio tuo, & superbenedicti Filij tui placeam tibi in vitam sempiternam.* Rogo te rursus, ut me totum tibi, Filioque tuo vendices, illi me in sacrificium, & holocaustum offeras, ac consecres, ut nil in posterum de tua, in anima mea innovatione, ac recreatione deturpetur, sed pristina illa Imago Conditoris mei in sua integritate conservetur. Quod, ut efficaciùs consequi merear cum tuo illo pijssimo servo Iusto Landspergio Meditationem hanc claudo, tibique dico medullitus: Spes mea unica post Deum, B. V. Maria Mater dulcissima, atq; gloriosissima, offero me tibi, commendo, & resigno me ad pedes tuos. Suscipe me in Filium. Esto mihi pia Mater. Impetra mihi, ut vitam tuam, & eas virtutes, quibus tu Filio placuisti, pro modulo aliquo, quantum Deo placuerit, imitari merear. Adesto mihi in omni tentatione. Custodi, & dirige me, ut in omni bono, & in omni virtute semper proficiam, & in Dei, tuoque servitio pariter, ac amore nunquam deficiam. Amen.

Oratio Idiotæ ad B.V. pro mundicia cordis impetranda.

Oratio Iusti Lãdspgij, quâ se offert B.V.

AVE MARIA.






DISCVRSVS XI.

Quod Misericordia DEIPARÆ, Patris æterni misericordiam æmuletur, eamque ob causam Mater misericordiæ nuncupata sit.

Speciosa misericordia DEI in tempore tribulationis, sicut nubes pluviæ in tempore siccitatis. *Eccli. 35.*

I.



Licet Orbis universi creatio, à Sanctis Patribus communiter infinitæ Patris æterni, uti diximus, Omnipotentiæ attribui consueverit, nihilominus tamen Regius Psaltes eandem effusissimæ ipsius misericordiæ adscripsit. Hinc Ps. 135. identidem creaturas omnes ad Conditoris sempiternas laudes celebrandas invitans, causam proximam, immediatamque harum laudum, Divinam misericordiam assignat; unde magno amoris affectu, lætitiáque exiliens, concinebat: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. Confitemini Domino Dominorum, quoniam &c.* Et postquam hæc dixisset, mox causam hujuscé laudationis attexit: *Qui fecit cœlos in intellectu, qui firmavit terram super aquas: qui fecit luminaria magna, Solem in potestatem diei. Lunam & Stellas in potestatem noctis, quoniam in æternum misericordia ejus.* Quibus sanè Divinæ misericordiæ encomijs insinuare voluisse visus est David, DEVM optimum, maximum in Orbe fabricando, cœlum omne, omnemque terram, immensâ suâ pietate, ac misericordiâ complevisse. Quod cùm idem intelligeret Propheta Psal. 109. gaudens rursus concinebat: *Confitebor tibi in populis Domine, & psallam tibi in nationibus, quia magna est super cælos misericordia tua.* Et Psal. 32. *Misericordia Domini plena est terra.* Vnde effusissimam hæc pietatis DEI nostri Apostolus 2. Corinth. 1. agnoscens viscera, piâ cordis intimi teneritudine illi benedicebat: *Benedictus DEVS, & Pater Domini nostri IESV Christi, Pater misericordiarum, & DEVS totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Idem Apostolus scribens ad Ephes. 2. eundem Patrem in misericordia divitem appellavit: *DEVS autem dives est in misericordiâ, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* Princeps denique Apostolorum copiosissimæ huic DEI misericordiæ, Magnæ titulum attribuit 1. Pet. 1. *Benedictus,* inquiens, *DEVS & Pater Domini nostri IESV Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem IESV Christi ex mortuis.*

Orbis creatio Divinæ misericordiæ adscribitur.

Patris æterni magna misericordia in creando Mundo

2. Et ne arbitremur divitias hascé pientissimæ suæ misericordiæ Divinam illam Bonitatem in hoc dumtaxat aspectabili cœlo, ac terra condenda effudisse, observandum, ad verba illa: *Qui fecit cælos;* mox non absque mysterio subjunxisse Prophetam; *In intellectu;* Ad denotandum fortasse, non quidem cœlum hoc intellectu esse præditum, ut sensit Cardin. Cajetanus; sed aliud mysticum quoddam animatum, atque intellectuale cœlum reperiri, Virginem nempè DEIparam gloriosissimam, à Sanctis Patri-

B.V. Cœlum intellectuale, & animatum.

Patribus passim cœlum animatum, ac vivum appellatam, quam DEVS infinitæ suæ pietatis, ac misericordiæ effundendo thesauros, in generis humani subsidium, ac commodum, velut cœlum condidit, ut ipsius benignissimis gratiarum influxibus infunderetur. Vnde à S. Gregorio Thaumat. serm. 3. de Annunc. Pater æternus, Gabriëlem ad Virginem ablegans, sic loquens introducitur: *Abi ad alterum, quod in terra est cœlum.* Quod sanè Virgineum, animatumque Cœlum tantò, tamq; præstanti supremi illius Opificis artificio fabrefactum, si à nobis attentè identidē pièq; consideretur, ad Divinæ misericordiæ deprædicandas laudes multò magis, quàm reliquæ creaturæ, omnes nos invitabit.

3. Quod si rursus Terram hanc Virgineam attentiùs fuerimus contemplati, magis adhuc ad DEI misericordiam extollendam succendemur. Verè enim Terra hæc, est Terra illa, quam firmavit DEVS, super aquas; (cùm Terram hanc aspectabilem dixerit David fundatam fuisse super stabilitatem suam.) Cùm enim Deipara abyssus profundissima aquarum, gratiarum nempè cœlestium fuerit, & super hanc profundissimam humilitatis abyssum, suprema Majestas eminentissimam illam Divinæ Maternitatis dignitatem firmaverit, rectè canit Psalmista, Virgineam hanc Terram super aquas firmatam.

B.V. Terra super aquarum, id est, gratiarum abyssũ fundata.

Quod correspondet etiam Iobi sententiæ dicentis, à DEO Terram super nihilum esse fundatam. Dum enim Virgo humillima, quæ in oculis DEI, abyssus erat gratiarum profundissima, sese in oculis suis nihilum & abyssum miseriarum, absque fundo (abyssus enim in sententia S. Basilij Hom. 2. in Hex. est copiosa aqua, ad cujus fundum non facilè potest penetrari) esse reputat; quid quæso aliud nobis cogitandum relinquit, quàm se Terram illam esse super aquarum abyssum, nihilumque firmatam, atque fundatam, ad mortales omnes, dum in hac vita degunt, non modò alendos, verùm etiam nè in Infernum præcipites ruant, sustinendos? Eamq; ob causam sempiternam DEI misericordiam omninò dignam, quę omnium vocibus, ac linguis, ob tam singulare beneficium nobis præstitum celebretur.

B.V. Terra supra nihilum humilitatis fundata.

B.V. Terra est, mortales sustinens ne ruant in Infernũ.

4. Dum igitur Propheta Regius nos ad Divinæ misericordiæ pangendas laudes tam solicitè, ardenterque invitat: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius, qui fecit cœlos in intellectu, qui firmavit Terram super aquas;* intentionem suam eo dirigere sine dubio visus est, ut non modò summa DEI pietas, ac misericordia ab omnibus collaudetur, quod Cœlum hoc, Terramque, quam quotidie aspicimus, condiderit, sed multò magis mysticum hoc, animatumque Cœlum, & Terram hanc Virgineam tam mirabiliter super aquas, quæ naturâ suâ fluidæ, instabilesque sunt, ad totius generis humani sustentationem firmaverit, ac stabiliérit.

Patris æterni misericordia meritò celebranda, quod Cœlum & Terram Virgineã cõdiderit.

5. Et sanè si Pater æternus, ideò Pater misericordiarum, ab Apostolo vocitatur, quod innumerabilibus suis beneficijs, suæque infinitæ bonitatis communicatione, miserias nostras sustulerit, quales sunt nihilum illud, quod ante ipsius pientissimam creationem, atque conservationem eramus: Servitus illa Sathanica, atque intolerabilis captivitas, cui infœlicissimè subjacebamus ante dilectissimi ipsius Filij, pro nobis preciosissimo sanguine factam redemptionem. Qualis est denique miseria illa miserabilissima peccati originalis, quæ verè origo, ac virulentus Fons peccatorum omnium, calamitatumque, quibus humanum genus conflictatur, extitit, quam tandem miseriam, gratiâ justificante ab animabus nostris tollere, easq; sibi gratissimas Sponsas efficere non est dedignatus; si, inquam, ob hæc, aliaque beneficia Pater misericordiarum est appellandus, potiori sanè jure idem hic titulus erit ei attribuendus, quod ex nihilo miseriæ maximæ Cœlum hoc intellectuale, Terram hanc Virgineam creando, & à labe originalis peccati præservando, DEIparam nostram eripuerit.

Cur Pater æternus dicatur Pater misericordiarum?

Deus ostendit se Patrem misericordiarum, cùm B.V. à peccato originali præservavit.

6. In cujus profectò creatione extremum, uti dicam, suæ bonitatis, ac misericordiæ universorum Conditor exerere visus est, quo miserijs, imperfectionibusque remotis omnibus, quæ miseris accidere solent mortalibus, tantò copiosiùs omnes suas perfectiones, præsertim verò infinitæ suæ pietatis, ac misericordiæ divitias in illam posset effundere. Quare dum Orbem universum, pietate, ac misericordiâ incitante, Pater æternus molitetur, Virginem hanc præ oculis Divinissimæ suæ mentis, suoque quasi lateri astantem habuit, ut quemadmodum

B.V. Patri æterno Orbem condenti astitit.

dum creaturarum omnium, suæque Divinæ naturæ perfectiones, sic etiam suæ effusissimæ pietatis, ac misericordiæ excellentiam ipsi conferret, quo sicut illa Divina Majestas est, & vocatur Pater misericordiarum: si Sanctissima Deipara Domina nostra clementissima, Mater misericordiarum esset, & ab omnibus prædicaretur.

Sicut Deus dicitur Pater misericordiarum, ita Deipara Mater misericordiarum appellanda.

7. Né ampliùs ergo conqueraris ò David, né ingemiscens ampliùs dicas: *Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, sicut jurasti David in veritate tua? En tibi fidelis ille Dominus in omnibus verbis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis, misericordias suas*, viscera pietatis suæ effusissimæ patefecit Mundo. Misit, misit suum dilectissimum nobis Filium, qui in utero Virginis humanitatem nostram assumens, Homo factus, velut in Regio quopiam Throno residens, carnis nostræ circumdatus paludamento, judicavit pauperes populi, & salvos fecit Filios pauperum, & humiliavit calumniatorem Psal. 71. Sathanam nimirum, fratrum accusatorem. Atque ita sicut tunc factus est nobis, ut inquit Apostolus, Iustitia, Sanctificatio, ac Redemptio, ita quoque factus est nobis Misericordia, eandemque, carni, purissimisque sanguinibus Sanctissimæ communicando Matris, non ingratus Filius, amore nostri, communicavit eidem, ut duplici hâc misericordiâ, ceù alarum fœlicissimo remigio, in cœlum, post hujus miseræ vitæ incolatum quam facillimè possemus evolare.

Christus est nostra misericordia.

Dei Filius Matris communicando carni & sanguini, eidem cõmunicauit pietatem, factaq; est Mater misericordiæ

Misericordiâ Christi, eiusque Matris, quasi geminis alis in cœlum evehimur.

8. Hæ nimirum sunt antiquæ illæ à tot sæculis, tam anxijs Sanctorum Patrum desiderijs expetitæ misericordiæ, & à Deo sempiternâ veritate jurejurando Davidi promissæ, quemadmodum ipse Psal. 131. testatur. *Iuravit Dominus David, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Vbi sicut per fructum Davidici ventris, intellexit sine dubio benedictum illum Fructum, qui de ventre Virginali prodijt, totumque genus humanum cœlesti dulcedine cumulavit: Ita per sedem Davidicam, Seraphico Doctore attestante cap. 8. in Speculo, Deiparam, in qua, velut animato quopiam Throno Dei Filius, qui ipsa, per essentiam est misericordia, residendo, eam quodammodo in se, pietatemque, ac misericordiam Divinam transformavit, Matremque misericordiæ effecit.

B. V. Thronus David.

Sed ipsum, in Virginem pientissimum Bonaventuram, de hac tam admirabili misericordiæ mutuâ transformatione, ex habitatione Dei Filij in utero Virginali, loquentem, & verba illa Angeli; *Dominus tecum;* interpretantem audiamus: *Attendite charissimi,* inquit ille, *quod Dominus noster specialis, qui cum MARIA est, ipse est Dominus pijssimus liberaliter, & misericordia infinita. Ipse enim est Dominus, de quo Propheta ait: Tu Domine suauis & mitis, & multa misericordia omnibus invocantibus te. Pro quibus miserationibus Isaias concinebat cap. 63. Miserationum Domini recordabor, laudabo Dominum super omnibus, in quibus reddidit nobis Dominus. Ecce Maria qualis Dominus, quam pijssimus, quam misericordissimus Dominus est, qui tecum est. Et quia Dominus misericordissimus misericordissimè est tecum, ideò & tu es misericordissima secum. Ita ut verè de te dici possit illud Isaiæ 16. Præparabitur in misericordia Solium eius, & sedebit super illud in veritate. Solium Divinæ Misericordiæ est Mater misericordiæ, in quo omnes inueniunt solatia misericordiæ; nam sicut misericordissimum Dominum, ita & misericordissimam habemus Dominam; Dominus noster est multa misericordia inuocantibus se, & Domina nostra similiter est multa misericordia inuocantibus se. Vnde optimè dicit Bernardus: Sileat misericordiam tuam Virgo Beata, qui invocantem eam in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse.* Hactenus Bonaventura, ex cujus pientissimo sanè discursu, mirabili quâdam metamorphosi misericordiam Filij, in Matris pijssimæ vicissim transijsse viscera, testari visus est.

B. V. facta misericors, cùm Divinam Misericordiã ipsum Dei Filium cõcepit & peperit.

B. V. est Solium Divinæ Misericordiæ.

9. Quam ob causam Sanctus Ildephonsus Toletanus Archiepiscop. serm. de Nativit. B. V. eam magnam Misericordiam vocitare non dubitavit: *Honorabilis,* inquiens, *est sacra festiuitas, in qua nata est Virgo MARIA DEI Genitrix. Hoc est Gaudium nostrum, hac est Festivitas nostra, quia quando voluit fecit, vt nos per suam magnam Misericordiam, per Virginem visitaret. Exultemus & lætemur omnes in hac Festiuitate, quia præclara & sancta est, in qua inchoauit Redemptor omnium visitationem mirabilem, nosq; de captivitate ad pristinum locum reuocare dignatus est.* Sic Ildephonsus.

B. V. est magna Misericordia.

Quare Virginem hanc pientissimam sese in Templo in triennali ætatula Deo consecrantem, contemplans David, sublatis in cœlum oculis, manibusque, reddidit immortales Divinæ bonitati gratias,

DumB.V. trimula se in Templo præsentauit, velut Oliva ibidem plantata, est.

tias, quod hæc Planta cœlestis, ad instar semper viridantis oleæ in Templi viridario fuerit plantata, quo oleum misericordiæ toti Mundo uberrimum profunderet, unde & lætus cecinit: *Suscepimus DEVS misericordiam tuam in medio Templi tui, secundùm Nomen tuum DEVS, sic & laus tua.* Ps. 47. v. 10.

10. Ingressum hunc Virginis in Templum, Beatus Georgius Nicomediensis Episcopus expendens, sciens quod quædam pulcherrima oleæ ibi inseretur Plantula, Templo illi congratulans: *Accipe,* inquit, *oleam frugiferam, per quam scaturit oleum exhilarans, & pinguefacit creaturam.* Quare Sanctus Ioannes Damascenus censuit Virginem, dum in Templo moraretur, in diesque singulos, magnis passibus, in studio perfectionis, pietatisq; erga genus humanum, sanctimoniæque progrederetur, subindè Domino cecinisse Davidicũ illud Ps. 51. v. 10. *Ego autem sicut Oliua fructifera in Domo Domini, speraui in misericordia DEI mei, & expectabo Nomen tuum, quoniam bonum est, ante conspectum Sanctorum tuorum.* Sperabat vere Virgo Sanctissima in misericordia Patris æterni, qui erat illi quasi propriè Deus, & Pater suus ob Filiationem, relationemque quasi naturalem quam ad Patrem habebat. Sperabat, inquam, missurum tandem Verbum suum velatum carne, Nomenque Divinissimum Iesu, quod est Oleum purissimum, toto Orbe Terrarum copiosissimè effundendum. Vnde in Persona Sponsæ illi canebat Cant. 1. *Oleum effusum Nomen tuum;* sperans interea Incarnati Verbi exemplo, majores in dies in misericordia erga homines se facturam progressus.

B.V. Oliva misericordiæ, oleum fundens in Templo plantata.

B.V. velut Oliva Oleum Iesum produxit.

Mirificam hanc virtutum omnium, ac præsertim pietatis, ac misericordiæ in hac Virguncula, conspiciens pulchritudinem, meritò pronunciavit Ecclesiasticus: *Quasi Oliva speciosa in campis.* Eccles. 24.

11. Crediderim similiter eandem misericordiæ venustatem in ea contemplatum exclamasse: *Speciosa misericordia DEI in tempore tribulationis, quasi nubes pluvia in tempore siccitatis:* Quæ verba expendens Richardus à S. Laurentio lib. 4. de laudibus Virginis: *Benè,* inquit, *misericordia Virginis comparatur nubi, quia velut nubes, misericorditer abscondit peccatores ab ardore Solis, ab ira, videlicet, Filij: Et quia illos obumbrat atq; refrigerat ab æstu concupiscentiarum, & velut pluvia quâdam gratia fœcundat eosdem ad benè operandum.* Sic ille.

B.V. misericordiæ Nube obumbrat peccatores.

De hac mirifica sanè Virgineæ misericordiæ pulchritudine multa præclara Tract. 6. in Magnific. posteritati commendavit Ioannes Gerson Parisinæ Academiæ Cancellarius. Inter quæ illud in postremis minimè numerandum est, quod in persona Discipuli memoriæ tradidit, Deiparam dulcissimo illo suo Cantico, non modò Creatori suo cecinisse laudes, verùm etiam super peccatores, commotis ipsius ad pietatem, commiserationemque visceribus, ob insignem animarum, quo super omnes Sanctos ardebat Zelum, lamentationem assumpsisse. Quibus in persona Discipuli commemoratis, de insigni pietate Virginis hæc attexuit: *Si res ita se habet inæstimabilis, est nobis exhibita sperandi materia apud dilectissimam, & amantissimam fœminarum, & consequenter apud Sanctos, Sanctasq; omnes, iuxta proportionem meritorum. Itaq; si pro peccatoribus saluandis cum tantâ lamentorum anxietate precabatur, quid agere nunc ista Fornax imperturbabilis, & impassibilis charitatis speranda est?* Paucis deinde interjectis, hæc de vario Deiparæ commiserationis affectu subintulit: Maria *tripliciter adiuuat viatores. Impetratiuè, si non meritoriè, propter statum. Commissivè per aliquos Angelorum, vel Sanctorum, quales voluerit destinare, cùm sit suprema Hierarchizans post Filium, purgando, illuminando, perficiendo. Cooperatiuè quandoq; per principalem sui donationem, secundùm testimonia miraculorum multis exhibita, tam in morte, quàm in vita.* Quod & exemplo quodam à Sancto Anselmo citato, confirmat: *Narrat,* inquiens, *Anselmus cuidam morienti adstitisse MARIAM, & interrogata quæ nam esset? Respondit: Ego sum Mater, & Regina misericordiæ.* Virgineam tandem hanc misericordiam, aureâ quadam coronide redimere volens, concludit: *Potest ergo MARIA cuivis in suo exitu præsens Consolatrix, Ductrix, & Protectrix existere.* Addit deinde Vir hic pijssimus, insignem hunc miserandi affectum, didicisse Deiparam, dum sub cruce morienti adstitit Filio, audivitque vocem illam: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Audiebat,* inquit Gerson, *sæpè talia MARIA, recordata misericordiæ Filij sui, qui suscepit Israël puerum suum.* Ostendens revera se hac in parte etiam dilectissimi es-

B.V. suo Cantico nonsolùm Deo laudes cecinit, sed etiam infœlicitatẽ peccatorũ deploravit.

B.V. inæstimabilẽ nobis suâ misericordiâ exhibuit sperandi materiam.

B.V. Fornax impassibilis charitatis

B.V. suprema hierarchizans post Filium purgando, illuminãdo, perficiendo.

B.V. adstat cuidã morienti, velut Mater & Regina misericordiæ.

se

sè Imitatricem Filij, cui sicut à primo Incarnationis instanti, insignis in genus humanum ingenerata fuit pietas, ac misericordia, nec unquam defecit, sed majora semper in dies, imò in momenta singula accepit incrementa: sic etiam Matri Sanctissimæ à primis Immaculatæ Conceptionis exordijs; ita ut Mater, ac Regina misericordię jure merito potuerit appellari. Vnde idem Doctor graviter reprehendens Discipulum hac de re dubitantem. *Erras*, inquit, *si miserationem ullo tempore, vel loco, in cantico, vel silentio credideris in MARIA defuisse, quæ Mater ideò dicitur misericordiæ, quia quodammodo proprium illi est misereri miseris. Vnde aptè per Templum illud sine simulachro dedicatum Athenis ipsi Misericordiæ, cui solis lachrymis, ac gemitibus, non sanguine hircorum, vel taurorum offerebatur sacrificium, notatur. De quo Statius.*

B. V. suâ misericordiâ imitata Filium.

Misericordia nullo unquam tẽpore B. V. defuit.

B.V. Templum misericordię

Nullis inclusa metallis
Forma Dei, mentes habitare, & pectora gaudet.

Et fortassis hæc illa fuerit Ara, cujus titulum legit Paulus: Ignoto DEO. Hæc Gerson de eximia planè, incomprehensibilique DEIparæ in genus humanum misericordia, ob cujus singularem planè excellentiam, jure merito ipsa DEI speciosa Misericordia quodammodo posset nuncupari. Siquidem mirificè DEI Patris nobis in se repræsentavit misericordiam, quam in Orbis totius demonstravit molitione, ostendens revera, verissimam se, genuinam, ac quodammodo naturalem Patris æterni esse Filiam. Quemadmodum enim ipse Filium suum dilectissimum, qui ipsa Patris est Misericordia, generavit, sic etiam eundem generavit & Virgo, à quo effusissima illa pietatis suæ in nos viscera mutuata est. Vnde David de Filij DEI Incarnatione loquens, deque ejus effectibus Psal. 56. ipsam Divinam Misericordiam Filium appellavit: *Misit Dominus misericordiam suam, & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum Leonum.*

Quale fuerit Athenis Templum misericordiæ?

B. V. est quodammodo ipsa DEI Misericordia, sicut Filius.

12. De hac Virginis misericordia præclarè Beatus Laurentius Iustin. Patriarcha Venetorum ser. de Nativitat. Christi. *Est*, inquit, *Maria ad opitulandum paratissima, affectu pia, & humili devotione, & præ cæteris decora, vtpotè, quæ genuit mente, & corpore Christũ, & quæ ex conuersatione ejusdẽ perseverãti, de omnibus quæ ad interioris hominis compositionẽ, morumq; pertinent grauitatẽ, informari promeruit.* Quare S. Elisabetha ex Ordine D. Benedicti Sanctimonialis, cùm aliquando ex DEIpara esset sciscitata, ut est legère lib. 2. Visionum S. Elisabethæ cap. 6. Domina mea quid de te sperabo? Respondisse fertur Virgo benignissima: *Bonam gratiam de me sperare potes tu, omnesq; qui fiduciam habent in me. Mirificauit enim DEVS misericordias suas in me.* De his misericordijs in se mirificatis lib. 1 Revelat. S. Brigittæ cap. 5. sic eadem Virgo locuta Filio, ut suæ pietatis ostenderet viscera, pro peccatoribus, memoratur: *Domine mi, & Fili charissime, tu fuisti in utero meo verus DEVS, & Homo. Tu me quæ eram vas terrenum, dignatione tuâ sanctificasti, supplico miserere eis adhuc semel.* Cui Dominus: *Benedictum sit Verbum oris tui: Hoc quasi odor suauissimus ascendit ad Deitatem. Tu Angelorum, & omnium Sanctorum gloria es, & Regina, quia à te Deitas consolata est, omnesq; Sancti lætificati. Et quia tua voluntas à principio iuventutis tuæ erat sicut mea, ideò faciam quod vis.* Hæc pietas, ac misericordia non modò à primo Cõceptionis instanti Virgini gloriosissimæ ingenerata fuit, verùm etiam cum illa nata, sicut & aliæ virtutes. Vnde Richardus à S. Laurentio lib. 4. de laudibus Virgin. MARIA inquit, *naturaliter clemens & misericors est, eiusq; pietas semper suscepit incrementum. Vnde ipsi specialiter illud congruit* Iobi 31. *Ab infantia creuit mecum miseratio, & de utero Matris meæ egressa est mecum.* Sic Richardus.

B. V. ad opitulandum paratissima.

In B. V. Deus suas misericordias mirificavit.

B. V. Misericordiã in dies majora sumpsit incremẽtã

13. Et licet, speciosa hæc Matris DEI in mortales omnes misericordia, totius ipsius vitæ sanctissimæ decursu speciem, lucemque suam Mundo, in omnibus ejus tribulationibus, ac calamitatibus sæpissimè manifestaverit, manifestavit tamen vel maximè in Nativitate sua fœlicissima. Tunc enim erat universalis illa generis humani tribulatio, quando, ob peccatum Adami, de Paradisi sedibus exturbati, mortales omnes, morti sempiternæ obnoxij, præcipites in perditionem æternam ruebant, quando obdurescente ad instar æris cœlo; adamanteisq; vectibus obserrato, nullus ros, nullæ gratiarum pluviæ terræ faciem irrigabant. Vnde sterilescens Mundus, nullos justitiæ Creatori suo reddendo fructûs, merebatur profectò, ut ex hac temporali, ad æternam illam Inferorum tribulationem deturba-

In Nativitate sua B.V. piam Mundo ostendit faciem.

deturbaretur. Verùm ubi Virginea hæc, speciosaque Dei misericordia suam faciem venustissimam, in suo exortu Orbi patefecit, verè ad instar nubis roscidæ, cœlestiumque gratiarum imbribus gravidæ, Mundum solata est universum, effecitque, ut his Divinis copiosissimè irrigatus gratijs, adeò reflorescere, ut novam quandam formam, nitoremque induisse videretur.

B. V. Nativitate Mundus renatus.

14. Hoc nimirum intellexit Sergius Hieropolitanus, cùm dixit: *MARIA nascitur, & simul cum illa Mundus renascitur, atq; Ecclesia suo ipsius decore circumdatur, atq; ornatur.* Simile quid, ac penè idem dixit Andreas Hierosol. ser de Annunc. *Prior nostra effigies novam figuram consequitur, & senio quasi confectus Mundus, per MARIAM, peccatorum senectam exuit.* Intellexit Orbis hanc mirificam renovationem, ac instaurationem factam per Virginem Divus Hieronymus ser. de Assumptione, dum omnes verbis illis ad cultum, reverentiamque Deiparæ, ejusdemque utero sacratissimo exhibendam hortatur: *Scientes nos Authori nostro multum debere conditos, plùs redemptos, redemptionis nostræ commercium veneremur, illumq; sacratissimum Uterum; ex quo homini DEUS unitus apparuit; Et si nequimus meritis, saltem celebremus obsequijs, scientes erroris nostri tenebras, partim eius fulgore dispersas, quia quæ homines per Protoplastorum negligentiam, primæ Matris, contumaci tam arrogantiâ, quàm gulâ perdiderant, huius sacræ Virginis partus, non solùm restaurauit diruta, sed dona contulit sempiterna. Et ideò cunctis præconijs veneremur salutis Auctricem, quæ dum Authorem suum concepit ex cœlo, nobis Redemptorem ostendit in sæculo.*

Mundus per Deiparam senectam exuit.

B. V. partus restauravit diruta, & contulit sempiterna.

Intellexit & Divus Anselmus de excellentia Virg. c. 10. ubi cùm dixisset creaturas omnes, peccato Protoplastorum, in homine confusas fuisse, informiq; quâdam, & contumeliosâ obfuscatione tectas, mox subjunxit: *At ubi venit ipsa B.V. MARIA, & in se Filium DEI incorporauit, pristinam dignitatem in DEO qui nascebatur, humana natura recuperauit, nihilq; ultra confusionis, aut injuriarum alicui rerum speciei resedit, imò libertatem Patriæ creationis suæ confestim recipere meruit.*

Per Deiparam Humana Natura pristinam libertatē recuperavit.

Idem intellexit Sanctus Ioannes Damascenus in suis Canticis Ecclesiast. dum illi ita concinebat: *Te DEIpara intellectualem Fornacem fideles scimus: Summus enim DEUS qui tres pueros conseruauit, totum Mundum in tuo utero renouauit.* Intellexit & Guerricus Abbas ser. 1. de Nativit. Beatæ Virginis hanc Mundi renovationem factam per Virginem. *Nata est*, inquiens, *hodie noua Mater, quæ primæ Matris maledictionem dissoluit, vt per istam benedictionem hæreditate possideant, qui per illam sub præiudicio maledicti æterni fuerant nati. Prorsus nova Mater, quæ novitatem attulit filijs inveteratis, vitiumq; sanauit tam ingenita, quàm superaddita vetustatis.* Intellexit Sanctus Ildephonsus ser. 1. de Nativitat. dum exclamavit: *O quam Beata Mater ista, quæ sine contaminatione concepit, sine dolore peperit Medicinam. Fœlix, inquam, Mater, per quam generis nostri vita est reparata.* Idem ser. 2. *Quod Protoplastorum negligentia, & primæ Matris contumax tam arrogantia, quam gula perdiderat, huius Sanctæ Virginis partus, non solùm restaurauit diruta, sed etiā tribuit sempiterna.*

B.V. Fornax intellectualis, in qua totus Mundus renovatus est.

B.V. nova Mater, quæ novitatem attulit filijs inveteratis.

B. V. Mater, quæ nobis peperit Medicinam.

15. Ex quo Sanctorum Patrum discursu facilè est intelligere, quod quemadmodum Mundus ex purâ Dei ter opt. Max. Misericordiâ natus, & conditus fuit, in sententia Pagnini Septēbri Mēse, qui ab Hebræis *Ethanim* dicitur, hoc est Mensis fortitudinum, quod Vniversorum Dominus in illo creando, brachij sui omnipotentis fortitudinem exeruerit: Sic eodem Mense cùm Mariâ natâ Matre misericordiæ, non modò idem Mundus est renatus, verùm etiam novus quidam Intellectualis Mundus, novum Cœlum, nova quædam animata Terra efformata est. Atque ita totum hoc Vniversum, longè eminentiorem sortiri visum fuit perfectionem, quàm initio, quando dixit Moyses: *Et vidit DEUS cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Gen. 31. Quam Dei approbationem expendens Divus Ambrosius, pulcherrimum in eâ Virginis reperit Elogium: *Quando*, inquiens, *solus factus est Adam, non dictum fuit: Vidit DEUS cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Quasi hæc secunda Mater vera viventium, gratiâ suâ vivificans, instauransque omnia, ultimam, suâ pietate, Misericordiâ, reliquisque suis perfectionibus bonitatem, perfectionemq; addidisset Vniverso. Cùm enim ipsa novus quidam Mundus, in quo Deus bonitatem, pulchritudinem, perfectionemque creaturarum omnium reposuerat, extiterit, meruit etiam quodammodo eandem bonitatem reliquis rebus conditis, peccato Adæ pessumdatis, communi-

Cùm Maria nata Mense Septembri Mundus renatus.

M. nata ultimam perfectionem addidit Vniverso.

municare. Vnde jure merito hæc pientissima misericordiæ, perfectionumq; omniũ Mater; Vniversitas omniũ, quæ fecerat Devs valdè bona; posset appellari.

B. V. est Vniversitas omniũ perfectionum.

16. Quare dicere jure possemus, id esse generi humano suâ pietate hanc misericordiæ Matrem, quod est Lux huic Mundo, totum illuminans, atque exhilarans. Hinc de ipsa Sanctus Vincentius Ferrerius intellexit ser. 2. de Nativ. illa verba Genes: *Fiat lux;* aitque illis immaculatam ipsius Conceptionem designari: *Lux dicitur, benedicta illa Generatio Virginis Mariæ, quia sine tenebra culpæ facta est. De hac Luce 2. Regum 23. dicitur. Sicut Lux Auroræ, oriente Sole manè, absque nubibus rutilat; sic conjunctio Ioachimi & Annæ luminosa fuit. De Luce hac Esther 8. dicitur: Nova lux oriri visa est Iudæis;* In illis denique verbis. *Et vidit DEVS lucem quod esset bona,* ait Sanctus, Nativitatem B. V. designari: *Bona enim DEIparæ Nativitas fuit Angelis, quia per eam reparantur eorum cathedræ. Bona hominibus, quia per ipsam habent Redemptorem. Bona peccatoribus, quia per ipsam consequuntur veniam. Bona justis, quia per eam consequuntur perseverantiam in bonis operibus, & augmentum gratiæ in meritis, & gloriæ introductionem. Bona Sanctis Patribus, qui per eam adepti sunt, liberationem. Bona animabus Purgatorij, quia per eam habent suffragium. Bona navigantibus, quia per eam ad portum salutis perveniunt. Bona deniq; laborantibus in terra, quia per ipsam consequuntur requiem.* Hæc S. Vincent.

Conceptio B. V. per lucis creationem designata.

Nativitate B. V. Mũdo exhibita emolumenta.

17. Ad has Virginis perfectiones, pientissimamque in humanum genus misericordiæ effusionem supernus ille aspexisse visus est Artifex, cùm Gen. 3. pronunciavit; *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium.* Cùm enim Eva Adami, imò totius generis humani non tam adjutorium, quàm ipsa extiterit destructio, ac ruina, sine dubio per hominis Adjutorium intellexerit Mariam, quæ ob insignem illam, quâ est in mortales omnes pietatem, ac misericordiam eos in cunctis tribulationibus, ac ærumnis adjuvando, ac consolando, eorum miserias, bonitatis suæ communicatione amoliendo, verissimum humani generis Adjutorium vocitanda est. Vnde Tertull. lib. 2. contra Marc. c. 4. *Bonitas finxit hominem, eadem bonitas Adjutorium prospexit. Non est enim bonum hominem esse solum; sciebat enim illi sexum Mariæ profuturum.* Absque cujus auxilio

B.V. humani generis Adjutorium.

M. humano generi prodest.

Orbis universus, suâ perfectione, ac pulchritudine destitutus, imò quodammodo vacuus esse censebatur.

18. Dicat igitur Sapiens de hac nostra pientissimæ misericordiæ Matre: *Speciosa Misericordia DEI, in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.* Nubes verè roscida, nubes, salutari imbre gravida fuit Deipara. Hæc est Nubecula illa, quam Eliæ servus post triennalem siccitatem, ac sterilitatem continuam, de mari ascendentem contemplatus est 3. Regum 18. Et observandum, quod cùm Eliæ imperio Puer prima vice prospexisset contra mare, dixerit: *Non est quidquam.* Quæ verba Ioannes Hierosol. lib. Instit. Monastic. c. 32. expendens: *Cùm,* inquit, *ascendisset puer, & speculatus esset, ait, non est quidquam, quia nubecula illa scilicet Maria non fuit à puero visa nasci in illa ætate prima mundi, ideò puer dicit: Non est quidquam.* Revera antequam Virginea hæc Nubecula, aquis pietatis misericordiæ gravida, de mari hujuscé Mundi ascenderet, in lucemque prodiret, dici jure merito poterat, ob vacuitatem Divinæ cognitionis, ob sterilitatem bonorum operum, gratiæque Divinæ privationem: *Non est quidquam;* omnes enim declinaverunt, simul inutiles facti erant, verè non erat, qui faceret bonum, non erat usque ad unum. Quam humanæ naturæ, honoris Divini zelantissimus Propheta deplorare volens corruptionem, ascendisse, à sacris litteris memoratur, in verticem Carmeli, & pronus in terram posuisse suam faciem inter genua sua; hoc situ corporis tam humili, justissimam Dei iram, ultionemque in perditos mortales placaturus. Præclarè enim scribit Pater noster Pineda lib. 6. in Iob cap. 15. v. 24. solitos olim Devm deprecantes ad eam se formam componere, ut vel ipso corporis habitu molestissimo, peccatorum veniam, Divinamq; misericordiam implorarent. Habitus autem ille erat corporis quædam circumvolutio, & in Orbem, globumque reductio atque coarctatio. Et ad hunc orantium modum se conformasse, ait, Eliam; exprimens in se quodammodo situm illum pueri, quem habet dum in Matris adhuc utero cõmoratur. Aristotele enim teste lib. 7. de Hist. animal. c. 8. Puer Matris utero sic gestatur, ut in se conglobatus, nasum inter genua, oculos super genua, aures extra

Orbis sinè B. V. auxilio videtur vacuus

B. V. Nubecula parva aquis misericordiæ gravida.

Sine Maria in hoc Mundo non est quidquam

In quo situ constitutus oraverit Elias in vertice Carmeli?

Quis sit Pueri situs in utero?

Quid sibi voluerit Iacob cũ moriens pedes suos collegit super lectulum.

extra genua habeat. Idem sensit Hippocrates de natura Pueri disserens: Puer, inquit ille, ut est in utero collocatus, manûs habet ad genua, caputque pedibus proximum. Hinc ferunt à genibus dictas esse genas. Quare cùm Iacob Gen. 49. collegit pedes suos super lectulum; censent aliqui, eum genua ita genis applicuisse, ut infans in utero; ad suam resurrectionem, quæ nova quædam generatio, seu regeneratio à Salvatore appellata est, significandam. Situ igitur illo corporis demonstrare nobis voluit Vates Sanctissimus, quanta in Orbe tunc, & ante, post Adæ peccatum, scelerum omnium lues, atque corruptio ante fœlicissimum hunc Virginis exortum, humanam naturam occupârat, quantopere criminibus gravissimis Divini Numinis iram mortales in se provocaverant. Neminem proindè mirari debere, quod ad propitiandum DEUM, infans rursus fieri in peccatis conceptus cogeretur, seseque ita componere, ut quasi damnatus, ac paratus ad flagella, ad Divinam iram à mortalibus avertendam videretur. Eodem hoc situ fortasse oravit David, rem ipsam quam ore proferebat, gestu ipso repræsentans, cùm gemebundus dixit: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Psal. 50.

David se quasi puerum finxit ad Dei misericordiã impetrandam.

19. Observandum denique circa hanc Nubeculam, Eliam famulo suo demandasse, ut non contentus semel dumtaxat ad mare prospexisse, sed jussisse denuò: *Revertere septem vicibus.* Quod cùm fecisset, ait Scriptura: *In septimâ autem vice, Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Quid enim septenarius ille numerus, quàm nostrum Mensem Septembrem significat, in quo Virgo Beatissima cum totius Orbis admiratione, & gaudio, de amaro naturæ nostræ mari, velut dulcissima nubecula, misericordiæ imbribus plenissima super nostrum ascendit hemisphærium. O rem admirabilem! ò rem planè obstupescendam! Vnde Spiritus Sanctus Nativitatem hanc admiratione dignissimam ostendere volens, particula illa usus est: *Ecce;* perindè atque in Dominica Incarnatione: *Ecce Virgo concipiet;* tacitè nobis innuendo æquè propemodum unum, atque alterum mysterium esse admirandum. Vtrumque enim Divinæ Omnipotentiæ opus extitit;

Nubecula parva quasi vestigiũ hominis est Deipara.

M. Nativitas admiranda.

Incarnatio Verbi & Conceptio B. V. admirãda.

& cùm eadē Virgo intactâ illibatâq; Virginitate Verbum æternum utero concepit, & cùm eadem Virgo de mari amaricatæ, Protoplastorum scelere, nostræ naturæ, velut Nubecula ascenderet, absque ullius peccati Originalis amaritudine.

B. V. ut Nubecula non habuit peccati originalis amaritudinem.

20. Quare D. Vincentius Incarnationis Mysterium celebraturus, idque admirandum Orbi universo demonstraturus sic est suum sermonem exorsus: *Ecce, Ecce, Ecce.*

Ingeminemus & nos magno pietatis affectu: *Ecce, Ecce;* in considerandis stupendis Divinæ omnipotentiæ prodigijs, in exortu hujus Virgunculæ Orbi demonstrato. Ecce Nubecula hæc parva de terra, radijs sempiterni illius Iustitiæ Solis, Divinâ nempè gratiâ in altum sublevatur, efficiturque Mater copiosissimæ Misericordiæ, gratiarumque pluviæ, quâ Mundus irrigatus, flores virtutum, bonorumque operum innumeros protulit fructûs. Vnde Sacer textus de hac mystica pluvia, illâ particulâ admirativâ superadditâ loquitur: *Ecce cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluvia grandis;* quæ scilicet Orbem sitibundum mirificè refecit. Quare Chrysipp[9] Divinũ quid in hac cœlesti Nubecula recognoscens ser. 1. de B. V. eã sic consalutavit: *Ave Nubes pluvia, potum animis Sanctorum exhibentis.*

Particula, Ecce, admirandum aliquod mysterium indicat.

B. V. nubes potum animis SS. exhibens.

21. Ecce verè Nubecula parva, & adeò in oculis suis parva, ut cùm mare quoddam immensum cœlestium esset gratiarum, ut suprà memoratum, Stilla tamen maris minima; cùm Gigantissa quædam, ut ita dicam, esset, utpotè immensum illum Gigantem paritura, qui exultavit ad currendam viam, à summo cœlo, usque in terram, ad humanum genus redimendum; sibi tamen quasi vestigium quoddam communis alicujus hominis videbatur, dignam planè se reputans, quæ sub pedibus hominum abijceretur. Neque verò frustra Spiritus Sanctus eam vocando Nubeculam, addidit Epitheton illud; *Parva;* Indicare enim voluit profundissimam Virginis nostræ tam internam, quàm externam humilitatem, ac perfectionem, quâ licet summè fuerit decorata, illo tamen gradu minimè contenta optabat adhuc magis esse humilis in summæ illius Majestatis conspectu.

B. V. Gigantissa, quia peperit immensum illum cœli Gigantem.

B. V. summa humilitas.

22. Ecce verè Nubecula non similis vesti-

B.V. vestigium fuit illius hominis de cœlo cœlestis per ejus imitationem.

vestigio pedis alicujus mulieris, sed hominis, ac viri, cùm fuerit Mulier illa fortis, quam tam studiosè perquirebat Salomon: *Mulierem fortem quis inveniet? Cui quæstioni,* inquit S Vincentius serm. 1. de Nat. *cùm nullus Doctorum sciret respondere, Spiritus S. sibi respondit: Procul & de ultimis finibus pretium ejus, quia in ultima ætate demum comparuit.* Vestigium verè hominis fuit DEIpara, illius, inquã, Hominis de cœlo cœlestis, ipsius similitudinem, imaginemque pulcherrimè in actionibus, moribusque omnibus repræsentans. Quod insinuavit idem Ioannes Hierosol. *In hoc spirituali ascensu,* inquiens, *non fœminam, quam imitaretur, sed Hominem habuit exemplum.*

B. V. Nubes levis.

23. Ecce verè Nubecula parva, de qua sine dubio vaticinatus est Isaias: *Ecce ascendet Dominus super Nubem levem, & ingredietur Ægyptum*, c. 19. Quibus verbis DEIparam S. Vates currui quodammodo conferre visus est, in quem visitaturus mortales DEI Filius ascendit; simulque innuere voluit, quantopere suprema illa Majestas, pietate, ac misericordiâ stimulante, ad redimendum genus humanum, leve hoc assumendo vehiculum anhelaverit.

B.V. vehiculum Dei Filij ad nos salvãdos adventantis.

24. Verè Nubes fuit DEIpara, quia si secundùm B. Isidorum Nubes ab obnubendo dicitur, & B. V. *humanâ carne Vnigenitum DEI velavit,* ut ait Richard. à S. Laurent. lib. 7. *Nubes levis est Maria, quam Spiritus S. à peccato originali præservans, gravissimo quodam quasi pondere liberavit. Levis erat, quia ad Divinum nutum erat promptissima, DEV Mq; velut Sessorem portans ejus directionem sequebatur. Nubes levis deniq; fuit DEIpara, quia,* ut inquit Ambrosius, *Virgo erat nullis oneribus gravata conjugij: Levis erat secundùm Virginitatis integritatem; Levis erat, quæ non homini quærebat placere, sed DEO. Levis erat, quæ non in iniquitate conceperat, sed Spiritu Sancto superveniente generabat.* Sic Ambrosius.

B. V. Nubes levis, quia nullis oneribus erat gravata conjugij.

25. O Nubem admirandam amaro, atque pulcherrimam, quæ licet ex humanæ naturæ mari, ejusque vaporibus efformata fuerit, nullum tamen in se pondus, amaritudinemúe experta peccati, effudit nobis optatissimum illum Divinæ misericordiæ imbrem, DEI nempè Filium, cui Humanitas nostra unita olim arida, ac sterilescens, revirescere, atque reflorescere mirificè visa est.

Hinc Ioannes Hierosol. lib. de Instit. Monast. cap. 32. *Licet,* inquit, *Nubecula illa esset originaliter ejusdem Naturæ cum mari, alterius tamen fuit qualitatis, alteriusq; proprietatis. Mare quippè ponderosum est & amarum, sed Nubecula illa fuit levis, & dulcis.* Dulcis revera, quia dulcissimum Divinæ gratiæ rorem, cum DEI Filio attulit Mundo, humanumque genus primorum parentum scelere extinctum ad vitam revocavit sempiternam.

M. licet Nubecula esset è mari sublata, nullam tamen habuit amaritudinem peccati.

Hoc persentiscens Evangelicus Propheta Isa. c. 26. jubilans canebat: *Vivent mortui mei, interfecti mei resurgent, expergiscimini & laudate, qui habitatis in pulvere.* Tum sive ad Patrem, sive ad animatam hanc conversus Nubeculam, causam sui profert gaudij: *Ros,* inquiens, *lucis, ros tuus.* Et quis tandem est lucidus hic ros? ros iste vivificans? Audite Procop. *Ros tuus est Vnigenitus Filius tuus, qui stillans guttis vivificantibus mortuis tuis medicinam peccatorum faciet, simulq; vitam reddet æternam.*

B.V. dulcẽ rorem peperit Christum.

26. Idem Sanctus, oculis Propheticis hoc Virginalis misericordiæ rore Orbem quodammodo revixisse, atque refloruisse universum contéplans, creaturas omnes tam quæ cœli, quàm quæ terrarum ambitu continentur, ad Divinas deprædicandas laudes invitat c. 44. *Laudate cœli, quoniam misericordiam fecit Dominus, jubilate extrema terræ, resonate montes laudationem, saltus, & omne lignum ejus, quoniam redemit Dominus Iacob, & Israël gloriabitur.* Redemit verè Dominus genus humanum à servitute Sathanica, ubi primum hæc Virginalis nata est Misericordia. Quemadmodum enim ubi primùm in lucem Maria Soror Moysis fuit edita, populus Israëliticus, ut observârunt Hebræi, & alij, cæpit premi Ægyptiacæ captivitatis jugo miserabili: Sic è contra ubi primùm dies natalis Virginis nostræ serenissima illuxit Mundo, illique pietate plenissimam suam faciem ostendit, mox genus humanum ab Infernalis Pharaonis gravissimo illo jugo, atque captivitate respirare, distringere, vectes, catenasque peccatorum, quibus arctissimè vinciebatur, inque libertatem Filiorum DEI cæpit respirare.

Mundus nativitate B. V. refloruisse, ac revixisse visus est

B.V. Natalis lux ubi Mundo illuxit, exire cæpit de captivitate peccati.

27. Quare S. Ioannes Damascenus Orat. 1. de Nat. Virg postquam de fœlicissima illa die, quâ in lucem edita est DEIpara, pronunciasset. *Hodie Mundi salus inchoavit;* mox quasi extra se, præ la-

Nativitas B.V. mundi salutem inchoavit.

lætitia raptus, exemplo Isaiæ, creaturas omnes totius Vniversi, cœlum, terram, mare, elementaque omnia, ipsamque potissimum Naturam tam Angelicam, quàm humanam, ad cujus avertendas miserias, summa hæc DEI misericordia nascebatur, invitabat: *Hodie*, inquiens, *perflàrunt auræ, lætitiæ totius Orbis prænuncia. Lætentur cœli & exultet terra, commoveatur mundi mare, in ipso enim Concha gignitur, quæ cœlitus ex Divinitatis fulgetra in utero concipiet, & Christum ingentis pretij unionem pariet. Exultet Natura; Agna enim illa in lucem editur, ex qua Pastor ovem induet. Choreas agat Virginitas, quia ea Virgo procreata est, quæ concipiet & pariet Filium, & vocabitur Emmanuel. Lætare Anna sterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis. Exulta Ioachim, quia ex Filia tua nascetur nobis Filius, & vocabitur magni consilij Angelus. Iubilate DEO omnis terra, tollite vocem vestram, tollite, ne timeatis, quia nata est nobis Mater DEI. Exultate Montes, id est, ratione prædita naturæ Angelicæ, quia clarissimus DEI Mons paritur, Mons in quo beneplacitum est Deo habitare.* Hæc Damasc.

In B. V. Nativitate creaturæ omnes gratulantur.

B. V. Concha ingétis precij vnionem, Christum continens

B. V. Agna immaculata, ex qua cœlestis Pastor, Agnus factus est.

B. V. Mons in quo beneplacitũ est Deo habitare.

28. Et verò ex contemplationibus Paphnutij, & Zozimi Abbatis colligitur, Natâ Virgine, Angelos in cœlis mirificè lætitiæ signa edidisse, eò quod per eam ipsorum ruinæ essent instaurandæ, & ipsa DEI Mater eorundem gloriosissima futura esset Regina. *Propterea*, inquiunt, *universus ille cœlestium militum spirituũ beatorũ cœtus, sed nominatim Michaël Archãgelus, gratissimis mentibus, DEO obsequentem animum referebant*. Ijdem Abbates magno terrore correptos Apostatas Angelos, ac Dœmones addunt, quod Angelorum Palæstinæ maxima, & inusitata lætitia ex ortu hujus Virginis, magnam imposterum stragem Inferni Principatûs, gloriam verò humano generi prædicere viderentur. Refert Raulinus serm. 1. de Nat. B. V. Oraculum quoddam, quod quidam S. Martyr excepit, dum contemplationi rerum Divinarum esset intentus. Vidit hic copiosissimam cœlestium militum aciem, simulque adamantinas cœli portas reserari, cùmque ipse esset maximè supplex, vidit hilares vultûs, & lumina, plura suffimenta, festivosque apparatûs venientium, hinc, & inde beatarum mentium concursus. Tandem exploratâ causâ, audijt Divinum responsum, quo certior redditus est, totam illam gloriam, lætitiam, ac triumphum, ad diem Natalem Virginis DEIparæ apparari. Deniq; idem Paphnutius, ait, natâ Virgine missos Sanctos Angelos ad Patres, qui in Sinu Abrahæ Messiæ adventum præstolabantur, eisque novam gaudij, solatijq; lucem affulsisse, intellectâ Matris Messiæ tantopere desideratâ nativitate, per quam tandem eis spes mox futuræ affulgescebat libertatis.

Angeli in Nativitate B. V. sunt læta-ti.

In nativitate B. V. Dœmones magnam stragem passi.

Angelorũ festivus apparatus in exortu B. Virgin.

29. Nonmodò Angelis in cœlo, Sanctis Patribus in Limbo Natalis hic Virgineus, verùm etiam toti humano generi mirificam peperit lætitiam atque exultationem. Vnde Card. Petrus Damianus ser. 2. de Nativ. Virg. *Nativitas Beatissimæ, & intemeratæ Genitricis DEI meritò præcipuum, & singulare præbet hominibus gaudium. Vnde hodie profusis gaudijs totus ubiq; terrarum Orbis exultat, & universa S. Ecclesia nascenti Sponsi sui Genitrici, vt ita præ gaudio dixerim, Fescennini carminis laudes alternat. Exultemus igitur in hac die, in qua, dum Beatissimæ veneramur Virginis ortum, cunctarum etiam novi Testamenti festivitatum celebramus initium. Exultemus, inquam, in hac die præcipuè, totis visceribus.* Sic Damianus.

B. V. Nativitas præcipuũ, & singulare præbet hominibus gaudium.

Nativitas B. V. cunctarum novi Testamenti solennitatũ est initiũ.

Sanctus quoque Ildephonsus serm. 3. de Nativit. *Honorabilis*, inquit, *dies, & sacra festivitas, in qua nata est Virgo Maria DEI Genitrix. Hoc est gaudium nostrum, hæc est festivitas nostra. Exultemus & lætemur omnes in celebratione hodiernæ festivitatis B. DEI Genitricis, quia præclara & sancta est, in qua inchoavit Redemptor omnium visitationem mirabilem, & nos de captivitate ad pristinum locum revocare dignatus est.*

In nativitate B. V. Redẽptor noster inchoavit visitationem mirabilem.

30. Inchoavit, inquam, visitationem humani generis mirabilem, oriente hac Aurora lucidissima, sempiternus ille Sol Iustitiæ, fugatisque impietatis, Idololatriæque tenebris, verum nobis Divinæ cognitionis lumen affulsit. Vt enim attestatur Fulbertus in 2. cap. Matth. Virgo nostra Angelicum vultum Solis instar radiantem in ipso suo ortu mundo ostendit. Quod minimè nobis mirandum est, cùm nonnullis Sanctis in lucem editis, similia sint ostensa prodigia. S. Heriberto certè nascente, Matris cubiculum cœlesti luce radiavit, infantisq; ipsius corpus circumfudit universum. Ita Rupertus Abbas testatur apud Sur. 12. Martij. Idem Surius 17. Julij S. Avito nascente, ait, perterritas fuisse obstetrices, nec ausas splendorem, quo refulgebat Infantulus, intueri.

B. V. in sua Nativitate Angelicum vultũ Solis instar radiantẽ nobis ostendit.

S. Heribertus nascens luce fuit circũfusus.

S. Avitus natus totus lucidus terruit obstetrices.

Quod si Sancti in peccatis, communi hominum lege concepti, Divino beneficio in ipso suo ortu, omni fortasse peccati labe perpurgati, cœlesti luce refulserunt; quantò magis Mater illa Candoris lucis æternæ, cujus conceptio nullis peccati originalis tenebris fuit obfuscata, utpotè quam audjuvit Deus manè diluculo, in ipsa videlicet conceptione, quam ait S. Vincent. ser. 2. de Nat. Orbi velut diluculum, Auroramque affulsisse. Quantò, inquam, magis Virgo nostra in fęlicissimo hoc suo in Mundum ingressu, tota Divinis fulgoribus, ad mortalium sedentium in regione umbræ mortis gaudium, ac solatium emicuit? Cùm teste Bonaventura & Beda: *Quantò humana consuetudini inaudita, tantò MARIÆ dignitati sint congrua.*

Adiuvit B.V. Deus manè diluculo, eâ in pr... suæ conceptionis instanti, à peccato originali præservando.

31. Cùm enim Virgo hæc absque ullius originalis labe peccati concepta, ac nata, plusquam Angelicâ puritate enituerit, congruum sanè erat, ut illius internæ sanctimoniæ splendor foras erumperet, totoque ore, oculisque promicaret. Ita siquidem Richardus de S. Victore in Cant. cap. 39. ex vacuitate peccati, cœli splendoribus radiasse Virginem comprobavit, ubi enim præmisisset: *Nec tantùm peccatum non commisit, sed etiam aliorum peccata deleuit;* mox attexuit: *Nec solùm in se lucida fuit, sed etiam lucis radios ex se emisit, quia per eam Mundus lumen gratiæ accepit.* Tandem mirificum hunc ipsius admiratus splendorem, exclamat: *O mira dignitas, de muliere procedere Solem, Mundum illuminantem, de terra lucem radiare, per fœminam, tenebras Mundi in lucem clarescere! per eam Sol iste, & ex ea, Mundo fulsit, & clarior luxit, quia pleniùs corda illustrauit. Hæc nimirum Beata, est illud Signum magnum in cœlo, Mulier amicta Sole, quia Sol Divinitatis infulget ei, & circumfulget eam, totamq; occupat, & post eam illustratam maximè, cœli cives illuminat. Ipsa Solis huius splendorem primò & præ omnibus suscipit. Ipsa amicta est hoc Sole, & perfectè, ac præcipuè Divinitatis fruitione perfunditur.* Sic Rich.

B. V. tota lucida ex vacuitate peccati.

B. V. Sole Divinitatis amicta

32. Atq; ita jure merito dixerimus, nō modò Orbē luce suâ natali Deiparâ omni liberâ peccato, irradiasse universum, verùm etiam plusquam Cimmerias Idolatriæ effugasse tenebras, Idolaque ad ipsius exortum perinde, atque ad ingressum ipsius cum Puero Iesv in Ægyptum, corruisse. Si enim ut S. testatur Epiphanius lib. de vit. Proph. simul atq; Helisæus natus est in Galgalis, bos illa aurea in Selom clamore tam acuto vociferata est, ut auribus exciperetur Hierosolymis: Quantò magis Idola, toto Orbe commota, atque conturbata, nobis persuadere debemus, ubi primum Virgo nostra hanc lucem aspexit? Vnde quemadmodum idem ait Epiphanius, *Exposuit tunc prodigium Sacerdos: Hæc,* inquiens, *argumento sunt Prophetam hodie in lucem esse editum, qui comminuet sculptilia, & confringet, everteta; conflatilia: Prodigia porrò innumera DEVS per manum Elisæi destinavit;* sic Mundo natâ Deiparâ terrorem hunc Idolorum, ac Dœmonum, certissimum illorum è Mundo exterminij, sempiternæq; in Barathrum Inferni, ruinæ censendū est fuisse prænuncium.

Idola toto Orbe terrarum nascente B.V. commota.

Bos aurea in Galgalis nascēte Elisæo clamavit.

33. Videte quantos, quamque copiosos Divinæ misericordiæ, ac pietatis parvula hæc, lucidissimaque Nubecula Virginea profudit imbres, videte, ut universam terræ, imò & cœlorum faciem exhilaravit, videte, ut miserias humanæ naturæ, ac calamitates, veri Dei nempè ignorantiam, falsorum Deorum cultum, innumerasque errorum tenebras, suæ bonitatis, primâ hâc sui Orbi factâ communicatione, discussit? An non jam hæc Virgo Sanctissima, ipsa quodammodo Dei, videtur Misericordia, eam in se, velut lucidissimo repræsentans speculo, eo planè modo, quo aliqua Principis vel Regis genuina Filia, Patris Indolem præseferre consuevit?

B. V. ipsa Dei videtur Misericordia.

34. Verùm ut tantò meliùs Deiparæ nostræ pietatis, ac misericordiæ largissima perspiciamus viscera, quid nam ipsa sit misericordia dispiciamus. Angelicus Doctor 1. Par. q. 21. art. 3. virtutem hanc duas in se docet complecti partes. Prima est, habere cor miserum, contristari, & dolorem quendam de alterius miseria in corde persentiscere. Altera est, miseriam ipsam, defectumque, bonitatis alicujus, ac perfectionis communicatione, tollere. Hinc infert misericordiam in Deo reperiri, non secundùm affectum, cùm simplex ille, purissimusque actus, passionibus hujusmodi obnoxius esse nequeat, sed secundùm effectum dumtaxat, qui est miseriam à creatura tollere. Vnde cōcludit: *Tristari ergo de alterius miseria, non competit DEO, sed repellere miseriam alterius, vel defectum, hoc maximè ei competit: Defectus autem non tollitur, nisi per alicuius bonitatis*

Misericordia quid?

In Deo nō est misericordia secundùm affectum, sed effectum.

tis perfectionem: Prima autem origo bonitatis DEUS est. In quantum ergo perfectiones data rebus à DEO, omnem defectum expellunt, pertinet ad misericordiam.

35. Ex quo Sanctissimi Doctoris discursu facilè perspicimus Misericordiam, attributum esse DEI, quo miseriæ, defectusque, communicatione Divinæ bonitatis, ac perfectionis creaturis adimuntur.

In B.V. perfectissima Misericordia, Divinæ simillis.

Iam quis quæso post Patrem, ac reliquas duas Personas Divinas, miserias, quibus humanum genus subjacere consuevit, perfectius, bonitate illâ, ac perfectione sibi cœlitus à Creatore communicatâ, nobis adimit, quàm Virgo DEIPARA? Vnde B. Albertus Magnus Tract. super Missus, probare volens in DEIPARA fuisse misericordiæ beatitudinem, improportionabiliter excellentiùs, quàm in alijs Sanctis, Sanctorum Patrum id ostendit Authoritate.

Misericordiæ variæ descriptiones.

Glosa enim in primis ad illa Christi verba: *Beati misericordes. Misericordia est,* inquit, *dare, & dimittere, sed Beatissima Virgo improportionabiliter plus dedit, & dimisit omnibus viatoribus, super omnes creaturas. S. Ambrosius, Misericordia,* inquit, *est nullum relinquere in miseria, & nullum miserum facere. Hoc in summo fuit in B.V. S. Bernardus deniq;: Misericordia, ait, non solùm in eleemosynis consistit, sed in peccato omni corripiendo; hoc in summo fuit in B.V. respectu omnis creaturæ. Habuit ergo misericordia beatitudinem simpliciter super omnem creaturam.*

B. V. misericordiã exercuit, peccata corripiendo.

Et licet modò dum fęlicitate perfruitur sempiternâ, nullius doloris, aut commiserationis, quæ cor miserum quodãmodo reddere nobis assolet, capax esse possit, nihilominus tamen, dum inter mortales degeret, imò dum adhuc utero Materno detineretur, mirum quantum ipsius ad nostras miserias, imperfectionesque commoverentur viscera; unde mox ad illas à nobis amoliendas à Filio gratiam, donaque cœlestia impetrare nitebatur.

Intellexit hoc Ioannes Gerson Cancellarius Paris. Tractat. 6. in Magnific.

B. V. viscera ad alterius miserias commovebantur.

Cùm terribile, inquiens, *resonabat Divinæ potentiæ, seueritatis, & iustitiæ tonitruum, adversus miseros & miserabiles tam homines, quàm Angelos, superbos, dispersos, potentes depositos, divites exinanitos, nunquam pertractare potuit secum MARIA totam vim tantæ seueritatis in DEO, calamitatis pondus in hominibus non damnatis; quin compassione moveretur; quin concuterentur beata viscera sua pietatis; pro omnibus hominibus præteritis, & futuris, atq; præsentibus; quantùm in se erat conformiter ad Filium; redimendis ac salvandis.* Tum paucis interpositis, ait, hunc miserendi & compatiendi peccatoribus à Filio didicisse affectum sub cruce, quando audivit: *Pater ignosce illis, &c.* Intuebatur nimirum abyssum miseriarum, quæ invocabant alteram abyssum misericordiæ DEI: Addit deinde occurrisse illi verba Davidis. *Terribilis in consilijs super filios hominum, in cuius manus horrendum est incidere;* occurrisse item tonitru illud Filij quando reprobis est intonaturus: *Ite maledicti in ignem æternum; Quæ sententia, nec æstimari potest, quam sit horrenda,* inquit idem. Tum concludit: *Nonnè quæso hæc omnia conferebat frequenti cordis contemplatione Beata nostra, prudentissima fœminarum? Numquid non obsecro totus tremor, horror, & dolor occupabat ipsos artus suos, lacrymæ decoræ manabant ex oculis, quamvis in Domini voluntate mens immota maneret?*

Hominũ impiorum damnatio concutiebat viscera B.V.

36. Illud porrò quod refert Theodoretus, quem citat Franciscus Ximenius Hierosl. Patriarcha lib. 2. cap. 24. summam meritò parere debet omnibus tum admirationem, tùm in Virginem pietatem, cùm eam intelligit à primis conceptionis exordijs; erga nostras miserias induisse pietatis viscera; ait enim injectas fuisse sanctissimæ, ac pientissimæ illi animulæ species, quibus intelligebat jacentem tunc humanam Naturam in æterni squalloris sordibus; turpem, laceram, deformem, nullum timorem Numinis, Religionis sensum nullum, nullos pietatis igniculos in Mundo vigere, omnia Idolatricis superstitionibus, flagitijs, attrocissimisque sceleribus, humana æquè, ac Divina esse fœdata; quæ omnia, aliaque quàm plurima ait Theodoretus, MARIÆ in utero adhuc commoranti, non sine magna tristitia, animique dolore occurrebant; eamq; grandi mœrore tanta Mundi calamitas, hominumque miseria afficiebat, cogebatque ejus misericordiæ viscera ad compatiendum, propitiandùmque Numen, pro tantorum malorum, miseriarumque illuvie à miseris mortalibus avertenda. Et licet Sanctiss. Virgo vehementissimè malis Mundi tangeretur, angebatur tamen vel maximè gentis suæ perfidiâ, duricie, ac cæcitate.

B. V. in utero Matris dum esset, nostras miserias deplorabat.

Quod

Quod ipsa in persona expressit Sponsæ dicentis: *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea.* Cant. 3. Quam Virginis querelam exponens Halgrinus Cardinalis: *Hic cæcitas,* inquit, *populi Iudaici derelicti à Domino, & solicitudo B.V.M. pro salute eiusdem populi designatur. Dicit ergo: Per noctes tribulationis & tristitiæ meæ, per noctes passionis, & sepulturæ Filij mei, per noctes ignorantiæ & erroris populi mei, quæsivi, quem diligit anima mea, in lectulo, seu tranquillitate mentis, & quiete contemplationis; quo in lectulo cum ipso iucundari consueveram. Quæsivi ibi, & non inveni, quia non erat in mente mea quies, & tranquillitas, sed magis dolor, atq; turbatio.* Hæc Halgrinus de dolore & anxietate, quâ pientissima Virginis nostræ cruciabantur viscera, dum mala gentis Iudaicæ consideraret.

B. V. miserebatur maximè malis populi Iudaici.

37. Ad dolorem hunc, commiserationemque accedebant lacrymæ. Ait enim Vir quidam è nostris, cultus Deiparæ zelantissimus, non defuisse Deiparæ in utero, tanta mala, calamitatesque Mundi consideranti, irriguum superiùs, lacrymas nempè, ex amore Dei, tot sceleribus offensi, purissimas, liquidissimas, cœlestes, quæ vinum essent Angelorum, ut eas vocat Bernardus, imò margaritæ preciosissimæ, ut appellat Basilius. Hinc Rupertus Abbas lib. 6. in Cant. illud expendens Sponsi: *Oculi tui sicut piscinæ in Esebon;* Virginem alloquens: *Oculi,* inquit, *tui præ amore vel desiderio Dilecti, quo langues & compungeris, fluunt lachrymis, & hæ sunt piscinæ in Esebon, id est, aquæ manantes cingulo mæroris (quo videlicet Mundi calamitates, hominumq; miserias considerando, velut cingulo quopiam arctabatur.) Hæc compunctio terra est irrigua aquis, principium quoddam supernæ dulcedinis, & æternæ hæreditatis est, sicut illa Esebon & terra trans Iordanem prima fuit possessio terræ promissionis Israëliticæ plebi, &c.* Sic Rupertus de Virginearum lacrymarum ubertate, quibus totâ charitate, pietateque in homines ardens, quodammodo liquescebat. Cerea enim erat Virginis nostræ anima, ad miserationum motus flexibilis, utpotè hominum Mater electa, Divini honoris Zelatrix. Vnde quid mirum si pietatis effusissimæ affectibus tota difflueret, ut verè & potiori longè jure dicere posset cum Iobo: *Ab infantia crevit mecum miseratio.* Atque ita verè dicere possumus in Sanctissimæ nostræ Deiparæ visceribus misericordiam, non modò secundùm effectum, verùm etiam secundùm affectum viguisse, summumque, atque infinitum perfectionis gradum, tot annorum decursu, in dies singulos multiplicando, atque intendendo actus, fuisse sortitam.

B.V. Mundi calamitates in utero Matris lacrymis prosequebatur.

Lacrymæ Vinum Angelorū sunt & margaritę

M. oculi Piscinæ in Esebon.

Cum B.V. ab infātia crevit misericordia

38. Si enim Charitas, cum reliquis Spiritus S. gratijs, ac charismatis sociata, à misericordia, in nonnullorum Theologorum sententia, non distinguitur, sed idem omninò est cum ipsa misericordia, cùm circa idem omninò formale versentur objectum. (Charitatis siquidem objectum est velle bonum proximo, ut bonum ipsius est: Misericordiæ verò est, tollere sive miseriam, sive defectum, sive malum alterius, ut malum ipsius est.) Iam porrò quid tandem est tollere, atque amoliri malum à proximo, quàm eidem bonum communicare velle, quid aliud est, quàm amare, quid aliud denique est, quàm actus verissimæ charitatis exercere? Si, inquam, idem omninò sunt misericordia, & charitas; ut & charitas, atque gratia, ut Patrum Sanctorum confirmari potest authoritate; certè ad finem usq; vitæ, intensioribus quotidie multiplicatis actibus, immensam quasi evasisse, certum est. Ex quo sequitur, ut & misericordia pijssimæ Dei Matris in immensum quoddam pelagus excreuerit, seseque dilatârit, cùm ipsam increatam substantialemque illam charitatem, quæ Deus est, utero suo novem mensium spatio fuerit complexa.

Misericordia est idem cum charitate.

B.V. Charitas & misericordia quasi immensa.

39. Hæc enim Virgo pientissima nobilissimum, ac pretiosissimum est Ferculum illud Salomonis, seu Lectica genialis, auro, argento, lapidibusque preciosissimis, emblematis etiam amorem spirantibus tessellata, atque exornata, in qua ipsa substantialis Charitas Verbum æternum jucundissimè requiescēs ad genus humanum visitandum, atque redimendum, in terras delatum est: *Ferculum,* (inquit Spiritus S.) *fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum; Mediâ charitate constravit propter filias Hierusalem.* Cant. 3.

B. V. est Ferculum seu Lectica celestis Salomonis.

Verè Deipara Virgo Ferculum ab increata illa Sapientia, quæ de se ipsa dicebat: Ecce plusquam Salomon hic; artificio planè Divinissimo, ad usus suos proprios, manibus proprijs fabricatum extitit. Verè Virgineum hoc Ferculum

lum de lignis Libani fuit constructum, puritate videlicet, candore, incorruptioneque plusquam Angelicâ. In hoc nimirum aurum, argentum, lapides pretiosissimos, purpuram, divitiasque omnes cœli, Divinitatisque quodammodo exhausisse visus est thesauros, ut sibi, Majestate suâ, nempè, dignissimum locum, domiciliumque ad deliciandum cum filijs hominum præpararet.

In B. V. velut lectulo Divina Majestas, amoris vi quasi prostrata iacuit.

40. Verè mediâ hujuscé animati Ferculi charitate constravit, dum ipsius incomprehensibilis, immensaque Majestas, quæ ipsissima est Charitas, utero Virginali jacere, quasi amoris vi prostrata, dedignata non fuit. Quod ex varijs lectionibus licet colligere. Hebræus enim legit: *Medium tenet ipse incensus amore, Sponsus videlicet.* Septuaginta Interpretes. *Medium eius gemmis constravit*, pyropis fortassis ardentibus, repræsentantibus charitatem. Addunt & finem, ob quem ita factum; ad amorem filiarum Hierusalem sibi conciliandum, videlicet, quarum amore Ferculum illud uteri Virginalis erat subiturus. Alij censent columbas, ignes, flammas, Amorem denique ipsum, vel aliud quodpiam charitatis Symbolum fuisse expressum; quæ omnia nobis claré indicant viscera illa beatissimæ Dei paræ, ardentissimâ fuisse plenâ charitate, utpotè in quorum medio Dei Filius totus incensus humani generis amore conquievit. Quare pientissima planè viscera illa D. Virginis esse debuerant. Quod B. Albertus Magnus Tract. super Missus, tali confirmavit argumento: *Quicquid est causa causæ, est causa causati. At B. V. est causa Filij, Filius autem totius boni causa, omnisq; misericordia. Ergo & Mater erit toti⁹ misericordiæ causa.*

B.V. viscera amore, pietateq; fuerunt plenissimâ

Quod si passio, quam Christus totius generis humani amore sustinuit, summum Opus est misericordiæ; hujus certè operis particeps erit Mater Sanctissima, utpotè in cujus carne, de ejus purissimis sanguinibus, ope Spiritus Sancti concepta, tantos cruciatus perpessus est. Quod, inquit Albertus, patet ex modo loquendi Ecclesiæ, dum canit: *Hodie mortem, quam fœmina intulit, fœmina fugauit; Mors per fœminam intrauit, aptè & redit vita per fœminam: Mulier quæ damnauit, ipsa saluauit.* Tandem sic concludit Albertus: *Quicquid igitur misericordiæ Filius exhibuit, totum hoc nobis Mater contulit, quæ Filium genuit, in quo nobis omnia donauit. Ex his patet Beatissimam Virginem in misericordia omnem excellere creaturam, quia nimirum ipsius mundi misericordiæ causa extitit.*

B. V. in Salutem nostrã Christo cooperatã est, carnẽ, sanguinẽque suum subministrando.

B. V. in misericordia omnem excellit creaturã, quia ipsius Mundi misericordiæ Christi, fuit causa.

41. Quæ sanè Mundi increata Misericordia Dei Filius, in Matris Virginis purissimo utero novem mensibus delitescens, castissima ejus viscera, in pietatis, ac misericordiæ effusissimæ viscera convertisse, omninò credendus est. Vnde Doctor mellifluus ser. 1. de Assumpt. *Dubitare quis potest omninò in affectum charitatis transijsse MARIÆ viscera, in quibus ipsa, quæ ex DEO est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit?* Idem sensit ser. 1. Dom. 1. post Epiphaniam, dum gratiosam illam in Nuptijs Canæ Galilææ, pientissimæ Matris insinuationem contemplatur: *Vinum non habent: Compassa est Mater IESV*, inquit Sanctus, *in Nuptijs Cana Galilææ eorum verecundiæ, qui Vinum non habebant, sicut misericors, sicut benignissima. Quid de Fonte pietatis procederet, nisi pietas? Nonnè qui pomum in manu sua tenuerit mediâ die, reliquâ diei parte pomi seruabit odorem? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem mensibus requieuit? Nam & ante mentem repleuit, quàm ventrem, & cùm recessit ex utero, ab animo non recessit.* Hæc Bernardus de misericordia Virginis quam à Filio, Ferculum ipsius in Incarnatione facta, mutuata est.

B.V. viscera in affectum charitatis per Incarnationem conversa.

B.V. Fons pietatis.

42. Neque verò mirum nobis accidat, quod Deipara sacratissima, Ferculum Dei Filij nuncupetur, si enim quælibet sancta anima Ferculum Dei est, ut observavit Sanctus Gregorius Nyssenus Hom. 7. in Cant. *Multis*, inquiens, *modis est DEVS in ijs, qui sunt illo digni, prout fert uniuscuiusq; facultas. Fit enim aliquis locus DEI, alius verò Domus, alius autem sedes, & alius scabellum. Fit aliquis etiam currus, & equus, qui habenis facilè regitur, bonum suscipiens sessorum. Fit etiam quispiam Ferculum, & hic à Diuinâ Sapientia non modò construitur, ex lignis Libani, sed etiam auro, argento, purpura, & gemmis conuenienter ornatum, in unaquaq; parte, per quæ charitas eius efficax fit. Quod autem is qui in se fert Deum, sit Ferculum eius, qui ipsi insidet, manifestum est. Qui enim iuxta Apostolum, non amplius viuit ipse, sed in se viuentem habet Christum, datq; experimentum Christi, qui in ipso loquitur, is dicitur, & fit Ferculum eius, qui ab ipso fertur & portatur.* Sic Nyss.

Quævis anima fidelis est Ferculum Christi.

Si, inquam, quælibet sancta anima

virtutibus conspicua, evadit Ferculum cœlestis Sponsi, quantò magis, Virgo Beatissima tantis virtutum omnium decorata monilibus, ac delibuta gratiarum unguentis?

43. Horum odorem Hugo de S. Victore ser. ultimo persentiscens, Virgini canebat: *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata; quia omnem gratiam vincit tua sublimitas, omnem perfectionem superat tua dignitas. Tu singulariter electa, tu ineffabiliter sublimata; nulla tibi in gratia similis esse potuit, per quam gratia venit super omnes filios hominum. Ergo super omne meritum excellentia tua, eminentior cunctis, sanctior universis. Nemo, vt tu gratiâ plenus fuit, quæ sola sine exemplo Mater Virgo genuisti, castitatisq; lilium cum fructu fœcunditatis seruasti. Tu ad iucunditatem unguenta accepisti, unguenta ad speciem, unguenta ad odorem. Alij unguntur ad curationem, alij ad stabilitatem, omnes unguenta ad necessitatem accipimus. Tu Filia delicata, & omni gratiâ plena, charissima in delicijs tuis uncta es ad gloriam decoris tui, & in signum dilectionis; Vnctum paritura, & tu quoq; uncta es, vt ipsum in te unguentum prius excellenter effunderet, quod postmodum in utero tuo singulariter acciperet.* Sic Hugo de Virginearum gratiarum unguento preciosissimo, quo uncta copiosissimè, superni Salomonis Ferculum, Regalisque Thalamus fieri meruit.

B. V. gratiarum præstantia

Nullus purus homo B. V. in gratiæ plenitudine similis.

44. Et licet, unguentum hoc Deiparæ, ex varijs virtutum speciebus fuerit confectum, crediderim tamen confectum oleo misericordię vel maximè, quo in Conceptione Dei Filij Ferculum ipsius effecta dignissimum, mirificè delibuta, effusissimæq; pietatis in mortales omnes nacta viscera, eâdem pietatis, ac misericordiæ egregiam indolem, in dilectissimum suum etiam transfudit Filium, ut qui antea Leo terribilis extitit, nunc Homo factus, Agnus mansuetissimus evaderet. Totum hoc elegantissimè in Orat. ad Deiparam expressit paulò ante memoratus Bernardus: *Nec mirum ò Domina*, inquiens, *si tam copioso oleo misericordiæ tui cordis, perfusum est solarium, cùm illud inæstimabile opus misericordiæ, quod prædestinauit DEVS ante sæcula in redemptionem nostram; primum in te, à Mundi Artifice sit fabricatum. Quando enim placuit gratiæ supernæ, vt habitaret in nobis, à quibus fuerat elongata, tu sola inuenta es digna, vt in tua Virginali Aula, Rex Regum, Dominus Dominantium, à Regalibus sedibus veniens, primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret. Verè beneplacitum fuit Domino DEO habitare in te, quando ex ipsa illibata carnis tuæ substantia, quasi de lignis Libani, ineffabili architecturâ, domum sibi ædificauit DEI Sapientia, suffulsit eam septem columnis argenteis, ac reclinatorium aureum in ea collocauit. Hæc est unica illa Saluatoris Fœmina, in qua sola quæsitam in omnibus requiem inuenit, atq; in eius sinum omnes Thesauros suos, præsertim verò misericordiæ, absq; mensura transfudit.* Hæc Ber.

Gratiæ abundãtia B.V. in Incarnatione communicata.

In B. V. Sinum Thesauri misericordiæ, absq; mensura transfusi.

Similiter B. Andreas Cretensis Epist. Orat. in Salut. Angelicam. de Incarnatione Verbi, in utero Virginis peracta loquens, ait Dei misericordiam in humanum genus ad instar maris inundasse, ut ita caro, quæ ante in scelerum ultionem, aquis diluvij fuit deleta, ac perdita, modò diluvio quodã Divinæ misericordiæ perfusa salvaretur: *Hodie*, inquit ille, *Pater omnis gloriæ humani generis calamitatẽ misertus corruptam in Adamo naturã propitijs oculis intuitus est. Hodie misericordiæ Largitor, viscerum suorum optimorum abyssum nobis reuelat, naturamq; nostram misericordiâ suâ instar marium, quæ multâ aquâ teguntur, perfundit.*

Misericordia Divina post Incarnationem fuit ad instar diluvij.

45. Videamus jam, quanta, quamque immensa hæc Deiparæ nostræ extiterit misericordia, cùm Patris ęterni misericordiæ, uti suprà commemoratum, fuerit quam simillima. S. Bernardus sanè ser. 4. de Assumpt. in illa quatuor dimensiones observavit, quas Apostolus Divinâ in charitate reperit, dum Ephes. 3. v. 17. *In charitate*, inquit, *fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* Vtque magis ostendat Virginalem pietatem hanc cum Divina participare, asserit illam inscrutabilem, atque investigabilem, ut idem Apostolus Dei Iudicia appellavit: *Quis*, inquit pientissimus hic, Deiparæ ipsius lacte nutritus Filius, *quis misericordiæ tuæ, ò benedicta, longitudinem & latitudinem; sublimitatem & profundum valeat inuestigare?* Ac si diceret, Nullus. Tum prosequitur: *Nam longitudo eius usq; in diem novissimum, inuocantibus eam subuenit universis; Latitudo eius replet Orbem terrarum, vt tuâ quoq; misericordiâ plena sit omnis terra. Sublimitas eius, Ciuitatis supernæ inuenit restaurationem. Profundum eius sedentibus in tenebris, & umbra mortis, obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletum: Infernus euacuatus est: instaurata ruina cœlestis Hierusalem, expe-*

B.V. Misericordiæ longitudo, latitudo, sublimitas & profundũ.

ctanti-

clamantibus miseris, vita perdita, data. Sic potentissima & pijssima Charitas, & affectu compatiendi, & subueniendi abundat effectu, aequè locuples in utroq;. Ad hunc igitur Fontem sitibunda properet anima nostra, ad hunc misericordiæ cumulum, totâ solicitudine miseria nostra recurrat. Sic Bernardus.

Easdem planè dimensiones in Virginis nostræ Misericordia, reperit Doctor Seraphicus Bonaventura; in speculo cap. 5. ubi de plenitudine gratiæ disserens, postquam dixisset. *Cœlum est MARIA, Terra est MARIA; Abyssus est MARIA in bonitate, & misericordia profundissima. Vnde etiam profundissimam misericordiam Filij sui pro nobis interpellat, quasi Abyssus abyssum inuocans;* mox subtexuit: Divinam prorsus esse MARIÆ Misericordiam, cùm sit immensa, nec ab ullo dimetiri, nî ab ipso rerum omnium Creatore possit. *Quis huius cœli altitudinem;* inquiens, *quis huius terræ latitudinem; quis huius abyssi profunditatem; quis, inquam, Mariæ immensitatem dimensus est, nisi ille solus, qui ipsam non solùm in gratia, & in gloria, sed etiam in misericordia, tam altissimam, tam latissimam, tam profundam operatus est?*

Deipara est Abyssus in misericordia

B. V. Misericordia Divina est, & quasi imensa.

46. Altissima profectò est Virginalis Misericordiæ sublimitas, ut meritò de illa dicere possimus illud, quod Poëta de Vrbium Principe Roma modulatus est: Eccloga 1.

Hæc tantùm alias inter caput extulit urbes,
Quantùm lenta solent, inter Viburna Cupressi.

Altitudo hæc ad instar montis Olympi, vel Atlantis attingit cœlos, caput inter nubila condit. Cùm enim Virginem Portam, Scalamque cœli nominamus, quid aliud dicere volumus, quàm quod eius effusissima pietas nos miseros, pondere peccatorum in terram depressos, quibus verè dici potest:

Altitudo Misericordiæ B. V. attingit cœlos.

O curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes;

In cœlũ attolat, nobisq; velut clavis Regia Davidis, Portas cœlestis referet Paradisi? De illa enim verè dici potest, quod de ejus Filio, pronunciavit Ioannes: *Habet clauem Dauid, aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* Apoc. 3.

B. V. habet claves cœlorum.

47. Et verò si Eliæ Prophetæ oratio clauis cœlorum extitit, vt ad libitum eos aperire, & claudere posset; pluuiamque reddere eosdem, ad libitum, ac negare iuberet. ut ex lib. 3. Regum cap 17. & 18. constat. Vnde S. Chrysostomus Hom. 2. de Elia: *Clauis,* inquit, *cæli fit sermo Eliæ sanctissimi, iubet enim & clauditur cœlum; orat postmodum & aperitur, ut sanctorum meritum monstraretur non solùm in terris posse, quod voluit, sed etiam in cælestibus posse impetrare quodcunq; petierit.* Si, inquam, Elias, ut loquitur Sanctus Iacobus cap. 5. *homo similis nobis possibilis oratione orando, ut non plueret super terram, non pluit annos tres, & menses sex, & rursus orando, cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum:* quantò magis Virgo DEIpara gloriosissima iam impassibilis, atq; immortalis misericordiæ suæ clavibus, reseratura est nobis cælos quam promptissimè, ut desideratissimam cœlestium gratiarum donorumque reddant pluuiam, totaque Ecclesia, ad instar Paradisi, flores virtutum, bonorumque operum fructus uberrimos proferat? Hanc misericordiæ clavim in manu Virginis contemplatus S. Ephræm Syrus orat. de laud. V inter varia, quibus eam salutando cumulauit, elogia, illud non postremum extitit: *Ave clavis Regni cælestis. Ave nostra Consolatrix, quæ mærores sedasti, & oppressorum molestias lenijsti, cunctasq; oppressiones sustulisti. Ave firma salus uniuersorum Christianorum, ad te syncere recurrentium. Ave nostra omnium protectio insignis, ac gloria.*

Eliæ sermo clavis cœlorum.

B.V. reserat nobis cœlum cùm voluerit.

B.V. Clavis Regni cœlestis.

48. Facilitatem hanc pientissimæ Virginis in cœlis nobis reserandis indicauit illa veteris testamenti Arca, purissimo operta auro, aureaque Corona, atque aureola redimita, omni claue destituta, ut nonnulli Recentiores obseruârunt. Quod ideò factum, ut intelligeremus animatam hanc, Virgineamque Arcam auro charitatis undique decoratam, coronâque Aureâ sempiternæ beatitudinis, Aureolâque multiplicium accidentalium gaudiorum redimitam, ac triumphantem, Arcam, inquam, illam, quæ substantialem Charitatem, Manna illud dulcissimum, Panem viuum, qui de cœlo descendit, Diuinamque legem, utero suo est complexa, non potuisse unquam benignissima suæ pietatis miseris mortalibus claudere viscera, sed ea aperta, patentiaque ita semper habuisse, ut ad minimum orationis nostræ nutum, Panem illum vitæ æternæ, Mannaq; dulcissimum, florentem illam Virgulam, puritatem nempè, castitatemque, cuius erat Symbolum, Divinæ denique legis obseruantiam, media utique efficacissima, quibus velut clavibus cœli portæ reserantur, nobis liberalissimè, ac promptissimè communicaret.

B.V. Arca patens nullis clavibus, obserrata nobis est.

B. V. prõpta charitas in hominibus exaudiendis.

49. Solâ, nimirum, insinuatione opus est, levique pulsu, ad hanc Arcam, reserandam, mox sponte reserabitur, & postulata quæcunq; impertietur. Vnde idem Bernardus Ser. 2. post Dominicam secundam Epiphan. *Ipsa dico vobis charissimi, si piè à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ, quoniam misericors est, & Mater misericordiæ.* Quare sapienter obseruauit Richardus à S. Laurentio lib. 2. de laud. Virg. fatuas illas Virgines verè egisse fatuè, ac insipienter postquam à Sponso repulsam passę, audito illo verbo verè aspero: *Nescio vos;* de salute desperantes recesserunt. Si enim ad misericordiæ recurrissent Matrem, eamque oratione illâ, *Domina, Domina aperi nobis;* pulsassent sine dubio, iram placando Filij, fores Regni cœlestis eis facilè aperuisset. Cùm eius benignissima indoles adeò ad miserandum, tollendasque nostras miserias sit propensa, ut vel non inuocata, nec ad auxilium nostrum requisita, vltro se nostris subleuandis calamitatibus offerat. Vnde Sap. 6. aiebat Salomon: *Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inueniet. Praeoccupat enim qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.* Hinc Eccles. ca. 15. de hac Virginis amicissimâ spontaneâque ad miserendum propensione præclarè ait. *Obuiabit illi quasi Mater honorificata, & quasi Mulier à Virginitate excipiet illum.* De hac Deiparæ pientissimæ ultronea promptitudine in nostris miserijs, suâ bonitate, perfectioneq; sublevandis quam præclarè cecinit Mant. lib. Primo Parthen.

Pulsandæ fores misericordię Virginalis si exaudiri in nostris precibus desideramus.

B. V. spõtè etiam non invocata, misericordiam suam exhibet.

Ante preces etiam nec dum obsecrata, fauorem
Donat, & ad miseros maternas explicat ulnas.

Mox declarat exemplis ubi nam potissimum suæ misericordiæ patefaciat viscera, nominatque Domum Lauretanam, verè peccantium Propitiatorium, verè miserorum omnium Asylum; nominat demum Basilicam ipsius ad niues miraculis celeberrimam:

Domus Lauretana, & Basilica B.V. ad Nives, loca sunt in quibus illa misericordiæ viscera nobis aperit.

Quid nivis æstivæ pluuias, quid mœnia dicam,
Littore Piceno, impensis communibus orbis
Condita, & Adriaco transvecta Cubilia ponto?

50. Hanc Virgineæ misericordiæ celeritatem argutè rimatus est Richardus de S. Victore cap. 23. in Cant. In pulcherrimo illo Sponsi elogio: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli Capreæ gemelli;* ubi pietatem, charitatemque Virginis tam in iustos, quàm in peccatores omnes, ait adeò esse celerem, ut agilissimis hinnulis comparari queat. *Possunt, inquit ille, ubera hæc ad B. V. transferri. Ipsa enim habet duo ubera gemina dilectionis lac fundentia, quia reis impetrat veniam, & iustis gratiam.* Et paucis interpositis: *Meritò ergo misericordia eius cursui hinnulorum comparatur, quia per mundum currit, mundum irrigat, atq; infundit. Hinnulorum velocitati comparatur, quia velociùs occurrit eius pietas, quàm innocetur, causasq; miserorum anticipat. Hinnulis deniq; comparatur, quia dulcedinem bonitatis, quam impendit, ipsa desuper sugit. Hæc autem sunt ubera tua ò Beata, pietas tua videlicet, quâ miseros lactas, dum misericordiam eis impetras. Lactas miseros, & ab ipsa, increatâ nimirum misericordiâ lactâris; ab ipsa percipis quod refundis. Ad te ergo Matrem misericordiæ, Matrem miserorum, clamant exules Filij Evæ, clamant ipsæ miseriæ. Habet enim miseria clamorem, & vallis hæc lacrymas. Vallis est enim lacrymarum, adeò, ut si ipsi miseri non clament, ista auribus tuis non insonent. Non possunt hæc ante te silere, nec auditum tuum latere, eò quod aures audiendi miserias habeas, & te has scire, sit eas audire. Sicut enim ubicunq; fuerit corpus, congregantur & aquilæ, ita ubicunq; fuerit miseria, tua & currit, & succurrit misericordia. A DEO replentur pietate ubera tua, ut alicuius miseria notitiâ tacta lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire, & non subvenire. Et quid si misericordia affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti? Cùm materiale lac ex te DEVS suxit, spirituale pariter Filij DEI, per te fluere cœpit. Ex eo miserorum Mater facta es, & miseros alere misericordiæ lacte cœpisti. Et cùm misericordia DEI sit ab æterno, amplior esse cœpit ex tempore. Et cum ex te cœpit initium, eius quoq; largitas, per te sumpsit augmentum. In te ergo lac concreuit Diuinæ misericordiæ, & ex te nobis profluxit. Ipsa priùs repleta es, & ex te nobis descendit hæc abundantia. Vnde quia lacte hoc inebriaris, & lac istud nobis fundis, & per mundum pietas tua currit, & miseris occurrit, & subvenit, meritò hinnulis compararis, & lactentibus hædis, paritérq; currentibus assimilaris.* Hæc Richardus de effusissimæ pietatis, ac misericordiæ visceribus Virginis nostræ, ostendens simul quasi intento digito, unde hæc ipsius in miserando promptitudo, ac facilitas traxerit originem.

B.V. Misericordia, ad instar hinnulorũ velox.

M. misericordia per Mundum currit, ut eam nobis exhibeat.

B.V. ubera pietas, & misericordia.

Nõ potest B.V. nostras miserias scire, & nõ subvenire.

B. V. repleta Divinâ misericordiâ, ut illam in nos transfunderet.

51. Iam videre quis cupit, quânam ratione misericordiæ Deiparæ altitudine cœlos attingat, eorundemque clauis effecta, illos miseris reseret mortalibus? Con-

B. V. pia Oratio cœlos S. Stephano reseravit.

Considerate Protomartyrem gloriosissimum Stephanum. Considerate atrocissimum illum Ecclesiæ persecutorem Saulum, qui cùm lapidantium omnium vestimenta asservaret, adeò crudeliter in mortem conspirauit Stephani, ut eum omnium illorum manibus lapidare videretur? Et quis tandem ambobus in tanto discrimine cœlos reserauit? Non alius sanè quàm clavis Regia, Virg. nostræ oratio. Eadē enim hora, quâ Stephanus pro fide Christi decertabat, eundemq; Saulus cū reliquis persecutoribus impugnabat, stetisse fertur Deipara cū Dilecto Christi Discipulo Ioanne ad Torrentem Cedron, orationemque ad Filium fudisse, flexisseque in lapide quodam, qui etiam hodie visitur Hierosolymis, juxta portam Ephraim, quæ modo Porta S. Sphenani, quod per eam ad Martyrium eductus fuerit, appellatur. Licet Princeps Razivilius Polonus in suæ Hierosolymitanæ peregrinationis descriptione pagina 6. in monte asserat Virginem stetisse, & orasse pro Stephano: *Paulò inferius*, inquit, *Hortum versus in quo Christus captus est, ostenditur locus, in quo B. V. MARIA stabat orans pro Stephano cùm à Iudæis lapidaretur.* Atque ita ardenti Virginis ad Filium profusâ oratione, quâ precabatur, ut gratiâ in interiori homine corroboraretur, ad horrificum illum lapidum excipiendum imbrem Stephanus, corque immutaretur Sauli, quo ex tam feroci Ecclesiæ persecutore, ejusdem evaderet Doctor, ac protector, fusâ, inquam, hac oratione Deiparæ, velut clavi, cœlorum mox reseratæ sunt portæ, vota Matris ante Thronum ascenderunt dilecti Filij. Et ipse qui olim dicebat: Non videbit me homo & vivet, suam illi manifestare dignatur gloriam, simulque benignissimam suam illam faciem, in quam desiderant Angeli prospicere.

B. V. dum lapidaretur Stephanus, stetit cum Ioanne ad Torrentē Cedron, orans pro illo.

Vnde tanti amoris atque admirationis vi perculsus exclamauit: *Ecce video cœlos apertos, & IESVM stantem à dextris virtutis DEI.* Act. 7.

52. Rursus non ita multò post ad ostendendam Maternæ orationis vim, atq; omnipotentiam, iterum aperiuntur cœli, emittitur copiosissima de cœlo empyreo lux, Diuinusq; splendor terribili illâ associatus voce; *Saule, Saule cur me persequeris?* mox ad terram prosternitur; cœlesti luce, mentis plusquam cimmeria caligo illa abstergitur, ex lupo rapacissimo, fit agnus mansuetissimus, ex persecutore efferato, fit Ecclesiæ zelantissimus Apostolus, Prædicator, & Doctor, adeò humilis, adeò ad omnem Diuini Numinis nutum expeditus, ut qui ante erat spirans minarum, cædisque in Discipulos Domini, nunc admirabili metamorphosi transmutatus in virum alium, supplex tremensq; diceret: *Domine, quid me vis facere?* Videte, per DEUM immortalem, quanta sit Vírgineæ orationis omnipotentia, videte, an non sit clauis cœlorum, siquidem ipsa reserante, Diuinæ gratiæ splendor in cor, animumque Sauli illapsus cœlitus, tam inexpectatam in illo fecit transmutationem?

Deiparæ piâ oratione cōvertitur Saulus.

53. Neque verò DEIparæ nostræ Misericordia est clauis dumtaxat, verùm etiam Scala, quâ in altitudinem cęli tuti, securique conscendimus. Vnde Richardus de S. Laurentio lib. 10. alijque Patres quamplurimi in scala illa Gen. 28. quam in somnis vidit Iacob, figuratam asserunt. Quemadmodum enim per quietem, sopitis sensibus, sanctus ille Patriarcha, tam insigni visione perfrui meritus est, *sic qui dignitatem Virginis*, inquit Richardus, *audet contemplari, oportet eum animam à curis sæcularibus, occupationibusq; exterioribus habere sopitam. Oportet insuper esse Iacob contra scilicet vitia luctatorem, ac supplantatorem. Deniq; quemadmodum*, inquit idem Vir pijssimus, *scala illa imâ sui parte tangebat terram; cacumine verò cœlum, ita vt cœlum terræ unire videretur, sic misericordiâ, ac pietate Virginis Beatæ, terrena cœlestibus uniuntur, ut tandem eiusdem clientuli, ac cultores, exemplorum ipsius imitatores ascendentes de virtute in virtutem, dum in hac degunt vita, in mortis articulo incurrant in amplexus Domini, qui huic scalæ inniti videbatur ideò, ne in seruitio & dilectione Virginis, aliquo tentationis impulsu corruant, extremumq; salutis discrimen adeant.* Sic ferè Richardus.

M. misericordia Scala est, quâ in cęlum conscendimus

B. V. Scala Iacob.

B. V. misericordiâ terrenâ cęlestibus uniuntur.

54. Nō solùm Virgineæ huic scalæ innititur Dominus, sed etiam ad clientulorū suorum maius auxilium, ac solatium dicere possumus quod & ipsa pientissima Virgo MARIA, ut tantò securiùs, ad cœlestis beatitudinis gloriam perueniant. Testatur hoc Chron. Minorum 1. Part. lib. 2. cap. 35. ubi legimus à quodam DEI seruo visas in longè latèq; patenti campo

po duas scalas; candidã alteram; alteram rubeam, cui innitebatur ipse Christus, eo propemodum schemate terribilis, quo eum vidit Ioannes Apoc. 1. flammantibus oculis, totoque vultu iram, minasque spirantem, plagasq; manuum, pedúmque, ac lateris, quas ei sceleribus suis aperuerant peccatores, quasi recenti sanguine manantes ostentantem.

Christus, & Deipara duæ ad cœlos Scalæ.

Candidæ porrò illi scalæ innitebatur Virgo Clementissima, quæ toto, ore oculisque pietatem, benignitatemque spirans, invitabat omnes, ut ad se properarent, quos illa expansis misericordiæ suæ ulnis complexans, in beatam deducebat Patriam. Illi contra, qui ad alteram illam ascendebant scalam, terribili illo, justissimâque indignatione succenso æterni Iudicis vultu conspecto, casu miserabili præcipites corruebant.

Deipara Scala candida, quâ faciliter ad cœlos pervenitur.

55. O quam præclarè de hac Virginis pietate sensit Cancellarius Ioannes Gerson Tract. 4. in Magnif. ubi cùm gloriosissimam Deiparæ Virginis in cœlos assumptæ contemplatus esset gloriam, ac potentiam, pientissimis illis ipsius misericordiæ visceribus associatam, ait supremam illam Maiestatem cum Virgine suum quodãmodo partitam esse Regnum; & potestate, seù potentiâ sibi reservatâ, Matri alteram Regni partem, nempè misericordiam cessisse. *Magnificata est hodie B. V. vt Regina cœli*, inquit ille *imò & mundi jure vocetur, habens praeminentiam & virtutem influxivam super omnes; Principatum habet dimidij regni DEI, si sic dici potest, sub typo Hester & Assveri. Regnum quippè DEI consistit in potestate, & Misericordia: Semel locutus est DEVS, duo hæc audivi, quia Potestas DEI est, & tibi Domine Misericordia. Potestate Domino remanente, cessit quodammodo Misericordiæ pars Christi Matri, Sponsæq; regnanti. Hinc ab Ecclesia tota, Reginà misericordiæ, salutatur. Magnificat hodie Dominum, quia magnificata præ omnibus diebus vitæ suæ, plenum gratiæ complementum hodie secura recepit. Nulla dies illi festivior, nulla desiderabiliori jucunditate refulsit, &c.* Sic Gerson.

Deus B.V. cessit Regnum misericordię

B.V. velut Hesteri dimidium Regni sui cœlestis Rex cessit

56. Cur porrò Virgo sanctissima, Regina misericordiæ potiùs, quàm iustitiæ, aut sapientiæ salutetur, S. Bernardinus Senensis To. 4. ser. 6. cap. 3. assignat rationem. *Illa regna*, inquiens, *non ita latè patere, atq; regnum misericordiæ, quod se super omnia DEI extendit opera, ut ait Psalmista. Dignitas autem Virginis DEI Parentis amplissimum merebatur regnum misericordiæ, quod est patrimonium & proprietas eius dilectissimi Filij*, ait S. Pater. Proprium enim DEI est misereri semper & parcere. Idque confirmat verbis Isaiæ 18. *Ego autem considerabo in loco meo.* Glossa; *qui locus, DEI est misericordia: sed proprius locus Regis est Regnum. Ergo misericordia est Regnum, & Regis, & Reginæ. Sed propriè dicitur Rex & Regina eius, quod est ipsius Regnum. Sicut Rex & Regina Franciæ dicitur cuius est Regnum Franciæ. Propterea beatissima Virgo dicitur propriè Regina misericordiæ, cuius misericordia Regnum est*, Hæc ferè Bernardinus.

B.V. cur Regina misericordiæ salutetur?

Regnum misericordiæ B.V. latissimè patet.

B.V. dicitur Regina misericordiæ, quia proprium eius Regnũ est Misericordia.

57. Idem Pater Seraphicus Tomo 1. ser. 61. art. 1. cap. 3. Nomen hoc Reginæ misericordiæ, inter innumera beneficia, ac gratias promeruisse Deiparam docet in instanti conceptionis Filij Dei: *Meruit*, inquiens, *fœcunditatem in Virginitate, & Maternitatem Filij DEI. Meruit esse Stella maris, Porta cœli, meruit deniq; super omnia, ut Diuinæ misericordiæ Regina sit & nominetur.* Probat inde nomen hoc illi maximè competere. *Si enim Imperatrix nuncuparetur, non ita ad se mortalium corda pelliceret, cùm nomen illud sit Majestatis, magni timoris, ac rigoris; Reginæ verò sit nomen providentiæ, atq; æquitatis, denotatq; excellentiam respectu inferiorum, ac minorum. Sic enim Domina Dominarum, Regina Reginarum, Dea Dearum, Regina peccatorum, vel Dæmonum minimè dici potuisset.* Ostendit denique Nomen hoc pietate plenissimum, nomen esse universalissimum, *omnia in se reliqua, quæ illi attribui possent nomina, qualia sunt, Regina pacis, dilectionis, potentiæ, sapientiæ, gratiæ, gloriæ, iustitiæ, complectens. Cùm enim illam misericordiæ Reginã prædicamus, prædicamus simul eam Reginam pacis, dilectionis, potentiæ, sapientiæ, gratiæ, gloriæ, ac demũ justitiæ. Gloria enim tantum est in cœlo; non in terra, non in Inferno, non in Purgatorio. At verò misericordia in quolibet horũ est. Maximum ergo amplissimumq; Regnum est Misericordia, quod jure maximæ Reginæ creaturarum omnium attribuendum est. Accedit quod quicquid est superius superiore, sine dubio superius est inferiore, sed misericordia est super omnia opera DEI, & Regnum misericordiæ super misericordiam. Ergo Regina misericordiæ determinat potentiam super omnia. Sed potentia super omnia convenit Virgini propriissimè, utpotè universorum verissima Domina. Propriè igitur Regina misericordiæ nuncupanda erit.* Sic ferè Bernard.

B.V. Regina misericordiæ facta in instanti Cõceptionis Filij Dei.

Reginæ Nomen est providentiæ.

Regnum misericordiæ est Regnum amplissimum.

B.V. Reginarum omniũ maxima est, quia habet maximum Regnum misericordię

58. Beatus Albertus Magnus Tract. super Missus est, alias affert causas, cur Diva Virgo Mater & Regina misericordiæ

diæ vocitetur. Cùm enim quæsiisset, an B. V. octo beatitudines habuerit, præsertim verò beatitudinem misericordiæ: Respondit habuisse omninò, eamque ob causam secundùm Ecclesiæ universalem usum, Matrem misericordiæ appellari; quod propriè nulli alteri, ne quidem Angelicę, nisi accidentaliter convenire asserit, creaturæ; *Ipsa enim*, inquit Albertus, *habet comparationem, ac misericordiam, per modum originis essentialis, quia per modum Matris, parientis videlicet nobis Increatam illam Misericordiam. Convenientia autem essentialis improportionabiliter excellit modum inhærentiæ accidentalis.*

B. V. vocatur Mater misericordiæ, quia increatam nobis peperit Misericordiã

Reginam porrò misericordiæ aliam ob causam appellari ait Albertus, quia alia longè est ratio Matris, & alia Reginæ; Reginamque misericordiæ ideò dici, quia ab ipsa Regni misericordiæ origo processit, ut & prima misericordiæ gratiæque potestas, quæ est peccata remittere, pœnas diluere, bona multiplicare, mala differre, cuius Regni primam originem, potestatemque à B. V. esse dicit, per quam suscepimus Misericordiam in medio Templi, Iesum Christum scilicet, per quem misericordia, & veritas facta est, qui propriè modo regnat super eos, quos propriè redemit sanguine, suâque passione, ac morte regeneravit, sibique configuravit, donec in fine completis omnibus, tradat Regnum Deo, & Patri. *Ex his patet*, concludit Albertus, *alios omnes servos dumtaxat esse misericordiæ, Beatissimam autem Virginem Reginam, atque ita improportionabiliter excellentiùs, eandem se habere ad misericordiam, quàm habeant alij sancti.*

A B. V. Regni misericordiæ origo processit.

59. Regnum hoc Virgineæ in genus humanum misericordiæ, pietatisque effusissimæ viscera, pervenustè, ac piè descripsit devotissimus Thomas de Kempis in Soliloquio Animæ cap. 24. dum per Prosopopęiam gloriosissimam hanc misericordiæ Reginam, pietate suâ, facilitateque dulcissimâ, omnes ad se allicientem verbis illis suavissimis introducit: *Ego sum Mater misericordiæ, plena charitate & dulcedine. Ego peccatorum scala, reorum spes, & venia. Ego mœstorum consolatio, & sanctorum specialis lætitia. Transite ad me omnes, qui diligitis me, & ab uberibus consolationum mearum implemini, quia pia sum & misericors omnibus invocantibus me. Venite omnes Iusti, & peccatores, rogabo pro vobis Patrem, rogabo & Filium, ut propitietur vobis per Spiritum sanctum; omnes invito, omnes expecto, omnes venire desidero, nullum peccatorem despicio, sed super pœnitente peccatore etiam cum Angelis DEI, magnâ charitate congaudeo, quia non perit pretiosus sanguis Filij mei effusus pro mundo. Accedite ergo ad me Filij hominum, attendite & videte Zelum meum pro vobis, ad IESVM DEVM Filium meum. Ecce ego iram eius in me suscipiam, placabo illum precibus sedulis, quem vos offendisse cognoscitis. Convertimini & venite, agite pœnitentiam, & impetrabo vobis indulgentiam. Ecce ego sto inter cœlum & terram, inter DEVM & peccatorem, & ne mundus iste pereat precibus meis obtineo. Nolite ergo abuti misericordia DEI, & mea clementia, sed omnem cavete offensam, nè subito super vos redeat indignatio, & intolerabilis vindicta. Præmunio filios meos, obsecro dilectos meos, estote imitatores Filij mei & Matris vestræ. Recordamini mei quæ vestri non possum oblivisci. Ego enim sum omnium miserorum miseratrix, omniumque fidelium piissima Advocatrix.* Hæc ille.

Deiparæ ad se vocantis peccatores pietas

Deipara stat inter cœlum & terram, seseq; pro peccatoribus interponit, ne pereãt

B.V. nostri nõ potest oblivisci.

60. Quæ Vir pijssimus, ubi ex ore Virginis dulcissima percepisset verba, respondit, in persona Discipuli Mariani: ostenditque hujus Virgineæ misericordiæ, ac pietatis admirabiles in animo suo se percepisse effectûs. *Reviviscit, ingens, intra me spiritus, & omnia interiora mea gaudio novo perfunduntur, quoniam bona & jucunda per te mihi nuntiata sunt. Tristis eram, sed nunc gaudeo propter vocem tuam. Vox enim tua dulcis in auribus meis. Gravatus eram, & desolatus, sed nunc relevatus sum & confortatus. Misisti enim manum tuam de alto, & tetigisti me, convaluique de infirmitate. Vix loqui poteram, sed nunc licet etiam cantare, & gratias tibi magnificè agere. Tædebat vivere, sed jam nec mori timeo, quia te Advocatam, apud Filium sciens, pro mea causa teneo, cuius misericordia me commendo, ex hac hora, & deinceps omni in momento. Ex quo enim locuta es ad cor desolati orphani tui, repentè mutatus sum in meliùs, & validè interius recreatus. Quodammodo desperatus iacui, sed accessit consolatio tua, meque erexit cum iucunditate.* Tandem sic sibi Matrem pientissimam misericordiæ, amicissimè respondentem introducit: *Quid est Fili? qui sunt, qui volunt nocere tibi? Noli timere, ego videbo pro te Fili mi. Viuo ego, & viuit Filius meus* Iesus *Frater tuus, qui est ad dexteram Patris fidelis, utique Pontifex, & Intercessor pro peccatis tuis. In ipso summè sperare debes, quia ipse est Dator vitæ, & Destructor mortis. Ex me temporaliter incarnatus, ex Patre æternaliter genitus, toti*

B.V. vox consolatoria, & plena pietatis.

B.V. amor & providentia in suos clientulos.

Iesus & Maria memoriâ semper retinendi, contra inimici iacula.

toti Mundo in salutem datus est. Ecce unde spes & consolatio, & per quem fides & victoria. Sit IESVS & MARIA in tua semper memoria, & non timebis inimici iacula. Hactenus Deipara: quibus sanè verbis se verè Matrem misericordię ostendit esse clementissimam, amplissimoque suæ pietatis sinu, ad complectendum mortales omnes paratissimam, nobisque mirificam, de ipsius misericordia, clementiaque benè sperandi suggerit fiduciam.

Misericordia B. V. accommodatissimus exulibus est Principatûs.

61. Quare præclarissimum hunc, nobilissimumque Matris misericordiæ titulum Martinus de Magistris Theologus, suâ, in Salve Regina paraphrasi, accuratissimè expendens vocavit: *Accommodatissimum miseris exulibus Principatum.* Tum ad Virginem conversus, vilitatis, ac imbecillitatis suæ conscius, profundissimèque se humilians: *Si*, inquit, *tuum, illud cœli, siderumque Regnum veniat in mentem, vilitas nostra, imperij dignitate terrebitur. Si sapientiæ recensuerimus Magisterium, tantum reuerita splendorem, ignorantia se nostra condet in latebras. Si virtutum aduocauerimus imperium, oppressa sanctitatis tuæ pondere, supplicum nuditas erubescet. Non iustitiæ Thronum, iniqui; non innocentiæ sacrarium, sordidi; non Virginitatis florem, corrupti; non bonitatis fontem, peruersi, gemebundis vocibus inclamamus. Nos, nos consultiùs ad Reginam properamus misericordiæ, ubi uno, eodemque miserationis officio, & disperit calamitas, & quæ peccando contracta sunt, condonantur supplicia.* Tum paucis interpositis Vir hic in Deiparam pijssimus docet, quânam ratione mortales, tam infinitis miserijs circumvallati, non qualemcunque Misericordiam postulare debeant, sed misericordiæ Principatum, qui maximè in sexu fœmineo excellit: *Non Regem*, inquit, *sed Reginam misericordiæ salutamus; nam est maior viris, quàm fœminis adversus misericordiam pugnans severitas. Rigidior Regibus, quàm Reginis legum observantia, juris æquique tenacior est sexus robustior, & retundit comprecantis miseriæ conatum, virtus, integritas, robur, excellentia Principalis. Currit per fragilem, devotumque sexum, currit per debilium viscera liberior miseratio, & ad Principatum misericordiæ fœmininum sexum nonnihil adiecturum confidimus.*

Cur Deipara Regina misericordię dicatur?

Deipara cùm sit Fœmina, majorem habet miserationis affectum.

Concludit tandem reddendo rationem ob quam Mater misericordiæ vocitetur, & tot effectûs miserationis, miseris exhibeat mortalibus: *Sed unde*, inquiens, *hæc miserationum ubertas? Vnde hic tibi misericordiæ Principatus? Dubitent, qui nesciunt, unam te eamdemque Principis misericordiæ Filiam esse, & Parentem, & Sponsam. Haeredem Regni filiatio; Conjugium, consortem; te Parentis auctoritas velut originem instituit. Te hæc pariter omnia Reginam misericordiæ, perenni dignitate sacrârunt.* Sic ille.

Varij tituli, ob quos B.V. Regnum misericordiæ adepta est.

62. Ob eundem Divinæ Maternitatis titulum Guilelmus Parisiensis Episcopus convenire asserit lib. de Rhet. Divina. c. 18. Virgini nostræ pientissimæ vel maximè misericordiam, dum eam ita alloquitur: *Misericordia est, per quam maximè Matrem DEI te esse demonstras & potissimum peccatoribus, & miseris, qui per veniam, & gloriam, quas eis impetras incessanter Matrem DEI te esse cognoscunt evidenter. Nulla enim creatura & tot, & tanta & talia impetrare posset miseris apud benedictum Filium tuum, quanta tu apud ipsum impetras eisdem. In quo procul dubio non tanquam ancillam suam, quæ indubitanter es, sed tanquam Matrem verissimam te honorat. Ampliùs dico: Alijs matribus assimilari debent Filij, te autem gloriosa Domina decet assimilari benedicto Filio tuo, & potissimum in ea virtute, per quam se fecit Filium tuum, & te Matrem suam. Hæc autem est misericordia; & propter hoc in misericordia es ei simillima. Necesse igitur est, ut totam te possideat misericordia, & propter hoc nihil potes contra illam etiam de iustitia; ne steteris igitur pro iustitia contra illâ. Et propter hoc ne allegaveris ipsam contra me, quia soli misericordiæ tuæ post Filium tuum innitor, spemque meam post illum totaliter in ipsa posui, atque fixi. Ne allegaveris, dulcissima DEI Mater, peccata mea contra me, qui misericordiam tuam allego contra ea. Absit ut stent, in judicio peccata mea contra misericordiam tuam, quæ omnibus vitijs, & peccatis super omnem cogitatum fortior est, atque potentior.* Sic Guilel.

Per misericordiam Deipara, vel maximè se Matrem Dei esse demonstrat.

Misericordia Filius Dei, factus est Mariæ Filius.

Deipara Filio, in misericordia simillima.

In Deiparæ misericordia spes figenda.

B.V. misericordia omnibus peccatis nostris fortior.

63. Et verè adeò fortis, adeò potens, adeò denique sublimis est hęc summi DEI Parentis optimæ misericordia, ut de illa, utpotè Divinæ simillima meritò dici posit, quod quondam David cecinit Psal. 102. *Quoniam secundùm altitudinem cœli à terra, corroboravit misericordiam super timentes se.* Adeò enim fortis, adeò valida est, ac robusta hæc Deiparæ nostræ Misericordia, ut nullâ vi quantumvis gravissimorum scelerum expugnari possit, quemadmodum interpretatur Caietanus. Adeò sublimis adeò excelsa est Virginea hæc misericordia, ut cœlorum à terra altitudinem præsertim verò firmamenti, ad quam vix humanus

Deiparæ misericordia nullis sceleribus expugnari & vinci potest, adeò robusta est.

Deiparæ misericordiæ cœli altitudinem æmulatur.

pertin-

Deiparæ misericordiæ cœli altitudinem æmulatur.

pertingit oculus, aut intellectus, longè superet. Quod si, ut Clavius asserit in cap. 1. Sphæræ, instrumentis Mathematicis vix metiri possunt milliaria quinquaginta, licet aliquis altissimorum montium conscendat vertices; & quânam ratione misericordiæ Virginalis sublimitatem, quæ altitudine suâ ipsum cœlum stellatum transcendit, dimetietur? Cùm præsertim in aliquorum Astronomorum sententia, ut refert Theodoretus lib. 1. de Græc. Affect. Cœlum à terra quadringenties septuagies denis stadiorum distet millibus.

Variæ distantiæ cœli à terra, eæq; valdè longinquæ.

In Alfragani verò, concavum stellati cœli, à centro terræ tot Italicis milliaribus constet, ut eorum supputata summa, faciat octuaginta milliones, nonaginta, viginti quatuor millia, quadringenta septuaginta & unum. In aliorum denique sententia, quam refert Clavius loco citato, centum sexaginta millionibus milliarium.

64. Ex quibus omnibus facilè colligi potest quam infinita, quam incomprehensibilis, atque ineffabilis sit Sanctissimæ DEI Genitricis misericordia, quæ non modò infinitæ propemodum cœlorum altitudini; verum etiam ipsorum proprietatibus videtur comparari. Quemadmodum enim corpora hęc cœlorum nobilissima, terram universam tegunt, ac quodammodo protegunt, illuminant, calefaciunt, benignisque suis influxibus dant, conservantque vitam, vegetativam plantis, sensitivam animalibus, suisque imbribus fœcundissimis, herbas, flores, fructûsque innumeros producunt. Sic planè infinita, altissimaque Virginis nostræ pietas, nos à justissima superni Iudicis ira, indignationeque protegit, intellectum illuminat, miserias ignorantiæ rerum Divinarum submovendo; inflammat affectum, voluntatis malitiam, inque malum propensionem, quæ summa nostra est miseria, extirpando; benignis suis gratiarum influxibus vitam spiritualem, imò & corporalem conservat, imbribus denique cœlestium donorum, ita animos nostros irrigat, ac fœcundat, ut variorum virtutum flores, bonorumque operum innumeros germinent fructûs. Quemadmodum denique quam longissimè cœlum, ita removetur à terra, ut terra nullo modo illud attingere valeat; ita miseriæ accedere non possunt ad animam illam, quæ sub DEI Matris degens protectione, misericordiæ ejus sese commisit, addixitque protectioni.

Deiparæ misericordia cœli proprietates imitatur.

B.V. misericordia ut Cœlum nos protegit.

Miseriæ nō possunt accedere ad animā illam, quæ sub protectione Virgineæ misericordiæ degit.

65. Contemplati sumus hactenus Altitudinem propemodum infinitam, quantum intellectûs nostri oculi ferre potuerunt, Misericordiæ Virginalis; restat, ut ad alias dimensiones veniamus. Et latitudo quidem ejus tanta est, uti idem inquit Bernardus, ut de ea quoque concinere potuerit Propheta Regius: *Misericordia eius plena est terra.* Hæc Virgineæ Misericordiæ latitudo adeò Divinam oblectat Majestatem, ut Angelus in sermone suo Angelico apud S. Brigittam c. 2. ipsam latitudini Arcæ Noëticæ comparârit. Vnde ipsam Deiparam alloquens, pronunciavit: *Lætabatur Noë de Arcâ sua spatiosa latitudine, lætabatur DEVS de tua amplissima, & misericordissima pietate, quâ omnes perfectissimè amatura eras, nullamq; creaturam rationabiliter auersatura; cùm præsertim tua illa benignissima pietas, in tantum dilatari debebat, vt illa immensus DEVS, cuius magnitudo incomprehensibilis est; in tuo benedicto utero iacere & versari dignaretur.* Sic Angelus. Pietas nimirum hæc, est Vitis illa, DEI manu in Ecclesiæ viridario plantata, tantoperè dilatata, atque amplificata, ut quemadmodum idem Propheta dixit: Psal. 29. *Impleuerit terram, operuerit montes umbra eius, & arbusta eius Cedros Dei, extenderit palmites suos usq; ad mare, & usq; ad flumen propagines eius.* Vitis hæc florum suorum suavitate, fructuum ubertate totum hoc replevit Vniversum. Audite Vitem hanc ipsam de se loquentem, Eccles. 24. *Ego quasi Vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructûs honoris & honestatis.* Videre cupitis quantoperè Vitis hæc pietatis suæ fructûs dulcissimos, cunctis communicare sit cupida. Eandem cunctos ad se benevolentissimè invitantem audite: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.*

Deiparæ misericordia latitudine suâ Mundū replet.

Misericordia B. V. similis latitudini Arcæ Noë.

Misericordia Deiparæ ad instar Vitis, se per Orbē dilatat.

Hæc nimirum est nobilissima illa, ac pretiosissima Vitis aurea, quæ totum Salomonis Templum, imò Ecclesiam universam circumdabat, egregium illi ornamentum, venustatemque tribuendo admirabilem.

Misericordia Deiparæ Vitis Aurea.

66. Hæc est Arbor illa, quam Rex Nabuchodonosor se per quietem vidisse testatur apud Danielem cap. 4. *Videbam*, inquiens, *& ecce arbor in medio*

Deiparæ misericordia est Arbor, quam vidit Nabuchodonosor.

terra, & altitudo eius nimia. Magna Arbor est & fortis, & proceritas eius contingens cœlum, aspectus eius erat usq; ad terminos uniuersæ terræ; folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca uniuersorum in ea, subter eam habitabant animalia & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cœli; & ex ea vescebatur omnis caro. Quæ sanè omnia quam aptissimè, proprietates, atque effectûs mirificos Virginalis misericordiæ, nobis ob oculos ponunt. Audite Richardum à S. Laurentio lib. 12. de laudib. Virginis, singula hujus arboris mysteria ad Virginem transferentem. *Arbor in medio terræ*, inquit, *est B. V. in medio Ecclesiæ omnibus communis, sine personarum acceptione, quod indicat eius Imago ad dexteram Crucifixi in medio Ecclesiæ. Ipsa est enim Lignum vitæ in medio Paradisi. Altitudo eius humilitas, nimirum est nimia; altum enim commune est ad sursum, & deorsum. Vnde Ioannis 4. Puteus altus dicitur, quia profundus. Profundè erat Arbor hæc radicata, & ideò de humore gratiæ plùs habebat, firmiùsq; consistebat. Vnde Arbor dicitur magna & fortis. Magna meritis, quia fecit illi magna, qui potens est. Fortis in operibus bonis, & præsertim patientiâ. Proceritas eius contingens cœlum, spe videlicet, & cœlesti conuersatione, sublimitateq; contemplationis; stans enim in terra, pertingebat usq; ad cœlum, dum in humano corpore vitam duxit Angelicam.*

B. V. misericordia Arbor magna in medio terræ.

Misericordia Virginalis Lignum vitæ in medio Paradisi.

Et talis quidem quod ad se fuit Arbor hæc. Qualis autem ad nos, subditur: Aspectus eius usq; ad terminos uniuersæ terræ. Oculi enim eius misericordes etiam ultimos peccatores non despiciunt, sed benignè respiciunt, ut Theophilum. Verè oculi eius usq; ad terminos uniuersæ terræ. Illis enim specialiter delectatur, eosq; respicit, in quibus finita & terminata videtur omnis terrenitas, rerumq; terrenarum affectio, quales sunt Sancti, & pauperes spiritu. Folia eius pulcherrima, tum quia irreprehensibilia, iusti enim sunt sermones mei, inquit illa Prov. 8. Non est in eis prauum quid, neq; perversum. Tum quia mysterio plena; Folia Ligni ad sanitatem gentium. Apoc. 22. *Quia verba, & exempla MARIÆ operantur salutem peccatoribus. Quorum iustificatio est sanitas. Fructus Arboris huius nimiùs, quia quem totus non capit Orbis, in eius se clausit viscera, factus Homo. Esca uniuersorum in ea, Angelorum nimirum, & hominum. Per eam enim Panem Angelorum manducauit homo, per eam quoq; homines, atq; Angeli in mensa altaris, quasi uno, eodemq; in refectorio Sacramentum Filij DEI comedunt: Subter eam habitabant animalia & bestiæ, quia quantumcunq; animalis & bestialis, per peccatum quis fuerit, si ad eam toto corde confugerit, ipsum ab æstu Solis, ab ira nimirum Filij, à gehennæ incendio, carnalium concupiscentiarum feruore, desiderioq; sæcularium proteget. In ramis eius conuersabantur volucres cœli, Viri nimirum spirituales, quorum conuersatio in cœlis est. Rami eius sunt virtutes, atq; exempla. Atq; ita Humiles conuersantur in ramo humilitatis, misericordes in ramo pietatis, & sic de alijs. Ex ea deniq; vescebatur omnis caro, eius enim uberibus nutritus est ille, qui dat escam omni carni, imò ille, qui dedit se escam timentibus se.* Hactenus Richardus de Arbore hac Virginea, longè, latèque pietatis suæ ramos expandente.

Oculi misericordiæ B.V. porrigunt se usq; ad terminos universæ terræ.

Oculi B. V. ad eos qui terrena despiciunt.

Magnus est fructus Arboris B. V. misericordiæ, quia Filium Dei protulit.

Arbor misericordiæ B.V. peccatores & iustos umbrâ suâ protegit.

67. Hujus Arboris Doctor Seraphicus in spec. cap. 5. proceritatem, amplitudinemque admiratus, exclamavit: *O quam latè, quam altè Arbor illa magna B.V. MARIA ramos suos extendit! quam latè ad homines, quam longè ad Angelos, quam altè ad DEVM.* Quomodo autem ad hos omnes extendat gratiarum, & misericordiarum suarum ramos, Bernardus exposuit: MARIA, inquiens, *omnibus sinum misericordiæ aperuit, vt de plenitudine eius accipiant uniuersi; captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, deniq; tota Trinitas gloriam, Filij Persona, carnis humanæ substantiam.*

68. Et sanè jure asserunt Patres, Arbore hâc denotatam fuisse DEIparam, dum ei sacræ literæ visionem, aspectumque attribuunt, usque ad terminos universæ terræ. Virgo enim pientissima aspectum suum, oculosque misericordiæ plenissimos in universum terrarum Orbem porrigit, ipsos penetrat Antipodas, ut luce suæ pietatis illuminet, recreet, atque reficiat universos. Vnde D. Anselmus lib. de excell. Virg. cap. 2. ab hac Virgine, insitæ illi, ut ipse loquitur, & consuetæ pietatis oculo, se conspici desiderabat. Hinc Martinus de Magistris Parisinus Theologus, ejus plusquam Lynceos omnia omninò penetrantes dixit esse oculos. Hinc S. Ephreæm Syrus illam: πολυόμματον, hoc est innumeris præditam oculis. S. Epiphanius πολυόφθαλμον, multis oculis insignitam vocitavit. His nimirum illa sagaciter in omnes Orbis partes, miserias humanas circumspicit, easque penetrat, ut opportunum auxilium afferre possit.

B.V. misericordes oculi Antipodas penetrant.

B.V. multiocula; quia omnes nostras introspicit miserias.

Deipara misericordię suę oculis lōgè dissitas aspicit gētes.

possit. Sentiunt Virginei hujus aspectûs lucem Indi; sentiunt Iapones; sentiunt Sinæ, aliæque nationes olim barbarie efferatæ innumerabiles, quæ hâc pietatis luce irradiatæ, Christumque ejus Filium confessæ, summo amoris affectu Virginem complectuntur. Audite Adolescentis cujusdam Iaponis, qui Martyrio vitam terminavit, pietatis ardorem in Matrem pietatis, ut habetur ex Ann. Soc: Iesu Anni 1613. Hic enim ad instar Philomelæ mane, ac vespere ei in dies singulos melos illud modulabatur: *Sanctissima DEI Parens MARIA Virgo, per acerbissimæ Passionis IESV Christi Filij tui merita, te supplex rogo, vt si fortè me hâc die, vel hâc nocte mori contigerit, mei memineris. Pia Mater, tuis Virgineis manibus animam & corpus cōmitto, Amen.* Sic ille oculis Virgineis illuminatus, eandem celebrabat.

Iaponis Adolescentis oratio ad B. V. devotissima.

69. Quare jure merito capreæ vel Damulæ, uti & Filius comparari posset, siquidem δόρκας nomen, à videndo, clariùsque perspiciendo, animal illud fortitum esse asserit Orig. Hom. 3. in Cant. cujus naturam, hujusmodi esse ait, ut non solùm ipsum videat acerrimè, sed & alijs visus claritatem præbeat. *Asserunt*, inquit ille, *Medicinæ periti inesse huic animali intra viscera humorem quendam, qui caliginem depellat oculorum, & obtusiores quosq; visus exacuat.* Talis nimirum est Virgo nostra Deipara, non modò ipsa mirifica oculorum pollet acrimonia, verùm etiam alijs eandem illam communicat, ut sese identidem inspiciant, peccata, miserias, defectûs proprios agnoscant, agnitosque aversentur, extirpent, & corrigant. Habuit enim Caprea hæc, Damulaque Divina intra viscera humorem illum Divinum, fontem aquæ vitæ Dei Filium, cujus vel sola saliva, oculos cœci nati restituit. Habet item humorem effusissimæ suæ misericordię, quæ quocunque sese extendit, effectûs admirabiles, omnes mortalium abstergendo miserias, relinquit. Habet denique Virginei sui lactis in se humorem illum purissimum, quo sicut carbonem pestiferum, qui faciem clerici illius apud Cardinalem Damianum absumebat, restinxit, ita quodlibet morbi genus sive spiritualis, sive corporalis, sanat. Hæc est enim mulier illa, quæ cœcutienti adolescentiæ præsertim, oculos aperit, quam proinde amandum summoperè suadebat Salomon Prov. 5. 19. *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ cerva charissima; & gratissimus hinnulus; ubera eius inebrient te in omni tempore, & in amore eius delectare jugiter.* Seù ut legit Tigurina: *Sit hæc velut amata cerva, & caprea gratiosa.*

B. V. Capreæ ob acrimoniam visus cōparatur

Capreæ humor intra ipsius viscera reconditus caliginem oculorum depellit.

B. V. Caprea, quæ humore misericordię suę mentis obcęcatos oculos illuminat, &c.

B. V. amata Cerva & Caprea

70. Videre vultis hujuscé Arboris folia pulcherrima? Considerate septenam illam locutionem, quam in Evangelio protulit, invenietis sanè in illis amœnissimâ quândam umbram, sub quâ jucundissimè requiescatis. Quam pulchrium est illud ipsius pietatis Folium, quando in nuptijs compatiens Sponsis, dixit ad Filium: *Vinum non habent?* Similia loquitur in hodiernum usque diem quâcunque tandem nos miseriâ oppressos conspicit. Videre cupitis Arboris huius Fructum nimium? Considerate benedictum Fructum illū ventris ipsius. An non nimiùs, qui cùm sit Deus, cœlum & terram suâ replet immensitate, pascit nutritque Angelos, mortalesq; reficit universos. Fructus hujus dulcedinem delibans Sponsa concinebat: *Fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 2. v. 3.

71. Videre etiam desideratis, an & illud in hac reperiatur Arbore: *Et esca universorum in ea.* Considerate Deiparam dulcissimum esse Manna, ut vult S. Ambrosius, & luce meridianâ clariùs perspicietis, quod quemadmodum cibus ille cœlestis, illa Angelorum esca, quâ nutrivit in deserto populum suum annis 40. sine labore, omne delectamentum in se habebat, & omnis saporis suavitatem, deserviebatque uniuscujusque voluntati, & ad quod quisque volebat, convertebatur, ut ait Sapiens Sap. 16. v. 20. Sic quoq; velut esca dulcissima gustui, ac palato omnium justorum deseruit Deipara, ut in illa verè cœli, terręque delicias purissimas quascunque sibi imaginari possunt mortales, vel solam ipsius jucundissimam recolentes memoriam, nullo negotio reperiant. Adeò, ut verissimè Richardus à S. Laurent. lib. 4. de laud. V. dixerit, ipsam alloquens:

B. V. Manna dulcissimum.

Respectu dulcedinis B. V. omnis alia dulcedo amarescit

Omnis dulcor amarescit;
Reprobatur, & sordescit;
Tuum prægustantibus.

72. Videre quis expetit animalia & bestias sub ejus umbra habitantes? Cōsideret innumeros peccatores, quos sub umbra suæ protectionis fovet, dum illos Filio reconciliet.

B. V. pietas mirifica erga peccatores.

Audite Guilelmum Parisinum Præsulem lib. de Rhet. Divina cap. 18. Deiparam

param sic alloquentē: *Innumeris exemplis magnificorum operum misericordiæ tuæ, quæ operata es erga peccatores miserrimos, docuisti nos, & persuasisti de tua misericordia confidere, de tua pietate sperare, & in omnibus necessitatibus nostris, sub alis tuæ protectionis fiducialiter confugere.* Indicatum fuit hoc S. Gertrudi, ut constat ex lib. 4. Revel. ipsius c.49. idemque confirmat Blosius: *Videbantur B. Gertrudi quasi sub pallium intemeratæ Virginis accurrere quadam diversi generis bestiolæ, per quas notabantur omnes peccatores, ad ipsam specialem devotionem habentes; quas omnes Mater misericordiæ benignè suscipiens, & quasi pallio suo protegens, manu suâ delicatâ singulas contrectando, ac deliniendo ipsis amicabiliter blandiebatur, quemadmodum quis catulo suo blandiri consuevit; per hoc manifestè insinuans, quam misericorditer suscipit omnes se invocantes, quamq; Maternâ pietate defendat, ac protegat homines adhuc peccatis deditos in se sperantes, donec eos Filio suo reconciliet veraciter pœnitentes.*

B. V. sub suo pallio colligit peccatores velut bestiolas.

73. Hæc pietatis suæ viscera ostendit Virgo pientissima cùm dilectissimo suo reconciliavit Filio Latronem illum, qui Virginis meritis, & intercessione Cluniacensium Ordinem ingressus, adeò religiosè sanctèque vixit, ut ab illa, dum extrema ægritudine conflictaretur benignissimè visitari, deque hora mortis certior fieri meruerit. His tantis præventûs gratijs, ac favoribus cùm quænam esset sciscitaretur ex Virgine, audijt. *Ego sum Mater misericordiæ.* Quæ cùm ex Monacho hoc postea S. Odo Abbas intellexisset, non aliò, quàm Matris misericordiæ imposterum nomine, Dei Genitricem appellauit.

B. V. latroni converso, revelat se Matrem esse misericordiæ.

74. Atque ita nobis hac etiam in parte evadit manifestum, sanctissimam Virginem, peccatores suâ sub vmbra benignè recipiendo, eosdemq; protegendo, dilectissimum, more sibi consueto imitari Filium, quem illa Arborem pulcherrimam esse agnoscens, dicebat Cat. 2. juxta 70. Interp. *Sicut Arbor mali*, seù potiùs meli, ut vertit ex Græco Origines Hom. 3. in Cant. *inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios: Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Quibus verbis indicare volebat Sponsa reliquos etiam filios hominum esse arbores, sed infructuosas, utpotè quæ moribus Filium suum minimè imitarentur. Præclarè enim idem pronunciavit Origenes: *Arbores Meliæ illæ putandæ sunt animæ, quæ quotidie innovantur ad imaginem eius, qui creavit illas, quia enim per innovationem sui, imaginem reparant Filij DEI, meritò & ipsæ arbores Meliæ appellantur. Melia verò arbor notum est, quod non solùm ferat fructum, sed & dulcissimum & suavissimum ferat. Et ne mireris si idem Sponsus, & Arbor vitæ, & diuersa alia dicatur, cùm idem & panis verus, & vitis vera, & Agnus DEI, &c. dicatur. Omnia namq; hæc Verbum DEI vnicuiq; efficitur, prout mensura, vel desiderium participantis exposcit, sicut & Manna quod cùm esset vnus cibus, unicuiq; tamen desiderij sui reddebat saporem. Præbet ergo seipsum non solùm esurientibus panem, & sitientibus vinum, sed & deliciari volentibus semetipsum, & fragrantiæ exhibet poma. In huius ergo Meli umbra concupiscit Sponsa residere in protectione Filij DEI, cuius sub umbrâ, aiebat fideles Hieremias Thr. 4. victuros inter gentes. Et meritò Sponsa sub Meli umbra sedere concupiscit, ut sine dubio vita illius, quæ est in eius umbra particeps fiat: Reliquorum verò lignorum sylva umbra talis est, ut qui sederit sub ipsa, sedere videatur in regione umbræ mortis.* Ex quo viri huius doctissimi discursu facilè inferre possumus, gloriosissimam quoque Virginem potissimum Arborem quandam esse Meliam ad imitationem Filij, ejusque umbram vitalem, vtpotè quæ mundo poma & gustui dulcissima, & olfactui suavissima, non modò Filium suum benedictum Fructum ventris sui, verùm etiam virtutum eximiarum flores, operumque bonorum insignes fructûs attulerit, seseq; vitæ, moribusque Filij conformando, eundemque in omnibus æmulando, peccatores sub suæ misericordiæ, pietatisq; umbrâ, ac protectione receperit, sicut & ipse; murmurantibus passim Scribis, ac Pharisæis, qui videntes, ei appropinquantes publicanos, ac peccatores, ut audirent illum, dicebant: *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Luc. 15. 1. 2.

B.V. ad imitationē Filij est Arbor protegens peccatores.

Christus Arbor Melia ferens fructum dulcissimum.

Homines justi Arbores sunt Meliæ.

Christus Arbor Melia non solùm suo fructu recreat mortales, sed etiam umbrâ suâ protegit.

B.V. Arbor Melia peccatores vitali suâ umbrâ protegit.

75. Et verè licet Virgo gloriosissima mortalibus universis Matrem misericordiæ sese exhibeat, eosque sub protectionis suæ umbrâ benignissimè abscondat, abscondit tamen peccatores vel maximè, eisque pietatis suæ recludit viscera, sciens, se illorum gratiâ ad sublime Divinæ Maternitatis fastigium evectam. Quare Richardus à S. Laurentio lib. 4. de laud. V. hanc ob causam ipsam Lunæ comparavit, quæ inter omnes Planetas, terræ

B. V. peccatoribus vel maximè se Matrem misericordiæ exhibet.

B.V. Luna est terræ, id est, peccatoribus proxima, pietatis affectu.

terræ vilissimo elemento, hoc est peccatoribus, est propinquissima. Vnde ei dicere possunt peccatores, quod propter ipsos Mater misericordiæ facta sit; nisi enim homo peccasset, DEI Filius incarnatus non fuisset, ac proinde ipsa Mater DEI minimè extitisset. Hoc quidam Virgini devotus cùm intelligeret, simplici, sed veridico stylo cecinit, apud eumdem Richardum.

Miseri peccatores, beatā fecerunt Deiparā.

Festina miseris misereri Virgo Beata;
Nam te, si recolis, miseri fecere Beatam;
Ergo bea miseros, quorum te causa beavit.

Idem intellexit alter ille:

Nec abhorres peccatores
Sine quibus nunquam fores,
Tanto digna Filio.
Si non essent redimendi,
Nulla tibi pariendi
Redemptorem ratio.

76. Eadem maternæ misericordiæ attentiùs contemplans viscera S. Ansel. in sua Medit. ad Virginem, amore Filij Matrisque pientissimæ succensus exclamavit: *Maria, obsecro te, per gratiam, quâ sic Dominus esse tecum, & te voluit esse secum, fac propter ipsam eandem gratiam, misericordiam tuam mecum. Fac, ut amor tui semper sit mecum, & cura mei semper sit tecum. Fac, ut clamor necessitatis meæ quamdiu ipsa persistit, semper sit tecum, & respectus pietatis tuæ, quamdiu ego persisto, semper sit mecum. Fac, ut congratulatio beatitudinis tuæ sit semper mecum, & compassio miseriæ meæ, quantùm mihi expedit, sit semper tecum. Sicut enim ò Beatissima omnis à te aversus, & à te despectus, necesse est, ut intereat, ita omnis ad te conversus & à te respectus, impossibile est, ut pereat. Sicut enim Domina, DEVS genuit illum, in quo omnia vivunt: sic ò tu flos Virginitatis genuisti eum, per quem & mortua reviviscunt. Et sicut DEVS per Filium suum beatos Angelos à peccato servavit; ita ò tu Decus puritatis, per Filium tuum miseros homines, ex peccato salvasti. Quemadmodum enim DEI Filius est beatitudo Iustorum, sic ò tu Fons fœcunditatis, Filius tuus est reconciliatio peccatorum. Non enim est Reconciliatio, nisi quam tu casta concepisti; non est Iustificatio, nisi quam tu integra in utero fovisti; non est Salus, nisi quam tu Virgo peperisti. Ergo ò Domina Mater es Iustificationis, & iustificatorum, Genitrix es Reconciliationis, & reconciliatorum, Parens Salutis, & salvatorum.* Sic pijssimus ille Virginem Antistes, qui sanè oratione hac attentissimâ veram originem, tanquam intento digito ad venam immensi Virgineæ misericordiæ fluvij, unde illi nomen hoc Matris misericordiæ emanavit, nobis demonstravit, Incarnationem videlicet DEI Filij, qui increata per essentiam est Misericordia, in ipsius utero purissimo operâ Spiritus Sancti peractam, per quam peccatores reconciliati Patri æterno, saluati sunt.

A B.V. respectus aliquis impossibile est, ut intereat.

Non est salus, nisi quam B.V. peperit.

B. V. ipsâ Misericordiam per essentiam, nempè Dei Filiū peperit.

77. Hæc vel sola consideratio Guilelmum doctissimum simul, ac pijssimū Parisiensem Episcopum ad accedendum confidenter ad Virginem, quod peccatorum quasi beneficio, & quasi gratiâ, facta sit Mater DEI, exstimulabat. Vnde lib. de Rhet. Divina c. 18. pietatis ardore in Deiparam exæstuans dicebat: *Adibo te, imò etiam conveniam gloriosissima DEI Genitrix, quam Matrem misericordiæ, & Reginam pietatis vocat, imò clamitat omnis Ecclesia Sanctorum. An poteris denegare peccatoribus, interpellationis tuæ gratiam apud benedictum, ac semper, & ubiq; benedicendum DEVM, ac Dominum nostrum IESVM Filium tuum? Tu, inquam, cuius gratiositas nunquam repulsam patitur, cuius misericordia nulli unquam defuit. cuius benignissima humilitas nullum unquam deprecantem, quantumcunq; peccatorem despexit. Totum siquidem quod habes gratiæ, totum quod habes gloriæ, etiam hoc ipsum quod es Mater DEI, si fas est dicere, peccatoribus debes. Omnia enim hæc propter peccatores tibi collata sunt. Cui igitur dubium esse potest per hoc, quin preces tuas, quantacunq; necessaria esse possunt, peccatoribus illas debeas? Non denegabis ergo mihi quod debes, quin potiùs superaddes maiora mihi impendens quàm debeas. Et intendo quod maiori instantiâ, ac devotione orabis pro me, quàm ego auderem petere, & maiora etiam impetrabis mihi, quam petere præsumam. An posset hoc pati pietas illa, & dulcedo tua, quæ nulli unquam defuit, ut denegares mihi in tanta necessitate auxilium, & tam miserabili tam periclitanti causa mea, misericordiæ tuæ patrocinium? An falsò & inaniter vocat omnis Ecclesia Sanctorum Advocatam suam, & miserorum refugium? Absit hoc à Matre DEI, quæ Fontem pietatis toti mundo peperit, ut cuiquam miserorum sua misericordiæ subventionem unquam deneget.* Hæc Guilelmus. Quibus sanè argumentis, si quis in aliqua miseria, ac calamitate constitutus, ardenti pietatis, ac devotionis affectu utatur, fieri non potest, quin Matris DEI præsentissimum misericordiæ auxilium sit habiturus, reque ipsa experturus, quam verè dixerit Daniel; sub umbra Arboris illius animalia & bestias habitasse.

Deiparæ Gratiositas nunquam repulsam patitur.

Deipara totam gratiam, gloriam, Divinamque Maternitatem peccatoribus debet.

M. maiora nobis à Deo impetrat, quàm quæ petere præsumamus.

M. Fontē pietatis pariens, pietatem suam nemini denegat.

78. Videre denique cupitis in fa-

mis huiuscé Arboris longè lateque patentibus volucres cœli conversantes? Audite eundem Doctorem Seraphicum cap. 5. spec. qui ubi multos illos Arboris ramos, multas Virginis appellasset gratias, ac merita, multas virtutes, ac exempla, multa beneficia denique, ac misericordias, mox attexuit: *In his ramis libenter habitant, in his libenter jubilant cœlestes aviculæ, animæ sanctæ.* Quæ sine dubio tantæ ipsius pietatis, ac misericordiæ contemplantes merita, atque exempla, mirificè Divinam bonitatem laudant, quæ licet in omnibus sanctis suis sit mirabilis, mirabilior tamen longè in sancta sanctorum omnium excellentissima Matre sua; quæ sicut virtutibus omnibus, ita & in misericordia, pietateque vel maximè Deum æmulari visa est.

Viri Sācti velut aviculæ in B. V. ceù amœnissimâ Arbore jubilant.

97. Agnovit ramorum huius Arboris in cœlos iam transplantatæ latitudinem S. Brigitta, cùm de Virginea hac misericordia loquens S. Agneti, eandem hortabatur, ut ipsa lib. 3. suarum Reuel. c. 30. perscripsit: *Filia, Agnes, dilige Matrem misericordiæ, quæ habuit latitudinem excedentem misericordiæ, & pietatis. Nam sic pia & misericors fuit, & est, ut maluerit omnes tribulationes sufferre, quàm ut animæ non redimerentur. Nunc autem coniuncta Filio non obliviscitur innatæ bonitatis suæ, sed ad omnes extendit misericordiam suam, etiam ad pessimos, ut sicut Sole illuminantur, & inflammantur cœlestia, & terrestria, sic ex dulcedine Mariæ nullus est, qui non per eam si petit, sentiat pietatem.*

Deiparæ misericordia habuit latitudiné excedentem.

80. Huius cœlestis Arboris S. Amadeus Lausan. Episcopus Hom. 8. demiratus originem, amplitudinem, ac sublimitatem, ad eius contemplandam pulchritudinem hortatur omnes: *Feramus*, inquiens, *animos in sublime, diligentissimè intuentes, quod Virga elegantissima orta de radice Iesse ramorum suorum mirabili extensione sese ubiq; terrarum expandit, ut dispersos filios Adæ, ab æstu & turbine, & à pluvia, umbrâ desiderabili protegeret, fructuq; saluberrimo aleret esurientes. Sublimata igitur super omnia ligna Paradisi, & super altissimorum montium præcelsos vertices exaltata, ipsos cœlos inæstimabili magnitudine penetravit, cœlestium ordinum stipata choris, & Virginum choreis adornata. O decus, ò gloria, ò magnificentia Arboris huius, cuius fructu indeficienti, cuius pastu immortali, cœligenis atq; terrigenis sit iugis epulatio, continua, & felix exultatio.* Sic Amadeus.

B.V. ramorum suorum extensione sese ubiq; terrarum expandit velut Arbor

81. Latitudinem huiuscè tam beneficæ Arboris Sanctus contemplans Anselmus, totque beneficia, miserationesque Deiparæ in universum Orbem effusas obstupescens, ardenti amoris affectu in voces illas erupit in contempl. B. V. *Aula universalis propitiationis, causa generalis reconciliationis, Vas & templum vitæ, & salutis universorum, nimium contraho merita tua, cùm in me homunculo vili singulariter recenseo beneficia tua, quæ amans gaudet, gaudens clamat esse tua. Tu namq; Domina, admirabilis singulari Virginitate; amabilis, salutari fœcunditate; venerabilis, inæstimabili sanctitate, tu ostendisti mundo Dominum suū, & DEUM suum quem nesciebat. Tu visibilem exhibuisti mundo Creatorem suum, quem priùs non videbat. Tu genuisti mundo Restauratorem, quo perditus indigebat. Tu peperisti mundo Reconciliatorem, quem reus non habebat. Per fœcunditatem tuam Domina Mundus peccator est iustificatus; damnatus, salvatus; exul, reductus. Partus tuus Domina mundum captivum redemit, ægrum sanavit, mortuum resuscitavit. Insidijs, & oppressionibus Dæmonum, tenebris peccatorum obvolutus mundus subiacebat, sed Sole de te orto illuminatus, eorum laqueos devitat, & vires conculcat. Cœlum, terra, sydera, flumina, nox, dies, & quæcunq; humanæ potestati, vel utilitati sunt obnoxia, in commissum decus sese gratulantur, ò Domina mea, per te quodammodo resuscitata, novaq; quâdam, ineffabiliq; gratiâ dotata. Hæc tanta bona, per benedictum fructum benedicti ventris tui, ò benedicta MARIA mundo prævenerunt. Sed cur solum loquor, Domina benedicta, beneficiis tuis plenum esse mundum? Inferna penetrant, cœlos superant. Per plenitudinem enim gratiæ tuæ, & quæ in Inferno erant se gratulantur liberata, & quæ supra mundum sunt se gaudent restaurata. O fœmina mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, Inferna remediantur; Dæmones conculcantur; homines saluantur; Angeli redintegrantur. O fœmina plena, & superplena gratia, de cuius plenitudinis exundantia respersa sic reviresc it omnis creatura.* Ita S. Antistes amoris æstu abreptus in tantarum gratiarum, miserationumque Divæ Virginis contemplatione, quas illa toto terrarum Orbe longè lateque in creaturas omnes diffudit.

Deiparā misericordiæ suæ latitudine innumera beneficia Mundo exhibuit.

B.V. Christum pariendo miram nobis misericordiam exhibuit.

Per misericordiam B. V. omnia resuscitata, & ineffabili gratiâ sūt dotata.

Beneficijs B.V. totus Mundus est plenus.

Per B. V. elementa sunt renovata.

82. Ex quo profectò Viri sanctissimi discursu facilè est colligere, quàm latè Virginea hæc misericordia ramos extenderit, inq; suæ pietatis visceribus mūdum

dum

dum universum recluserit. Verè latitudinem hanc cordis illa ipsa, quæ ex Deo est substantialis Charitas, novem mensibus ejus in purissimo requiescens utero, ipsi communicavit. Charitas nimirum hæc Divina latitudinem quandam habet immensam, adeoq; humanum hoc cor, quod vix unius milui competens est refectio, dilatat, atque amplificat, ut non modò Mundum hunc, sed & infinitos alios, amplitudine suâ complecti sufficeret. Latitudinem hanc, amplitudinemq; cordis sibi experiri videbatur Paulus, cùm 2. Cor. 6. humanæ salutis ebrius amore clamitabat: *Os nostrum ad vos patet ò Corinthij, cor nostrum dilatatum est.* Quam cordis Paulini latitudinem dimetiens Chrysostomus: *Cor*, inquit, *Pauli dilatavit charitas, totum mundum complexa est.* Hæc nimirum charitas est pulchra illa Dilectio, cujus se esse prædicabat Matrem ipsa Virgo: *Ego*, inquiens, *Mater pulchræ dilectionis.*

Divina Charitas cor Deiparæ dilatavit.

83. Latitudinem hanc cordis S. Vincentius Ferrer. ser. 7. Dominicæ 16. post Trinitatem: unumquemque fidelium tantam habere cupiebat, ut nullo malorum, bonorumúe habito discrimine, universos in se posset includere. Postquam enim dixisset reperiri quosdam qui amicos tantum diligunt, & aversantur inimicos, ostendentes se non habere cor latum, sed angustum, subiunxit: *Vultis dicam vobis unum mirabile? Latiùs debet esse cor Christiani, quàm cœlum & terra, in beneuolentia. Quod licet videatur impossibile, est tamen omninò possibile. Cœlum enim Empyreum licet sit immensurabile, tamen non potest retinere, nec recipere nisi bonos & sanctos. Non enim recipit infideles & malos Christianos. At verò latiùs debet esse cor Christiani, quia ibi non solùm bona, sed & mala Persona, non solùm Christiani, sed & infideles, ut Iudæi, Agareni, debent in dilectione recipi. Boni quidem Christiani diligi debent, ut conseruentur in fide Catholica, & saluentur. Mali autem, ut ad veram pœnitentiam reducantur. Iudæi verò amando, & desiderando debent diligi, ut ad veritatem fidei illuminentur. Potest ergo, debetq; Christiani cor latiùs esse cœlo. Idem cor terrâ latiùs esse oportet. Quia cor Christiani per dilectionem generalem continere debet viuos, ac mortuos, animas Paradisi, Purgatorij, ac Inferni. Et Paradisi quidem animas laudando DEVM, de earum saluatione; Purgatorij verò orando pro earum liberatione. Inferni deniq; diligendo in eis Imaginem DEI, ad quam factæ sunt, non autem diligendo earum malitiam, sed compatiendo imagini DEI, in quantum ita cruciatur, perindè, ac si quis doleret de Christi imagine in ignem abiecta.* Hæc S. Vincentius.

Cor Christiani latiùs esse oportet in charitate quàm cœlum & terra.

Cor Christiani animas Purgatorij & Inferni debet complecti.

84. Quod si cujusque fidelis cor, animusque tantâ præditus esse debet latitudine, ut totum mundum, & cęlestem, & sublunarem cum animabus etiam in centro terræ detentis complectatur; quale Deus immortalis, cor illud quam latum, amplumque debuit esse Virginis, quę pro totius universi salute specialiter condita videbatur? Præclarè enim Sanctus pronunciavit Damascenus Orat. 1. de Nat. B. V. ipsam alloquens: *Non tui ipsius causa ò Virgo progenita es, sed ut orbis universi saluti administram te præberes.*

Latitudo cordis B. V. omnes bonos, malosque complexa

85. Quod si ambitio, ac dominandi libido tantoperè cor hominis dilatare consuevit, ut nec toto Mundo expleri valeat, ut videre fuit in magno illo Macedone, qui cùm Dominium totius ferè Mundi esset indeptus, auditis Philosophorum disceptationibus, de Mundorum multiplicitate, fertur ingemuisse, quod plures restarent Mundi, & ipse non dum unius integrum imperiũ esset adeptus. Vnde salsè illum derisit Satyricus:

Vnus Pellæo Iuueni non sufficit Orbis,
Æstuat infœlix angusto in limite Mundi.

Alexandri Magni dominandi cupiditas.

Totus Mundus Alexandri Magni cupiditatem non explevit.

Quantùm, Deus bone, Divina Pietas, quantùm misericordia, & sincera in Deum, mortalesque omnes charitas, cor Virginis dilatare debuit? Dilatavit ita sine dubio, ut mille, atque infinitos Mundos complecti valeret, eosque in ima effusissimæ suæ pietatis viscera, recondere.

Latitudo cordis B. V. tanta, ut mille Mundos complecti posset.

86. Viderat amplitudinem hanc Virginei cordis, nec non pietatis misericordiæ, charitatisque, atque adeò virtutum omnium latitudinem Richardus de S. Vict. cap. 26. in Cant. cùm dixit: *In ipsa erant virtutes perfectæ, & in continuum usum transfusæ, ut nihil aliud quàm bonum saperet, vellet, sentiret. Talis fuit in virtutibus, tantaq; eius fuit charitas, ut non solùm ad eius gentem, Iudæos videlicet extenderetur, sed ad ignotas & notas, ad omnes deniq; homines, ad hos omnes charitas eius dilatata fuerit, pro his solicita fuit, pro his indesinenter orauit, pro his orando exaudita fuit, dicente Angelo: Inuenisti gratiam apud DEVM, quam scilicet quærebas: omnium salutem desiderauit, quæsiuit, & obtinuit, imò Salus omnium per ipsam facta est, unde & Mundi Salus*

In B. V. omnes virtutes erãt perfectæ.

B. V. pietas in omnes, præsertim Iudæos.

B. V. Charitas pro omnibus solicita.

M. Mundi Salus dicta.

lus dicta est. Hæc Richardus de Virgineæ misericordiæ latitudine.

87. Viderat hujuscé Marianæ Misericordiæ latitudinem omne genus hominum complectentem Rupertus Abbas lib. 6. in Cant. cùm Sponsæ verba illa ad conversionem gentilium, Dilectum invitantis, expenderet: *Veni Dilecte mi egrediamur in agrum; commoremur in villis, videamus si floruit vinea, &c.* Cant. 7. Postquam enim dixisset propositum habuisse Sponsum à suis civibus discedendi, dicendo; *Nemo Propheta acceptus est in Patria sua, & hoc dicto, transiens per medium illorum ibat, significans transiturum se à suis civibus, & egressurum in agrum & commoratu-rum in villis;* mox subtexuit. *Itaq; concordans Sponsa proposito DEI. Veni, inquit, Dilecte mi egrediamur in agrum, vt videlicet, qui erant agrestes, fiant domestici; qui erant villani, fiant cives, & domestici DEI, & demum iuxta Propheticum oraculum. Lætetur deserta, & invia & exultet solitudo, & floreat quasi lilium, germinans germinet, & exultet lætabunda & laudans, & gloria Libani detur ei, gloria scilicet hæc, vt videant gloriam Domini, & decorem DEI nostri, cuius visione indignum se Libanus, populus nimirum Iudaicus, fecit, Verbum DEI repellendo. Illuc ergo egrediamur, ibi commoremur, & ibi commorantes, mane surgamus ad vineas; nostrâ sine dubio illic commoratione fructificantes. Ibi dabo tibi ubera mea nutriendo, scilicet multitudinem filiorum, quos in novam infantiam fœcunda pariet tibi gratia. Neq; verò solùm lacte nutriam, sed & solido cibo fideles iam factos fortiores, atq; perfectos; omnia enim noua poma, & vetera seruaui tibi, dilecte mi: omnia veteris, ac noui testamenti Sacramenta seruaui tibi, conferens in corde meo proferenda in tempore suo, in tempore opportuno.* Sic Rupertus de pietatis visceribus DEI paræ nostræ amplissimis, mortales omnes Iudæos, ac Gentiles amplectentis.

Deiparæ pro salute gentilium Zelus, & pietas.

B. V. suæ uberibus pietatis filios spirituales lactat.

88. Hanc nos sanè jure merito latissimæ illi Civitati cœlestis Ierusalem, in qua immensa DEI habitat Majestas, cujus longitudo, & altitudo, & latitudo æqualia suntApoc. 21. comparare possumus, quam cùm intra semetipsum, unâ cum ejus dimensionibus contemplatus esset Regius Vates, quasi extra se positus, nil de ejus nomine, rebusque alijs ad ipsam pertinentibus memorans, exclamavit: *Fundamenta eius in montibus Sanctis;* insinuare volens pietatem hanc Virgineam, quâ velut immensa quædam DEI civitas, omnes mortales benignissimè complectitur, adeò esse consummatam, adeò perfectam, ut ubi reliqui Sancti desinunt, cùm ad culmen hujuscé pietatis, charitatisque perveniunt, ibidem incipiat hæc pietas gloriosissimæ Virg. prima jacere fundamenta; siquidé in montibus, hoc est, supra eminentissimam cujuscumque Sancti, cujuscumque Angeli, etiam ex illorum Choro, qui ab igne charitatis nomen invenerunt, perfectionem, quam solidissimè posita sint.

Deiparâ Civitas est quædã immensa, quæ omne genus hominum cõplectitur.

Charitas B. V. ibi incipit, ubi aliorũ Sanctorũ desinit.

89. Hæc etenim maxima, atque animata Civitas omnes amplissimo suæ misericordiæ complectitur sinu, ardentissimis anhelans desiderijs, ut omnes quantumvis sceleribus, facinoribusque admodum enormibus, ad instar Æthyopum essent denigrati, ad se confugerent, sperarentque pristinum candorem, se ipsius pietate recuperaturos, licet de his similibus desperare videretur Ieremias c. 13. cùm diceret: *Si potest mutare Æthyops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Vnde idem Propheta Regius tam largam Virginis, in tam deformatis peccatoribus recipiendis demiratus pietatem, exclamavit: *Ecce, alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthyopum hi fuerunt illic,* in animata videlicet hac Virgineæ misericordiæ Civitate habitantes, *quorum facies denigrata erat super carbones, & non erant agniti in plateis* Thr. 4. adeò in quadrupedes, vitiorum fœditate transformati, humanitatem omnem exuerant, omnemque turpitudinem induerant.

B. V. peccatores sceleribus ad instar Æthyopũ denigratos suâ misericordiâ complectitur.

90. Hanc largissimam Virginalis misericordiæ latitudinem, quâ universaliter omnes, æquè justos, ac peccatores complectitur Virgo DEI para, pro tam eximio sibi collato beneficio grata Mater Ecclesia, cum eodem Davide illi concinit: *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te sancta DEI Genitrix.*

Proinde B. Georgius Nicomediensis Episcopus orat. de Præsent. B. V. tam immensam Virginis, omnes absque discrimine quantumvis enormes peccatores complectentem agnoscens, clementiam, ac pietatem animitus celebravit: *Habes,* inquiens, *vires insuperabiles, robur inexpugnabile, ne immensam tuam clementiam superet multitudo peccatorum?*

Nulla peccatorum multitudo misericordiam Deiparæ immensam expugnare potest.

91. Neque verò Virgo gloriosissima sese misericordiæ Matrem ostendit, tollendo dumtaxat miserias spirituales

morta-

B. V. suâ misericordiâ etiam miserias corporales tollit.

mortalium cœlesti luce illuminando intellectum, ardore charitatis inflammando affectum, pientissimo suo patrocinio animas ab hostium Tartareorum protegendo incursibus, easdemque à vitijs purgando, ac demum omni virtutum genere, cœlesti à dilectissimo suo Filio impetratâ gratiâ, exornando; verùm etiam Matrem sese misericordiæ in tollendis à nobis corporis miserijs, ineffabilis bonitatis suæ communicatione exhibet.

Deipara in videndis nostris miserijs Argus est centoculus.

92. Ad has, uti etiam ad spirituales inspiciendas, Argus ille centoculus, imò tota oculus, Mystica illa Ezechiëlis animalia plena oculis intus, & extra transcendens, esse videbatur. Quare jure merito S. Epiphanius lib. de laudib. Virg. postquam eam salutasset: *Aue gratia plena, quæ habes radium de cœlo lucidis facibus coruscantem, utpotè Solem Christum*; mox subtexuit: *Virgo plurium nominum, & Multiocula effecta est, Seraphin incomprehensa visionis, & Cherubin transcendens.*

Deipara Cherubinos oculorum multitudine superat

Quasi dicere voluisset, licet Seraphini Deo proximi, simul etiam Cherubini, qui à plenitudine scientiæ nomen invenêre Divinam contemplando essentiam, velut in speculo, Ecclesiæ totius militantis miserias, ærumnasque clarissimè videant, videt tamen longè excellentiùs Mater misericordiæ, Virgo sapiẽtissima, Virgo nostra multiocula, eorumq; omnium scientię plenitudinem transcendit.

Deipara luce amicta, Stellisq; coronata lucidissimis, ut nostras miserias clarè videat.

93. Quæ sanè tam clara miseriarum nostrarum notitia, earumdemque depulsio, Misericordiæ Parenti optimæ, jure merito convenit, utpotè ei, quæ à capite ad calcem radiantibus Solis radijs, Stellisque lucidissimis est circumdata. Copiosissima enim illa lux, quâ amicta splendescit, clarum nostrarum ærumnarum denotat intuitum, Sol verò ipse Iustitiæ sempiternus, qui lucet super bonos & malos, in quem Virgo videtur transformata, ardentissimam ejus, effusissimamque pietatem, charitatemque, quâ cor ejus quodammodo, visceraque pientissima, visis tam proborum, quàm pravorum miserijs, liquescunt, nobis indicant. Ad has tollendas Seraphinis seno alarum remigio instructis, Solisq; quadrigis celerior, citatiorq; advolat.

94. Quæ omnia Magnus ille Parisinæ Academiæ Theologus Martinus de Magistris Paraph. in Salve Regina, intellexisse visus est, quando Virginem, oculis suis miserias omnes nostras, tam interiores animi, quàm exteriores corporis, præsentes, futurasque assiduè lustrare dixit, ut eas qualescumque tandem sint, bonitatis suæ communicatione quam citissimè tollat. Cujus orationem, ob egregiam dicendi facultatem operæ pretium est audire: *Cùm te Reginam misericordiæ dicimus,* inquit ille, *tria tibi excellenti gradu concessisse videmur. Primum, vt miserias nostras, & quidem omnes perspicacissimis intuearis oculis, ita, ut harum nihil prorsus, nec id quidem, quod nos ipsos latet, tibi sit obscurum. Alterum, ut possis. Tertium, ut velis efficacissimis eas auellere viribus. Primum cogitationis est; auctoritatis secundum; Tertium humanitatis. Et primò fit, ut malorum nostrorum, ne unum quidem te fugiat, non scelera, non scelerum pondus, non cicatrices, non mala valetudo, non aduersitas, non horum omnium reliquiæ. Neq; ea modò, quæ patimur, aut quæ nos passuros formidamus, verùm etiam, quæ nullis adhuc præsentibus coniecturis, certâ cogitatione percurris, Lyncem viribus, videndiq; facultate superans. Nam ille parietem acumine traijcit, tu in res non dico absentes, verùm etiam futuras miserationis oculum protendis. Non est tibi in detergendis, propellendisq; calamitatibus vis minor, quàm in ijs cognoscendis, ac deprehendendis. Nulla est calamitas, quam non dissipes, nulla aduersitas, quam non disperdas, nullum miseriæ genus, quod non, Divino freta robore prorsus auellas. Qui oculi, quæ aures, qui sensus, qui carceres, quæ vincula diutiùs, te solvente clausa perdurarunt? Quis corporis languor, quæ mentis ægritudo, te iubente non disperit? Quem vita spiritum Divina tui imperij vox, vel fugiturum continet, vel non reuocat fugientem? At humanitas tibi, miserandiq; promptitudo tanta est, ut cùm non perdiu te orandam sinas, etiam crebrò non orata miserearis, quandoquidem eas à nobis frequentissimè calamitates excludis, quarum non dum metuimus incursum. Nulla est illustrior Humanitas, quàm cùm ita morbis occurris, ut ad veram incolumitatem, & prosit, & non obsit depulsa valetudo.* Hactenus Theolog.

B.V. oculis misericordiæ miserias nostras præsentes, futurasq; conspicit.

Omnes humanæ miseriæ, Deiparæ oculis pientissimis patent.

B.V. in miserijs nostris aspiciendis Lynx.

Deiparæ miserendi promptitudo tanta, ut non exorata succurrat.

95. Quânam ratione porrò Virgo nostra pientissima, tam spiritualibus, quàm corporalibus hominum miserijs succurrerit, præclarè ostendit Pater noster Franciscus Mendoza suis in libros Regum commentarijs, ubi varijs illustrium fœminarum veteris testamenti figuris luculentissimè declarat, quonam modo tam 7. opera misericordię corpo-

 ralia,

Deipara opera misericordiæ tam corporalia, quàm spiritualia in varijs veteris test. Heroinis exercuit.

ralia, quàm totidem spiritualia, ad totius humani generis amoliendas miserias exercuerit, bonitatemque suam longè, latèque communicaverit. Quæ misericordiæ opera ait B. Albertus Magnus Tract. super Missus B. Virginem in summo, super omnes Viatores exercuisse. Idque eo potissimum probat argumento, quod opera misericordiæ alia, alijs meliora sint, vel ex eo quod fiant ex majori charitate, vel ex eo quod exhibeantur magis indigenti, vel quod magis digno indigenti; vel quod majori impendantur affectu; vel ex eo, quod ex magis necessarijs, & minùs superfluis. Quæ omnia ait in summo reperta in Virgine nostra pientissima. *In primis enim charitas illa cuius impulsu opera misericordiæ exhibuit mortalibus, omnium excelluit creaturarum dilectionem. Accedit quod maximè indigenti tribuit; quis enim inter viatores pauperior IESV Christo? Dignissimo etiam opera hæc exhibuit pauperi. Quis enim dignior Mendicus, quàm fuit Mendicus ille, qui cùm esset dives, pauper pro nobis factus est, vt nos inopiâ ipsius divites essemus, vt ait Apostolus? Vnde summum opus hoc misericordiæ Virginalis fuisse comprobatur. Si enim magnum opus foret misericordiæ, quod fieret pauperi laico; maiùs quod fieret pauperi Clerico, maiùs quod Religioso; adhuc maiùs, quod fieret pauperi Episcopo; & summum deniq; quod fieret mendico Papæ; quantò maiùs improportionabiliter fuit opus illud misericordiæ quod factum est mendico DEO, ac pauperrimo? Opera hæc demum misericordiæ à B. V. præstita, non ex superfluis, sed omninò necessarijs suo dilectissimo exhibuit Filio pauperi, ac peregrino. De proprijs enim suis purissimis carnibus, ac sanguinibus tunicam illi polymitam fecit; in uteri sui gremio, hospitio excepit, de proprio suo corpore lactauit, ac cibauit.* Hæc ferè Albert.

M. opera misericordiæ excellentissimè super omnes Viatores exercuit.

M. misericordiæ opera præstantissima DEI Filio humanato exhibuit.

Filius Dei pro nobis factus pauper, cùm dives esset.

B. V. in Dei Filiũ pauperem insignis misericordia.

96. Hæc eadem misericordiæ opera corporalia Deiparam exhibuisse parvulo Dei Filio memorat Rupertus Abbas illud encomium Cant. 4. trutinans Sponsi: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris;* ubi sic parvulum hunc Sponsum Matrem alloquentem introducit lib. 3. in Cantica ad finem: *Quid de pannis dicam, quibus me involuisti, in præsepio reclinasti? Nimirum id quod verum est, quia odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Omnium namq; vestimentorum, scilicet bonorum operum tuorum, quæ in me materna, & plùsquam maternâ charitate operata es, panni illi primitiæ fuerunt. Et quia cuncta quæ tunc in me, vel tunc propter me operata es, de magno, & valido charitatis igne cum suavitate humilitatis venerunt, rectè dictum, quia odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris: Sic enim in omnibus famulata es mihi Mater, & Virgo fidelis, tanquam DEO, cui soli debetur odor thuris, in sacrificio, quamvis essem parvulus Homo tuus.* Hactenus Rupertus de operibus misericordiæ Filio Dei humanato exhibitis à Deipara, ex quibus sanè misericordiæ Virginalis excellentiam facilè est comprehendere.

Misericordia B.V. erga Filiũ Dei Infantem.

M. Misericordia in Filium, cùm eum pannis involvit.

Pannorũ Christi parvuli odor, sicut odor thuris.

B.V. Christo Infanti tanquã Deo famulata est.

97. Hinc Venerabilis Dionysius Richelius lib. 3. de Præcon. & Dignit. B. V. Art. 16. ait Deiparam Causam primam in misericordia fuisse imitatam, quæ dives est in se, & dives in alijs, ac proindè divitijs misericordiæ suæ pauperum miserias eleemosinarum elargitione sublevasse: Conformiter quoque Virgo generosa, charissima Dei, inquit ille, non in caducis, mentem maculantibus, sensibilibus divitijs, sed veris, atque æternis superfluenter redundabat; nempè plena gratiâ, plena sapientiâ, plena virtutibus, plena misericordijs, ac ditissima prorsus fuit. Denique misericordiæ opus est miserorum supplere defectûs. Qui verò in se pauper est, quomodo indigenti subvenit, aut alteri dabit, quod ipse non habet? Igitur quatenus Mariæ misericordia, secundùm magnitudinem sui incomparabilem in actum progredi potuit, divitiæ illi necessariæ erant. Porrò si in corporalibus aliorum defectibus Maria misericors fuit, in spiritualibus utique indigentijs misericordior fuit; quo animarum potiùs, quàm corporum bonum dilexit. Ideò spirituales divitiæ eam decebant, ut egenis eas communicare posset. Verumtamen in corporalibus necessitatibus, alijs utique emolumenta impendit. Non enim ambigendum, quin de laboribus manuum suarum inopibus eleemosynas erogaverit. Implevit enim arbitror, quod de ea Spiritus S. dixit: *Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum. Manum suam misit ad fortia, & Digiti eius apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Prov. 31. Hinc Bernardus exclamat: O dives in omnes, & super omnes Maria. Art. verò 15. docet idem Dionysius Deiparam misericordiam sanè singularem, Deoque simillimam na-

B.V. Causam primã in misericordia imitata est

B.V. dives in se, & larga in alios fuit.

B. V. labores manuum pauperes juvabat.

ctam

ctam esse, mediante Verbi Incarnatione, ut reliquis eam impenderet: Excellentissimam prorsus, inquiens, planèq; inenarrabilẽ misericordiã Maria consecuta est. Dei enim miseratio non jam dumtaxat in remissione culpæ, sed in gratiarum quoque præventione, & à ruinæ præservatione consistit. Hanc verò indicibiliter Maria omninò sortita est; quippè quam Devs in benedictionibus dulcedinis prævenit, priusquàm conciperetur, sanctificavit, atque ab omni deinceps maculâ custodivit; quodque præstantius est, in propriam ab æterno Matrem elegit. Constat itaque misericordiã Mariæ magnam valdè, largissimam, indeficientemque esse. Nec mirum, in ipsa enim incomprehensibilis illius salutiferum misericordiæ opus, quod est Dei Incarnatio, quæ Mundi Salus est, à Mundi Opifice factum censemus, & per eam primum misericordiam de manu Dei Altissimi adepti sumus. Ad hæc fœmineum sexum maximè decet clementia, sed & Advocatam pauperum, misericordem esse oportere, non est qui dubitet. Præterea alibi dixi, quod Deo nil similius, nihilque viciniùs Mariâ existat. Porrò Deo proprium est misereri semper, & parcere. In hoc igitur Deum summopere, singulariterq; imitatur Maria. Implesti enim, ò Obedientissima Dei Ancilla, & Mater ejus benedicta, atq; Virginea, Creatoris tui voluntatẽ, qui ait Ose. 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium.* Deniq; Filij tui documentũ perfecisti, qui dixit: *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* Matt. 9. Enimverò instar liquidi elemẽti, vasisq;, fluidissimo liquore repleti, quod quacũque ex parte motũ, mox se diffundit, atq; comunicat, tũ utiq; ò Maria misericordiâ, ac miserationibus exuberas. Nempè prece pulsata, repentè succurris, omnibusq; te exorabilem, ac propitiabilem exhibes. Non illatas recordaris injurias, sed velut Sol iste, omnibus indifferenter, secundùm uniuscujusq; capacitatẽ claritatis suæ radios influit: sic tu ò benignissima, omnibusq; amplectenda Maria, bonis & malis, gratis, & ingratis, justis & injustis exorabilis es, atq; compatiens. Multos deniq; prævenis, & eripis, salvas, & ditas, universorum preces, ac necessitates amplissimo, Maternoq; affectu suscipis, atque amplecteris. O prorsus pijssima Maria, quæ cùm summa, mundissimaque sis, vilissimos tamen, miserrimos, atque impurissimos, non spernis, nec deseris, si ad te confugerint, peccatores. Sic ille de effusissimis misericordiæ Virginis nostræ in omnes mortales visceribus, quæ per Incarnationem Verbi nũtâ est.

B. V. magnam apud Deũ misericordiam consecuta, ut reliquis eam impenderet.

M. in misericordia nobis parcendo Deo similis.

M. nos plenum misericordia, quod leviter motu pietatem fundit.

98. Quod si consideremus Virgineam hanc misericordiam, in quantum est pietas, quæ movet hominem ad præstanda proximo misericordiæ opera, in quantum in se Dei imaginem repræsentat; misericordia sanè hæc erit improportionabiliter major, ait Albertus, quàm cujuscumque viatoris. Deipara siquidem ad impendenda opera misericordiæ Filio movebatur, non tantùm, quia erat imago Dei, sed etiam, quia erat Deus, amore nostri humanatus.

M. pietas in Filium.

99. Quod si ex ipsis effectibus misericordiæ, humano generi à Deiparâ præstitis, pensare ipsius volumus pietatem, erit planè hæc, omninò inæstimabilis. *Hæc enim Virgo nobis miseris, & captivis, ac mendicis*, inquit idem Albertus, *dedit Filium suum: captivis, in pretium; famelicis, in viaticum; laborantibus, in præmium; infirmis, in medicamentum, cum ipso deniq; dedit nobis Regnum cœlorum, atq; omne bonum; hæc insuper proprio suo Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & quomodo cum illo nobis non omnia donavit?* Sic Albertus.

M. in Filiõ suo opera misericordiæ nobis exhibuit.

100. Ob hujusmodi tam mirificos Virginalis misericordiæ effectûs S. Ioañ. Damascenus orat. 2. de Dormit. Deip. eam Abyssum gratiæ, curationum pelagus. Orat. verò 1. de Nat. B. V. Miraculorum Abyssum, Fontemq; universo Orbi medicinam afferentem, appellavit.

M. Abyssus gratiæ, Curationũ pelagus.

M. Fons toti Orbi Medicinã afferens.

Quod nobis præclarè S. Basilius Seleuciæ Archiep. orat. de Annunc. comprobavit, variorum Sanctorum exemplo, quibus si Deus virtutem hujusmodi opera misericordiæ in hominum emolumentum perpetrandi, etiam modò suis in tumbis delitescentibus contulit, majorem longè suæ pientissimæ Genitrici contulisse credendus est. Sed ipsa verba tanti Præsulis audiamus: *Quis magnam DEI Genitricis virtutem non veneretur? Quis, quanto eos omnes intervallo post se relinquat, quos Divorum loco habemus, non miretur? Si enim Christus servis suis tantam gratiam contulit, ut solo contactu, imò verò solâ corporis umbrâ ægris præsidium afferre possent. Qualem vim adversus omne morborum genus Virgini Matri collatam fuisse putandum est? an*

Magna virtus Deiparæ venerãda.

non

M. Devs magnam virtutem ad omne genus morborũ curandarũ contulit.

non majorem multò, quàm cæteris Christi imperio subjectis? omninò res clara est. Ecquid mirum porrò si sancti cùm in vivis degebant, prápotenter operabantur, cum terra non omnem vita functorum vim atq; energiam unà cum illis obruere potuerit? Constat enim saxa illorum corpora tegere, ut interim piè adeantur, sibiq; addictos tueri, ac conservare non desinant. Quod si talibus tanta miracula patrandi virtutem DEVS contulit; qualem educationis mercedem Parenti donasse, quantisq; charismatis, ac donis illam exornasse existimandum est? Ex quibus sanctissimi Antistitis verbis licet colligere, ideò potissimum à Deo tantam Virgini concessam fuisse miracula perpetrandi potestatem, deque omnibus benè merendi amplissimam facultatem, quia ipsa Dei Filio mortalitate nostrâ circumdato, pientissimâ suâ educatione pietatis, ac commiserationis affectum in rebus omnibus ad vitam sustentandam pertinentibus, uti suprà diximus, impendit. Ipsa enim cùm Dei Filius nudus, ex utero ejus prodijsset, eum panniculis suis operuit, ipsa purissimo suo lacte esurientem nutrivit. Vnde sancta canit Ecclesia:

Patratio miraculorum in Maria, est educationis Filij merces.

Vagit Infans inter arcta
Conditus præsepia,
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat,
Et manus, pedesq;, & crura
Strictâ cingit fasciâ.
Fœno jacere pertulit,
Præsepe non abhorruit,
Parvoq; lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.

101. Intellexisse visi sunt amplissimam latitudinem misericordiæ Virginalis, in mortalium malis, ac miserijs tollendis Patres illi, qui Deiparam Probaticæ Piscinæ contulerunt, quales sunt S. Ioannes Damasc. orat. 1. de Nat. B.V. Petrus Blesensis serm. 1. de Adventu, Richar. à S. Laurent. lib. 9. de laud. B.V.

M. suâ misericordiâ facta est Probatica Piscina.

Et licet tota Virgo facta Piscina quædam ad abluendas mortalium miserias videretur, pientissimi tamen illi oculi, quibus tam benignè, ac solicitè provida hominum ærumnas intueri consuevit, geminæ saluberrimæ Piscinæ ad omnes tam animi, quàm corporis expurgandas totius generis humani calamitates videbantur. Eam fortassis ob causam Sponsus tantopere oculos ipsius celebravit. Cant. 7. *Oculi tui sicut Piscina in Hesebon.* Quibus verbis Guilelmus Abbas ait, Virginis, quæ erat, ut antè memoravi, ad instar mysticorum animalium plena oculis, commendari prouidentiam, *quâ sine intermissione providebat bona, non tantùm coram DEO, sed coram omnibus hominibus. Planè hos oculos eius nullus unquam vel tenuis carnalis illecebræ pulvis fuscavit, nullus vel modicus æmulationis, sive iracundiæ motus turbavit, sed ad instar aquæ vivæ puri semper, atq; pellucidi fuêre, quia nihil in se turbulentum, sive pulverulentum habebant, sed quandam aquæ vivæ, id est, cœlestis gratiæ similitudinem exprimebant.* Sic ferè Guilelmus. Cùm igitur Sponsæ Oculi Piscinæ appellantur, intelligamus illos Piscinas quasdam esse Probaticas, in quorum altero miseriæ animi, in altero corporis, quoties benignissimâ suâ providentiâ illos ad nos convertere dignatur, abluuntur, atque sanantur.

Oculi M. velut duæ Probaticę Piscinæ.

B. V. plena oculis sicut mystica animalia.

102. Hoc idem de Oculis Matris sentire visus est Filius, dum eos lib. 5. Revelat. S. Brigittæ ad finem. Interrog. 9. sic depinxit: *Oculi tui fuerunt in conspectu Patris mei sic lucidi, ut se specularetur in eis, quia in spirituali visu tuo, atq; intellectu animæ tuæ, videbat Pater omnem voluntatem tuam, quod nihil volebas nisi ipsum, & nihil desiderabas, nisi secundùm ipsum, salutem videlicet animarum, omniumq; miseriarum ab eisdem depulsionem.*

In oculis misericordiæ B.V. miseriæ omnes mortaliũ, velut speculis repræsentabantur.

Verè enim in Virgineis hiscé oculis, ad instar fontium, piscinarumque purissimis, ac clarissimis, velut quibusdam in speculis miseriæ mortalium omnium repræsentabantur, ita ut revera dicere possimus id de hiscé oculis, quod Evangelista Ioannes de Probatica Piscina. *In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum, qui tandem omnes sani fiebant, à quacumq; desinebantur infirmitate.* Ioan. 5. v. 3.

103. Quare Ecclesia sancta, innumeris morbis, ac miserijs tam animi, quàm corporis se circumvallatam animadvertens, rogat instanter Deiparam, ut ad nos miseros, ac miserabiles pientissimos oculos suos convertat, sic enim futurum est, ut à nobis miserias depellat omnes, nosque purissimâ suâ pietate ablutos, ad instar probaticæ Piscinæ, quæ oves in sacrificium Deo offerendas eluebat, ita puros, ac nitidos, miserijsq; omnibus expurgatos ante conspectum suæ Divinæ offerat Majestatis.

Oculi Mariæ omnes miserias in nobis eluunt, velut Piscinę

Audite paulò ante memoratum Theologum

logum Martinum de Magistris paraphrasi pereleganti verba illa Ecclesiæ: *Eja ergò Advocata nostra illos tuos misericordes oculos, &c.* exornãtem, Virgineorũq; oculorum vim, ac energiam celebrantẽ: *Non satis sit pijssima DEI, atq; hominum Parens, mortalium audiysse calamitates. Prospice tu, ò misericordiæ Sacrarium, prospice, demitte ad nos misericordes oculos, & animadvertes non modò nihil adjectum, oratione nostrâ rebus, verùm etiam quamplurimum detractum. Videbis sanè non more cœterorum lugentium nos, ex parva, magnam fecisse miseriam. Acerbior, acerbior est miseria nostra quàm dici possit, quandoquidem ea est, pro qua sit, à te & lacrymandum, usq; ad cæcitatem, & usq; ad mutitatem proclamandum. Nolumus ergo quærentibus nobis ipsa credat pietas tua, oculos in miseriam nostram ipsa convertas, ut plurima intuearis, quæ explicare non potuit oratio. Neq; nos universam calamitatem sentimus, in qua præ duriorum malorum asperitate, sit circa minora sensus hebetior. Oculos ad nos convertas, oramus, quod aliter visis, aliter auditis permovemur, & in aliena miseria consideranda, quantum recordationi malorum sensus, tantum auribus oculus mihi præstare videtur. Vt igitur & videas, quæ satis dicere non possumus, & ut ipsa magis, magisq; malorum nostrorum acerbitate movearis, ad nos oculos converte.*

B.V. misericordię Sacrariũ.

Aliter visis, aliter auditis, hominum animi permovẽtur. Vnde cõversionem oculorum B.V. ad nos jure postulamus.

104. Neque verò petit Vir hic devotissimus, ut totos penitus referet oculos Virgo clementissima, sed ut nos conniventibus intueatur obtutibus, ne fortasse innumera peccata nostra conspiciens ad iracundiam potiùs, quàm ad commiserationem provocetur: *Sed quos,* inquit ille, ad DEIPARAM, *ad nos oculos convertendos petimus? (suos enim castigatio, suos habet in se severitas oculos) ij sunt quos palperis paululum obducendos oramus, donec nos tuæ miserationis perlustraveris intuitu. Hic est qui in miserias nostras penetrat oculus. Hic est quo fractos ærumnis, oppressos angoribus, & omnium malorum generibus deprehendis affectos; quod si perspicatioribus illis rigoris oculis mala nostra contempleris, miseriæ nostræ causas, causarumq; intuebere, prô dolor! originem. Censebis potiùs nobis succensendum esse quàm indulgendum, qui nos in tam crebra, tamq; vehementia mala, non sine culpa gravitate conjecimus. Et sanè in ipsum malorum profluvium misericors descendat oculus, ut non ultionis severitate castiget, sed ut avulsis arboris mala radicibus venenata germina disperеant. Misericordes igitur oculos ad nos converte, ut unus idemq; tuæ pietatis intuitus, & indulgentiam inferat, & auferat miseriam.* Hæc sapientissimus pijssimusq; Doctor, ex quibus sanè colligere possumus oculos Virginis Piscinam quandam Probaticam esse, siquidem miserias nostras cernendo, easdemque in se suscipiendo (oculus enim uti, & intellectus fit omnia, quæ nimirum videt, aut intelligit) nos aquis purissimis suæ pietatis abluit, ærumnasque omnes malaque nostra mirificè abstergit. Vnde Richardus de S. Laur. lib. 9. de laud. Virg. *Oculi,* inquit, *MARIÆ sicut Piscina, id est respectus eius misericordia est multiplex lavatorium.*

Oculi misericordię Virginalis sunt multiplex Lavatoriũ.

105. Libet jam verba sanctorum Patrum, laudibus Virgineis plenissima, quibus DEIPARAM Probaticam Piscinam fuisse demonstrant, audire. Agmen ducat S. Damascenus orat. 1. de Nat. B. V. qui miseriam mutilatæ manus ob honorem Virginis expertus, experiri quoque ejus misericordiam in ejusdem manus restitutione, quâ hæc aliaque quam plurima conscripsit, est promeritus. Sic igitur ille DEIPARAM alloquitur: *Fausta tibi sint omnia, ò Matris DEI Probatica, sanctissimum delubrum. Fausta tibi sint omnia, ò Probatica, Patrium Regina domicilium. Fausta tibi sint omnia, ò Probatica seminum Ioachim vetus fanum, nunc autem ovilis ratione præditi Ecclesia cœlum imitans. Atq; olim quidem semel quotannis Angelum DEI excipiens aquã turbantem, atq; unum dumtaxat valetudini restituentem, & ab urgenti morbo vindicantem, nunc autem cœlestium virtutum copiosissimum agmen habens, DEI Genitricem nobiscum laudantium. Illam, inquam, miraculorum abyssum, illam universo Orbi medicinam afferentem fontem. Illam, inquam, quæ non ministrum Angelum accepit, sed illum magni consilij Angelum qui tanquam bona pluvia in vellus, absq; ullo strepitu descendit, atq; omnem Naturam morbo laborantem, atq; ad interitum vergentem in certam sanitatem, vitamq; senio carentem restituit, ob quam Paralyticus ille, qui in te erat, tanquam cervus exilijt.*

S. Damasc. vocat B.V. Probaticã Piscinam.

Fausta tibi sint omnia, ò veneranda Probatica, incrementum sumat tua gratia. Saluto te MARIA dulcissimum Annæ pignus; nam me rursus ad te amor pertrahit. Hactenus Damascenus.

B.V. edito Salvatore Naturam humanam, varijs morbis laborantem sanitati restituit.

106. Audiamus & Religiosissimum, Doctissimumque Petrum Blesensem Archidiaconum Bathoniensem mysteria hujusce Probaticæ Piscinæ MARIAM repræsentantis enodantem ser. 1. de Adventu: *Probatica Piscina,* inquit ille, *Beatum*

Petrus Blesensis Mariam Probaticã Piscinam esse dicit.

tam Virginem significauit. Ipsa enim non solùm ouina propter simplicitatem, & innocentiam dici potuit, sed etiam ouis: Agnum enim peperit qui tollit peccata mundi. Descendit in eam magni consilij Angelus, & mota est triplici motione, scilicet in separatione carnis, in remotione fomitis, in virtute benedictionis. Cùm obnubilaret eam virtus Altissimi, separavit ab ea carunculam, ex qua formata est caro Salvatoris. Extinctus est etiam in ea fomes, ille naturalis languor Naturæ, ex quo surgunt in nobis illiciti motûs, qui in nostrâ potestate non sunt. Benedictionem verò attulit illi Angelus dicens; Ave benedicta inter Mulieres, id est, sola robusta inter molles. Mulier enim à mollicie sumitur, quasi Mollier. Hæc est illa fortis, de qua scriptum est: Mulierem fortem quis inveniet? De cuius fortitudine dictum est Diabolo: Ipsa conteret caput tuum: Antiquus ille Cerastes duobus maximè cornibus impugnat nos, elatione animi, & immundicià carnis. Hæc duo cornua contrivit in se illa Mulier fortis, contraria contrarijs curans; humilitate deyciens superbiam animi, voto Virginitatis, carnis immundiciam. Fuit etiam in illa quarta motio, quæ ex levi nominis inflexione concipi potest, ita ut Virgo fiat Virga. Natus enim Salvator in Virgine, habuit Virgam sustentationis, quâ utuntur senes. Senex enim ille Antiquus, cuius egressus à diebus æternitatis, quem vidit Daniel cano capite, & pedibus metallinis, in lingua sua loqui non poterat, neq; ambulare, sitire non poterat, aut esurire, neq; cætera nostri defectûs argumenta poterat prosequi. Innixus autem huic Virgæ, defectûs nostros prosecutus est, quos oportuit & decuit. Post hanc aquæ motionem unus est in ea sanatus. Hæc est unitas Ecclesiæ, quæ per fidem Incarnationis Dominicæ salutem consecuta est à Domino. Hactenus Blesensis de Arcanis illis Piscinæ motionibus, ex quibus sanè luculentissimè pietas insignis, effusissimaque DEIparæ misericordia in afferendis tam animi, quàm corporis humano generi remedijs enitescit. Vnde præclarè Divus Hieronymus ser. de Assumptione, eam Apothecam quandam nostræ salutis vocitare visus est, dum scripsit: *Meritò B. Maria singulari præconio à nobis attollitur, quæ singulare commercium mundo præbuit, meritò inter fœminas tunc etiam lætabatur, cùm singularem Medicinam pudico aluo gestabat.*

M. Ovis quæ Agnũ tollentem peccata Mundi nobis peperit.

Mulier à molliendo dicta.

M. Mulier fortis.

Duobus cornibus Infernalis Gerastes homines impugnat, superbiâ & luxuria.

Maria est Virga, seù Baculus, cui innixus antiquus dierum ad nos invisendos venit.

Apotheca nostræ Salutis est Maria.

Richardus B. V. vocat Probaticam Piscinam.

In Maria omnium gratiarum congregatio.

107. Audiamus denique Richardum à S. Laurentio lib. 9. de laud. V. *Piscina est aquarum collectio. In MARIA porrò fuit congregatio omnium gratiarum. In hanc tempore Incarnationis descendit Angelus magni consilij, & mota est aqua, quando MARIA ad novam salutationem turbata est in sermone Gabrielis; sanatus est unus, nempè genus humanum. Iacet etiam ad hanc Piscinam multitudo languentium, cæcorum, qui illuminari, claudorum, qui dirigi, aridorum, qui gratia humectari, expectantium aquæ motum, Virginis nimirum misericordiam, ut à languoribus peccatorum sanarentur. Quare quidam eleganter simul, ac piè illi cecinit:*

B. V. tanquam Probatica Piscina multitudinem languentium, cœcorum, aridorũ&c. sanat.

Tu Piscina puritatis,
Rore plena pietatis,
In qua DEVS Majestatis
Voluit descendere.
In quam reus, & perversus
Si contritus, & conversus
Se deponat, erit tersus
A peccati vulnere. Sic Rich.

108. Ex quibus sanctorum Patrum gravissimis sententijs facilè est inferre gloriosissimam DEIparam nostram tam effusa in miseros omnes, varijs ærumnis, ac miserijs tam animi, quàm corporis conflictatos, habere misericordiæ viscera, ut quædam Piscina, aquis omnis pietatis referta, ad cujus contactum, ac motum miseriæ omnes calamitatesque diffugiant, videatur. Quamobrem Divi Ioannis Damasceni Exemplum imitantes fausta quidem omnia animatæ huic Piscinæ semper adprecemur, utpotè quæ nos ab innumeris morborum tam animi, quàm corporis sanat miserijs, sed potissimum diebus Sabbathi ipsius honori, ab universali Ecclesia dedicatis, ut gratias, favoresq;, quos benedictus ejus Filius diebus hujusmodi dispertiri, dum in terris vixit non est dedignatus, etiam hodie, Matris intercessione, & spiritualia, & corporalia misericordiæ opera, infidelium beneficium, ac emolumentum operetur.

Laudanda Deipara, sed præsertim Sabbathis, ejus honori dicatis.

109. Et verè si quis Evangelicam paulò attentiùs contempletur historiã, inveniet benignissimum Mundi Salvatorem quamplurima eo die, tam animi, quàm corporis, misericordiæ opera exhibuisse mortalibus, eisque consimilia, quæ Matrem aliquando operaturam prævidebat, ut tantò majori in honore ab universali Ecclesia dies ille, ob reverentiam Matris haberetur.

Miracula olim à Christo facta die Sabbathi, hodie etiã fiunt à B. V. spiritualiter.

Atque ita die Sabbathi miserum illum Salvator sanavit habentem manum aridam Matth. 12. quia prævidebat à Matre sua sanctissima plurimos olim per-

M. sanat habentes manus aridas ad benè operandum.

persanandos, qui ad benè operandum aridas, & succo bonarum actionum vacuas quodammodo manûs habere videntur. Eadem die fœminam illam infœlicem à maligno spiritu, decem, & octo annos ad terram inclinatam, adeò, ut omninò, non posset sursum respicere, dimisit ab infirmitate sua, & immissa sacrosancta illa manu, cœlorum totiusque creaturæ operatrice confestim illam erexit Luc. 13. Prævidebat enim, ejus pientissimâ intercessione, multas animas in terras curuas, cœlestiumque inanes, terrenis, carnalibusque illecebris deditas, atque immersas, ad contemplationem cœlestium erigendas.

M. sanat ad terram inclinatos, ac terrenis addictos.

Eadem die Hydropicum sanitati restituit Luc. 14. Noverat siquidem quamplurimos peccatores in committendis sceleribus ad instar Hydropicorum insatiabiles, bibentesque iniquitatem quasi aquam, Virginis Matris misericordiâ, pristinam salutem recuperaturos, & ad cœlestis vitæ fontem anhelaturos.

M. sanat hydropicos sitientes terrena.

Quid? Nonnè Sabbatho hominem illum languidum, qui 38. annos habebat in infirmitate, ad vocem illam: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula*, statim sanum effecit? Ioan. 5. adeoq; vegetum reddidit, ut cum membris omnibus captus esset, tanquam cervus, ut ait Damascenus, exilierit. Præviderat nimirùm pietate Virginis quamplurimos ad benè operandum languidos, jacentesque in depravata peccandi consuetudine, ad bonam frugem erigendos, ut magnis passibus in via perfectionis decurrere valerent.

M. languidos ad benè operandum sanat.

Quid denique cœcum illum à nativitate commemorem apud Ioan. 9. cui Salvator ipso die Sabbathi visum restituit? Nunquid & miraculum hoc carere mysterio censendum est? Minimè. Sciebat enim Matrem suam dilectissimam miseris mortalibus, mentis cœcitate, ob protoplastorum scelus à prima sui origine percussis, lumen cœleste, cognitionemque veri Numinis, rerumque Divinarum, suis precibus, ut de lumine corporali taceam, allaturam.

Hæc aliaque innumera misericordiæ opera tam corporalia, quàm spiritualia prævidens Salvator, Matrem suam sanctissimam in totius generis humani beneficium operaturam, complacuisse sibi visus est mirificè in Sabbatho, ac proinde hujusmodi pientissima, æquè, ac stupendissima opera perpetravit; quo magis dies ille honori Parentis dilectissimæ olim dicandus, toti mundo magis esset venerabilis, uti suprà dictum est.

Christus diem Sabbathi varijs miraculis honoravit.

110. Eandem ob causam Fluvium illum Sabbathicum, mutato ejus cursu, prodigio insigni celebrem reddidit. Hic enim Plinio teste lib. 31. cap. 2. cùm alias aquarum copiâ redundaret, Sabbathis tamen omnibus siccabatur. Postea consueto mutato cursu, ut scribit Iosephus lib. 7. de bello Iudaico c. 24. ipso Sabbatho largis rivis exundabat. Volens hoc tam insigni miraculo DEUS ter optimus Maximus ostendere, quantis ipsius Mater sanctissima, cui sacrandus erat olim dies Sabbathi, misericordiæ suæ rivis Orbem esset irrigatura universum. Vnde non defuêre viri doctissimi, qui fluxum illum Sabbathici fluminis, ipso die Sabbathi, quo vel concepta vel nata fuit DEIPARA, mutatum fuisse asserant, cùm S. Anselmus lib de Excell. B. V. c. 2. dixerit: *Conijcio apud me nativitatem DEIparæ magna quadam, atq; miranda Divinorum signorum indicia præcurrisse.* Inter quæ hoc non postremum fuisse censendum, fluvij nimirum Sabbathici cursum, copiosumque fluxum, qui tamen ante illa tempora, die Sabbathi solitus erat exarescere, ut quiescendum illâ die indicaret. Quod etiam testatus est Iudæus quidam Elias Thesbites, in voce Sambation: *Fluvius, inquiens, est de quo dicunt, quod per singulos dies hebdomadæ tanto impetu currat, dempto Sabbatho, ut lapides magnos moveat, & nullo modò pertransiri possit, ex quo sapientes vocarunt Sabbathũ, ab eo quod cesset sive quiescat in Sabbatho.*

Fluvius Sabbathicus cur fluere cœperit præter solitũ die Sabbathi?

Fluvius Sabbathicum misericordiæ B.V. Symbolum.

In Nativitate B. V. inter cætera miracula Fluvius Sabbathicus fluere cœpit.

Huic assentitur quoque Zambanus, aitque fluvium hunc Sabbathicum ab Antiquis, Gozam nominatum, quæ vox celeritatem significat, ad denotandum quâ velocitate illius torrentis aquæ sive fluant, sive ex oculis evanescant. Idem scripsit Rabbi Moyses.

111. Fluvius fortassis hic Sabbathicus, erit Fons ille hortorum, cui Sponsa in Canticis cap. 4. comparatur. Brochardus enim Itin. 1. & Bartholomæus Salignanus Tomo 9. cap. 20. terræ Palestinæ valdè periti scribunt, hortorum fontem ab ipso Libano monte in tria secari flumina. Horum tertium inter Arcas, & Raphaneas Agrippæ Regni civitates medium illabitur, alluitque regionem Nephtalim & Zabulon, ubi sita

Fluvius Sabbathicus Fons Hortorũ.

est

est Nazareth, in qua B. V. Deipara concepta fuit, ajuntque fluvium hunc esse illum, qui olim Sabbathicus dicebatur. Quod ex descriptione Iosephi supra citati facilè colligitur, cujus verbis Authores jam memorati penè usi sunt. Ex quibus inferre possumus jure comparari posse Deiparam æquè Sabbatico fluvio, atque Hortorum fonti, cùm fontem hunc eundem esse cum Sabbatico Authores illi asserant; & alij, diebus Sabbati largis undis abundasse dicant.

112. Ex hactenus dictis unicuique proclivè est colligere, illo Fluminis hujus Sabbatici prodigio, indicatum Dei Genitricem, ubi primum concepta, vel nata fuit, fluvium quendam pietatis, ac misericordię sese undequaque, longè, latèque diffundentis toti humano generi extitisse, ac proinde diebus Sabbathi, ejus cultui dicatis, peculiaria ipsius misericordiæ beneficia, curationesque tam animi quàm corporis expectandas esse. Vnde à Damasceno orat. 2. de Dormit. Deip. vel ipsius sepulchrum: *Fons perennis curationum vocitatum est.* Eadem in oratione idem Vir Virginis devotissimus de miraculis, operibusque ipsius misericordiæ in fęlicissimo Deiparæ ex hac vita transitu perpetratis, agens, ut eam fontem quendam, Paradisi saluberrimū, Orbem terrarum, pietatis suæ rivis irrigantem ostenderet; *Tunc*, inquit, *& morbi fugam capessebant, & Dœmonum caterva pellebantur, atq; ad subterraneas partes undiq; exigebantur; hic surdis auditus, claudis pedum firmitas restituebatur; peccatoribus in fide accedentibus syngrapha lacerabantur.*

M. sepulchrum Fōs perennis curationum.

Varia sanitatum beneficia à B. Virg. concessa.

113. Amplitudo denique Misericordiæ Virginalis vel inde cognoscitur, quod ipsa se omnibus quodāmodo debitricem voluntariam suarum gratiarum, & quasi tributariam effecerit: Maria, inquit S. Bernardus ser. 98. *omnibus sapientibus, ac insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit.* Quamobrem, cùm illam rogamus, ut nobis suæ pietatis impendat affectum, ita deprecanda videtur confidenter, ut velut tributum vectigal, aut debitum exigere videamur. Quod sanè cùm facimus, nil ipsius gratiæ derogamus, imò effusissimam ipsius misericordiam, pietatemque longè gloriosiùs deprædicamus. Verè enim hic usurpare possumus illud Septimij in Apologet. cap. 13. *Sed enim agri tributo onusti, viliores; hominum capita stipendio censa, ignobiliora. Nam hæ sunt notæ captivitatis. Dij verò* (uti & ipsius Dei, in omnibus æmula Maria) *quo magis tributarij, magis sancti, imò quo magis sancti, magis tributarij.* Atque ita Deipara Virgo quo se magis nobis tributariam, vectigalem, ac debitricem ostendit, eò magis sanctam, magis gratiarum plenam, donisque cœlestibus exuberantem demonstrat. Demonstrat, inquam, se gratiâ plenam esse, nobis autem super plenam. Hæc nimirum singularis est Virginis prærogativa, specialissimum privilegium tantâ, tamq; uberi cœlitus repleri gratiâ, ut ejus exuberantia in ipsius affatim exundet clientulos, eandemq; ejus gratiam Tributariâ agnoscant. Ad hoc enim tributum suis supplicibus persolvendum, solâ, eaq; sibi innatâ pietate, ac misericordiâ, quam totus terrarum Orbis longè latèque diffusam experitur, necessitatur.

M. suâ pietate effecta nobis tributaria.

M. quo magis tributaria, magis sancta.

114. Explicata Altitudine, ac Latitudine misericordiæ Virginalis, restat, ut alias duas dimensiones, ejusdem longitudinem nimirum, ac profunditatem declaremus. S. Bernardus Longitudinem hanc extendi ad novissimum usque Iudicij diem asserit invocantibus eam. Vbi per diem novissimum crediderim intellexisse sanctum, etiam diem Iudicij particularis, quod fieri consuevit, in cujusque hominis morte, ubi primum anima exhalatur. In qua quam fidam, pietatisque plenissimam fidelibus, devotisque suis Mater Misericordiæ, navare solita sit operam, Seraphicus Doctor Bonaventura Psalmo 113. ad hoc declarandum peculiariter composito nos edocet, dum eam magno pietatis sensu sic alloquitur: *In exitu animæ meæ de hoc mundo, occurre illi Domina, & suscipe eam. Consolare eam vultu sancto tuo, aspectus Dœmonis non conturbet illam. Esto illi scala ad Regnum cœlorum, & iter rectum ad Paradisum DEI. Impetra illi à Patre indulgentiam pacis, & sedem lucis inter servos DEI. Sustine devotos ante tribunal Christi, suscipe causam eorum in manibus tuis.*

M. adstat nobis morientibus, juvatq; nos in judicio particulari.

Oratio S. Bonaventuræ ad B. V. pro fęlici morte.

Consimili pietate animam suam è corpore emigraturam Deiparæ commendavit, ejus fretus misericordiâ Iustus Landspergius Carthusianus lib. 2. pharetræ Divini amoris, ubi eam sic alloquitur: Ad pedes Sanctitatis tuæ Imperatrix cęlorum confugio, per omnem gratiam & gloriam, quam tibi Filius tuus contulit supplico, ut non derelinquas

Oratio Iusti Landspergij ad B.V. pro fœlici morte.

quas

quas me in mortis hora, sed assistas mihi tunc, & in omni angustia, ac tentatione Protectrix, & Liberatrix misericordissima. Impetra etiam mihi talem invenire gratiam apud Filium tuum, ut in hac vita præsenti tantam mihi det peccatorum contritionem, ut plenam ante animæ meæ egressionem percipiam culpæ, & pœnæ remissionem, propter mortem suam, & sanctitatem tuam. O clementissima Domina, ô Mater mea dulcissima, omnium Christianorum Advocata & Interventrix fidelissima, rogo te, per cuncta merita tua eximia, quibus DEO maximè placuisti, & per singula obsequia, quæ Filio tuo gratiosissimè exhibuisti, ut mei pauperis misereri digneris, & juxta tuam solitam clementiam, & pietatem, in tuam Maternam me curam suscipias. O unica spes mea post Filium tuum gloriosa V. M. non me derelinquas in illa horrenda mortis hora, sed tunc, & in omni tentatione, & angustia adesto mihi Protectrix fidelissima, Consolatrix suavissima, Mater gratiosissima, perducens animam meam egredientem de corpore immediatè ad gaudia sempiterna. Sic Landspergius.

115. Et verè si ullo unquam tempore miseri mortales Virginis indigent misericordiâ, protectione, ac patrocinio, tunc indigent vel maximè cùm in postrema illa cum morte, Tartareisque hostibus lucta, animam sunt exhalaturi. Tunc enim præcipuè, partim conscientiæ stimulis, partim Cacodæmonis insidijs, partim Gehennæ incendiorum metu, partim denique horrifico justissimi Iudicis aspectu, miseri agonizantes undique conturbari, atque exagitari cõsueverunt. Videbunt enim tunc supra se tremendum tribunal Iudicis irati, infra se Orci hiantes fauces, circa se innumeras Dœmonum insidiantium, terrentiumque legiones, intra se remorsum, vermemque sentient conscientiæ, de tot sceleribus commissis, de tot bonis operibus omissis. Qu d tunc miserabilis facturus est homo? Quo fugiturus, nisi ad sinum, nisi ad alas, nisi ad protectionem hujus pientissimæ Matris misericordiæ, quæ tunc tanquam vera Mater Filio assistit, compatitur, nos protegit, ac defendit, ut absque ullo discrimine in Patriam illam evadamus æternam? Promerita nimirum est Virgo Sanctissima gratiam hanc, ac privilegium agonizantes defendendi, eosque ab insidijs, terriculamentisque Dœmonum liberandi, eo tempore quo Filio morienti, tantâ cum charitate, tãq; acerbo dolore sub Cruce astitit; uti sapientissimè P. Alphonsus Salmeron Societatis nostræ Sydus Tom. 3. Tract. 5. observavit: *Ob id*, inquiens, *quod Christo nascenti, ac morienti MARIA astitit, digna facta est, ut Filiorum DEI generationẽ, ut Mater pientissima foueat, atq; morti nostræ, in qua DEO per gloriam nascimur, singulariter succurrat, ut in tanto patrocinio, ac fauore subleuati, seruatiq;, Virginem sanctissimam imitemur, ac Filium eius cum Patre & Spiritu sancto, per æterna sacula exaltemus, atq; magnificemus.*

Agonizantium tribulationes, ac terrores.

B. V. adstat morientibus, eosq; consolatur.

Protectionem in morte nostra promerita B. V. quod morienti Filio adstiterit.

116. Cùm igitur privilegium hoc tam singulare agonizantes protegendi, tantâ suâ charitate in Filium, tantoque dolore, imò plusquam Martyrio sit consecuta DEIPARA, insignis certè in illam concipienda nobis est fiducia, nos fœliciter, absque ullo discrimine salutis ex vita hac emigraturos, si fidi ejus clientuli, dum in hac vita degimus, esse contendamus. Proinde consilium illud sapientissimum Viri devotissimi, Virginisque studiosissimi Thomæ de Kempis ser. 21. ad Novit. nobis amplectendum est. *Eligite vobis*, inquit ille, *hanc benignissimam Matrem IESV, præ cunctis Parentibus, & amicis vestris in Matrem specialem & Advocatam ante mortem, & salutate eam Angelicâ Salutatione frequenter, quia hanc vocem audit valdè libenter.* Addit idem Auctor hujus Virgineæ servitutis, ac clientelæ fructum. Ait enim pro hujusmodi clientulis in hora mortis sic locuturam ad Filium: *Fili mi amantissime, miserere animæ famuli tui amatoris, & laudatoris mei, sicut tu benè nosti & vidisti, de cuius ore sancti Angeli sapiùs mihi deuota salutatonis gaudia nuntiarunt, qui etiam ad laudandum Nomen sanctum tuum, & meum plures secum fratres inuitare consueuit. Hic est Notarius noster scribens sanctos libros, & amator sanctæ Crucis, libenter orans, & Psalmos cantans; qui audito Nomine sancto tuo, ac Meo reuerenter solebat se inclinare, ac geniculando salutare. Transiens per viam, & videns à longè Crucem memor passionis tuæ exhibuit tibi reuerentiam, Cruci sese inclinando. Cernens etiam in Ecclesia, vel alibi pictam Imaginem meam, vel te in sinu meo iacentem, aut sedentem, vel quasi mortuum inter brachia mea pendentem, genua flexit & adorauit. Memor ergo esto horum Fili mi charissime, & da ei nunc inuenire misericor-*

Eligenda ante mortem Maria in Matrẽ specialem & Advocatam.

M. Salutationem Angelicã audit valdè libẽter.

Vt intercedat B.V. pro suis clientulis in hora mortis.

Devoti Imaginum Christi, & B. V. cultores, in morte sentiunt ipsiu. patrocinium

 sericor-

sericordiam coram te. Sic Thomas.

117. Idem Vir devotissimus lib. Vall. liliorum c. 13. brevem quandam oratiunculam ad IESUM, ac MARIAM dirigendam nos edocet, quâ si assiduè, dum in hac misera vita à Domino peregrinamur, usi fuerimus, sperandum omninò eorundem patrocinium in mortis articulo nos præsentissimum experturos: *Post hac dulcem hunc versiculum,* inquit ille, *pro viatico assume, & quasi baculum in manu firmiter tene, & sæpe orans, diligenter recole; IESVS & MARIA sint mecum semper in via, in omni loco, & in omni tempore pro bona custodia, ne forte per deuia errem, dispergarq; per multa phantasmata intus & extra. Hac sancta Oratio IESVS & MARIA breuis est ad legendum, leuis ad portandum, facilis ad tenendum, dulcis ad cogitandum, fortis ad protegendum, fidelis ad custodiendum, socialis ad ambulandum, delectabilis ad recreandum, amicabilis ad consolandum, potens ad adiuuandum, prudens ad perducendum, recto itinere omnem pauperem peregrinum, sæculiq; contemptorem ad vitam æternam. Hac sancta oratio habet secum meliores comites, potentioresq; milites, pra omnibus Regibus, ac Principibus Mundi. Hac sancta oratio trahit ad se in feruore spiritus totam cœlestem curiam, qua sequitur cum omni reuerentia Dominum suum IESVM, & Dominam suam sanctam MARIAM Matrem IESV benedictam, omni laude dignissimam, ab omnibus honorandam. Qui illos pro socijs secum habet in hac via, huius vita, etiam pios patronos inueniet mortis tempore. Noli iam ipsos deserere, si cupis cum IESV, & MARIA semper viuere, & gaudere. Benè ergo & securè ambulat, qui IESVM, & MARIAM in corde portat, ore sæpè nominat, labijs benedicit, voce clamat, corde iubilat, osculis placat, brachijs amplectitur, & flexis genibus adorat. Beatus qui IESVM & MARIAM sedulò inuocat, deuotè salutat, amorosè commemorat, eximiè honorat, letissimè collandat, altissimè glorificat, ardentissimè amat, suauissimè eructat, iucundissimè celebrat, & cantat. O quam dulcis est IESVS, & quam dulcis sancta MARIA dilecta Mater eius. Beatus peregrinus, qui in omni loco, & tempore exilij sui, in corpore meminit Patria cœlestis, ubi IESVS & MARIA gaudent pariter cum omnibus Angelis, & Sanctis suis, in maxima letitia, & aterna gloria.* Hæc ille; quæ sanè in in praxim si redigantur, assiduèq; ad instar jaculatoriæ orationis usurpentur, non est dubitandum, quin contracto habitu, etiã in articulo mortis, nobis eædem illę precatiunculę in mentẽ venturę sint, & cum IESU, ac MARIA totam curiam cœlestem in nostrum auxiliũ evocaturæ.

Nomina IESV, & MARIæ viaticum sunt, & baculus tendentibus in cœlum.

Orationis ad IESUM & MARIÃ eximia vis in articulo mortis.

Benè & securè ambulat, qui IESUM & MARIAM in corde portat, & ore nominat.

Oratio hæc Iaculatoria si usurpetur: IESUS & MARIA sint mecũ in via, etiam in articulo mortis nobis occurret.

118. Hanc ob causam Ecclesia sancta Salutationem Angelicam DEIparæ gratissimam, aureâ illâ concludit coronide: *Sancta MARIA Mater DEI, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostra.* Cujus invocationis dat causam S. Bernardin. Senens. Tomo 1. ser 42. art. 3. c. 1. *Cùm enim,* inquit ille, *Maria Maris Stella interpretetur, & nocte transeuntibus nobis, per hoc Mare magnum, ac spatiosum, opus sit cœlesti luce, notanda nobis est hac Stella, qua Cardini cœli IESV propinquissima est, vt non solùm eius corusco splendore possimus dirigire cursum nostrum, cum salute, verùm etiam in quacumq; necessitate possimus eam cum omni fiducia inuocare: Vnde Bernardus: in periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres eius orationis suffragium, ne deseras conversationis exemplum, ipsam sequens, non deuias, ipsam rogans, non desperas.* Idem Pater Seraphicus, ait meritò Virginem à fidelibus, longè excellentissimis extolli laudibus, quo votorum suorum compotes efficiantur. Has autem laudes esse ad instar aliarum omnium, & maximè elogium illud unicum: *S. MARIA Mater DEI: Dum enim illam Matrem Dei appellamus, simul Reginam potentissimam cœli, ac terra dicimus, ac per consequens clauem Regni cœlestis in manu sua, ad portas reserandas Paradisi, cuicumq; libuerit, habere cognoscimus;* sperantes nos in extremo illo vitæ discrimine, apud dignissimam hanc DEI Matrem tutum asylum, refugiumque reperturos. *Quantò enim,* ut idem Sanctus Pater loquitur, *Mediator inter peccatores, & DEVM, ad intercedendum est promptior, ac vehementior, ad impetrandum dignior, reuerentior, ac gratiosior, tantò cæteris paribus est utilius, eum habere pro Mediatore; sed quanam Materna illi intercessioni, ac supplicationi poterit comparari? Adstat enim pro nobis supplex à dextris Filij vera Regina, quia summi Regis Mater, per generosam conceptionem; quia summi Regis Filia, per gratiosam adoptionem; quia summi Regis Sponsa, per gloriosã assumptionem. Adstat igitur talis Regina pro deuotè postulantibus ad intercedendum contra indignationem Iudicis, ad excusandum defectum, nostra infirmitatis, ad subueniendum accipiens pro nobis plenè influxum Diuinitatis,*

M. Maris Stella in tenebricoso mari huius sæculi.

In Mortis angustijs hæc Stella aspicienda potissimum.

Mater Dei; est elogium cætera omnia complectens.

M. in morte pro nobis Advocata potentissima.

M. accipit plenè influxum Divinitatis, ut gratiã nobis infundat.

quam

quam nobis infundit hic per gratiam, & in futuro per gloriam IESVS eius Filius. Sic S. Bernardinus de fœlicissima Mediatrice, & tantis in angustijs benignissima protectrice Maria.

119. Hanc protectionem in hora mortis Deiparæ clementissimæ agnoscens Richardus à S. Laurentio lib. 2. de laud. Virg. Partic. 1. memorabilem illam pronunciavit sententiam: *B.V. MARIA servorum suorum animas de corporibus exeuntes protegit ab incursu aërearum Potestatum, quibus est terribilis, ut castrorum acies ordinata, uti sæpe legitur in eius Miraculis. Fugiunt enim qui oderunt nos, à facie ejus, & ipsâ in adjutorium nostrum exurgente, dissipantur inimici ejus & nostri. Custodit enim exemplo Filij animas servorum suorum, & de manu peccatoris liberabit eos. Quia qui illam amant, à doloribus conservabit, Sap. 10. Quare sapienter hortatur sapiens Prov. 8. Ne dimittas eam & custodiet te, dilige eam, & servabit te. Videtur enim illa dicere Filio, sicut Filius Patri: Volo Fili, ut ubi ego sum, ibi sit & minister meus. Quare roganda est MARIA, ut velit, quia si vult, necesse est, ut fiat.* Idem Vir religiosissimus ibidem ait Deiparam potentissimè protegere servos suos, à Dœmonum insidijs, ideoque cùm supra vires tentamur, docet ad eam clamandum: *Esto mihi Domina turris fortitudinis, à facie inimici. Sicut enim,* inquit, *puerulus quispiam timens canem fugit, & clamat ad Matrem, sic quicumque vehementer tentatur, timetque morsum Diaboli, ut in mortis articulo accidit, per orationem confugere debet ad Matrem pietatis, proinde quivis devotè illi serviens securè illi dicere potest: Pone me Domina juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* Concludit denique justos à Deipara mirificè ab accusationibus Dœmonum die, ac nocte, ante Deum accusantium, protegi, ita ut eis nil penitus patrocinio ipsius interposito, vel nocere possint, vel audeant; *Quis enim,* inquit, *apud Filium accusare audeat illum, cui Matrem viderit patrocinantem? Et si MARIA pro nobis, quis contra nos, & si ipsa est, quæ justificat, quis est qui condemnet?*

M. fidele patrocinium, ac protectio in morte.

Ad instar filiorum confugere debemus ad DEI Matrem, præsertim in mortis articulo.

Iuxta B.V. collocati nullum extimescunt.

Nemo apud Filiū audet accusare, patrocinante Matre.

120. Quæ sanè verba Apostoli sicut & illa Iobi magna cum fiducia intremenda illa mortis hora à quolibet Deiparæ devoto clientulo sunt usurpanda, ut tantò magis adversus Infernalis hostis insidias animetur. Tunc enim varijs dolis, artibus, ac stratagematis vel in infidelitatem, vel in desperationem animas pertrahere contendit. Tunc machinas omnes, ac insidias quascumque totus invenire atque excogitare potuit Infernus admovet, extremumque suæ potentiæ, ferociæque exerit, ut nos in æternæ damnationis Barathrum præcipitet. Vnde S. Nilus ait, nequissimos Dœmones ferocitati illi, ipsis à natura inditæ, horribiles formidabilesq; adhibituros larvas, ut tantò majori terrore animas consternent. S. Chrysost. verò & S. Ephræm ait, unicuique jam in vitæ limite constituto sese Tartareas illas larvas spectandas exhibere.

Dęmones in morte hominū, assumunt horribiles larvas.

Et hinc fortassis in agonizantibus oriuntur gelidi illi sudores, horrores illi, ac tremores, oculorum circumvolutiones, illa inquietudo molestissima, membrorumque jactatio, amarissima illa suspiria, copiosæque lachrymæ, aliaq; formidinis non vulgaris argumenta, quæ licet Medicinæ periti, gravitati morbi adscribere consueverint, Sanctus tamen jam memoratus Ephræm horrendis illis Dœmonum spectaculis potiùs adscribenda censuit: *Quia,* inquit, *formidabiles exercitus invadunt eos, & vident ea, quæ nunquam ante viderunt. Vident formas peregrinas, & validas, vident facies severas, & austeras, vident sine ordine, ordinem nunquam ante conspectum.* Audite de malorum exitu, quid sanctus dicat Anselmus Tom. 3. in Elucidario: *Cùm mali in extremis sunt, Dœmones, maximo strepitu conglobati veniunt, aspectu horribiles, gestibus terribiles, qui animam cum pervalido tormento de corpore excutiunt, & crudeliter ad Inferni claustra pertrahunt.* Quid igitur animæ tunc in tantis angustijs deprehensæ, tam horribiles malorum geniorum larvas quæ columnas Ecclesiæ Martinum, Augustinum, Basilium, Hilarionē, aliosque innumeros propemodū consternārunt, contemplanti quid, inquam, faciēdū erit? confugiendum nimirū ad civitatem refugij, ad Virginem nostrā pientissimam; tunc tunc animitus est exoranda, ut luce suæ serenissimæ, amabilissimæque faciei larvas illas Tartareorum tenebrionū disperdat, ac dissipet, nosq; pientissimorum suorum oculorum radijs recreatos, sub umbra alarum patrocinij sui foveat. Hoc nimirum erat illud præclarum Divi Bernardi monitum ser. 8 in Qui habitat: *Ad omnem tentationem, ad omnem tribulationem, ad omnem deniq; cujuscumq; necessitatem aperta est nobis*

Dęmones ad moribundos veniunt multi cōglobati.

Dœmonū larvæ horribiles in morte etiam sanctos exterruerūt.

M. Vrbs refugij, ad quam in hora mortis confugiendum.

nobis Vrbs refugij, sinus Matris est expansus. Hoc refugium qui declinat, nil mirum si effugere non mereatur.

121\. Confugerat ad Vrbem hanc refugij D. Augustin. cùm in Solil. cap. 12. Virginem alloquens, dicebat. *Tu Mater pupillorum tuorum, audi eiulatum filiorum tuorum, extende alas tuas, vt fugiamus sub eas, à facie inimici:* Confugerat ad Asylum hoc misericordiæ S. Ephræm Syrus, cùm orationem illam ad Virginem amoris affectibus plenissimam, ita conclusit: *Adesto mihi nunc, & semper, ò Virgo DEI Genitrix, Mater misericordiæ benigna, & clemens, in præsenti quidem vita cursu ferens Protectrix, atq; Auxiliatrix, hostiles quoscumq; impetûs à me auertens, & in via salutis me constituens, ac in extremo vitæ articulo miseram meam animam conseruans, & tenebrosos, atq; horrendos pessimorum Dæmonum aspectûs, ab ea procul repellens, in tremendo autem die Iudicij, ab æterna me damnatione liberans, & postremò in numero me iustorum referens, atq; inaccessæ tui Filij, & DEI gloriæ me hæredem efficiens. Quod utinam per piam intercessionem tuam, atq; patrocinium, Domina mea sanctissima DEI Mater, mihi & omnibus humiliter ad te recurrentibus, spemq; totam in te figentibus post hoc exilium concedatur.* Sic ille.

Sub alas Mariæ cõfugiendũ in hora mortis.

S. Ephrem in morte ad B. V. tanquam ad Asylum confugit.

Confugerat ad misericordiæ Virginalis sinum Seraphicus Doctor Bonaventura, cùm ita Psalmo 19. Virgini modulatus est: *Exaudi nos Domina in die tribulationis, & ad preces nostras clementem faciem tuam ostende. Ne proijcias nos in tempore mortis nostræ, sed succurre animæ, cùm deseruerit corpus suum. Mitte Angelum in occursum eius, per quem ab hostibus defendatur. Ostende ei serenissimum Iudicem sæculorum, qui ob tui gratiam ei veniam largiatur. Sentiat in pœnis refrigerium tuum; & concede ei locum inter electos DEI.*

S. Bonaventura postulat auxilium, patrociniumque B. V. in morte.

Confugerat denique ad Vrbem hanc refugij devotissimus Richardus de S. Vict. qui postquam commentarijs suis in Cantica passim pro suo in DEIparam affectu, præclarissimas ejus laudes celebrasset, tandem nullum aliud sui laboris præmium expectans, quàm in morte præsentiam, protectionemq; Virginis, sic totum illud concludit opus:

Idem auxilium B. V. postulat Rich. de S. Victore.

Aue Maria Mater gratiæ, Mundi Regina,
Mater misericordiæ salua nos à ruina;
Fons vitæ, vena veniæ, venire tunc festina
Cùm morti propinquamus, ut tecũ valeamus
Perpetuo gaudere Amen.

M. Fons vitæ, & Vena veniæ.

122\. Missos facio alios quamplurimos Viros Religiosissimos, ac Sanctissimos, qui horâ illa discriminis plenissima, sese tutelæ Virginis nostræ clementissimæ addixêre. Agnoscebant nimirum exitum ex vita hac Labyrintheis anfractibus, ac flexibus difficiliorem esse, proinde Virgineam hanc, velut Ariadnem quandam in tantis perplexitatibus desiderabant Ductricem, atque Adiutricem, quâ monstrante viam, securitatem sibi in tantis periculis pollicebantur.

M. ad exeundum de Labyrintho Mundi, est nobis Ariadna, ac Stella.

Præclarè Ministerium hoc Virg. expressisse visus est, ille, qui cùm Labyrinthum quodam in Emblemate depinxisset, eidem desuper radiantem Stellam, errorem illum inextricabilem, luce suâ demonstrantem posuit. Stella nostra semper quidem, & ubique est MARIA dum vivimus, lumine suæ pietatis, ac gratiæ nobis benignè prælucens, viasque nostras dirigens; sed in postrema illa hora, Stella nobis est vel maximè, menti nostræ affulgescens, errorúmque tenebras, quæ à Tartareis illis tenebrionibus offundi consuevêre, depellens; cujus profectò salutiferâ luce, si nos, quod absit, tunc destitui contingat, in obscurissimum, profundissimumque infidelitatis, simul, ac desperationis Barathrum præcipites agi necesse est. Quam præclarè D. Bernard. ser. de Nat. B. V. *Tolle MARIAM hanc Maris Stellam, Maris utiq; magni, ac spaciosi, quid nisi caligo inuoluens, & umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur?* Hanc illuminationem DEI Filius charitati, pietatiq; Matris attribuit, ut videre est lib. Revel. extrau. S. Brigittæ, ubi sic eam alloquitur: *Tu fuisti charitate ardens ad instar Stellæ, quæ ardet, & nunquam consumitur. Tu meritò plena charitate ac misericordiâ diceris, quia omnium charitas per te floruit, & omnes per te inveniunt misericordiam, quia in te conclusisti Fontem misericordiæ, ex cuius abundantiâ etiã pessimo inimico tuo Diabolo misericordiam exhiberes, si humiliter peteret. Ideò quodcumq; vis & petis, dabitur tibi.*

M. ob charitatem, & misericordiam, Stella vocatur à Filio.

M. misericordiam etiam Diabolo, si se humiliaret, exhiberet.

123\. Hoc patrocinio Virginis inducti viri Sancti & vitam hanc assiduam esse militiam super terram; mortemq; transitum quendam maris amarissimi hujuscé sæculi agnoscentes, sibi DEIparam inscutum tutissimum deligebant, quod & in vitæ hujus militia ab hostium telis illos defenderet, & in mortis turbinibus, ac procellis cymbam quampiam, velut

Myrtili

M. Clypeus contra tela, & Navis in naufragio.

Myrtili clypeus ille apud Leonidem celeberrimus, ad enavigandum exhiberet. Adeò, ut eorum quisque in ejusdem militis persona jure merito potuerit concinere:

Myrtili Clypeus factus navis.

Bina pericla unis effugi sedulus armis
Cùm premerer q; solo, cùm premerer q; salo.
Incolumem ex acie clypeus me præstitit, idem
Naufragum apprehensus littus ad usq; tulit.

Quare unicuique Mariano clienti effigies Divæ Virginis ad instar clypei de collo suspensa cum Epigraphe illa: *Auxilium nunquam deficiens;* circumgestanda esset, quo religionis pietatisque monimento clarè protectionem Deiparæ, tam in vita, quàm in morte contestaretur.

M. Auxilium nunquam deficiens.

124. Agnoscebant denique Viri pij Deiparam, in tremenda illa hora Aquilā esse magnarum alarum, ut eam S. Bernard. Sen. appellavit; unâ quidem manu fulmen, altera palmam gestantem; quibus Symbolis nos solari videtur, ac dicere: *In opportunitate utrumq;.* Cùm enim nos pietate gratiâque suâ contra Infernales hostes, ne eorum tentationibus succumbamus, sed potiùs de illis gloriosum triumphum reportemus, armat, ac munit, quid aliud facit Virgo benignissima, quàm victoriæ nobis viridantem palmam impertitur, quam ubi Tartareæ illæ Phalanges in manibus nostris infringere, aut eripere pertimescentes diffugiunt, nonnè fulmine quopiam à Virgine percelli, eorumque vires in nihilum redigi videntur? Quam benè de unoquoque clientulo Dei paræ, hora mortis ipsius patrocinium experto, dici potest, illud devotissimi Pelbarti Themisuariensis lib. 12. stell. par. 2. c. 1. *In fraude circumvenientium adfuit illi, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum, & dedit illi claritatem æternam.* Sed ipsam Virginem patrocinium hoc tanto in periculo pollicentem audiamus apud Blosium in Moni. c. 12. *Ego omnibus, qui mihi piè, & sanctè deserviunt, volo in morte fidelissimè tanquam Mater pijssima adesse, eosq; protegere, ac consolari.*

M. in articulo mortis est nobis Aquila, palmam, fulmenq; gestans.

B.V. suis clientulis in fraude circumvenientium Dæmonū adest.

B.V. ipsa pollicetur se suis in hora mortis adfuturam.

125. Hujus tam amplæ, benignæque promissionis conscius D. Ephræm ser. de laud. Virg hilaris, fiduciâque plenus Deiparæ dicebat: *Tu Virginum gloria, corona, & gaudium. Tu mundi lætitia, ò Domina, Princeps atq; Regina præstantissima, Dominarum Domina purissima, sub tuum præsidium confugimus, ò sancta DEI Genitrix, sub alis pietatis, atq; misericordiæ tuæ protege & custodi nos. Miserere nostri, ne adversus nos insolescat, ac glorietur Sathanas perniciosissimus, ne in nos insurgat, detestandus inimicus noster, ne servos tuos a tui spe excidere videamus, nevè calumnietur nos os loquentium iniqua. Non nobis est alia, quàm in te fiducia, ò Virgo sincerissima; ex ulnis siquidem maternis tibi Domina nostra dediti sumus miseri, tuiq; clientes appellati. Ne igitur à maligno Sathana ad Inferni portas obduci nos sinas. Tu enim noster es portus, Præses, pia auxiliatrix, ò Virgo intemerata. Sub tua deniq; tutela & protectione toti sumus. Quare ad te unicam confugimus, crebrisq; te lacrymis, ò beatissima Mater imploramus, tibiq; procidimus suppliciter clamantes, ac deprecantes, ne dulcis Filius tuus, ob plurima, quæ commisimus scelera è medio tollat nos, miserabilesq; animas nostras instar leonis diripiat, aut sicut ficum sterilem nos excidant. Deniq; obsecramus, ut ad Christum securi pervenire possimus.*

S. Ephræm à pueritia cultui Virginis deditus.

Ex ulnis Maternis deditos cultui B. V. nos esse oportet

126. Hujuscè Virgineæ protectionis in morte obtinendæ spe erecti Viri primarij 72. æquè nobilitate, ac sapientiâ, literisq; conspicui Mediolani in Domo professâ Societatis nostræ Congregationem sub Titulo fœlicissimi Transitus B. V. Deiparæ erexêre; quorum hic præcipuus finis est, præparatio videlicet ad fęlicem, ex hac vita transitum ad meliorem illam, atq; immortalem, Dei Genitricis patrocinio, atque intercessione. Ad quem finem consequendum, inter innumera, eaque præstantissima media, præscribitur in primis menstrua peccatorum Sacramentalis confessio, atque communio, actuum contritionis frequens exercitatio, assiduaq; mortis meditatio. Addidêre insuper ad eundem finem obtinendum, apud Deum, Deiparâque Patronos S. Iosephum ejusdem Sponsum, singularem moribundorum Protectorem; S. Michaëlem Archangelum Dæmonum terrorem, ac fulmen; tum Angelum Custodem nostrum, S. Mariam Magdalenam, tanquam veræ pœnitentiæ speculum eo in articulo; sanctam denique Barbaram, ad obtinendam à Deo Domino nostro gratiam, ne ex hac vitâ absque Sacramenti decedamus.

Congregatio Mediolani sub Titul. fœlicissimi Transitus B. V. pro fœlici morte erecta.

Qui Patroni deligēdi pro fœlici morte?

127. Patrocinium hoc, protectionemque Virginis præsentissimam in extremo illo cum morte conflictu expertus est Religiosissimus ille Carthusianorum Prior Petrus Faverius, uti refert Valerius Venetus in Prato florido P. 2.

lib. 1. cap. 33. Hic cùm gravi oppressus morbo se brevi ex hac vita migraturum sentiret, expiatis ritè peccatis, omnibusq; Sacramentis, ad agonem, luctamque postremam ineundam munitus, vidit humani generis hostem, horribili schemate, ingentem ostentantem codicem, in quo totius anteactæ ipsius vitæ peccata exarata visebantur, additis insuper minis, se in Infernum tantorum scelerum commissorum reum deturbaturum. Hic cùm bonus Pater totus horribili tremore esset consternatus, & in desperationis penè barathrum prolabi cœpisset, ecce tibi in tantis angustijs adstitit ejus lectulo Mater misericordiæ Filium ulnis gestans, tota undique cœlesti circumfusa lumine, eumque blandè consolans, animumque labantem erigens: *Quid*, ait, *trepidas dilectissime mi, cur de Divina misericordiâ diffidis? consolare, securus esto, ac hilaris, dulcissimus enim hic meus Filius tibi ultro omnia peccata condonavit.*

De salute desperans moribundus à B.V. erigitur.

Quæ verba ubi Tartareus tenebrio inaudivit, mox velut fulmine ictus profugit. Tandem animo erectus Dei servus, accito ad se Confessario, rei gestæ seriem narrat, rogatque ut in Psalmis ad pœnitentiam institutis Litanijsque recitandis adjutorem sese adjungat. Facit id libenter; cùmq; ad illa verba ventum est: *Omnes sancti orate pro nobis;* mox Pater digito manus dextræ erecto, magnâ animi gestientis lætitiâ, addidit: *Omnes sancti, qui modo cum Beata Virgine hic adestis orate pro me.* Quæ verba identidem ingeminans, hilari vultu quietissimè animam Creatori suo reddidit. En vobis Virgineæ misericordiæ longitudinem usque ad mortis articulum, judiciumque particulare suorum Clientulorum sese protendentem. Ex cujus sanè incredibilis consideratione pietatis, meritò in omnium animis ardentissimus in Virginem succendi, atq; excitari debet amor, quo velut admotis facibus, ad ejus cultum fidelissimumque obsequium inflammemur.

B.V. Sanctorum Choro associata, suis clientulis morti proximis adest.

128. Et licet pientissima Deipara nostra, suam misericordiam ad extremum illum, periculosissimumque ex hac vita transitum extendat. Crediderim tamen longitudinem hanc misericordiæ Virgineæ, ab omni quodammodo cæpisse æternitate, duraturamque vsque ad sæculi consummationem, nec in ullis unquam sæculis terminandam.

Longitudo misericordiæ B.V. est ab æterno usq; ad extremũ Iudicij diem.

Cùm enim in mente Divina, Virgo hæc sacratissima ab æterno ordinata, ac prædistinata fuerit in Dei Matrem, & in coöperatricem, atque instauratricem Salutis humanæ naturæ, consequens sanè fuit, ut & in Matrem misericordiæ ab æterno prædestinaretur, eamq; ad extrema usque finalis judicij calamitosissima extenderet tempora, sæculaque, ut mortales in tantis periculis constitutos, pietatis suæ effusissimæ visceribus confoveret. Ac proinde jure merito ab æterno Mater misericordiæ à Deo electa dici potest. Quod S. Petrus Chrysologus etiam intellexisse visus est ser. 146. dum verba illa explicaret Evangelistæ Matt 2. *Cùm desponsata esset Mater eius MARIA Ioseph.* Vbi miratur, quânam ratione Virgo in desponsatione ante conceptũ, ante partum Mater appellari possit, absque prole? concluditque semper extitisse Matrem; quia & in Matrem Filij Dei, & in Matrem filiorum hominum, ab omni æternitate fuit electa: *Suffecerat*, inquit Chrysologus, *dixisse: Cùm desponsata esset MARIA. Quid sibi vult Sponsa Mater? si Mater, non Sponsa, si Sponsa non adhuc Mater. Virginitate Sponsa, fœcunditate Mater. Aut quomodo non ante conceptum Mater, quæ post partum Virgo Mater? Aut Genitrix quando non, quæ sæculorum generavit Auctorem. Principium dedit rebus?* Tandem sic infert: *MARIA Mater vocatur, & quando non MARIA Mater?* quasi dicat: Non est possibile Mariam Matrem intelligi ante conceptum, ante partum, nisi eam Matrem pietatis, ac misericordiæ intelligas. Hoc enim modo Mater semper, ab omni extitit æternitate; quia in mente Patris æterni possessa, Mater Salvatoris, salutisque nostræ adjutrix destinata fuit. Vtque ostendat maternitatem hanc misericordiæ, ab æterno Virgini convenire, ideò quod cooperatrix redemptionis humanę esset electa, confert illam cum Maria Sorore Moysis, quæ, ut inquit, ille, *exeuntem populum de Ægypto concepit uno utero, ut emergeret cœlestis in novam creaturam renata progenies? Et ut semper MARIA humanæ prævia sit salutis, populum quem unda generatrix emisit in lucem, ipsa jure præcessit in Cantico, &c.* Quod ergo Maria contulit Moysi, totique Israëlitico populo exeunti ex Ægypto, hoc contulit quoq; Maria nostra, Christo mundi Salvatori, totiq; humano generi, de Tartarei Pharaonis

B.V. in Matrem misericordiæ electa, pietatem suam ad extrema usq; sæcula extẽdit.

M. Mater nostra ab æterno, quia ab æterno destinata fuit nostræ salutis Cooperatrix.

Maria Soror Moysis figura B.V. in auxilio redemptionis.

raonis captivitate liberato; ac proinde quemadmodum illa Mater Israëlis ob impensam illi pietatem visa est; sic etiã MARIA, & multò magis Mater omnium mortalium ab æterno, suâ misericordiâ extitit, quia ad liberationem hanc, de Sathanica servitute cooperatrix ab æterno destinata fuit.

129. Longitudo ergo Misericordiæ Virginis ante omnia quodammodo incæpit sæcula, & in finem consummationemque sæculorum ad extremum vsque judicij diem terminatur. Post illud enim, sicut nullę reperientur, quæ tolli possint, miseriæ, ita nulla misericordiæ exercendæ suppetet occasio. In judicio ergo illo universali, die illâ calamitatis & miseriæ, die tubæ, & clangoris, die iræ, & amaritudinis, quando omnes gentes quotquot ab exordio sæculorum extiterunt, in vallem Iosaphat coram horrifico illo Christi sempiterni Iudicis tribunali confluent, tunc Virgo in adjutorium Iustorum, suorumque amicorum consurget, eosque confortabit, ne coram tam tremendo Iudicis conspectu confundantur. Hanc ob causam crediderim mori voluisse in Valle Iosaphat, ibidemque sepeliri DEIPARAM, quemadmodum Guerricus Abbas scribit ser. 2. de Assumptione, ut affectum misericordiæ ibidem judicandis tantò promptiùs posset impendere. Quod autem in Valle Iosaphat Iudicium hoc extremum sit instituendum, ipse Dominus per Prophetam Ioël. c. 3. testatus est: *Consurgant*, inquiens, *& ascendant gentes in Valle Iosaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu, & disceptabo cum eis ibi.*

Longitudo misericordiæ B. V. durat ad extremum Iudicij diē.

In Valle Iosaphat B. V. sepulta, ut ibi in Iudicio intercedat.

In Valle Iosaphat fiet Iudicium universale.

130. Intercessionem hanc DEIPARÆ in die Iudicij intellexit S. Germanus Patriar. Constantin. orat. de Zona, quando illam tam humiliter est deprecatus: *Quæso, ut in adventu Filij tui, cum assistemus omnes judicandi, tu ut maternam habens fiduciam, & maximam potentiam, validâ illâ manu tuâ, ab æterno igne nos eripias.* Post pauca, spe plenus vocat eandem; Refugium nostrum, Portum naufragantium. Tandem intercessionem die illo tam horribili facturam misericordię Matrem apud Filium intellexit Richard. de S. Vict. cap. 59. in Cant. cum dixit: *Si accedam ad judicium, & Matrem misericordiæ in causa mea habuero mecum, quis judicem denegabit propitium? MARIA facta est Mater DEI, propter misericordiam, hanc quoq; credo, quod indesinenter exercet pro humano genere coram Patre & Filio, & maximè pro examinandis exercebit in judicio. Porta est, in qua nobilis erit Christus Vir Ecclesiæ, cùm sederit ad judicandum cum senatoribus terræ. MARIAM igitur Matrem misericordiæ & Portam cœli quæramus, & speremus in Porta Iudicij misericordiam.* Horribilem illum extremi judicij diem metuens S. Basilius Seleuciæ Archiep. orat. 39. in DEIPARÆ misericordia totam suam collocarât fiduciam, cum dicebat: O Virgo sanctissima supernè nos respice, esto propitia, nunc quidem in pace nos rege. At ad Thronum Iudicis sine pudore adductos, in ea statione nos colloca, quæ est ad Filij tui dexteram, ut in sublime rapiamur, & pari cum Angelis Hymno, improcreabilem ejusdem Naturæ Trinitatem personemus, quæ in Patre, & Filio, & Spiritu S. cognoscitur, & laudatur in sæcula.

M. in Iudicio validâ suâ manu nos ab æterno igne liberabit.

S. Basilij Seleuciæ Episcopi fiducia de B.V. in die Iudicij.

131. O quàm fœlices, ac beati die illo erunt fideles B. V. servi, ac clientuli! hos enim misericordiâ suâ, à justissimo sempiterni Iudicis furore proteget atque defendet, eritque ad instar tabernaculi illius, de quo Isa. 4. v. 6. *in umbraculum ab æstu, & in securitatem, & in absconsionem à turbine, & pluvia.* Quæ verba ponderans Richard. à S. Lauren. lib. 10. de laud. Virg. *Erit*, inquit, *gloriosa Virgo servientibus, & amatoribus suis in die Iudicij in umbraculum ab æstu, & contra æstum illum, de quo dicitur 2. Pet. ult. Elementa calore solventur, de quo etiam Sophon. c. 1. In igne zeli eius devorabitur omnis terra. Erit quoq; eadem Virgo in securitatem à turbine illo videlicet, de quo Ierem. 30. Ecce turbo Domini furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum conquiescet. Sicut enim turbo pulverem & paleam ad resistendum impotentes rapit, sic & impius ad æterna tormenta rapietur. Verè enim dixit Iob 27. Tollet eum ventus urens, & velut turbo rapiet eum, de loco suo. Eadem Deipara in Iudicio erit in absconsionem à pluvia illa videlicet, de qua idem Iob 20. Pluet super eum bellum. Deniq; de Virgineo hoc tabernaculo dicitur Levit. 26. Ponam Tabernaculum meum, id est MARIAM in medio vestri, & non abjiciet vos ultra anima mea. Per illam enim cùm conservemur à peccato, à DEO abjici non possumus. Solum enim peccatum huius abiectionis, extremæq; reprobationis est causa.* Sic ferè Richard.

M. erit nobis in die Iudicij Tabernaculum, protegens nos ab æstu justi furoris Domini.

M. Tabernaculum Dei in medio hominum, ut illos protegat.

132. Ob hanc protectionem Virgineæ miserorumq; sub umbrâ tutelæ absconsionem

sionem in finali illo Iudicio, idem Richard. lib. 12. de laud. Virg. comparat illam Reginæ Esther, quæ, *Abscondens*, interpretatur. *Cui*, inquit, *ea de causa, quod peccatores abscondat, dicit Filius: Pone quasi noctem umbram tuam in meridie, absconde fugientes, & vagos ne prodas: habitabunt apud te profugi mei. Verè ponit MARIA umbram suam quasi noctem in meridie, in manifesta illa Diaboli persecutione, tentationumq; feruore. Ab astu enim tentationum huiusmodi securè defendit afflictos, atq; refrigerat. Verè abscondit Virgo fugientes dum pusillanimes, & timentes judicium DEI recipit. Verè vagos non prodit, quia peccatores per varios errores diuagantes, quantum in se est, non deserit inconsultos, sed eos ad salutem abscondit, orationibusq; suis revocat à peccato. Profugos deniq; Domini recipit, quia fugientes à terrore Iudicij misericorditer consolatur, spem veniæ tribuens desperatis. Ideò de ipsa dixit Psal.103. Petra refugium erinaciis.* Ratione hujus absconsionis idem Richardus confert DEI param Rhaab illi Ierichuntinæ quæ exploratores recepit, & abscondit: *Abscondit*, inquam, *vere illius superna terræ promissionis exploratores. Sicut enim pia Mater abscondit Filium suum sub pallio, quando Pater vult verberare; sic MARIA refugientes ad se, Christiq; justitiam formidantes.* Hæc ferè Richar.

B.V. in Iudicio erit nobis Esther, hoc est, Abscondens.

B.V. pusillanimes & timêtes Iudicium Dei, recipit in se, & abscôdit.

B. V. velut pia Mater, abscondit nos tanquam Filios, dum nos Pater æternus vult verberare.

133. De eadem protectione hac DEIparæ, audite B. Thomam de Villanova Archiepis. Valentinum ser. 3. de Nativit. *Sicut*, inquit ille, Matrem misericordiæ alloquens, *pulli volitantibus desuper miluis ad gallinæ alas accurrunt, ita & nos sub velamento alarum tuarum abscondimur. Nescimus aliud refugium nisi te, tu sola es unica spes nostra, in qua confidimus, tu sola patrona nostra, ad quam omnes aspicimus.*

Velut ad Gallinæ alas ad patrocinium Mariæ confugiendû.

134. Quare Ioannes Gerson Parisiensis Cancellarius Tract. 6. in Magnif. Divinorum judiciorum, justitięque horrore perculsus, hortatur animam suam, ut ad Thronum misericordiæ, ad hanc, inquam, misericordiæ Matrem pijssimam recurrat. *Terret*, inquit ille, *te ò anima, DEVS ultionum Dominus, DEVS iustus, & iustitias diligens, alliciat te misericors in essentia, & miserator in efficacia Dominus suauis & multum misericors. Damnat te Thronus iustitiæ, adi cum fiducia Thronum misericordiæ dum licet appellare, dum adhuc dies comparationis, dum misericordia sedet in Throno suo, quæ exsuperat Iudicium. Caue ne differas, quoadusq; Dominus accipiat tempus à te, tunc utiq; iustitias iudicabit, nec appellare licebit.* Mox conversus ad Virginem pijssimam, velut ad misericordiæ Thronum, fiduciâ plenus. *Ecce*, inquit, *ad Thronum misericordiæ tuæ reus iste, ò beatissima Virgo Regina misericordiæ, defende iura curiæ Regni tui, cum Filio tuo, dum sedes à dextris in ea, dum tempus est miserendi. Defer appellationi meæ, suscipe eam ad te. Non remittas ad sedem justitiæ, quoniam terribilis est nimis, & insustentabilis ira eius. Horrendum est deniq; incidere in manus eius, dicit Apostolus.*

M. Thronus misericordiæ.

135. Et verè horrendum, ac formidandum adeò, ut eum dilectus Discipulus innocentissimus ęquè, ac sanctissimus, Schemate illo, quo in judicio est compariturus, contemplans Apoc. 1. ceciderit ad pedes ejus, tanquam mortuus, ut ipsemet de se fatetur. Viderat enim oculos ejus irâ, furoreque accensos ad instar flammæ ignis. Viderat faciem ad instar Solis in virtute sua lucentem, ac radiantem, viderat de ore ipsius gladium utraque parte acutum exeuntem, audierat denique vocem illius tanquam vocem aquarum multarum. Quis igitur tantam justissimi Iudicis placare meliùs poterit indignationem, ac furorem, quàm Mater ejus sanctissima, Mater misericordiæ pientissima? ad illam igitur recurrendum, ex D. Bernardi sapientissimo consilio ser. de verb. Apoc. qui cùm præmisisset absorptam videri in Christo humanitatem à Deitate quodammodo, & cantari illi cum misericordia pariter, & judicium, habereque judiciariam potestatem, esseque DEUM nostrum ignem consumentem, ac proinde vereri debere peccatorê ad ipsum accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie DEI; Cùm, inquam, hæc præmisisset, mox subtexuit: *Opus est Mediatore ad Mediatorem istum; nec alter utilior nobis, quàm* MARIA. *Quid ad* MARIAM *accedere trepidat humana fragilitas? Nihil austerum in illa, nihil terribile, tota suauis est, omnibus afferens lac & lanam. Reuolue diligentiùs Euangelicæ historiæ seriem uniuersam, & si quid fortè increpatorium, si quid durum, si quod deniq; signum vel tenuis indignationis occurrerit in* MARIA, *de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Quod si, ut verè sunt, plena magis omnia pietatis, & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ, quæ ad eam pertinent inueneris, age gratias ei, qui eam tibi Mediatricem, benignissimâ miseratione prouidit, in qua nihil possit esse suspectum. Omnibus se exorabilem, omnibus*

Iudicis æterni aspectus horribilis.

B. V. ab horribili Iudicis sêpiterni aspectu nos abscondit

M. Mediatrix nostra ad Mediatorem iratû, scilicet Christum

M. tota suavis & benigna.

In Evangelijs Maria prædicatur tota plena gratiæ, & pietatis, mansuetudinis & misericordiæ.

omnibus clementissimam præbet ; omnium deniq, necessitates amplissimo quodam miseretur affectu. Hæc Bernardus.

M. irato Filio nos reconciliat.

136. De benignitate hac pietateq; Virginis in placando irato Filio audiendus sapientissimus Idiota in Prol. Contemplat. de B. Virgine; *Inventâ*, inquit, *Virgine Mariâ, invenitur omne bonum. Ipsa superbenedicto Filio suo irato potentissimè reconciliat servos & amatores suos. Tanta quoque est ejus benignitas, quod nulli formidandum est ad eam accedere, tantaq, misericordia, quod ab ea nemo repellitur. Imò donis, & charismatis ædificat servos suos, ut superbenedicti Filij sui, & Spiritus S. digna fiant inhabitatio.* Et paucis interpositis, cum præmisisset illam nostram esse Advocatam, addit: *Sæpè quos Iustitia Filij potest damnare, Matris misericordia liberat, quia Thesaurus Domini est, & Thesauraria gratiarum ipsius.* Sic Idiota.

M. misericordia sæpè liberat quos Filij Iustitia potest damnare.

M. Thesaurus Domini, & ejus gratiarum Thesauraria.

137. Hæc irati Iudicis per Virginem propitiatio inde à primis mūdi exordijs in ipsis cœlorum constellationibus nobis prænunciata fuisse videtur. Quid enim in Zodiaci circulo Virgo illa inter Leonem, Libramque sita significabat aliud, quàm venturam aliquando Virginem, quæ Leonis de tribu Iuda justum furorem in peccatores erat mitigatura, Libramque ipsius Iustitiæ severissimæ, meritorum, precumque suarum interpositione, seù applicatione temperatura? Hac nimirum meritorum, precumque suarum interpositione cum Filio luctari, ac depugnare videtur Deipara, uti nobis S. Germanus Patriar. Constant. serm. de Zona insinuare videtur, dum ita ipsam alloquitur: *Quis nos defendit in afflictionibus, quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus?*

In cœlo Virgo inter Leonē & Libram sita Mariæ misericordiam notat.

M. pugnat cum Deo pro peccatoribus quodammodo.

138. Quænam porrò sit hæc Virginis cum Filio pugna bellissimè explicare videtur Seraphici Ordinis Pater Ioannes Hondemius hymno quodam in laudem Deiparæ composito, dum maternis amplexibus, purissimisq; osculis, totam hanc pugnam, amore generis humani institui, cecinit. Sic enim ille Virginem alloquitur, quam etiam Librum Divinæ legis, legemque amoris, ratione Filij in sinu ejus quiescentis, appellat:

M. cum Filio pugnādi pro nobis modus amorosus.

Advocata potens eloquio,
Cùm allegas, fit tua jussio,
Majestatis Rex micans solio,
Tuo, ò Parens, paret Imperio.
Sed cùm habet causa caliginem,
Tunc allegas amoris ordinem,
Datam dudum lactis dulcedinem,
Et inclinas sic Altitudinem.
Liber legis fit pectus niveum,
Et cùm legit hoc os Virgineum,
Mox horroris Iudex aculeum
Iustè frangit cor habens melleum.
Lex amoris hoc scripta codice,
Et perlecta sic permagnificè,
Æquitatis ensem terrifica
Iustè lenit, placato Iudice.

139. Ioannes verò Cardinalis Halgrinus pugnam hanc à Virgine cum Filio, interpositione sacratissimorum ejus vulnerum, Virgineæque faciei amabilissimæ institui, insinuare visus est; idque ut faceret, edoctam à Filio asserit, dum suavissimam illam Sponsi invitationem expenderet: *Surge, propera amica mea, speciosa mea, columba mea, & veni.* Addit Cardinalis: *Tuis precibus Ecclesiam adjutura, modo quo sequitur: In foraminibus Petræ in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam: Foramina Petræ*, inquit ille, *vulnera sunt manuum, ac pedum Christi, de quo dixit Apostolus: Petra autem erat Christus. Caverna maceriæ, est vulnus in latere. Quasi dicat Sponsus: Cum vulneribus meis, & inter vulnera mea ad interpellandum pro peccatoribus tuam faciem repræsenta. Et quia cum decore, peccatorem juvat ipsa Virgo, dulcedine precum, dicitur illi: Cum repræsentatione faciei inter mea vulnera, sonet vox tua in auribus meis, quæ magnam habet virtutem. Vox enim tua dulcis mihi est in precibus, quia in facie tua mirabilis virtutum decor mihi innotescit.* Hæc Halgrinus.

Foramina petræ, sunt Vulnera Salvatoris.

Caverna maceriæ, est Vulnus in latere Christi.

Vox B. V. dulcis est Christo, fusis pro nobis ad eum precibus.

140. Atq; ita ex hac pia tam Hondemij, quàm Halgrini meditatione colligimus, Deiparam nostram in Iudicio illo extremo tam vultus sui Deo gratissimi, ac amabilissimi, quàm pectoris sui Virginei, uberumque, aliorumque pietatis monimentorum, ac demum vulnerum dilectissimi Filij interpositione pro nobis cum Iudice illo terribilissimo quodammodo depugnaturam, totique humano generi longitudinem suæ misericordiæ profusissimæ omni tēpore ad extremum usque Iudicij diem perduraturæ, benignissimè ostensuram; ita ut de pietate hac Virginea verè canere possimus, quod de Divina Regius Psaltes Psal. 102. pronunciavit: *Secundùm altitudinem cœli, à terra corroboravit misericordiam super timentes se: quantum distat Ortus ab Occidente longè fecit à nobis iniqui-*

Quomodo pugnat pro nobis B. V. cum æterno Iudice?

 tates

tates nostras. Verè enim peccatores omnes, suis iniquitatibus superni illius Iudicis iram provocantes, tam longè distant à Deo, tenebris suorum scelerum obcœcati atque demersi, quam distat Occidens ab Oriente; quæ distantia licet secundùm varias Mathematicorum dimensiones, variaque anni tempora, sit varia, minimam tamen Pater noster Lorinus ait esse Comment. suis in Psal. illum, octo millionum, viginti septem millium octingentorum & quadraginta septem milliarium. Ad hanc ergo tam enormem peccatorum à Deo summo Bono longinquamque ad instar tenebricosi Occidentis distantiam, longitudo Virginalis misericordiæ pertingit, instarque orientis Auroræ, pulcherrimam lucidissimamque suam faciem peccatoribus, caligine plusquam Cimmeriâ obvelatis ostendens, ad occidentem pertingit extremum, eosque illuminando, admirabili quâdam Metamorphosi, densissimas illas palpabilesque illorum tenebras, in serenissimam sanctitatis lucem transformat. Verè enim de ipsa illud, quod addit David, paucis immutatis, dici potest: *Quomodo miseretur Mater Filiorum, miserta est Domina timentibus Dominum, quoniam ipsa cognovit figmentum nostrum, recordata est, quoniam pulvis sumus.* Die siquidem illa horribili quando à facie Iudicis irati fugiet cœlum & terra, & impij dicent montibus; *cadite super nos, & collibus operite nos.* Virgo pijssima clientulos suos, velut Mater amantissima intra suæ pietatis effusissimæ, nostræ compatiendo infirmitati, recludet viscera, quoniam ipsa etiam cognovit figmentum nostrum, hoc est, ut nonnulli interpretantur; Pronitatem ad peccandum; seù ut alij; Conficta, stultaque desideria: seù ut Chaldæus; Concupiscentiam pravam, quæ nos in errorem abripit; seù denique juxta Nebiensem textum; fomitem pravum, qui peccatum suggerit. Hæc enim humanæ Naturæ nostræ imbecillitas, hæc ad peccandum, ex stimulante fomite, proclivitas, impellit ad miserendum nobis, in tanta necessitate, Deiparam, cogit illam, ut misericordiæ suæ Regium supra nos expandat paludamentum, nosque à furore superni Iudicis tueatur.

Minima distantia Orientis ab Occidente quæ sit?

Longitudo misericordiæ B. V. quanta?

M. ad instar Orientis Auroræ lucidã suam peccatoribus ostendit faciem, ut eorum illuminet tenebras.

Quid sit Figmentũ nostrum?

141. Hæc Virgineæ pietatis Seraphicus Bonaventura, tanto in discrimine salutis, agnoscens viscera Psal. 6. humiliter eam deprecabatur: *Domine ne in furore DEI sinas corripi me, neq; in ira ejus judicari. Propter honorem Nominis tui Domina, propitietur nobis fructus gloriosi ventris tui. De porta Inferi, & de ventre abyssi, tuis Sanctis precibus libera nos. Aperiantur nobis Ianua sempiterna, ut enarremus in æternum mirabilia tua. Quia non mortui, neq; qui in Inferno sunt laudabunt te Domina, sed qui tuâ gratiâ vitam æternam obtinebunt.*

B. V. suâ misericordiâ, non permittit nos in ira Dei corripi, sed nobis propter honorem sui Nominis propitiatur.

Et verò nisi benignissima Dei Genitrix misericordiâ, intercessioneq; suâ justissimi Iudicis furorem temperaret, vix ullus salutem consequeretur. O quoties Mundus universus ob scelera, flagitiaq; in ipso exundantia pessumdandus, in extremamque perniciem abijciendus erat, nisi Mater hæc misericordiæ justissimo Filij furori sese murum opposuisset, iramque jam jam erumpentem coercuisset!

142. Plurima hac de re commemorari possent exempla, illud sanè celebre est, quod Dodechinus vetus historicus accidisse refert Anno 1117. die 3. Ianuarij apud Cremonam, de Infantulo quodam adhuc in cunis fascijs obvoluto, qui in articulatam vocem, præter omnem naturæ ordinem prorupit, Matrem majori fratri cibum paranti interpellans, asserensque sibi visam Dei Matrem gloriosam, ante Tribunal Filij stantem, ardentissimisque precibus, pro judicio severissimo, quod mundo ob enormia ejus scelera imminebat avertendo exorantem. Quod ubi protulisset, mox loqui desijt, usque ad legitimam ætatem illam, quæ naturali ordine loquendi concedit facultatem.

Infans vidit B. V. ante Tribunal Christi exorantẽ ne Mundũ perderet.

143. Idem vidêre Divi Dominicus & Franciscus, uti refert S. Antoninus 4. P. summæ, tit. 25. c. 2. *Nunquam,* inquiens, *fuit aliquis Sanctus, vel Sancta ita affecta ad salutem, & omne bonum populi Christiani sicut B. V. M. Vnde cùm Christus vellet tribus lanceis mundum perdere propter superbiam, avaritiam, ac luxuriam, B. Virgo precibus suis obtinuit dilationem sententiæ, missuram se dicens in mundum ad prædicandum B. Dominicum, & Franciscum cum suis, ut sic reducerentur.* Hæc Antoninus.

M exorãtem pro Mundo ne eum Christus perderet, viderunt SS. Dominicus & Frãciscus.

144. Idem S. Antistes ad finem ejusdem capitis narrat anno Domini 1399. cuidam rustico ad fontem quendam apparuisse Christum, illique demandasse, ut tres panes quos apud se habebat, demergeret in fontem illum, apparuisse item

se item & Virginem in specie Matronæ venerabilis, idque vetuisse. Verùm cùm Christus iterum, ac tertiò demersionem illam panum imperasset, unum demersisse dumtaxat, aliosque duos jussu Deiparæ reservasse. Quid porrò sibi vellent tres illi panes demergendi, eadem Virgo declaravit, aitque repræsentasse mundum in tres partes, schismate, varijsque discordijs divisum; quem ideò iratus Filius totum deletum, pessumdatumque voluit, se autem sententiam suspendisse, & ad placandum Filium, unicum demergi panem permisisse, qui tertiam hominum in mundo partem, pestiferâ lue absumendam, quod & factum est, denotabat. Iussus denique est rusticus ille ad Divini Numinis iram placandam per diversas mundi partes proficisci, Virginisq; misericordiam deprædicare, monereque omnes cujusque sexus, ætatis, & conditionis, ut ad pœnitentiam revertentes albis induti, in honorem Deiparæ processiones instituerent; quibus peractis magnam novitatem, multaque bona in universo Orbe Christiano secuta fuisse, idem S. Antoninus affirmat.

Christus Mundum universum in tres partes Schismate divisum perdere volens, à B.V. prohibitus.

145. Eadem hæc Virgo pijssima Mundum hunc, ne terræ horrificis subrueretur motibus apud Filium est deprecata, ut idem Sanctus 3. P. Histor. tit.23. c. 5. n. 3. testatur. Cùm enim quidam suæ Religionis Tyro sæpiùs versiculum illum recoleret: *Mundum pugillo continens;* nec posset capere, quænam tandem Deo esset manus palma, quâ Orbis penè immensus concluderetur. Hæc secum expendentem tandem adolescentem somnus oppressit. Dormienti visæ Angelorum innumerabiles myriades, ante duos astantes Thronos, in quorum altero cœlorum Rex Christus, in altero ejus Mater Virgo consederat. Aderant etiam omnes Sancti, quasi metu attoniti, ad extremum Mundi hujus judicium evocati. Appensa mox in bilancem hominum scelera, appensa paucorum merita virtutesque; cùmque illa majori pondere lancem prægravarent, videbatur furore concitatus Iudex Orbem terrarum universum, velut pilam abijcere, severè illud intonando: *Cùm judicatur exeat condemnatus.* Psal. 108. Hæc cùm tremebundus Tyro non tã sopitus; quàm semimortuꝰ videret, ad Dei Matrem exclamavit: *S. Maria succurre miseris:* His Virgo ad pietatem commota precibus, primùm de Solio assurrexit, tum in genua supplex coram Filio ad ejus iram placandam procubuit. Interea clamor ille Tyronis, Fratres Monasterij excivit, qui cùm accurrerent, horrifico terræmotu Vrbem universam tam graviter quati sentiunt, ut multarum domorum ruina cives territi, extra Vrbem profugere sint adacti. Non tamen ita multò post precibus fusis pietate Virginis plenissimis, terra mota conquievit, terribileque illud æquissimi Iudicis judicium Deipara clementissima temperavit.

M. Mundum à terræmotu ne subruatur impetravit apud Filiũ.

Deus mũdum ob ejus scelera è sua manu videtur abijcere.

M. misericordia in conservando Mundo ne pereat.

146. O charitatem Virginis admirabilem! O effusissimam pietatem! Verè jure merito S. Gregor. Nyssenus eam, ipsam Charitatem nuncupavit, quæ cùm per se semper potentissima sit, potentissima longè cum Deo ipso extitit. Armatum olim cœlum omne in humanum genus, ob protoplastorum scelus conjurârat. Deus ipse arcu, sagittisque instructus, totâque cœlestis Angelorum militiâ mortales omnes delere, pessumdareque decreverat. Verùm Virginea hæc charitas, ac pietas, Devm ipsum fortissimum, miro exarmavit artificio, atque ita hic etiam, ut inquit Bernardus, triumphavit de Deo Amor; & qui ante arcum tetendit, & paravit illum, emisit sagittas, & conturbavit Orbem, effecit omninò, ut fulmina & fulgura in pluviam fierent, in pluviam, inquam, gratiarum evaderent, totusque terrarum Orbis sterilescens, bonorum cœlestium imbribus irrigaretur, fœcundaretur.

M. est ipsa Charitas.

M. velut potentissimus Amor & Charitas Deum contra nos iratum exarmat quodammodo.

147. Tribus jam misericordiæ Virgineæ dimensionibus consideratis ad profunditatem, quâ, ut ait D. Bernardus, sedentibus in tenebris, & umbra mortis obtinuit Redemptionem, contemplandam accedamus. Hæc sanè tanta est, ut ad ipsum terræ centrum, ad Purgatorium, ad Inferos usque pertingat, ac penetret, animasque illas teterrimis carceribus detentas, acerbissimis cruciatibus excanificatas, & præsentiâ suâ, Angelorumque ministerio blandissimè consoletur, & tandem inde, velut potentissima Domina, totiusque Vniversi Regina, necquicquam stygijs illis larvis frementibus eripiat. Si enim, ut ait Salomon Prov 10. *Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur:* Quantò magis amicissima &

Misericordiæ B.V. profunditas penetrat ad Purgatorium usq; & ad Inferos.

 ama-

M. fidelis amica in angustijs Purgatorij.

M. Matris affectum erga animas in Purgatorio ostendit.

amabilissima Virgo animas sibi addictas, eo potissimũ infœlicissimo tempore diliget, dilectionemque suam opere comprobabit, cùm eas tam atrocibus purgatorij ignis flammis amburi, tam crudelibus supplicijs mactari perspicit? Tunc tunc tantis in angustijs, tantis in calamitatibus, ac doloribus nostram Matrem pijssimam se esse comprobat, tunc ei cor velut cera, illorum tam acri incendiorum igne quodammodo liquescit, tunc omnia ipsius pietatis effusissimæ commoventur viscera; tunc affectum illum, quem Mater aliqua, dum Filium in fornace, ignes horribiles, flammamque vomente ardentem conspicatur, ostendit. Si enim vera est sententia Sancti Cyrilli dicentis: Mallet quilibet viventium, usque ad finem mundi, omnibus semel exercitari pœnis, quas omnes homines ab Adam hucusque tulerunt, quàm uno die in Purgatorio morari; quo tandem animo Matrem misericordiæ in nos esse oportebit, dum nos tantis, tamque intolerandis cruciatibus (de quibus Anselmo teste to. 3. in Elucidario minimum majùs est, quàm maximum, quod in hac vita excogitari potest) vexari animadvertit?

Pœnæ Purgatorij quam horribiles.

Animabus Purgatorij apparent Angeli & Sancti, quos in vita coluerunt.

148. Si idem S. Anselmus ibidem dixit: *Animabus dum Purgatorijs ignibus torquentur, apparent Angeli, vel alij Sancti, in quorum honore aliquid egerunt in hac vita, & aut auram, aut suavem odorem, aut aliquod solamen eis impendunt, usque dum liberati introibunt in illam aulam, quæ non recipit ullam maculam;* quantò magis Misericordiæ Mater fidelium suorum clientulorum animabus dum igneis illis, obscurisque detinentur ergastulis, sese identidem spectandam exhibebit, suâque luce clarissimâ, velut Aurora tenebras illas irradiabit, ardores illos, pietatis rore mitigabit, vultusque sui serenissimi aurâ, favonijsque incendia illa temperantibus afflabit benignissimè, odoreq; unguentorum, vestimentorumque suorum, quæ super omnia redolent aromata, eos suavissimè recreabit, cœlestibusque explens solatijs refocillabit, omnia denique veræ, ac optimæ Matris, si unquam aliàs, pietatis, charitatisque illis exhibebit obsequia?

M. animas Purgatorij suo aspectu, virtutumque odore recreat.

M. est Mater omniũ qui sunt in Purgatorio.

149. Sed de his ipsam misericordiæ Matrem, quid ipsa de se dicat, audiamus lib. 4. Revelat. S. Brigittæ cap. 138. *Sum Mater omnium qui sunt in Purgatorio, quia omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis suis, in qualibet hora propter preces meas quodammodo mitigantur. Ita placet DEO, ut aliqua ex his pœnis, quæ debentur eis de rigore iustitiæ Divinæ minuantur.* Et lib. 1. Revel. cap. 9. eadem Virgo Nomen suum, ait, animabus Purgatorij esse Verbum solatij. *Hoc Nomen*, inquiens, *cùm audiunt Angeli, gaudent & reddunt gratias DEO, qui per me, & mecum talem gratiam fecit, eò quod vident humanitatem Filij mei in Deitate glorificatam. Illi qui in Purgatorio sunt, ultra modum gaudent tanquam æger in lecto iacens, si audierit ab aliquibus verbum solatij.* Libro autem 6. Revelat. cap. 10. sic de hac animarum Purgatorij, aliorumque peccatorum tutela gloriatur: *Ego sum Regina cœli, ego Mater misericordiæ, ego iustorum gaudium, & aditus peccatorum ad DEUM. Nulla etiam pœna est in Purgatorij igne, quæ propter me non erit remissior, & lenior ad ferendum, quàm aliter esset. Ego enim sum misericors, & à Filio meo misericordiam consecuta.* Sic Deipara.

Nomen Mariæ animabus Purgatorij est Verbũ solatij.

Pœnæ Purgatorij intercessione Mariæ fiunt remissiores.

Audiamus quid etiam ipsa Veritas dilectissimus ejus Filius dixerit de tantæ Matris pietate, apud S. Brigittam lib. 1. Revel. cap. 16. *Tu es Mater mea, tu Regina cœli, tu Mater misericordiæ, tu Consolatio eorum, qui sunt in Purgatorio, tu lætitia eorum, qui peregrinantur in Mundo, tu es Domina Angelorum, tu cum DEO excellentissima. Tu es Princeps super Diabolum.*

Dei Filius Matri dat testimonium, quod sit consolatio animarũ Purgatorij.

M. lætitia peregrinãtium in Mundo.

150. Audiamus quid D. Vincentius Ferrerius ser. 2. de Nat. B. V. dicat de solatijs, quæ Deipara miserandis illis animulis communicare consuevit. Ait igitur Vir hic Virginis studiosissimus, diem ipsius Natalem, Mundo exorientem quandam fuisse lucem, uti suprà diximus, de qua Moyses: *Et vidit DEUS lucem, quod esset bona.* Inde ubi bonitatẽ hanc lucisse Angelis, hominibus, peccatoribus, justis, &c. communicantem, & longè, latèque diffundentem deprædicasset, mox attexuit: *Bona Sanctis Patribus, quia per eam adepti sunt liberationem; Bona animabus de Purgatorio, quia per eam habent suffragium,* Sic S. Vincentius.

M. Nativitas Lux exoriens.

Lux Mariæ bona fuit animabus Purgatorij.

Audiamus denique devotissimum Thomam de Kempis lib. 1. de Discip claust. c. 14. *Quicquid habere desideras per manus B. MARIÆ humiliter roga, quia per eius gloriosa merita iuuantur, qui in Purgatorio sunt, & in terra. Securè ergo fidelitati eius te committe, cuius orationes DEO sunt acceptæ.*

151. Qua-

151. Quapropter D. Bernardinus Senensis Tom. 3. ser. 3. art. 2. cap. 3. cùm Virginei Nominis significationem, ac excellentiam esset contemplatus, dixissetque MARIAM, significare Dominam, & hoc Nomen illi per antonomasiam convenire, Dominiumque ejus non solum ad cœlum usque; totoque terrarum Orbe diffundi, verùm etiam abyssum Inferni penetrare, mox verba illa Eccli. 24. in persona prolata Virginis: *In fluctibus maris ambulaui*, expendens, intulit: *In Regno etiam Purgatorij Dominium tenet. Pœna siquidem Purgatorij, ideò dicitur fluctus, quia transitoria est. Sed additur: maris; quia nimium amara est. Et ab his tormentis liberat B.V. maximè devotos suos. Et hoc est quod ait: Et in fluctibus maris ambulaui, scilicet visitans, & subveniens necessitatibus, & tormentis devotorum suorum Imò & omnium qui ibi existunt, quia Filij eius sunt, cùm sint filij gratiæ, & in gratia confirmati, atq; de gloria certificati.*

Pœnæ Purgatorij sunt fluctûs amari Maris, quos Maria sua visitatione temperat.

152. Hoc agnoscens Bernardinus Bustius Par. 12. Marial. serm. 1. de Coron. B. V. in Virginea illa Corona Stellarum duodecim, undecimam DEIparæ Stellam esse dixit; animarum contra ignem Purgatorij refrigerationem. De qua sub Petræ Symbolo loqui visus est Hier. 18. v. 14. cùm ait: *Nunquid de Petra agri deficiet Nix Libani?* quasi diceret: Non est possibile, ut de hac Petra agri, sive deserti, de qua ad nos liberandos, missus est Agnus Dominator terræ, pro nobis in Sacrificium, immolandus, deficiat nix Libani, gratia nimirum candidissima Virginis, quâ refrigerantur, purificantur, ac instar columbæ dealbantur animæ, post suum ex hoc corporis ergastulo abscessum, in Purgatorio. Quare quisquis Purgatorij pœnas ignis evadere desiderat, dum adhuc in hac vita degit, ad Virginis præsidium, intercessionemque confugiat. Si enim Petrus Blesensis lib. de Confess. postquam præmisisset: *Quod non purgaueris in præsenti, in igne Purgatorij purgaturus est DEVS;* tria dixit, à DEI misericordia nobis assignata esse Purgatoria; *nempè cordis contritionem, oris confessionem, carnis afflictionem; moxq; subtexuit: Hæ sunt civitates refugij;* quantò magis ab horribilibus illis flammis Purgatorijs, Virgo Beata erit Civitas refugij mortalibus universis? nosque à tam acerbis calamitatibus proteget, atque tutabitur?

Refrigerium animarum Purgatorij, est Stella in Corona B.V.

M. Civitas refugij, à flammis Purgatorij.

153. Et licet gloriosissima DEIpara nostra quocunque tempore promptissima sit ad opem, misericordiamque suam in tantis, tamque acerbis cruciatibus, ac tormentis constitutis impendendam; sunt tamen quædam tempora, quibus, peculiari quâdam ratione pietatis suæ viscera ipsi collibitum est reserare. Ea, quantum ex Authoribus fide dignis potui comprehendere, sunt potissimum dies Virgineæ in cœlos Assumptionis, dies Dominicæ Nativitatis, ac gloriosissimæ Salvatoris Resurrectionis. Et quod attinet ad triumphalem DEIparæ in cœlos abitum, sanè Ioannes Gerson Parisinus Cancell. Tract. 4. in Magnific. ait Filium in nova illa Matris suæ, totius universi Reginæ, ad cœlos ascendentis coronatione, ex Purgatorio multam secum duxisse captivitatem, quo toti Curiæ cœlesti gloriosior triumphus, gratiusque exhiberetur spectaculum: *Non est quidem incredibile*, inquit, *Christum fuisse, cuius currus erat decem millibus multiplex per Angelos ducens secum multam ex Purgatorio captiuitatem, ob honorem nouæ Coronationis illius, quæ Regina est misericordiæ, Domina gratiæ, & Mater misericordiæ; sub cuius imperio sunt omnia iura Regnorum, ut in eius Nomine flectatur omne genu cœlestium, terrestrium, & Infernorum, quamvis aliter ad Filium benedictum, qui tamen subditus illi esse dignatus est.* Idem penè asseruit Raulinus Tomo 2. de Sanctis ser. 45. *Piè creditur*, inquiens, *DEI privilegio in Virginis Assumptione evacuatum esse Purgatorium: Dum enim Princeps coronatur, aperiuntur carceres; quantò magis in coronatione Deiparæ?* Vnde Franciscus Mayronius illuminatus Doctor ser. de Assumpt. asserit in fœlicissima illa suâ ad cœlos profectione, DEIparam quamplurimarum animarum ex Purgatorijs illis flammis, à dulcissimo Filio suo obtinuisse liberationem, & reliquis, quæ ibi remanserunt, (si tamen aliquæ residuæ fuerunt) ipsius intercessione mitigatas fuisse pœnas. Addit denique diebus singulis, & præsertim festis omnibus ipsius honori sacris, multas animas, ac præcipuè illas, quæ ejus cultui, peculiari ratione erant addictæ, ex ardentissimis illis ergastulis eripi, ejus intercessione consuevisse. Inter reliquas enim gratias, ac favores, quos Virgo sanctissima ex hac vita migratura postulavit, & obtinuit à Filio, pijssimus Bernardinus de

M. in sua Assumptione, die Nativitatis Domini & Resurrectionis animas potissimũ ex Purgatorio liberat.

M. in cœlum ascẽdentem multa millia animarum ex Purgatorio liberata, sunt comitata.

In Pervigilio Assumptionis B. V. evacuatum fuisse piè creditur Purgatorium.

M. diebus singulis, & festis sibi præsertim dicatis multas animas ex Purgatorio liberat.

de Bustis Par. 11. Marial. ser. 1. de Assumpt. ait fuisse hanc; ut nimirum non cerneret Cacodœmonem, utque omnes, qui erat in Purgatorio, à pœnis in suo obitu eriperet.

M. moriēs petijt à Filio, ut omnes qui erant in Purgatorio liberarentur.

154. Ad hæc omnia quæ diximus confirmanda, memorabile B. Petrus Cardin. Dami. lib. 3. Epist. Epist. 10. Archiepiscopo cuidã scribens, recenset exemplum? Nocte nimirum Assumptionis Deiparæ in ejusdem Templo ad Capitolium sito, visam fuisse fœminam quandam nomine Maroziam, quæ jam annum integrum è vivis excesserat, quæsitamque à sua Commatre quomodo illi esset; respondisse: *usq; hodie non levis me pœna constrinxit, quia videlicet, per lasciuia petulantis illecebras cum coætaneis me puellis in tenera adhuc ætate fœdaui, & hoc ipsum, prô dolor! oblinioni quodammodo tradens, Sacerdoti quidem confessa fui, sed iudicium non accepi. Verùm hodie Regina Mundi pro nobis preces fudit, meq; cum multis alijs de locis pœnalibus liberauit, tantaq; multitudo per interventionem eius hodie est de tormentis erepta, vt numerum totius Romanæ Plebis excedat. Vnde sacra eidem Dominæ nostræ gloriosæ dicata passim loca visitamus, actionesq; illi gratiarum pro tantis misericordiæ beneficijs, alacres exhibemus.* Concludit tandem Vir sanctissimus totius hujuscé rei gestæ seriem, his verbis: *Vbi notandum, & non leviter expavescendum, quia de peracta culpa, quam præfata Mulier oblinioni tradiderat, usq; ad interuentum intemeratæ DEI Genitricis supplicia perferebat.*

Marozia liberatur ex Purgatorio cum ingenti multitudine animarum à B. V. in sua Assumpt.

155. Alia duo tempora, quibus pientissima misericordiæ Parens in luctuosis illis Purgatorij carceribus admirabiles solitæ suæ pietatis effectûs solet exercere, indicat Dionysius Carthus. ser. 2. de Assumptione; ubi ad finem sermonis duorum Sociorum admodum familiarium pertractat exemplum, quorum alter cùm die festo Sanctorum omnium è vita migrasset, & Purgatorij ignis cruciatibus esset addictus; Sociusq; assiduo mœrore, lacrymisq; tabesceret, nec ullas pro anima Sodalis preces ad Deum funderet, tandē post Dominicū Natalem ei se videndū exhibuit, multūq; quæstus de ipsius in orando pro se negligentia: *Ecce*, inquit, *Beatissima Virgo Maria singulis annis in festo Natiuitatis Christi ad Purgatorij loca cum multitudine Angelorum descendit, multasq; inde animas eripit, inter quas meam etiam, tuis precibus fretus, futuram sperabam, sed secus accidit. Cùm igitur proxima Dominicæ Resurrectionis nocte rursus ad Purgatorium pro animarum reductione sit descensura, eò quod nocte illa Christus Sanctos de Limbo eduxit, rogo te ne cesses pro me lacrymis exorare, ut me illâ nocte dignetur eripere. Scies porrò te exauditum, si tibi ultra non apparuero; Atq; ita ultra non comparendo, gloriosæ Virginis misericordiâ, ac meritis, tantis se ereptum esse cruciatibus, Socium reddidit certiorem.*

Exemplū de duobus Socijs quorum alter moriens Purgatorio detentus orationes ab altero petijt.

Die: Dominicæ Resurrectionis precibus B. V. quidā ex Purgatorio liberatur.

156. Neque verò Mysterio carere censendum est, quod Deipara sanctissimis illis diebus Natalis, ac Resurrectionis Dominicæ potissimum ad piaculares illos carceres descendere, miseras illas animas inde creptura, dignetur: Cùm enim die illo Salvatorem pariendo, omnes quoque fideles quodammodo in ipso pepererit, dignum censet Mater benignissima, ut ijdem fideles, pœnis illis tam acerbis erepti, sibi velut filij, Filio velut fratres aggratulentur, cœlestibusque Angelorum associati Choris gloriam in altissimis Deo, perennesque laudes modulentur. Et quia dilectissimus ejusdem Virginis Filius triumphum Matris in cœlos proficiscentis, longâ captivorum è Purgatorijs ignibus ereptarum, uti diximus, pompâ, decorare voluit, dignum censuit, ipsa quoque gloriosissimam ejus anastasim, animarum tantis supplicijs liberatarum cohortibus, tanto Triumphatori applaudentibus, cohonestare, ut ita toti Mundo ostenderet, quemadmodum ipsa suum generando Filium, innumeros adoptionis Filios cœlo generavit, sic quoque dilectissimum suum Filium, novâ illâ suâ regeneratione, novos Filios, beatissimis illis Mentibus associandos, ad earum instaurandas ruinas, generasse.

Cur B. V. die Natalis Domini, & Resurrectionis animas ex Purgatorio liberet.

157. Innumera alia recenseri possent exempla, quibus misericordia Deiparæ in eripiendis animabus ex ultricibus illis flammis celebratur, illud unicum attexuisse sufficiat, quod Valerius Venetus in suo Prato florido Par. 2. lib. 3. cap. 109. recenset de Ducissa Brabantiæ Philippi Regis Francorum Filia: Hæc cum gravi morbo affixa lecto detineretur, rogavit S. Luthgardem per literas, ut pro se Dominum deprecaretur. Officium charitatis, sancta Virgo mox lubens impendit. Sed cùm à Domino percepisset brevi illam, ex hac vita migraturam, Ducissam monuit, ut ad mortem piè oppetendam sese Sacramentis

Ducissa Brabantiæ à B. V. è Purgatorio liberatur.

ritè

ritè muniret. Paruit illa, & paucis diebus exactis, armis cœlestibus instructa cum morte fœliciter conflixit, spiritumque suum Creatori reddidit. Post mortem tandem Beatæ Luthgardi apparens, recensuit, quam citò à flammis Purgatorijs fuerit absoluta, ope Virginis, cui plurimum varijs pietatis, operibus, ac precibus, præsertim verò ejus recitando Rosario assiduè deserviens fuit addicta, cùm aliàs aliquot annis, ob maculas levium quorundam peccatorum nondum ritè expiatas, in pœnis illis ei fuisset commorandum. Addidit insuper neminem malâ morte, absque confessione mori posse, qui se clientelæ, patrociniòque Matris misericordiæ addixit; Eandemque assiduè pro ijs apud Filium intercedere, qui ipsi in texendis Salutationum Angelicarum corollis studium, operamque diligenter impendunt, quos illa, gratitudinis memor, quam celerrimè, suâ intercessione apud Filium è carceribus Purgatorijs ereptos, in cœlestem transfert beatitudinem.

M. assiduè pro illis apud Filiū intercedit qui recitant devotè Rosariū

158. O quam præclarè Hugo Cardinalis de S. Charo, de hac Virginis pietate undequaque, usque ad centrum terræ diffusa pronunciavit super Canticum B. V. *Ad MARIAM respiciunt, & qui habitant in cœlo, & qui degunt in Inferno, id est, in Purgatorio, & qui habitant in Mundo: Primi, ut resarciantur; Secundi, vt eripiantur; Tertij, vt liberentur.* Quam præclarè etiam Rutilius Benzonus Lauretanus, ac Recinetensis Præsul Religiosissimus in Cant. Magnif. lib. 2. cap. 22. Dub. 7. edixit: *Qui in Purgatorio degunt maximam spem in intercessione B. V. ad Filium, ad quamprimum terminanda supplicia, habere, nemo dubitare potest. Sicut etiam qui erant in Limbo ad MARIAM, vt eorum Liberatricem, & Advocatam suspirabant.*

Omnes creaturæ Mundi respiciunt in B. V.

159. Verùm quod omnem humanam superat cogitationem, mentesque mortalium omnium reddit attonitas; illud est; quod misericordia Virginis ad ipsos etiam ad æternas Gehennæ flammas, ac incendia damnatos sese extendat, ipsumque Inferni penetret Barathrum, die præsertim gloriosissimæ ipsius in cœlos Assumptionis, quo cruciatus, ac tormenta infœlicium damnatorum, quodammodo, ejus imperio suspendi consueverunt, ita ut Tartarei illi Carnifices, ac lanij eos excarnificare more sibi consueto minimè audeant.

Damnatorum supplicia die Assumptionis B. V. suspendi dicuntur à SS. Ildephonso & Odilone.

Audite S. Odilonem Cluniacensem ser. de Assumpt. hoc asserentem: *Dicam aliquid plus, si audeo, dicam fideli præsumptione, dicam piâ temeritate. Totus Mundus hodie condignâ iubilatione lætatur, & gaudet. Tartarus tantummodo ululat, fremit, & submurmurat, quoniam gaudium, & lætitia huius diei claustris Infernalibus occlusis, aliquod remedium, & refrigerium præstat. Non audent, vt opinor, ministri Tartarei hodie attingere reos captivos, quos recolunt redemptos ipsius sanguine, qui pro Mundi salute nasci dignatus est de Virgine.* Ita S. Abbas.

Eadem prorsus verba, eandemque sententiam recitat S. Ildephonsus Archiep. Tolet. ser. 5. de Assumpt. B. V. ubi ad marginem Auctor Bibliothecæ Sanctorum Patrum Tom. 9. addit hæc verba notatu digna: *Prudenter lege; nihil enim affirmat*; pro certo videlicet, loquens pro suo in Virginem affectu. Idem fortasse dicere voluisse, visus est Rutilius Benzonus Recinentensis Episcopus in Psal. 86. cap. 32. & Iacobus Corenus lib. 1. cap. 13. cùm dixit: *Quantitas pœnæ damnatorum ex DEI misericordia & intercessione B. MARIÆ Virginis citra condignum taxatur.*

Damnati i Inferno, intercessione B. V. citra condignum puniuntur

160. Vnde eadem Virgo gloriosissima, pro insigni sua, quâ in omne genus hominum affecta est pietate, revelavit sanctæ suæ Brigittæ in Revelat. Extrav. c. 89. peccatoribus damnandis solitam esse vitam citiùs abrumpere, ne longiorem vitam ducendo, & peccata peccatis accumulando majores cruciatûs, ac tormenta in Inferno patiantur. Quid? quod etiam in hac vita Virgo benignissima vetat Dœmones, ne peccatores, commissis jam sceleribus crucient, id facturi sine dubio, pro sua in ipsos, post perpetrata crimina, potestate, ac innatâ feritate, ac rabie, nisi Virgineum vererentur imperium. Eosdem quis etiam prohibet Cacodœmones, ne peccatores in Inferni Barathrum, mox ut DEUM offendêre, detrudant, nisi misericordia Virginis?

Damnandis B. V. abbreviat vitam, nè magis in Inferno cruciétur.

B. V. prohibet Dęmones, nè homines commissis peccatis crucient: & ad Infernum pręcipitent.

161. Nimirum Terra est Deipara, quæ ut ait Richard. à S. Laur. lib. 8. nobis & abysso interponitur, quâ subtractâ sicut Core, Datham, & Abyron Num. 16. descendimus in Infernum viventes: sic subtracto nobis adjutorio MARIÆ statim labimur in peccatum, & inde in Infernum. *Terra nobis est*, ait idem Richardus, *quia per peccatum cadentes nos suscipit*, &

B. V. est Terra quæ inter peccatores, & Infernum interponitur, nè præcipitemur in illum.

& ad surgendum adiuuat. Vnde de Seruo ipsius dicitur: Cùm ceciderit, non collidetur, qui supponit manum suam Psal. 36. & Apoc. 12. Adiuuit terra Mulierem, animam videlicet fidelem. Ideò oranda iugiter: succurre cadenti. Manibus porrò bonorum operum, ad honorem eius factorum, pedibusq; Sanctorum affectuum, terra nobis obnitendum est, ut surgamus. Id si præstemus, dubiò procul abhorrentes peccata assurgemus, dignique reddemur, ut nos Virgo in hac vita velut terra, Mater omnium benignè ferat, nec nos in Infernum præcipitari permittat. O si hæc Mater misericordiæ mihi, atque unicuique clienti suo, eam concederet gratiã, ut priusquàm, in lethale, aliquod peccatum prolabamur, Divinumque offendamus Numen, reique æternorum Tartari suppliciorum constituamur, nos quantocyus in gratia DEI constitutos, è Mundo tollat, vitamque hanc miserabilem abrumpat.

Roganda B. V. ut nos potiùs ex hac vita tollat, quàm peccemus

162. Ex hactenus dictis facilè colligimus, quânam ratione profunditas MARIANæ misericordiæ Inferna penetret, miseriamque illarum animarum, quoad fieri potest amoliri contendat, quamq; verum sit illud, quod ipsa apud Eccles. 24. pronunciavit: *Profundum abyssi penetraui.* Ad quæ verba S. Bernardin. Senensis ser. 3. de Nom. MARIÆ art. 2. cap. 2. *B. V. dominatur in regno Inferni. Non enim tantum dominatur Dæmonibus, qui in ipsius Inferni superficie sunt, nec tantum mediocribus, qui quasi sunt in medio, sed ijs maximè qui sunt in profundo. Vnde non ait: Penetraui superficiem, seù medium, sed profundum abyssi. Proinde competit ei Nomen Domina; secundùm enim Catholicon & Papian, Domina vel Dominus dicitur quasi, domans manûs, quia ipsa domat Dæmonum manûs, ac potestates, ne nimirum in animas ad libitum sævire possint.* Sic ferè Bernardin.

M. Domina est in profundo etiam Inferni.

163. Atque ita Virgo signa quædam, ac prodigia suæ misericordiæ edit non modò in excelsum suprà, nobis portas reserando cœli, verùm etiam in profundum Inferni. Et hanc ob causam illam fortassis S. Ignatius Martyr cœleste prodigium, sacratissimumque spectaculum appellavit. Hoc cœleste misericordiæ signum olim in antiquo testamento cupiebat Dominus DEUS, ut populus Hebræus in Persona Achaz Regis impijssimi, instantissimis votis, ac precibus à DEO postularet, quo tandem cœlorum, adamante ligatæ fores aperirentur, Inferni que claustra suos captivos per tot sæculorum myriades redderent: *Pete,* inquiens, *tibi signum à Domino DEO tuo in profundum Inferni, siue in excelsum supra.* Isa. 7. Et quia noverat Rex Idololatra signum hoc in magnam Divini Numinis redundaturum gloriam, postulare recusavit; Cui mox Propheta: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet & pariet Filium.*

B. V. est nobis Signum & Prodigiũ misericordiæ reserando cœlum.

Signum ergo, miraculum, ac prodigium pietatis, ac misericordiæ est tam Mater, quàm Filius sive in cœlo sursum, sive in profundum Inferni deorsum. Signum, inquam, summâ nobis animi veneratione colendum. De quo præclarè more suo Gverricus Abbas ser. 3. de Annunc. *Signum,* inquit, *quod illi recusârunt, nos fide plenâ, ac veneratione devotâ suscipimus, agnoscentes Filium quem concipit Virgo; in profundo Inferni signum nobis esse liberationis & veniæ: in excelsum supra, signum & spem exaltationis & gloriæ. Qui enim primùm descendit in inferiores partes terræ, ut in sanguine testamenti sui extraheret vinctos de lacu, in quo non est aqua, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia.* Et paucis interjectis: *Quicquid,* inquit, *garriat impietas infidelium, nobis concipiat & pariat Virgo Filium, nos quippè signum habemus in bonum etiam Matrem & Filium. Nobis planè Mater tota miraculum est, quæ singulariter, & sine exemplo Mater est, & Virgo. Nobis Filius totus miraculum, qui non solùm singulariter, sed & incomprehensibiliter DEVS est, & homo.* Hactenus Gverr.

M. Signũ est nobis in Inferno liberationis, & veniæ.

M. nobis tota miraculum est.

Ex quibus sanè facilè cognoscimus non modò Filium, verùm etiam Matrem ipsam, infinitâ suâ, immensâque quâdam pietate miraculum, ac prodigium nobis in Inferno esse, ut pientissimus loquitur Abbas; liberationis & veniæ: & in cœlo in excelsum supra, signum, ac prodigium nostræ exaltationis, & gloriæ. Ipsa siquidem cœlorum effecta fenestra, ac porta, exportando nobis gratiam, & importando nos pariter in gloriam, ut ait S. Antoninus, id omninò præstare videtur, quod S. Genoveva, quæ ad Francorum Regem, ut scribit Bonfinius lib. 5. Deca. 1. pro nonnullis capitali supplicio damnatis intercessura adveniens, foresque Regij palatij obseratas reperiens, solo manûs attactu nullâ difficultate reseravit.

S. Genoveva miraculosè aperit Regis obseratas fores.

164. Neque verò censendum est DEIPARAM dum in terris inter mortales dege-

degeret infinitâ hac, immensâque præditam fuisse misericordiâ, siquidem de illa S. Ignatius Martyr scribens ad Ioannem Apostolum: *Miseris*, inquit, *& afflictis condolet coafflicta & subvenire non pigrescit, & apud fideles, omnium operum pietatis est ministra.* Eadem & multò majori modò in cœlis degens, nostrasque miserias, calamitatesque clariùs in verbo intuens, pietate instructa, ampliori longè eisdem compatitur affectu, easdemq; prorsus, excellentiori cum perfectione, altitudinis, latitudinis, longitudinis, ac profunditatis, retinet dimensiones.

M. in hoc Mundo omnium operum pietatis fuit ministra.

M. in cœlis perfectiorem misericordiam consecuta.

Tanta est denique Virgineæ hujus misericordiæ ubique immensitas, ut tota sit in uno loco, & tota in qualibet parte. Ita tota in justis, ut alibi adesse minimè videatur; ita in peccatoribus tota, ut in justis vix sibi quodammodo reliquisse domicilium censeatur. Quod universim nobis clarè B. Petrus Cardinalis Damiani serm. 1. de Nat. B. V. indicavit, cùm ad finem sermonis verba illa enuclearet Sponsi *Revertere, revertere Sulamitis: Tu benedicta, & superbenedicta revertere primò per naturam: nunquid quia ita Deificata, ideò nostra humanitatis oblita es? Nequaquam Domina. Scis in quo discrimine nos reliqueris, ubi jaceant, quantum delinquant servi tui, non enim convenit tanta misericordia tantam miseriam oblivisci, quia etsi subtrahit gloria, revocat natura; non enim ita memoraris justitiæ DEI solius, ut misericordiam non habeas, neq; ita es impassibilis, ut sis incompassibilis. Naturam nostram habes, non aliam; & justum est, ut de rore tantæ pietatis diffusiùs infundamur.*

M. etsi Deificata in cœlis, non est tamen nostræ Naturæ oblita.

M. Naturā habens humanam, nostris miserijs cōpatitur.

165. Divus quoq; Augustinus sermone 35. de Sanctis, Virginis gloriam, beatitudinemque contemplans, confidit eam modo ampliori miserationis affectu nostras miserias commiseraturam: *Has*, inquiens, *tuas fœlicitates possidens, convertere ad nostrarum miseriarum salutem.* Tandem hortatur universos ad implorandum in tantis mundi miserijs patrocinium Virginis: *Inter has igitur Fratres, cum toto mentis affectu B.V. nos intercessionibus committamus, ut ipsa nos, sedula prece commendare dignetur in cœlis. Neq; enim dubium quæ meruit pro liberandis proferre precium, posse plùs omnibus liberatis impendere suffragium.*

166. Non minùs eleganter, ac piè S. Amadeus Lausan. Episc. Hom. 8. de laud. Virg. hanc ejus singularissimam humano generi de cœlo impensam misericordiam, solicitamque describit vigilantiam; causam etiam tam insignis pietatis, claram nempè nostrarum miseriarum in Verbo visionem, assignat: *Adstat*, inquiens, *Beatissima singulari meritò præcipua vultui Conditoris, prece potentissimâ semper interpellans pro nobis: Illo enim edocta lumine, cui nuda, & aperta sunt omnia, cuncta nostra videt discrimina, nostriq; clemens, ac dulcis Domina, materno affectu miseretur. Non æquè, ut Dei Genitrix, sancta illa Ezechielis Animalia, quæ ante, & retro, intus, & foris, atq; in circuitu plena sunt oculis, non, inquam, æquè vident labores hominum, & dolores, casus, defectus, cœcitates, invaletudines, extrema pericula, incertos exitus vitæ; Neq; hæc valent sic examinare, examinando, cœlesti auxilio diluere, ac propulsare, ut Gloriosa. Quo enim sublimiùs immensi Regis cor aspicit, eo profundiùs Divina gratiâ pietatis afflictorum & misereri, & miseris succurrere novit.* Hæc Amadeus.

B.V. videt in Verbo nostras miserias, nobisque miseretur.

M. in nostris miserijs contemplandis magis oculata, quàm Cherubini Ezechielis.

M. quo profundiùs Cor cœlestis Regis intuetur, eò magis nobis miseretur.

167. Quamobrem Virgineæ hujus providentiæ pietatis, ac solicitudinis jam in cœlo degentis B. Laurent. Iustin. serm. de Assumpt. probè conscius, hortabatur omnes, ad ipsius Deiparæ confidentissimum refugium: *Nos igitur*, inquiens, *in hac lacrymarum exulantes valle, piâ devotione clamemus ad Virginem. Ipsam in ejus hac solennitate celeberrima prosequamur votis, comitemur canticis, laudibus efferamus, quatenus agnoscat Mater Filios; libera, captivos; delicijs cœlestibus impinguata, famelicos. Convertat misericordes obtutus suos, ad miseros; deprecetur veniam, & offensi Filij justitiam flectat ad gratiam, donec Filius, Matre pro nobis interpellante justitiam, spei præstet fiduciam, spontaneæ servitutis amorem conferat, & pium præroget, syncera charitatis affectum.* Vt verò hæc faciliùs, intercessione Deiparæ obtinere valeamus, hortatur idem S Patriarcha, ad ejusdem virtutum sanctam æmulationem: *Hoc*, inquiens, *facilè obtinebimus, si intervenientibus ejus meritis ipsius sectati fuerimus pietatem mentis, corporisq; pudicitiam, sanctimoniam vitæ, ac fraternitatis amorem. Hæc sunt quæ placent DEO, reformant mores, homines immutant, elevant de imis, & collocant in excelsis, ubi Virgo Virginum lætatur cum Filio.* Hactenus Iustinianus.

B. V. in fœlicitate cœlesti constituta, nostris miserijs magis compatitur.

B. V. Dei misericordiam impetrat, qui ipsius sectantur pietatem.

168. Hanc in Virgine jam ad dexteram Filij glorificata generis humani benignissimam agnoscens protectionem B. Andreas Cretensis Episc. ser. de Assumpt.

sumpt. sperans; longè efficaciorem futuram, ubi in cœlis ad dexteram dilectissimi sui consederit Filij, gratiosè illi hinc in cœlos abitum suadebat: *Abi*, inquiens, *in pace, placa Dominum pro communi figmento; nam quamdiu versabaris in terra, te habuit parua terra portio; ex quo tamen translata es è terra, te uniuersus Orbis continet commune propitiatorium. O vita Suppeditatrix, & vita viuentium, & causa vitæ.*

M. Mundi commune Propitiatorium.

M. vitæ Suppeditatrix, Vita viventium, & Causa vitæ.

169. De hac pietate Deiparæ, quam nobis assiduè impendit de cœlis, confisus mellifluus Bernardus, cum gaudio ad benè sperandum omnes fideles, varijs propositis argumentis invitabat serm. 1. de Assumpt. *Præcessit*, inquiens, *nos Regina nostra, præcessit, & tam gloriosè suscepta est, ut fiducialiter sequantur Dominam serunli clamantes: Trahe nos post te, in odorem unguentorum tuorum curremus. Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater misericordiæ simpliciter, & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. Ascendens ergo in altum Virgo Beata dabit ipsa quoq; dona hominibus. Quid ni daret? Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est. Deniq; Mater est Vnigeniti Filij DEI.*

M. dandi nobis gratias, nec facultas, nec voluntas deest.

170. Hanc denique Virginis nostræ in cœlis jam degentis in universum humanum genus misericordiæ excellentiam admiratus Seraphicus Doctor Bonaventura cap. 8. Spec. eam insigni, illo Sanctæ Mulieris Ruth cap. 3. celebravit elogio: *Benedicta Filia à Domino, quæ priorem misericordiam posteriore superasti.* Tum misericordiam hanc posteriorem, quâ nobiscum in cœlis cum Filio beatè regnans sua bona communicat, obstupescens, amore, pietateque accensus Virginis exclamat: *O verè nobilissimi Regis nobilissima Filia, quæ tam multiplici interius ornata es gloria, ut verè de ea dictum sit: Omnis gloria Filiæ Regis ab intus. Ideò tanquam verissima Regis Filia ad Regnum es tracta, teste Bernardo. Tu Filia delicata, & omni gratiâ plena, charissima in delicijs tuis tracta es ad gloriam decoris tui, & in signum dilectionis, hæc benedicta Filia priorem misericordiam, posteriore superavit. Magna enim erga miseros fuit misericordia Mariæ adhuc exulantis in Mundo, sed multò major erga miseros est misericordia ejus jam regnantis in cœlo. Majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam. Vnde pro splendore prioris misericordiæ fuit Maria pulchra, ut Luna; pro splendore verò posterioris misericordiæ est electa, ut Sol. Nam sicut Sol Lunam superat, magnitudine splendoris, sic priorem Mariæ misericordiam superat magnitudo posterioris. Quis est super quem Sol non luceat? Quis est super quem misericordia Mariæ non resplendeat?* Sic Bonaventura.

Omnis gloria Reginæ misericordiæ ab intus est.

M. priorē misericordiam posteriore quomodo superaverit.

M. pulchra ut Luna per misericordiā, quam impendit dū fuit in hoc Mūdo

M. electa ut Sol per misericordiam, quā impendit jam regnans in cœlo.

171. Et verò nil nobis mirum videri debet, quod gloriosissima Deipara nostra in cœlis jam beata, & in statu illo nullius alterius boni indigo constituta, ad quem nullum malum, nulla accedit miseria, tam largam in nos assiduè exercere non dedignetur misericordiam; cùm hæc suæ pietatis exhibitio, suæque miserationis diffusio, pars quædam, si non essentialis, saltem accidentalis præcipua ipsius gloriæ in cœlis esse videatur. Cùm enim de ipsius gloria, ex cōmuni Patrum, Ecclesiæque consensu dicatur. *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea*: cùmque, Severino Boëtio teste, Beatitudo Status sit omnium bonorum aggregatione perfectus. Et perfectum à Philosopho dicatur id esse, cui nihil deest; infertur sanè Beatitudinem Virginis licet ex se, in sua substantia sit perfecta utpotè optima, desiderare tamen partem quandam aliam saltem accidentalem (cùm pars dicat ordinem, vel ad aliam partem, vel ad totum) ut omnibus numeris absoluta sit. Quam nos partem meritò diximus esse, pientissimam illam Deiparæ in mortales omnes miserationem; quâ destituta, una dumtaxat ex parte quodammodo, non autem omni ex parte beata sibi esse videretur.

Misericordiæ B. V. exercitiū est ipsius pars Beatitudinis.

Quid sit Beatitudo?

Quid sit Perfectū?

Beatitudo M. videretur imperfecta, absque misericordiæ exercitio.

172. Quod sanè in Abrahamo jam vita functo, misericordiæ laude celeberrimo S. Petrus Chrysologus ser. 121. observavit, dum verba illa Matt. 25. interpretaretur: *Factum est autem, ut moreretur pauper, & portaretur ab Angelis in Sinum Abrahæ.* Ait enim sanctissimum illum Patriarcham, pauperis illius animulæ in Sinum suum susceptione, alteram suæ beatitudinis partem fuisse consecutum. *Non immeritò*, inquiens, *suâ nunc omnes sanctos suscipit in requie, in ipsaq; beatitudine cœlesti fungitur dispensatoris officio, quia dum semper hic suscepit peregrinos, & pauperes, ipsum cum Angelis suscipere DEVM, ipsum sub tentorio suo videre hospitem meruit, quem semper habuit largitorem. Et revera, Fratres, parum se beatum credidit, si in ipsa superna glo-*

Pars beatitudinis Abrahami post mortem fuit, excipere Lazarum in Sinum suum.

Abraham parum se beatum credidit, nisi recipiendo in Sinu Lazarum misericordiā exercuisset.

gloria ab hospitalitatis pio cessaret officio, & solus donis frueretur Divinis, qui hic, humana bona si negaret, crudelem se credidit. Sic Chrysologus.

Pari ratione, tam immensam quodammodo Virginis contemplando in omne genus hominum pietatem dicere possumus, ac censere, jam illam non omni ex parte beatam sibi videri, si quæ dum in humanis degeret, omnibus suæ misericordiæ sinum aperuit, ipsumque cœlorum Regem uteri hospitio excepit benignissimè, si, inquam, jam in æterna fœlicitate constituta, à miserationis pio cessaret officio, & intra misericordiæ suæ sinum ad instar Abrahami clientulos suos non reciperet. Non sunt, non sunt ferrea, uti illius divitis Epulonis, Virginis nostræ viscera; per se ad instar ceræ liquescunt, ac fluunt. Quod si miserias nostras similes illis mendici, ac ulcerosi Lazari; quem S. Chrysologus, *ipsum pietatis conflatorium*, appellavit; intueatur uti revera in Verbo, veluti Speculo clarè intuetur, nónne pietatem ejus multò magis accendi, multò magis in totum terrarum Orbem diffluere, seseque undequaque communicare necesse est.

M. quæ cœlorum Regem uteri Virginalis hospitio excepit, jam etiam in gloria Materno sinu suscipit suos clientes.

173. Certò igitur nobis persuadeamus, tam larga, tamque effusa in mortales universos, præsertim verò suos in clientulos hujuscé Matris misericordiæ esse viscera, ut eorum miserias, universamq; ærumnarum congeriem, charitatis suæ communicatione, tollendo, partem alteram suæ beatitudinis indeptam se esse arbitretur. Ita denique in hodiernum usque diem solicitè in miserrimos mortales, eorum causas patrocinium, clientelamque in se recipiendo sese gerere, ac si absque hujusmodi miserationis, pietatisque affectu, perfectè absolutèque, omni ex parte beata, fœlixque esse non posset. Quod sanè ex naturali, benignissimaque ipsius inclinatione procedit. Quemadmodum enim beatorum animæ æterna Dei visione perfruentes naturalem ad corpus, velut compartem habent propensionem; sic benignissima Dei Mater, licet Divinam essentiam clarè videat, in eaq; omnium bonorum expleatur affluentiâ, licet Deus ipse summum bonum, illi sit pars, & hæreditas sempiterna; naturâ tamen suâ pijssimâ ita ferente, non satis se beatam arbitratur, nisi nostris miserijs ærumnisque, amplissimâ suâ misericordiâ, compatiatur, easque effusissimâ suâ tollat liberalitate, sua munera nobis pientissimè communicando; sic enim faciendo, nil se ex ijs, quæ nobis munificentissimè impertitur, amittere arbitratur. Vnde ubi Prov. 8. cap. ait ipsa Virgo: *Mecum sunt divitiæ & gloria, opes superbæ, & justitia;* Symmachus legit: *A me sunt;* quasi Sinonyma arbitrans; *Mecum sunt; & à me sunt.* Censens apud se reposita, quæ nobis suâ liberalitate impertitur. Sic nimirum locuples illa divitijs cœlestibus, passim locupletare cupit universos gratiâ, ac gloriâ immortali. Quam præclarè de hac Virgine nostra Emissenus: *Licet quicquid habuit, integrum secum tulerit, nobis tamen, si volumus, totum reliquit.* Quis igitur in omni sua necessitate, atq; egestate, quis in tentationibus, tribulationibus, ærumnisque occurrentibus ad ejus amplissimum misericordiæ sinum non recurrat? Cùm ipsi, ut loquitur Religiosissimus Thom. de Kempis serm. 5. ad Novitios Par. 3. *cura sit de egenis, & contemptoribus Mundi, & de contemptis in Mundo propter IESVM, & Evangelium Regni. Ideòq; multum est utile scire locum refugij à facie inimici, ubi protegaris à facie inimici, ubi protegaris à sagittis acutis, ubi lateas à frigoribus, & tribulationum procellis. Non est tutior locus ad latendum quàm sinus Mariæ; nec equus velocior, ad evadendum manus persequentis, quàm oratio fidei missa in Castellum Regalis Domicellæ nostræ Sanctæ Mariæ. Nam & ipse IESVS hoc Castellum intravit, sumens ex ea sacra corporis sui membra, ad Principem tenebrarum expugnandum. Intra ergo & tu sub hujus Castelli umbraculum orans die, ac nocte, ut ab omnibus malis imminentibus eruaris, meritis sanctissimæ Virginis, sub amplissimo, & pulcherrimo mantello Dominæ nostræ latitando securè. Etenim orante S. Maria omnis ruit turba maligna, juvante S. Maria evades pericula cuncta. Ibi pauper habet domicilium; ibi infirmus invenit remedium; ibi tristis accipit solatium; ibi turbatus meretur consilium; ibi destitutus acquirit juvamen. Benè tibi, & multum benè, si ita te exhibueris dignum, & obsequiosum beneplacito S. Mariæ, ut ejus gratiam obtineas in præsenti, & gloriam cum electis omnibus in futuro. Tene illam nec dimitte eam, donec te benedicat, & ad cœli palatium perducat.* Hactenus de protectione Matris pientissimæ, Virginisque misericordiæ plenissimæ Thomas.

M. non satis beatã se putat nisi nostri misereatur.

M. dona quæ nobis communicat, apud se reservata putat.

Cura est M. de egenis, & Mũdi contemptoribus.

Non est tutior locus ad latendum in tentationibus, quã Sinus B. V.

B. V. Castellum, quod Iesus intravit, ad Principe tenebrarũ expugnandum.

Securè latitatur sub pallio Dominæ nostræ.

Tenenda B. V. nec dimittenda in hac vita si velimus salvari.

174. Crediderim sanè eam mulie-

rem illam esse, de qua Sacræ literæ 4. Regum 4. cui Dominus omnia vasa non modò sua propria, verùm etiam vicinorum oleo copiosissimo replevit. Hinc S. Bonaventura in Spec. cap. 7. *Maria plena est unctione misericordiæ, plena oleo pietatis. Vnde ipsa signata est per Mulierem illam, cujus clauso ostio domus suæ, omnia vasa intus congregata, facta sunt miraculosè oleo plena. Hujus mulieris vasa sunt affectûs, & effectûs, desideria, & beneficia, quæ omnia oleo misericordiæ plena sunt in Maria. Vnde de hoc oleo S. Bernardus. Nec mirum ò Domina si tam copioso oleo misericordiæ cordis tui perfusum est sanctuarium, cùm illud inæstimabile opus misericordiæ, quod prædestinavit DEVS ante sæcula, in redemptionem nostram, primum sit in te à Mundi Artifice fabricatum. Quod autem domus, in qua vasa replebantur, clausa fuit, hoc optimè Mariæ convenit, de cujus clausura Ezechiel: Porta hæc clausa erit, & non aperietur. Porta Mariæ clausa fuit sera Virginali, vir non transivit per eam amplexu maritali, Dominus DEVS egressus est per eam, nativitate singulari. Per vasa illa porrò vicinorum, omnes signari possunt, qui plenitudinis misericordiæ Mariæ sunt participes. Qui autem illi sint B. Bernardus declaravit: Maria omnibus sinum misericordiæ aperit, vt de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam.*

M. est Mulier illa, quæ oleo misericordiæ etiam vicinorum implet vasa.

M. omnibus sinum misericordiæ aperit.

175. Quare idem S. Doctor Seraphicus sapienter tandem omnes ad ejus misericordiam implorandam hortatur: *Dicamus ergo charissimi, dicamus MARIÆ:* inquiens, *Date nobis de oleo vestro. Petamus oleum eius misericordiæ in Mundo, ne frustra petamus in iudicio.* Hoc igitur sapientissimum Sanctissimi Patris amplectamur consilium, petamus ab ea instantissimè copiosissimum hoc misericordiæ oleum, quo undique affluit, ac redundat. Ipsa enim Oliva est fructifera in domo Domini plantata, ipsa est misericordiæ Mater, cujus Nomen dulcissimum est oleum effusum toto Orbe, quod suo suavissimo odore recreat universa, dicamus illi animitus, dicamus omnes medullitus, affectu humillimo, simul, ac pijssimo: Date nobis de oleo vestro, de supereffluenti pietate, ac misericordiâ illâ, cujus altitudo, latitudo, longitudo, ac profunditas est infinita quodammodo, ac immensa. Non enim es, ut tuus loquitur Bernardus ser. de Nativitate *Virgo fatua, cui non modò non defuit oleum, sed olei plenitudo in vase uteri fuit recondita.* Hanc igitur ò Regina misericordiæ, nobiscum communicato. Diffunde, diffunde Virgo, atque longè, latèque effunde oleum tui pijssimi Nominis pretiosissimum, effice ut ipsum terræ penetret centrum, pertingat ad profundissima illa Purgatorij ignis ergastula, quibus tot animarum myriades tam acerbè cruciantur, ut odore hoc recreatæ, atque attractæ currant, volitentque post te in cœlestem curiam, atq; Paradisum.

A M. petendum oleum misericordiæ dum vivimus.

M. Nomé oleum effusum toto Orbe.

176. Ad sinum omnes tuæ pietatis, ac misericordiæ recurrimus amplissimum, sub umbra alarum tuarum protegi à justissimi Iudicis ira, sagittisque desideramus. Expande igitur, expande Domina latissimum tuæ charitatis, ac misericordiæ sinum, expande ò Regina misericordiæ immensum illud tuæ pietatis super nos paludamentum, nosque pietate tuâ protegendo, nostrarum miseriarum, calamitatumque miserere. Confidimus in te ò Mater pientissima, quod faciliùs nostris condescendes miserijs, siquidem vel ipse sexus fœmineus ad compatiendum, commiserendùmque naturâ suâ propensissimus est. Excita igitur misericordiam, pietatemque tuam Maternam, ò Virgo ad levandas, tollendasque, universas nostras miserias, respice nos benignè vultu illo tuo serenissimo. Aspectus enim tuus est unicum omnium ærumnarum, calamitatumque levamen: *Eia ergo Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte:* Illos, inquam, de quibus tuus ille dilectus Filius Martinus de Magistris sic loquitur: *Illos, quorum perspecta, & apud omnes Orbis angulos publicata miseratio est. Illos, in quos se miseri omnes devovent, quos expetunt sibi, advocant, obsecrant, obtestantur. Illos, quorum intuitus, miseriæ curatio est. Illos, qui & calamitates non prospicere, & prospectam calamitatem non excutere possunt. Sunt misericordes oculi, qui pietatis munus ad certas regiones & loca, ad certa momenta temporum non alligârunt. Illos ergo petimus, quorum non locus, non tempus, non ætas, non precandi frequentia circumscribit officia. Illos ergo misericordes oculos ad nos converte.* Tuos, inquam, illos ò Mater misericordiæ ad nos oculos misericordes, pietateque plenissimos converte, quia si priùs oculi Filij tui justissimi Iudicis nos aspexerint, cùm sint ad instar flammæ ignis arden-

Vis & energia oculorum Deiparæ.

Intuitus M. miseriæ curatio est.

Misericordia B. V. adeò universalis, ut ad nullum locũ aut tempus sit alligata.

ardentes, omniaque consumentes, timemus totale nostrum exterminium. Adeò enim horribiles, adeò sunt formidabiles, ut de illis pronunciârit Iob: *Oculi tui in me, & non subsistam.* Tuos ergo, ò Virgo beatissima, oculos ad nos converte, quia ut idem tuus Servus Martinus, te alloquens ajebat: *Sunt quidem & alij misericordes oculi præter tuos, sed tui sunt, nostri miserendo priores. Sunt tui oculi misericordes, sed nostram volumus primum, oculis tuis præueniri miseriam. Illi, ut sunt miserationum muneribus insignes, ita & summâ quâdam excellentia luce dignissimi. Illorum perspicacitatem, dignitatemq; quod ex culpis miseria nostra pendeat, formidamus, nisi tu primum humanissimorum tuorum oculorum lacrymis nos ipsa perfuderis. Nos iccircò aduocationem tuam tam deuotis expetimus affectibus, ut seuerissimi Iudicis oculis nostra paulisper non obijcerentur crimina, donec sic pijssimo tuæ pietatis intuitu, quæ pro his meremur fueris deprecata supplicia. Quod ut ipsa crebrò fecisse velis illud iterum, atq; iterum repetendum volui: Eia ergo, Aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte.*

Perspicacitas oculorum æterni Iudicis, quâ crimina nostra intuetur formidanda.

177. Non solùm oculos tuos misericordes, verùm etiam tuæ pietatis aures ad supplicationes, precesque, quibus tibi miserias nostras exponimus, benignè Virgo pientissima nobis accommoda. Quare rogamus, atque obsecramus te, sermonemque nostrum claudimus cum Servo tuo Athanasio, qui serm. de S. Deipara sic te allocutus est: *Audi Filia Dauidis & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui, neq; nostri, qui sumus de familia, & de Domo Patris tui. Parentes tui sumus secundùm generis, prosapiaq; rationem, nostraq; Filia es, quia ex nobis genita es. Decet enim te Matrem, Regeneratricem, Dominam, ac Heram cognominari, eò quod ex te prodijt Rex, Dominus, ac DEVS noster, assistentem illi, nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnemq; gratiam largienti: Quâ de causa factum est, vt gratiâ plenâ appellata sis, vtpotè, quæ omni gratiâ abundares, idq; per superuentum in te Spiritus Sancti, ideòq; vultum tuum deprecantur omnes diuites plebis, ditati scilicet huiusmodi bonis, & spiritualibus contemplationibus.*

M. Domina facta, quia fuit Mater Dei.

Ad te clamamus, recordare ergo nostri sanctissima, quæ etiam à partu Virgo permansisti, & retribue nobis pro exiguis istis eloquijs magna dona ex diuitijs tuarum gratiarum, tu quæ gratia plena es.

MEDITATIO XI.



Cum misericordiæ tuæ Virgo Sanctissima, atque pientissima sinum amplissimum, quo tuos devotos clientulos recludere consuevisti, contemplor, jure merito cum tibi addictissimo Petro Damiani ser. de Annunc. in illud Virginalis tui uteri elogium prorumpere mihi posse videor: O Sinum amplissimum, qui immensam illam Dei Majestatem sui brevitate conclusit! O Sinum diffusiorem cœlis, ampliorem terris, capaciorem elementis; qui totum clausit, omnia concludentem, in quo Deus gloriæ fuit reclinatus. Omnes enim hujuscé pientissimi tui sinus, qui Dei capax extitit, dimensiones sunt penè infinitæ, sunt immensæ, omne genus hominum, nullo habito sive proborum, sive improborum discrimine comprehendentes. Illius altitudo ad cœlum usq; protenditur. Tua siquidem misericordia, Domina nostra clementissima, clavis nobis est, Cœlorũ fores reserans, est Porta, quæ inde nobis Divinam exportat gratiam, nosque tandem importat in gloriam. Misericordia tua nobis cœli fenestra est, per illam, namque verum Divinæ cognitionis lumen Mundo affulsit, mortalesque omnes suo cœlesti jubare irradiavit.

Misericordia tua nobis scala est ad cœlum rectissima, cui subnixi ad Devm, scalæ huic innixum facillimè pervenimus. Aperi igitur nobis cœlorum fores, ut post hanc mortalem vitam ad æternam illam, beatamque ingrediamur. Emitte nobis misericordiæ tuæ lucem, ò fenestra cœli lucidissima, ut te, tuumque agnoscentes, amantesque natum illo perfrui æviternum in cœlis mereamur. Trahe nos ad te, virtute tuâ potentissima, ò Virgo, efficitoque, ut tuis virtutibus, velut scalæ gradibus insistentes, ad te, tuumque Filium in cœlesti Patria æternum regnantem perveniamus.

2. Quid porrò de latitudine pientissimi tui sinus, ò Mater misericordiæ dicam? toto terrarum Orbe diffunditur, omnes ejus partes complectitur. Tua enim misericordia Sol quidam est, qui radios suos undique diffundit in bonos, æquè, ac malos, nec est qui se abscondat à calore ejus.

Misericordia tua cœlum est, quod pluit super justos, & injustos, eosque copiosissimis donorum suorum, æquè naturalium, atque supernaturalium imbribus irrigat, atque fœcundat. Misericordia tua est nubes quædam speciosa, levis, ac roscida in tempore siccitatis, quæ tot annorum myriadibus ob Protoplastorum scelus, cœlis ad instar æris obdurescentibus, siccam, arentemque, ac sterilescentem terræ faciem, largissimis gratiarum imbribus infudit. Verè tua misericordia ò Virgo, nubecula quædam levis est, quia visa quacunque miseria nostra, mox ad eam tollendam, quam celerrimè advolat, videturque amore nostri ardentissimus quidam, fenis instructus alis Seraphinus. Videtur intus, forisque ad inspiciendas ærumnas nostras, tam internas animi, quàm externas corporis oculatus Cherubinus. Atque ita visâ, ac penetratâ, quæcunque tandem sit à tua Virginea, effusissimaque misericordiâ, calamitate nostrâ, non est possibile, quin quantocyus præsentissimum auxilium experiamur. Verè misericordia tua, ò Deipara, est illa Nubecula parva quasi vestigium hominis, quæ obserato, ob hominum infinita flagitia tribus, & ampliùs annis cœlo, ut non daret imbrem super terram Israël, copiosissimis aquarum fluentis miserrimos mortales recreavit. Misericordia tua est Probatica illa omnibus communiter patens Piscina, in qua varijs infirmitatum miserijs tam animi, quàm corporis divexati homines, mox ut aquis illis salutaribus erant immersi, sanabantur.

B. V. Misericordia est fluvius Paradisi 4. Mundi partes irrigans.

Misericordia tua denique, ò Regina misericordiæ clementissima, est fluvius ille Sabbaticus, veriùs dixerim, fluvius ille de loco voluptatis egrediens ad irrigandum universalis Ecclesiæ sanctæ Paradisum, tam largis exundans rivis, ac fluentis, ut dividatur in quatuor capita, ad quatuor universi Orbis partes, pietatis copiosissimis rivis infundendas. Infunde igitur animam meam, omniumque tuorum dilectissimorum clientum, gratiarum tuarum ubertate, ut ad tuam, tuique Filij gloriam, copiosos bonorum operum fructûs in dies singulos ferant, idque de illis dici possit, quod de Israële quondam in sua benedictione pronunciavit Balaam Num. 24. v. 5. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israël, ut valles nemorosa, ut horti iuxta fluvios irrigui, ut tabernacula, qua fixit Dominus, quasi Cedri propè aquas.* Fac, fac, ò Virgo dulcissima, ut mortales omnes, & tui præsertim fideles Servi, toto terrarum Orbe, etiam illo novo dispersi, hanc tuæ misericordiæ latitudinem longè, lateq; sese effundentem experiantur; hæc enim tua potissimum virtus nos reficit, exhilarat, liquidissimisque explet delicijs, ac voluptatibus, redditque omnes tuis in laudibus disertissimos. Verissimè enim tuus ille dixit Bernardus ser. 4. de Assumpt. *Sileat misericordiam tuã B. V. si quis est, qui inuocantem te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem Servuli tui, cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potiùs nobis ipsis. Laudamus Virginitatem, humilitatem miramur; sed misericordia miseris sapit dulciùs, misericordiam amplectimur chariùs, recordamur sapiùs, crebriùs invocamus.*

O Pater misericordiarum Deus totius consolationis, quam bonus, quam effusus es in tua misericordia erga vilissimas tuas creaturas, non tibi sat fuit, quod sis factus, ut tuus Apostolus ait, Petrus; Deus dives in misericordia erga nos, condendo cœlos, terram, universamque creaturam, amore nostri. Non sat fuit donasse nobis dilectissimum tuum Filium, qui est ipsa misericordia increata, infirmitate nostræ carnis indutum, ut ex ijs, quæ passus est disceret infirmioribus compati, ac misereri. Non Spiritum Sanctum, qui ipsa est Charitas, Bonitas, infinitaque pietas sui undequaque ad instar fluvij illius crystallini, procedentis de Sede Dei, & Agni diffusiva. Dedisti nobis etiam, dilectissimam hanc Filiam Mariam, benignissimam, pientissimamq; indolem, naturamque tuam quamplurimis virtutibus, præsertim verò misericordia in universum mortale genus, æmulantem; ita ut, sicut tuam Divinam Majestatem, Patrem misericordiarum, Deum totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra appellamus, ita illam verè Matrem misericordiæ; Divam totius consolationis, quæ in omnibus Mundi occurrentibus ærumnis, ac miserijs, præsentissimam semper nobis affert consolationem, jure merito vocitare possimus. Gratias tibi rependimus, quàm maximas animi nostri angustiæ capere possunt, ò Pater pijssime, quod viscera misericordiæ tuæ

ab

ab omni æternitate nobis patefeceris, cogitansque de nobis assiduè cogitationes pacis, & non afflictionis, pientissimam hanc tuam Filiam, æterno tuæ Divinissimæ mentis consilio nobis in Matrem misericordiæ, in Advocatam, ac Mediatricem, in Vrbem refugij, ac Turrim fortitudinis à facie inimici destinaveris.

3. Quid porrò, ô pientissima Deipara de misericordiæ tuæ longitudine ad particularem usque uniuscujusque hominis judicij diem imò ad ipsum extremum perdurante dicam? Adest nobis tua hæc misericordia in extremo illo mortis discrimine, in illo omnium terribilium terribilissimo ex hac vita transitu, expansoque illo Regio super nos paludamento à Dœmonum insidijs defendit, ac protegit.

Abscondit ab oculis nostris fugientium hostium horrificas illas larvas, retundit tentationum jacula, armat nos totos Panopliâ quâdam inexpugnabili, ut nullos Tartareorum geniorum quantumvis truculentissimos, formidemus incursus. Tu nobis hora illa formidabili es gallina congregans pullos suos sub alas, nosque à stygijs illis miluis, ad devorandas animas inhiantibus avidissimè, protegis benignissimè. Tu Aquila illa grandis magnarum alarum volitans, eo in discrimine super nos, expandis alas tuas, & fulminea oculorum tuorum acie, orci teterrimos illos tenebriones perstringens, in fugam agis: nobis contra victoriæ de illis ostendendo atque exhibendo palmam cœlestibus solatijs demulcendo pectus, in spem æternæ beatitudinis consequendæ erigis. Tu nobis velut Stella lucidissima in obscurissimis, & plusquam Labyrintheis mortis anfractibus, atque angustijs affulgescis, ita ut te monstrante viam, filumque tuæ Maternæ misericordiæ nobis porrigente, salvos nos in tanto periculo evadere sit necesse. Hoc agnoscens dilectissimus ille tuus amore tuo ignescens Seraphinus, tibi piè concinebat Psal. 69. *Domina in adjutorium meum intende, & luce misericordia tua illustra mentem meam. Illumina me Stella maris, clarifica me Virgo clarissima.* Tu ò Virgo misericordiæ plenissima in extremo illo agone, ac certamine nobis clientulis tuis in te sperantibus clypeus es inexpugnabilis adversus insidiantium aërearum potestatum jacula. Tu Clypeus, amarissimum hoc mare mortis tranantibus ad instar cymbæ cujuspiam nobis deservis, nosque in portum æternæ beatitudinis salvos, incolumesque perducis. Atque ita es in opportunitate nobis utrumque, tutissimum nempè tegmen, ac munimen contra ignea nequissima tela, sagittasque; Es Navis securissima nos ad vitam provehens sempiternam. Quis ergo suæ salutis in hac vita tam immemor vivit, qui tanta, tamque innumera in mortis hora prævidens discrimina, ad te non recurrat; te velut Filius Matrem non adamet; velut Dominam, Reginamque universorũ non revereatur, velut commune Mundi totius Propitiatorium non admiretur? Ecce Virgo clementissima coram te, me quam humillimè prosterno, me tibi totum devoveo, ac consecro, ad te in tantis Mundi periculis, carnis, Dœmonisque insidijs confugio, sub umbrâ alarum tuarum protege me, nec in tremenda illa mortis hora me desere. En ad tuos pedes provolutus tua amplector vestigia, cupiens illis, pro posse meo insistere, humilitatemque, puritatem, sanctimoniam, pietatemque tuam quoad vixero, æmulari. En ô Mater misericordiæ abyssus miseriarum, ac imperfectionum mearum invocat abyssum imperscrutabilem tuarum misericordiarum; quare te oro', atq; obsecro, ut omnes ocyus tollantur, perfectionum tuarum largissimâ communicatione, quo tibi gratior, acceptiorque evadere merear. Quæso te, summâ quâ possum animi demissione cum tuo Bonaventura Psal. 50. *Miserere mei Domina, quæ Mater misericordiæ nuncuparis, & secundùm viscera misericordiarum tuarum munda me ab omnibus iniquitatibus meis, effunde gratiam tuam super me, & solitam clementiam tuam ne subtrahas à me.*

Et quia audire mihi videor te Mater mea dulcissima peramanter postulantem. *Fili præbe cor tuum mihi*; en tibi cor meum totum offero, quod sicut fons vitæ, sic etiam fons, ac sentina infinitarum miseriarum, peccatorumque esse consuevit, de illo siquidem, ut tuus benedictus Filius dixit Matth. 15. *Exeunt cogitationis mala, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia, &c.* Concede mihi id quod idem tuus postulavit Psaltes Psal. 7. *Lava me ab omnibus huiusmodi immundicijs: Resperge*


cor

cor meum dulcedine tuâ, fac me oblivisci miserias huius vitæ. Trahe me post te vinculis misericordiæ tuæ, & fomentis gratiæ, ac pietatis tuæ, sana dolorem meum: concupiscentias sempiternas excita in animam meam, & de gaudio Paradisi inebria animam meam. Offero tibi denique ô Virgo, Misericordia mea, & Refugium meum, totam hanc animam cum suis potentijs; video omnia in illa infinitis obnoxia esse miserijs. Video maculas peccatorum in anima; in intellectu tenebras; in voluntate malitiā; depravatumque affectum, ad malum inclinationem, ad bonum renitentiam. Video aliam legem in membris meis, repugnantem menti meæ, & captivum me ducentem in lege peccati. Video appetitus sensitivi rebellionem & contradictionem cum recta ratione; animadverto in me voluntati Divinæ repugnantiam contumacem. Hæ nimirum miseriæ omnes, tam corporis, quàm animæ, velut abyssus, misericordiarum tuarum abyssum invocant, expetuntque, ut tu perfectionum tuarum largitate eas tollas, meque omni labe depuratum ante Tribunal Iudicis in judicio illo particulari mortis meæ securum constituas. Quęso te atq; obtestor, ô Virgo sanctissima, cū tuo Psalmographo Ps. 72. ut hora illa formidabili: *Avertatur à me ira DEI per te; placa eum meritis, ac precibus tuis. In iudicio assiste pro me, coram eo suscipe causam meam, & mea sis Aduocata;* atque ita efficito benignitate tuâ infinitâ, ut longitudinem tuæ misericordiæ ad Iudicium usque perdurantem lętus experiar.

4. Quid tandem ô gloriosissima DEIpara, de tuæ misericordiæ profunditate, ipsa Tartara, ipsa Purgatorij ignis ergastula penetrante dicam? Verè abyssus illa miseriarum acerbissimarum profundissima, quas animæ ibi detentæ perpetiuntur, abyssum quoque misericordiarum tuarum invocant profundissimam. Vnde tu, pro innata tibi pietate tantis suspirijs ejulatibus, ac clamoribus earum provocata, intercedis assiduè apud Filium, & velut Mater pijssima illas solaris, luce faciei tuæ, densissimas illas subinde illustras tenebras, odore aromatum, unguentorumque quibus affluis, recreas, Nomine tuo deniq; suavissimo omnes refocillas. Ingrederis denique pro potestate illa tibi cęlitus concessa, velut Domina, ac Regina quoties libuerit Purgatorios illos carceres, emittisque vinctos illos de custodijs, liberasq; de crudelissimis illis ardoribus, ac incendijs: Orci prædas diripis, Sathanæ caput velut Triumphatrix gloriosissima conteris, ejusque Tyrannidem, potentiamque in nihilum redigis. Quare te quæso atque obsecro, Heroina cœli potentissima, ut jam quoque misericordiæ tuæ profunditatem in dies singulos erga animulas illas miserabiles demonstres, visceraque solitæ tuæ pietatis illis reseres, omniqúe labe perpurgatas, Divino conspectui repræsentes.

Ostende, ostende illis misericordiæ tuæ altitudinem, ô Mater Altissimi, Scalam te efficiendo Paradisi, ut tuâ intercessione, ac patrocinio in cœlum possint ascendere, ibique benedictum Fructum illum ventris tui IESUM tecum, alijsque animabus, pretiosissimo ipsius sanguine redemptis facie ad faciem contemplari. Amen.

AVE MARIA.



DISCVR-




DISCVRSVS XII.

Quod Virgo DEIPARA imaginem Filij in se expresserit.

Candor est enim lucis æternæ. Sapient. cap. 7.

Pythagoras Aquilã albam sinu fovit.



1. SI magnus ille Pythagoras inter insignia suæ fœlicitatis sibi cœlitus exhibita argumenta, censebat illud esse non postremum, quod Aquilam candidam, summum Ethnicis Iovem denotantem, sinu suo excipere dignus fuerit habitus: quo favore, ut scribit Ælianus citatus à Causino nostro lib. 6. symb. 23. gloriabatur, se in Divinum quendam hominem, admirandâ metamorphosi transformatum, didicisse arcana quædam, sublimia, omnem mortalium intelligentiam excedentia: longè potiori jure fœlicem, ac beatam censere debemus Virginem nostram gloriosissimam, quod purissimo suo excipere promerita fuerit Sinu grandem illam Aquilam magnarum alarum Verbum æternum, quod Moyses Deut. 32. Aquilæ conferre non dubitavit: *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atq; portavit in humeris suis.*

Pythagoras Aquilæ candidæ beneficio in Divinũ hominem mutatus.

Verbum Incarnatum est Aquila candida magnarum alarum.

2. Verbum illud increatum candida nimirum fuit quædam Aquila, Aquila rarissima, Aquila unica, cui similem nunquam conspexit Orbis; Aquila candidissima atque purissima, de qua Sapientissimus Salomon: *Candor est lucis æternæ;* de cujus candore, ac puritate, sanctitate, ac sapientia, & in suæ conceptionis instanti, & Incarnatione Verbi, DEIpara mirificè participavit, adeò, ut de illa dixerit D. Bernardinus Sen. to. 4. ser. 13. ar. 2. c. 3. *Refulsit candore Divinalis Sapientiæ, cùm ipsa fuerit candor lucis æternæ, & Speculum sine macula, ac Sole speciosior. Tanto enim lumine illustrata fuit B. V. cùm etiam esset in ventre Matris, ut non tantùm plena fuerit lumine rationis, sed etiam altissimæ contemplationis, cognoscendo Creatorem, & in eo creaturas omnes.* Et Richardus à S. Laurent. lib. 5. de laud. V. *De candore Mariæ dicitur,* inquit, *in libro Sapientiæ: Candor est lucis æternæ. Quia per eam videbitur lux æterna, Pater nimirum & Filius. Cui proinde dicere possumus: In lumine tuo videbimus lumen: Hoc est, in Filio tuo, qui te illuminavit, & quem tu lucem veram peperisti.* Sic Richardus.

Filius Dei Candor lucis æternæ.

B. M. in suâ conceptiõne de candore lucis æternæ participavit.

3. Vnde quid mirum est, si Virgo sacratissima, tantâ puritate mentis, candore sanctitatis, sapientiæq; luce refulserit, cùm candidissimam illam, Divinamque Aquilam, ipsam increatam puritatem, Sinu suo recluserit Virginali? Quid mirum, si in hanc eandem Aquilam fuerit transformata quodammodo? Hanc fortasse transformationem agnoscens S. Bernardinus in cap. 12. Apoc. DEIparam Aquilam grandem magnarum alarum appellavit; Alas hasce idem ait esse; *Auctoritatem Imperatricis; Generositatem Genitricis; Puellarem Virginitatem; & singularem fœcunditatem.*

B. M. Aquila grandis magnarũ alarum.

4. Videre cupitis num in niveum hujus cœlestis Aquilæ candorem fuerit transformata DEIpara? Audite Angelicos Spiritûs Divinum hunc ejus candorem demirantes: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, delicijs affluens?* Seu ut legit Hebr. *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata?* DEIpara fuit verè dealbata, & adeò quidem, ut ejus puritatem immaculatam contemplatus Sponsus summopere sibi in eâ complacens pronunciârit Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

B.V. à Filio in ejus conceptione puritate dealbata.

5. Vt porrò intelligeremus, unde hunc

hunc mentis candorem, eximiamque puritatem in se derivârit Sponsa, mox subtexuit: *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, coronaberis.* Cùm enim Libanus candorem, seu candidationem significet; & ipse DEI Filius ipsi conferatur, ut ex Cant. cap. 5. constat, ubi Sponsa cùm Dilecti à capite ad calcem usque pulchritudinem depinxisset, quasi postremam ducendo lineam, sic conclusit: *Species ejus, ut Libani, electus, ut Cedri;* manifestum evadit DEiparam nostram, candorem illum, puritatemque tam eximiam, candidissimæ illius, Divinissimæque Aquilæ, in quam transformata quodammodo videbatur, fuisse sortitam, beneficio, totumque illum quo candicabat nitorem, ab illa in se derivasse.

Libanus candoré, seu candidationem significat.

M. candorem Aquilæ à Filio mutuata.

6. Hinc Origenes Hom. 3. in Cant. Sponsam ait candorem illum, quo pollebat, Naturamq; lilij accepisse à Sponso, cujus mores indolemque imitando, & ipsa effecta est lilium. Trutinans siquidem verba illa: *Ego Flos campi, & lilium convallium;* hæc addidit: *Cùm Flos fuisset in campo, nullum dicit ex ipso campo Florem ad imitationem sui, ac similitudinem processisse. Vbi verò factus est in convallibus lilium, continuò etiam efficitur Proxima sua, Sponsi videlicet, ejus imitatione lilium, ut opera pretium fuerit, quoniam ipse effectus est lilium, ut etiam Proxima sua, quæ ei approximat & exemplum illius, imitationemq; sectatur, lilium fiat.* Hæc Origenes de Sponsa candorem Increati illius Lilij imitante, & in se pulchritudinem ejus derivante.

M. Lilium imitatione Filij facta.

7. Et verò si Virgines sanctæ, ab hoc Divinissimo, sive lilio, sive Libano internam illam venustatem, candoremque mutuantur, ut Richardus Victorinus gravissimus Academiæ Parisinæ Theologus cap. 39. in Cant. testatur; Quantò magis purissima Virginum, Virgo nostra, & Virginum Regina quæ aliàs, ut decursu sermonis patebit evidentiùs, admirabili prorsus ratione, in se perfectiones omnes, indolemque Filij repræsentabat? Sed ipsa tanti Doctoris verba, illud elogium Sponsæ; *Species ejus ut Libani;* declarantis audiamus: *Hæ sunt Virgines decorem Christi, & similitudinem habentes. Habet enim similitudinem Christi anima, quæ habet charitatem, & pleniùs proficiens in morum correctione, pleniùs percipit. Hâc similitudine omnes boni Christo conformamur, sed specialiùs Virgines, quæ cum hac similitudine candorem, & mundiciem habent vitæ. Vnde Libano comparantur, qui Christum significat, qui candidus interpretatur. Proxima ergo est munditiâ Auctori munditiæ. Vnde quia specialem hunc decorem Virgines obtinent, benè species dicuntur. Et quia sine macula pollutionis sunt, Agno sine macula familiarius junguntur, sequuntur quoq; Agnum quocunq; iverit, & specialiter sequuntur, cui se specialiter similes fecerunt.* Prosequitur inde Vir pijssimus, aitq; in hoc Libano, Virginem ad instar cujuspiam procerissimæ Cedri exaltatam, candorem illum, puritatemq; plusquam Angelicam ab eodem mutatam fuisse Libano: *Sunt ergo,* inquit idem Richardus, *species Christi, sicut species Libani. Libanus enim est Christus, nec tantum est candidus, sed etiam candidatio; candidat enim decoratq; electos. Libanus quoque nobilium ferax est arborum. Inter eas arbores sublimior & nobilior fuit B. V. quæ exaltata est, sicut Cedrus in Libano, id est in Christo, quia non est sublimis, per seipsam, sed per Christum, & ab illo sublimata & electa, ut sic excresceret, & Creatori suo ipsa incrementum, daret. Sublimis & nobilis arbor, quæ sublimem hunc protulit fructum, DEI videlicet Filium. Deniq; ipsa Cedrus, quæ crevit in Libano, id est in Christo; & dum Christum ipsa genuit, quasi Libanum Cedrus produxit, & Mons processit ex Arbore, cùm DEVS prodijt ex homine. Hoc est novum & inauditum, quod DEVS fecit super terram, ut Cedrus proferret Libanum, Arbor Montem, Mulier circumdaret Virum, id est DEVM, & quem Mundus non caperet, hunc Virgo in utero suo concluderet.* Ex qua intima Matris, cum Filio, Aquilâ illa candidissima, unione, infert, quod licet omnes Virgines, puritate suâ Christum repræsentent, repræsentat tamen morum innocentiâ, ac sanctitate, speciali quâdam ratione DEipara, ejusque similitudinem vivam, spirantemque exprimit: *Species,* inquit, *Christi sunt Virgines. Sed B. V. specialis ejus species, quæ speciem suam nunquam per aliquod peccatum mortale, vel veniale maculavit. Vnde speciem ejus Rex cœlestis concupivit, in ea carnem sumens, ampliùs hanc speciem decoravit, quia ampliori eam gratia replevit. Mundo igitur tenebris obvoluto & deformato, adeò Solem Iustitiæ speciosum formâ, præ filijs hominum edidit, & ita lumen cœcitatis, & speciem deformitatis speciosam restituit. Ipsa igitur singulariter species Christi, præ omnibus speciosa, Christoq; simillima, non solùm speciem Christi ipsa habens, sed etiam in alijs hanc restituens.*

Virgines imitando Christum fiunt Libanus.

Virgines habent speciem Christi.

Libanus Christum significat.

Virgines, quia sine macula sunt, Agnum immaculatū sequuntur

Christus tanquam Libanus candidat, decoratq; electos.

M. Cedrus alta in Libano ob Divinam Maternitatem.

B. V. Cedrus in Libano, scil: Christo, non est sublimis per seipsã, sed per Libanum.

M. Cedrus quæ Libanum, id est Filiū Dei produxit, grandi miraculo.

M. specialiter morū puritate, ac candore Christū Libanum repræsentat.

M Mundo peccatis deformato pristinã speciem restituit.

M. specialis species & pulchritudo Christi.

M. animi pulchritudinē alijs restituit.

8. Ex

8. Ex hac tam singulari Virginis cum Christo similitudine, colligit Vir religiosissimus, Deiparam, ob immaculatam illum innocentiæ candorem, naturâ quâdam plusquam humanâ, plusquam Angelicâ, & ad limites Divinitatis, quoad humanæ naturæ fragilitas patitur, accedente, fuisse prædîtam: *Maria,* inquiens, *supra homines est, in eo quod nunquam peccatum commisit, sicut homines; inter quos nullus inventus est, qui faciat bonum, & non peccet. Supra Angelos quoque est, quia eos puritate supergreditur, dum Divinitatem, illis clariùs contemplatur. Nec tantum peccatum non commisit, sed etiam aliorum peccata delevit, quo videlicet tanto similior suo evaderet Filio. Nec solùm in se lucida fuit, sed etiam lucis radios ex se emisit, quia per eam Mundus lumen gratiæ accepit. Inter Divina & humana igitur media, & Mediatrix est Maria, vt humana supergrediatur, dum tam sublimia per Filium operatur.* Hactenus Richardus.

M. super homines est, eò quod peccatum nunquam commisit.

M. Angelos puritate superat quia clariùs Divinitatem intuetur.

M. radios ex se emittebat.

M. inter Divina & humana medium quid.

9. Quibus ex sententijs Viri Doctissimi facilè intelligimus Virginis sacratissimæ cum Filio similitudinem in eo potissimum consistere, quod sicut ille suâ sanctitate, omnis expers maculæ, in se Patris imaginem; sic Virgo candore puritatis, omni peccati labe carente, Filij repræsentavit. Vnde S. Iunilius Africanus in cap. 1. Gen. ob impeccabilitatem, Filium dixit, pronunciatum ab Apostolo Coloss. 1 Imaginem Dei invisibilis: *Dominus ipse,* inquit Iunilius, *Conditor noster natus ex Virgine, creatus incorruptibiliter, atq; incommutabiliter ad imaginem DEI, id est, immunis omnis delicti, & plenus omnis gratiæ, & veritatis.* Idem docuit S. Euthimius in cap. 1. Gen. *Anima peccatrix,* inquiens, *similitudo DEI esse desinit; & ad DEI similitudinem, nisi anima Sancta fuerit, non pervenit.* Non dissentit Doctor Angelicus, qui lect. 7. in Epist. 1. Cor. 15. explanans illud: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Quamdiu,* inquiens, *peccatores fuimus, in nobis fuit similitudo Adæ: Vt ergo possimus esse cœlestes, id est, pervenire ad vitam gloriæ, portemus imaginem cœlestis, per vitam gratiæ.*

M. Filium suâ puritate repræsentavit.

Filius Imago Patris ob impeccabilitaté.

Anima peccatrix, Dei similitudo esse definit.

10. Adamantius verò Origenes lib. 1. Periarch. c. 2. Imaginem Patris in Filio per Obedientiam, quâ in ipsius Genitoris voluntatem erat transformatus, velut in speculo repræsentari affirmavit: ideoque dixisse Filium: *qui videt me, videt & Patrem.* Sed ipsius verba audiamus: *Si enim omnia quæ facit Pater, hæc & Filius facit; Similiter in eo, quod omnia sic facit Filius, vt vult Pater, Imago Patris in Filio efformatur, qui utiq; natus ex illo est, uelut quadam uoluntas ejus, ex mente procedens.*

Filius est Imago Patris, ob voluntatis conformationem.

Ad finem verò cap. Imaginem Patris in Filio elucescere, ob virtutem creativam, quæ illi cum Patre communis est, asseveravit. Cùm enim verba illa Salvatoris expenderet: *Quoniam non potest Filius à semetipso facere quidquam, nisi uiderit Patrem facientem;* Subtexuit: *Quoniam ergo in nullo prorsus Filius à Patre, uirtute operum immutatur, ac differt, nec aliud est opus Filij, quam Patris, sed unus atq; idem, ut ita dicam, motus in omnibus est, idcircò speculum eum immaculatum nominauit, ut per hoc nulla omninò dissimilitudo Filij intelligatur ad Patrem.* Quemadmodum ergo Filius in se Paternam Imaginem partim puritate, sanctimoniâ, atque impeccabilitate, partim obediendi studio, partim imitatione operationum præ se tulit: Sic quoque Virgo Sanctissima candore Virginitatis, ac puritatis, conformatione voluntatis suæ cum Divina, præsertim in Incarnationis instanti, cùm dixit: *Ecce Ancilla Domini;* æmulatione deniq; actionum Christi, pulcherrimam quandam in se Filij Dei repræsentavit effigiem. Quæ sanè tantò excellentiùs in ipsa enituit, quantò præ cæteris mortalibus plenior gratiâ, cum Divina voluntate conformior, & studiosior Christi extitit imitatrix.

Filius Imago Patris ob virtuté creativam

Dei Filius Patris æterni Speculum immaculatũ, Patrem repræsentans.

B.V. Imaginem in se Filij, puritate, voluntatis conformatione, imitationeq; actionum ipsius repræsentavit.

11. Hinc idem Origenes Hom. 2. in Psal. 38. cùm quæsijsset, quisnam ex Discipulis Christi, Paulus, an Timotheus majoris apud Deum esset meriti, & perfectiùs in se cœlestis Adami expresserit similitudinem? Respondit, Paulum. *Quia nimirum erat vas electum, majoriq; repletum gratiâ: Intuere,* inquit ille, *Paulum portantem Imaginem cœlestis, & Timotheum. Et quid? Putamus quia similiter, ut in Paulo, ita & in Timotheo erat Imago cœlestis? Secundùm hoc præcedebat vita meritò Paulus Timotheum, & in illo major, ac splendidior refulgebat Imago cœlestis.* Sic ille.

S. Paulus sanctior, quàm Timotheus, quia Christo similior.

Atque ita quo majori anima fuerit puritate, sanctimoniâque decorata, tantò magis in illa Divinæ similitudinis splendor effulgescet.

12. Vnde idem Doctor Hom. 8 in Lucam initium illud Cantici Virginalis attentiùs contemplatus, gratiosam movit

vit quæstionem? Quânam ratione fieri possit, ut pura creatura magnificet magnum illum universorum Dominum, cui canebat David Psal. 47. *Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & magnitudinis eius non est finis.* *Quæritur*, inquit ille, *quomodo magnificet Dominum. Si enim Dominus nec augmentum, nec decrementum recipere potest; quâ ratione nunc MARIA loquitur: Magnificat?* Tum respondet: *Si considerem Dominum Salvatorem imaginem esse invisibilis DEI, & videam animam meam factam ad Imaginem Conditoris, ut imago esset Imaginis, tunc videbo ad exemplum eorum, qui solent imagines pingere, & vultum Regis v. g. accepto penicillo, ad principalem similitudinem exprimendam artis industriam accomodare. Vnusquisq; nostrum ad Imaginem Christi formans animam suam, aut maiorem ei, aut minorem ponit imaginem, vel obsoletam, vel sordidam, vel claram, atq; lucentem & splendentem, ad effigiem Imaginis principalis. Quando ergo grandem fecero Imaginem Imaginis, id est, animam meam, & magnificauero eam opere, cogitatione, sermone, tunc Imago DEI grandis efficitur, & ipse Dominus, cuius Imago est in nostra anima, magnificatur.*

Quâ ratione Deus à creatura magnificari possit?

Christianus ad Imaginem Christi animā suā efformare debet.

Cùm magnā facimus animam nostram cogitatione, sermone, opere tūc magnificamus Dominū, cuius ipsa est Imago.

13. Theodoretus ab Origene non dissentit comment. super Canticum MARIÆ, dum ait: *Quomodo anima magnificet Dominum considerandum est. Si enim dignè ad Imaginem Conditoris nostri vixerimus, & pro viribus similes nostro exemplari euaserimus, per bona opera, anima magnificat Dominum verbis, operibus, & cogitationibus. MARIÆ igitur anima magnificabat Dominum dicendo: DEVS in corpore meo mirabilia faciet, vt pollicitus est, sed anima meà non erit sterilis ergaDominum. Corporis enim fructus, non est rectè factum meæ voluntatis, sed DEI, qui mirabiliter, & supra naturam in me operatur. Oportet autem me etiam voluntatis meæ fructum afferre. Quanto enim maiori miraculo, & ministerio seruio, tantò magis debeo ego omnium prima laudibus efferre eum, qui in me operatur.* Quibus verbis indicat S. Pater, animi potissimum gratitudine, Divinisque laudibus Dominum magnificasse, grandemque ejus in se Imaginem repræsentasse MARIAM.

M. animi gratitudine potissimū Deiq; laudibus Dominū magnificavit.

14. Similiter D. Ambros. in cap. 2. Lucæ justitiâ religiosisque operibus ait ab unoquoque Dominum magnificari: *Magnificatur Dominus, sicut legimus: Magnificate Dominum mecum. Non quod aliquid humanâ voce Domino possit adiungi, sed quia magnificatur in nobis. Imago enim DEI Christus est, & ideò si quid iustum, religiosumq; fecerit anima, illa Imaginem DEI, ad cuius similitudinem creata est, magnificat. Et ideò dum magnificauit eum, magnitudinis eius quâdam participatione sublimior fit, vt illam Imaginem splendido bonorum colore factorum, ex quadam æmulatione virtutis in se videatur exprimere.* Hanc porrò magnificationem DEI, à qualibet anima posse fieri, asserit Ambrosius, dummodò in ea Spiritus MARIÆ, morumque similitudo reperiatur: *Sit in singulis*, inquit ille, *MARIÆ anima, vt magnificet Dominum; sit in singulis MARIÆ Spiritus, ut exultet in DEO. Nam & si secundùm carnem una Mater est Christi, secundùm fidem tamen omnium fructus est Christus. Omnis enim anima concipit DEI verbum, si tamen immaculata, & immunis à vitijs intemerato castimoniam pudore custodiat. Quæcunq; ergo talis esse potuerit anima, magnificet Dominum, sicut anima MARIÆ magnificauit Dominum.* Hæc Ambrosius.

Optandū ut in singulis sit Mariæ anima, ac spiritus ut magnificent Dominum.

15. Ioannes verò Gerson Cancellarius Parisinus Tract. 1. in Magnif. ait, ideò à Virgine magnificatum universorum Dominum, quia in arcano cordis illius profundè erant collocata illa Cantica: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est. Magnus Dominus, & laudabilis nimis.* Item illud Angeli: *Hic erit Magnus.* Hæc ubi præmisisset, quæsitumque esset à Discipulo de modo, quo dicatur magnificari DEUS, cùm penitus nec augeri valeat, nec minui. Respondit in persona Magistri: *Magnificatum fuisse Dominum tunc, cùm magnificam effecit Virginem, inq; sui Filij elegit Matrem: Hæsitas non intelligens scripturas*, inquit Gerson, *quemadmodum Dominus à creatura magnificatur; non in augmentum sui in se, sed quia magnus esse prædicatur, canitur & laudatur; aut certè quia magnificam facit animam, cui magna facit, qui potens est. Nam quos iustificauit, hos & magnificauit. Nunquid parum tibi videtur magnificata B. V. anima, quæ operationi supra modum magnifica fuit ansa præbere consensum? Fiat*, inquiens, *mihi secundùm verbum tuum, id est, Fiam Mater Filij, cuius Pater est DEVS. Quid excelsiùs, quid sublimiùs, & magnificentiùs potuit excogitari? Quod & vidit, cùm Propheticè subiunxit. Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Sic ille.

In corde B.V. varia Cantica Divina profundè erant radicata.

Quibus modis magnificetur Dominus.

Incarnatio Operatio supra modū magnifica, quā magna facta est anima B. V.

Quâ certè Divinæ Maternitatis dignitate, mirum quantum in Virgine DEI

Filij

M. infinitate perfectionum ad æqualitatem quandam Divinam elevata, ut fieret Mater Dei.

Filij similitudo refulsit, cùm oportuerit, ut loquitur S. Bernardinus Senen. To. 1. ser. 61. ar. 1. c. 12. Fœminam elevari ad quandam æqualitatem Divinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum & gratiarum.

16. Denique pijssimus Bathoniensis Archidiacon. Petrus Blesensis D. Bernardi Syncronus ser. 28. ait DEIparam Virginem in semetipsa Divinam illam Majestatem magnam effecisse tunc, cùm voto perpetuæ Virginitatis emisso, exẽplo ad illa usque tempora inaudito, semetipsam DEO consecravit. Vnde & Canticum illud vocat inter omnia Cantica singulare, ac novum. Quia licet, reliqua Cantica magnum prædicent Dominum, vel probent, vel ostendant, nullum tamen magnum fecit Dominum. *Quantum igitur distat*, inquit Petrus Blesensis, *operatio, ab operis commendatione, tantum & hoc Canticum à Canticis aliorum. Hic enim dicitur Dominus factus magnus; ab alijs dicitur magnus.* Tum causam scíscitatus, quâ Virgo DEUM fecerit magnum, qui in se, & ex se magnus, imò super omnem magnitudinem est; imò quæcunque maxima per eum magna sunt, & per ipsum Virgo facta est, & quicquid factum est in Virgine, &c. subjunxit tandem: *Non est facile dictu, verum est tamen, quod Virgo DEVM fecerit magnum.* Idque probat figura Throni illius grandis eburnei, à Salomone fabricati, cui simile opus non fuit in universis Regnis terræ. *Salomon*, inquiens, *quasi unus de Regibus terræ sedet, sed cùm Thronum cæteris eminentiorem conscendit, celsior est in Thronis factus. Pacificus noster usq; ad B Virginem Thronum non habuit eburneũ, id est, non insedit animæ propositum Virginitatis habenti. Per ebur enim Virginitas significatur, & sic usq; ad Virginem quasi supra communem & plebejum thronum sedebat plenus dierum. Dominus enim tunc quasi immemor Virginitatis, tanquam dissimulator cœlibatus, propagationem carnis commendabat: Crescite, & multiplicamini, &c. Prima Virgo ausa est prodire in medium, prima votum Virginitatis gloriosum sanctimoniæ munus obtulit DEO, ac si diceret. Vereris forsitan Domine agere nobiscum, qui cognoscis figmentum nostrum, consideras quia caro, & sanguis sumus, in quos fines sæculorum deuenerunt. Tamen potes, si vis reparare quod corruptum est in terris, ut repares quod supplendum est in cœlis. Qui huc usq; dixeras: Crescite & multiplicamini, & replete solum, dicas etiam Virginibus si placet: Crescite & multiplicamini, & replete polum. Tempus est, ut quo magis ad iudicium futurum appropinquas, tantò celsiùs modo sedeas. Et sic ascendens Dominus per Virginem, & in Virgine de ebore Thronum grandem, celsior factus est, secundùm Throni celsitudinem. Solus igitur Chorus Virginum post B. V. cantare potest. Magnum facit anima mea Dominum.* Hæc Blesensis.

M. voto suæ Virginitatis Dominũ magnificavit.

Præstãtia Cantici B. V.

Thronus eburneus Salomonis figura B. V.

Christus in Throno Virgineo residens, celsior factus, ubi illa votum Virginitatis emisit.

Per Virginitatem Mariæ celsior, & maior factus Dominus.

17. Ex his sanè Sanctorum Patrum expositionibus clarè perspicimus, quam præclarè DEIpara in se dilectissimi sui Filij Imaginem expresserit, siquidem puritate plusquam Angelicâ, sanctis item cogitationibus, verbis, ac operationibus uti diximus, eburneo Virginitatis suæ candore, Divinâ denique Maternitate, innumerisque eam concomitantibus cœli donis, ac virtutibus, in anima sua Divinæ Majestatis Imaginem magnam effecit, ac per consequens Filium, qui Imago est Patris; adeò, ut quicunque eam mentis, præsertim oculis contemplaretur, magnam illam, immensamque æterni Patris Imaginem, Natum ipsius amantissimum se videre arbitraretur. Hanc perfectissimam sui effigiem optabat DEI Filius in persona Sponsi, ut Mater in se exsculptam circumferret, cùm ei suadebat in Cant. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum, signaculum super brachium tuum.* Quasi diceret: Non cupio penicillo, ac coloribus mei in anima tuâ Imaginem Virgo exprimas, sic enim nunquam ejus perfectionem, pulchritudinemque, quam ego in te videre desidero, attinges. Cupio, ut interius, exteriusque me tibi velut sigillum imprimas, quo perfectior mea in te imago elucescat. Audite verba illa D. Ambrosium interpretantem lib. 6. de Sacramentis cap. 2. *Pone Imaginem meam in corde, & in brachio tuo, ut exhibeas te mihi similem.* Eadem verba idem S. Doctor luculentiùs illustravit lib. de Isaac & Anima cap. 8. *Sigillum*, inquiens, *Christus in corde est, ut semper diligamus, in brachio, ut semper operemur, ut si fieri potest tota eius species exprimatur in nobis. Ipse est signaculum nostrum, quem Pater signauit DEVS.* Signaculum verè nostrarum animarum est DEI Filius. Quemadmodum enim Pater æternâ generatione signaculum illi suæ Divinæ essentiæ, cum omnibus attributis imprimendo, fecit ut ad instar viventis, & consubstantialis perfectissimæ

M. virtutibus Imaginem Filij expressit.

Christus est signaculum animæ, eam sibi assimilans.

Christus sigillum in corde est, ut semper illũ diligamus; in brachio ut semper propter illum operemur.

Vt Pater per generationem æternam impressit Filio suã Imaginẽ; ita Filius Matri quodammodo

Imaginis a se procederet: ita Incarnatum Verbum imprimendo in Virginis animam ad instar sigilli, charitatis vi, sui Imaginem, veram quodammodò, spirãtemque sui similitudinem in illa expressit. Hoc sigillum Divinæ similitudinis in animam suam impressum agnoscens Agnes, vera cœlestis Agni Sponsa glorians canebat: *Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.*

S. Agnes signata sigillo Sponsi.

18. D. Gregorius denique sigillum hoc charitatem operativam esse docet, quâ Deus ter Opt. Max. animabus nostris sui similitudinem imprimit: *Super cor ergo*, inquit ille, *& si per brachium Sponsa Dilectus, ut signaculum ponitur, quia in sancta anima, quantum ab ea diligatur, & voluntate, & actione designatur. Signum quippè sancta mens interius, & exterius Christum portat, quia dum in eius meditatione assiduè laborat, in exteriori actione eum imitari non cessat, quo eius dilecta esse dubitari non debeat; De quo signo ipse Sponsus Discipulis suis aiebat: In hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. De qua dilectione mox subditur: Fortis est, ut mors dilectio.* Ex qua Sanctissimi Præsulis sententia colligimus, quod licet intensioribus gratiæ Divinæ gradibus hæc Divini Sigilli similitudo perfectior in animam imprimatur, affectu nihilominus charitatis benè, & sanctè operantis, sigillum hoc magis imprimitur, redditque animam longè perfectiùs, & ad vivum pulcherrimam Filij Dei Imaginem repræsentantem. Vnde cùm Diva Virgo totius vitæ decursu tantis Divini amoris flagraverit incendijs, ut velut quædam candens ignis Sphæra, ut S. Amadeus loquitur, videretur; & hæc ejus charitas nunquam fuerit otiosa, sed intensioribus, ac excellentioribus in dies actibus, majora acceperit incrementa, consequitur sanè excellentissimam in se Filij Dei speciem exsculpsisse.

Charitas operativa similitudinẽ Christi in animã imprimit.

Charitas operativa in Maria fuit excellẽtissima, quâ ipsa Filij Imaginem mirificè in se expressit.

19. Si enim, ut Guilelmus docet, Abbas devotissimus, amor Mundi, eiusdem imaginem imprimere animis amatorum Mundi consuevit, quantò magis Amor Filij Dei, quem Virgo tantopere diligebat, sui effigiem in ipsius animam expressisse, credendus est? Abbatis verba sunt hæc in cap. 8. Cant. *Et quidem homo quamdiu per amorem inhæret Mundo, procul dubio Mundum ponit super cor suum, & super brachium suum, & signaculum; & Mundo intus & foris voluntate, & opere, ut signaculo se imprimit: & quantò magis illi per amorem imprimitur, tantò magis illi conformior efficitur. Atq; ita in Mundum, eiusq; peccata, abominationesq; anima seipsam amore, transformando, efficitur revera in DEI conspectu, & ipsa odibilis, atq; abominabilis, iuxta vaticinium Oseæ cap. 6. Abominabiles facti sunt, sicut ea quæ dilexerunt.* Audite rursus eundem pijssimum Guilelmum hæc prosequentem; ubi inducit Christum animam ad hoc sigillum capescendum exhortantem: *Imprimere mihi quasi signaculo, per amorem, mihi fortiter adhærendo, ut à me quasi signaculo formam accipias, ut mea subtili expressione similitudinem trahas: quanta erit impressio amoris, tanta erit & expressio similitudinis: quantò mihi fortiùs per amorem inhæseris, tantò mihi similior eris: quantò te mihi impresseris fortiùs, tantò ego Christus formabor expressiùs, & tantò tu in me reformaberis, transformaberis insigniùs.*

Amor Mundi sui imaginem in amatoribus imprimit.

M. amore in Christum, eius Imaginẽ in se expressit.

20. Audiamus & Hugonem Cardinalem, qui sic Christum Matrem alloquentem introducit: *Pone me ut signaculum super cor tuum; volo, ut mihi soli arcanum cordis aperias, ut speciei meæ in te similitudo resultet, & ut mei character amoris, te ab omni alieno discernat.* Vt ostendat denique signaculum hoc Divinæ similitudinis, excellentissimum in Virgine ornamentum, appellat illud Monile: *Monile*, inquiens, *pectoris est signaculum cordis, ne affectio indigna surrepat.* Vnde Richardus à S. Laurentio lib. 9. de laud. Virginis eadem illa Sponsi verba trutinans, signaculum illud; Decorem, vocitavit: *Hoc signaculo impressus est ei decor Diuinæ similitudinis expressiùs quàm alicui creaturæ. Quia nimirum sicut nulla creatura ita Christi actiones imitata est, uti Virgo DEIpara, sic etiam nulla vivam eiusdem similitudinem præ se tulit.* Quod etiam intellexit Alanus, dum dixit: *Virgo MARIA Christum posuit super cor suum ut signaculum, quia ipsi per imitationem conformata est; eiusq; gratiâ consignata.*

Dei similitudo in anima est Monile ipsius & ornamentũ.

B.V. Christum, ut signaculum super cor posuit, quia ipsi per imitationem conformata est.

21. Et licet semper Deipara hoc signaculo gratiæ, Filijque Imagine fuerit consignata, nihilominus tamen in instanti potissimum Incarnationis in purissimo utero peractæ, speciale quoddam signaculum Divinæ similitudinis accepisse visa est. Dixerit illi fortassis peramanter Filius ejus in utero, velut eburneo throno residens: *Pone me signaculum super cor tuum.* Cùm enim, Divinissimo illo igne, Virginea ejus viscera per-

M. in Incarnatione similitudinem accepit Filij in se.

permeante, sanctissimæ cor Virginis ad instar ceræ fuerit liquefactum, sigillum illud Divinæ Majestatis ita ei appressum fuit, ut Imaginem sui, in illa expressam reliquerit. Quâ in re insignem Filius in Matrem dilectissimam grati animi significationem præ se tulit. Videns enim se humanitate nostrâ, de purissimis Virginis sanguinibus efformata circumdatam, eidem carni, & sanguini Matris communicasse, eique similem se in carne, consubstantialemque evasisse, sicut ante sæcula fuit consubstantialis Patri, ut ait S. Leo, ipse quoque similitudinem suæ Divinitatis ei impertiri, pro summa sua liberalitate, non est dedignatus, ita ut unus Spiritus, & una caro cum Matre esse videretur. Quâ de re rursus præclarè Richar. à S Laurent. lib. 1. de laud. Virg. c. 5. *Quando Verbum caro factum est, fuerunt B. V. & Divina Sapientia unus Spiritus, & una caro. Si enim Eua dicta est esse una caro cum Adam, quia de costa eius formata, ab eo tantum educta, & in nullo ab eo nutrita; multò meliùs dicetur caro Christi esse una cum carne B. V. quia non de costa, sed de intimis visceribus, imò de purissimis sanguinibus Virginis educta, ut ait Damascenus, & non extra, sed intra eius gloriosa viscera nouem mensibus educata. Ideò dicitur 1. Cor. 6. erunt duo, id est, Christus & Maria in carne una Virginali. Propter hanc convenientiam, multiplicemq; unionem inter Mariam, Diuinamq; sapientiam, ferè omnia, quæ de Diuina dicuntur Sapientia exponi possunt de MARIA, eiq; omnia attribuuntur. Et ideò fortè dictum ei fuit: Dominus tecum:* Hæc Richardus.

Christi & Mariæ una caro quodammodo unus spiritus

22. Ex quibus colligimus quod quemadmodum per intimam illam carnis purissimæ unionem cum Virgine, unum quid cum illa Filius extiterit, ejusq; lineamenta in se expressit, ita quoque per intimam Spiritus cum Filio unionem, liquescentibus, amoris vi, ejus visceribus, vivam quoque animi, virtutumque ipsius Imaginem in se repræsentavit. Verè amore Divino cor, visceraque, ipsaque anima Deiparæ in Incarnatione liquefacta, Filij in se repræsentare debuit Imaginem. Quemadmodum enim cùm Deus Pater, sempiternâ illâ generatione producendo Filium, in utriusque voluntate mirificus, mutuusque exarsit amor; qui ipse Spiritus sanctus est, quo velut substantiali, arctissimoque vinculo Divinæ illæ Personæ sese complectuntur; processitque Filius Divini illius amoris flammis circumdatus, velut spirans Imago, similitudo, signaculumq; Patris: Sic Virgo Beata eundem in purissimo suo utero concipiendo, ac generando Filium in tempore, quem, ex fœcundæ memoriæ suæ sinu Pater in æternitate generavit, tantis Divini amoris sine dubio æstavit incendijs, itaq; anima illa sanctissima liquefacta est, ut signaculū illud Paternum, nempè Filius, illi sese intimè apprimeret, uti supra memoratum, ejusque vivam similitudinem, uti vera Mater in se repræsentaret.

M. amore liquefacta imaginem Filij in Incarnatione in se expressit.

23. Neque verò mirum nobis accidere debet, quod Filius cum Matre sua amantissima sui similitudinem, Spiritum, reliquasque perfectiones, homo factus communicaverit, cùm hujusmodi favores, licet non in tanta perfectione, ac excellentia S. Gertrudi Sponsæ dilectissimæ, sese illi in sanctissima Eucharistia, in specie pulcherrimi Pusionis exhibendo, fuerit impertitus, eam sacro illi epulo accumbentem ita alloquendo, ut ipsa, de se scribit lib 3. Revel. cap. 6. *Sicut ego sum figura substantiæ Patris in Deitate, sic tu eris figura substantiæ meæ in humanitate, quia recipiens in anima quasi Deifica dona tibi missa à mea Divinitate, eo modo, quo aër recipit claritatem Solis, ut hoc radio penetrata intimè usq; ad medullas, apta, habilisq; fias ad familiarem mecum unionem ineundam.* Tum eosdem, cap. 7. favores prosequens ipsa Virgo hæc subnectit. *Cùm in festo Purificationis recepissem sacram Synaxim, mente in DEUM, & in me ipsam intenta, percepi & sensi animam meam instar ceræ, igne Divino liquefactam, talemq; effectam ex sigillatione pectoris Christi. Ex eo enim impressos accepi thesauros gratiarum, in quo habitat plenitudo Diuinitatis corporaliter, atq; exinde extiti nobiliter signata charactere splendentis, & semper tranquillæ Trinitatis, ut deinceps totâ mentis aviditate ad summum bonum anhelarem, in se ipsum, quod es tu Domine in veritate tua æternitatis, quæ est abyssus charitatis, ex quo immensos amoris, omnisq; gratiæ, & virtutis gurgites haurire liceat.* Hæc Gertrudis.

S. Gertrudis in Christum quasi transformata beneficio Eucharistiæ.

S. Eucharistiæ effectus miris

24. Ex hac porrò Trinitatis sanctissimæ consignatione, benedicta illa anima, Monile quoddā triangulare, varijs, ijsque preciosissimis virtutum gemmis exornatum, evasisse visa est. Ipsa enim lib. 1. Revel. cap. 4. fatetur cuidam Dei servo id fuisse revelatum; huic enim cùm se videndum aliquando Christus

Domi-

Dominus, pulcherrimo quodam Monili decoratus exhibuisset, sic ei locutus fuisse memoratur: *In signum amoris, quo Sponsam meam Gertrudem prosequor, continuo hoc Monile gestabo.* Quo facto Dei Filius cum Sponsa sua deliciatus, par pari reddere voluit: Sicut enim ipsa ejus imaginem altè animo defixam gestabat, ita quoque Christus Sponsæ suæ effigiem ad instar preciosissimi Monilis circumgestare non dubitavit. Iam si Dei Filius suæ servæ tantum amoris impendere non est dedignatus affectum, qualem quæso ipsi Matri sanctissimæ demonstrasse credendum est? Erat nimirum Mater quoddam Monile Filio, ejus propriâ insignitum imagine, & Filius vicissim Matri, ob mutuum, quo se prosequebantur amoris affectum. Vnde D. Epiphanius lib. de laud. B. V. Deiparam, *inexplicabile Paradisi Monile*, appellavit. Atque ita Mater & Filius mutuas in seipsis imagines, similitudinesque, amoris artificio expressas circumferendo, pulcherrimo velut Monili decorari videbantur.

S. Gertrudis anima Monile quoddam triangulare.

Amor Christi mirus in Sanctam Gertrudẽ.

M. Monile Paradisi.

25. Quâ in re antiquorum morem quodammodo æmulari visi sunt, siquidem veteres suorum amantium effigies, annulis, adamantibus, alijsque gemmis, laminis aureis, monilibus, ac bullis exsculpere, easque de collo in amoris tesseram suspensas gestare consueverant. Hinc Marcus Tullius lib. de Finibus scribit, Epicuri Discipulos, ejus imaginem non modò in tabulis, sed etiam in poculis, & annulis habuisse. Hinc Pythagoras, suis in symbolis Deorum imagines annulis exculptas gestari vetuit, ob eorum crediderim reverentiam, cùm communis usus id jam pridem obtinuisset. Cupierit fortassis Philosophus Deos cordibus potiùs, quàm annulis imprimendos. Vnde Sponsa in amoris Cantico cap. 1. in suo Dilecto Divinitatem agnoscens, eius effigiem pectori appressam, in symbolo fasciculi myrrhæi repræsentatam gestabat: *Fasciculus*, inquiens, *myrrha Dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Hinc populus Hebraicus à veri Dei cultu apostatando, falsorum Deorum effigies, quas per summum nefas stolidissimè adorabant, exculptas gemmis, annulis, adamantibus circumferebat. Quare apud Hierem. 17. graviter conqueritur Dominus, quod Idolum fuerit à Iudæis adamanti insculptũ, & supra pectus gestatum: *Peccatum Iuda scriptum est, stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum.* Nec absq; causa Idolum peccatum nuncupatur, utpotè causa gravissimi peccati apostasiæ. Ideò Amos cap. 8. Vitulos aureos ab illo apostatico populo adoratos, Delictum Samariæ, vocare non dubitavit. Idcircò scelus tam immane abominatus Dominus præcipiebat apud Oseam cap. 2. ut Idola hujusmodi, quæ monilibus impressa supra pectus gestabant, tollerentur, velut incitamenta apostasiæ, & irritamenta frãgendæ fidei semel suo Creatori præstitæ: *Auferat*, inquiens, *fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua, de medio uberum suorum*, sic locum hunc interpretatus est D. Hieronymus, Haimo, & alij.

Epicuri Discipuli eius effigiem in poculis exculpebant.

Pythagoras Deorũ effigies annulis exculpi vetuit.

Sponsa cælestis suum Dilectum sub symbolo myrrhæ expressum in pectore gestabat.

Hebræi Idola gẽmis insculpta de collo pendula gestabant.

Idolum dicitur peccatum, quia causa est peccati apostasiæ.

26. Effigies porrò Idolorum solitos fuisse non solùm in pectore, sed etiã in annulis, & inauribus gestare Hebræos colligimus ex Genesi c. 35. ubi Iacobo à Laban suo Socero discedenti legitur, quod dederint ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum. Quam sententiam clariorem reddidêre 70. Interpp. *Dederunt Iacob Deos alienos, qui erant in manibus eorum, & inaures, qua erant in auribus eorum. Illa inaures*, inquit S. August. in Genes. quæst. 112. *qua cum Idolis data sunt, Idolorum phylacteria fuêre.*

Hebræi Idola in annulis, & in auribus gestabant.

Atque ita colligimus, non solùm in annulis, sed etiam in auribus Idola ad instar phylacteriorum dependentia illis temporibus fuisse gestata.

27. Neque verò solùm Deorum effigies monilibus, armillis, annulisque exprimebant Hebræi, verùm etiam cum in Babylonem adducti, captivi detinerentur, civitatem suam Hierusalem, ut veluti rei summopere dilectæ, suavissimam assiduè recolerent memoriam. Vnde in eorum persona Regius Vates concinebat Psal. 137. *Si oblitus fuero tui Hierusalẽ, oblivioni detur dextera mea.* Quasi protestari voluisset recordaturum se Dilectissimæ suæ Patriæ, dum illi manũs, dum illi brachia superessent.

Hebræi in captivitate suam Hierusalẽ in annulis exculptã gestabant.

28 Parẽ amoris sensum habuisse, visus est magnus ille Indiarũ Apostolus Xaverius lib. 2. Epist. 6. quam Romam ad socios misit, ubi ad calcem literarum auream hanc coronidem apposuit: *Sermonem de nostra Societate ingressus, neq; loquendi, neq; scribendi exitum reperio. Clausulam*

S. Xaverij in Societ. IESV affectus.

lam autem nullam invenio accommodatiorem, quam vt illud profitear: Si oblitus unquam fuero tui ò Societas IESV, oblivioni detur dextera mea; Adeò quantum socijs universis, & quam multis nominibus debeam perspexi.

Ac DEVS quidem vestris precibus adductus hoc mihi tantùm beneficij dedit, vt pro meo captu intelligerem quantum debeam Societati IESV. Eandem amoris teneritudinem in Socios demonstravit idē Sanctus lib. 2 Ep. 3. cùm Romam scribens; *Equidem,* inquit, *ne mihi ex animo excideretis, vestrum omnium Nomina, vestro chirographo in epistolis ad me missis subscripta, simul cum solenni mea professionis formula circumgesto, & pro singulari voluptate, quam percipio ex tam jucunda recordatione, primùm DEO, vt par est, gratias ago, deinde vobis Patres, Fratresq; suavissimi, quod DEVS tot, ac tantis virtutibus exornavit.* Hæc Xaverius.

S. Xaverius Sociorum Nomina, eorum charactere exarata, amoris ergo de collo suspēsa gestabat.

S. Xaverij Amor in suos Sotios.

29. Ad hanc denique amantium consuetudinē allusisse videbatur Isaias, cùm de Civitate Sionis, in DEI persona dixit: Isa. 49. *Ego tamen non obliviscar tui: Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper:* Quasi dicere voluisset Dominus: Tanto ego te prosequar amore, ò Sion, ut te annulo manûs meæ insculpserim, quo mihi semper, ob oculos versareris, nec unquam suavissima tui memoria, animo meo excideret. Quantò aptiùs de hac animata Sion, Virgine DEI parâ hoc dixisset dilectissimus ejus Filius? Cùm enim illa imaginem Filij, jam inde à primis immaculatæ conceptionis exordijs, & ab ipso incarnationis, ejus in utero purissimo peractæ, instanti gestârit, merita sanè fuit, ut & Filius vices tanto amori redderet, ejusdemque in se imaginem circumferendo, eam pari honore prosequeretur, eique posset dicere: *Ego non obliviscar tui, ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.*

AmorDei in B. V.

M. animata Sion in Dei manibus descripta.

Christus suæ Matris oblivisci non potest.

30. Et verò si Christus dilectos suos, fidelesque servos, Ecclesiarum Antistites tantopere adamavit, ut eos in manu sua dextra ad instar annulorum Stellis insignitorum, ad instar gemmarum, carbunculi, Sapphyri, adamantis, ac pyropi gestârit, ut testatur Ioan: Apocal: cap. 1. loquens de illis septem Stellis, quas in manu Christi contemplatus est. Quid promeruisse credendum DEiparam sacratissimam, quæ amoris affectu adeò in DEI Filium incarnatum fuerat transformata, ut ejus viva Imago esse videretur?

Episcopi in manibus Christi sunt velut gemmæ in annulis.

31. Hæc sanè similitudo Filij adeò in Virgine emicuit gloriosissima, ut cujuslibet Angeli, etiam supremæ Hierarchiæ Divinam imaginem quodammodo, splendore suo obfuscârit. Licet enim de Angelorum Primate ab ipso Creatore, celeberrima illa prædicata fuerint preconia, perfectiones admirabiles, virtutes planè singulares per Ezech. cap. 28. *Tu signaculum similitudinis plenus sapientiâ; & perfectus decore, in delicijs Paradisi DEI fuisti; omnis lapis preciosus operimentum tuum, Sardius, Tapazius, & Iaspis, Chrysolitus & Onyx, & Berillus, Sapphyrus & Carbunculus, & Smaragdus, aurum opus decoris tui:* Licet de altero illo Angelo, qui visus fuit in Fornace Babylonica dicatur à Daniele cap. 3. *Et quartus similis Filio Hominis;* imago tamen hæc Filij DEI expressa in Deipara, fuit longè excellentior, utpote per intimam ipsius benedictæ animæ unionem cum Filio, sigillo Divinitatis facta, ac proinde multò eminentiùs Filij DEI similitudinem, quàm quicunque etiam supremi Chori Angelus repræsentabat, ita, ut vix à prototypo, ac sigillo differre videretur. Vnde de natura signaculi seu sigilli Divinitatis præclarè pronunciavit S. Athanasius lib. de Pass. Domini. *Non variat impressa imago ab imprimente signaculo, sed incommutabilis perseverat, juxta sculpturam annuli, sive in cera, sive in annulo signaculum illud effigiatum sit.* Vnde imaginis hujus Virgineæ perfectionem prototypon mirificè exprimentem contemplans B Andreas Cretensis Episc. ser. 2. de Assumpt. pronunciavit sententiam illam memorabilem: *B. V. est à DEO sculpta Statua, rectè descripta primi Archetypi Imago.* Hinc Rupertus Abbas lib. 6. in Cant. preconium illud Virginis; *Statura tua assimilata est palma;* enucleans, sic Sponsum Matrem alloquentem introducit: *Mihi assimilata es omni habitu mentis tuæ;* Hanc ob causam D. August. serm. de Nativit. eandem Formam DEI appellavit. Idem Elogium S. Ildephonsus ser. 6. de Assumpt. eidem attribuit.

In M. est perfectior Dei similitudo, quàm in supremo Angelo.

M. à Deo sculpta Statua, & primi Archetypi Imago.

M. Forma Dei.

32. Hanc porrò formæ Divinæ appellationem crediderim eâ ratione penè convenire DEiparæ, quâ congruit DEI Filio, quem Apostolus Philip. 2. appellavit etiam formam DEI, infiniti, atq; immensi, quam tamen sub angusto nostræ humanitatis restrinxit paludamento, cum semetipsum exinanivit, formam ser-

B. V. est forma quia si & similitudo Filij; sicut Filius est Patris.

servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo. Quæ verba attentiùs ruminans Origenes lib. 1. Periar c. 2. aptissimâ similitudine in rem nostram faciente declaravit; quam proportione quâdam transferre possumus in Virginem. Imaginemur nobis Statuam quampiam immensæ magnitudinis, ac vastitatis, totum universum occupantem, quam proinde nemo mortalium totam vel oculis videre, vel intellectu possit comprehendere. Imaginemur inde aliam ejusdem materiæ, ejusdem speciei, ejusdem figuræ, eorundem lineamentorum in facie, membrisque omnibus, similem denique per omnia vastissimæ illi Statuæ excepta immensitate illa, totum Orbem occupante: *Tali quâdam similitudine exinaniens se Filius DEI,* inquit Origenes, *æqualitatem Patris, & viam nobis cognitionis ostendens, figura expressa substantiæ ejus efficitur, ut qui in magnitudine Deitatis suæ positam gloriam inditæ lucis non poteramus aspicere, per hoc, quod nobis splendor efficitur, intuendæ lucis Divinæ viam, per splendoris capiamus aspectum.* Et quia juxta tritum illud; Omnis similitudo claudicat; mox idem Orig. subtexuit: *Sanè hæc de Statuis comparatio, quasi in rebus materialibus posita, ad nihil aliud recipitur, quàm ad hoc, quod Filius DEI apparens in terris in humani corporis forma, ex operum virtute, & similitudine DEI Patris, in se immensam, ac invisibilem magnitudinem designabat, per hoc quod dicebat: Qui videt me, videt & Patrem. Ego & Pater unum sumus: Pater in me est, & ego in Patre.* Sic ille.

M, velut in parva Statua, Imaginem immensã Filij in se repræsentavit.

Talis Statua Filium DEI repræsentans proportione quâdam; exceptâ immensitate, alijsque nonnullis proprietatibus, & perfectionibus, quæ soli duntaxat supremæ illi conveniunt Naturæ; fuit DEIPARA; Quemadmodum enim incarnatum Verbum vivam, consubstantialem, immensamque Patris formam, humani restrictam brevitate corpusculi, velut parvi cujuspiam simulacri [illegible] se tulit: Sic Virgo gloriosissima vivam Filij imaginem in se quodammodo coarctavit, ac expressit, adeò perfectè, ut omnium Angelorum imaginem initio creationis illis inditam, longo intervallo post se relinqueret.

33. Quare intelligens Apostata Angelus futuram olim creaturam quampiam, cui ob Divinæ Maternitatis dignitatem, excellentior, perfectiorque DEI similitudo esset imprimenda, priori illâ similitudine, ac signaculo minimè contentus, DEI Matris, Divinam illam, quam in se ipsa erat repræsentatura similitudinem ambivit, idque non supernæ illi Majestati placendi studio, sed propriæ suæ excellentiæ desiderio. Vnde superbia tumidus jactabat Isa. 14. *Ascendam super altitudinem Nubium, similis ero Altissimo.* Intelligebat nimirum Cherub ille multiplicis Sapientiæ plenitudine turgidus, humanam Naturam, Angelicâ postpositâ (*nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ,* ait Apostolus) ad unionis hypostaticæ dignitatem evehendam; intelligebat mysterium hoc in hujus Virginis utero purissimo peragendum Hinc indignatus, quod pura creatura, eaque humana ad tantam extolleretur Majestatem, ac gloriam, unionem illam ambivit hypostaticam, ut nonnulli Theologorum voluère; Nec non Matris DEI, quæ illorum Regina, ac Dominatrix erat futura, eminentissimam illam, Divinissimamque similitudinem; non contentus illa à DEO sibi data, quia ut ait Bernard. lib. de contempl: *Sibi utiq; hæc ipsa similitudo omnimoda non videbatur; unde eam vel superare, vel saltem Divinam adæquare cupiebat.*

Lucifer invidit, quod humana natura esset super Angelicam extollenda.

Lucifer ambivit hypostaticam Vnionem.

34. Vt porrò Divinæ hujus similitudinis præstantiam in DEIPARA perfectiùs agnoscamus, sciendum illam non modò per gratiam, charitatem, aliaque dona gratuita in Virginem redundasse, sed etiam per naturam quodammodo; hac etiam in parte amantissimum imitando Filium, qui ex vi suæ processionis, generationis, atque originis, ut loquuntur Theologi, procedit ut imago Patris, ut Verbum mentis, ut species expressa, ut ipsius essentiæ, omniumque creaturarum possibilium pulcherrima quędam pictura. Quæ imago, ut omnibus prorsus numeris absoluta sit, necesse est, ut similis sit Patri cùm sit eidem consubstantialis, imò ipsissima ejus substantia. Hinc Angelicus Doctor lect. 2. in epist. ad Philip. *Dicitur Christus Filius, Verbum & Imago; sed Imago non dicitur perfecta, nisi habeat formam, cujus est Imago.*

B.V. non modò secundùm gratiam similis Filio, sed etiam secundùm naturam.

Filius Dei Imago Patris, & quomodo?

S. Hilarius quoque in Psal. 38. verba illa exponens: *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam;* dixit, hic & generationem ęternam intelligi, cujus vi processit Filius, ut forma substantialis Patris, & incarnationem, per quam se formâ ser-

servi vestire dignatus est: *Vtrumq; significat*, inquit ille, *ut quod formavit, antiquum sit, quod superposuit manum, novissimum sit. Quod enim secundùm naturam Divinitatis formatus sit, Apostolus docet: Qui cùm in forma DEI esset. Quod enim in forma est, formatur in formam, & quidem Paterna natura, & Divinitatis formam.*

Similiter hanc Divinitatis formam explicuit Ambros. Epist. 47. *Quid est*, inquiens, *in DEI forma? nisi in plenitudine Divinitatis in illa perfectionis Divinæ expressione?* Nec dissentit Marius Victorinus Author antiquissimus lib. 5. contra Arianos To. 4. Biblio. cùm dixit: *Si Christus forma est DEI, forma autem substantia est, idipsum enim est forma, imago, & λόγος.*

Quid sit forma Dei.

Audiamus S. etiam Basilium sententiam illam Pauli luculentissimè explicantem lib. 1. cont. Eunom *Et verò*, inquit ille, *id quod dicitur in forma DEI esse, æquipollens ei, quod est in substantia DEI esse, assero. Nam sicut formam servi suscepisse significat, sic cùm in forma DEI esse dicat, Divinæ substantiæ ipsi profectò attestatur proprietatē.*

Denique S. Athanasius totum quod diximus de naturali Imagine Filij DEI repræsentata per Virginem luculentissimè in cap. 1. ad Heb. nobis declaravit, cùm illa explicaret verba: *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus: Cùm splendor*, inquit, *carere substantia videatur, medetur mox, additq; : & figura substantiæ ejus: Id est, quemadmodum Pater ipse per se constat, & nullius ad perfectionem indiget; ita & Filius. Figuram enim nil aliud esse constat, quæ sit primitivum, vt quæ per se ipsa subsistat, & priori formæ similis videatur.*

Dei Filius dicitur splendor Patris ob unitatem cùm Patre, & figura ob naturæ æqualitatē.

Idem Athanasius S. Gregorium Nissenum scribit dixisse, quod quemadmodum per splendorem indicavit unitatem Apostolus, ita per figuram naturæ æqualitatem. *Nam qui*, inquit, *suppositi, sive substantiæ magnitudinem, mente perceperit, vel ex apparenti figura substantiam ipsam omninò emetietur. Quippè cùm nec figura excedat substantiam, nec substantia figuram; nam aliàs quoad eam partem esset ineffigiabilis. Ex hoc ipso intelligi potest per formam, substantiam designari, per figuram verò Dominum ipsum, qui in ea spectetur. Ostendit autem quam prorsus sit Filius Patri par, & æqualis: ex forma namq; Patris inspicitur magnitudo cùm ex hac illa non exorbitet. Si enim exorbitaret, informè id esset, & indecorum, quoniam ipsius forma lineas transiliret, quod absurdum est, de Patre cogitare. Nam si tanta est Patris magnitudo, quanta & forma; figura verò formam adæquat, habet utiq; tantundem figura hæc magnitudinis, quantum DEI formæ inesse videtur.*

Quare Sinesius Hymno 6. DEI Filium salutans, ita pientissimè cecinit:

Salve ò Patris Forma,
Salve ò Patris Imago,
Salve ò Patris Pulchritudo.

Dei Filius Patris Forma, Imago, Pulchritudo.

35. Ex his inferre licet talem quandam naturalem imaginem, figuram, & formam Filij DEI, proportione quâdam fuisse Deiparam; cùm ipsi, quâ homo, fuerit consubstantialis, eique corpus suo simillimum, ex purissimis sanguinibus efformatum communicaverit, ejus lineamenta faciei Divinissimæ ita in se repræsentaverit, ut non exorbitarent, nec formæ lineas transilirent. Atque ita quemadmodum Filius, quâ DEUS, adæquabat formam, imaginemque Patris; ita Virgo sacratissima formam, imaginemque adæquabat Filij, quâ homo, eumque vivum, spirantemque in se exprimebat. Et sicut aptè, benèque dicimus Filium esse Formam DEI, quia Patri consubstantialis est; ita cùm Deiparam formam esse Filij, quâ homo est, prædicamus, intelligimus illam consubstantialem Filio, similitudinemque humanitatis ipsius, præclarissimam Indolem, Virtutesque omnes, quantum humana natura Divinorum capax esse potest, repræsentare. Et sicut denique dum dicimus cum Apostolo, Filium DEI formam assumpsisse servi, inque similitudinem hominum factum, & habitu inventum, ut hominem, agnoscimus reverà veram substantiam, naturamque assumpsisse hominis: sic cùm formam Filij esse DEI Genitricem asserimus, fatemur ipsam eidem Filio dilectissimo, secundùm humanitatem consubstantialem, similemque extitisse, eo penè modo, quo Filius consubstantialis, similisq; est æterno Patri. Et hanc etiam crediderim ob causam SS. Doctores, Augustinus & Ildephonsus Virginem hanc nostram Divinissimam; Formam DEI appellârunt.

B. V. Dei Filius, quâ homo, est consubstantialis, ac simillimus.

36. Tanta porrò erat hæc Matris cum Filio in Divinis præsertim virtutibus similitudo, ut non modò Filius, verùm etiā Spiritus Sanctus, imò tota Beata Trinitas, toto ejus ore, oculisque promicare videretur. Hinc Virgo Beatissima lib. 1. Revelat. S. Brigittæ cap. 42. ipsa de se luci-

Ex facie B. V. Divinitas promicare videbatur.

luculenter affirmat, ob eximiam suam charitatem, DEUM sibi adeò appropinquasse, ut qui videt DEUM, inquit Mater Divinissima, videt me; & qui videt me, Deitatem, & humanitatem videre potest in me, quasi in speculo, & me in DEO. Quicunque enim videt DEUM, videt in eo tres personas. Et quicunque videt me, videt quasi tres personas. Nam Deitas conclusit me in se cum anima, & corpore, & implevit me omni virtute, ut non sit virtus in DEO, quæ non splendeat in me, quamvis ipse DEUS est Pater, & dator omnium virtutum. Sicut enim duo corpora simul conjuncta, quicquid unum receperit, hoc recipit aliud: Sic fecit mihi DEUS. Nam non est dulcedo, quæ non est in me. Mecum enim illam DEUS communicavit, meque illius participem effecit. Anima, & corpus meum puriora sunt Sole, & mundiora speculo. Unde sicut in speculo viderentur tres personæ, si adstarent; sic in puritate meâ videri potest, Pater, Filius, & Spiritus S. Ego enim habui Filium in utero cum Deitate, & humanitate, quasi in speculo, quia glorificata sum. Hæc DEI Mater ipsa.

Qui videt B.V. videt quasi SS. Trinitatem.

B.V. Puritas est speculum Divinas personas repræsentãs

Quæ omnia sano modo intelligenda sunt, non quasi omnes tres Divinæ personæ carnem in utero Virginis assumpserint, sed quod Personæ illæ Divinissimæ in Humanitate Christi, purissimoque DEIPARÆ utero per identitatem Essentiæ, ac circuminsessionem extiterint. Quod Apostolum Paulum sibi voluisse crediderim, cùm ad Coloss. c. 2. dixit in Christo plenitudinem Divinitatis corporaliter habitasse. Dici etiam potest tam in Humanitate Christi, quàm in utero Virginis augustissimam Trinitatem inhabitasse, secundùm triplicem illum modum, quem Angelicus Doctor 1. Par. q. 42. ar. 3. & 4. attulit, ubi docet unam Personam esse in alia, ratione essentiæ, relationis, & originis. Cùm ergo audimus gloriantem DEIPARAM, quod in se, velut in speculo videri poterat Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, intelligendum, videri potuisse, ratione unicæ, quæ est in tribus personis Essentiæ. Cùm enim Filius qui in ejus utero Homo factus, sit Patri, ac Spiritui Sancto consubstantialis, consequens sanè fuit ibidem cum Filio, & reliquas duas Personas extitisse, in eaque veluti lucidissimo crystallo resplendisse.

Unde Divinam hanc Formã ex DEI essentia emicantem in Matre demiratus Filius quodammodo dicebat attonitus: *Ecce tu speciosa es proxima mea, ecce tu speciosa, oculi tui columbarum.* Quod elogium trutinans Origenes Hom. 3. in Cant. *Grandis*, inquit, *in hoc profectus eius ostenditur, ut qua priùs tantum speciosa in mulieribus dicta est, nunc ut proxima Dilecto, & speciosa dicatur. Ex ipso sine dubio Sponso splendorem decoris accipiens, ut ita semel, ab ipso sumptâ pulchritudine, etiamsi accidat, ut paululum subinde Sponsi absentiam patiatur, nihilominus pulchra permaneat. Speciosa igitur est hic Sponsa, cùm proxima est Christo, & imitatur Christum. Speciosa est etiam Sponsa in futuro sæculo, ubi iam non solùm imitatione, sed ipsa sui perfectione formosa est, & speciosa. Ibi nimirum oculi eius sunt columbæ, per quas intelliguntur, DEI Filius, & Spiritus Sanctus. Et ne mireris quod uterq; Columba dicatur, cùm uterq; etiam Advocatus appelletur. Paracletus enim interpretatur, Advocatus.* Cùm igitur Sponsa in Divinitatem absorpta fuerit, ac tantopere in eam transformata quodammodo, per Visionem beatificam, quâ subinde etiam, dum in terris morabatur, perfrui merita est, quid mirum si Filius, ac Spiritus Sanctus, atque adeò tota Trinitas, oculis ejus sanctissimis emicaret, eique similis videretur?

M. ex Filio splendorem decoris, ac pulchritudinis accepit.

Dei Filius & Spiritus S. sunt Columbæ

B.V. non modò Filio, sed etiam Spiritui S. imò toti Trinitati similis.

37. Similitudinem hanc Filij cum Matre B. Arnoldus Abbas Carnotensis Tract. de laud. Virginis præclarè confirmavit, cùm dixit: *Nec à dominatione, vel potentia Filij Mater potest esse disiuncta. Una est Maria & Christi caro, unus Spiritus, una Charitas; & ex quo dictum est ei: Dominus tecum inseparabiliter perseuerat promissum, & donum. Unitas diuisionem non recipit, nec secatur in partes. Et licet ex duobus factum sit unum, illud tamen scindi non potest.* Ex hac porrò unitate quâdam carnis, ac Spiritus cum Matre, aliam infert veritatem Arnoldus; quod quemadmodum Patri, Filioque ob naturæ æqualitatem, unitatemque par gloria, honorque defertur, sic quoque ob eandem naturæ, carnisque, ac Spiritus unionem, Matris cum Filio, par quodammodo cultus, ac veneratio utriq; exhibenda sit; Unde mox subtexuit: *Et Filij gloriam cum Matre, non tam communem iudico, quàm eandem.* Idem sensit Damasc. ser 2. de Dormit. DEIP. *Oportebat DEI Matrem ea, quæ Filij erant possidere, atq; ab omnibus rebus conditis,* ut

M. cum Filio unitas perfecta.

M. gloria eadem cũ gloria Filij.

ut DEI Matrem, & Ancillam adorari. Idem S. intellexit Ildephonsus ser. 3. de Assumpt. *Sileat insipientia carnis*, inquiens, *& celebretur dignè cum laudibus Mater Domini Salvatoris nostri, tanto honore dignissima, quantum est veneranda ex gratia: quia eius honor & gloria, laus, & gratiarum actio est Redemptoris.* Hæc Ildephonsus.

M. laus & gratiarum actio exhibita, exhibetur Redēptori, ob unitatē quandam substantiæ, quam habet cum illo.

Cùm igitur eandem, communemq; DEIpara cum Filio habuerit substantiam, quid mirum si consubstantialem quoque Imaginem, similitudinemque Filij, quâ homo fuerat, in se expresserit?

38. Hoc nobis ostendere visus est Salomon, cùm Sapient. 7. de laudibus increatæ loquens Sapientiæ, cujus vivum speculum extitit DEIpara, eam in recto; *Imago bonitatis Divinæ;* dixit: Cùm alias videamus scripturam, ubi loquitur de DEI Imagine, ac similitudine Hominis animæ impressa, non esse solitam vocare hominem in recto; *Imago DEI;* sed factum ad imaginem & similitudinem DEI. Hujus rei Angelicus Doctor cùm indagaret causam 1. parte q. 3. art. 1. in corp. *Manifestum est*, inquit, *quod in homine invenitur aliqua DEI similitudo, quæ deducitur à DEO, sicut ab exemplari, non tamen est similitudo secundùm æqualitatem, quia excedit infinitè exemplar, hoc tale exemplatum. Et ideò dicitur in homine esse imago DEI, non tamen perfecta, sed imperfecta. Et hoc significat scriptura, cùm dicit, hominem factum ad imaginem DEI. Præpositio enim; Ad; accessum quendam significat, qui competit rei distanti.* Vt porrò intelligeremus Imaginem illam Filij in Matre veram, perfectam, æqualemque esse, sicut est vera æqualis, ac perfecta Imago Patris in Filio; mox S. Doctor subtexuit. *Æqualitas non est de ratione imaginis, ut ait August: Vbi est imago non continuo æqualitas, ut patet in imagine alicuius in speculo relucente. Est tamen de ratione perfectæ imaginis. Nam in perfecta imagine non deest aliquid imagini, quod insit illi, de quo expressa est.* Cùm ergo Matris & Filij eadem sit quodammodo caro, eadem substantia, eadem etiam gloria, honor, ac dignitas, eadem propemodum in omnibus æqualitas, quis dubitare poterit, quin DEIpara perfecta Imago Filij, quâ homo est, vocitari possit?

B.V. Imago Divinę Bonitatis.

In homine est Imago Dei imperfecta.

M. perfecta Imago Filij.

Imago nō requirit æqualitatem sed similitudinem.

39. Imaginem hanc perfectissimam Filij in Matre agnovit Hugo de S. Vict. lib. de Verbo Incarnato. Vbi Maternam hanc Imaginem temporalem confert cum paterna illa perfectissima, quam Filius æqualem Patri accepit ab omni æternitate. *Propterea*, inquit, *Mater Virgo electa est, ut de munda immaculatus nasceretur; ut sicut in cœlo DEVS habuit Patrem immortalem, æternus, sic in terra habeat Matrem Virginem incorruptus. Igitur in cœlo qualis Pater, talis Filius: Et in terra, qualis Mater, talis Filius; in cœlo cum Patre æternus, & immensus; in terra cum Matre immaculatus, & mansuetus. In cœlo cum Patre incorruptus, & sublimis: in terra cum Matre Virgo humilis. In cœlo Imago Patris, in terra Imitator Matris. Mater & Virgo in humilitate exultabat; Filius Virginis Virgo humilitatem commendabat. Talis ergo Agnus, qualis Mater Agni, ex munda mundus, ex Virgine incorruptus.* Hæc Hugo.

Sicut in cœlo qualis Pater, talis Filius, sic in terra qualis Mater, talis Filius.

40. Majùs quid Anastasius Sinaita lib. 6. Hexam. ad gloriam Virginis nostræ gloriosissimæ meditatus est, cum Matrem Christi minimè futuram esse dixit, si Filius secundùm humanitatem, ejus Imaginem, similitudinemque in se non expressisset: *Mihi dic quæso*, inquit ille, *quis aut ex hominibus, aut ex Angelis audebit dicere, quod ea, quæ est eiusdem simul cum DEO essentia, secundùm humanitatem, videlicet, non sit ad Imaginem & similitudinem eius, quæ est ipsa natura. Quomodo enim est Mater eiusmodi Filij, non ferens in se integram, illæsamq; fœtus sui Imaginem?* Quid hic referam S. Bernardin. Senensem, qui Tomo 3. ser. 2. art. 1. c. 3. clarissimè pronunciavit: *Christus totus B. V. simillimus fuit, quia totus de substantia Matris genitus fuit.* Quid denique Nicephorum Calixtum, qui lib. 1. Hist. cap. ultimo. cùm Christi humanitatem à capite ad calcem, vivis, verissimisque coloribus depinxisset, manum de tabula depositurus, unicam illam verè auream duxit lineam. *Persimilis deniq; per omnia fuit Divinæ & immaculatæ suæ Genitrici.* Verè persimilis, ac perconsequens, vera, perfectaque Imago Filij secundùm humanitatem; Cùm vera Imago absque similitudine intelligi neutiquam possit. Nam idem Doctor Angelicus ibidem docuit: *Vbi est imago, continuò est & similitudo; Ex quo patet, quod similitudo est de ratione imaginis, & imago aliquid addit supra rationem similitudinis, scilicet quod sit ex aliquo expressa. Imago enim dicitur ex eo, quod agitur ad imitationem alterius.* Vnde quia Virgo DEIpara assiduè, studio planè indefatigabili egit sanctissimam vitam Filij, ejus mores,

B. V. Mater Christi, non esset, si ejus Imaginē in se non tulisset.

Mater Dei integram, illæsamq; in se Filij Imaginē tulit.

Christus Matri simillimus, quia totus de Substātia ejus genitus.

Quid est Imago?

tres, indolemque imitando, vivis etiam virtutum coloribus ejus in se expressit imaginem, exemplum cœlestis Hierarchiæ æmulata: itaq; factum, ut non modò in se Imaginem Naturæ Filij, verùm etiam ipsius Gratiæ in se repræsentaret.

41. Cœlestem porrò Hierarchiam Areopagita Dionys. lib. de cœlest. Hierar. cap. 3. ita descripsit: *Hierarchia est ordo Diuinus, scientia, & actio Deiformis, quantum possibile est assimilans, & ad inditas ei Diuinitus illuminationes proportionaliter in DEI similitudinem ascendens.* Quare quo beatæ illæ mentes supremo illi luminum Fonti sunt viciniores, tantò magis lumen, pulchritudinemque Divinitatis participant, magisque DEO, qui ipsa pulchritudo, per essentiam est, similes evadunt. Vnde cùm Virgo DEIPARA, ut Ioannes Gerson Tract. 4. in Magnif. testatur, per se Hierarchiam constituat eminentissimam, DEOque vicinissimam super omnes Angelorum Hierarchias exaltatam, consequens sanè est, ut longè purissimis Divinitatis fulgoribus tota resplendeat, & inaccessibile illud lumen contemplando in ipsum transformetur, Divinamque in se similitudinem, quæ justitiâ, ac sanctitate constat, mirificè repræsentet. Hinc S. Gregorius lib. de Orat. *DEO similem fieri, est iustum pariter, ac sanctum, bonum & huiusmodi virtutibus præditum fieri.* Hinc Richardus de S. Victore: *Cùm facta*, inquit, *fuerit anima iusta, verax, misericors, sapiens per gratiam, quod DEVS habet per naturam; quantum has virtutes in se formauerit, tantum in se DEI similitudinem reformabit.*

Hierarchia quid?

Angeli quo magis æterno luminum fonti viciniores, tantò plùs de luce, pulchritudineq; ejus participãt

M. per se eminentissimam, Deoque proximã Hierarchiam cõstituit.

Deo similem facit Iustitia & Sanctitas.

Dei similitudo in homine, virtutibus reformatur.

Plato denique veritatem hanc agnovit, cùm in Minoe sapientissimè pronunciavit: *DEO similis est Vir bonus.* Et in Theæteto: *Deo similem efficit cum Prudentia Iustitia, simul & Sanctitas.* Cùm igitur Virgo sacratissima ab ipsis immaculatæ Conceptionis initijs, in justitia, puritate, ac sanctimoniâ, majora indies acceperit incrementa, consequens sanè est eam magis, magisque Filio esse assimilatam, ejusque non modò imaginem, verùm etiam pulchritudinem, ob intimam illam, per amoris affectum unionem, ac vicinitatem repræsentasse.

Deo similis Vir bonus.

Vnde præclarè Origenes Hom. 4. in Cant. invitationem illam expendens Sponsi: *Veni proxima mea, speciosa mea, columba mea: Non diceret*, inqt, *Sponsam Verbũ Diuinum sibi proximam, nisi coniungeret se ei, & fieret cum eo unus Spiritus; nec diceret speciosam, nisi videret imaginem eius renouari de die in diem; Et nisi videret eam capacem Spiritus Sancti, qui in specie columbæ descendit super IESVM, non ei diceret; Columba mea. Conceperat enim amorem Verbi DEI, & cupiebat ad ipsam volatu celeri pervenire. Quis, inquiens, mihi dabit pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam, cùm apprehendero sapientiæ & scientiæ thesauros?* Hæc Origenes de caussis, ob quas Sponsa fit proxima, & unita Sponso, pulcherrimam ipsius Imaginem repræsentans. Quemadmodum enim Filius ob unitatem essentiæ non modò est Imago, sed & pulchritudo simul Patris, species expressa, pictura quædam clarissimis luminibus, ab ipso Patre exornata, generando illum in splendoribus Sanctorum, seu ut legit Hebræus: *In splendoribus sanctitatis, ex utero, ante Luciferum*, quem & æternitate, & luce pulchritudinis longè superabat: Sic etiam Virgo sanctissima ob carnis, Spiritusque unionem, non modò Imago est Filij, verùm etiam pulchritudo, ac species, quæ sunt nomina Notionalia, quibus secunda Persona SS. Triados, à cæteris distinguitur. Est denique lux pulcherrima, cœlos, terrasque illuminans. Vnde sicut de Filio prædicat Salomon: *Candor est lucis æternæ;* Sic de Virgine nostra prædicant Sancti Patres: MARIA *est Candor lucis æternæ, uniuersam illuminans creaturam.*

M. Sponsa proxima & speciosa, exprimendo in se ejus Imaginẽ.

B.V. Columba dicitur Christi, quia capax erat ejus Spiritus Divini,

Filius Dei est non solùm Imago, sed etiam Pulchritudo Patris æterni.

M. est Pulchritudo Filij.

Hinc præclarè B. Petrus Dam. serm. de Assumpt. B.V. *Caro Virginis*, inquiens, *ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conversa est.*

Caro M. in candorẽ lucis æternæ cõversa.

42. Hanc DEIPARÆ in lucem illam increatam, ipsumque Solem Iustitiæ pulcherrimum, mirabilem transformationem demiratus Richar. de S. Vict. in Cãt. cap. 39. eam dixit Mulierem illam Apocalypticam Sole amictam esse. Vnde obstupescens tantam ipsius lucis pulchritudinem, ac copiam, exclamavit: *O mira dignitas de Muliere procedere Solem Mundum illuminantem; de terra lucem radiare; per fœminam, tenebras Mundi in lucem clarescere. Hæc Beata est Signum magnum in cœlo, Mulier amicta Sole, quia Sol Divinitatis infulget ei, & circumfulget eam, totamq; occupat, & post eam maximè illustratam, cœli ciues illuminat. Ipsa Solis huius splendorem prima & præ omnibus accepit. Ipsa amicta est hoc Sole, & perfectè, ac præcipuè Divinitatis fruitione perfun-*

M. Signũ magnum in cœlo.

M. Sole amicta Cives cœli illuminat.

perfunditur. Splendorem denique hujusce pulchritudinis Virginalis obstupescens B. Georgius Nicomediensis Episcopus Orat. de oblat. Virginis, eamque Nomen quodammodo ipsius Notionale reputans, in illud venustissimum prorupit elogium. *O pulcherrima Pulchritudo omnium pulchritudinū! O DEI Genitrix pulchrorum omnium summum ornamentum!* Et Damascen. Humanæ naturæ venustatem, Mulierum ornamentum appellavit. Denique S. Ephræm Syrus Orat: de Deipara eam sic salutavit. *Aue Lumen lucidissimum, quo Mundus illustratur.*

M. Pulchritudo pulcherrima.

M. Humanæ Naturæ venustas.

M. Lumen lucidissimum, quo Mundus illustratur

43. Pulchritudinem porrò, seu speciem Nomen esse notionale, uti diximus, Filij, ostendit S. Hilarius lib. 2. de Trinit. *Æternitas est in Patre, species in Imagine, usus in munere.* Ac si dicere voluisset. Quemadmodum Donum est Nomen notionale Spiritus Sancti; sic Species, ac Pulchritudo, Filij. Vnde Angelicus Doctor 1. p. q. 39. art. 8. *Species, siue pulchritudo habet similitudinem cum proprijs Filij.* Quia ut idem docet Doctor tria ad pulchritudinem concurrunt. Primò integritas, sive perfectio; sicut enim bonum, ex integra causa, &c. sic etiam pulchrum; quæ nomina sicut in Græco idiomate, nominis habent communicationem, sic etiam significationis. Atque ita pulcher dicitur Filius, quia adeò perfectè continet in se naturam Patris, ut ei nil penitus eorum deesse possit, quæ reperiuntur in Patre; alioquin, quæ diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt, ut idem S. Doctor asseverat. Secundò, pulchritudinis proprium est, Symmetria, proportio, atque consonantia; Quæ in Verbo æterno est absolutissima, cùm sit Imago expressa Patris; adeò proportionata, ac consonans Patri, ut sit eadem numero natura, in distincto supposito. Quam sanè Imaginem pulcherrimam esse necesse est, siquidem nil differt penitus ab illo, cujus est Imago. Tunc enim Imago pulchra, atque perfecta dici consuevit, quando ad vivum repræsentat eum, cujus est Imago. Postrema pulchritudinis est proprietas, coloris suavitas, splendor, & claritas. Quæ in Verbo mirificè elucescit, cùm sit splendor, & Lux Paternæ gloriæ. *Verbum enim,* inquit Sanctus, *est lux, & splendor intellectus.*

Pulchritudo est Nomen Filij Notionale

Ad perfectam pulchritudinem quæ requirantur?

Pulchritudinis proprietates, Integritas, Symmetria, color, seu claritas, quæ omnia sunt in Dei Filio.

Verbum æternum est lux, & splendor Paterni intellectus.

44. Cùm igitur Dei Filius perfectissimâ, atque absolutissimâ pulchritudine, luce, ac claritate fuerit præditus, omnesque pulchritudinis conditiones in se complexus, & Mater Imago quædam Filij extiterit admirabilis, eâdem sanè pulchritudine, ac claritate exornanda fuit, ut inter Matrem & Filium consummatissima, omni ex parte intercederet similitudo. Quânam autem ratione conditiones illas Divinæ pulchritudinis Filij Virgo in se expresserit, ex hactenus dictis, de consubstantiali cum eodem dilectissimo Filio Forma, Imagine, ac Similitudine, Luce denique quâ instar Solis radiabat, manifestum evadit. Quare cùm Mater, & Filius mutuo suam pulchritudinem extollunt, ac mirantur, pari omninò passu progredi videtur. Si enim dicit illa: *Ecce tu pulcher es Dilecte mi, & decorus.* Pari laude respondet Filius: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* Cant. 2. Quibus sanè elogijs mutua inter Matrem, & Filium similitudo, ex Charitatis & Naturæ unione profecta, elucescit.

M. pulchritudinem Filij in se repræsentavit.

45. Vnde similitudinem hanc Sanctus Antoninus 4. P. Tit. 15. cap. 10. attribuit summæ unioni, quam habet Mater cum Filio: Postquam enim dixisset: in Persona Domini illi dictum fuisse: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te;* nullamque amiciorem Deo, conjunctioremque Charitate fuisse Beatâ Maria, quæ tota pulchra, & in anima, & in corpore fuit; & pulchritudinem hanc animæ, ex refulgentia gratiæ resultasse; mox hæc subtexuit: *Sicut enim propinquior fuit cunctis principio influxivo gratiæ, Christo videlicet, secundùm Divinitatem efficienter; secundùm humanitatem instrumentaliter, quia Mater ejus ita copiosiùs cunctis recepit gratiæ refulgentiam, omniumq; operum bonorum perfectiorem operationem.*

M. cum Filio similitudo, ex summa charitatis & naturæ cum ipso unione oritur.

Idem Sanctus, ut & Albertus Magnus Tract. super Missus, veritatem hanc ratione Philosophicâ comprobat: *Natura,* inquiens, *secundùm Philosophum est vis insita rebus, ex simili simile procreans; Nisi ergo Natura impediatur vel erret, Filius erit similis Patri, vel Matri. Vnde sequitur, quod Filius, qui nascitur de Matre, & non de Patre, taliq; operante, qui nec errare, nec impediri potest, qualis est ipse DEVS, ibi necesse est Filium similem fieri Matri, & è converso. Sed ipse est pulcherrimus. Est enim speciosus formâ præ filijs hominum, adeò, vt in eum desiderent Angeli prospicere. Ergo & Mater*

Filius naturaliter est similis Patri, vel Matri.

ejus

ejus B. Maria est pulcherrima. Idque probat Sudario Veronicæ, in quo Christi facies pulcherrima visitur. Cui similis cùm Mater extiterit, pulcherrimam illam fuisse necesse est. Accedit quod Filij Dei corpus fuerit pulcherrimum, tum ex conjunctione animę nobilissimę, cui proportionari debuit, tum ex unione hypostaticâ cum Divinitate.

Splendor pulchritudinis Filij Dei in Matrem redundavit.

Quod corpus quia de purissimis Virginis sanguinibus operâ Spiritus S. fuit cóceptum, corpus quodammodo ipsum Divæ Virginis esse videbatur, ac proinde splendor ille, ac pulchritudo Filij in ipsâ Matrem redundabat. Quare Sedulius Poëta Christianus lib. 2. de opere Paschali, partum Virgineum admirabili splendore radiasse, splendoremq; illum in Matrem redundasse quodammodo, cecinit:

Christus de utero Matris claritate refulgens prodijt.

Quæ nova lux Mundo, quæ toto gratia cælo?
Quis fuit ille nitor? Mariâ cum Christus ab alvo
Processit splendore novo, velut ipse decoro
Sponsus ovans thalamo, formâ speciosus amænâ,
Præ Natis Hominum, cujus radiante figurâ
Blandior in labijs diffusa est gratia pulchris.

B. V. pulchrior reddita ex Filij DEI Conceptione.

46. Hinc idem B Albertus Magnus Tract. super Missus docet, post Filij Dei conceptionem longè puriorem, ac venustiorem evasisse Deiparam: *Ex conceptu,* inquiens, *acquisivit illam, quâ sub Deo nequit intelligi puritatem. Nec post conceptum perdidit pulchritudinem, imò tantâ pulchritudine radiavit, ut eam Ioseph aspicere non potuerit.* Vnde Glossa in illud: *Et non cognovit eam, donec pepererit Filium suum primogenitum: Mariam facie Ioseph non cognouit, id est, videre non poterat, quam Spiritus Sanctus, à Conceptione penitus impleverat, gratiâ Divinâ videlicet, cuius splendor in corpus ipsum redundabat.* Quare idem Albertus præclarè pronunciavit: *Beatissima Virgo omnibus puris creaturis optima, & pulcherrima tam interiori, quàm exteriori pulchritudine prædita fuit, ac proinde Filio quam simillima.* Si enim universorum Creator hominem pulcherrimum, sibique simillimum condidit, ut Mercurius Trismegistus à S. Cypriano relatus testatur illis Verbis: *Pater cùm vita esset & lumen, hominem peperit sibi similem, quem amavit, ut propriam prolem, erat enim pulcherrimus, cùm Paternam haberet Imaginem;* quantò magis pulchra creatura illa condenda fuerat, de qua Filius hominis speciosus formâ præ filijs hominum nasciturus erat, ut eidem esset quam simillimus?

S. Ioseph Mariã ob splendorem, qui toto ore eius radiabat, aspicere non potuit.

M. splendor animi in corpus redundabat.

47. Eandem hanc Deiparæ cum dilectissimo Filio similitudinem, Dionys. Richel. lib. 1. de Precon. ar. 8. ad intimam, cùm eodem non modò per charitatis affectum, verùm etiam per localem præsentiam, dum ejus in utero novem mensibus commoratus est, transtulit unionem. Quo quid, inquiens, alteri viciniùs est, eo utique ipsi similiùs est. Quid autem Christo tam vicinum, ut Genitrix ejus Sanctissima? Nihil igitur ea ipsi similiùs existit. Palam est autem Christum sine mensurâ omnis gratiæ plenitudinem fuisse sortitum. Huic ergo plenitudini, gratiæque infinitæ Maria vehementissimè appropinquat. Eamdem similitudinem Matris cum Filio probat, ex honore Filiorum, quem proles progenitoribus exhibere tenetur, ex titulo gratitudinis, alijsque causis admodum efficacibus, quæ Filium ad Matrem in gratia præsertim, sanctitateque sibi assimilandam impulerunt. Ad hæc, inquit ille, Naturale jus exigit, ut parentem proles honoret, eique quidquid decet, pro viribus exhibeat; & quo Filius melior fuerit, ac potentior, eo hoc sublimiùs, perfectiùsque complebit. Certissimè igitur elucescit, id Divinitus Mariæ collatum, quidquid veri Dei Genitricem decebat; Sed quæ mens percipere, quæ lingua eloqui queat, quantam ei Virgini puritatem, sanctitatemque communicari decuit, quę omnis munditiæ, totiusque virtutis, ac sanctitatis fontem, summi Patris Vnigenitum concipere, parere, lactare, & alere debuit? Præterea secundùm Aristotelem Dijs, Magistris, & parentibus non potest reddi æquivalens. Sed hinc is excipitur, qui propriam Matrem condidit, quia plùs ei contulit, quàm recepit. Denique constat quod tantum dederit, quantum talem, tantumque Filium Genitrici suæ dare decuit. Quis autem comprehendere poterit, quid Filium immensæ Majestatis, incircumscriptæ bonitatis, magnificentissimæ liberalitatis, tam dulci, ac prælectæ Matri donari decebat? Quod si Filius, ut is, qui omnib⁹ gratis, affluéterq; tribuit, & nulli improperat consideretur: quid præstitisse censendus est ei, quæ eum Maternaliter lactavit, tam affectuosè fovit, cæteraq; Maternæ ministrationis officia, tã reveréter exhibuit? Ad hæc quo creatura Deo ampliùs conformatur, eò ad Divinas excellentias gloriosiùs assurgit.

B.V. similis Filio, quia ipsi proxima.

B.V. Christus excellentissimam puritatẽ contulit, quã eam sibi assimilavit.

B.V. Christus tanquam Matri gratus plùs contulit, quã accepit.

Christus dat omnibus gratis & affluéter, quãtò magis Matri?

Quid

Quid autem æterno Patri in rebus creatis tam simile, ut illa, quæ eundem eum eo Filium peperit; quæ sic sine viro, uti ille absque fœmina, cum integritatis decore produxit: quæ hunc quoque edidit, à quo Spiritus S. donatur atque procedit? Proinde quæ fœcundiora sunt, præstantiora à Philosophis censentur. Nónne ergo infinitæ quodammodo dignitatis est, quæ Filium immensæ celsitudinis protulit, quæ Mundi Artificem, Orbis Dominum, & Vniversorum verum Deum effudit? Denique naturaliter supra prolem parens authoritatem quandam possidet. Quæ ergo hujus Virginis sublimitas, cui etiam Deus secundùm aliquid se subjecit? Erat nempè subditus illi: hic utique cui millia millium ministrant, deciesque millies centena millia assistunt. Denique quid gloriæ Mariæ confert, quod per eam totius Mundi salus initiata reparataque est? Hæc Dionysius, quæ sanè omnia insignem ei cum Filio similitudinem contulerunt.

B.V. Deo Patri similis in unico pariendo Filio.

48. Hujus porrò similitudinis inter Matrem, ac Filium varias causas præter jam dictas, varij assignare consueverunt. Philosophi attribuunt lacti. Quare Conimbr. lib. 1. de Gener. cap. 4. q. 25. a. 1. ex Iustino Historico referunt Hebbidem puerum Cervino lacte nutritum, adeò velocem, agilemque evasisse, ut altissima Montium juga ad instar hinnuli, mirabili celeritate conscenderet. Ijdem Conimbr. q. 3. art. 1. similitudinem hanc virtuti formatrici seminis attribuunt, quod similem colorem, membrorum figuram, aliaque Progenitorum lineamenta proli conferre consuevit, ut illis evadat quam simillima. Cùm ergo gloriosissima Virgo activè ad conceptionem illam immaculatam, purissimamq; Dei Filij concurrerit, Virgineum suum sanguinem, semenque illibatum subministrando, ut asserit Doctissimus noster P. Franciscus Svarez Tom. 2. in 3. Par. Disp. 10. sect. 2. Divinamque prolem proprio lacte, quod aliud juxta probabiliorem Philosophorum sententiam, non est, quàm sanguis benè decoctus, ac purificatus, in coloreque alteratus; naturaliter consequitur, Filium in omnibus, Matris indolem generosam, similitudinemque repræsentare debuisse.

Similitudo inter Matrem, & Filium oritur ex lacte & semine.

Hebbides puer velocissimus, quia cervæ lacte nutritus.

Semen assimilat Filium Matri.

M. ad conceptioné Filij activè concurrit.

Veritatem hanc ipse Dei Filius S. Brigittæ revelavit lib. 1. Revelat. c. 51. ubi sic Filius suam dilectissimam, flori eam comparans, alloquitur Matrem: *Flos portat semen ex calore, & virtute Solis, ex quo crescit fructus. Et sicut semen ubicunq; seminatur tales flores germinat, quale semen fuerit: sic membra mea conformia fuerunt membris tuis in forma & facie.* Quid clarius?

Christus Matri similis in membris, & facie.

49. Pulcherrimam hanc Filij ad Matrem conformationem, seu transformationem intellexit Richard. à S. Laur. lib. 5. *Sicut*, inquiens, *DEI Filius carnem assumens ex substantia Mariæ, in ea informatus est usquequaq;, id est, formam ejus omnimodam accepit; sic etiam ipsa B. Virgo quiddam Divinum, nobis ineffabile, ex DEI omnipotentia mutuavit: quare dicebat: Dilectus meus mihi, & ego illi. Quid autem sit illi Dilectus, & quid illa Dilecto, non dicit, quia id tantum est, ut ad illud explicandum verba deficiant, illudq; viatori sit inscrutabile.* Hæc Richardus.

Christus à B. V. formam omnimodam accepit.

Idem Vir Religiosissimus hanc Matris in Filium transformationem Paulino illo dicto 1. Cor. 6. confirmavit: *Qui adhæret DEO, unus Spiritus est; unitate scilicet amoris, & gratiæ; quomodo non magis*, inquit, *anima Mariæ, à qua nunquam recessit, & corpus, in quo novem mensibus habitavit incarnata Sapientia, Deificata sunt à Filio? quomodo non facta sunt ignita, siquidem idem Filius Ignis est? sicut enim aqua conversa est in vinum; ubi nec accessit vinum, nec recessit aqua. Sed alterum factum est aliud, non successionis vice, sed immutationis origine, nec rationis expositione, sed admirationis obtentu: Sic Maria priùs sicut aqua purissima, in Spiritus S. superventione, & Filij DEI conceptione, quasi conversa est in vinum super omnia, post Christum lætificans cor hominis.* Hactenus Richard. de Matris in Filium transformatione.

M. velut aqua purissimà in vinum, id est, Filium transformata.

50. Et quia mores, ut plurimum temperamentum corporis sequi consuevêre, ut communis cum Galeno atq; Hippocrate fert Medicorum opinio, jure dicimus, Dei Filium, quâ homo, Matris temperamentum, cumque eo amabilissimam illam, pijssimamque indolem, moresque sortitum, cùmque ejus lacte humilitatem, misericordiam, mansuetudinemque suxisse, quo se humano generi amabilem, benignumque ostendendo, omnes ad se alliceret, omnes suo dulcissimo amore inflammaret. Mater vicissim dilectissimi Filij mores suavissimos, indolemque benignissimam

Christus cum temperamento corporis, Matris mores hausit, ac indolem.

cum effusissimis illis pietatis ipsius visceribus ita induit, ut Natus illi toto ore, oculisque promicare videretur. Et quod ad Filium attinet, id per se est evidentissimum. DEUS enim ille terribilis, DEUS ille ignis consumens, in cujus conspectu quondam ignis exardescebat, & in circuitu ejus tempestas valida, DEus ille, qui ob peccatum Protoplastorum tot, tantisque flagellis attrivit Orbem, eumque elementorum, aquæ præsertim, ac ignis prædæ quodammodo exposuit. DEUS, inquam, ille, postquam ubera Virginea Matris misericordiæ suxit cum lacte ejus imbibisse benevolentissimam visus est indolem; illoque quasi inebriatus, omnium injuriarum, quas illi perditissimi intulerant mortales, oblitus est. Vnde ipse Filius vim ejus lactis, atque energiam expertus, dicebat Matri Cant. 1. *Meliora sunt ubera tua vino.* Quæ verba trutinans Ioannes Card. Halgrinus, præclarissimè declaravit: *Meliora sunt*, inquiens, *potentioris, & uberioris efficacia ubera B. V. quàm vinum. Nam vinum inebriare potest hominem, vt præteritarum sit immemor offensarum, & sit facilis ad condonandum, & largus ad donandum. Vbera verò Virginis quasi inebriare potuerunt. Nam postquam de Matris uberibus bibit, acsi cum lactis dulcedine dulcedinem bibisset misericordiæ, projecit ab oculis peccata nostra post tergum, & factus est largus ad dandam peccatorum veniam.* Sic Halgrinus.

Ira Dei ante Incarnationem.

Dei Filius, Virgineo lacte inebriatus oblitus est injuriarū.

Quare ipsemet Filius lac illud Matris Virginis vinum quoddam esse arbitratus, ita loquitur, ut promiscuè lac, vinum; & vinum, lac sibi esse videatur, dum inquit: *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Quam sententiam rursus expendens Cardinalis, mirificam DEI in mortales omnes pietatem, indolemque benignissimam pòst Incarnationem in utero Virginis peractam deprehendit: *Ille*, inquiens, *qui propter iniquitates hominum sic erat tactus dolore cordis intrinsecus, vt æterni supplicij Mundo diluvium præpararet, postquam lac bibit de Virgine, quasi vino potus, & lætificatus corde, velut oblitus tristitiæ, quem induxerant mundi malitiæ, à supplicijs ad misericordiæ beneficia se convertit.*

Lac B V. vinum fuit Filio Dei, quo inebriatus est

Non dissimiliter eadem verba explicuit Richardus à S. Laurent. lib. 12. de laud. B. V. *Conjungit vinum, in quo ebrietas, lacti, in quo est dulcedo, quia ebrietatem bibit in lacte materno. Qui enim antequam bibisset lac Matris districtè judicans cum severitate puniebat, postquam carnem sumpsit ex Virgine & bibit de ejus lacte, severitatem sic in misericordiam commutavit, vt velut lacte Materno deebriatus, peccatorum nostrorum videatur oblitus.* Sic Richardus.

Christus lac Matris sugendo pietatem suxit.

51. Eandem pietatem, misericordiamque Filium ex Matris uberibus suxisse censuit Richardus de S. Victore cap. 23. in Cant. encomium illud explicans Sponsi: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli.* Postquam enim docuisset misericordiam DEiparæ esse celerem ad instar hinnulorum ad nostris miserijs quantocyus opitulandum; subjunxit: *Et quid mirum si misericordiâ affluis, quæ ipsam Misericordiam peperisti?* (Filium nempè misericordiæ indole, pijssimisq; moribus quam simillimum) *carnalia in te Christus ubera suxit, vt per te nobis spiritualia fluerent. Cùm enim misericordiam lactasti, ab eadem misericordia ubera accepisti. Cùm materiale lac ex te DEVS suxit, spirituale pariter per te Filij DEI fluere cœpit. Ex eo miserorum Mater facta es, & miseros alere misericordiæ lacte cœpisti. Et cùm misericordia DEI sit ab æterno, amplior esse cœpit ex tempore. Et cùm ex te cœpit initium, ejus quoq; largitas per te sumpsit augmentum. In te ergo concrevit lac Divinæ misericordiæ, & ex te nobis profluxit.* Dum nimirum dilectissimum suum lactavit Filium, eique cum lacte pientissimam illam, amabilissimamque indolem indidit. Quam adhuc in ipso Virgineo suo utero commoranti ipsi contulerat, ut B. Andreas Hierosolymitanus Orat. in Angel. Salut. insinuare videtur: *DEI Filius*, inquiens, *naturâ suâ Sanctius in vtero Virginali, ceù naturæ officina, quo ad Incarnationem se mirabiliter conclusit: Humanitatis enim studiosus est.* Quasi diceret: quia DEI Filius humanum genus redempturus erat, eique pietatem, misericordiamque exhibiturus, ideò sese utero Virginis quasi humanitatis, ac pietatis, sive officinâ, sive palæstrâ reclusit, quo amore nostri, humanitati, ac pietati studens, perfectionemque hujusmodi Heroicarum Virtutum sortitus, effusiora nobis suæ misericordiæ viscera demonstraret.

Misericordia & pietas B. V. sunt duo hinnuli Capreæ.

B.V. ipsam Misericordiam peperit.

Christus ubera sugendo Matris, fecit eam Misericordiæ Matrem.

In M. lac Divinæ misericordiæ concrevit.

Christus in utero Matris pietati, & humanitati studuit.

52. Neque verò solùm pietatem, misericordiamque cum lacte Materno suxisse visus est DEI Filius, verùm etiam humilitatem illam suam planè singularem; quæ Matris quasi Virtus proprijssima videtur fuisse. Vnde dicebat ipsa

Christus humilitatem cum lacte Matris imbibit.

Cant.

Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo, Nardus mea dedit odorem suum.* Quæ verba pijssimus trutinans Richar. à S. Laurent. lib. 1. de laud. Virg. cap. 5. inquit, *Sunt B. Mariæ verba de sua humilitate, quâ devotionem suam usq; ad cœlos ascendentem effudit, DEIq; Filium, usq; ad terram inclinantem, qui in altis habitat, & humilia respicit. Nec dixit; Cedrus vel Cypressus, vel quævis arbor alta, quæ cæteras designat virtutes, sed Nardus mea, hoc est humilitas mea propria, seu humilitatis meæ devotio, cùm esset Rex in sinus Paterni accubitu nondum factus visibilis, dedit odorem suum, placuit videlicet Altissimo, cujus suavitatis odor non solùm Mundum circumquaq; perfudit, sed etiam totam supernam civitatem aspersit, perueniens usq; ad nares Domini, jam dudum in sinu Patris expectantis, ac desiderantis odorem hunc. In nullo enim Angelorum huic similem poterat inuenire. Odore hoc humilis Virginitatis, & Virgineæ humilitatis suauissimo allectus, totusq; raptus DEI Filius de sinu Patris saliȷt in vterum Matris.* Hæc Richard. de humilitatis virtute Virginis propria.

Humilitas est virtus B. V. propria.

53. Hanc D. Bernard. Tract. de Grad. humilitatis, virtutem etiam Christi, quam quasi ab utero Matris acceperat, cùmque ejus lacte suxerat, appellavit. Interpretans enim illud Apostoli 2. Cor. 12. *Virtus in infirmitate perficitur. Quæ Virtus,* inquit? *Ipse Apostolus respondeat: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me Virtus Christi. Sed nondum fortè intelligis, de qua specialiter dixerit, quia Christus omnes uirtutes habuit. Sed cùm omnes habuerit, præ omnibus tamen unam, id est, humilitatem nobis in se commendauit, cùm ait: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Libenter igitur, & ego Domine IESV gloriabor, si potero in mea infirmitate, vt tua Virtus, id est, humilitas perficiatur in me.* Sic Bernardus.

Humilitas est virtus Christi.

Quod porrò virtus hæc, DEI paræ fuerit admodum familiaris, ac quodammodo ejus naturæ consentanea, idem ostendit Epist. 42. ad Henricum Episc. Senonensem scribens. Postquam enim multa in laudem humilitatis præmisisset, addit tandem Virtutem hanc Virgini fuisse propriam, in eaque potissimum fuisse gloriatam: *Hæc,* inquiens, *humilitas, uirtutibus illis, castitati uidelicet, & charitati in tantum est necessaria, vt absq; ista, illæ nec esse uirtutes uideantur. Nempè, vt castitas, seu charitas detur, humilitas meretur. Quoniam humilibus DEVS dat gratiam. Seruat acceptas, quia non requiescit Spiritus Domini, nisi super quietum, & humilem. Seruatas consumat, nam virtus in infirmitate, id est, in humilitate perficitur. Inimicam omnis gratiæ, omnisq; initium peccati debellat superbiam, & tam a se, quàm a reliquis virtutibus superbam illius propulsat Tyrannidem. Siquidem cùm ex alijs quibusq; bonis, virium magis suarum capere soleat incrementum superbia, sola hæc propugnaculum quoddam, turrisq; virtutum, ejus fortiter resistit malitiæ, obviat præsumptioni. Sola deniq; est, de qua omnium plena virtutum Maria sibi gloriandum esse putavit. Audito quippè ab Angelo; Ave Gratia plena, quam solam, ex ipsa plenitudine humilitatem in se recognosceret, solam rependisse, ac respondisse memoratur in gratia; Respexit, inquiens, DEVS humilitatem Ancillæ suæ.* Concludit tandem; ipsum etiam Filium exemplo Matris in sola hac virtute, quam ab ipsa cum lacte acceperat, fuisse gloriatum: *Quid deinde,* inquiens, *Auctor, & dator virtutum Christus, in quo omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ DEI sunt absconditi, in quo omnis quoque plenitudo Diuinitatis habitat corporaliter? Nónne tamen & ipse de humilitate, tanquam summa suæ doctrinæ, suarumq; virtutum gloriatus est? Discite à me, inquiens, non quod sobrius, aut castus, aut prudens, aut aliquid ejusmodi; sed quia mitis sum, & humilis corde. A me, inquit, discite: non ad doctrinam Patriarcharum, non ad Prophetarum libros ego vos mitto, sed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inuiderunt mihi altitudinem, quam habeo apud Patrem, Angelus, & Fœmina; ille potentiæ; ista scientiæ. Vos autem æmulamini charismata meliora discentes à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

Humilitas Castitati, ac Charitati necessaria.

Humilitatis laudes.

De humilitate sola M. est gloriata.

Sic mellifluus Doctor clarè nobis ostendens tam Matrem, quàm Filium hâc potissimum virtute præ cæteris omnibus delectatum, utpote quæ utrique connaturalis, & ab ipsis incunabulis cum lacte nutricis fuerat ingenerata; ita ut verè dicere possimus, Matrem sanctissimam naturâ suâ, ad omnes quidem virtutes fuisse propensissimam, virtutumque omnium fomitem, sed maximè sanctæ hujus humilitatis in se radicatum habuisse; eandemque virtutem naturaliter in Filium, quâ homo, ut imaginem suam naturalem transfudisse.

B.V. habuit omnium virtutum, ac præsertim humilitatis fomitē

54. Verissimum enim est illud quod vulgo dicitur:

Sæpe solet similis Filius esse Patri.

Et illud Gale. lib. 1. de sem. c. 11.

Atq; si quid aliud, & hoc naturis inest, ut sibi ipsis similia faciant. Quare Aristoteles lib. 4. de Gener. animal. cap. 3. sapienter pronunciavit: *Qui suis parentibus similis non est, monstrum quodammodo est. Discessit enim in eo quodammodo natura, ex proprio genere, & cœpit quodammodo degenerare.* Plura, quibus hanc Filiorum cum parentibus similitudinem idem Philosophus esse naturalem comprobat, prætermitto. Illud sanè, quod ipse lib. de sensu & sensili cap. 4. de fontibus scribit, veritatem hanc præclarissimè illustrat. Ait enim, quod quemadmodum fontes varios terrarum meatus penetrantes, earum qualitatibus afficiuntur: sic Filij progenitorum naturâ, indole, moribusque imbui consueverunt. Verba Philosophi sunt hæc: *Apparent sapores quicunq; quidem in his, quæ circa fructûs, hi existentes & in terra. Quare multi antiquorum Philosophorum dicunt, talem esse aquam, per qualemcunq; terram transeat; & hoc manifestũ est in salsis aquis vel maximè, Sal enim quædam terræ species est. Quare & quæ per cinerem colantur amarum, amarum faciunt saporem. Sunt quoq; fontes multi, hi quidem amari, hi verò acidi, alij autem omnimodos habent sapores alios. Rationabiliter igitur in terra nascentibus, fit saporum genus. Maximè enim pati natum est humidum.* Quid mirum igitur, si Fons ille Sapientiæ Verbum Dei in excelsis, in uterum Virginis humillimæ, velut terram benedictam ingrediens, ibiq; novem mensibus commorans, saporem illum dulcissimum humilitatis, ac mansuetudinis terræ illi Virgineæ inditum à natura, imbiberit?

Filij parẽtibus dissimiles, sunt monstra.

Aquæ saporẽ terræ, per quã transeunt, imbibunt.

Audiamus denique de hac tam Matris, quàm Filij humilitate Guerricum Abbat. ser. 3. de Assumpt. *O humilitas angusta tibi, ampla Diuinitati; pauper & insufficiens tibi, sufficiens ei, quem non capit Orbis; copiosè, ac deliciosè reficiens illum, qui & Angelos pascit! Super quem, inquit, requiescam, nisi super humilem? In omnibus requiem quæsiui, sed apud humilem Ancillam inueni. Non est inventa similis illi in gratia humilitatis, ideò in plenitudine humilitatis requieuit etiam corporaliter omnis plenitudo Diuinitatis. Quanquam aliter requieuerit in Filio; quia etsi Mater humillima, longè tamen Filius humilior.* Hæc Guerric.

M. nulla creatura similis in humilitate.

In plenitudine humilitatis B. V. requievit plenitudo Divinitatis.

55. Ex quibus sanè facilè est colligere virtutem humilitatis, utpotè admodum utrique naturalem, sibi mutuo Matrem, ac Filium communicasse. Vnde D. Hieronymus ser. de Assumpt. exhortans Eustochium, aliasque Virgines, ad Virginearum virtutum imitationem, humilitatem Deiparæ; quam illa à Filio didicerat, æmulandam proponit: *Idcircò & vos ò Filiæ si veræ Virgines esse vultis, humilitatem sectamini, & Matrem Domini, quæ se Ancillam vocat, cordis amore imitari procurate, quæ didicit ab ipso Sponso, cui vos deuouistis, humilitatem, quam vos ex se docuit. Vnde ait: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Non ergo Beata DEI Genitrix à Filio suo Domino nostro didicit cœlos fabricare, non Angelos creare, non miracula Deitatis insignia operari, sed tantùm humiliari, cæteraq; virtutum documenta intra humilitatis custodiam aggregare.* Sic Hieronymus, de Virginis, quam à Filio didicerat, humilitate.

B. V. Virginibus imitanda, ejusq; Humilitas.

B. V. à Filio didicit humilitatem.

56. Quare licet sacrosancta Deipara generatione suâ purissimâ, ac nutritione, dilectissimo Filio pietatis, ac misericordiæ, humilitatis, ac mansuetudinis plenissimam illam indolem communicârit, credendum tamen est, ab ipso quoque Altissimi Filio, Matrem generatam quodammodo, ejusque uberibus nutritam, pientissimam illam indolem, humillimam, ac mansuetissimam, omnique misericordiâ plenissimam priùs fuisse sortitam, effectamque generatione illâ spirituali, verissimam, spirantemque ejusdem Imaginem. Quemadmodum enim Filius, ut sæpiùs dictum est; procedit per intellectum à Patre, velut viva, consubstantialis Imago, omniaque in se Patris attributa, perfectionesque repræsentat; Sic Mater quoque à Creatore ita efformatur Filio, ut ab ipso in similitudinem procedat naturæ, ipsiusque generosam indolem, mores, virtutesque in se velut Imago exprimat; adeò ut verè illi dicere id possit Filius, quod ipsi Filio post resurrectionem Ambrosius introducit dicentem Patrem in Psal. 40. *Filius meus es tu, ego hodie genui te: hoc est, generationis meæ in te privilegium recognosco, quem nulla macula potuit inquinare peccati. Ita inter peccatores versatus es, peccata omnium suscepisti; peccatum pro omnibus factus es, maledictum pro omnibus factus es; sed nullus usus ad te potuit transire peccati. Ita inter peccatores versatus es, quasi inter Angelos versareris. Fecisti terram esse, quod cœlum est, vt & ibi peccatum tolleres. Hodie te genui, in quo lucem immaculatæ Prolis agnosco. Nox in te nulla, quia totus es dies.* Verè enim in instanti Conceptio-

Filius Dei Matrem spiritualiter generavit sine macula, in ejus Conceptione.

M. ad instar ipsius Filij generata spiritualiter.

ceptionis Filius ita Matrem in spiritu generavit, ut nullâ maculâ originalis inquinaretur peccati; ita inter peccatores versata est, ut omnibus, Dilectissimum suum imitata Filium, omnis virtutis efficeretur exemplum; & Apostolos, quibus cùm versabatur in Angelos, & terram transformaret in cœlum. Verè in Virgine nox nulla, tenebræ nullæ peccati, quia tota, totius vitæ decursu lucidissimus quidam virtutis dies, occasum omnem ignorans, extitit.

B.V. Conceptio immaculata.

57. Quare hæc spiritualis generationis in Virgine D. Chrys. Hom. de S. Ioanne Bapt. DEI Filij agnoscens privilegia, memorabilem protulit sententiam: *Meritò is quoq; qui natus est, Matri talia privilegia præbuit, quæ etiam habuit solus, & illi quoq; soli dedit: Non habuit ipse fratrem ad generationem, neq; dedit Matri Sororem miraculi.* Quasi diceret: Sicut DEI Filius hoc singulari gaudet privilegio, quod unicus, absque Fratre eandem numero cum Patre habens substantiam, ut Imago Paterna genitus est: ita ipsius quoque Mater sanctissima unica ab ipso singulariter, velut spirans ipsius Imago, inaudito planè miraculo, absq; alia sorore generata est. Hinc SS. Patres Filij DEI in Virgine quamplurima agnoscentes privilegia, ita loquuntur, ut eam quasi naturalem DEI Filiam, Imaginemque prorsus Divinam agnoscant.

M. habuit privilegia generationis ipsius Dei Filij

M. latum Divinitatis promptuarium.

M. Cœlestis Thesaurus.

M. Divinitatis Divitiæ.

Quid enim sibi volebat aliud S. Ioannes Damascen. Cùm gravissimè pronunciavit; DEI param, latum esse Divinitatis promptuarium? Quid Origenes cùm verba illa exponens Angeli Matth. 1. *Noli timere accipere Mariam Coniugem tuam, dixit: Accipe illam, vt cœlestem thesaurum, ut Divinitatis divitias.* Quid Petrus Abbas Cellensis cùm lib. de Panibus cap. 12. gravissimè edixit: *Privilegio Filij sui supra totius creaturæ meritum Mater DEI, aspersione Spiritus Sancti totâ Deitatis gratiâ est superfusa.*

M. totâ Deitatis gratiâ superfusa.

58. Idem pientissimus Abbas mutuâ hâc inter Filium, Matremque generatione, admirabilem planè privilegiorum describit communicationem c. 21. dum ait: *Sponsus refundit in Sponsam, quicquid in se habet dulcedinis, quicquid honoris & potestatis;* Quæ sanè omnia ad Divinitatem Filij spectant. Tum de Matris refusione in Filium subnectit: *Denuò mutuâ vicissitudine in se ipso resumit ab ea, quicquid paupertatis, quicquid amaritudinis, quicquid contumeliæ est & passionis. Hâc commutatione procul dubio ipsa ditatur, sed ipse non minoratur, ipsa melioratur, nec ipsa suâ Maiestate privatur. Amarum enim nostrum vertit in dulce suum; opprobrium, in gloriam commutat; de spinis nostris colligit ficus; de rubo vindemiat uvam; de morte, vitam; de passione mercatur gloriam. Sponsus iterum, quia Gigas est magnitudine; Sol pulchritudine; Leo fortitudine; Abyssus, Scientia profunditate; DEVS æternitate; Sponsa verò puella ætate; parvula quantitate; Æthyopissa, coloris nigredine, Fœmina debilitate; Fatua in omni prudentia & arte; Idcircò in thalamo contraxit se, paulò minus minoratus ab Angelis, exuit se vestimentis gloriæ, accinctus cilicio; deposuit fortitudinem, circumdatus infirmitate; abscondit sapientiam, ut iumentum factus in derisum totâ die omni populo; æternitatem dissimulauit factus sub Sole, ut quasi cum tempore temporaliter curreret, nec deficeret. Os illud Altissimi collatum, & coarctatum est modicitati oris Sponsæ. Manûs tornatiles, quæ cœlos tetenderunt, affixæ sunt, manibus vulneratis convulnerata; pedes pedibus compeditis adhæserunt; venter ventri conglutinatus est. Res equidem pia, cùm infinitè immensus abbrevietur ad deiectum; sed nihilominus mira, cùm reparatur ad unitatem personæ Filij DEI natura filiorum Adam.* Natura, inquam, illa, quam ex purissimis Virginis sanguinibus coalitam ad unionis hypostaticæ dignitatem evectam in se transformavit, Divinæque Naturę, modo planè singularissimo Consortem efficiens, Imaginem suæ Divinitatis in ipsa repræsentavit.

M. cum Filio mutuæ communicationes Divinitatis, & Humanitatis.

Christus Gigas magnitudine.

59. De hac Filij cum Matre Divinitatis communicatione præclarè Guerricus Ignatiensis Abbas serm. 2. de Assumpt. Virg. dum eandem Matrem à Filio ad cœleste Regnum evocari verbis illis introducit: *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum: In te mihi quandam Regni Sedem constituam; de te iudicia decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plùs ministrauit in humilitate mea, nulli abundantiùs ministrare volo in gloria mea. Communicasti mihi præter alia quod homo sum, communicabo tibi, quod DEVS sum. Flagitabas osculum oris. Quin imò tota, de toto oscularberis. Non imprimam labia labijs, sed spiritum spiritui, osculo perpetuo, & indissolubili, quia concupiui speciem tuam etiam desiderantiùs, quàm tu meam. Nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu glorifeceris.* Idque sanè jure merito, cùm eadem caro sit quodammodo Matris & Filij, idemq; Spiritus.

Filius Matri Divinitatem quodammodo communicavit, sicut illa Filio Humanitatem.

60. Vnde sequitur honorem omnem, gloriamque, uti suprà memoravimus, Matris in Filium redundare, ob intimam illam, quæ est inter illos unionem. Hinc Tertullianus lib. de Oratione, Dominicam orationem declarans, in primo verbo; Pater; ait, nō solùm Filium, sed & Matrem Ecclesiam includi; meliùs dicere possemus ipsam Dei Matrem etiam recludi, quæ sicut Filius cum Patre, ita & illa cum Filio quatenus homo, unum est. *In Patre*, inquit ille, *Filius invocatur, nec Mater quidem Ecclesia præteritur, siquidem in Filio & Patre, Mater recognoscitur, de qua constat, & Patris, & Filij Nomen.* Cùm enim per Incarnationem Verbi in utero Virginali peractam, æternus Pater, noster quoque Pater sit factus, nosque ejus adoptionis Filij, per gratiam, quam nobis Dei Filius Humanitate, Virgineâque carne vestitus, nosterque Frater effectus, promeruit; Sequitur sanè Dei param quoque nostram esse Matrem. Atque ita invocando Patrem, invocamus & Filium; Filium deniq; quâ homo est, invocando, invocamus Matrem ejus dilectissimam, quæ illi carne suâ Virgineâ, purissimoque sanguine communicavit longè excellentiùs, quàm prima Mater Eva cum Adamo. Quare D. Athanasius ser. de SS. Deipara ostendens quomodo hæc Regina ob carnis unionem assistat in cœlis, à Dextris Filii, in vestitu deaurato, circumdata varietate, ita loquitur: *Variegata est, quantum attinet ad ossa sanctissima, quæ eius carnem suffulciunt. Nam ex carne eius, & ex ossibus eius, velut ex veteri Adamo, novus iste Adam, ut vicem eius expleret, costam sibi finxit, nimirum istam Incarnationem, eamq; semel indutam perpetuò gestat; ac proinde ista nova Eva Mater vitæ appellatur, variegataq; permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viventium. Dicimus eam igitur iterum, atq; iterum, & semper, & undequaq; Beatissimam;* Vtpotè, quæ tantopere Divinitati Filij, Mater ejus effecta, communicavit, ejusque Imaginem, generatione spirituali, velut Filia ad vivum repræsentavit, omnesque benedictiones cœli, & terræ fuit promerita.

In Vnione Matris cū Filio, etiā æternus Pater includitur.

Per Incarnationem Verbi in utero B. V. peractā Pater æternus noster etiam Pater factus est, sicut ejus Filius Frater.

M. nova Eva Mater vitæ appellatur.

61. Neque verò huic æternæ Sapientiæ, quæ se Matrem pulchræ dilectionis appellat, ubera spiritualia, quibus suam dilectissimam lactaret Matrē, defuerunt, quò magis perspicuè Virginis Matris, hanc generationem spiritualem, ex Verbo agnosceremus. Agnovit hæc ubera in Increata Sapientia, ipsa Mater benedicta, quæ, postquam Incarnationem, æterni postulavit Verbi, sub nomine osculi: *Osculetur*, inquiens, *me osculo oris sui*; mox intulit: *quia meliora sunt ubera tua vino.* Quæ verba D. Bernardus serm. 9. in Cant. agnoscens esse Sponsæ, sic eandem Sponsum alloquentem, introducit: *Si altum sapere videor, tu fecisti ò Sponse, qui in dulcedine uberum tuorum tantâ me dignitate lactasti, quatenus, omni metu depulso, audeam plùs fortè quàm expediat.* Agnovit & Aquila volans ubera hæc Spiritûs in Dei Filio, cùm Apoc. 1. dixit: *Vidi similem Filio hominis vestitum podore, præcinctum ad mammillas Zona aurea.* Hinc Guerricus Abbas ser. 2. de SS. Petro, & Paulo: *Ipse*, inquit, *Sponsus in diebus carnis suæ genuerat aliquos, verbo Veritatis, & quamdiu fuerat cum eis, lactaverat eos uberibus ædificationis, & consolationis: Et ipse siquidem Sponsus habet ubera meliora vino, doctrinâ nimirum legali, vel gaudio sæculari. Habet*, inquam, *Sponsus ubera, ne ullum de omnibus officiys, & nominibus pietatis eum prætereat; ut qui Pater est creatione Naturæ, vel regeneratione gratiæ, seu etiam auctoritate disciplinæ, sit etiam Mater, affectu clementiæ, sit & Nutrix sedulitate officij, & cura.* Sic Guerricus.

Sapientia æterna est Mater habens ubera, quibus B. V. lactavit spiritualiter.

Sponsus cœlestis habet ubera meliora vino

Sponsus cœlestis est Mater nostra affectu clementiæ, & Nutrix sedulitate, & curâ.

62. Has porrò Mammillas crediderim ego esse summum illud, cordialemque amorem, quo cœlestis Sponsus, ab omni æternitate prosecutus est Sponsam. Quemadmodum enim mammillæ suam radicem cordi defixam habent, ita ipsius in nos amor, imis cordis medullis, ante omnem sæculorum creationem fuit radicatus. Hinc legit Hebræus: *quia meliores sunt amores tui, vino.*

Vbera Sponsi sūt ipsius cordialis in nos amor.

At verò mellifluus Doctor ser. 9. in Cant. *Duo Sponsi ubera, duo in ipso esse ingenita mansuetudinis argumenta, quod patienter expectet delinquentem, & clemēter recipiat pœnitentem. Gemina*, inquam, *dulcedo suavitatis exuberat in pectore Domini IESV; longanimitas, scilicet in expectando, & in donando facilitas.* Quæ sanè virtutes, quas idem Sanctus geminas bonitates appellat, velut duo rami pulcherrimi de radice vernantis, vehementissimæque in genus humanum pullulant charitatis. De his amoribus proinde confisa Sponsa, audacter osculum Dominicæ Incarnationis expetijt. Nam eodem Bernardo teste ser. 12. in Cant. *Os osculans est Verbum*

Vbera Sponsi sūt longanimitas in expectando, & facilitas in donando

Verbum assumens; osculatum, caro quæ assumitur; Osculum verò quod ab osculante & osculato pariter conficitur, Persona ipsa, ex utroq; composita, Mediator DEI & hominum, homo Christus IESVS. Fœlix osculum, & stupendâ dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, sed DEVS homini unitur. Et ibi quidem contactus labiorum, complexum significat animorum. Hic autem consideratio naturarum Diuinis humana componit, quæ in terra sunt, & quæ in cœlis pacificans. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraq; unum. Ephes. 2. Sic Bernardus osculum illud, Verbi Incarnationem, amore nostri peractam explicuit.

Deus cur vocatus Saddai?

63. Porrò nulli mirum videri debet quod Incarnato Verbo ubera attribuantur, cùm inter innumera nomina, quibus in antiqua lege Deus compellabatur, non fuerit unum ex postremis, idq; suavissimum: *Saddai;* quod munificum, liberalemque denotat; derivaturque à radice *Scad*, quod mammillam significat. Atque ita *Saddai* Deum mammeum sonat, seù Deum habentem mammillas, ex quibus creaturæ omnes, velut infantuli lac suavissimum variorum beneficiorũ, gratiarum, donorumque cœlestium assiduè sugunt, ut ita complexionem quãdam Divinam sortiantur, Divinæque, ut ait Apostolorum Princeps, evadant consortes Naturæ. Quod si Philosophorum Princeps lib. 1. & 3. de Historia animalium, viros habere lac naturaliter minimè repugnare asseruit; cur lac, mammillasque, horumque effectûs, universorum denegemus Conditori, qui longè excellentiori ratione hæc, aliaque complectitur omnia?

Deus mãmeus dictus in antiqua lege

Lac viros habere non repugnat.

64. Quare sapienter Origenes Homil. 3. in Cant. docet, cùm Sapientiam Dei nominamus, non esse putandam aliquam esse fœminam, quia fœmineo nomine appellatur, nec Marem, quia eandem increatam Sapientiam, Sponsum, vel Græcè λόγον; nec generis neutri; quia eundem Sponsum, Divinum Verbum vocitamus. Verùm censendum est omninò Dei Filium super masculinum, & neutrum, ac fœmineum genus, & super omne, duod ad hoc respicit, esse; & in se omnia hæc virtualiter continere. Quod autem ita loquatur Scriptura, hoc, ait idem Origenes, propter homines fieri, qui aliter intelligere non possent, nisi verbis his, quæ in usu habentur, utamur, & ex notis ad incognita assurgamus, sensu illo tamen, quo de rebus Divinis, ac incorporeis sentire dignum est. Hinc est quod Salvator à nonnullis πατρομήτωρ, Pater-Mater appellari sit solitus. Illius nimirum sunt voces illæ, teneritudine amoris plenissimæ, conquerentis apud Isaiam, contra ingratitudinem Israëlis, Idola per summum nefas adorantis: *Audite me Domus Iacob, & omne residuum Domus Israël, qui portamini à meo utero. Vsq; ad senectam ego ipse, & usq; ad canos ego portabo. Ego feci, & Ego feram, ego portabo, & ego saluabo.* cap. 49. Illius quoque sunt voces illæ amantissimæ apud Oseam cap. 11. *Ego quasi Nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis.* Illius est promissio illa jucundissima Isa. 66. *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis; quomodo si cui Mater blandiatur, ita ego consolabor uos.* Illius denique est amantissima illa interrogatio apud eundem Vatem Evangelicum cap. 64. quâ sub nomine Sionis, animatam hanc Sionem Virginem Matrem videtur allocutus: *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur Filiò uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar, ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.*

Dei Filius omnia genera in se virtualiter continet.

Deus Pater-Mater

Deus est hominum Nutritius

65. Et meritò sanè iste pientissimus πατρομήτωρ suæ dilectissimæ Matris nequit oblivisci, siquidem sive manuas suas, sive totius sui sacrosancti corporis contempletur membra, quibus ad instar pulcherrimæ, magnificentissimæque Civitatis, velut muris, ac mœnibus è lapidibus preciosis, unionibusque compositis, circumdatur, fieri non potest, ut ipsi è memoria excidat, non est possibile, ut ei ex oculis evanescat, quia hâc ratione suiipsius oblivisci, sibi ipsi ex oculis quodammodo elabi videretur.

Dei Filius se, suaque membra inspiciendo Matris oblivisci nõ potest.

66. Ipsi denique Gentiles in Deo Maternam hanc naturam, pietatemque agnovere, inter quos Mercurius Trismegistus numerandus est præcipuus, à quo in Poëmandro universorum Conditor: *DEVS Mas-Fœmina*, dictus est.

Deus à Trismegisto Mas-Fœmina dictus.

Audiamus Apulejum 11. Met: ita cum Deo loquentem, Matrisque in eo pietatem profitentem: *Tu quidem Sancte humani generis Sospitator perpetuè, semper fouendis mortalibus mirificè, dulcem Matris effectionem miserorum casibus tribuis, nec dies, nec quies ulla, ac nec quidem momentum tuis transcurrit beneficijs otiosum, qui mari, terrâq; protegis homines, & propulsis vita procellis salutaris*

Deus dulcem Matris affectionem in nostris miserijs exhibet.

lutarem porrigis dexteram. Hinc veteres Iovem sub varijs nominibus, quæ Matris, ac nutricis pietatem sonare videntur, coluerunt. Divus Augustinus certè lib. 4. de Civ. Dei cap. 11. testatur, nomen Iovi, Ruminæ, Educæ, seu Edulicæ, & Potinæ fuisse attributum; ut nimirum in Diva Rumina, Mammam parvulo immulgeat, quia Rumam dixerunt Veteres Mammam; in Diva Potina, potionem ministret; in Diva Edulica escam præbeat, inquit idem S. Doctor.

Iuppiter, Rumina, Educa, & Potina cur dictus?

67. Vt porrò effusissimæ pietatis viscera prorsus Materna in Dei Filio agnosceremus, Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 6. Verbum Mammillam Patris, curarum oblivionem inducentem vocat, eosque verè beatos qui hanc lactant mammillam. Idem ait Homerum, vel invitum justos homines, γαλακτοφάγους, utpote Divino hoc lacte nutritos, quo justitia, atq; adeò omnimoda virtus imbibitur, vocitasse. Nec mirum cuiquam videatur Incarnatum Verbum, à Clemente Mammillam Patris appellari, siquidem Guerricus Abbas ser. 2. de SS. Apostolis Petro & Paulo. Paulum non tam ubera habuisse, quàm totum Vber extitisse asseveravit: Vnde ajebat suis Filijs 1. Thess 2. v. 7. *Factus sum in medio vestri sicut Nutrix sedens & nutriens filios suos. Quam plenus autem lacte redundârit spirituali,* inquit Guerricus, *pulchrè significatum est, undâ illius lactis visibilis, quod de corpore illius fertur exijsse, loco sanguinis cùm decollatus pro illis, quibus dabat mammillam, dedit & animam. Planè nihil in eum sanguineum, sed totum lacteum, qui nihil carnale, nihil suum cogitabat, sed totum quod alijs utile erat. Nec tam habebat ubera, quàm ipse totus Vber erat, qui ita misericordiâ uberi affluebat, ut non modò spiritum suum desideraret totum filijs immulgere, sed & corpus impendere. Factus erat nimirum Prædicator de persecutore, Mater de tortore, Nutrix de carnifice, ut planè intelligeres totum eius sanguinem mutatum in lactis dulcedinem, sævitiam in pietatem.* Sic ille.

Christus Mãmilla Patris.

Homines ab Homero galactophagi dicti quod Divino lacte nutrirẽtur

S. Paulus fuit Mammilla.

S. Paulus per misericordiam in proximos fuit totus Vber quoddam lacte plenum.

Quod si Apostolus ob pietatis viscera, totus Vber quoddam lacte charitatis refertissimum esse videbatur: quantò magis Dei Filius, qui misericordiæ visceribus plenus, visitavit nos oriens ex alto?

68. Quod autem Iusti his Divinis uberibus nutriantur, Zona illa aurea, quâ Dei Filium ad mammillas præcinctum conspicatus est Ioannes nobis indicat, ut Ticonius, & Beda testantur: *Sicut enim cingulo pectus adstringitur, ita Sanctorum multitudo Christo adhæret, ut Sanctis eius uberibus nutriatur,* ait Venerabilis. Quod si Christi fideles, ac justi, Christi Zona aurea, stola, ac vestis in sententia Origenis, atque aliorum sunt, atque appellantur, ejusque lacte pascuntur spirituali; quantò magis Deipara, quæ non modò Zona aurea, quâ se præcinxit, indutus decorem, verùm etiam vestis extitit, totum, humanitatis nostræ Regio paludamento, Dei Filium circumdando, mammillâ Verbi spiritualiter lactata est? Siquidem hoc illi jam pridem per Propheam Ose. 2. erat pollicitus, juxta expositionem Richardi à S. Laurentio lib. 8. de laudibus Virgin. Maria, inquit ille, *solitudo est, secundùm proprietates deserti. Et verè fuit solitudo, quia separata à turbine Mundi, & soli intenta Creatori, & in hanc solitudinem ducebat eam Spiritus sanctus, sicut prædixerat Oseas: Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem, & loquar ad cor eius:* Ducta verè fuit in solitudinem Virgo nostra, illâ Verbi æterni lactatione, ob Imaginem Divinitatis, quam præseferebat; ipsa enim erat una columba singularis, ac solitaria, non modò inter homines, verùm etiam inter ipsos Angelos, quæ Divinorum uberum lacte variarum gratiarum nutrita, copiosissimo, velut genuina Filia indolem, similitudinemque sui Progenitoris, ac Nutricis Gratiæ in se repræsentavit. Vnde nil mirum, quod quemadmodum Filius Matris lacte nutritus, pijssimam illam, benevolentissimamque ejus complexionem, membrorum Symmetriam, ac lineamenta, morumque suavitatẽ sit adeptus; sic etiam Mater ejus sanctissima spiritualiter mammillis Filij lactata vicissim, pientissimam illam, optimamque imbiberit indolem, ejusque misericordiæ formam in se expresserit.

Ecclesia est Cingulũ aureum quo Christus ad mammillas præcingitur.

Ecclesia Christi uberibus nutritur.

M. uberibus Christi lactata spiritualiter.

69. Lactationem hanc Deiparæ à Filio spiritualiter factam, intellexit Richardus de S. Vict. cap. 23. in Cant. dum ipsam alloquens ajebat: *Lactas miseros & ab ipsa Misericordia lactâris. Ab ipsa enim percipis, quod refundas. Et quid mirum, si misericordiâ affluis, quæ ipsam Misericordiam peperisti?* Misericordia enim illa increata, lactando spiritualiter Virginem talem ipsi naturam indidit, ut & ipsa pietatis, ac misericordiæ sortita visce-

M. ab ipsa Dei misericordia quæ est Filius, lactata.

scera, ac ubere, miseros mortales lactaret, eorundemque miserias sublevaret. Atque ita Divinissimo illi admota, atque approximata pectori, tantâ puritatem, sanctimoniamque imbibit, ut omnem creaturam tam humanam, quàm Angelicam, Naturæ, Gratiæque donis transcenderet. Audite B. Andream Cretensem Episc. serm. 2. de Annunc. *Virgo ipsorum Seraphin vincens naturam, miraculo DEI generationis* (passivæ videlicet, & activæ) *est proxima natura, proximè accedens ad DEUM Opificem omnium Generationũ.*

M. ob Divinam generationẽ Deo proxima.

Audite & Seraphicum Bonaventuram ser. 2. de Annunc. *Hæc,* inquit S. Doctor, *in tantum DEO proxima fuit, tantâq; sanctitate resplenduit, ut creatura aliqua non unita Verbo, nec perfectior, nec majoris boni capacior fuerit.*

Albertus denique Magnus Tract. super Missus vicinitatem hanc Virginis cum Deo, ex ipsius tam animi, quàm corporis perfectissimâ comprobat incorruptione, quam sine dubio lactatione illâ spirituali consecuta est, cùm lac materna proli, eandemq; ut plurimùm, conferre soleat complexionem. *Incorruptio,* inquit B. Doctor, *facit proximum DEO. Sed in B. V. fuit improportionabilis incorruptio; ergo & improportionabilis proximitas cum DEO, super omnes viatores.* Hæc Albertus.

M. Deo proxima ob incorruptionẽ.

70. Et verò adeò Virgo proxima, lactatione illâ Verbi, Deo extitit, ut non tam vicina vestis corpori esse videretur. Quid enim aliud sibi volebat Ioann. 12. Apoc. cùm in cœlo amictam Sole mulierem, aquilinis illis oculis contemplatus est? Et quis tandem est iste Sol, qui mulierem fragili mortalitatis humanæ massâ circumdatam vestit?

M. Mulier amicta Sole.

Si queramus D. Bernardum, respondebit ser. de verbis Apoc. Solem illum non esse hunc aspectabilem, sed alterum nempè Iustitiæ, qui uti sibi tam intimè approximavit Virginem, ut eam lactaret, ita quoque tam arctè sibi ejus humanitatem copulavit, ut eâ vestitus esse videretur. cui beneficio non ingratus, mirificis suæ gratiæ splendoribus ita eandem vestire est dignatus, ut ipso Iustitiæ Sole amicta, dum omnibus indifferenter lucem miserationum suarum porrigit, censeretur. *Nimirum Maria est,* inquit Sanctus, *quæ velut alterum Solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos & malos indifferenter oritur: sic ipsa quoq; præterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium deniq; necessitates, amplissimo quodam miseretur affectu. Magna familiaritas, sed mira omninò vicinitas Solis & mulieris. Quomodo enim in tam vehementi fervore tam fragilis natura subsistat?* Tum paucis interpositis conversus ad Virginem, ejusq; in Iustitiæ Solem hunc transformationem, vi charitatis intimæ peractam demiratus, postquam illud Apostoli præmisisset: *Induimini Dominum IESUM Christum*; eam sic affatur: *Quam familiaris ei facta es Domina, quam proxima, imò quam intima fieri meruisti, quantam invenisti gratiam apud DEUM? In te manet, & tu in eo, vestis eum, & vestiris ab eo. Vestis eum substantiâ carnis, & vestit ille te gloriâ suæ Majestatis. Vestis Solem Nube, & Sole ipsa vestiris.*

M. ad instar Solis omnibus se communicat.

M. Vestis Christi.

Ex quibus sanè colligimus Deiparam gloriosissimam, non modò velut zonam auream, mammillis purissimis æterni Verbi, verùm etiam ad instar Regij cujusdam Paludamenti adhæsisse, indeque lac adeò suxisse Divinum, ut Divinam quandam nacta complexionem, ac indolem, Dei Filij, à quo spiritualiter in similitudinem naturæ generata erat, vivam, spirantemque Imaginem, puritate, ac sanctitate, alijsque Divinæ naturæ perfectionibus, velut coloribus expressam in se repræsentaret. Vocetur igitur à Salomone Deipara; *Candor lucis æternæ, Speculum sine macula Divinæ Majestatis;* siquidem in se velut quopiam animato Speculo pulcherrimam illam Filij Dei Imaginem, in quem desiderant Angeli prospicere, circumtulit.

M. sugendo lac spirituale æternæ Sapientiæ, Divinam nacta cõplexionẽ.

71. Quæ cùm ita se habeant, Imaginem hanc assiduè nobis ob oculos propositam habeamus, eamque identidem contemplantes tam Divinis coloribus, ac luminibus puritatis, sanctitatis, aliarumque cœlestium perfectionum decoratam, in nobis quoque, tantarum virtutum æmulatione exprimere, pro modulo nostro contendamus; ut quemadmodum non degeneravit Mater à Filio, nec vicissim Filius à Matre, sic nec nos ab illis degeneremus. Sed sicut benedicta Mater Filij indolem benevolentissimam, ideamque morum placidissimorum præseferendo, generositatem illius, ut loquitur Salomon Sap. 8. glorificavit; sic nos utriusque vitam, moresque incorruptos, ac planè Divinos

Mores Christi & M. imitãdi

nos assiduè quo ad per naturæ nostræ fieri potest imbecillitatem, imitantes, Generositatem eorundem, toto Orbe glorificemus, ita ut quicunque mores, conversationemque nostram intuentur, intelligant revera nos genuinos, ac minimè tantorum Parentum degeneres esse Filios. Quod sanè facilè consequemur, si imitatione Virginis, contubernium habeamus Dei, quod de illa idem prædicavit Salomon, Contubernium, inquam, Dei, in familiari cum Divina Majestate conversatione, quæ sanctis orationibus, meditationibus, alijsque pietatis exercitationibus, assiduoque variarum virtutum usu comparatur.

Contubernium Dei est familiaris in oratione cum ipso conversatio.

Meminerimus subinde illius D. Gregorij Nysseni lib. de Perfect. doctrinæ saluberrimæ, quâ fideles omnes instruit, quânam ratione Divinam naturam imitari valeant, nempè actionibus, Dei actionibus conformatis. Cùm enim quæsisset: *Quænam igitur à nobis proficiscuntur actiones, quæ DEI actionibus sunt similes?* Respondit: *Ab omni vitiositate, atq; malitiâ, quo ad ejus fieri potest alienos esse, atq; ab ejus inquinamentis tum opere, tum sermone, tum etiam mente vacuos, ac puros esse. Id revera Divinæ perfectionis imitatio est.*

Natura Divina imitanda, virtutum exercitatione.

72. Verùm quia nec fugere peccata, nec virtutis opera, absque ope Divina exercere possumus, rogandus est ille ipse, qui in Matre sua dilectissima ita vivam, venustamque suam expressit Imaginem, ut nobis quoque dexterâ illâ suâ omnipotenti, arteque Divinissimâ, quâ in prima nostri creatione suam impressit effigiem, eandem quoque reformet, novâque in dies singulos virtutum luce collustret, quo velut Filij Dei genuini, indolem cœlestis Parentis præseferentes ab omnibus agnoscamur.

Rogandus Deus, ut in nobis suam Imaginem reformet.

Audiendus hic D. Ambrosius lib. 6. Hexam. c. 7. *Tibi ergo attende,* inquit S. Doctor, *& te ipsum scito, hoc est non quales lacertos habeas, non quantam corporis fortitudinem, non quantas possessiones, quantam potentiam, sed qualem animam, ac mentem, unde omnia consilia proficiscuntur, ad quam operum tuorum fructus refertur. Illa est enim plena sapientiæ, plena pietatis, ac justitiæ; quoniam omnis virtus à DEO est. Cui dicit DEVS: Ecce ego Ierusalem pinxi muros tuos, Isa. 40. Illa enim à DEO pingitur, quæ habet virtutum gratiam renitentem, splendorem pietatis. Illa anima benè picta est, in qua est splendor gloriæ, & Paternæ imago substantiæ. Secundùm hanc Imaginem quæ refulget, Pictura pretiosa est. Adami ante peccatum. Sed ubi lapsus est, deposuit Imaginem cœlestis, sumpsit terrestris effigiem. Sed fugiamus hanc Imaginem, quæ intrare Civitatem DEI non potest, quia scriptum est: Domine in Civitate tua Imaginem eorum ad nihilum rediges Psal. 72. Et non intrat indigna Imago, & quæ intraverit, excluditur. Quia non intrabit in eam omne commune, & qui fecit execrationem & mendacium. Apoc. cap. 21. Sed ille intrabit in eam, cujus in fronte Agni nomen scriptum est. Anima igitur nostra ad Imaginem DEI est. In hac totus es homo, quia sine hac nihil es, sed es terra, & in terram resolueris.* Hæc Ambr.

Anima nostra à Deo picta

In homine Dei Imago picta est.

O Creator benignissimè, Domine Vniversorum potentissime, pinge animam meam velut tuam Ierusalem, animas videlicet illas sanctas, cœlestis Hierusalem incolas, velut Virgineam illam, animatamque cœli Civitatem, in qua novem mensibus habitare non es dedignatus. Pinge, inquam, & ita pinge, ut in illa virtutum gratia, splendorque pietatis enitescat. Pinge ita, ut in illa tuæ Divinæ operationis effigies reluceat. Pinge ita, ut tuæ Paternæ gloriæ splendor, atque Imago tuæ substantiæ Filius tuus Iesus in illa effulgescat, quo secundi hujus Adami de cœlo cœlestis insignita similitudine, cœlestis Patriæ civis evadat, tuamque gloriam facie revelatâ speculando, in eandem Imaginem transformetur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu 2. Cor. 3. v. 18. Cave ò homo, cave ne Divinam hanc in te à Deo depictam Imaginem, peccatis, sceleribusque deturpes, cave ne hanc supremo illi Artifici injuriam inferas, ejusque opus tam eximium, ac præstans corrigere velle videaris.

Audi eundem Ambrosium in hujusmodi hominum monstra severè detonantem eodem lib. c. 8. *Pictus es ò homo, & pictus à Domino DEO tuo; Bonum habes Artificem, atq; Pictorem; noli bonam delere picturam, non fuco, sed veritate fulgentem, non cerâ expressum, sed gratiâ. Deles picturam mulier, si vultum tuum materiali candore oblinas, si acquisitiuo rubore perfundas: illa pictura vitij, non decoris est: illa pictura fraudis, non simplicitatis est: illa pictura temporalis est, aut pluuia, aut sudore tergitur: illa pictura fallit, & decipit, vt nec illi placeas, cui placere desideras, qui intelligit non tuum, sed alienum esse, quo placeas, & tuo displiceas Auctori, qui videt opus suum deletum.* Dic

Mulieres non pingant facies stibio & cerussa.

Gravis mulierum reprehensio faciem stibio fucantium.

Dic mihi si super Artificem aliquem, inducas alterum, qui opus illius superioris nouis operibus obducat, nonne indignatur ille, qui opus suum adulteratum esse cognouerit? Noli tollere picturam DEI, & picturam meretricis assumere, quia scriptum est: Tollam ego membra Christi, faciam membra meretricis? Absit: Quod si quis adulterat opus DEI, grave crimen admittit. Grave est enim crimen, vt putes, quod meliùs se homo, quàm DEVS pingat. Grave est, vt dicat de te DEVS: Non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam, non agnosco vultum, quem ipse formavi. Reijcio ego quod meum non est. Illum quære qui te pinxit, cum illo habeto consortium, ab illo sume gratiam, cui mercedem dedisti. Quid respondebis? Obmutesces certè ò homo, & ligatis manibus, ac pedibus proijcieris in tenebras exteriores, ubi fletus & stridor dentium.

Adulterare Opus Dei grave crimen, quod faciunt vanæ mulieres.


Vanæ mulieres à Deo reijciuntur.

Tandem Vir sanctissimus concludit: *Cognosce ergo te decora anima, quia Imago Dei es, cognosce te homo, quia gloria DEI es, cognosce te ò homo quantus sis, & attende tibi, ne quando laqueis implicatus Diaboli, fias præda venantis, ne fortè fauces tetri illius leonis incurras, qui rugit, & circuit querens quem devoret. Attende tibi, ne obliuiscaris DEVM qui te fecit. Hæc enim obliuio, DEI obliterat Imaginem.* Quin potiùs assiduè Dei memineris, nec toties respires, ut suadet Nazianzenus, quoties dulcissima Dei tui memoria mentem, animumq; tuum subeat. Hæc nimirum Dei memoria nová semper luce, ac colore virtutis, Dei similitudinem in te reformat, ac perficit. Nec hujus Dei memoriæ assiduitate fatigeris; quia etsi diu, Dei tui recordando, Imaginem illius in te pingis, æternitati tamen pingis, æternitati laboras, æternitati opus tuum transmittis. Hæc enim Divina in te Imago in æternæ gloriæ Templo æternum perduratura, æternæ illi præsentabitur Majestati, cui laus sit & gloria in æternum. Amen.

Cognitio sui quam utilis.

Dum animam virtutibus quasi coloribus ornamus, æternitati pingimus.

MEDITATIO XII.



Cvm in te Virgo sacratissima dilectissimi tui Filij Imaginem tam internam mentis, quàm externam corporis vivis coloribus, ac luminibus, singulari prorsus modo expressam contemplor, verè cum tuo Hesychio Presbytero, ac Bernardo, Gloriam luti nostri, cui tam præstans decor, formaque Divina est impressa, te appellare possumus, ac debemus. Tu enim primo illo Incarnationis momento cùm Verbum æternum Virginalis uteri tui hospitio in Mundum ad mortales invisendos adveniret, humillimo tuo cõsensu excipiens, quid aliud, quàm lutum nostrum visa es glorificare? Adeò enim anima tua tunc, ut Dilectus advenit, amore, ad instar ceræ liquefacta est, ut ipse tibi velut Divinum signaculum sit impressus, teque adeò amoris vi in se convertit, ac transformavit, ut unum quid cum illo, arte planè Divinissimâ sis effecta, & ideò à S. Augustino, Forma Dei, Filium repræsentans, sis meritò appellata, longè excellentiori modo, quàm homines reliqui; ac proinde sicut ille Patris, sic tu illius, vivam in te Imaginem, repræsentasti. Iam verò cùm ad ejusdem Dilecti tui dexteram in cœlo eodem in Throno exaltata resides, quid aliud, quàm lutum nostrum, quid aliud, quàm vilissimam hanc corporis nostri massam evehere, honorare, ac glorificare videris? Tu verè Domina quemadmodum es cœlestis Hierusalem, omniumque Angelorum, aliorumque beatorum Spirituum in cœlo degentium gloria, eos post Filium tuum unigenitum, lumine tuæ gloriæ irradiando, Divinumque quendam decorem, pulchritudinemque addendo, ac incredibili eosdem lætitiâ perfundendo; sic nos quoque miseros mortales, dum adhuc luteas hascé domos, casasque inhabitamus honestas, decoras, admirabilique tuarum gratiarum luce mentes nostras serenãs, lætitiâ quâdam cœlesti facis exilire, ita ut illis cœli quodammodo civibus associati, tibi jucundè canere possimus: *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te Sancta DEI Genitrix.*

Verè enim familiaris ille tuus Petrus Damiani tibi dixit serm. 1. de Nativit: *Summa gloria post DEVM te videre, tibi adhærere, in tua protectionis munimine demorari.* Verè etiam dixit Seraphicus ille tuus Filius Bonaventura: *Gloriosum gloria Mariæ privilegium est, quod post DEVM major nostra gloria, majus nostrum gaudium ex Maria est.* Quare tibi jure illud Iudithæ accinere possumus encomium: *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri.* Esto ò Virgo gloriosissima totius populi Christiani etiam nunc gloria, esto illius honorifi-

M. post Deum videre summa gloria.

centia, impetra illi à Dilectissimo Filio virtutes illas tuas puritatis, humilitatis, pietatis, ac sanctimoniæ, ut his exornatus Divinam illam, ad quam conditus est, similitudinem, formamque instauret, atque reformet. Impetra mihi ò Virgo præsidium meum, Virgo dulce decus meum, charitatem illam tuam ardentissimam, quâ velut cerâ cor animusque meus liquefactus, tuoque, ac Filij tui signaculo impressus vestrorum morum pulcherrimam in me formam, Imaginemque exprimam. Pone te ò Virgo suavissima, atque amabilissima, pone te, ut signaculum super cor meum, signaculum super brachium meum, ut ita sigillatum, consignatumque cor, brachiumque meum, ardentissimè amans te, atque ex amore tui operans, sanctissimam illam tuorum morum indolem repræsentem. O Virgo sanctissima! O animatum sanctimoniæ, puritatisque dilectissimi Filij tui Speculum! Verè cùm te attentiùs contemplor, moribus, omnimodâque perfectione illi assimilatam, erubesco, ac confundor, mentis oculos ad animam meam retorquendo, adeò vitijs, peccatisque deturpatam, ut primigeniam illam Divinæ Majestatis in se penè deleverit similitudinem. Extende igitur Domina mea manum illam tuam potentissimam, cœlestibusque virtutum tuarum coloribus, ac luminibus, primævam illam Dei Imaginem in anima mea pristino nitori restitue. En tibi Domina mea, animam hanc meam miserabilem dono, ac consecro. Creavit illam Filius tuus ad imaginem suam, cùm illam naturam intellectualem esse voluit, creavit illam ad sui similitudinem, cùm justitiâ, sanctitateque originali, alijsque donis gratuitis exornavit. Hæc omnia partim Protoplastorum, partim meo labefactata sunt scelere. Restaura illam tu ò Mundi totius Restauratrix sapientissima, effice quæso, per gratiam quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, humanamque naturam renovasti, ut Divinæ hujus tam Imaginis, quàm similitudinis in anima mea splendor primigenius, tuo quam simillimus effulgescat. Obversare Domina mea assiduè mentis meæ oculis, obversare, ut Divinam in te Imaginem, similitudinemque vivam, spirantemque contemplans, in mentem, animumque meum ejus speciem transmittés, in eandem pro modulo meo transformari merear. Interim Virgo Deo amica, Virgo Deo proxima, Virgo Deiformis, cupio animitus, desidero medullitus, ut te Orbis universus, omnesque creaturæ velut animatum quoddam Divinitatis simulacrum, vivamque Dei Filij Imaginem venerentur, adorent, perennibusque laudibus celebrent, in cœlum usque extollant. Quare tuum illum Seraphinum imitatus, & mente, animoque, affectu plusquã senis alis instructo totum Mundum pervolitando res creatas omnes ad te laudandam, adorandamque, uti par est, invitabo. *Honorificate illam cœli & terra, quia summus Artifex hanc mirabiliter honoravit. Date illi omnes creaturæ laudem, & stupendam misericordiam illius extollite gratulanter, Ps. 75. Iubilate Dominæ nostræ omnis terra, psallite hymnum Nomini ejus, date honorificentiam Majestati ejus. Benedictum sit cor tuum Domina, quo tam ardenter, & sincerè Filium DEI dilexisti;* cujus amore anima tua liquefacta, signaculum Divinæ similitudinis, omnibus longè præstantiùs creaturis, etiam Angelicis accepit. Proinde *benedicat te omnis caro, glorificet te omnis lingua.* Amen.

M. ab omni creatura honorificanda.

A V E M A R I A.



DISCVR-



DISCVRSVS XIII.

Quod DEIPARA Virgo Sapientiam Filij in se repræsentârit.

Sapientia Vapor est virtutis DEI, & emanatio quædam est claritatis Omnipotentis DEI syncera: Candor est enim lucis æternæ, & Speculum sine macula DEI Maiestatis. Sap. 7.



1. INter innumera summæ DEI Parentis privilegia, ac prærogativas illa sanè non in postremis numeranda est, quod Ecclesia Sancta, & Patres tam Græci, quàm Latini æternæ Sapientiæ laudes, ac præconia, sacris contenta paginis illi attribuere sint soliti. Hujuscé rei, dum rationem pervestigo, invenio esse partim Divinissimorum inter illos morum similitudinem, ac indolem, partim in carne & sanguine communicationem, partim denique mutuam amoris ardentissimi unionem, quâ Mater in Filium, & Filius vicissim in Matrem mirabili quâdam Metamorphosi transformatus videbatur, adeò, ut qui conspiceret Matrem, arbitraretur se conspicere Filium, & contrà. Vnde quia tantopere de Divina illa natura Filij, ejusque perfectionibus participavit, Sapientiæque increatæ assimilata fuit, meritò ejusdem laudibus, elogijsque communicavit, & ipsa quodammodo æterna Sapientia appellata est.

M. adeò Divina ut ei increatæ Sapientiæ elogia à Spiritu S. attribuantur.

2. Hinc Magnus ille Parisinæ Academiæ Cancellarius Ioannes Gerson sui sæculi illustre Sydus, Decusque, ser. de Nativit. B. V. habito in Concilio Constantinensi, præclarissimè pronunciavit: *Adeò MARIA fuit Divina, ut ea quæ de Sapientia increata scribit Ecclesiasticus, Ecclesia transferat ad MARIAM, ut est illud: Ab initio & ante sæcula creata sum, &c.* Hinc B. Albertus Magnus Tract. super Missus probare volens B Virginem omni purâ sapientiorem extitisse creaturâ, inde potissimum ostendit, *quod Liber qui intitulatur*, ut inquit ille, *de Sapientia, de Beatissima Virgine specialiter exponitur, & quæ de Sapientia Domini dicuntur, quasi de ipsa dicantur, Ecclesia interpretatur.* Hinc S. Antoninus Archiepiscopus Florentin. 4. par. Tit. 15. cap. 19. ostendens gratiam Sapientiæ gratis datam, communicatam fuisse Virgini: *Hâc*, inquit, *Sapientia gratiâ gratis datâ de Divinis magnificè locuta est, componens Canticum illud Magnificat. Hâc Sapientiâ fretâ docuit Apostolos sapientissimos multa mysteria fidei, secretaq́ Divina, post Ascensionem Filij. Et quid mirum si omnium sapientissima fuit, quæ fuit Mater Christi, qui est DEI Virtus, & DEI Sapientia secundùm Apostolum? Vnde multos sermones in libris Sapientialibus, qui propriè loquuntur de Sapientia, transumptivè, attribuit Ecclesia Beatæ Mariæ, ut illud Eccli. 24. In omnibus requiem quæsivi. Et Prov. 9. Dominus possedit me, multaq́ alia.* Novit nimirum Ecclesia ob mutuam illam inter Filium & Matrem naturæ, carnisque unionem, mutuis illos delectari laudibus, præconiumque alterius, suum esse proprium arbitrari. Novit Filij in Matrem, & Matris vicissim in Filium elogia, ob intimum illum, qui inter eos intercedit, amoris nexum redundare. Vnde sapienter observavit Origenes Hom. 1. in

Liber Sapientię de B. V. exponitur, quod fuerit increatam Sapientiam æmulata.

B. V. suâ Sapientiâ docuit Apostolos.

Cant. ob unionem hanc dilectionis, similitudinemque naturæ, Sponsum subinde se Sponsam appellare: *Sed & Sponsus idem dicitur, idem etiam Sponsa nominatur, ut scriptum est: Sicut Sponso imposuit mihi mitram, & sicut Sponsam ornauit me ornamento.* Quare Goffridus Cardinalis ser. 8. præclarè docuit: *Nihil in huius Virginis laudibus hæsitemus, honorat siquidem Filium, qui laudat Matrem, sine cuius laude DEO placere impossibile est; & cum laude eius ei displicere nemo potest. Hanc igitur sanctissimam, & admirabilem Virginem laudemus, quia Virginis Filio placere, sine Matris Virginis laude non possumus. Diligamus eam, sicut charissimam Domini Matrem, quam ipse diligit, ut propriam carnem. Hæc est dulcissima Mater Virgo MARIA, quæ mortis peperit Mortem, Vitam hominis, Diaboli Confusionem, Absolutionem peccatorum, omnium Iustorum Beatitudinem.* Hæc ille.

Christus aliquando Sponsi, aliquando Sponsæ nomine se vocat, ut ostendat intimam unionem cum Matre.

Laus Matris redundat in Filium.

Dei Filio placere, sine Matris laude non possumus.

3 Neque verò dum Virgini Beatissimæ Divinæ Naturæ perfectiones, ut potentiæ, sapientiæque attribuimus, Deam illam esse, ut Collirydiani somniabant, arbitramur, de quibus S. Epiphanius fusè libris illis contra Hæreses. Profitemur enim creaturam inter omnes, & super omnes excellentissimam, atque eminentissimam, DEO, Humanitatique Christi proximam, dignissimamque, quæ de attributis, perfectionibusque Divinis præ creaturis omnibus participaret, easque in se, sicut & Naturam Divinam, velut in speculo; quod quo viciniùs est objecto, eò clariùs illud in se exprimit; quàm perfectissimè repræsentaret.

M. mortis peperit Mortem.

Collyridiani Mariam Deã esse arbitrati sunt.

Vnde D. Antoninus 4. Par. Tit. 15. cap. 43. Virginem cœlos super Seraphinos ascendentem, & ad Thronum Filij properantem, dum pro illa quisque in suo ordine detinenda decertat, sic eosdem alloquentem introducit: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi Gen. 2. Omnes utique Sancti vobis, aliisque Ordinum inferiorum Angelis associati sunt, ita ut nullus illorum solitarius reperiatur. Vnde cùm Filius meus DEVS sit, & homo, isque se summè humiliaverit, meritus est ut super omnes Angelos & Sanctos exaltaretur; cùmque non deceat esse solum, me secum iuxta se in adiutorium, in redemptionem humani generis habere desiderat, ut per compassionem, & intercessionem continuam, pro hominibus, quoties diluvio flagellorum minatur terram delere, ac subvertere, me interponam, appareamque in conspectu eius, velut Arcus, indeque sui fœderis recordatus Mundo propitietur. Ascendam igitur super vos ad Patrem meum, & Patrem vestrum, DEVM meum, & DEVM vestrum, usque ad thronum eius.* Hæc Antoninus. Ex quibus intelligi facilè potest, quanta hujus Virginis eminentia, quanta cum DEO vicinitas, quamque mirificè in se veluti speculo tam Divinitatem, quàm ejus perfectiones atque attributa potentiæ, sapientiæ, bonitatisque repræsentet.

M. sedet ad dexteram Filij super omnes Angelos exaltata, ut sit Adiutoriũ Filio.

Angelorũ certamen pro retinenda Deipara in suo Choro.

B. V. apparet coram Deo pro nobis tanquam Arcus fœderis, ut Mundo propitietur.

4. Et licet Iustorum quilibet, uti jam ante memoravimus DEUM amando, seseque in Iustitia, Sanctitateque acquirenda exercendo, in corde suo velut speculo ipsius totam expressam, cùm DEUS sit indivisibilis, circumferat imaginem. Non recipit nihilominus illum totaliter prout in seipso existit, solus siquidem Filius, qui substantialis est Imago Patris, totalem illam, infinitamque Imaginem, similitudinemque, ob Divinæ Naturæ unionem, identitatemque substantiæ repræsentat. Aliæ verò creaturæ, uti DEIPARA, Seraphini, Cherubini, &c. cùm eorum limitata sit essentia, licet totam Divinam in se faciem, similitudinemque DEI, ejusdemque attributorum, velut vivo quodam in speculo, secundùm virtualem, non localem distantiam, Divinitatis in se exprimant; non exprimunt tamen unquam totaliter, secundùm totam DEI magnitudinem, quæ naturâ suâ infinita atque immensa est. Vnde cùm suprema illa Majestas ab æterno in Divinitatis suæ consistorio decrevisset, ut increatæ Sapientiæ Imaginem Virgo DEIPARA in se exprimeret, eam sibi non modò absolutissimâ illâ gratiæ plenitudine univit, verùm etiam ipsamet æterna Sapientia in eam ingredi, & in eadem habitare novem mensibus non est dedignata, quo ita benedicta illa anima, consubstantiali illi Sapientiæ Patris unita, in illam quodammodo transformaretur, ejusdemque in se tantò perfectiùs similitudinem totam, si non totaliter exprimeret. Hinc Bernardinus Bustius Par. 2. Marial. ser. 5. inter varias dotes, quibus DEIPARA, velut pulcherrima Spiritus Sancti Sponsa dotata fuit, ait pro dote intellectus datum ei fuisse Sapientiæ thesaurum in Incarnatione Verbi: *O Benedicta,* inquiens, *Virgo, ego credo, quod sicut Ioannes Evangelista quando recubuit supra sacra-*

Solus Dei Filius totalem Imaginem Dei Patris repræsentat.

Dos intellectus Mariæ data in Incarnatione Verbi, fuit Sapiẽtiæ Thesaurus.

sacratissimum pectus Domini IESV hausit flumenta Evangelij, ita & tu quando tenebas inter brachia tua Infantem illum dulcissimum IESVM Filium tuum hauriabas Fontem Sapientiæ Divinæ. Ipse enim dilectissimus Filius tuus emittebat radios Diuinitatis sub illa carne innocentissima, usq; ad intellectum tuum. Maximè autem hoc faciebat cùm in tuo sacratissimo vtero recubabat. Similiter quando in te descendit Spiritus S. & virtus Altissimi obumbravit tibi, tantis radijs intelligentiæ, & scientiæ te illustrauit, vt clarè Diuinam essentiam videris, & consequenter omnium doctissima effecta fueris, quia meliores erant Schola illa, quàm Athenienses, vel Parisienses, vel Bononienses, vel quæcunq; alia Mundi gymnasia.

Filius Dei incarnatus in intellectum B. V. radios Divinitatis emittebat.

Spiritus S. habitans in B. V. radijs suæ Sapientiæ eam illustrabat, ut essentiam DEI videret in terra.

Hæc Bernar. de excellentissima Virginis nostræ super omnes mortales Sapientia ab increata illa emanante, eique quam simillima.

5. Quapropter pulcherrimum illud increatæ Sapientiæ elogium: *Vapor est virtutis DEI, & emanatio quædam claritatis Omnipotentis DEI syncera &c.* jure merito à Virginis studiosissimo Richardo de S. Laurent. lib. 10. de laudib. B. V. eidem attribuitur, non tantum ideò, quia plenitudine gratiæ, aliorumq; Spiritus S. charismatum jam inde à primis immaculatę conceptionis initijs sese Divinæ univit Majestati, sed quia in Incarnatione Filij DEI ejusdem carni communicavit, & sanguini. Quemadmodum enim vapor ejusdem est substantiæ cum aqua, v. g. à qua exhalatur atque expiratur; & claritas sive splendor ejusdem est naturæ cum luce, à qua evibratur; & rivulus cum fonte, à quo dimanat; Imago denique illa Patris, quam Filius in se velut Speculo expressit, ejusdem est substantiæ, illique quam simillima: sic Virgo nostra gloriosissima tam mirâ, Divinâque fuit prædita Sapientia, ut ad illam increatam proximè accederet, eandemque in se, velut animatum quoddam Speculum, uti & alias virtutes præseferret Filij. Vnde meritò illi ejusdem ab Ecclesia, Sanctisque Patribus attribuuntur elogia.

M. Vapor Divinæ Sapiẽtiæ quare dicta?

6. Quare doctissimus Pater noster Ludovicus Alchazar in cap. 12. Apocal. v. 1. Not. 2. præclarè docet hujusmodi encomia in sacris literis in sensu primario in laudẽ Increatæ Sapientiæ exarata; in sensu secundario in laudem ejusdem Sapientiæ Parentis à Spiritu S Virginis amantissimo Sponso fuisse dictata, cum ijs paria elogia nullum humanum ingenium unquam excogitare possit. *Hoc enim mirum conducit*, inquit Alchazar, *ad denotandum arctissimum necessitudinis vinculum, & maximam similitudinem, quæ inter Filium & Matrem reperitur, ostenditurq; nihil inter eos quasi diuisum, aut sejunctum reperiri; quin imò, ubi de Filio tractatur, de Matre etiam inibi tractari, cùm adeò inter se mirabiliter consentiant, & in eodem Throno sedes habeant. Et sanè qui id attentè perpendit; facili negotio aduertet, nihil aliud cœlorum Reginæ nobiliùs, aut honorificentiùs esse posse, quàm cum Filio ita esse conjunctam, ut ubi de Filij excellentia sermo sit, ibi etiam de excellentia Matris non taceatur, præcipuè verò ubi de admirandis Filij operibus, & beneficijs in Ecclesiam collatis agitur; cùm ipsius Mater sit potissimum instrumentum, quo medio isthæc beneficia in Ecclesiam deriuantur. Hæc ipsa ratio, & quasi subordinatio idoneè efficit, ut verba eadem Christum, ut præcipuam causam commendent, & sanctissimam Virginem, ut hominum Mediatricem, præcipuumq; in eorum salute instrumentum. Si enim alicujus Ministri, aut Magnatis fauor, & gratia apud terrenum aliquem Regem tanta esse potest, vt cùm primum dicatur Rex beneficium quodvis tribuisse, eo ipso innuatur, atq; adeò intelligatur illud familiarissimo Regis Amico, siue famulo referri acceptũ debere, quod absq; ipsius interuentu nihil omnino largiatur Rex: jam quanto majori jure poterit hæc loquendi, atq; sentiendi ratio, ad singularissima illa merita transferri, quibus Christus suam cumulat Ecclesiam, cùm omnia ex Mariæ Virginis ope, ac patrocinio prorsus pendeant. Atq; hujusmodi quidem consideratio nuper aut excogitata, aut inventa non est, sed antiquissima sanè, & à Patribus, & communi Ecclesiæ consensu recepta. Pleraq; enim amplissimæ laudis præconia, quæ in Virginem ex Scripturæ verbis deprompta congeruntur, nituntur omnia in hujusmodi locutionibus, quarum primarius, ac præcipuus sensus respicit Christum. Hinc est, vt in B. Virginis celebritatibus Ecclesia, Diuino Spiritu afflata caput 8. Prouerb. magna ex parte decantet, ubi in sensu literali sermo est de æterna DEI Sapientia, nempè Christo. In his ergo atq; alijs similibus locis nonnulli satis esse putant, si aliquo modo Ecclesia ad Virginem applicare perhibeatur, quod tamen minimè dicatur de illa, si verus Scripturæ sensus attendatur. Mihi tamen valdè fit verisimile tam in Scripturæ fœcunditatem, quam in maximam unionem, quæ inter Christum & Mariam intercedit, omninò cadere*

Laudes, quæ in sẽsu primario æternæ Sapiẽtiæ attribuuntur, in secundario B. V. applicantur.

Inter Christum & B. V. nihil indivisum est, aut sejunctũ, unde dicuntur in eodem Throno sedere.

B. V. Instrumentũ quò Deus beneficia suæ Ecclesiæ communicat.

Antiquã Patrum cogitatio, quã laudes Filij Matri tribuuntur.

Spiritus S. in laudibus Filij intendit laudes etiam Matris includere.

cadere, ut illa ipsamet verba, quæ in præcipuo sensu Christum respiciunt, in sensu secundario, ex intentione etiam Spiritus S. ad Virginem referantur; ac proinde non solùm ab Ecclesia per accomodationem ad ipsam Virginem applicari; verùm etiam per credibilem satis, & valdè piam existimationem, quod Diuinus Spiritus in ijs locis non Christum modò, sed Virginem etiam, propter mutuam utriusq; conjunctionem attenderit. Atq; hoc certè Virgini sacratissimæ, gloriosius, & honorificentius est, quàm si alijs totidem siue locis, siue verbis de illa seorsum à Filio ageretur. Dignius enim est, & excellentius Reginæ, ut sella ipsi in eodem Regis throno, sub eodem peristromate, & sub eadem cortina collocetur, quàm si in alio throno, atq; sede quantumuis excelsa reponatur. Si ergo hoc Virgini præstantiùs est, verisimile non sit, eo alicujus ingenium quamuis acutissimum posse deuenire, ut plùs Virgini deferat ratiocinando honoris, quàm reipsa voluit Spiritus S. ei tribuere. Hæc Alchazar.

M. Sedes in eodem Regis Throno collocatur, & sub eodé quasi peristromate cum Divinæ, Sapientiæ laudes ei tribuũtur.

Nullius ingeniũ excogitare potest hujusmodi laudes, quales Ecclesia cõmunes æternæ Sapientiæ attribuit B. Virgini

7. Quibus velut solidissimis hujuscé Discursus jactis fundamentis, pervestigemus jam diligenter causas, ob quas Deipara Virgo tam vivam, spirantemq; Filij, quâ Patris est Sapientia, Imaginem, similitudinemque repræsentet, ut ipsa humana Sapientia esse videretur.

Cur B. V. ipsa increata Sapiẽtia esse videbatur?

Inter præcipuas hanc esse censeo, quod supernus Artifex in efformanda Virgine, sibique assimilanda thesauros penè omnes suæ Divinæ Sapientiæ effuderit; eamque è sua quasi mente eduxerit, quemadmodum cœca Gentilitas de Iove quondam fabulata est, quod Palladem ingeniorum tutricem, ac Præsidem, ex suo cerebro deprompserit. Vnde Papinius Statius eam; *Decus, Ingeniumq; Tonantis;* appellavit.

B. V. ipsa Sapientia dicitur, eò quod æterna Sapiẽtia in illa efformanda, omnes suos penè thesauros effuderit.

Et licet ante omnem sæculorum productionem, ad intra produxerit, ac generaverit ex fœcundo suæ memoriæ utero dilectissimum Filium, velut vivam, consubstantialemque Imaginem, Verbum mentis, Sapientiamque Incarnatam, sibi nihilominus complacuit in primis Mundi exordijs bonitatem suam, ad extra etiam communicare, pulcherrimam illam condendo creaturam, cujus laudes apud Ezechielem cap. 28. describit: *Tu signaculum similitudinis plenus Sapientia, & decore &c.* Verùm cùm hæc eadem tam eximiæ pulchritudinis creatura, per summum nefas Conditoris sui, rebellasset imperio, Divinamque illam in se obliterasset Imaginem, eandem, imò longè perfectiorem Imaginem, cum reliquis omnibus cœli donis, ac charismatis transtulit in Mariam. cui planè fœlicitas illa Iudithæ Heroinæ famosissimæ obtigisse visa est; huic enim, truncato superbissimi Holofernis capite; deque ejus formidabilissimo exercitu reportatâ victoriâ, omnia ejus spolia fuère donata: *Vniuersa,* inquit Sacer textus, *quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt, dederunt Iudith in auro, & argento, ac vestibus, & gemmis, & omni supellectili, & tradita sunt illi omnia.* Iudith 15. Obtigit, inquam, figuratæ Iudithæ nostræ fœlicitas illa; contrito enim summâ animi fortitudine antiqui serpentis capite, triumphatoque Lucifero, omnia variarum ipsius perfectionum, ut Sapientiæ, & Scientiæ, Iustitiæ, ac Sanctitatis spolia, ipsumque Divinæ Similitudinis signaculum, quod ei liberalissimâ Dei manu fuit impertitum. Atque ita præclarissimum illud Angelorum primatis elogium potiori jure attribuere possumus Deiparæ, eiq; gratulabundi accinere: *Tu signaculum similitudinis plena Sapientiâ, & decore in delicijs Paradisi DEI fuisti; omnis lapis pretiosus operimentum tuum &c.*

Deus ad intra produxit pulcherrimã sui Imaginem in Filio; ad extra in primo Angelo; quã obliterata, produxit eã in B. V.

Iuditha figura B. V. cui spolia Holofernis, id est primi Angeli ornamenta sunt donata.

B. V. omnia primi Angeli ornamenta, ipsumque signaculũ Divinæ similitudinis donatum fuit.

B. V. Signaculum Divinæ similitudinis.

8. Quod sanè ideò summus ille universorum fecisse visus est Opifex, ut quemadmodum Creaturæ omnes, in hoc Orbis ingrediuntur Amphitheatrũ, ut in se vestigium aliquod, sive similitudinem Divinarum perfectionum Mundo repræsentent, quo mortales omnes hujusmodi Dei perfectiones in creaturis contemplantes, in ejusdem amorem accenderentur: sic Virgo sanctissima, arte singulari, Omnipotentiâque, ac Sapientiâ superni Numinis, velut quibusdam manibus ingeniosissimè efformata, in idem hoc Mundi Theatrum ingreditur, ad ostentandam in se venustissimam Divinæ Sapientiæ formam, quâ pellecti mortales, in increatæ illius Sapientiæ amore exardescerent.

Sicut creaturæ omnes in Mũdo aliquã Dei perfectionem ostentant, ita B. V. Divinam Sapientiã.

9. Vnde cùm Divinæ illæ Personæ de condendo homine cogitarent, crediderim initum inter illas fuisse consilium, intuitu Sapientissimæ hujuscé Virginis potissimum, in qua cùm res non solùm tam contrariæ, ut in homine combinandæ erant, ut caro & spiritus, appetitus sensitivus, ac rationalis; verùm etiam admodum differentes, distantes, ac stupendæ, ut sunt Virginitas, ac Fœcunditas; Creatura, & Mater ipsius Crea-

In condẽda Deipara Personæ Divinæ consilium iniére.

Creatoris; Filia, & Sponsa; Mater, & Filia; Sponsa, & Mater; Filia Adami peccatoris, & innocentis, absque ullius peccati Originalis maculâ concipienda; requirebatur sanè singularissima, altissimaque quædam Sapientia, ad res tantopere inter se pugnantes componendas. Quare ubi primùm conditus fuit Protoplastus, ejusque lapsus, ac ruina fuisset prævisa, cùm universorum Dominus opem humano generi afferre, illudque ab æternis calamitatibus eripere decrevisset, novum initum est consilium, in quo Increata Sapientia: *Non est*, inquit, *bonum hominem esse solum, faciamus ei Adjutorium simile sibi*. Gen. 3. Cujus decreti causam luculentissimam, subjunxit Tertullianus: *Sciebat enim ei sexum Mariæ profuturum*. Atque ita Divinissimæ illæ Personæ dum de ope humano generi afferenda cogitant, manibus suis quasi proprijs Virginem hanc efformant, ut in auxilium, ac patrocinium sit mortalibus, eamque dotibus planè singularibus, præsertim verò admirabili Sapientiâ, exornant.

M. Adjutorium simile Filio Dei, in opere Redemptionis.

10. Audite locum illum Geneseos explicantem Richard. à S. Laur. lib. 1. c. 5. qui declarare volens quânam ratione Dominus fuerit cum Deipara: *Fuit Dominus*, inquit, *cum ea, & ipsa cum Domino in eodem labore, in eodemq; opere nostræ redemptionis. Mater Misericordiæ Patrem misericordiarum adjuvit in opere nostræ salutis. Vnde prædictum fuit: Non est bonum hominem esse solum &c. Illa enim literalis Eva viro suo non fuit in adjutorium, sed magis in destructorium. Hæc autem in Adjutorium, quia in manu fœminæ tradidit Dominus Sisaram, id est, Diabolum, Iudic. 5. Et una Mulier Hebræa fecit confusionem in Domo Nabuchodonosor. Iudith 14. Cùm porrò Dominus dicit: Torcular calcaui solus, & de Gentibus non est vir mecum: Verum est Domine, quod non est vir tecum, sed Mulier una tecum est, quæ omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde; & sicut lancea militis perforavit latus tuum, ita gladius doloris, ejus animam pertransiuit. Et sicut tu non quod voluisti, sed quod Pater tuus voluit sustinuisti: descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meã, sed ejus qui misit me: ita ipsa non quod illa voluit, sed quod tu voluisti, sustinuit tecum. Sicut tu salutem humani generis in cruce sitijsti, sic & ipsa sitivit. Stabat enim juxta Crucem, sicut inquit Ambrosius, non vt dolorem Filij consideraret, sed vt salutem humani generis expectaret.* Sic Richardus, qui lib. 2. ostendit etiam sapientissimam Virginem nostram in Adjutorium humani generis sapientissimè conditam fuisse, quia velut Advocata causas nostras actura erat apud Filium: *Advocata est B. V. coram Filio præcipuè*, inquit ille, *nobisq; generaliter impetrat omne bonum. Siquidem deerat nobis Advocatus apud Filium, antequam Maria nasceretur. Quare dixit Pater æternus: Non est bonum hominem esse solum. Id est, non sufficit unus Advocatus, aut Mediator, aut Intercessor humano generi in cœlo, cùm tot & tam periculosas causas habeat coram me, faciamus ei adjutorium B. Virginem, quæ alleget pro genere humano coram Filio, sicut Filius coram me.*

B. V. fuit cum Deo, & Deus cum ea in opere nostræ Redemptionis.

Eva fuit in nostrum destructorium, sicut M. in Adjutorium.

M. cum Christo patiente, passa.

B. V. cum Christo in Cruce salutem hominum sitivit.

M. est nobis Adjutoriũ, dum officio Advocatæ fũgitur apud Filium.

Deus Pater duos Advocatos Christum & M. nobis providit.

11. Quòd porrò Virgo Deipara ipsis potissimum sempiternæ Sapientiæ, quasi manibus fuerit efformata, ac proinde ita sapiens evaserit, dignaque extiterit, ut ea quæ de Increata Sapientia prædicantur encomia, de ipsa quoque prædicarentur, audite quod ipsa de se dicat: Eccli. 24. *Ab initio creata sum: Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*; insinuare nobis volens, quod licet de Ioachim & Anna ex terræ limo compositis in Mundum processerit, nihil tamen terreni propemodum ei adhæserit; nulla vel minimi peccati labecula ipsam fœdaverit, sed ad instar cœli, ac lucis, quæ immediatè ab ore Altissimi, verbo illo omnipotenti *Fiat*, processerunt, absque ullo nævo, Mundo exorta fuerit, totumque Vniversum Sapientiæ suæ radijs illustrârit. Innuit prætereà se à secunda Personâ SS. Trinitatis ab Increata efformatam esse Sapientia, quæ sicut Verbum est Patris, sic etiam Os Patris appellari consuevit. Vnde Divus Bernardus: *Os osculans est Verbum assumens*. Innuit deniq; se, resque omnes in se comprehensas animam videlicet, cum potentijs, memoriæ, intellectus, ac voluntatis; corpus cum sensibus tam internis, quàm externis, appetitum sensitivum cum reliquis corporis facultatibus, dotes denique omnes tam animi, quàm corporis; perfectionesque universas altissimi esse ordinis, perfectiones etiam Cherubicas, ac Seraphicas excedentis, nihilque vel in terrâ, vel in cœlo sublimiùs, aut eminentiùs ipsâ, excepto Deo Creatore reperiri, hoc ipso quod de ore Altissimi, & non de ore Iudicis, ut Mundus hic, se-

B. V. ore Altissimi ad instar cœli, & lucis producta.

Omnes facultates tam animi quàm corporis reliqua ornamenta in B. V. sunt ordinis altissimi, quia ex ore Altissimi prodijt.

Fff tum-

cundùm lectionem Hebræam, se processisse affirmet.

Deus Pater Mundum creaturus habuit in sua mente M., ut in illa ipsius perfectiones collocaret

12. Cùm tandem Primogenitam ante omnem creaturam se vocitat, indicat se omnium rerum creatarum Primiceriam, ac Principem esse, siquidem ipsius intuitu, atque amore potissimum Mundus hic, cum omnibus in ipso contentis, erat conditus, ut in se Virgineam pulchritudinem, perfectionemque exprimeret. Proinde cernimus secundùm Philosophorum pronunciatum: quod primum fuit in intentione, postremum esse in executione; siquidem hæc nostra Eva figurata, post absolutam Vniversi fabricam, postremisque sæculis, quæ tamen tanto honore Virginis dignata, prima, ut asseveravit Damascenus, fieri meruerunt, velut novus quidam, animatusque Mundus condita est. Vnde cùm Moyses sacram exorditur Genesim: *In principio DEVS creauit cœlum & terram;* censuit B. Albertus Magnus tractatu super Miss. figuratam fuisse Deiparam, sicut & in reliquo sex dierum opere, adeò ut creaturæ diebus illis conditæ umbræ quædam, ac figuræ illam repræsentantes extiterint. *In creatis B. V. figurata est,* inquit ille: *in principio creavit DEVS cœlum & terram, hoc est, B. Virginem, quæ cœlum & terra fuit, cœlestem & terrestrem simul ducendo vitam, Angelicam, humanamq; habendo conversationem. Cœlum & terra fuit, quia simul altissimâ dignitate, & infimâ humilitate prædita; quia purissimâ Virginitate, & fœcundissimâ Maternitate, Virgo & Mater extitit.* Tandem concludit Albertus: *Sic igitur Beatissima Virgo in operibus sex dierum est expressissimè figurata.* Atq; ita Incarnata Illa Sapientia dum Mundum hunc aspectabilem, creaturasq; conderet, simul ejus pulchritudinem, ac perfectionem, uti ante omnem decreverat æternitatem, in Virginem transferre cogitabat, quo novus quidã, pulchriorq; Mundus, numeris omnibus absolutissimus, qui hujuscé visibilis foret epilogus, in lucem prodiret.

M. postremis sæculis velut novus Mundus condita.

M. est cœlum & terra à Deo condita.

M. sex dierum Opera figurârunt.

Principiũ dicitur Filius Dei, per quem facta sunt omnia.

13. Quam ob rem per illud: *In principio;* nonnulli Sanctorum Patrum Increatam Sapientiam, ipsum æterni Patris Filium intellexêre. Hinc legit Rabbi Moyses: *In Sapientia creauit DEVS cœlum & terram;* alludens sine dubio ad illud Regij Psaltis: *Omnia in Sapientia fecisti;* per Verbum siquidem, quod est ipsa Sapientia Patris, facta sunt omnia. Hinc denique legêre alij, ut testatur Tertull: *In Filio creauit DEVS cœlum & terram;* ipse etiam sciscitantibus Iudæis Ioan. 8. *Tu quis es?* Respondit: *Principium, qui & loquor vobis.* Ad Mundum hunc Virgineum à Dei Sapientia fabrefactum, ac venustate creaturarum omnium exornatum oculum direxisse visus est Hieremias c. 8. cùm dixit: *Preparans Orbem in Sapientia sua.* Hinc Henricus de Hassia apud Dionys. Carthus. lib. 2. de laudib. B. V. præclarè pronunciavit: *Omnium Artifex Deus ad ipsius formationem in vtero supernaturaliter concurrens, Filio suo dignum habitaculum fabricat;* quasi omniũ Artifex æternâ Sapientiâ omnem artem, ac industriam suam ad sibi dignũ extruendũ domiciliũ in fabricanda Virgine exeruisset.

Ad formationem B. V. omniũ Artifex Deus concurrens, Filio dignum habitaculum fabricavit

14. Vt porrò luculentiùs intelligeremus Virginem gloriosissimam Opus esse Dei sapientissimi planè singulare, non solùm quoad esse naturæ, verùm etiam quoad esse gratiæ, Divinæ literæ Mundum hunc animatum, non à summa duntaxat Dei Sapientia dixêre conditum, sed etiam à Spiritu S. Fonte nimirum omnis gratiæ, ac sanctitatis: *Vnus est Altissimus Creator omnium Omnipotens,* inquit Ecclesiast. cap. 1. *Ipse creavit Eam in Spiritu S. suo, vidit, dinumerauit, & mensus est.* Atque ita in Virginei hujuscé Mundi efformatione Pater Altissimus, Vniversorum Conditor potentissimus, voluit etiam ipsum Divinissimum concurrere Spiritum, ut quasi per ejus manûs liberalissimas Esse gratiæ, ac sanctitatis, Ordinis longè eminentissimi ipsi communicaret; voluit ipsum dilectissimum concurrere Filium, ut inscrutabili suâ Sapientiâ excellentissimum quoddam Esse naturæ post Deum, super res omnes creatas, tam visibiles, quàm invisibiles Virgini impertiretur.

M. etiam à Spiritu S. condita maximè quoad esse Gratiæ.

Eâdem suâ Sapientiâ Pater vidit, consideravitque Virginis eminentissimam dignitatem, quæ est Divina Maternitas, mensus est immensæ ejus gratiæ Oceanum, profundissimamque donorum cœlestium abyssum, ipsius denique innumerabilia dinumeravit merita.

Solus Deus immensum gratiæ Oceanum Deiparæ dimensus est.

Ipse ipse creavit Mundum hunc Virgineum, manibus quodammodo proprijs, ipse mensus est, ipse vidit, ipse dinumeravit in hoc Mundo omnia, & non alius. Non enim creatura ulla vel humana, vel Angelica reperiri potest, quæ Deiparæ sive dignitatẽ, sive perfectionẽ, sanctitatẽq;, sive deniq; Sapientiam valeat

Nulla creatura perfectionem M. potest comprehendere.

leat comprehendere, cùm cognitionem hanc Altissimam ipse Altissimus sibi soli reservârit. Vnde D. Bernardinus Senensis gravissimè pronunciavit Tom. 4. serm. 4. art. 3. cap. 1. *Tanta fuit perfectio Virginis, vt soli DEO cognoscenda reseruetur, juxta illud: Ipse creauit eam in Spiritu Sancto, vidit, dinumerauit, & mensus est, scilicet, ipse solus DEVS.*

15. Hinc B. Albertus Magnus tract. super Missus, ait Divinam Maternitatis dignitatem excellentiorem esse, quàm Filij adoptivi, vel cujuscunque Angeli. *Inter Matrem enim & Filium*, inquit ille, *conjunctio est substantialis; inter Patrem autem & Filium adoptivum est participatio accidentalis. Igitur majùs est esse Matrem DEI per naturam, quàm Filium DEI per adoptionem. Deniq; majùs est esse DEI Matrem, quàm esse Angelum, quia hoc ipso quod in Matrem DEI est electa Virgo sanctissima, Domina, ac Regina omnium Angelorum est effecta.* Sic ferè Albertus.

Divina Maternitas dignitas eminentissima

Majùs est esse Dei Matrem quàm Angelum.

Cùm igitur Virgo nostra summè sit inter creaturas omnes dignitatis, ac excellentiæ, ut solus Devs ipse eam perfectè comprehendat: & ab Altissimo, ipsi quam simillima, summâ condita sit Sapientiâ, quid mirum, si in hoc Orbis theatro personam quodammodo ipsius increatæ in se exprimat Sapientiæ? Quid mirum si ipsa vocitetur Sapientia; quid mirum si ipsa æterna Sapientia Matrem dilectissimam, in suarum laudum consortium admittat?

16. Quam accuratum porrò Opus hoc, quamque numeris omnibus absolutum fuerit, Moyses nobis in creatione Protoplastorum insinuavit. Siquidem conditâ, unico verbo hac totius Vniversi Machinâ, cùm omnium creaturarum ornatu, in condendo tamen homine Diviniſsima illæ Personæ, omnes quodammodo Omnipotentiæ, Sapientiæ, Bonitatisque vires exerere, ambas quasi manûs adhibere visæ sunt, uti testatus est Iob. 10. *Manûs tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu.* Et quasi post tam laboriosum opus Adami, & Evæ supernus Artifex ille esset delassatus, concludit idem Moyses: *Requievit die septimo ab universo opere quod patrârat.* Quæ omnia cùm D. considerasset Ambrosius lib. 2. in Luc circa finem, censuit Divinum illum laborem ideò præmissum, ut intelligeremus, quantâ curâ, industriâ, arte, ac Sapientiâ formata fuerit Ecclesia; & à fortiori Virgo Deipara, Ecclesiâ ipsâ Christi Sponsâ longè nobilior, atq; præstantior: *Docuit Moyses*, inquit Ambrosius, *quod hominem DEVS opere suo fecerit: non otiosè posuit: finxit DEVS hominem de limo terræ, & insufflavit in faciem ejus flatum vitæ; vt actum quendam DEI circa ædificationem hominis usu quodam corporalis operationis advertas. Docuit etiam, quia & Mulierem fecit DEVS. Immisit enim DEVS soporem in Adam, & obdormivit, sumpsitq; unam costam de latere ejus, & replevit locum ejus carne, & ædificavit Dominus DEVS costam, quam sumpsit ab Adamo in Mulierem. Non frustra, vt dixi corporalibus quibusdam manibus circa Adam & Evam Moyses DEVM inducit operantem. Mundum DEVS fieri jussit, & factus est, & uno verbo Opus Mundi Scriptura indicat absolutum. Ad hominem venitur, & manûs ipsas quodammodo studuit tibi Propheta DEI laborantis ostendere. Plùs nescio quid in his intelligere, quàm lego, opera DEI elaborata me cogunt. Subvenit Apostolus æstuanti, & quod ego non intelligebam quid esset: os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Et hæc vocabitur Mulier, quia de Viro sumpta est; Divino mihi Spiritu revelavit, dicens, Sacramentum hoc magnum est. Quod Sacramentum? Quia duo erunt in carne una, Christus nimirum & Ecclesia.* Concludit tandem S. Doctor: *Mater ergo viventium Ecclesia est, quam ædificavit Deus in ipso summo angulari lapide Christo IESV, in quo omnis structura compaginata crescit in templū DEI.* Hæc Ambros.

M. ambabus Dei manibus elaborata.

B. V. tota Ecclesia longè præstantior.

Evæ creatio M. creationem significabat.

Christus & B. V. duo in carne una.

17. Cùm igitur Deipara Virgo, Increatâ Sapientiâ in ejus utero Incarnatâ, fuerit una caro cum illa, eidemque fuerit veluti lapidi angulari superædificata, creveritque in Templum Dei viventis, jure merito affirmare possumus, dum supernum Artificem, Evam elaborantem ambabus manibus contemplamur, eisdem manibus Virginem hanc sanctissimam, majoribus adhuc suæ Sapientiæ exertis viribus elaborasse, atque in Palatium tantâ Majestate dignissimū ædificasse. Dicat ergo D. Ambrosius in Mariam oculum mentis intendens, dicat: *Plùs nescio quid intelligere, quàm lego, Opera DEI elaborata me cogunt.*

Siquidem Virgo hæc utrâque cœlestis Opificis Omnipotentiæ & Sapientiæ manu, in quibus thesauri omnes Scientiæ & Sapientiæ Dei, imò bonorum omnium fontes sunt absconditi, elaborata est, ac

M. ambabus Dei manibus Omnipotentiæ & Sapientia fabricata

ac proinde jure merito censere debemus, eam Opus quoddam extitisse perfectissimum, ac pulcherrimum, Divinæ naturæ eximijs illis Potentiæ, Bonitatis, ac Sapientiæ, alijsque innumeris decoratum dotibus, Domum denique æternæ Sapientiæ dignitate dignissimam. Vnde Theodotion referente S. Anastasio Sinaita lib. 9. Hemer. ut cœlestis hujuscé Domicilij nobis ostenderet pulchritudinem, legit: *Et ædificavit Dominus DEVS & ornavit, venustamque, ac lepidam effecit, & sanctificavit costam carnis, quam accepit ab Adamo sibi in Vxorem.*

18. Perfectionem porrò absolutissimam Deiparæ tam in Sapientia, quàm in reliquis virtutibus omnibus, Spiritus Sanctus nobis insinuat, cùm juxta 70. Interpretes legi voluit: *Ipsa vocabitur Mulier.* Quæ verba idem S. Anastasius lib. 10. Hexam. expendens: *Et cur statim,* inquit, *Mulier, & non magis convenienter ordini incrementi corporum, primum Infans, deinde Puella, tum Adolescentula, tum demum Mulier; sed statim perfectam vocat Mulierem, hoc est rem perfectam, Matronam, Matrem familias, Matrem, Nutricem, Genitricem, & multos habentem filios?* Quæ sanè omnia Sanctissimæ, ac Sapientissimæ Dei nostri longè meliùs conveniunt Genitrici. Ipsa enim est Mater omnium Creaturarum universalis, ut doctissimè B. comprobavit Albertus Tract. super Missus. *Mater,* inquiens, *est B. V. secundùm omnes proprietates Maternitatis; geniturâ, quia unum hominem genuit, in quo omnes regenerauit. Vnde dicitur: Peperit Filium suum primogenitum. Mater nostra est curâ, quia in uno nobis genuit, quidquid ad hanc vitam vel futuram necessarium nobis fuit. Hinc ipsa dicit: A generationibus meis implemini. Mater nostra est prioritate. Est enim Primogenita ante omnem creaturam. Mater est dignitate prædestinationis, ante sæcula enim prædestinata est, ut esset principium, ex quo recreandum fuit omne creatum. Angelorum etiam Mater dici potest, quia Patrem & Restauratorem generauit Angelorum. Corporalium quoque Mater est, quia ipsorum genuit Innouatorem. Vniuersaliter denique Mater est creaturarum, quia Mater est Creatoris omnium.* Sic Albertus.

M. adhuc Infãs perfecta fuit Mulier, ac sapientissima.

M. Mater omnium universalis varijs modis.

Meritò igitur Virgo Deipara Mulier perfecta dicitur, quæ à primo Conceptionis Immaculatæ instanti, perfectæ rationis usu prædita fuit, & ab æterno Mater Conditoris Vniversi, Mater creaturarum omnium prædestinata, ut summâ suâ Sapientiâ de omnibus curam generet; ipsos aleret, nutriret, & velut Mater amantissima castissimo suo Sinu confoveret.

19. Quare minimè nobis mirandum est, quod Rupertus Abbas Angelicas mentes ad demirandam hujus sapientissimæ Mulieris perfectionem in hoc Mundi theatro, è cœlorum fenestris quasi prospicientes introducat: *Eleua,* inquiens, *si habes oculos, & vide non in angusto theatro, sed in Orbe terrarum ludentem, & cum filijs hominum deliciantem DEI Sapientiam, & recogita sic ludendo cum filijs hominum, quæ vel quanta fecerit, quæ vel quanta dixerit. Cœli eruditi sunt spectando hoc terrarum circo eius ludum, vel delicias habitas cum filijs hominum, & aliquis homuncio fastidit quasi ludum superfluum? Nempè ex hoc spectaculo, ut ait Apostolus Eph. 3. innotuit Principatibus, & Potestatibus in cœlestibus multiformis Sapientia DEI.* Idem Abbas lib. 1. in Genesim c. 12. Cùm de die 6. in quo Eva formata est, loqueretur; *Magnus,* inquit, *hic dies, magnum atque longum spectaculum Mundo, atque Angelis, hominibusque præbet. Etenim per huius Creationis opus Principatibus atque Potestatibus in cœlestibus innotescit multiformis Sapientia DEI. In hoc hactenus, & ex hoc, nunc, & usque in sæculum mirabilis est DEVS, mirabilis & gloriosus, terribilis atque laudabilis, & faciens prodigia, quæ nos miremur.* Quare in Sapientissima hac Muliere S. Epiphan. de laudibus Virginis eximiam, Divinamque contemplatus excellentiam, in illam prorupit vocem: *O Virgo, quæ exercitus Angelorum in stuporem adduxisti.*

Angeli creationẽ M. obstupuerunt.

B. V. Cœli, Angelorumque Spectaculum.

Angelis in creatione Deiparæ innotuit multiformis Sapientia Dei.

B. V. Angelos in stuporem adduxit.

20. Et verò qui fieri poterat, ut exercitus Militiæ Cœlestis, Beatissimæ illæ mentes, ab omni carnis concretione liberæ, non obstupescerẽt tam nobilem Creaturam, ex carnis nostræ luteæ massa compositam, in se, velut absolutissimo quodam compendio quicquid pulchri, bonique cœlo, & terrâ continebatur, complectentem? Quam creaturarum complexionem repositam volens universorum Conditor in Mariam, ad ultimum Creationis diem illam reservavit, eo modo, quo Arithmetici dati, acceptique rationes ineuntes, quampluribus præmissis numerorum notis, tandem subductâ lineâ, quatuor aut quinque numeris, ingentem brevissimo compendio summam exprimunt. Hinc D. Ambrosius

In Maria omnium creaturarum sunt perfectiones.

brosius lib. 6. Hexam. c. 10. loquens de primi hominis creatione; eũ Mundani operis summam, & omnis mundanæ Gratiam creaturæ appellare non dubitavit: *Consũmatus est dies sextus*, inquiens, *& mundani operis sũma conclusa est, perfecto vidilicet homine, in quo principatus est animantiũ universorum, & summa quadam universitatis, & omnis mundana gratia creaturæ.* Quæ sanè elogia multò aptiùs gloriosissimæ hominum, Angelorumque Reginæ, utriusque Mundi tam cœlestis, quàm sublunaris, imò & ipsius Conditoris pulchritudinem, ut omnipotentiam, Sapientiamq; aliasque innumeras perfectiones comprehendenti conveniunt. Ipsa enim revera Mundani operis summa. Ipsa omnis creaturæ decus & gratia. Ipsa principatus animantium universorum, atque adeò omnium hominum, totiusq; Angelicæ Hierarchiæ Dominatrix, potiori longè jure appellari potest.

M. est mũdani operis summa, & omnis mundanæ Gratia creaturæ.

21. Quamobrem Virgo Sapientissima has creaturarum perfectiones sibi ab Altissimo communicatas agnoscens, gloriabatur apud Eccli. 24. *Memoria mea in generationes sæculorum.* Ac si clariùs juxta interpretationem S. Vincentij Ferrer. ser. 2. de Nativit. B. V. Alberti Magni, S. Antonini dicere voluisset. Dum supremus Orbis Architectus generabat sæcula, ipsosque cœlos, qui motu assiduo mensura sunt temporum, mensura sunt sæculorum, me suæ Divinissimæ menti quasi præsentem atque assistentem habuit, quo tam cœlorum, Angelorumque, quàm hominum Sanctorum, qui tot sæculorum decursu vixère perfectiones in me conferret.

In Maria sunt perfectiones creaturarum, quæ omnibus sæculis extiterũt.

Hinc Ioannes Geometra in suis Hymnis ita eam salutavit:

Salve Temporis Genitrix, & Sinus Ævi.

Verè temporis Genitrix est MARIA, quæ cœlorum in se perfectiones, hominumque Sanctorum, atque Angelorum, creaturarum denique omnium, quæ in quacumque temporis differentia extiterunt, venustatem, velut amplissimo quodam Sinu complectendo, eas innovavit, regeneravit, nobilitavitque.

M. est Temporis Genitrix, & Sinus Ævi

22. Vnde quid mirum si post tam eximium, elaboratum, absolutumque Opus Divinissimus Artifex quietem quandam atque complacentiam planè singularem animi sui in illo repererit, veriùsque de hoc opere Moyses dicere debuerit: *Requievit die septimo.* Gen. 2.

CreatâM. Deus in illa, velut opere perfectissimo reqevit, sibiq; complacuit.

Quæ sanè Divinæ hujus quietis deliciæ adeò sunt nobis ineffabiles, ut D. Ambrosius loco citato, ad eas explicandas Harpocratem nobis censeat esse æmulandum: *Certè*, inquiens, *deferamus silentium, quoniam requieuit DEVS ab omnibus Mundi operibus; requieuit autem in recessu hominis, requieuit in eius mente, atq; proposito. Fecerat enim hominem rationis capacem, imitatorem sui, virtutum æmulatorem, cupidum cœlestium gaudiorum. In hunc requiescit DEVS, qui ait, super quem requiescam, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos? Isa. 66. Gratias ergo Domino DEO nostro, qui huiusmodi opus fecit, in quo requiesceret. Fecit cœlos, non lego, quod requieverit, fecit terram, non lego quod requieverit, Fecit Solem, Lunam, & Stellas, nec ibi lego quod requieverit. Sed lego quod fecerit hominem, & tunc requieuit, habens cui peccata dimitteret.* Quod si in homine fragili, ac labili, quemadmodũ paulò post ipse ejus calamitosus ostendit eventus, DEUS inter tam innumeras creaturas, suæ quietis, suæ quodammodo refocillationis, post tot creationis labores, invenit locum, in quo, summâ animi sui voluptate conquiesceret, ac deliciaretur, quem tamen paulò post suum atrocissimum inimicum futurum noverat, ac causam, ob quam durissimo Crucis stipiti, olim factus homo suffigendus erat; quas quæso delicias, quas cupedias, quas animi oblectationes liquidissimas, quam altam quietem repetit in opere hoc mirabili, in hoc Virgineo, animatoque Mundo, in Throno hoc Regio, in Reclinatorio hoc tã augusto, purissimo, cœlestis, Divinæq; Sapientiæ auro convestito, in hac denique Virgine, Sapientiâ, reliquisque animi dotibus, sibi adeò simili, ut alia quædam Incarnata Sapientia in Orbem advenisse videretur?

Dei deliciæ quas habuit in B. V. sunt ineffabiles.

In Maria Deus suã requiẽ invenit singularem.

23. Neque verò sine causa inter tot res à se conditas in Virgine hac gloriosissima, atque sapientissima dumtaxat locum suæ quietis sibi quæsivit, ac invenit Increata DEI Sapientia, siquidem illam, à primis ipsius Immaculatæ Conceptionis exordijs omni carentem reperit maculâ, omnibus, & naturæ, & gratiæ donis exornatam adamavit ita, ut jam inde ad requiescendum in ipsius uteri tabernaculo anhelaret. Gratiæ siquidem Divinæ ubertas, ac copia amplissimam Divinissimæ Majestati, quietissimamque præparat mansionem. Quod Rupertus

Gratia B. V. amplissimam Deo præparavit mansionẽ.

Abbas lib. 2. in Genes. cap. 17. luculenter docet, dum ait, nullibi Vniversorum Dominum sibi quietis domicilium præter spiritum humanum, atque Angelicum gratiæ capacem reperire potuisse: *Appende*, inquit ille, *dies creationis præter duos, scilicet præter hominem, & Angelum, nihil est quod in seipso nouerit parare locum DEO. Et in istis quidem inhabitat DEVS, sed oportet, ut priùs sibimet in illis mansionem paret ipse DEVS, ut in brachio suæ fortitudinis operetur, & gratiam construat, in qua ad requiescendum Numinis sui gloria dignè collocetur. Nullus enim Angelorum, vel hominum aliter, nisi per operosam ipsius gratiam habitationi eius fit idoneus. Operatur igitur in illis ipse primus, & antequam domus, vel mansio sua perficiatur, quasi laborat. Vnde & lassabundus querelam depromens: laboraui, inquit, sustinens.* Concludit tandem Patrem æternum, in solo Filio, quem clarissimum diem appellat, absque ullo, locum sibi parandi labore, ac solicitudine quietem invenisse: *At verò solum hunc Diem, id est, unicum Filium suum, sicut non creauit, sed genuit, ita nec accidentali dono bonum fecit, sed essentiali bonitate bonum semper habuit, solusq; hic est, in quo iustificando nihil omninò laborauit, aut profectum eius expectando, patientiam aliquando habuit. At creando Angelos, & homines, Sapientia sua expensas contulit, & propter illos salvandos, sine discernendos misericordiam, & Iudicium, hinc & inde magnis impendijs ædificauit, ut totus miratur Orbis & iam dudum magnificat curia cœli. In isto solo nihil unquam fuit quod resisteret ei, sine ille in sinu ejus pausavit, sine militaturus iussu ipsius Naturam nostræ carnis induit. Igitur hic unus est, in quo DEVS requievit, & sic super nos requiescti, non nisi pro quantò conformamur huic, pro tanto super nos requiescit.* Hæc Rupertus.

Nullibi Deus pacem reperit, nisi in homine & Angelo gratiæ capace.

Homo per operosam Dei gratiā fit eius habitatio idonea.

Tantò magis Deus in homine requescit, quantò ipsi conformatur.

24. Ex quibus colligere sanè licet universorum Conditorem nullum aptiorem suæ quieti locum reperisse post Filium, quàm Virginem, siquidem in illa nunquam, ut in reliquis Adæ filijs inventum fuit quod resisteret aut displiceret ei, cùm absque originalis labe peccati concepta, omnibusque gratiæ muneribus decorata, acceptissimum illi ad quiescendum præparaverit domicilium; seseque virtutum omnium ornamentis, puritate, sanctimoniâ, Sapientiâque præ omnibus hominibus, præ omnibus etiam supremæ Hierarchiæ beatis Spiritibus, increatæ Sapientiæ, antequam ex utero Matris in lucem prodiret, conformaverit.

B.V. puritate, alijsque virtutibus facta Domicilium, & Requies Dei.

25. Vnde ipsa hujuscé Divini favoris sibi probè conscia dicebat apud Ecclesiasticum cap. 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Ad hanc requiem Sancti Angeli humanæ Salutis percupidi Filium DEI invitare videbantur, dum canebant: *Surge Domine in requiem tuam.* Requiem hanc agnovit esse DEI param Chrysippus Presbyter Hierosol. ser. de B. V. dum Incarnatum alloquens Verbum dicebat: *Tua enim Requies est Virgo, & Vterus tua requies.* Simili ratione eadem Angelorum verba S. Bernardinus Senensis Tom. 3. ser. 11. art. 2. interpretatus est, aitque non solùm verbis illis DEI Filium, ad uterum Virginis, sed etiam ad obviam in cœlum proficiscenti eundum, fuisse invitatum: *Prophetæ*, inquit ille, *vox est una omnium Beatorum iubilantium, exultantium, & applaudentium, atq; exhortantium Dominum ire obviam suæ Benedictæ Matri, ac dicentium: Surge Domine in Requiem tuam, scilicet obuius vade tu cum omni exercitu Beatorum. Vocant enim B. Virginem Requiem Christi, non tantùm quia in ea novem mensibus requievit, verùm etiam quia plùs per quietum amorem requieuit in ea, quàm in tota alia rationali creatura; sicut ipsa B. Virgo testatur: Et qui creauit me, requievit in tabernaculo meo.* Hactenus Bernardinus.

Requies Filij Dei est Vterus B. V.

B. V. est Requies Christi.

26. Quod quidem Vteri purissimi tabernaculum, licet variarum virtutum decore, ac splendore Filium DEI ad quiescendum inuitârit, censet tamen S. Zenon Episc: Veron: Martyr gloriosissimus ser. 3. de Nat Domini, Virgineâ potissimum fuisse puritatem, quâ sine dubio omnem etiam Angelicam superavit creaturam: *Requieuit*, inquiens, *lubens in florentissimo castitatis domicilio.* Si enim cœlestis Sponsus pasci, ac deliciari consuevit inter lilia Virginitatis, animarum filiorum hominum; quantò magis inter puritatis lilia electæ & prælectæ Virginis, quæ Virginitatem plusquam Angelicam cum Divina fœcunditate, admirabili nexu sociavit? Hic enim Virginalis uterus est Terra illa Paradisi, habens omnia virtutum germina, de qua vaticinatus est Isaac, ut testatur S. Dionysius Alexandrinus Epist. cont. Paulum Samosatenum q 10. *Hæc est, Virgo scilicet, quam Isaac prævidens, dicebat Iacobo: Det tibi DEVS benedictionem terræ habentis omnia. Qui enim de cœlo descendit Vnigenitus DEI Verbum gestatum est in utero*

Virginea puritas in utero B. V. Dei Filio quietē apparavit

M. Vterus florentissimum castitatis Domicilium, in quo Christus quievit.

Virgi-

Virginali, & genitum ex Paradiso Virginali habente omnia. Sic ille.

Audite Rupertum Abbatem lib. 2. in Cant. de Increatæ Sapientiæ delicijs hiscé in utero Virginis repertis loquentem: *Si deliciæ eius cum filijs hominum, quantò magis lubens erat, & deliciabatur in ista Ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum, & filiarum hominum?* O quam præclarè de cœlestibus hiscé Virginei uteri delicijs B. Petrus Cardinalis Damiani sensit ser. de Annunc. expendens verba illa Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum delicijs affluens.* Postquam enim præmisisset Deum in nulla omnino creatura, ne quidem Angelica quiescendi, sesequе oblectandi locum reperisse, tandē aureâ, ac planè venustissimâ illâ totū discursum conclusit Coronide: *Non est locus voluptatis, nisi uterus Virginis.*

Non est locus Voluptatis Filio Dei, nisi Vterus Virginis.

27. Quare jure merito Virginem sapientissimam, Increatæ Sapientiæ Imaginem in se præseferentem, ipsiusque locum quietis jucundissimæ, domiciliumque pacatissimum Diei septimo, sive Sabbato conferre possumus, de quo Moyses Gen. 2. *Requieuit Dominus*, inquit, *die septimo ab universo opere quod patrârat;* Siquidē jam memoratus Damiani lib. 2. Epist. 5. & Filium Dei, & Melchisedech ejus figuram, Sabbato comparare non dubitaverit. Cùm enim præmisisset præceptum illud Domini Exo. 31. *Custodite diem Sabbati, omnis homo qui non obseruauerit diem Sabbati, peribit anima illa de populo suo;* mox subnectit: *quid ergo per Sabbatum debemus intelligere, nisi Christum? In isto quippè Sabbato requiescimus, cùm in illo solo spem ponimus, cùm hunc toto cordis amore diligimus, ac rerum terrenarum concupiscentiam postponentes, à seruilium operum labore cessamus. Per Sabbatum ergo Christus innuitur. Vnde & in ipso Mundi nascentis exordio, cùm per unumquemq; diem Scriptura mane præfigat & vespere; jam cùm ad Sabbatum peruenit, neutrum horum nominat, ut illud quasi sine initio esse vel fine prorsus ostendat. Ad similitudinem quoq; Melchisedech Sacerdotis Sabbatum Moyses introducit, de quo Apostolus Hebr. 7. Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, nec initium dierum, nec finem habens, assimilatus autem Filio DEI, manet Sacerdos in perpetuum. Et rectè quæ unum sub figura significant, in ipso quoq; scriptionis ordine non discordant. Illud quoq; ab utroq; non discrepat, quod sicut Rex Salem, Rex pacis dicitur, ita quoq; Sabbatum requies interpretatur. Igitur hæc duo quæ pacem, sive requiem suis nominibus exprimunt, congruenter in hunc qui summa pax est, typicâ significatione concurrunt. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraq; unum. Et rectè in hoc Sabbato rerum Conditor requieuit, quia in Christo IESV Mediatore DEI, & hominum, Pater omnipotens, quod se posset offendere penitus non inuenit. In eo deniq; meritò requieuit, de quo intonuit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. In illo siquidem suaviter requieuit, in quo sibimet conspecta singularis munditiæ puritate complacuit. In isto igitur Sabbato, quasi in Sanctuario, & Pater requieuit, & nos requiescere præcipit. Vnde Levit. 16. dicit: Sabbata mea custodite, & Sanctuarium meum metuite, qui enim est Sabbatum, ipse & Sanctuarium.* Hæc Damiani, de Christo & Melchisedech doctissimè.

M. Requies Christi, & Sabbatum.

Sabbatum Christum significat.

Sicut Sabbatū nec mane, nec vesperam habet, ita Dei Filius nec principiū, nec finem.

Melchisedech Sabbato confertur.

Pater in Filio veluti Sabbato ob singularem puritatem requievit.

28. Ex qua sanè figura & figurato colligimus, quod quemadmodum ipsa Vmbra, atq; ipsa Veritas fuerat in Sabbato adumbrata, sic etiam Mater ipsius Veritatis sapientissima, ob mutuam illam, & amoris, & carnis inter se communicationem eodem Sabbato fuerit significata. Hinc quemadmodum Melchisedech fuit absque Patre, absque Matre, absque genealogia: sic in sacris paginis Mariæ nulli memorantur Parentes, nulla infantia, mors nulla, ut ad instar Sabbati, quod mane, & vespera, initio & fine carere videbatur, haberetur; ut intelligeremus illam ad instar dilectissimi Filij totam suam quodammodo originem, præsertim verò spiritualem traxisse de cœlo, & manibus dumtaxat Increatæ Sapientiæ fuisse efformatam, ipsique redditam, quam simillimam. Quemadmodum enim in illo Pater sibi complacuit, in illo suaviter requievit, conspectâ, ut inquit Damianus, singulari munditiæ puritate; sic eadem æterna Sapientia contemplatâ, sapientissimæ hujus Virginis plusquam Angelicâ puritate, omni labe, etiam originalis peccati experte, adeò sibi complacuit, ut in illa conquiescere, in illa domicilium sibi figere non dubitârit. In isto Sabbato verè, velut in Sanctuario ipsa Sanctitas, ipsa Sapientia, novem mensibus requievit, adeò ut dicere possimus cum Damiano: *Quæ est Sabbatum, ipsa est & Sanctuarium*, illud nimirum, de quo canebat Regius Psaltes Domino: *Sanctuarium quod firmaverunt manus tuæ*, quod summâ, videlicet

M. per Sabbatum significatur, & quare?

M. Sanctuarium quod manus Dei firmaverunt.

delicet Dei Omnipotentiâ, ac Sapientiâ conditum, ac stabilitum in terra ad totius generis humani solatium extitit. Dies hîc septimus licet absque mane, & absque vespera videatur, quia nec infantiam rationis expertem, nec vulgarem mortem, reliquorum mortalium more novit, est verè tamen Dies quædam serenissima, Dies quædam lucidissima, omnem ignorans Occasum; quam præfiguratam in gratiosissima illa Iobi Filia, quæ Dies nuncupabatur existimo. Iob 42. Quid enim ante exortum hujuscè pulcherrimæ lucis, aliud vidit Orbis, quàm tenebras plusquam cimmerias, quid aliud, quàm horrorem noctis plusquam Ægyptiacæ, caliginemque densam, ac palpabilem? At verò ubi primùm in hujuscè luminis auras Virgo prodijt, abstersâ, tot antiquorum scelerum densissimâ caligine, Auroræ ad instar, miseris mortalibus almam invexit lucem, tantopere, tamq; anxiè antiquis illis Patribus desideratam. Cui proinde jure accinebat Mantuanus lib. 2. Parth.

M. est Dies, nec Ortum, nec Occasum agnoscens

M. Filia Iobi figuravit, quæ Dies vocabatur.

O veterum spes longa Patrum spectabilis Almam
Quæ revehis Aurora diem, quæ distulit Ortus
Nox tam longa tuos? quæ causa ignota sub umbris
Hoc illustre Iubar tenuit? nec protulit ante
Lumen Olympiacum radios?

Vnde Durandus in Rationali Divini Officij ait revelatum Divinitus, natam Virginem, oriente Diei Sabbati Aurorâ, à qua velut Imago repræsentabatur.

M. oriente diei Sabbati velut Aurora nata est.

29. Sicut denique Pater quievit in Filio, veluti Sabbato, quia, *quod in illo se posset offendere penitus non invenit*, ut ait Damian. sic Increata Sapientia conquievit in Virgine, velut in Sabbato, quia nullum unquam peccati, vel minimi offendiculum reperire licuit, utpotè quæ semper gratiâ plena extitit. In eadem Virgine eadem Sapientia etiam nos facit quiescere, dum pietatis officijs nobis ipsius effusissimam pietatem, benevolentiamque demeremur, ejusque Clientelæ, patrocinioque nos committimus, quo sanè obtento, pacem illam, quæ superat omnem sensum nos indipisci necesse est. Atque ita verè dicere possumus cum Patre nostro Salazar Virginis nostræ studiosissimo: *Ipsa est Sabbatum nostrum, quo requiescimus; Solis dies, quo illustramur; Lunæ, quâ benignè reficimur; Martis, quo & certamus, & vincimus; Mercurij, quo sapimus. Iovis, quo lætamur. Veneris deniq; dies, quo castè amare didicimus.* Quam dierum hebdomadæ Deiparæ factam appropriationem si quis fortasse miratur, legat eundem Cardinalem Dam. eadem illa Epistola, quâ fusè docet, in homine velut compendio opus sex dierum contineri, quod etiam supra docuit Albertus Magnus de Maria. *Quia homo*, inquit Damianus, μικρόκοσμος, *hoc est, minor Mundus asseritur, necesse est, ut ad suæ plenitudinis incrementa contendens, ipsam mundanæ conditionis speciem imitetur, ut sicut visibilis, atq; corporeus hic Mundus, per suarum molem, ac multitudinem consummatus est partium; sic & homo noster interior, paulatim ad sui plenitudinem veniat, per augmenta virtutum.*

In B. V. cultu reperitur pax, quæ exsuperat omnem sensum.

M. est nobis ad instar omnium dierũ Hebdomadæ.

Tum per omnes dies facto Discursu, cùm ad sextum pervenisset, in quo homo creatus est, ad sui similitudinem Creatoris, ostendit virum spiritualem, perfectum, omnibusque virtutibus consummatum per diem hunc designari, *in quem Deus suum collocat Thronum, ac Solium, ut in eo suaviter quiescat*, ait Damian. *Sic itaq; pervenitur ad Sabbatum, in quo & ipse Deus, consummatis operibus requiescit, & hominem requiescere præcipit.* Tandemque concludit: *Hoc itaq; modo & homo fit Sabbatum DEI, & Deus Sabbatum hominis; cùm & ipse in DEO, & Deus requiescit in eo. Manete, inquit, in me, & ego in vobis.*

Dies sextus Hebdomadæ Virum spiritualẽ, ac perfectum designat.

Quod utique per amoris fit transformationem, cujus vi Deipara nostra adeò in Increatam illam Sapientiam erat quodammodo transmutata, ut in Virgine habitans, atque requiescens sibi in seipsa habitare, ac conquiescere velut in quodam, ab omnibus laboribus feriato Sabbato videretur. Quod si in Sancto, & justo homine sibi Sabbatum Deus, quietemque constituere dignatur, quantò magis in Virgine omnis Iustitiæ, ac Sanctitatis Speculo, quantò magis in Sancta Sanctorum, in Sacrario & Templo Spiritus Sancti. *Quid est DEO Sabbatum sanctificare*, ait idem Damianus, *nisi Templum sibi in sancti, ac perfecti viri mente construere?* Quid autem sanctiùs, quid ab omni scelere magis liberum, quid puriùs, quid perfectiùs gloriosissimâ Deiparâ? in qua & quietis suæ Reclinatorium, & dignissimum suæ Divinæ gloriæ Templum sibi Sapientia præparavit æterna.

In M. increata Sapientia habitans sibi in seipsa habitare videbatur.

30. Neque verò solùm B. Damianus Sabbatum Dei Filio contulit, verùm etiam Rupertus Abbas lib. 2. in Genes. cap. 13. quorum nos auctoritate suffulti jure

jure meritò eundem Diem Sanctissimæ quoque ejus Matri ob intimam cum Filio unionem conferimus. Verum ipsa verba pientissimi Abbatis audiamus: *Dies iste septimus est splendor Paternæ gloriæ, lux lucis, & fons luminis, Dies dierum illuminans; Sol ipse verus & indeficiens. Dies non factus, sed omnem diem efficiens. Hujus diei proprietas, vel propria dignitas diligenter nobis spectanda est. Primum hoc à cæteris diebus differt, quod vespere, & mane non habet, nec enim dixit Scriptura, quia factum est mane & vespere dies septimus, sicut in alijs. Dies enim iste natus, non factus est; genitus, non creatus est. Quomodo ergo vespere & mane haberet, vel quomodo factus rectè diceretur? Nam singulis quidem cæterorum dierum erat, quando non erat; & factum est mane, quando quilibet eorum cœpit existere. At verò de hoc Die dicere: Erat quando non erat, vel putare, quod ulla eum vespera præcesserit, aut quod unquam mane novum essentiale ejus fuerit, hæreticorum est. Nam Catholica fides nihil aliud de hoc Die novit, nisi, quia est.*

Filius Dei rursus cũ Sabbato confertur à Ruperto Abbate.

Concludit tandem cap. 14. Patrem in hoc Die, hoc est, in Filio, sicut nos jam in Virgine conquievisse asserimus: *In illo Die suo*, inquiens, *tantus operarius DEVS requiescit.*

In B. V. Deus sicut in Die suo requiescit

31. Quod nobis minimè mirum videbitur, si intellexerimus etiam S. Iosephum Virginis castissimum Sponsum hujus æternæ Sapientiæ Sabbatum, ac quietem fuisse vocitatum ab Isidoro Isolano 3. p. c. 1. qui ubi promisisset: *Benedixit autem diei septimo, quia requieuit in eo ab omni opere quod patrârat;* Mox ad Dei Filium ardentissimo conversus affectu, exclamavit: *O quoties, IESV maxime, in gremio Ioseph quievisti? Ejus collum tuis teneris stringens brachijs, illius hærens pectori, ac humeris. Quievit ergo DEVS in Ioseph corporaliter, quievit spiritualiter, per donum gratiæ gratum facientis; quievit fiduciâ desponsans ei Matrem: quievit curâ, vocans illum Patrem: quievit lætitiâ, laboribus ejus vivens. Verè Ioseph magnus est Dies ille Sabbati, in quo quievit DEVS gloriosus, ab omni opere quod patrârat.* Quod si Ioseph magnus est ille Dies Sabbati, in quo quievit Dominus, multò magis Maria purissima ejus Sponsa, in cujus non modò ulnis, sinusque, verùm etiam utero sacrosancto, novem ipsis mensibus requiescere non est dedignatus.

S. Iosephus est æternæ Sapientiæ Sabbatũ, in quo ipsa requievit.

Iesvs parvulus in Ioseph quievit.

Christus in M. non modò ulnis, sed etiam utero requievit.

32. Vt porrò ostenderet universorum Dominus maximam Virgini cum Sabbato futuram convenientiam, eam ipso die concipi, eam ipso die nasci voluit, ut quorundam admodum probabilis fert opinio. Quæ sanè Ambrosij Catharini ex Religiosissimâ D. Dominici Familiâ Theologi doctissimi fulciri potest auctoritate, asserentis die septimo, ipso Sabbato olim Deiparæ consecrando, creatam fuisse Evam viventium cunctorum Matrem, typum Virginis nostræ præclarissimum. Idem sensisse visus est Doctor Angelicus 1. Par. qu. 73. art. 1. ad 3. cùm dixit: *Nihil postmodum à DEO factum est totaliter novum, quin aliqualiter in operibus sex dierum præcesserit. Quædam enim præextiterunt materialiter; sicut quod de costa Adæ formavit Mulierem.* Ac si dicere voluisset, præextitisse die sexto costam, condito primo homine; ex qua postmodum, die septimo condita fuit Mulier. Sic locum hunc D. Thomæ intellexit Pater noster Pererius lib. 4. in Genes. q. 4. n. 178.

B. V. nata est die Sabbati.

Eva die septima seu Sabbato à Deo creata.

33. Quod nobis ipsa increata insinuare visa est Sapientia, cùm sanitati pristinæ homine illo ad probaticam piscinam ipso Sabbato restituto, murmurantibusque Iudæis, quod diem Sabbati veluti Sacrosanctum violaret, sapientissimè pronunciavit: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Ac si clariùs dicere voluisset: Licet Pater meus æternus, & ego ipse ab opere illo sex dierum celeberrimo, die Sabbati cessaverimus, nihilominus tamen operi cuidam longè nobiliori, ac Diviniori laborem, operamque nostram impendimus die Sabbato, non tantùm creaturas jam conditas conservando, sed novam quandam Creaturam reliquarum omnium Principem, novum quendam Mundum, hoc Vniverso admirabiliorem efformando, eumque creaturarum omnium flore, ornamentisque decorando. Hic novus porrò Mundus, nova hæc, nobilissimaque Creatura, est Mater mea dilectissima, ad quam, uti par erat, condendam tam Pater, quàm ego, & Spiritus Sanctus thesauros omnes Omnipotentiæ, Sapientiæ, Bonitatisque profudimus, ut quietum, dignumque tantâ Majestate ædificaretur Domicilium.

SS. Trinitas formando M. Diviniores formationes inchoavit.

Patris, Filij, & Spiritus S. labor in condenda Deipara.

34. Mysterium hoc intellexisset sine dubio Philo Hebræus, si Sacrosanctæ Fidei nostræ lumine fuisset illustratus; cùm dixit: *Requiescens igitur die septimo à mortalibus operibus, alias Diviniores formatio-*

tiones incipit. *Nunquam enim DEVS operari desinit; & sicut proprium est ignis urere, nivis frigefacere, sic proprium est DEI operari.* Et quales tandem Diviniores hasce formationes die Sabbato inchoatas esse arbitramur? Formatio nimirum illius Virginei corpusculi, cum membris, organis, sensibusque omnibus tam internis, quàm externis adeò perfecti, ut ad instar Mulieris perfectissimæ, inque ætate maturâ constitutæ, rationis usu polleret, deq; Deo, creatisque omnibus sapientissimè discurreret. Formatio item animæ illius sanctissimæ, cum potentijs memoriæ, intellectus, ac voluntatis, adeò numeris omnibus absolutæ, ut in ipso infusionis in corpus illud sanctissimum instanti, Deum clarè viderit, eumque ardentissimè amaverit.

M. Corpus & anima à Deo cōdita, sunt Diviniores Dei formationes.

Infusæ denique gratiæ, donorum, ac charismatum Spiritus Sancti, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis &c. quæ super illam requieverunt, quietisque locum Increatæ Sapientiæ paravêre, Diviniores quædam formationes extitêre, quæ omnes momento temporis absolutæ, ac perfectæ, Deiparam aureum quoddam reclinatorium tantæ Majestatis, requiem imperturbabilem, Sabbatum delicatum effecerunt.

M. Reclinatorium aureum, & Sabbatum delicatum in quo Dei Majestas requievit.

35. Quod si Richardum de S. Vict. requiramus quænam hæ Diviniores sint formationes, quænam sint hæc opera admiranda, atque Divina, quibus efformandis, post 6. dierum opus sese æterna occupavit Sapientia? respondebit, lib. 2. de Emman. cap. 29. Opera hæc prodigiosa, esse ipsam gloriosissimam Virginem Dei Matrem, ad quam demirandam Regius Psaltes omnes invitabat Ps. 45. *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Quæ autem sint illa prodigia, quæ tantoperè miratur, consequenter adjungit: *Auferens bella usq; ad finem terræ, arcum conterens, & confringens arma, & scuta comburens igni. Quæ est ista obsecro terra,* concludit idem Doctor, *de qua bella omnia finetenus auferuntur, nisi illa, de qua idem Propheta alibi: Veritas de terra orta est. De hac itaq; terra omnis pugna tollitur, in hac terra pax plena reparatur.* Atque ita hæc Virginea, atq; animata terra requies Domini. Sabbatumque evadit, in quo propulsatis peccatorum quam longissimè tumultibus, increata conquiescit Sapientia.

M. est, Opera Domini prodigiosa.

M. est terra de qua bella omnia sublata, in qua pax plena reparatur.

36. Quod si ex D. Bonaventura sciscitemur quodnam sit Divinum illud Opus, quod post sex dierum laborem Dominus est aggressus? Respondebit: *Divinum quoddam opus efformandum accepit, cùm Matrem suam Virginem Mariam DEVS condidit.* Idem Pater Seraphicus cap. 3. Spec. hoc Opus admiratus, canit cum Psalmista: *Gloria Domini plenum est Opus ejus;* Subnectitque: *Opus Domini excellentissimum est Maria. Hoc Opus sicut plenum est gratiâ Domini in Mundo, sic plenum est gloriâ Domini in cœlo.* Denique cap. 7. in Speculo: *Antonomasticè,* inquit, *Opus Domini mirabile est Maria, de quo dicitur in Ecclesiastico: Vas admirabile Opus Excelsi. Verè Opus admirabile, quia nunquam invenitur simile. Vnde de hoc dicitur: Non est factum tale Opus in universis Regnis. Non utiq; in Regno cœlestium, non in Regno terrestrium, non in Regno Infernorum. Quia nullum tale Opus in cœlo, nullum tale in Mundo, nullum tale in Limbo fuit. Hoc enim Opus plenum est Dominicâ gloriâ, quia super omnem puram creaturam resultat, & relucet plenissimè in Maria. Nam præter assumptam à Verbo Naturam, nullum est Opus, nulla est creatura, in qua tanta Divina gloria materia reluceat, sicut in Maria.* Idem Seraphicus Doctor c. 10. in Speculo adeò Divinè efformatum ait à Divina Sapientia Opus hoc Virgineũ, ut ne de absoluta sua potentia quid Diviniùs elaborari possit. *Ipsa est, quâ majorem DEVS facere non potest; majorem Mundum posset facere DEVS, majus cœlum posset facere DEVS, majorem Matrem, quàm Matrem DEI non posset facere Deus.* Cùm in Divina hac Maternitate ipse Devs includatur, quo nîl majùs, nîl meliùs in tota hac rerum universitate vel reperiri vel effingi potest.

M. Divinũ Opus.

M. Opus Domini excellentissimum.

M. Opus Domini mirabile per Antonomasiã.

M. Opus, cui simile nec in cœlo, nec in terra factum est.

M. Opus, quo majùs Deus facere nequit.

37. Sanctus Hieronymus denique ser. de Assumpt. B. V. cùm hortaretur Virgines ad Eustochium, & Paulam, velut formam omnis virtutis imitandam, tandem, ut perfectiores evadant, suadet æmulandam Deiparam, proximè, suâ perfectione, ac bonitate Devm ipsum accedentem, vocatque eandem Opus Virtutis, Sculpturam Spiritus S. cui si se conforment, evadent perfectissimæ: *Et ideò,* inquit S. Doctor, *si placet vobis Charissimæ talis, ac tanta Virgo, placeat & Opus virtutis, cujus vita est omnium Disciplina, cujus mores, instituta sunt Ecclesiarum, quæ præcellit cunctos, supereminet universos.*

M. est Opus virtutis, & Sculptura Spiritus S.

M, Vita, est omnium Disciplina.

Pro-

Propterea quæcunq; Virgo sibi ab ea optat præmium, & implorat auxilium, debet imitari exemplum. Rogo vos ò Virgines, rogo & Viduæ, imitamini Paulam Viduam Matrem, exemplar continentiæ, & castitatis. Imitamini Eustochium Virginem, & formam perfectæ integritatis, quod si minùs in eis est quàm in Matre Domini, imò quia est, habetis prole fœcundam, & Virginem perpetuam. Quia sicut in comparatione DEI nemo bonus, ita & in comparatione Matris Domini nulla invenitur perfecta, quamvis virtutibus eximijs comprobetur. Vnus est Pater noster, qui in cœlis est; unus & Magister, una est forma Virginitatis in Maria, cui vos omnes, vt Imaginem reformetis integritatis, faciem imprimere debetis in Sculpturam Spiritus Sancti. Quoniam hæc est Hortus conclusus, Fons signatus, Puteus aquarum viventium, ad quam nulli potuerunt doli irrumpere, nec prævaluit fraus inimici; sed permansit sanctâ mente, & corpore, multis donorum privilegijs sublimata. Et verè sublimata super omnia DEI opera, utpotè opus omnibus tam naturæ, quàm gratiæ numeris absolutissimum.

Sicut in comparatione Dei nemo bonus, sic in comparatione Deiparæ nemo perfectus.

Forma Virginitatis est in M. in quã Virgines faciem suam imprimere debent.

38. Cùm igitur in Sabbato, quod olim Sacratissimæ consecrandum erat Virgini, & Pater, & ipsius æterna operetur Sapientia, & operetur insuper res longè majores, digniores, atque Diviniores, quàm illæ fuerint, quas sex dierum illorum spatio, in Mundi primordijs operatus est, & Opus hoc, singulari prorsus artificio, atque applicatione Increatæ Sapientiæ efformatum sit, sequitur profectò summi DEI, cunctorũq; viventium Matrem dici posse, quemadmodum & ipsa, à nonnullis asseritur Eva die Sabbati condita, arte Divinissimâ fuisse creatam. Quod summi DEI Opus, ut tantò venustiùs foret atque Diviniùs placuit infinitos Mundos, quas infinitâ suâ Omnipotentiâ condere volebat, postponere, totumque se, in condendo hoc novo Opere impendere, ut æternæ suæ tantò similiùs evaderet Sapientiæ.

Deus infinitos Mundos condere postposuit, totumque creationi se Virginis impendit.

39. Neque verò mirum cuiquam accidere debet quod hæc nostra Eva figurata, Increatæ Sapientiæ æmulatrix, ipso Sabbato sit condita, siquidem inter hoc, ipsamque non vulgaris apparet consonantia, non mediocris similitudo elucescit. Atque, ut id magis perspicuum evadat, audite diei Sabbati elogia, quæ paucis immutatis aptissimè transferri possunt in Virginem: *Complevit die septimo Opus suum*, inquit Moyses, *quod fecerat; & benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum, & quievit die septimo ab universo opere quod patrârat.* Gen. 2.

B. V. cum Sabbati die similitudo & convenientia.

Laudes diei Sabbati.

Verè efformando Virginem complevit Opus suum Increatâ Sapientiâ, adeò enim perfectum inter creaturas omnes; adeò omnibus numeris completum; adeò sibi simile extitit, ut ipsius genuinum Opus, Opus suum proprium, fœtus Divinæ Sapientiæ, ejus Imaginem in se repræsentans, esse videretur.

Vnde operis hujus perfectionem absolutissimam, eamque in omnem creaturam redundantem agnoscens gloriam sapientissimus ille Pater Idiota cap. 4. in Contempl. B. V. *Inter omnia*, inquit, *opera æterni Opificis, post operationem illam, quâ nostra natura unitus est Filius tuus, speciale Opus fuisti, ò B. V. Maria, qui ad hoc te fecit, vt quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur. Hic enim summus Opifex primo considerat Angelicam naturam, quæ in parte ceciderat, & humanam, quæ corrupta erat, & corpoream inferiorem, quæ peccato hominis fuerat deterior effecta. Sed ad hæc omnia fecit te Deus, Virgo Maria, sanctissimam, ut ex tuo superbenedicto Fructu, Angelica natura repararetur, humana renouaretur, inferior à seruitute liberaretur. Ædificauit ergo te Angelis Reginam, hominibus medicinam, creaturæ inferiori libertatem.*

M. Opus Dei speciale.

Deformitas Mundi per M. reformata.

M. creatio omnibus creaturis profuit.

40. Agnovit Opus quoddam consummatum esse DEIPARAM B. Albertus Magnus Tract. super Missus, cùm inter reliquas benedictiones asseruit eam habuisse benedictionem die Sabbati: *In B. V.* inquiens, *fuit perfecta operum consummatio, quando omnia creata in uno homine, uniuntur uni Creatori, & primum fit ultimum, & ultimum primum. Non est perfectio motus, vel operis, nisi in circulo.* Verè huic diei septimo Dominus benedixit. Hanc enim benedictam in mulieribus salutavit Angelus; eò quod benedictiones omnes, olim mulieribus diversis concessas, ipsa sola obtinuerit, gradu longè excellentissimo. Benedicta fuit Iudith c. 15. ob castitatem: *Benedixerunt eam omnes unâ voce dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eò quod castitatem amaveris, & ideò manus Domini confortauit te, & ideò eris benedicta in æternum.* Quod si Iudith vidua ob dilectionem castitatis digna fuit, quæ benedicta à DEO, & hominibus prædicaretur,

In M. perfecta Dei operum consummatio.

Motus sive Operis perfectio est in Circulo.

M. benedicta ob Virginitatem, sicut Iudith ob castitatē.

quantò magis Virgo Deipara, quæ prima omnium votum Virginitatis emisit, quæ Mater omnium Virginum extitit, ac Regina, quæ illibatum Virginitatis florem ante partum, in partu, post partum, totâ admirante naturâ conservavit?

41. Benedicta fuit Iahel Heroina fortissima post trucidatum Israëlitici populi truculentissimum hostem Sisaram: unde Debbora & Barac illi jucundè sunt modulati Iud. 5. *Benedicta inter Mulieres Iahel uxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo suo: sinistram manum misit ad clavum, & dextram ad fabrorum malleos, percussitq; Sisaram quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans.* Et quâ tandem benedictione digna reputabitur Regina hæc cœlorum potentissima, quæ Tartarei Serpentis caput in primis immaculatæ suæ Conceptionis initijs, de peccato originali triumphando, contrivit?

M. benedicta ob fortitudiné, quá contrivit caput Infernalis Serpentis, sicut Iahel caput Sisaræ.

42. Benedicebantur denique antiquitus mulieres ob fœcunditatem, sicut è contra steriles maledicto obnoxiæ censebantur. Et quænam tandem fœcundior inter omnes mulieres in rerum natura extitit, quàm Virgo nostra, quæ intacto Virginitatis flore, ad instar benedictæ illius terræ, Fructum pulcherrimum, atque uberrimum, Fructum salutiferum Ventris sui mundo edidit, & per illum Mater omnium fidelium universalis evasit? Quare præclarè B. Albertus Magnus de eximia hac Virginis fœcunditate eodem Tract. super Missus pronunciavit: *Concedimus quod in tantum Beatissima Virgo excellit omnes Matres in Maternitate, ut etiam non videatur secundùm eandem rationem, posse dici, ipsi, atq; alijs Maternitatem cõuenire. Non quod aliquid deficiat, quod exigitur ad perfectionem Maternitatis; sed quod ipsa sola ita principaliter possideat rationem Maternitatis, ut omnes aliæ Matres, dicantur Matres secundùm diminutam rationem à ratione ipsius Maternitatis. Ita ut verè sicut de Patre æterno dicit Apostolus; à quo omnis Paternitas in cœlo, & in terra nominatur, ita proportione quâdam effari possimus de Virgine; à qua omnis Maternitas in cœlo, & in terra nominatur.* Idque totum inde provenit, quod Filium, uti speciosum formâ præ filijs hominum, sic etiam præstantissimum ediderit, ita ut ei omnes comparati, *velut stilla situlæ, quasi momentum statera, & quasi pulvis exiguus, & quasi nihilum & inane reputentur ei.* Is. 40.

Benedicta M. ob fœcunditaté.

M. sola possidet rationem Maternitatis principaliter, aliæ secũdùm diminutam rationem.

M. Maternitas singularis, ob singularitatem Filij

Præclarè enim idem argumentatur Albertus: *Vnaquæq; arbor ex fructu suo cognoscitur, ita ut generatio nobilissimi fructus, sive hominis arguat nobilitatem generantis. Sed unus solus est homo nobilissimus. Igitur uni soli conuenit esse Matrem ejus. Igitur ejus Maternitas est priuilegium unius solius. Accedit quod effectus hujusmodi generationis fuit perfectus in summo; sed perfectior generatio est ubi unus de uno ad similitudinem generationis æternæ, quàm ubi unus de duobus. Igitur in hac generatione debuit esse unus de una, & hæc fuit Mater, & Virgo.* Tùm quia ad perfectam generationem sequitur secundùm naturam perfectissima Maternitas. At verò perfectior & nobilior est Maternitas cum incorruptione, quàm cum corruptione. Sed hæc fuit perfectissima; ergo associata debuit esse Virginitati, ac per consequens esse Mater & Virgo. Tùm quia quidquid est in arte exemplari Divina, id totum debet esse exemplatum & declaratum in exemplo creato. Ergo sicut ibi in generatione Divina est unus de uno, sine corruptione, divisione, vel mixtione; sic etiam hic erit unus de unâ, sine corruptione. Atque ita erit Mater & Virgo. Tùm quia prima dignitas in Divinis, quæ creaturis communicari potest, est; à quo alius per generationem. ergo erit eadem prima naturalis dignitas, ac privilegium etiam in humanis; quod sanè nulli mulierum, præterquam gloriosissimæ Virgini inter mulieres omnes communicatum fuit. Illa enim fuit, à qua alius, nempè Dei Filius, qui per purissimam generationé, Divinæ illi quàm simillimam, ad instar lucis, purissimum ipsius Virginitatis crystallum penetravit. Ac proinde ab Angelo inter omnes mulieres tùm ob Divinissimam fœcunditatem, ac Virginitatem, tùm ob gloriosissimam de Tartareo hoste reportatam victoriam benedici meruit, Sabbatoque hâc benedictione assimilari. Iure merito benedictiones has contemplans idem Idiota, cum innumeris alijs tam Patriarcharum, quàm Balaam, & aliorum benedictionibus, exclamavit c. 2. in Contemplat. *O præbenedicta, conbenedicta, & postbenedicta Virgo Maria.*

M. nobilitas, uti arboris, cognoscitur ex nobilissimo Fructu.

Generatio unius de uno, qualis est M. est nobilissima, quia Patri æterno quam simillima.

Generatio Filij B.V., est similis Divinæ.

43. Benedicta verè benedictionibus cœli & terræ, benedictionibus, inquam, Iacobi parentis sui, quando in ipso vitæ constitutus limite futura prævidens

M. benedicta benedictionibus cœli, & terræ.

dens tanquam Cygnus jucundè canebat Gen. 49. *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, & benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus uberum & vulua.* Quæ enim major benedictio uberibus illis Virgineis obtingere potuit, quàm lactare ipsum DEI Filium Conditorem universorum? Quæ benedictio utero illi sacrosancto impertiri potuit uberior, quàm complecti illum, quem tota Mundi Machina nequit comprehendere? O quot benedictiones cœli desuper Divinæ gratiæ sese cordi ejus infudêre, quando gratiâ plena salutata fuit! O quot benedictionibus abyssi jacentis deorsum repleta fuit, quando pluvia illa voluntaria, ipse DEI Filius voluntariè semetipsum Patri sacrificaturus, in uterum ejus descendit, effectaque fuit abyssus profundissima, Oceanus quidam immensus donorum, charismatumque cœlestium! Quare jure merito B. Albertus benedictionibus varijs, tam Patriarcharum, quàm ipsius Balaam Arioli expositis, DEIparæque attributis, sic concludit: *Sic igitur patet, quâ ratione B. Virgo benedictiones singulorum singulariter, & universorum universaliter singulas, & universas possedit in summo, & per consequens ad instar diei Sabbati benedicta euasit.* Imò longè adhuc magis: *Si enim dies septima*, inquit idem Albertus, *est benedicta propter Sabbatum diei Creationis; multò excellentiùs benedicetur dies hac propter Sabbatum recreationis.*

M. benedicta Vbera, atque Vterus, quia Filiũ Dei portavit & lactavit.

M. abyssus profundissima, & immensus Oceanus gratiarum

M. benedicta tanquã Sabbatum nostræ recreationis

44. Eidem Sabbato similis est effecta DEIpara, non modò benedictione, verùm etiam sanctificatione. Illam enim Increata Sapientia puram ab omni fœce peccati, etiam originalis, ab ipsa Conceptione immaculatâ reddidit, quod sanè nil aliud erat quàm Sanctam facere. Illam in tabernaculum suum sanctificavit Altissimus. Illa enim est Sanctificium illud, de quo canebat David Psal. 77. *Et ædificauit velut unicornium Sanctificium suum in terra. Ipsa deniq; est Domus illa Domini, quam decet sanctitudo in longitudinem dierum* Psal. 92. Virgo denique pulcherrima illa Lux est quam jussit Dominus de tenebris splendescere in primis Mundi incunabulis, ut asseveravit S. Vincent. ser. 2. de Nativitat. B V. Est Lux, inquam, æternæ illius Lucis ob morum puritatem, atque incorruptionem æmula, eique vicinissima. Quare præclarè B. Albertus Magnus docet ibi esse majorem puritatem spiritualem, ac per consequens Sanctitatem, ubi est major convenientia cum summa luce spirituali, quæ DEUS est, qui lux est, in quo tenebræ non sunt ullæ, atque ita secundùm naturam purior est anima sensibilis quàm vegetativa; rationalis, quàm sensibilis; rationalis Angelica, quàm rationalis humana, quia magis supremæ luci appropinquat. Cùm igitur Virgineæ Sanctitatis lux Divinæ fuerit propinquissima, consequitur sanè eam fuisse excellentissimam. Sanctitatem denique, puritatemque Virginis ostendit Albertus fuisse omnibus eminentiorem, eò quod ad supremum donum consequatur collatio omnium inferiorum. Cùm igitur supremum donorum omnium, eminentissimumque donum, cujus creatura capax esse potest, nempè Divinam Maternitatem DEUS Virgini contulerit, consequitur sanè contulisse etiam summam puritatem, summam vitæ Sanctimoniam; cùm juxta Dionysium superiora inferiorum perfectiones contineant, cum excellentiâ, sicut Seraphim reliquorum Ordinum virtutes, ac proprietates. Plura de hac Sanctificatione videnda Discursu de Sanctitate DEIparæ.

M. est Sãctificium in terra.

M. est Lux æternæ Lucis æmula.

Major puritas spiritualis est, quę habet majorem convenientiam cum summa luce spirituali, idest Deo.

M. Sanctitatis Lux Divinæ Luci propinquissima, ac proinde excellentissima.

Maternitas Divina omnia dona cœlestia, gratiasq; cõplectitur.

Superiora inferiorũ perfectiones complectũtur.

45. Postremum denique Sabbati elogium aptissimè convenit Matri Sanctissimæ; In illa enim quievit, velut in die septimo, velut in Sabbato, singulari quâdam animi voluptate Increata illa Sapientia, in tam eximio opere, sibi quam simillimo, complacendo, ac deliciando, uti sæpè diximus. *In omnibus enim licet Sapientia illa requiem quæsierit*, ait Albertus, *in ipsa tamen sola invenit, in qua & invenit omnia, quacumq; quæsiuit, unde & requieuit in tabernaculo eius. Hæc est enim vera Sion, quam elegit Dominus in habitationem sibi, ibi sua requies in sæculum sæculi, ibi habitabit quoniam elegit eam.* Sic Albertus.

Æterna Sapientia nullibi meliorem requiem invenit, quã in B. V.

46. Quam ob causam idem Albertus benedictionem Beniamin, ait, quadrare DEIparæ; de illa Deut. 33. v. 12. sic Moyses: *Beniamin amantissimus Domini; habitabit confidenter in eo; quasi in thalamo totâ die morabitur, & inter humeros illius requiescet.* Verè amantissima Domini fuit Virgo, quæ super omnem pulchritudinem, ait Magnus Doctor, dilecta est à Domino, in illa velut in Regali Solio habitavit Divinitas corporaliter, non tantùm totâ die, sed novem mensibus. Hæc enim est Mulier illa prudentissima, qua

M. habuit Benedictionem Beniamin

quæ in omnibus delectabat Virum suum, videlicet Filium. Verè in illa Sponsus cœlestis, velut in thalamo, omnibus virtutum ornamentis decorato, commoratus est; in medio ejus bonorum operum humeros oblectatus est.

Quod si in pace factus est locus eius, certè, ut loquitur Albertus, *improportionabiliter fuit locus DEO gratus in Beatissima Virgine, ac per consequens summa Domino pax, summa quies.* Cùm enim Increata Sapientia tantopere sibi assimilatam Iustitiâ, Sanctitate, Sapientiâ, contemplaretur Virginem, perinde in illa, atque in se, beatificè quodammodo amando illam, conquiescebat.

Locum gratum Dei Filius invenit in B. V.

47. Si denique Sabbatum Increatæ Sapientiæ, amore nostri Crucifixæ, in novo Horti Sepulchro, Deus quietem à tantis, tamque duris acerbissimæ passionis laboribus dedit: Dedit & Virgo cùm Filium jam mortuum, Sinu Virgineo amantissimè complexa dicebat: *Fasciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur* Cant. 1. Ipsa fuit deliciarum Hortus, ipsa Sepulchrum novum. Vnde Sponsus Cant. 4. *Hortus conclusus Soror mea Sponsa, hortus conclusus: Quod clausum atq; signatum*, ait S. Hieron. lib. 1. in Iovin. *similitudinem habet Matris Domini, Matris & Virginis. Vnde & in sepulchro Salvatoris novo, quod in petra purissima fuerat excisum, nec antea, nec postea quisquam positus erat.*

M. Sepulchrũ novum, & Hortus in quo quievit Christus.

Novi Sepulchri cũ Deipara cõparatio

Similitudinem hanc Vteri Virginei cum Sepulchro, in quo requievit Dominus ab illo laboriosissimo passionis opere, pervenustè explicuit D. Ambrosius ser. 2. de Parasceve. *Beatum planè Corpus Domini Christi, quod cùm nascitur, Vtero Virginis gignitur, cùm recedit, Iusti tumulo commendatur. Beatum planè Corpus, quod Virginitas peperit, & Iustitia custodivit. Custodiuit illud Iosephi tumulus incorruptum, sicut seruauit illud Mariæ Virginis Vterus illibatum. Hic enim Viri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non læditur. Vbiq; Beato Corpori defertur Sanctitas; ubiq; Virginitas. Novus illud Venter concipit, novus tumulus includit. Virgo ergo Dominicus uterus, Virgo est Sepultura. Quin potiùs ipsam sepulturam, uterum dixerim, est enim similitudo non parua. Sicut enim Dominus de Matris utero exiuit, ita de Iosephi sepultura vivus surrexit. Et sicut tunc ex utero ad prædicandum natus est, ita & nunc ad evangelizandum renatus est de sepulchro, nisi quod gloriosior est ista, quàm illa Natiuitas. Illa enim Corpus mortale genuit; hæc edidit immortale. Post illam Nativitatem ad Inferos descenditur; post hanc remeatur ad Cælos, &c.* Hæc Ambros.

48. Videte quæso ex hactenus dictis quanta sit proportio, quanta similitudo Sabbati, & Deiparæ, quam pulchrè inter se se conveniant, & sese invicem repræsentent. Quid mirum igitur, si Increata Sapientia in Virgine sibi simillima, veluti Sabbato delicato, ac Sancto, tantâ animi sui voluptate conquieverit? Cum Platone teste; *simili simile semper hæreat.* Vnde ipsamet imaginem hanc similitudinemque in se æternæ Sapientiæ expressam agnoscens gloriabatur Pr. 8. *Et delectabar per singulos dies.* Seù ut legêre septuaginta Interpretes. *Ego eram cui adgaudebat ipse.* Ac proinde paucis interpositis, ait, semper se velut dilectissimam Filiam delicatè enutritam, indole, moribusque ipsi simillimam, lateri ejus adhæsisse. Vbi enim vulgatus legit Interpres: *Cum eo eram cuncta componens*; Chaldæus legit Paraphrastes; *In latere eius eram quasi nutrita*; In illa enim lateri suo sic adhærente, oculisque sibi assiduè obversante, perinde æterna deliciari videbatur Sapientia, atque Mater quæpiam amantissima in Filia, mores suos, indolemque repræsentante; quam ita sibi similem contemplans, incredibili eam perfundi lætitiâ necesse fuit. Vnde ubi nos legimus: *ludens in Orbe terrarum*; transtulit Rudolphus: *Alios ridere faciens*; præsertim verò Increatam Sapientiam, cujus ego indolem, similitudinemque vivam, spirantemque circumfero.

Simile simili semper adhæret.

Increata Sapientia in Maria velut sibi simillima Filia, oblectabatur.

49. Similitudinem hanc Virginis nostræ cum æterna Sapientia luculenter ostendit Dionysius Richelius lib. 2. de Præc. & Dignitate B. V. art. 1. cui titulum hunc præfixit: Quod Matrem veræ, æternæque Sapientiæ eximia decebat Sapientia: *Quemadmodum Sanctum Sanctorum*, inquit ille, *Sanctissimam habere Matrem decebat, imò ei qui essentialiter Sanctus est, tanta debebatur Genitrix Sanctitatis, ut sub DEO maior esse non possit: sic prorsus Christum, qui est Sapientia Patri, omnisq; Sapientiæ Fontana origo, sapientissimam, tantaq; Sapientia habere Matrem, quâ hominum nullus in terra erat sapientior, par est. Superfluens enim Fons Sapientiæ Christus, in quid fortiùs ageret, illuminaret, atq; Sapientiæ rivos transfunderet, quàm in propriam Genitricem?*

M. sapientissima, quia Sapientiæ Fons in ipsa fuit.

Nil

Nil quippe illi vicinius, nil charius, nil similius ea. Ideoq; vera Sapientia radios plenius ab ipso sortita est, factaq; est ei, uti in Sanctitate, sic in Sapientia quoq; quam simillima. Hoc equidem decuit, ut Christo Filio qui essentialiter perfectus est, ac totius perfectionis exemplar, in omni prorsus perfectione summè assimilaretur Genitrix electa. Deniq; sicut Filius sapiens gloria est Patris, sic utiq; honor Filij, sapiens Mater. Unde supersapientem DEI Unigenitum, non nisi Sapientissima Mater decebat. Ad hæc sapientum conversatio mutua dulcior est, amœnior, atq; amorosior. Similiora enim ardentiùs se diligunt, sapientiores quoq; syncerius se conspiciunt, inditamq; nobilitatem clarius intelligunt. Ea igitur cum qua tam familiariter, tamq; singulariter DEUS in terris conversari voluit, sapientissima utiq; fuit. Hæc Dionysius.

Mater Sapiens fuit honor Filio.

50. Ex hactenus dictis sat manifesta evadit ratio illa, quâ probamus Virginem gloriosissimam, ipsam quodammodo visam fuisse Sapientiam, eò quod ab ipsa increata, peculiari studio, atque arte planè Divinâ efformata sit Sapientia, illi quam simillima. Iam ad alias causas gradum faciamus. Inter quas illa inter postremas numeranda non est; quod Deipara Domus æternæ extitit Sapientiæ, in qua novem mensium spatio commorata est. Ex quo sanè consequitur uberrimam à tanto Hospite, Virginem nostram hospitij sui recepisse mercedem, omnibusque cœli donis, præsertim verò Sapientiæ fuisse locupletatam. Hæc nimirum est Domus illa, hoc sumptuosissimum Palatium, Dei Majestate dignissimum, de quo Salomon Prov. 9. *Sapientia ædificavit sibi Domum, excidit Columnas septem.* Quæ verba cùm expenderet D. Ignatius Martyr Epistola ad Philipp. *Sapientia,* inquit, *ædificauit sibi Domum, & factus est sicut Homo Deus cum corpore, quod suscepit ex Virgine.* Unde D. Hieronym. lib. contra Heluidium, sacrum uterum Virginis appellavit hospitium, cujus novem mensibus habitator fuit Iesus. B. Andreas Cretens. in Salutatione Angelica eundem Uterum, consecratum Regis Palatium, dixit esse unicum illius, qui nusquam capitur, habitaculum. B. Georgius Nicomediensis Episcopus Orat. de Oblat. B. V. Domum gloriosam. S Epiphanius lib. de laudib. Virg. præclarè asseruit perinde esse dicere: *Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis*, ac enunciare: *Sapientia ædificavit sibi Domum.* S. Bonav. cap. 8. in speculo; Domum Dei Sanctissimam, ac Beatam vocitavit. Cùm enim exponeret verba illa Archangeli; *Dominus tecum*, ait singulariter Dominum fuisse Aulæ Virginalis suæ Sanctissimæ Genitricis; verba illius sunt: *Maria singulariter tam corpore, quàm animâ est Aula Domini; Domus DEI sanctissima, de qua Psalmista: Domum tuam Domine decet Sanctitudo: Ideò hanc compellauit Bernardus: Tu sola digna inventa es, ut in tua Virginali Aula Rex Regum, & Dominus Dominantium a Regalibus sedibus veniens, primam sibi inter filios hominum mansionem eligeret. Iste singularis MARIÆ Dominus sic singulariter cum MARIA fuit, ut ipsam tam singulariter Dominam fecerit, qualem nec primam similem visa est, nec habere sequentem, dum ipsa singulariter Domini Filia, Domini Mater, Domini Sponsa, & Domini Ancilla facta est.* Hæc Bonaventur.

M. Sapientissima, quia Domus cœlestis fuit Sapientiæ

M. pro hospitio uteri sui, ab æterna Sapientia copiosam virtutum, gratiarũque accepit mercedem.

M. consecratũ superni Regis Palatium.

M. Domus Dei Sanctissima, ac Beata.

M. Aula Regis Regum.

M. Domus æternæ Sapientiæ

Quæ omnia dilucidè explicuit S. Ber. ser. 9. inter parvos. *Hæc igitur,* inquit, *est Sapientia quæ DEI erat, & DEUS erat, de Sinu Patris ad nos veniens ædificauit sibi Domum, ipsam videlicet Matrem suam, Virginem MARIAM, in qua septem Columnas excidit. Quid est, in ea septem Columnas excidere? Nisi ipsam sibi dignum habitaculum fide, & operibus præparare? Nimirum ternarius numerus ad fidem propter S. Trinitatem, quaternarius pertinet ad mores propter quatuor virtutes principales.*

51. Non absimiliter Domum hanc Sapientiæ, interpretatur Pater ille devotissimus Idiota, exceptis septem columnis, quas ait esse septem esse Spiritus sancti dona cap. 4. suæ contemplationis de B. V. *Ideò te gloriosissimam Virginem Mariam ædificavit Sapientia,* inquit ille, *in domum solidam & fortem, quæ nullo modo vacillare posset, ideò excidit Columnas septem, ad te fortiter & sublimiter sustentandam. Septem Columnæ, quibus firma semper stetisti, sunt septem dona Spiritus Sancti, quæ requieuerunt in te, & nunquam te destituerunt, per quæ stetisti firmiter, & perseueranter in omni gratia & virtute.* Hæc ille.

Domus Sapientiæ septem columnæ, sunt 7. dona Spiritus S.

52. Denique locum illum Salomonis B. Albertus Magnus simili modo exposuit, præterquam columnas, quas ille septem artes liberales esse interpretatur: *Illa Domus,* inquiens, *est B. Virgo. Septem Columnæ sunt septem liberales scientiæ.* Pergit inde, varijsque rationibus probat Deiparam omnibus præditam fuisse scien-

M. Domus Sapientiæ, cuius septẽ columnæ sunt 7. artes liberales.

scientijs, ut infra patebit. *Tùm quia in Exodo praeceperat DEVS, ut Mulier peteret à vicina sua vasa aurea & argentea, quae Glossa, alijq; Doctores scientias saeculares interpretantur, quas si Sancti mutuari debuerunt ab Ægyptijs Ethnicis, multò magis eas cœlitus accipere decuit Virginem. Tùm quia ipsa sacras apprimè calluit literas, quae Turris David dicuntur, de qua mille clypei, omnes nimirum artes liberales atq; scientiae pendent, à quibus sacrae literae quodammodo muniuntur, quibus cùm Sancti Doctores fuerint instructi, ut Gregorius, Vincentius, Dominicus, D. Catharina, & alij, multò magis Virgo nostra gloriosissima, quae ut ait S. Damascenus, à nullo vinci debet illustrium.* Sic ferè Albertus.

M. cœlitus accepit scientias naturales.

Artes liberales sunt mille Clypei q pendent de Turri David.

M. à nullo vinci debet Illustrium.

53. Cùm igitur Increata Sapientia Virginem velut pulcherrimam, splendidissimamque Domum, ac Palatium fabricaverit, & sibi illud fabricaverit, quae Lux est Divina, & inaccessibilis, Lux, inquam, vera, omnem hominem venientem in hunc Mundum illuminans, cogitandum vobis relinquo, quibus tandem Sapientiae radijs Domum hanc illustraverit, quibus ornamentis virtutum omnium decorârit? Si enim pro homuncione vilissimo, atque abjectissimo totum hoc speciosissimum, amplissimumq; Mundi fabricavit Palatium, cujus laquearia, ac fornices sunt cœli, aureis Solis, Lunae, Stellarumque distincti ornamentis; pavimentum terra, herbis, floribus pulcherrimis, sapidissimisque fructibus convestita; & quae tandem erit haec Domus, quam splendida, quam magnifica, quam ipsa aeterna Sapientia, manibus quasi proprijs aedificavit, & aedificavit sibi. Hanc contemplans Propheta Baruc cap. 3. stupore, ob elegantiam, immensitatemque operis attonitus exclamavit: *O Israël, quam magna est Domus DEI, & ingens locus possessionis eius, Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus.*

M. magna Domus Dei, & ingens Locus possessionis eius

54. Ingens verè locus Divinae possessionis est DEIPARA, quam ingrediens, assumendo carnem increata Sapientia, ita possedit, ita ei adhaesit, ita quasi ipsi inviscerata est, ut eam in se quodammodo transmutârit. Vnde D. Bernardinus Senensis Tom. 3. ser. 6. art. 1. c. 1. luculenter asseveravit DEIPARAM consensu illo suo: *Ecce Ancilla Domini, fiat, &c. in Filium DEI transformatam. Cùm enim consensus illius obiectum fuerit Dei Filius Iesus Christus fiendus,* ut Ipse loquitur, *verus & naturalis Filius verè passibilis, ac mortalis pro uniuersi Orbis reparatione moriturus, & pro omnium peccatis quantum erat in se satisfacturus, impossibile fuit eam in tale, ac tantum obiectum dignè, debitèq; consentire, nisi omnem mentis suae affectum in illud projceret, eidem illum viscerosissimè aperiret; illiusq; obiecti singularitatem, singularemq; oblationem, seu modum habendi se ad eum perspicacissimè attenderet, intimè sentiret, immobilissimè crederet, & humillimè se illi subjceret, & annihilaret, ita ut sui oblita, conaretur tota in ipsum totaliter transformari, ut iuxta illud quod per vim amoris, potest fieri, omninò fieret id ipsum, seu unum, & idem cum IESV Christo. Hoc autem erat summè dilatari, & erigi in abyssum Trinitatis, & Vnitatis, hoc est, in personalem, & originalem habitudinem secundùm quam in semetipso existit, & secundùm quam refertur ad Patrem, & ad Spiritum sanctum à se procedentem.* Quae omnia cap. 2. pulcherrima declarat similitudine alicujus, vel mutantis vitae statum, vel transeuntis ab hac vita mortali, ad immortalem. *Videmus enim,* inquit Pater Seraphicus, *quod tanta sit vis mutationis status inferioris, in superiorem, ut cùm quis est in actu ascendendi ad altiorem Religionem, aut de statu vitae activae, ad contemplativae culmen, ac statum, aut in transitu de hoc saeculo, in aliud, ut homo sibi imminere sentiat quandam mortem, per quam moritur toti statui, & vitae priori. Sentit etiam homo quandam transcendendi arduitatem, & quasi extraneitatem, seu inusitatam novitatem omnes partes sensûs obstupefacientem, ita vt ex hoc aliquando in corpore sequatur magna horripilatio, & obrigescentia. Sed plùs distat prior Virginis status à sequenti statu suae Maternitatis, quàm status maximi, optimiq; cuiusq; fidelis differt à statu suo priori. Ergo in hora consensus sui ad illum statum sensit se transire, per quandam ineffabilem sui mortem, quod ad statum suum priorem, ad statum omninò supermundanum, & ad Regionem, seu mansionem inusitatissimam; ad quaedam videlicet DEI abyssalia arcana, & superalta, in quibus, & à quibus funditus, & irrevocabiliter absorbenda erat.* Sic S. Bernard. de stupenda planè DEIPARAE in increatam Sapientiam, humillimo illo suo consensu transformatione.

M. in Incarnatione Verbi, in Filium Dei trásformata.

Mutationes variae hominis transeuntis ad aliũ statum.

Miri effectûs consensus Deiparae in Incarnationem Verbi.

55. Vnde nil mirum nobis videri debet, si eandem tam mirificè sempiterna illa adamârit Sapientia, utpotè tantopere sibi similem, ut ex ipsius uteri deliciosissimo, pulcherrimoque domicilio quodammodo egredi nisi Patris aeterni

com-

compulsa imperio nequiret. Hoc enim sibi volebat, cùm Psal. 21. Patrem alloquens ait: *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre;* Seu ut legunt alij: *avulsisti me de ventre Matris:* Quæ verba ponderans Tertullianus lib. de carne Christi c. 20. *Quid*, inquit, *avellitur, nisi quod inhæret, quod infixum, quod innexum est ei, à quo vt auferatur, auellitur? Si non adhæsit vtero, quomodo avulsus est? Si adhæsit, qui avulsus est, quomodo adhæsisset, nisi dum ex vtero est, ita concarnatur & convisceratur?*

M. uterus adeò deliciosus, ut inde Increata Sapientia extrahi quodammodo debuerit.

56. Has Virginei hujuscé Domicilij dum adhuc esset in deliciosissimo Sinu Patris contemplata delicias æterna Sapientia, sibi quasi in loco alieno esse videbatur, unde velocissimè ad instar Gigantis, veluti Phœbi quadrigis invectus ad Virginem, humanitatem nostrã assumpturus, properavit. Vnde David de celerrimo Solis hujus loquens motu canebat: *Exultauit vt Gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio ejus.* Et Sponsa in Cant. 3. *Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles, similis est Dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorum.* Delicias hasce, ac cupedias uteri Virginalis insinuavit S. Zeno Veronensis Episc. & Martyr gloriosissimus, cùm mysteriosam illam enunciavit sententiam: *Patris ex ore prodijt Vnigenitus Filius, cordis ejus nobilis Inquilinus.* Mirabilis sanè est hic loquendi Modus. Si enim Grammaticos consulamus, quid tandem dicatur Inquilinus. Respondebunt; Inquilinus est, qui in alieno habitat. Itáne Increata Sapientia dum in corde, sinuque commorata est Patris ante Incarnationem, sibi in alieno habitare videbatur? Ita omninò, quia tantis ad uterum Virginis purissimum ingrediendum, humanumq; genus liberum anhelabat desiderijs, ut tædio quodammodo, quantumvis deliciosissimi illius Paterni sinus, affici videretur. Eandem fortassis etiam ob caussam mellifluus Doctor Bernard. serm. 24. in Cant. eundem illum cœli cupedijs omnibus sinum affluentissimum, appellavit, Diversorium seù Hospitium. *Ne dubites*, inquiens, *Regem hunc esse cui perennis accubitus est paternæ benignitatis diversorium.*

Ad uterũ Virginis Dei Filius ad instar Gigantis properavit.

Filius Dei cur Inquilinus cordis Paterni dictus?

Filij Dei ingens desiderium veniendi in uterum Virginis.

57. Qui sanè Patrum loquendi modus tam admirabilis, Sapientissimæ Virginis nostræ summam nobis ob oculos mirificè ponit excellentiam; cùm aliàs Gverricus Ignatiensis Abbas ser. 3. de Annunc. Mysterium Incarnationis profundiùs, accuratiùsque humanæ rationis expendens trutinâ asseverare non dubitavit, majorem nullam DEI Filio, ne in ligno quidem crucis pendenti accidisse injuriam, ac molestiam, quàm hæc in utero Matris tot mensium commoratio: & tamen hæ molestiæ, ac injuriæ jucundissimæ ipsi deliciæ, summa gloria, ob virtutum utique decorem omnimodamque puritatem, ac sanctimoniam, quâ sacrosanctum illud uteri Virginalis domicilium refulgebat, esse videbatur. Vnde quid mirum si tantâ promptitudine atque alacritate è sinu Patris quantocyus desideraverit evolare? Sed Religiosissimi hujus Abbatis de re tanta ipsa verba audiamus: *Omnium tamen*, inquit ille, *humanarum infirmitatum, vel injuriarum, quas pro nobis pertulit Divina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate ferè maximam existimo, quod in vtero concipi, in vtero novem mensium tempore Majestas illa incircumscripta passa est contineri, ubi enim sic se exinanivit; aut quando ita penitus à semetipso defecisse visus est? tanto tempore nihil illa Sapientia loquitur, nihil illa Virtus manifestum operatur; nullo signo visibili Majestas qua clausa latet proditur. Non sic in cruce visus est infirmus, ubi quod infirmum ipsius fuit statim apparuit fortius omnibus hominibus, quando & moriens glorificat latronem, & expirans inspirat Centurionem, quando horarius dolor passionis ei non solùm compati fecit elementa creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subigit æternorum passioni dolorum. In vtero autem sic est, quasi non sit. Sic omnipotens Virtus vacat, quasi nihil possit, & Verbum æternum sub silentio premit.* Hæc Gverricus; ex qbus sanè Incarnatę Sapiẽtiæ, animatâ hâc Virgineâque Domo delitescentis, incredibilem amorem, ineffabilemque Charitatem, tanquam è vestigijs non pressis leviter, ad exigui prædicationem temporis, sed fixis ad memoriam tam eximiæ in genus humanum dignationis sempiternam licet deprehendere. Hic hic jure exclamat Bernardus: *Triumphat de DEO Amor: Quid violentius?* Violentus sanè hic est in homines Amor, siquidem summæ illi Sapientiæ quodammodo obvelavit oculos, ut Paterni Sinus delicias, ut Materni uteri miserias non aspiceret; Sed Virginei Domicilij virtutum adamando ornamenta duntaxat, in illud habitaturus, summâ ani-

Mirà Dei Filij in utero Virginis commorantis humilitas.

In utero Matris majorem molestiã passus Filius Dei, quàm in cruce; & quare?

Amor de Deo triũphat.

Divinus Amor Deo oculos obvelavit, ne nostras miserias aspiceret.

animi sui voluptate descenderet.

58. Verùm quid mirum supremam illam Sapientiam in Virgine sapientissima fixisse Domicilium, cùm tota Augustissima Trinitas, deliciarum omnium Paradisi cœlestis oblita quodammodo, nobilissimum sibi in illa præparaverit Triclinium, quæ cùm substantialis sit Sapientia, sapientissimam illam super omnes creaturas effecerit, necesse est.

M. Domicilium, ac Triclinium totius Trinitatis.

Hinc SS. Patres præsertim verò D. Bonaventura in Cant. *Te Matrem DEI laudamus*, inter reliqua præclarissima encomia illud inseruit: *Tu Sponsa & Mater Regis æterni, tu Templum & Sacrarium Spiritus Sancti, tu totius Beatissimæ Trinitatis nobile Triclinium.*

59. In hoc sive cœnaculo, sive Virgineo Triclinio terni omninò bellissimè exornati, præparatiq; erant lectuli, in quibus tres Personæ Divinissimæ, summâ animi tranquillitate quiescentes cœnare lautissimè quodammodo videbantur. Siquidem Rupertus Abbas verba illa supremæ interpretans Sapientiæ Apoc. 3. *Intrabo ad illum & cœnabo cum illo. Si quis*, inquit in persona Christi, *audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, cuncta quæ gessit bona referendo ad DEI gloriam, introibo ad illum, & in pectore ejus, tanquam in domo Amici habebo fiduciam, & nunc quidem cœnabo, id est, delectabor cum illo, de bonis conscientiæ ejus, ipse autem in futuro, mecum bonis meis perfruetur.*

In B. V. veluti Triclinio Trinitas conquievit.

Quid sit Christum intrare ad animam, & cum ipsa cœnare?

Divus verò Ambros. in cap. 3. Apoc. ait DEUM tunc nobiscum deliciosissimè cœnare consuevisse, cùm de profectu animarum spirituali, quem in virtutibus facere consueverunt gaudet. *Vocem Domini audimus*, inquit ille, *& januam aperimus, cùm mandata ejus, totâ mentis intentione suscipimus. Ad nos verò intrat, cùm de nostris profectibus gaudet; cœnamus nos cum illo, cùm de spe cœlestis gloriæ exultamus.*

Quod si ita est, ubi quæso Increata Sapientia majora virtutum incrementa, copiosiorem Divinæ suæ gloriæ amplificationem, ubi ampliora conscientiæ bona reperit, quàm in Virgine? cujus progressum in virtutibus admiratus Sponsus ajebat: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis Filia Principis?* Cant. 7. v. 2. Cujus conscientiæ contẽplatus puritatem Cant. 4 exclamavit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

In M. mira virtutum incrementa, & conscientiæ bona.

60. In Virginis igitur anima illa sanctissima, Trias augustissima, velut in Regio quopiam Palatio sibi Triclinium, tribus apprimè instructum lectulis extruxit, in quibus jucundè conquiescere, ac deliciari posset. Patris æterni deliciosus lectulus fuit Memoria Virginis: Filij, Intellectus; Spiritus Sancti, Voluntas; Atque ita tota Trinitas in DEIpara sibi Domicilium præparavit, ut docuit S. Bernardus serm. 9. ex parvis: *Quod autem*, inquiens, *in B. Maria S. Trinitas fuerit (fuerit dico, per præsentiam Majestatis) ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis, testatur Nuncius cœlestis, qui ei arcana mysteria reserans, ait: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Et: Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce habes Dominum; habes Virtutem Altissimi; habes Spiritum S. habes Patrem, Filium, & Spiritum S. Neq; enim potest esse aut Pater sine Filio, aut sine Patre Filius, aut sine utroq; procedens, ab utroq; Spiritus S. ipso Filio dicente: Ego in Patre, & Pater in me est. Et: Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Hæc Bernardus de Divinarum Personarum in Virgine habitatione.

In Memoria Mariæ Pater; in Intellectu Filius; in Voluntate Spiritus S. lectulum habuit.

61. Videbat nimirum Pater Memoriam illam Virgineam DEO, nec non Sanctis, ac cœlestibus cogitationibus plenam adeò, ut nullius puræ creaturæ memoria tanti thesauri, bonorumque tantorum capax, adeòque ipsi conformis, similisque inter creaturas omnes reperiretur. Vnde & in illa tanquam in loco sibi proportionato jucundissimè conquievit. Quemadmodum enim Patris memoria assiduè defixa adhæret Filio, quo semper fœcunda permanet: sic Memoria DEIparæ semper eidem inhærens Filio, qui illi erat cum Patre communis, non poterat non summâ voluptate, ob tam insignem conformitatem, Patrem afficere. Filius similiter qui intellectibus rerum Divinarum, potissimum scientiâ illuminatis gaudet, cùm nullius puræ creaturæ intellectum tanto, tamque mirifico arcanorum cœlestium irradiatum luce, sibique adeò similem reperiret, quàm fuerit intellectus perspicacissimus Virginis, summâ animi voluptate, in ipso velut lectulo conquievit. Spiritus S. denique qui à Patris, Filijque voluntate tanquam amor consubstantialis earundẽ Personarum procedit, cùm Voluntatem illam Virgineam Divino Amore succensam, ad instar sphæræ cujusdam igneæ, uti loquitur S. Amadeus, suæ quieti longè aptissimum locum repe-

Memoria M. semper in Filium defixa.

In Intellectu M. Divinorum scientiâ illustrato Dei Filius conquievit.

In Voluntate M. amore Divino inflãmata Spiritus S. quievit.

reperisset, in ea pausavit; ita ut si se ad extra communicare desiderasset, nullam aliam creaturam, quàm Animam Virginis sibi quam simillimam, in toto Orbe reperire potuisset. Cùm igitur non solùm suprema Sapientia, verùm etiam reliquæ Divinæ Personæ, ob Essentiæ Divinæ unitatem mentis, ventrisque Virginalis Domicilium inhabitare, summo suo cum gaudio, ac voluptate non sint dedignatæ, quæ, DEVS bone, mens capere, quæ lingua eloqui valebit thesauros non modò cœlestis Sapientiæ, verùm etiam bonitatis, charitatis, aliorumque cœli charismatum, ac donorum, quibus suprema illa Majestas suam hanc purissimam habitationem, Tricliniumque dignissimum ornare, ac locupletare dignata est?

M. summi Regis purpura seu paludamentum.

62. Quæ sanè Virginis à DEO communicata ornamenta præclarè descripsit D. Hieron. ser. de Assumpt. cùm illam mundissimæ, candidissimæque lanæ, murice tinctæ post Spiritus S. obumbrationem, Increatæque Sapientiæ in illam adventum contulit, eamque summi Regis purpuram, sive paludamentum appellavit. Quâ similitudine mirificè S. Doctor nobis ob oculos posuit, quânam ratione Virgo, Divinæ naturæ attributa, ac perfectiones, Sapientiæ præsertim, quodammodo imbiberit: Sed ipsa verba Viri sapientissimi audiamus: *Et si cætera Virgines imitentur B.V. usq; ad conceptum partus, novaq; salutationis Angelicæ obsequium; deinceps totum Divinum est, quod operatum est in ea, teste Angelo: quia Spiritus S. & Virtus Altissimi obumbrauit tibi. Ante hoc ipsum sanè uterus Virginis, quamuis mundus, quamuis impollutus, & alienus à contagione peccati, quamuis Sanctus, tamen adhuc vilitate humanitatis induitur, ut ita dicam, ac si lana candidissima, suoq; colore dealbata, ad quam sanè cùm accessisset Spiritus S. quasi ipsa eadem lana cùm inficitur sanguine conchylij, vel muricis, vertitur in purpuram. Versa est & ipsa sine coitu in Matrem, ut non sit jam amodo quod fuerat, sed purpura verissima ad indumentum & gloriam summi Regis Diuinitus aptissimè dedicata, ut nulli deinceps, eà uti usu fœmineo licuerit, nisi DEO. Quippè, ut ita loquar, Beata, & gloriosa Virgo Maria, eo modo quamuis incomparabilis esset uniuersis, quæ sub cœlo sunt Virginibus, ut decenter posset in se Diuinitatis admistionem, saluâ utraq; naturâ recipere, tamen cùm gratiâ repletur, cùm Spiritu S. perfunditur, cùm virtute Altissimi obumbratur, fit pretiosior meritis, celsis sublimior fastigijs, pulchrior sanctitate, gloriosior suorum prærogatiuis meritorum, ita ut nullis jam usibus sit ipsa, eademq; mancipanda nisi Diuinis.* Hæc Hieronymus.

In M. quod est, totum Divinum est, operatum à Spiritu S.

M. uterus mundissimus.

M. Spiritu S. plena est velut lana munda murice tincta.

M. post Incarnationem nullis usibus nisi Divinis mancipata.

63. Audiamus & cœlestem Virginis Sponsum ipsam Increatam Sapientiam, aliqua hujusmodi ornamenta à SS. Trinitate illi liberalissimè donata commemorantem, ex quibus eximiam ipsius, Divinamque Sapientiam poterimus deprehendere. Cant. 1. *Murenulas*, inquit, *aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Quam promissionem expendens attentiùs Ioan. Card. Halgrinus, olim Ambianensis Decanus, qui circa Annũ 1233. floruit: *Murenulæ*, inquit ille, *ornamenta sunt mulierum, quædam videlicet catenulæ virgulis aureis, & argenteis contexta, & ideò dicuntur, auro, & argento vermiculata, vel distincta. In auro, quia præ cæteris metallis tractabilius est, designatur Obedientia. Propter pretium autem designatur Sapientia, utpotè pretiosior cunctis opibus, & omnibus quæ desiderantur. Feruor quoq; charitatis propter colorem igneum notatur in auro. Dicit ergo Christus: Nos, scilicet Pater, & Filius, & Spiritus S. faciemus tibi Murenulas aureas. Nam ad hæc ornamenta Virginis confert Pater Obedientiæ Virtutem, Filius splendorem Sapientiæ, & Spiritus S. dilectionis feruorem. Quæ tria velut virgulæ in catenulis, decenti artificio connectuntur. Charitas enim, quæ feruet jungitur Obedientiæ, ne sit pigra. Obedientia, quæ humilis est, jungitur Scientiæ, ne sit inflata. Scientia autem, quæ dirigit, jungitur Dilectioni, ne Zelatio sit erronea. Murenulæ autem istæ vermiculatæ, vel distinctæ sunt argento. Nam candor carnalis munditiæ, quem designat argentum, ad venustatem, & decorem prædictarum gratiarum accedit.* Hæc Cardinalis.

SS Trinitas donum Sapiētiæ, aliasque virtutes contulit B. V.

In M. aurum, quod est naturâ sua tractabile, notat ipsius Obedientiam, & Sapientiam.

Pater contulit M. Obedientiam; Filius Sapientiam; Spiritus S. dilectionis feruorem.

M carnis mundiciā denotat argentum

64. Idem eisdem in Commentarijs super Cant. declarans verba illa Sponsi: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt;* Cant. 6. n. 4. asserit Spiritum sanctum alium favorem & gratiam B. Virgini contulisse, nempè lumen copiosum ad videndum, contemplandumque Christum pleniùs cæteris Sanctis, idque promittente Angelo: *Spiritus sanctus superueniet in te, & illuminabit oculos tuos;* attexit Cardinalis; *ad videndum me pleniùs cæteris. Non tamen credas, quod in via plenè me videas, sed auerte oculos tuos à me, hoc est, ab incomprehensibilitate Maiestatis meæ. Nam virtus Altissimi tanta est, quod ipsa ob-*

Spiritus S. M. lumen copiosum contulit, ad videndum & contemplandum Christum.

DeiMajestas intellectu humano incomprehẽsibilis, sicut Sol oculo.

umbrabit tibi, sicut Sol obumbrat radijs, videlicet suis, & repercutit oculos, ne ipsum in rota videant. Ideò, inquam, auerte oculos tuos, quia ipsi, id est, eorum imperfectio, qui me capere non sufficiunt, me avolare fecerunt, vt non plenè me comprehendas, sicut legitur in parabolis: Ne erigas oculos tuos ad Opes, quas habere non poteris, quia facient sibi pennas, ut aquila, & volabunt in cœlum. Tam eximia autem fuit hujus Virginis Sacratissimæ, fulgentissimâ Divini Spiritus luce perfusæ pulchritudo, ut idem Cardinalis, Sanctissimam Trinitatem hujus Virginis aspiciendæ desiderio mirificè teneri arbitretur, dum in Cant. c. 5. ab illis Divinissimis Personis eidem dicitur: *Reuertere, revertere Sulamitis, revertere, revertere, vt intueamur te.* Quâ invitatione, Deiparã novo Sapientię lumine à Beatissima Triade irradiatam existimabat Halgrinus: *Cùm dicere debuisset,* inquit ille: *revertere, vt oculo contemplationis intuearis me, vel nos, totam videlicet Trinitatem, dicit: revertere, vt intueamur te; quia sicut non potest homo intueri Solem materialem, nisi Sol ipsum intueatur, & illuminet, sic nulla anima contemplari potest verum Solem, nisi ipse eam conspiciat, & illustret.*

M. Trinitas tot virtutibus exornatã, insignique lumine radiantem videre desiderat.

Solem nõ possumus intueri, nisi simul nos ipse intueatur.

65. Et sanè nil mirum nobis videri debet, si tantis, tamque eximijs Sapientiæ, reliquarumque gratiarum, animatum hoc, Virgineumque Triclinium Beatissima Trinitas irradiaverit splendoribus, in quo Increata Sapientia, ipse Iustitiæ Sol suum sibi domicilium erat defixurus. Nam si celeberrimam illam Solis Domum, ac Regiam, Poëtæ ex purissimo auro, argentoque lucidissimo, ignitis carbunculis, sive pyropis fulgurantibus constructam, cãdidissimoq; ebore tectam fuisse, tantò, tamque stupendo artificio, ut materiam hanc omnem licet pretiosissimam superaret Opus, sive Artificium, fabulati sunt, ut Ovid. 2. Metam. qui Basilicam illam tam sumptuosam sic descripsit:

M. ob Sapientiæ lucem est Solis Regia.

Solis domus descriptio.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis
Clara micante auro, flammasq; imitante pyropo,
Cuius ebur nitidum fastigia summa tegebat,
Argenti bifores radiabant lumine Valuæ.
Materiam superabat Opus.

Quibus, Deus Immortalis, gratiarum luminibus, quibus constantiæ, fortitudinisque columnis, quibus virtutum gemmis, quo charitatis pyropo, quo castitatis ebore, quo auro, argentoue Sapientiæ, Virginea hæc, animataque sempiterni Iustitiæ Solis decorata fuit Basilica, in qua novem mensium spatio Dei Filius mirificâ, undequaque circumfusus, recreatusque lætitiâ conquievit?

66. Dicuntur à nonnullis gemmæ, & in specie pyropus, quo Solis Domicilium constare canit Poëta, ideò pretiosæ, quod luce suâ, ac splendore solares radios, virtute, ejusdem influxus æmulari videantur; Iam si aliquando gemmarum aliqua reperiretur, quæ non modò lumen hoc, virtutemque Solis, verùm etiam ipsum Solem in sese complecteretur, nonné ejus pretium foret inæstimabile? En vobis Virginem gloriosissimam pulcherrimam Paradisi Gemmam, cujus procul, & de ultimis finibus est pretium. Hæc non modò suæ Sapientiæ luce fulgurantes sempiternæ Sapientiæ, sive Solis Iustitiæ radios imitata est, verùm etiam in semetipsa eundem, ad instar illius Solaris Regiæ comprehendit; ita ut revera dicere possimus à Virgine illum Increatæ Sapientiæ Solem humanitatis nostræ nube fuisse vestitum, & ab eodem vicissim aureâ quâdam virtutum omnium, præsertim verò Sapientiæ cyclade Deiparam circumamictam venustissimè.

Gemmarum precium unde oriatur

M. Gemma preciosissima quæ non modò variarum virtutum lucem, sed ipsum luminis fontem includit.

67. Hæc nimirum est Miraculum illud, ac prodigium cœleste, quod in cœlo contemplatus Ioannes Apoc. 12. stupore attonitus exclamavit: *Signum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus eius.* In quæ verba cùm Doctor Mellifluus admodum pium, elegantemque sermonem composuisset, variasque Virginis deprædicasset laudes, Solisque aliquas eidem proprietates applicuisset, tandem in ejusdem Sapientiæ commendationem attexuit: *Iure ergo MARIA Sole prohibetur amicta, quæ profundissimam Divinæ Sapientiæ; ultra quam credi valeat, penetrauit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Vt porrò ostenderet Ioannes nil minus sapiens cadere potuisse in Virginem, addidit; *Lunam, quæ insipientiæ solet esse Symbolum, fuisse sub pedibus eius: Insipientia verò omnis,* inquit Bernardus, *longè sub pedibus eius est, vt penitus absit hæc ab insipientium Mulierum numero, & Collegio Virginum fatuarum. Imò verò & unicus ille stultus, & totius stultitiæ Princeps, qui verè mutatur vt Luna, Sapientiam perdidit in decore suo, sub MARIÆ pedibus conculcatus & contritus mise-*

M. Miraculum, & Prodigiũ cœleste.

M. ob Sapientiam Sole justitiæ amicta

M. profundissimam Divinæ Sapientiæ Abyssum penetravit.

M. est extra Virginum insipientium numerum.

miseram patitur servitutem. Nimirum ipsa est quondam à DEO promissa Mulier Serpentis antiqui caput virtutis pede contritura; cuius plane calcaneo in multis versutijs insidiatus est, sed sine causa. Sola enim contriuit universam hæreticam pravitatem. Et paucis interpositis ad meditandum Divinum illum splendorem, quo æternæ Sapientiæ Sol vicissim eam vestiérat, reversus, tantæ novitatis admiratione perculsus, subjunxit: *Mulier amicta Sole; plane amicta lumine tanquam vestimento. Non percipit hoc carnalis; nimium spirituale est, stultitia illi videtur. Non sic videbatur Apostolo qui dicebat: Induimini Dominum nostrum IESVM Christum.*

M. caput Serpentis contrivit.

M. induta Christo.

Tùm conversus ad Virginum de toto cœli favoribus ei congratulans: *Quam*, inquit, *familiaris facta es Domina; quam proxima, imò quam intima fieri meruisti? Quantam invenisti gratiam apud Deum? In te manet, & tu in eo; & vestis eum, & vestiris ab eo: vestis eum substantia carnis, & vestit ille te gloria sua Majestatis. Vestis Solem nube, & Sole ipsa vestiris. Novum fecit Dominus super terram, ut Mulier circumdaret Virum, novum quoq; fecit Dominus in cœlo, ut Mulier Sole appareret amicta.*

M. intima & proxima DEO.

Novum factum à Domino in cœlo, Mulier amicta Sole Iustitiæ

68. His similia habet D. Bernardinus Senensis Tom. 2. ser. 51. ar. 2. c. 1. qui postquam dixisset gloriosissimam DEI Parentem in Incarnatione Verbi evasisse Mulierem amictam Sole, ac proinde sapientissimam, mox causam attexuit. *Quia*, inquit, *ipsa illâ Divinâ Sapientiâ, quâ DEVS ab æterno Mundum sibi conciliare disposuit, plenissima fuit; quam non solùm per Divinam revelationem præscivit, verùm & cuncta, quæ ad Incarnati Verbi DEI Mysteria pertinebant, certo experimento cognovit. Propter quod & Luna sub pedibus eius esse narratur, quia non solùm transitoria sub Sanctorum suorum pedum vestigia subiecit; sed & omnium creaturarum cognitionem; in comparatione ad supereminentem scientiam Christi paruipendit. Vnde & Coronâ duodecim Stellarum non immeritò coronatur; quia omnia virtutum, & gratiarum merita super omnes rationales; & spirituales creaturas, singularissimi generis privilegio superexcessit.* Hactenus Bernardinus.

M. amicta Sole, quia Divinâ Sapientiâ plenissima

Cur Corona 12. Stellarum sit in capite B.V.

Cùm igitur æternæ Sapientiæ Sole sit vestita DEIpara, ejusdem facta habitatio dignissima, carnemque suam purissimam illi communicaverit, quid mirum quod in ipsam quodammodo Increatam transformata sit Sapientiam? Quid mirum sicum illa in laudibus, elogijsque participet, & quandam, per tam arctam unionem cum Verbo, sortita sit idiomatum communicationem? Quid mirum denique, si plurimas Divinæ Sapientiæ proprietates, qualitatesque in se repræsentet?

69. Atque hæc tertia potest esse ratio, cur DEIpara, ipsa cœlestis dicatur Sapientia; Inter reliquas autem pulcherrimas illius proprietates, illa in postremis non est numeranda, quod Mater dicatur, & Virgo. Elicitur elogium hoc ex illo dicto Sapientis Eccli. 15. *Qui continens est iustitiæ, apprehendet illam; & obuiabit ei quasi Mater honorificata; & quasi Mulier a Virginitate suscipiet illum.* Quibus verbis describitur promptitudo Virginis in excipiendis suis clientulis; præsertim ijs, qui morum Sanctimoniâ, atque Innocentiâ florent, eique suis peccatis nullum dolorem intulêre. Præclarè locum hunc interpretatus est Pater Salazar Comment. suis in Prov. cap. 8. v. 18. n. 156. *Nihil differt*, inquiens, *Virgo ab honorabili Matre, quæ dilectissimum Filium suum parvulum ad se venientem non expectat, sed mora impatiens ipsi lætabunda occurrit, illumq; excipit gratissimè, ac deliciosissimè. Pari ratione Virgo gloriosa, ceu Mater amantissima parvulos ad se venire iam meditantes non expectat, sed moras omnes abrumpens eisdem se obuiam offert, conatus videlicet eorum adiuuans. Atq; illos tunc demum iucundissimè & gratissimè recipit, sicut Mater honorificata, & Mulier à Virginitate, vel Mulier Virginitatis, id est Virgo; quasi dicat: tanquam Mater simul, & Virgo; quæ Filium peperit Virginitate incolumi, atq; adeò sine dolore; & pressura, occurrit, eiq; honoris plurimum; & obsequij defert. Hunc enim eò libentiùs amat, quia voluptatem plurimam, nullum verò dolorem ipsi attulit, cùm sit innocens. Talem siquidem pariendo, partum quodammodo Christi, qui sine dolore, incolumi Virginitate extitit, videtur in se renovare.* Ex quia tanti Viri paraphrasi colligimus Sapientiam; atque adeò DEIparam nostram sapientissimam, & Matrem simul esse, ac Virginem.

M. dicitur Sapientia ipsa, quia æternæ Sapientiæ proprietates æmulatur.

M. Mater, & Virgo; uti & Increata Sapientia.

M. promptitudo ad succurrendum suis clientulis.

M. eos Filios amat vel maximè, qui illam peccatis nunquam offenderunt

70. Eandem Sapientis sententiam interpretans Rabbanus: *Meritò Sapientia*, inquit, *Mater nuncupatur propter gratiam nutrimenti; & Virgo propter speciem pulchritudinis; sanctitatemq; castitatis, quoniam nihil est in eâ immundum, neq; coinquinatum. Ipsa est enim Candor lucis æternæ; & Speculum sine*

M. Mater ob gratiã nutrimẽti; Virgo ob speciem Sanctitatis, & pulchritudinem Castitatis.

sine macula DEI Maiestatis, & Imago Bonitatis illius, & per ipsam sanati sunt quicunque placuerunt DEO ab initio.

Hinc S. Gregorius Nazianzenus eandem Sapientiam agnoscens Virginem, ipsam etiam Sanctissimam Triadem Virginem appellavit Carm. de Virginitate.

Prima Trias Virgo, &c.

M. nova Pallas.

Quod Poëtæ suis etiam fabulis adumbrasse visi sunt, dum Palladem de cerebro Iovis natam, utpotè ipsius Sapientiam, Vulcani Nuptias repudiasse, illibatumque Virginitatis florem conservasse canunt Hinc de illa Lucanus lib. 9. *Patrio qua vertice nata est.* Et Ovid. lib. 3. Fast.

Pallas de capite Iovis nata.

An quia de capitis fertur sine Matre Paterni
Vertice, cum clypeo prosiluisse suo?

Hinc Anasarbi Libyæ populi Oleam Palladis Symbolum, non alia quàm Virgineâ manu plantari curabant, experientiâ edocti, quod in hunc modum plantata Arbor illa, uberiores fructûs proferret.

Sapientia & Castitas S. Nazianzeno apparuit.

71. Quare hæc Dia Sapientia Virginitati associata D. Gregorio Nazianz. in specie Virginis speciosissimæ, Ruffino, & Baronio teste, sese visendam exhibuit. Ad cujus aspectum, utpotè Iuvenis pudicissimus, cùm esset exterritus, cœlestis Sapientia eum blandè consolans, verbis illis amantissimis erexit: *Ne mireris Iuvenis, sociæ & sorores sumus, tibique familiares, quia nobis iucundum in tuo corde habitaculum præparasti. Vna nostrum Sapientia, altera Castitas vocatur.* Eandem hanc cœlestem, Virgineo Schemate vidit Sapientiam B. Henricus Suso Theologiæ Doctor eximius, qui circa annum 1350. floruit. Hic amore ejus captus, multa ejus laudum scripsit encomia, inter quæ extant preces horariæ studiosæ Iuventuti perutiles. De Viro hoc Sanctissimo, ejus vitæ Auctor hæc scribit cap. 4. quæ quia Deiparæ nostræ, uti & reliqua æternæ Sapientiæ elogia, pleraque applicari possunt, hîc ad verbum attexam: *Dum his*, inquit Auctor, *flagraret desideriis videndi & alloquendi Sapientiam, illa tali Schemate se illi videndam præbuit. Longè super ipsum ferebatur in columna nubis, residens in Throno eburneo, micans instar Luciferi, & tanquam Sol lucens in virtute sua: Corona eius erat æternitas, amictus fœlicitas; sermo suavitas, complexus, omnis boni satietas. Propè erat, & longè aberat, sublimis & humilis, præsens & occulta; familiarem se præbebat, nec tamen apprehendi poterat. Excelsis cœli fastigiis erat altior, & abysso profundior; attingebat, à fine usque ad finem fortiter, & disponebat omnia suauiter. Dum elegantis Puellæ specie teneri videbatur, repente pulcherrimi Iuvenis præseferebat Imaginem. Nonnunquam ceu artium omnium peritissimam se præbebat amicam, cunctis amabilem. Itaque dulcissimè ad eum se convertens & comiter, non tamen sine aliqua Divina Maiestate illi arridens benignè, his eum verbis affata est: Fili præbe cor tuum mihi. Tum ille vestigiis eius advolutus, Medullitus humillimèque illi gratias egit.*

Sapientia in specie Virginis apparet Henrico Susoni.

Henrici Susonis in Sapientiā æternam amor.

Cœlestis Sapientiæ apparitio quo Schemate facta B. Susoni.

Æternæ Sapientiæ ornaméta

Tùm describit quânam ratione Virpijssimus in hac cœlesti Sapientia, velut compendio quodam bonorum omnium invenerit affluentiam, deliciasque inexplicabiles amoris suavissimi: *Sapientia deinde*; pergit vitæ Scriptor; *nonnunquam anima illius se communicabat, quasi totius boni fons & profluvium, omniumque desiderabilium abyssus, in qua simul reperit quidquid pulchrum, quidquid amabile vel concupiscibile esset, siquidem id omne in ea modo ineffabili existebat. Neque satis dici potest quoties gratissimam illam animam, lacrymantibus oculis, & in immensum expanso cordis sinu complexus sit, & suo pectori suauiter adstrinxerit. Erat tum sæpè numero illi, perinde ut solet infanti, ad Matris, ipsum suis ulnis complectentis ubera pendenti, atque in eius gremio delitescenti. Vt enim huiusmodi puerulus, capite, & totius corporis motu ad parentis sua pectus sese applicat, & amicabilibus, blandisque id genus gestibus cordis sui lætitiam declarat: ita cor illius, cum sensibili quâdam inundatione erga iucundissimā æternæ Sapientiæ præsentiam ferebatur, cogitabatque: si mihi desponsata foret Domine IesuRegina potens, esset id mihi gaudio. Nunc igitur æterna Sapientia tu mei cordis Imperatrix, & totius gratiæ Parens: In te divitiarum, honoris, potentiæ affatim mihi suppeditat. Nihil præterea appeto quicquid hic Mundus habet. Sub his meditationibus vultu exhilaratus, oculis micantibus, corde in iubilum sublato, cunctisque internis sensibus exultantibus in hac verba prorupit: Super salutem & speciem dilexi Sapientiam, & proposui pro luce habere illam, & venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Sapientiā æterna totiusboni Fons & Profluviū

In æterna Sapientia reperitur quidquid est pulchrum & amabile.

Divina Sapientia est Mater suis nos uberibus lactās

In Divina Sapientia divitiæ, & honores nostri

Hæc ille. Quæ sanè omnia propemodū Virgini nostræ Deiparæ aptari possunt, tanquam illi, quæ indole suâ, ac moribus Increatæ hujus Sapientiæ Imaginem vivam, spirantemq; repræsentavit. Vnde erga ipsam eosdem illos affectûs Viri hujus pientissimi usurpare subinde licebit.

Cum æterna Sapientia omnia bona nobis adveniunt.

72. Sub

72. Sub eadem denique Virginis specie æternam Sapientiam contemplatus olim fuit B. Laurentius Iustinianus Venetorum Patriarcha, cùm 21. suæ ætatis attigisset annum, ut ipse testatur in Fasciculo Divini amoris cap. 16. Dum enim velut Hercules in bivio Adolescēs anxiùs hæreret, decerneretq; quem tandem vitæ statum deligeret, Magisterio hujuscé cœlestis Sapientiæ edoctus, Ecclesiasticum, contemptis Mundi illecebris, amplexus est statum. *Eram vestri similis,* scribit ille, *quærens æstuanti desiderio pacem in rebus extrinsecis, nec inveniebam. Tandem quadam Virgo Sole splendidior mihi apparuit, cuius nomen ignorabam. Hæc propiùs accedens venusto vultu, placidoq; affatu: O Iuvenis, ait, dilecte, cur effundis cor tuum; & pacem sectando, per multa variaris? Quod quæris penes me est, quod concupiscis tibi polliceor, si tamen in Sponsam me habere volueris. Cùm verò nomen eius, genus, ac dignitatem scire peroptarem; se ait Sapientiam DEI esse, quæ propter hominum reformationem, humanam formam suscepit. Assensi igitur, & dato pacis osculo læta discessit.* Sic Iustinianus.

Lauretius Iustinian. in specie Virginis pulcherrimæ æternā vidit Sapientiā

Ex cujus sane sicut & Susonis, ac Nazianzeni attestatione facilè colligimus cœlestem hanc Sapientiam simul Virginem, ac Matrem esse, quam B. V. MARIA imitata eadem omninò sortita est præconia.

73. Quapropter crediderim Ecclesiam universalem ei pulcherrimum illud *Matris admirabilis* attribuisse præconium. Quid enim admirabiliùs, quàm Matrem esse Virginem, & Virginem esse Matrem? Hoc nulli hactenus creaturarum concessum fuit privilegium, soli Virgini huic DEI Matri debebatur. Hoc illa præconio gaudet vel maximè, summâque animi, ad illius commemorationem, perfunditur voluptate. Quod ipsa Patri nostro Iacobo Rhemio indicavit, ut testatur Bourgesius in Societate Mariana, & Kalend. DEI paræ 12. Octob. n. 3. ac denique P. Philippus Alegambe libro de Scriptoribus Societatis IESU. Hic enim, cùm magno aliquando teneretur desiderio sciēdi quodnam encomium Beatissimæ Virgini accideret gratissimum, Divinitus intellexit hoc: *Mater admirabilis;* esse illi longè jucundissimum, utpotè compendium quoddam & epilogus earum laudum, quæ de tali Matre & Virgine celebrari possunt. Cùm igitur aliquando de more in Seminario cui præerat, Litanijs elogia DEIparæ decantarentur, cùm ad prçconium illud: *Mater admirabilis;* esset perventum, Virgo cœlesti luce circumfusa sese ei spectandam exhibuit. Ille mox ex angulo, quem semper postremum in oratione occupabat, erumpit in medium, exclamatque, stupentibus Alumnis, tertiò ut repetant universi elogium illud, *Mater admirabilis;* cognovisse enim se id mirificè arridere DEIparæ.

Mater admirabilis est M. ob Virginitatem, fœcūditatemq; simul sociatam.

M. admirabilis titulo maximè gaudet Deipara.

P. Iacobo Remoi B.V. apparet.

74. Quare D. Bernardus titulos illos: *Mater, Virgo;* titulos rarissimos, atque admirabiles esse pronunciavit serm. de verb. Apoc. ubi etiam hoscé titulos, duo luculentissima in capite illius, inter reliqua illa 12. censet esse Sidera: *In his,* inquiens, *syderum planè irradiat decus, quod Virginitatis primiceria, quod sinè corruptione fœcunda, quod sine grauamine grauida, quod sine dolore puerpera. Meritò proinde & illam meruit benedictionem, & hanc non amisit, ut longè gloriosior fiat & Virginitas ex Fœcunditate, & ex Virginitate Fœcunditas, ac mutuis sese radijs illustrare hæc duo sydera videantur. Magnum enim Virginem esse, sed Virginem Matrem esse longè ampliùs per omnem modum. Sic & in partu, quam lucidum est, quod nouâ exultatione, novam edidit prolem; sola inter mulieres à communi maledicto, & dolore parturientium aliena? Si rerum pretia de raritate pensamus; nihil his potest rariùs inueniri. Siquidem in omnibus istis, nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Hæc si fideliter intuemur, sine dubio non admirationem solùm concipimus, sed venerationem, sed deuotionem, sed consolationem.* Hæc Bernard.

75. Ob partum hunc Virgineum censet S. Bonaventura vocari à Sapiente DEIparam; *Matrem pulchræ dilectionis;* quod DEI Filium Amorem substantialem, Amorem pulcherrimum, imò ipsam pulchritudinem æternam in lucem ediderit. De Virgineo hoc partu, fœcunditateque admirabili, quâ solùm DEI decebat, ut ederet Filium, præclarè cecinit Sedulius Poëta Christianus lib. 3. operis Pasch.

M. cur Mater pulchræ dilectionis appellata?

Quemq; procellosi non mobilis unda profundi,
Terrarum non omne solum, spatiosaq; lati
Non capit Aula poli, pueruli corpore plenus
Mansit, & angusto DEVS in præsepe quievit.
Salve Sancta Parens enixa puerpera Regem;
Qui cœlum, terramq; tenet per sæcula; cujus
Numen & æterno complectens omnia gyro
Imperium sine fine manet, quæ ventre beatò
Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore

Nec

Nec primam similē visa est, nec habere sequentē;
Sola sine exemplo placuisti Fœmina Christo.

Christus in M. Virginitatis & Maternitatis pulchritudinē admiratus.

76. Duo hæc in Maria illustrissima præconia, vel ipsi Incarnatæ Sapientiæ summam admirationem, ob insignem illam quam Matri pulchritudinem, pepercre; cùm illam adeò sibi similem in Sapientia, reliquísque dotibus tam animi, quàm corporis conspiceret. Vnde dicebat: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra.* Cāt. 1. Hujus geminatę pulchritudinis adfert causam Guilelmus Abbas apud Delriū in Cantica: *Etenim*, inquit ille, *sola inter omnes mulieres bis pulchra est, à pulchritudine Virginitatis simul & Fœcunditatis. Cætera mulieres sunt velut arbores, quæ speciosæ priùs sunt floribus, & postea fructibus. Flores enim decidunt, ut fructus nascantur. At Maria sola pulchra est, flore simul & fructu; sola florem Virginitatis habet inter Matres, sola fructum fœcunditatis inter Virgines. Deflorantur aliæ, ut fœcundentur, & in eis flos Virginitatis necessario præmoritur ad fructum fœcunditatis. In sola verò Maria flos propter fructum non est præmortuus, sed miro modo factus est fructuosus, & sanctificatus est ex fructu ad perpetuitatem, & crevit ad venustatem: & in aliis quidem fœminis pulchrior est flos, quàm fructus; at in Matre Redemptoris, quæ sola habet fructum cum flore, multò speciosior est, laudabiliorq́; esse videtur fœcunditas, quàm Virginitas; nisi fortè quis dicat, quod pares sunt Virginalis fœcunditas, & fœcunda Virginitas. Vtramq́; intuens à longè Isaias obstupuit tanquam rem novam & inauditam, utens voce illâ: Ecce Virgo concipiet.*

M. bis pulchrâ pulchritudine Virginitatis & fœcunditatis

M. Arbor speciosa Flore simul & Fructu.

77. Ob Virginitatem hanc fœcunditati in Deipara nostra associatam Guerricus Abbas ser. 3. de Annunc. eam totam Miraculum appellavit, cùm enim præmisisset illam esse signum, de quo Isaias cap. 7. ad Achaz: *Pete tibi signum à Domino;* Mox subtexuit; *Nos quippè signum habemus in bonum etiam Matrem, & Filium. Nobis planè Mater tota miraculum est, quæ singulariter, & sine exemplo Mater est & Virgo. Mater & Virgo concipiens & pariens signum nobis est, quia in Deum transfert hominem, pro quo concipitur & paritur, etiā & patitur.* Eandē ob causam idem Abbas ser. 1. de Nat. B. V. Deiparam novam Matrem, Dei pariendo Filium vocitavit: *Prorsus nova Mater, quæ tam novo miraculo parit, ut pariat, & Virgo sit; ipsum pariat, qui omnia, Matremq́; ipsam inter omnia creavit. Mirabilis quidem novitas fœcunda Virginitatis, sed longè mirabilior novitas edita prolis. Nulli enim incredibile iam erit Virginem permansisse, quæ peperit, qui DEVM agnoverit esse, qui natus est. Nullatenus siquidem cum injuria Maternæ nasceretur integritatis, qui etiam corrupta redintegrare consuevit: nec veritas assumpti corporis, potentiæ præjudicavit Creatoris, quo minus servaret sibi, quod pluribus dedit creaturis. Multas nempè creaturas invenies nasci sine corruptione gignentium, & quâdam suâ voce Creatori, super inviolabili partu suo perhibere testimonium, sed loquatur Mater ipsa, quæ sui conscia est mysterij, & nos edoceat, quomodo vel quid ipsa genuerit. Ego*, inquit, *quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Vbi florem ait esse Virginitatem; odorem verò, à flore fructificatum, ipsum Christum, absque floris corruptione generatum, &c. sicque duo adeò olim omnibus retro sæculis inter se pugnantia, Virginitas, & Fœcunditas, fœdus amicissimum, atque inviolabile iniêrunt, quod Mysterium pervenustè Vates ille, Iconi Deiparæ Sinu Filium gestantis epigraphem apponens, explanavit:

M. ob Virginitatem ac fœcunditatem tota Miraculum.

Mater & Filius est nobis Signum in bonum.

M. nova Mater.

Christus natus salvâ Matris suæ integritate, qui corrupta solet redintegrare.

Multæ creaturæ nascuntur absq; corruptione.

M. Vitis fructificās suavitatē odoris, nempè Christum

Partus & Integritas discordes tempore longo
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Virginit. & Fœcunditas in M. consociatæ.

78. Richardus denique à S. Laurentio ob Virginitatem, fœcunditatemque, Deiparam dixit esse arborem illam, de qua Levit. 23. præcipiebat Dominus: *Sumetis vobis fructûs Arboris pulcherrimæ. Hæc Arbor*, inquit ille, *est B. V. cui dicit Filius. Cant. 4. Tota pulchra es amica mea; cujus fructus multiplex Christus Dominus, qui in Sacramento fructus est hominum, & Angelorum, eo fruentium absq; fastidio; qui fructus est omnia in omnibus; proinde fructus dicitur pluraliter. Quia ipse omnis saporis est Manna. Arbor ergo Virgo est, ob virorem Virginitatis, humorem gratiæ, medullam pietatis, folia verborum sanctissimorum, frondes bonorum operum, flores desideriorum Sanctorum, umbram protectionis, refrigerium illorum, qui pravis exæstuant cupiditatibus; ob radicem humilitatis, Fidei, & Charitatis; celsitudinem Spei, & eminentiam contemplationis, ob fructum deniq; Vnigeniti DEI. Ipsa enim*, inquit, *est Lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum Gen. 1. Genuit enim Benedicta, Benedictum. Ipsa enim est Benedicta in mulieribus, & ideò digna fuit, quæ illum fructificaret, qui est super omnia DEVS benedictus. Verè hoc lignum pomiferum fecit fructum juxta genus suum, quia tota pulchra pulcherrimum edidit; tota dulcis dulcissimum;*

M. Arbor pulcherrima.

Christus est omnis saporis Manna.

M. Lignū pomiferū faciens fructum iuxta genus suum.

tota

Qualis fructus sit Arboris Virgineæ.

tota odora suavissimum; tota sapida sapidissimum; tota delicata delicatissimum; tota vivificata vivificantissimum; tota Medicinalis Medicinalissimum.

79. Et sanè jure merito ob Virginitatem, Fœcunditatemque Deipara Arbori pomiferæ confertur, siquidem flores, fructusque absque sui læsione proferre consuevit. Hinc anno 1418. prope Nurembergam in nocte Dominici Natalis crevit pomus, ut scribit Nider in Formica lib. 4. in loco campestri & communi, quæ in Vere floruit, fronduit, & autumno more aliarum fructificavit. Hæc eadem porrò annuatim in asperrima hyeme, cùm omnia gelu, nivibusque rigescunt, semper ipso Natali Christi Domini, quando Virgo Virginum, saluo integritatis flore, Dei genuit Filium, pomella virentia produxit. *Vidi ego,* inquit Nider, *ejusmodi poma præsentari nostro Generali.* In Concilio etiam Constantiensi plures viri fide digni id prodigium se vidisse testati sunt. Vtq; videamus clarius arborem illam Virginitatem illibatam denotasse Deipara, ait Nider, non fuisse nutritam fimo, non circumfossâ sarculo, nec ulla ope humanâ, aut sepimento circumdatam, aut conservatam, sed naturâ suâ, absque ulla cultura fructificasse.

Arbor quædam ipso natali Christi fructificavit.

80. Ex his igitur dictis clarè colligimus Deiparam nostram in se similitudinem Increatæ Sapientiæ expressisse, eo quod ad imitationem illius Mater & Virgo simul extiterit. Nunc ad alias ejusdem proprietates gradum faciamus. Inter quas illa videtur esse Princeps, quod in se virtute, & longè majori cum perfectione contineat quamcumque humanam Sapientiam, Scientiam, & Artem; omnem virtutem, justitiam, ac sanctitatem. Hinc Ecclesiasticus laudes æternæ hujus celebraturus Sapientiæ, sic cap. 1. est exorsus: *Omnis Sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante avum.* Quasi diceret: Sapientia hæc, de qua mox locuturi sumus, omnem omninò comprehendit Sapientiam, ac Scientiam; ab ipsa enim omnis hujusmodi creata Sapientia, velut radius à Sole, velut rivulus à fonte derivatur, cùm in illa ante omnes sæculorum generationes, longè perfectiori ratione, uti reliquæ omnes, sive Angelicæ sive humanæ perfectiones præextiterint.

Æterna Sapientia omnem creatam Sapientiã, & Scientiam complectitur.

Pari propemodum ratione virtutes, ac privilegia omnia quorumcumque Sanctorum, ipsorum etiam supremæ Hierarchiæ Angelorum Deiparæ Virgini longè perfectiori modo communicata sunt; ita ut charitate superaverit Seraphinos; plenitudine Scientiæ, ac Sapientiæ, ipsos Cherubinos. Quare B. Albertus Magnus, ut summam Deiparæ comprobaret Sapientiam, Tract. super Missus pronunciavit sapientissimè: *B. Virgo sapientior fuit omni creatura.*

M. in se omnem omnium Sanctorũ Angelorũ hominũq; Sapientiã, virtutemque continet.

81. Quidquid denique in aliqua creaturarum pulchrum, venustum, ac gratiosum, quodcunque donum sive naturæ, sive gratiæ reperitur in rerum natura, id omne, majori cum eminentia, velut absolutissimo rerum omniũ creatarum compendio, in Deipara est repositum. Ipsa enim supremi illius Monarchæ est Sigillum quoddam aureum, in quo, uti hujus Mundi consuevêre Principes, omnium Vrbium, Principatuum, ac Regnorum, quæ ipsorum Dominio, ac gubernationi subsunt, insignia comprehendit; ut illâ unicâ conspectâ, totius Orbis Monarchiæ amplitudinem, creaturas omnes Divino subjectas Imperio nobis videre videamur. Quare has omnes gratias in creaturis dispersas, & in se ad instar unius collectas, ostendere volens Deipara, illas sibi datas non esse, ut ijs ipsa sola frueretur, sed ut hominibus pro cujusque necessitate liberalissimè dispertiret, sic apud S. Damascenum Orat. 2. de Dormit. Deiparæ ipsa benignissimè loquitur: *Quicunque morborum sanationem, vitiosarum animi affectionum depulsionem, peccatorum obliterationem, calamitatum omnium submotionem, Regni cœlorum quietem sitit, cum fide ad me veniat, gratiaq; donum, quâ plena sum summopere efficax, & vtile hauriat. Quemadmodum enim aqua, terra, aëris, ac splendidissimi Solis actio simplex licet, ac una sit, variè tamen atq; accommodatè ad earum rerum, quæ ipsius participes fiunt, naturam immutatur, fitq; in vinea vinum, in olea oleum. Ad eundem modum gratia quoq; quamvis simplex, ac una sit, variè tamen, ac congruenter, ad uniuscujusq; utilitatem, eos à quibus percipitur beneficio afficit. Nec verò ex natura mea hanc gratiam habeo.* Hoc idem intellexisse visus est S. Bernard. ser. de verbis Apocal. *Omnibus omnia facta est sapientibus & insipientibus, copiosissimâ charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ Sinum aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi.* Hinc in ipsius

In M. velut compendio quicquid pulchrum est & bonum reperitur.

M. Sigillũ aureum superni Monarchæ.

M. gratia licet una, ac simplex sit, varia tamen ad cujusque utilitatem operatur.

M. omnibus omnia facta.

ipsius laudem ei concinit Ecclesia:

Tu spes certa miserorum,
Tu levamen oppressorum,
Omnibus es omnia.

82. Hæc nimirum est Mare illud in quod Salomone attestante Eccl. 1. *Omnia intrant flumina*, omnia, inquam, gratiarum, charismatumque flumina Angelorum, Patriarcharum & Prophetarum, omniumque Sanctorum intrant in Mariam, ut Seraphicus cap. 5. Speculi interpretatur Bonaventura. Hinc S. Fulgentius Episc. serm. de laud. B. V. perfectiones omnium fœminarum, quæ à sæculorum initio extitêre agnoscens in Deipara, omne Mulierum genus, sub ejus patrocinium invitabat: *Facta est*, inquiens, *Maria resurrectio fœminarum, quia per ipsam à ruina prima maledictionis probantur esse liberatæ. Maledicta enim Eva fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeasse. Venite ergo Virgines ad Virginem & lætamini, ponite maledictionem prævaricationis, & benedictionem restaurationis assumite. Venite ergo Virgines ad Virginem; venite Concipientes ad Concipientem; venite Matres ad Matrem; venite lactantes ad lactantem; venite Iuvenculæ ad Iuvenculam; Conjugatæ ad Conjugatam. Ideò enim istos omnes natura cursus Virgo Maria in Dominum nostrum suscepit, ut omnibus ad se confugientibus fœminis subveniret, & sic omne genus fœminarum instauraret.* Hæc Fulgentius.

In M. velut mare omnium gratiarum flumina ingressa.

In M. omnium fœminarum sunt perfectiones.

M. omne genus fœminarum instaurâvit.

Quapropter jure merito asseveravit Card. Petrus Damiani ser. de Assumpt. quod *Virtutum Conventus reverendum sibi thalamum in Virgine consecravit.* Iure etiã S. Chrysol. eandem Collegium sanctitatis esse pronunciavit. Iure denique Magister Ioannes Avila Hispanus, Vir pietate clarissimus pro concione quadam dixit; Gratiam Virginis Dominæ nostræ majorem esse & copiosiorem, quàm omnium Sanctorum simul, tam Angelorum, quàm hominum, qui fuerunt & erunt. Quam tanti Viri sententiam cùm audissent P. Martinus Guttierius, & Pater Balthasar Alvarez Societatis nostræ Viri gravissimi, arbitrantes eam ad magnam de Virgine Sanctissimâ opinionem, & æstimationem concipiendam plurimum conferre, egerunt cum P. Francisco Svarez, ut ostenderet suis lucubrationibus sententiam illam Avilæ admodum esse probabilem, & SS. Patrum doctrinæ, rectæque rationi conformem. Quod ille præclarè præstitit Tom. 2. in 3. Partem Disp. 18. Sec. 4. Ex quo inferre possumus eam mirificè sicut Sanctorum omnium virtutibus, sic Sapientiæ laude, præ omnibus floruisse, & ad instar Increatæ Sapientiæ omnem in se quodammodo Sapientiam, perfectionemque fuisse complexam.

M. virtutum conventus, ac Collegiũ.

Gratia Deiparæ copiosior est, quàm omnium Sanctorũ & Angelorum simul.

Suarez mens de plenitudine gratiæ B. V.

83. Altera æternæ Sapientiæ proprietas est, Immensitas. Sic enim de illa idem Eccles. cap. 1. *Altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? Sapientiam DEI præcedentem omnia, quis investigauit?* Eadem hæc proprietas Virgini nostræ aptissimè ob eminentissimam Divinæ Maternitatis Dignitatem congruit, quâ revera altior cœlo, latior terrâ, profundior abysso effecta est. Vnde B. Albertus Magnus Tract. super Missus est, docuit B. Virginem in Annunciatione, ad summam propinquitatem cum Deo in substantia fuisse elevatam. *Neque enim, nisi DEVS fieret, altiùs eleuari poterat*, inquit Albert.

Æterna Sapientia est Immẽsa.

M. altior cœlo, latior terrâ, profundior abysso.

84. Dignitatem hanc Divinissimam S. Bonav. cap. 5. Spec. in Maria considerans exclamavit: *Tu immensissima Maria capacior es cœlo, quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti. Tu capacior es Mundo, quia quem totus non capit Orbis, in tua se clausit viscera, factus homo. Si ergo Maria tam capacissima fuit ventre, quantò magis mente? oportuit ergo gratiam illam quæ tantam implere potuit capacitatem, esse immensam. Quis igitur immensitatem Mariæ potest mensurare? Ecce quod dicitur in Ecclesiastico: Altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? Cœlum est Maria, quia cœlesti puritate, cœlesti claritate, cœlestibus alijs virtutibus abundauit. Terra fuit Maria, quæ nobis fructum suum benedictum protulit. Abyssus est Maria in bonitate & misericordia profundissima. Quis hujus cœli altitudinem, quis hujus terræ latitudinem, quis hujus abyssi profunditatem, quis, inquam, Mariæ immensitatem dimensus est, nisi ille solus, qui ipsam non solùm in gratia, & in gloria, sed etiam in misericordia tam altissimam, tam latissimam, tam profundam operatus est?* Hæc Bonavent.

M. cœlo capacior, quia cepit eum, quẽ totus mundus capere nequit.

Gratia B. V. immensa.

Cœlum est M. puritate, claritate, & alijs virtutibus.

85. Quid de altero illo supremæ Sapientiæ, quod eodẽ cap. affert Sapiens, dicemus encomio? *Et multiplicationem, seu multiplicitatem ingressus ejus quis intellexit?* Si multiplices ingressûs sunt, nimirum varij modi, ac rationes, quibus in salvandis animabus, & à varijs periculis præ-

Divinæ Sapientiæ modi varij salvandi homines.

præservandis uti consuevit. Hugo Cardinalis ingressûs hos Sapientiæ enucleans, primum fuisse dicit in uterum Virginalem, cùm humanitatem nostram assumendo, Verbum caro factum est. Alterum in Mundum ingressum, ait esse Nativitatem. Tertium post Mortem, ad Inferos pro Sanctis liberandis Patribus descensum. Quartum Ascensionem, ingressumque in cœlos gloriosissimum. Quintum denique ingressum in hominum mentes, ac corda, qui per infusionem gratiæ, donorumque cœlestium, per inspirationem, illuminationemque Sancti Spiritus fieri consuevit.

Varij æternæ Sapiëtiæ in Mũdum ingressûs.

Paulus denique de Palatio, & Dionysius Carthusianus, multiplici illo Divinæ Sapientiæ ingressu, varios modos significari affirmant, quibus DEVS, mortales de rebus ad animorum salutem pertinentibus edocet; vias item varias, quibus congruam illis, efficacemque gratiam communicando ad Patriam, beatitatemque perducit æternam. Quam ob causam S. Paulus ad Ephes. 3. *Sapientiam hanc* appellavit *Multiformem*. Apostolorum verò Princeps epist. 1. cap. 4. *Multiformem gratiam*. Vnde passim Incarnatam hanc Sapientiam, hominum salvandorum gratiâ in sacris literis ad instar novi cujuspiam Prothei, varia Schemata, formas, personasque assumentem videmus. Modò enim Pastoris, ovem humeris bajulantis; Modò Patrisfamilias, operarios ad laborandum conducentis; Modò Regis, ad Nuptias invitantis; Modò amantissimi Patris, Filio prodigo indulgentis; Modò Mulieris dragmam animarum nostrarum, accensâ lucernâ diligentissimè inquirentis; Modò piæ Nutricis Filium ulnis bajulantis, ac nutrientis; Modò Matris Filij charissimi nunquam obliviscentis; Modò denique, ut plurimas alias formas humanis mentibus incomprehensibiles prætermittam, Gallinæ pullos suos, sub alas congregantis formam assumpsit.

Sapientia æterna cur dicatur Multiformis.

Quam varias formas æterna Sapientia, hominis salvandi gratia assumpserit.

86. Eâdem ratione Virgo nostra sapientissima, ac benignissima varias vias, modosque varios pervestigat assiduè, quibus miserijs, necessitatibusque omnium mortalium tam spiritualibus, quàm corporalibus subvenire, eosdemque tandem recto tramite, ad cœlos possit deducere. Quid quæso tam multiplices Congregationes, ac Sodalitia sub tam varijs titulis, Conceptæ, Natæ Virginis Angelorum Reginæ, Præsentatæ, Annunciatæ, Visitantis, Purificatæ, in Cœlos Assumptæ nobis videntur aliud, quàm multiplices viæ Regiæ, quibus Virginea pietas in animos mortalium præsertim adolescentum ingreditur, eosq; misericordiæ suæ lacte pascens, ac enutriens, viros perfectos efformat, in cœlumque deducit fœlicissimè. Quid aliud vobis videntur ejusdem DEIparæ tot Templa, tot Basilicæ, magnificentissimis sumptibus, in omnibus penè Orbis partibus ædificatæ, quam totidem Asyla, totidem Civitates refugij peccatoribus reseratæ? Quid videntur aliud, quàm totidem Arcæ Noeticæ ad genus humanum ab inundante scelerum diluvio, ac colluvione liberandum? Considerate Domum illam sanctissimam Laureti, ædem illam DEIparæ planè prodigiosam, in qua Verbum caro factum est, è Nazareth, manibus Angelicis ad Liburniæ fines in Montem primum Tersatum translatam, deinde, eodem Angelorum ministerio, post aliquot annorum decursum, per immensa propemodum Adriatici Maris spatia in Recinetensem Sylvam, inde in Laureti Collem, ex Colle denique in viam publicam, omnibus communem, ut patrocinium suum, atque auxilium omnibus commune esse ostenderet, ubi in hodiernum usque diem, absque ullis, humanâ ope positis, magnâ totius Orbis admiratione, subsistit fundamentis. Quo facto ostendit revera Virgo Beata, se sibi soli natam minimè fuisse, sed bono communi totius Mundi, cupidissimamque se esse beneficiorum suorum rivulos, gratiarumque fontes mortalibus omnibus communicare, juxta Salomonis consilium Prov. 5. *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.*

M. multiformis in salvandis hominibus.

Varia Sodalitia B. V. sunt modi varij quibus illa salvat homines.

Variæ Cõgregationes B. V. viæ Regiæ ad salutẽ.

Templa B. V. Asyla, & Arcæ Noeticæ ad salvandos homines.

Domus Lauretanæ prodigia.

Domus Lauretana in via publica, ac communi sita, ut omnibus se B. V. communicet.

87. Hæ porrò tam admirabiles hujuscé Divinissimi Domicilij sive transmigrationes, sive translationes, quid quæso sunt aliud, quàm multiplices quidam hujus sapientissimæ Virginis Ingressus, quibus in hominum animos ad opem eis porrigendam, eorundemque miserijs, necessitatibusque succurrendum sese insinuare consuevit. Quare Domus illa fœlicissima, Terræ illi in Cimini lacus Valle constitutæ potest comparari, de qua scribit Servius in Sileno, & Leander in Faliscis apud Majolum lib. 1. Dial. 13.

Domus Lauretana similis terræ Cimini.

M. prece levissima contacta, aquas gratiarum fundit.

Quemadmodum enim illa, quacunque tandem ex parte, sive manu, sive virgâ fuerit contacta, vel leviter, mox limpidissimi, atque dulcissimi aquarum scaturiunt rivuli; sic Misericordiæ Mater in hoc prodigioso Domicilio, pijs pulsata precibus, velut quædam benedicta Paradisi terra, plurimos cœlestium gratiarũ, quibus Orbis propemodum universus irrigatur, emittit rivos, ac fontes, uti innumera beneficiorum, undequaque appensa, totâ illa Basilica contestantur monimenta. Nempè Virgo nostrum Mater est pientissima, cujus ubera vel leviter piâ aliquâ contacta prece, lac pietatis dulcissimum, ad alendos miseros mortales ubertim effundunt, uti Richardus de S. Vict. cap. 32. in Cantica Virginem ipsam alloquens est testatus: *Adeò pietate replentur ubera tua, ut alicujus miseria notitiâ tacta lac fundant misericordia, nec possis miserias scire, & non subvenire. Et quid mirum si misericordiâ affluis, quæ ipsam Misericordiam peperisti? Carnalia in te Christus ubera suxit, ut per te nobis spiritualia fluerent.*

M. facilitas in communicandis gratijs.

88. Ob hunc tam facilem, tam copiosum gratiarum omnium in hac sancta Domo profluxum, jure merito Arethusæ fonti illi prodigioso, ac celeberrimo rursus comparari potest gloriosissima DEIpara. De hoc enim Cassiodorus lib. 8. Epist. 32. hæc memoriæ prodidit: *Cùm ibi tacitus homo, & studiosè silentiosus advenerit aquas fontis irriguas reperit sic quietas, ut in morem stagni non tam currere, quàm stare videantur. At ubi concrepans tussis emissa fuerit, aut sermo clarior fortassis sonuerit, nescio quâ vi aqua statim ibidem concitata prosiliunt; os illius gurgitis ebullire videas graviter excitatum: silenti homini tacita, loquenti strepitu, & fragore respondens, ut obstupescas sic subito perturbatam, quam nullus tactus exagitat. Nova vis, inaudita proprietas, aquas voce hominis commoveri, & quasi appellata respondeant, ita hominum sermonibus provocata, nescio quid immurmurant; credas ibi aliquod animal prostratum somno quiescere, quod excitatum, magno strepitu tibi respondeat.* Sic Cassiodorus.

Arethusæ Fontis naturæ.

M. Fonti Arethusæ similis.

Verè Fonti huic similis esse videtur Virgo beatissima, in hac sua Domo, in qua Verbũ Caro factum est, utpotè quæ ad instar Arethusæ Virginis, verè animarum nostrarum Venatricis, Deorum miseratione, in Fontem signatum, DEI Filij Imagine, ac sigillo, gratiarumq; omnium copiâ redundantem, admirabili Metamorphosi quodammodo transformata est, continens in se Fontem illum vitæ, de quo qui bibit, mortem non gustabit in æternum. In hoc profectò Fonte DEUS homo, seù animal rationale factus, requiescit, ita ut ei hic, in quavis angustiâ dicere possimus: *Excita potentiam tuam, & veni.* In hoc sanè Fonte Virgineo requiescit DEI Filius, velut in Reclinatorio aureo, moxque ut humana vox deprecabunda insonuerit, excitatur ad opem nobis ferendam, in omnibus nostris tribulationibus, ac miserijs, quibus in hoc Mundo conflictamur. De hac Filij DEI in Matre sua requie suavissima, audite B. Petrum Cardinal. Dam. serm. de Annunc. *Cùm fecerit DEUS omnia sua opera bona valdè, hoc meliùs fecit, nempè MARIAM, consecrans in ea sibi Reclinatorium aureum, in quo se post tumultûs Angelorum & hominum inclinaret, & requiem inveniret.* Invenit verè DEI Filius in Virginis utero, sive illa sancta prodigiosa Domo requiem, eamque omnibus ad eam Domum confugientibus, velut ad Asylum, communicare est paratissimus. O quot peccatores conscientiæ turbulentissimis exagitati fluctibus, ac procellis, conspectis in primo ejus Templi aditu, sacris illis dumtaxat lampadibus, quæ Divinum illud ambiunt Domicilium, Diviniori intus Illuminatricis Virginis, irradiati splendore mentis, ad dolorem, detestationemque peccatorum excitati, ejuratis per exomologesim, expiatisque ritè sceleribus, securissimam conscientiæ pacem, tranquillitatemque, cùm uberrimâ aliorum bonorum spiritualium copiâ reperêre?

M. Fons signatus Filij Imagine.

In Mariæ Utero, velut Reclinatorio Dei Filius quievit.

Domus Lauretana perturbatis conscientijs pacem conciliat.

89. Unde nil mirum fideles, in hac Domo sanctissima, tot acceptis beneficijs, summo cum gaudio, animique voluptate, & ibi cõmorari, & ad proprios lares remeare cõsuevisse. Adeò ut omnes dicere possint: *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te sancta DEI Genitrix;* seù ut legit Divus Hieronymus: *Et Cantores quasi in Choris omnes fontes mei in te.* Dum enim beneficiorum Virgineorum Fontes, varietate suâ pulcherrimam quandam reddũt harmoniam (ad instar cryptæ illius Britannicæ, de qua in Stromatis scribit Clem. Alexand. quod quoties qualiscunque tandem spirat ventus concentus suavissimus audiatur) non possunt sanè non summo gaudio affici,

Peregrinorum ad Domum Lauretanam adventãtium lætitia.

Cryptæ Britannicæ natura.

fici, incredibilique voluptate perfundi, & tam sibi invicem, quàm ipsi etiam Virgini congratulari.

90. Hi denique beneficiorum Dei paræ fontes, hi multiplices ipsius ingressûs, sive transmigrationes celebratæ videntur à Sponso Cant. 4. *Emissiones tua Paradisus malorum Punicorum, cum pomorum fructibus.* Emittit enim semper Domus illa, ad se visendam adventantibus peregrinis, Paradisum quendam bonorum omnium, cœlestiumque deliciarum jucundissimam quandam delibationem, emittit mala punica charitatis Dei & proximi, emittit virtutum, charismatum, donorumque spiritualium copiam, emittit denique pomorum fructûs uberrimos. Fructûs nimirum redemptionis nostræ. Poma enim illa virulenta, quæ protoplasti nostri, per summum nefas, comedêre, sicut ipsis, posteritatique acerbissimos mortis, ita Virgini, nobisque omnibus dulcissimos vitæ immortalis peperêre fructûs. Siquidem ex communi Theologorum sententiâ nisi Adam peccasset, Dei Filius in Vterum Virginis, humanum genus redempturus, non venisset. Pomum igitur pestiferum Adæ, cùm occasio fuerit peccati, simul quoque Virgini nostræ summæ dignitatis, Divinæ videlicet Maternitatis causa extitit, effecitque ut Terra illa Virginea dulcissimum illum Fructum ventris sui ederet, qui postea toti Mundo innumerabiles fructûs, virtutumque flores attulit, quos pulchrè expressit Sponsus, cùm mox subtexuit: *Cypri cum Nardo, Nardus & Crocus, Fistula & Cinnamomum cum universis lignis Libani, Myrrha & Aloë cum omnibus primis unguentis.*

Domus Lauretana emittit peregrinis Paradisũ bonorum omnium.

Pomum quod Adæ porrexit Eva, virulentum, malorium omnium causa.

91. Quod si legamus cum S. Gregorio Nysseno in Cantica: *Emissiones tua ex ore, Paradisus malorum punicorum;* indicabit nobis vim atque energiam Virgineæ Orationis, quâ in sacrosanctâ illa Domo Filio pro nobis supplicans plantat in animis nostris Paradisum quendam omnibus consitum virtutum floribus, unà cum sempiternæ Vitæ ligno, pignus illis quoddam æternæ beatitudinis exhibens dulcissimũ. Quod sanè re ipsâ experiuntur, quicunque Domum illam peccatorum sordibus expiati, cœlestiq; refecti ferculo ingrediuntur. Tantis enim incedere solent lætitijs, ac gaudijs, ut sese vix capiant, vix inde se avellere, præ animi liquescentis teneritudine, ac dulcedine noverint. Ingeneratur deniq; in eorundem animis ardens quoddam desiderium Ædem illam quantocyus, ac sæpiùs revisendi, in qua Paradisi gaudia sibi delibare cum tanta gratiarum omnium affluentia visi sunt.

B.V. Orationis efficacia, dum per illam plantat Paradisũ in terra.

S. Domus Lauretana ingenerat desiderium hominibus eam revisendi.

92. Videre cupitis deniq; quânam ratione Virgo hæc nostra sapientissima, Increatam æmulata Sapientiam, varia in se personarum assumendo Schemata, in hoc terrarum Orbe, velut honoris sui, Filijque theatro, multiformem Dei repræsentet Sapientiam? Legite Canticorum Cantica in primis, ubi videbitis eam modò sese pulcherrimæ, pudicissimæque Sponsæ schemate nobis, exhibentem, cupientemque ut se in Sponsam amantissimam accipiamus, dicamusque illi: *Hanc amavi & exquisivi à Iuventute mea, & quæsivi illam mihi in Sponsam assumere, & Amator factus sum forma illius.* Sic illa castissimum Adolescentem Hermannum sibi adscivit in Sponsum; utque similis suo Ioseph foret Sponso, Filium suum ejus ulnis bajulandum tradidit.

M. varias formas assumit, ut nos ad sui amorem alliciat.

Hermannus Adolescens B. V. Sponsus.

Sic Edmundum Cantuariensem, exhibito annulo, in quo gemmæ loco, Ave Maria visebatur, sibi despondit.

Edmundũ Adolescẽtulũ annulo sibi B.V. despõsavit

93. Modò Mulieris cujuspiam à Sole decoloratæ schemate, gregem suum, hædosque pascentis se nobis repræsentat, ut ipsius singularem curam, solicitudinemque amoris plenissimam, quâ in fœtidis peccatoribus ad bonam frugem, & ad æternæ vitæ pascua reducendis utitur, agnoscamus.

94. Modò in vinearum Custodis forma se visendam exhibet, ut quanta Ecclesiarum Dei custodiendarum à vulpeculis, quæ eas demoliuntur, teneatur, ostendat. Vnde & gloriatur se ab ipsis SS. Trinitatis Personis Ecclesiarum vineis custodiendis præfectam: *Posuerunt me,* inquiens, *custodem in vineis.* Cant. 1.

M. Custos vinearum, hoc est, Ecclesiarũ

95. Modò Regiæ Sulamitis personam assumit, ut nobis quanta in Cœlorum Regno, precibus, atque intercessionibus ipsius apud Filium bona expectanda sint, quantamque pacem, quæ omnem exsuperat in animis nostris juxta Nominis sui ethymon, quod est Pacifica, paritura sit, declaret.

M. Sulamitis Regia, pacificans nos cum Deo.

96. Modò Matris amantissimæ, uberibus purissimo lacte turgentibus, specie sese offert, ut illam verè Matrem nostram, verè Matrem parvulorum, ac Orphanorum, eorum denique Mammillam,

M. Mater amantissima.

lam,

lam, ut eam Seraphicus Bonaventura vocitat, agnoscamus.

M. Filia Principis generosa.

97. Modò velut pulcherrima quæpiam potentissimi alicujus Principis, ac Monarchæ Filia, Regio planè cultu, aureisque calceamentis decorata in theatrum ingreditur, ut oculos omnium spectantium in admirationem, castissimumque sui amorem rapiat, & ad heroicarum virtutum suarum consectanda vestigia, gressûsque pulcherrimos omnes invitet.

M. ut Parvula Filiola, teneritudinė amoris à nobis expetit.

98. Modò ad instar parvulæ Filiolæ ubera nondum habentis, sese in animos nostros insinuat, ut castissimi teneritudinem amoris à nobis exprimat, suamq; facilitatem in gratijs, donisque cœlestibus elargiendis, indicet. De singulari planè hujus Puellæ gratia canitur in Breviario Parisiensi:

In Puella tenera vernat sensus maturitas,
Et panditur per opera habitans intus Deitas.

M. celestis Hierusalė pacem nobis apportat.

99. Modò se in forma cœlestis Hierusalem suavis, & decoræ, modò Solis, ac Lunæ, modò Auroræ, tota ingenti perfusa luce, cœli affluens delicijs sese ostentat, ut persuasum velit esse omnibus, in se universorum Conditorem, velut epitome quâdam absolutissima, quicquid boni, quicquid pulchri cœlorum continetur ambitu congessisse, cultoresque suos dum adhuc in hac mortali vita degunt, altissimâ animi, cordisque pace, ac tranquillitate, ac si quodammodo ipsâ Hierusalem cœlesti, ipsâ visione pacis perfruerentur, gaudere.

M. Hortus deliciarū, ut nos illis expleat

100. Vt ostendat denique Virgo nostra sapientissima, se post Deum amatoribus suis, ac clientulis esse quodammodo omnia, in omnibus, cupereque se delicijs omnibus, quibus mortales tantoperè capiuntur cultores suos, etiamsi sensûs, citra tamen peccatum, sequantur, explere; in specie Horti cujuspiam amœnissimi superni illius agricolæ, ac Hortulani, omnipotenti manu, rosis, violis, lilijsque, nec non omnibus suavissimis, aromaticisque floribus, omnibus fructiferis, quas sibi mens imaginari potest arboribus consiti, se oculis nostris ingerit, ipsaque & florum, & fructuum ubertate, tantarumq; deliciarum amœnitate omnes ad se videtur invitare: *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Eccli. 24. Implemini, inquam, quia deliciæ meæ Divinæ sunt, utpotè Increatæ Sapientiæ, quam in me repræsento, quam simillimæ; reliquæ Mundi deliciæ mentem onerare possunt, explere non possunt. Trãsite igitur ad me mortales varijs cupiditatibus, desiderijsq; rerum creatarum æstuantes, in me quicquid cupitis, invenietis, in me cœli, terræque omnes repositæ sunt deliciæ, ego velut multiformis Sapientia earum omnium speciem, formamque repræsento, meisque clientulis adhuc in hac mortali vita, immortalis, beatæque vitæ pignus impertior.

In Mariâ amor donum Dei, & Signum prædestinationis.

101. Quapropter idem Ecclesiasticus cap. 1. ut ad hujus cœlestis Sapientiæ amorem homines alliceret, ait, à Deo dilectis, ac electis eam communicari, ut quasi certam prædestinationis habeant tesseram, quicunque in se pietatis affectum filialem in hanc Increatæ Sapientiæ Matrem experiuntur. *Effudit eam*, inquit ille, *super omnia opera sua, & præbet illam diligentibus se.* Salomon quoque Sap. 7. v. 28. idem confirmat: *Neminem enim diligit DEVS, nisi eum qui cum Sapientia inhabitat.* Vnde SS. Patres nonnulli quasi certum ad æternam gloriam prædestinationis indicium esse censent, propensissimâ in Virginem hanc ferri voluntate.

Neminem Deus diligit, quicũ Maria per devotionem, amoremq; in illam non habitat.

Cupit igitur scire quispiam an ex numero illorum sit, qui in æternæ vitæ Librum adscripti sunt, introspiciat intima animi sui sensa, scrutetur affectum, videatque quantopere cultui Deiparæ sit addictus, quantopere ejus amicitiam colat, ejusque consuetudine delectetur.

Et ex hoc cognoscet facilè, quantopere ipsum Deum universorum Creatorem diligat, in cujus agnitione atque amore vera hominis consistit beatitudo. Pari siquidem passu amor Dei, & amor Deiparæ procedere videntur, ita ut quantò quis est amantior Deiparæ, tantò quoque amantior ipsius Dei comprobetur. Videat denique quantò sanctissimos ejus mores, vitamque imitandi, ac præsertim animæ, corporisque puritatem studio teneatur. Plures enim, prô dolor, reperire est qui exteriori quâdam, ne dicam fucatâ in ipsam devotione contenti, carnalibus vitijs ad verticem usque capitis immersi, sibi de hac ad vitam æternam electione blandiuntur, quos P. Paulus Zehetner olim Augustæ Senioris Eleonoræ Ecclesiastes pcelerbis acriter, ac meritò insectatur, in

Amor Dei, & Amor B. V. pari passu procedũt.

in suo Promontorio malæ Spei lib. 3. paragr. 12. & 13. Hi enim varijs sacrarum literarum, Patrumque testimonijs fulti, impossibilem quasi censent suæ salutis amissionem. Arridet nimirum illis vel maximè Blosij Abbatis pronunciatum in Monil. spirituali c. 12. *Citius cœlum & terra perierit, quàm ipsa, B. V. videlicet aliquē seriò se implorantem suâ ope destituat*; non intelligentes, implorare seriò Dei param, esse in conscientiæ puritate, charitateque in Deum, ipsamque ejus Matrem preces fundere. Hujusmodi enim, amore Dei, Virginisque locupletati, Thesaurum bonorum omnium, inchoatamque beatitatem, etiam hic dum vivunt indipiscuntur.

M. infinitus est Thesaurus hominibus.

102. Quare idem Salomon hanc Sapientiæ Parentem sapientissimam, infinitum bonorum omnium Thesaurum esse pronunciavit. Sap. 8. *Infinitus est Thesaurus hominibus, quo qui usi sunt participes facti sunt amicitiæ DEI.* Quam sententiam expendens Richardus à S. Laurent. lib. 4. de laudib. Virg. Maria inquit, *est Thesaurus, quia in ea, ut in gazophylatio reposuit Dominus omnia dona gratiarum, meritorum, virtutum, prærogatiuarum, donorum, ac charismatum. Et de thesauro hoc largitur ipse larga stipendia suis militibus, atq; operarijs, quo qui usi sunt, secundùm consilia, exemplaq; eius operantes, ad ipsius gloriam, honoremq; participes facti sunt amicitiæ DEI. Ipsa enim dicit cum Filio.* Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre, & Filio meo. Quod non est aliud quàm ad sempiternæ gloriæ beatitudinem prædestinari;* cujus illa habet dispositionē perinde, atque si dos illius esset. Quod nobis insinuavit S. Epiphanius lib. de laud. Virg. circa init: *Sancta Puella Virgo MARIA est Sponsa Trinitatis, & Thesaurus dispensationis planè arcanus.* Et paucis interpositis: *Quomodo Virgo invenitur esse cœlestis Sponsa & Mater, quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum Sanctum accepit; dotis verò gratiâ, cœlum unà cum Paradiso?* Quisquis igitur donis Spiritus Sancti locupletari, quisquis cœlesti beatitudine, sempiternisque Paradisi perfrui anhelat gaudijs, ad Deiparam confidenter accurrat, conscientiæ puritati, morum honestati, castimoniæque operam navet, cordis sui desideria summâ animi demissione expandat, largietur illa omnia, quæcunque quis petiêrit liberalissimè. Hæc enim bona videntur illius, peculiari quâdam ratione propriâ, siquidem ad

In Maria velut Gazophylatio reposuit Deus omnia dona gratiarum.

M. arrhæ loco accepit Spiritum S. dotis verò, cœlum cum Paradiso.

instar antenuptialis arrhæ, pignorisque, ad instar dotis opulentissimæ, cœli, Paradisique Dominium illi attributum est. Vnde velut Sponsa aut Mater familias, liberè de illis omnibus pro arbitrio potest disponere. Quod sanè quisquis rectè considerat, fieri non potest, quin amore incredibili hujus sapientissimæ Virginis capiatur, atque exardescat.

M. de cœlo, ac Paradiso, velut dote propriâ potest disponere & dare cui libuerit.

103. Quare non immeritò Deus Pater sanctæ illi Virgini Catharinæ Senensi revelavit hanc datam in escam suavissimam mortalibus, quâ illecti, ac capti, & à Mundi illecebris abstracti, salvantur. Cùm enim Tract. 3. Dialogor. cap. 139. ei narrasset hominem quendam lethaliter vulneratum fuisse, ut à peccatis resipisceret, & à damnatione æterna ejus anima liberaretur; mox hujuscé favoris, ac gratiæ subtexuit causam; *Non enim*, inquiens, *oblivioni tradideram amorem, atq; reverentiam eius, ad MARIÆ Vnigeniti Filij mei Genitricem gloriosam, cui concessum à Bonitate mea, propter Incarnati Verbi reverentiam; ut quicunq; siue justus, siue peccator, qui recurrit ad eam cum devota reverentia, nullo modo diripiatur, vel devoretur à Dæmone Infernali. Nam ipsa est à me velut esca dulcissima collocata, & electa, pro capiendis hominibus, & animabus, præcipuè peccatorum.*

Pietas in Deiparâ liberat quendam ab æterna damnatione.

M. Esca dulcissima ad capiēdas animas.

104. Sanctæ verò Brigittæ ipsa Deipara revelare dignata est lib. 3. Revelat. cap. 32. se à Filio electam fuisse velut Magnetem ad pertrahendos homines in cœlum. *Quidam*, inquiens, *quærens lapides pretiosos, reperit Magnetem, quem elevans propriâ manu, in suo thesauro custodivit, perq; eum postea navem suam ad tutum portum deduxit: Sic Filius meus inter pretiosos lapides Sanctorum me specialiter elegit sibi in Matrem, ut per me homines ad cœli portum reducerentur. Ergo sicut Magnes ferrum attrahit, sic ego dura corda ad DEVM pertraho.* Vnde quisquis à Patre æterno ad beatam illam vitã trahi desiderat, confugiat in primis ad Deiparã, & trahetur. Ita enim Divus suadet Augustinus tract. 26. in Ioann. *Nondum*, inquiens, *traheris? ora ut traharis.* Et quis tandem post Christum orandus erit, cui preces, supplicationesq; nostræ utiliꝰ commendandæ erunt, quàm Dei Matri, quæ tantæ est benignitatis, ac pietatis, ut etiam desideria nostra, precesque prævertat, suavique quâdam violentiâ nos ad salutem trahat?

M. Magnes trahens homines ad cœlum.

Orãda B. V. ut nostra dura corda, velut Magnes ferrum ad Christum pertrahat.

105. Magnes

Magnetis vis mirabilis.

105. Magnes revera est Deipara, & instar illius, qui cùm ferrum ad se attrahit, vi sibi à natura indita, mucronem sive gladij, sive sagittæ ita imbuit, ut postea ad singulos ictûs lethale vulnus infligat. Tales, attractione suâ nos efficit Virgo Sanctissima. Feralia illa vitiorum monstra, Lerneæ illius septemplicis Hydræ capita velut Sagittæ electæ dono ipsius conficimus, sicq; de Tartareis hostibus gloriosissimè triumpham⁹.

M. Magnes Theamedes.

106. Magnes denique est Dei Mater, & ille quidem quem Theamedem vocitant, cujus natura hujusmodi esse memoratur, ut pumicis instar maculas quas attingit, abstergat, vimque talem in mucrone impressam relinquat, ut ex sauciato pectore nullus quidem sanguis effluat, sed novus potiùs vigor (sit penes auctores fides) inde nascatur.

Talis nimirum est Deipara, dum cor, animumq; tuum ad se trahit, simul peccatorum maculas, miro artificio abstergit, efficitque, ut ad instar sagittæ, piâ conversatione, atq; exemplo proximorum corda sauciando, novum vigorem ad incumbendum toto pectore in virtutem eis tribuas, gloriæque æternæ tandem consortes efficias. O trahe me post te, Virgo Beatissima, trahe, quia si cor meum ad te traxeris, plura quoque simul trahentur, sicque currentes in odorem unguentorum tuorum æternæ Beatitudinis compotes effecti, gloriam tuam reddemus illustriorem.

Beata fœlicitas in Iovis Hortis nascitur.

M. Iovis Hortus conclusus, in quo reperitur fœlicitas.

M. Radix gloriæ.

M. Gloria gloriosa.

M. in electis suæ pietatis extendit radices.

107. O fœlicem, fortunatumque illum, cujus cor ab hoc cœlesti Magnete ad pietatem trahitur! gloriari sanè poterit beatam Fortunam se, fœlicitatemq; non in Iovis Hortis, ut ajebat Sophocles, sed in Horto hoc concluso, in hoc Horto Virgineo reperisse. Quare D. Epiphanius lib. de laud. Virg. eam Radicem gloriæ, & gloriam sive fœlicitatem æternam benè fundatam, & B. Petrus Dam. Card. serm. 40. *Gloriam gloriosam* appellavit. Virginea enim hæc pietas est velut Lignum vitæ, quod ubi in mortalium cordibus radices egerit, vitæ immortalis pignus tribuit certissimum. Vnde ipsa fatetur Eccli. 24. *Tunc precepit & dixit mihi Creator omnium: In Iacob inhabita, & in Israël hæreditare, & in electis meis mitte radices.* Vbi ergo quis senserit in corde, animoque suo pietatem, amoremque in Deiparam esse bene radicatum, tunc demum se fortunatum esse glorietur, tunc demum bonorum omnium copiâ redundantem se existimet. Tunc enim cum Cratino Philosopho verè exclamare poter t: *O si fortunatus fiam, aliam verò virtutem nullam desidero:* seù potiùs: *Iam fortunatus sum; iam virtutem aliam nullam desidero. Inventa enim Maria*, inquit sapientissimus Pater Idiota, & Richardus à S. Laur. lib. 2. de laud. Virg. partic. 1. *invenitur omne bonum. Hinc ipsa dicit: Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Ecce vita gratiæ in præsenti, & salus æterna in futuro. Hinc de eadem MARIA humana Natura dicit: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* Sap. 7. *Hæc est enim Mulier illa, de qua Salomon* Prov. 18. *Qui invenit Mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet jucunditatem à Domino; jucunditatem nimirum duplicem conscientiæ hic, & lætitiæ in futuro.* Sic Richard.

Inventa M. invenitur omne bonum, & vita æterna.

M. Prospera Christianorum Fortuna, ac Fœlicitas.

108. Quapropter verè dici potest Virgo sanctissima, Christianorum Fortuna, ac Fœlicitas, ut Disc. 19. ex professo ostẽdemus, quam in Deam quandam nõ cœca Gentilitas (quod canebat Iuven:

Nullum Numen adest, si sit prudentia, sed nos
Te facimus fortunæ Deam, cœloq; locamus.)

M. Fœlicitatis insigne.

M. Civitas Dei, & nova Hierusalẽ

Sed Deus ipse eius specialis Conditor elegit, & in cœlo sibi vicinissimam collocavit. Hoc Dionysius Areopagita agnoscens, fœlicitatemque hanc in se, visâ Hierosolymis Dei parâ, expertus, scribens ad Magistrum suum Apostolum Paulum, eam Fœlicitatis Insigne, nuncupare non dubitavit. Optat quispiam insignia æternæ Fœlicitatis, tesseramque quandam vitæ immortalis, dum adhuc inter mortales degit, possidere, promissionis denique illius Salvatoris compos fieri apud Ioan. Apoc. 3. v. 12. *Qui vicerit, scribam super eum Nomen DEI mei, & Nomen Civitatis DEI mei nova Hierusalem, & Nomen meum novum?* Marianâ devotione, velut clypeo, seù stemmate gentilitio, animum suum insignire, ac communire contendat. Sic enim Nomen Patris æterni, & Nomen Mariæ, quæ Civitas est Dei, & nova quædam Hierusalem, & Nomen denique Iesu suavissimum exaratum in se circumgestabit, atque ita ex hujusmodi tam præclaris insignibus, ac characteribus Filius cœlestis Patris, Filius Matris Virginis, Frater demũ Christi, cœlorumq; Regni cohæres agnoscetur, simulq; à Deo singulariter dilectus, ex hujus sapiẽtissimæ Virg. cõsortio, ac familiaritate, declarabitur.

109. Agno-

109. Agnovit ſuam Fortunam, Deamque quandam maximam, certiſſimum ſuæ fœlicitatis inſigne, ac characterem eſſe DEIPARAM S. Bonaventura, dum in Spec. cap. 6. Abrahami verba ad hanc figuratam Saram pronunciata, uſurpavit: Gen. 12. v. 13. *Dic, obſecro te, quod ſoror mea ſis, ut bene ſit mihi propter te, & viuat anima mea, ob gratiam tui.* Cùm enim præmiſiſſet ſummam noſtram Gloriam, ſummam poſt DEUM Fœlicitatem eſſe Virginem, dixiſſetque: *Glorioſum gloria MARIÆ privilegium eſt, quod quicquid poſt DEVM pulchrius, quicquid dulcius, quicquid iucundius in gloria eſt, hoc MARIA, hoc in MARIA, hoc per MARIAM eſt. Glorioſum omninò gloria MARIÆ privilegium eſt, quod poſt DEVM maior noſtra Gloria, maius noſtrum Gaudium, ac Fœlicitas de MARIA eſt:* mox ſubtexuit: *Et ideò obſecrare poſſumus Mariam, ſicut Abraham obſecrauit Saram. O ergo Maria, ò Sara noſtra, dic quod ſis Soror noſtra, ut propter te bene nobis ſit a DEO, & ob gratiam tui vivant animæ noſtræ in DEO. Dic, inquam, chariſſima Sara noſtra, quod ſis Soror noſtra, ut propter talem Sororem Ægypti, Dæmones videlicet, nos revereantur, ut etiam propter talem Sororem Pater, Filius, & Spiritus S. noſtri miſereantur.* Sic Bonaventura fœlix, fortunatuſque, cum Virgine hac eſſe cupiens, ad cœlum vota, preceſque fundebat: Hunc ſanè quicunque fœlix, fortunatuſque eſſe cupit imitetur, re enim ipsâ experietur, vota ſua, preceſque exauditas, dum favorem DEIPARÆ, velut proſperos ſentiet Fortunæ flatûs, quibus ad Beatam Patriam propelletur. Atq; ita intelliget quã verè dixerit Siracides de hac æternę Sapientię Matre: *Prabet illam diligentibus ſe.* Et: *Neminem diligit Deus, niſi eũ qui cum Sapientia inhabitat.*

Propter Mariam bene nobis eſt.

Maximum noſtrum Gaudium, Gloria & Fœlicitas poſt Deũ eſt Maria.

M. Sara noſtra propter quam bene nobis eſt.

110. Sed ad Virginis noſtræ cum æterna Sapientia comparationem tandem redeamus. Hanc Salomon in Sapientiæ libro, quo varia ejus deſcribit elogia, Soli, Stelliſque pulcherrimis, veriſſimis Sapientiæ Symbolis eam ad vivum repræſentantibus contulit Sap. 7. *Sapientia,* inquiens, *ſpecioſior eſt Sole, & ſuper omnem diſpoſitionem Stellarum, luci comparata invenitur prior.* Quod venuſtiſſimum encomium Richardus à S. Laurentio varijs in locis aptiſſimè ad DEIPARAM tranſtulit lib. 4. de laudib. Virg. *Rebecca,* inquit, *fuit Virgo pulcherrima ſed Maria ſpecioſior eſt Sole.* Lib. 5 *Maria,* inquit, *ſpecioſior eſt Sole, quoad puritatem generationis. Sicut enim Sol ſine corruptione gignit radiũ, ſic Maria Filium.* Lib. deniq; 7. ubi MARIAM luci confert: *Propter ſpecioſitatem,* inquiens, *nulla enim pura creatura Mariâ pulchrior. Vnde de illa dicitur: Specioſior Sole, &c. Nihil enim luce ſubtilius, nihil luce purius, in qua ſimplicitas eius, & innocentia elucecſit; nihil mundius, in quo operum eius munditia; nihil clarius, in quo lumen exemplorum; nihil humana vita iucundius, in quo Doctrina, & Sapientia verborum effulgeſcit.* Cùm igitur Increata Sapientia Sole ſpecioſior prædicetur, conſequens ſanè eſt Matrem ejus ſimiliter ob carnis, ſpirituſque unionem, Sole fuiſſe ſpecioſiorem non modò ob ſingularem Sapientiam, verùm etiam virtutum rariſſimarum excellentiam. Si enim in ſapientum hujuſcé ſæculi ſententia, Origene teſte Hom. 4. in Cant. *Solus Sapiens ſpecioſus eſt, omnis nequam turpis.* Quantò magis omnium virtutum pulchritudine, toto ore, oculiſque promicante refulſiſſe DEIPARAM cenſendum eſt, quæ ipſius æternæ Sapientiæ Parens extitit digniſſima?

M. ſpecioſior Sole, ac Stellis.

M. ſpecioſior Sole in generatione Filij.

Solus Sapiens ſpecioſus, omnis nequã turpis.

M. Sapientiâ, alijſq; virtutibus Filio ſimillima.

111. Quam ob rem dilectus Chriſti Diſcipulus, ut eam Filio, Sapientiâ, reliquarumq; virtutum ſpecie ſimillimam oſtendat, à Creatore ſuo, Sole amictam, clariſſimâque luce circumdatam, Lunâ calceatam, Stellarum radiante diademate coronatam introducit. Apoc. 12. Quæ ſanè aptiſſima Sapientiæ cœleſtis, virtutumque omnium ſunt Hieroglyphica, & excellentiſſimi cujuſpiam Doctoratûs quaſi inſignia, apertè declarantia ſapientiſſimam hanc Virginem, aſtris ipſis ſuâ Sapientiâ dominari, longèque eminentiori præditam eſſe Sapientiâ ijs, de quibus Daniel cap. 12. v. 3. *Qui docti fuerint fulgebunt, quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudierint multos, quaſi Stellæ in perpetuas æternitates.* Majori denique quocunque Sancto, de quo Eccliſ. cap. 27. v. 12. *Homo ſanctus in Sapientia manet ut Sol:* Hancque Sanctam deniq; Sanctorum omnium Sanctiſſimam, rerum humanarum, Divinarumque ſcientiâ longè ampliùs refulſiſſe. Vt porrò clariùs nobis innoteſceret, Sapientiam hanc Virgnis, omni omninò caruiſſe defectu, Lunam, quæ hujuſmodi imperfectionum Sapientiæ adverſantium Symbolum eſt, univerſorum Conditor Sapientiſſimus, ejus pedibus calcari voluit,

Amictus Solaris in Deipara, Stellarũque Corona, ſunt ejus Sapientiæ Inſignia.

Luna Symbolum ſtultitiæ.

luit, ut Virgineam hanc Sapientiam, nullum omninò defectum habuisse, sed majora indies, à primis Immaculatæ Conceptionis initijs accepisse incrementa, ad instar matutinæ lucis intelligeremus. *Si enim iustorum semita*, ut ait Sapiens Prov. 4. v. 18. *quasi lux splendens procedit, & crescit usq; ad perfectam diem*; quantò magis tota hujuscé Virginis via, sive vita, quæ omnis justitiæ speculum extitit, diei perfectissimæ splendorem est consecuta?

M. Sapiētia, omni defectu caruit.

112. Vt ostendat denique Increata Sapientia se in Virgine hâc gloriosissima domicilium sibi gratissimum collocasse, eandemque sibi Sapientiâ, ac virtutibus cæteris esse proximam, vocat eam Thronum, ac Solium suæ Majestatis, ac Gloriæ: *Ego*, inquit, *in altissimis habito, & Thronus meus in Columna nubis*: Ecclis. 24. v. 7. Quid enim sunt hæc altissima, in quibus Increata habitat Sapientia, nisi Virgineorum meritorum, virtutumque culmina eminentissima. Ipsa enim est Mons ille in vertice montium, in quo sibi Dominus Domum ædificavit. In qua novem mensium spatio, maximâ animi sui lætitiâ habitando, eandem immensis suis Sapientiæ opibus, ac thesauris, ita locupletavit, ut pulcherrimam ipsius Imaginem in se exprimeret, & ipsa Sapientia in Mundo cum filijs hominum conversans fuisse videretur. Ipsa est altissimum, animatumque quoddam Cœlum, atque honoratiùs, ut eam Leo Imperator Hom. 6. alijque Patres passim vocitant. Vnde ob sublimitatem hanc virtutum, ac meritorum pientissimus simul, ac Doctissimus Rutilius Benzonus Episcopus Lauret. lib 2. de Iubilæ. c. 35. eam cœlo empyreo, super omnem cœlorum altitudinem elevato comparare non dubitavit: *sicut Humanitas*, inqens, *est Sedes Verbi, sic B. Mater est Cœlum & Sedes Christi: Sicut autem inter res creatas, nulla est pretiosior humanitate Christi sic in Mundo non est dignior locus utero Virginali. Et sicut Empyreum, quod est Sedes Christi, magnitudine, imò & sublimitate superat omnia corpora simul sic B. Virgo multitudine, & amplitudine, altitudineq; meritorum omnes alias puras creaturas excedit.*

In Maria habitat æterna Sapientia, velut in Columna nubis.

M. Cœlū Empyreū.

113. Etquæ tandem est hæc Columna nubis, in qua suma sibi Sedem posuit Sapientia, nisi Virgo Deipara? Audite jam memoratum Richardum lib. 7. *Columna nubis est MARIA, imbecilla Christi membra sustentando, eosq; qui tentationum caumate exuruntur, obumbrando.* In hac ergo Columna nubis sibi Solium sempiterna collocavit Sapientia, cùm de Regalibus Sedibus in uterum ejus descendens, ac residens, Humanitatem nostram Vnionis Hypostaticæ vinculo sibi sociavit. O Solium verè gloriæ Dei, ò Thronum Sole lucidiorem, quem in prima sui creatione in Divina Essentiâ, velut lucidissimo speculo contemplantes Angeli, insigni prorsus honore, ac gloriâ coronatum obstupuêre, quemadmodum unus ex Beatis illis Spiritibus S. Brigittæ revelavit in ser. Angelico cap. 4. *Intuebantur*, inquiens, *in illo benedicto speculo, scilicet DEO Creatore suo, quandam Sedem reverendam, ipsi DEO ita propinquam, ut impossibile videretur aliquam aliam sedem illi fieri propiorem. Et hoc tamen nondum creatum esse noverant, cui ab æterno Sedes illa extitit præparata. Illud porrò nondum creatum plùs seipsis amabant, quod in Sede DEO propinquiori erat collocandum. Videbant enim DEVM illud nondum creatum diligere, ac de eo summopere gratulari. O omnium Consolatio Virgo Maria, hoc ipsum tu es, ad quod Angeli, à principio suæ creationis tantâ arserunt charitate, quod tu ipsi DEO, eis propinquior fieri debebas, & ex eo quod maiorem charitatem, maioremq; suavitatem, quam ipsi habebant, sibi noverant reservari. Videbant enim super Sedem illam Coronam tanta pulchritudinis, tantaq; dignitatis, ut nullius Maiestas, nisi solius DEI ipsum debebat excellere.* Hæc Angel.

M. est Columna nubis, tentationum æstu laborātes, obumbrando.

M. Thronus Sole splendidior, quem Angeli sunt admirati.

M. Thronus Deo proximus.

M. Thronus, pulcherrimâ Coronâ coronatus

114. Thronus porrò ille coronatus Divinæ Majestati proximus, quantæ fuerit pulchritudinis, ac splendoris, ostendit Regium illud Salomonis Solium mysterijs plenissimum, Opus illâ tempestate sanè toti Orbi admirandum, quod ex communi Patrum asseveratione figura fuit gloriosissimæ nostræ Cœlorum Reginæ, in qua verus Salomon, Patris æterni Sapientia, carnem in purissimo ejus utero assumendo, summâ cum voluptate consedit, ut ex illo, velut ex cathedra cœlestem Sapientiã, ac Scientiam consequendæ salutis homines edoceret. Thronum hunc sacræ literæ hiscé coloribus depinxêre 3. Reg. 10. v. 18. *Fecit etiam Rex Salomon Thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradûs; & summitas Throni rotunda erat in parte posteriori; & duæ manûs hinc & inde tenentes sedile; & duo Leones stabant, iuxta manûs singulas; & duodecim Leunculi stantes super*

M. Thronus, ex quo velut Cathedra cœlestis Sapientiæ scientiam salutis homines docuit.

super sex gradus, hinc, & inde. Non est factum tale Opus in universis Regnis. Iam hujus Throni Mysteria à Sanctis Patribus enucleata, Virginique nostræ accommodata audiamus. Inter quos hic agmen ducat Guerricus Abbas pientissimus, simul, ac Doctissimus serm. 1. de Annunc. *Bonus planè sermo*, inquiens, *& consolatorius Omnipotens sermo tuus Domine, qui hodie à Regalibus Sedibus veniens in uterum Virginis, ubi etiam sibi Sedem Regalem, in qua cum etiam nunc sedeat, quasi Rex circumstante exercitu Angelorum in cœlis, est tamen mœrentium Consolator in terris.* Et paucis interjectis: *Venientem à Regali Sede Patris, Regalis etiam Thronus in Aula Virginali Reginæ suscipit Matris. In ipsa quippè, & ex ipsa Sapientia ædificauit sibi Domum; in ipsa, & ex ipsa paravit sibi Thronum, cùm in ea, & ex ea corpus aptavit sibi, ita ad omnia perfectum, & congruum, ut & Domus ei sit ad quiescendum, & Thronus ad Iudicandum, quod primum ei Tabernaculum fuit, ad pugnandum, & Cathedra ad docendum. Vide autem ne fortè ipsa sit Sedes David Patris eius, quam ei dandam promittit Angelus, non quod David in ea sederit, sed quod ex semine David assumpta & fabricata sit. Et certè si Sedes David non est, tamen Sedes tua DEVS in sæculum sæculi, ipsa est. Si Solium David non est, certè Solium excelsum & elevatum super omnem creaturam ipsa est.* Hæc Guerric.

M. Thronus Salomonis.

M. Thronus Sapiẽtiæ ad iudicandũ; Tabernaculum ad pugnandum.

M. Cathedra fuit Christo ad docendum.

M. Soliũ excelsum & elevatũ super omnem creaturam.

115. Audite Doctorem Seraphicum D. Bonaventuram in spec. cap. 2. *Thronus*, inquit, *Salomonis est MARIA, grandis omninò in gratia, & gloria, propter quod benè B. Bernardus ait; quantum gratiæ MARIA in terris adepta est præ cæteris, tantum in cœlis obtinuit gloriæ singularis.*

116. Audite B. Petrum Cardinal. Dam. serm. 1. de Nativ. B. V. qui omnium præclarissimè arcana Throni illius toto illo sermone explanavit: *Salomon noster*, inquiens, *non solùm sapiens, sed Sapientia Patris, & non solùm Pacificus, & Pax nostra, qui fecit utraq; unum, fecit Thronum, Vterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo sedit illa Maiestas, quæ nutu concutit Orbem. Hanc Filij sessionem & probauit, & cognovit Pater, ipso dicente: Tu cognovisti sessionem meam.* Similia penè habet Hugo de Sancto Victore in Institutionibus Monasticis ser. 44. de B. V. præconijs.

Vterus B.V. Thronus ex ebore grandis cœlestis Salomonis.

117. Audite denique Hugonem Cardinalem qui illud Psal. 88. explicans: *Ædificabo in generatione, & generationem sedem tuam;* de sanctissima DEIpara hæc pronunciavit: *Ipsa est Sedes DEI, & Christi, quam ædificauit Dominus in generatione præsenti, per gratiam, & in generatione futura & æterna, per gloriam. Ipsa enim fuit Thronus veri Salomonis, id est Christi, qui in eâ, sicut in Throno à statura Divinitatis se demisit, ut sedens in ea carnem, & humanam naturam assumeret. Vnde dicitur Thronus meus in Columna nubis, id est in B. Virgine. Thronus iste præfiguratus est in lib. 3. Reg ubi dicitur: Fecit Rex Salomon Thronum ex ebore grandem. De ebore fuit per munditiem, grandis per humilitatem, Thronus per fœcunditatem, quia in se continuit, Mundoq; edidit Fructum benedictum, ac dulcissimum IESVM omnium Salvatorem. Grandis etiam fuit in ebore, id est, in constantia, quia in ea fuit extinctus fomes. Tectus deniq; fuit auro mundissimo Sapientiæ.* Imò Angelomus, ebur etiam, ait, Virginis nostræ denotare Sapientiam, cùm os sit Elephantis, qui & castissimus, & sapientissimus inter omnia habetur animalia. Vnde elogium illud Virgineum exponens Cant. 4. *Collum tuum sicut Turris eburnea: Doctores*, inquit, *tui fortes sunt propter nitorem Sapientiæ.*

Ebur mũdiciem notat Fortitudinem, & Sapientiam.

118. In ebore tamen, plerique Doctores nitorem intelligunt Virginitatis plusquam Angelicæ. Quare Cardinalis Damianus jam memoratus jure merito cùm quæsisset admirabundus: *Quid est quod aurum, & argentum, & lapides pretiosi, & omnis deniq; pretiosioris materia prætermittitur gloria, sola eboris substantia capax est tanta compositionis, & fabricatur in ea, quod omnibus operibus præferatur?* Respondit, deditque causam. *Ebur enim, & mirabili candore relucet, & multa præeminet fortitudine, frigidiorisq; naturæ sortitur auspicium. Et quid candidiùs illâ Virginitate, quæ singularis aspectus sui gratia super cœlestem curiam allicit ad videndum? Quid fortiùs illâ fortitudine, per quam Domini fortitudo vasa diripuit fortioris? Quid frigidiùs illa substantia, quam obumbravit Virtus Altissimi, & ab æstu peccati defendit supervenientis Spiritus plenitudo.* Tandem auri, quo Solium hoc Virgineum erat convestitum, exponens mysteria: *Aurum*, inquit, *omnibus metallis pretiosius, intellige Divinitatem DEI, omni præeminentem Mundo, omnia gubernantem; hàc vestita est, imò, supervestita Mater Altissimi, totamq; Virginem tota illa indiuisibilis natura largiori gratia superfudit, &c.* Sic Dam.

Ebur denotat nitorẽ Virginitatis, & puritatis Angealicæ in Maria.

Aurum significat Divinitatem.

M. vestita, imò super vestita Divinitate.

119. Sed rursus ad Guerricum eboris indagantem mysteria redeamus: *Mihi sanè*, inquit ille, *magis mirari modò*

libet illud ebur tam pretiosum, imò & impretiabile Virginalis castimoniæ, de quo scilicet sibi sedem facere delegit, qui sedet super Cherubin: Hæc, inquiens, Requies mea in sæculum sæculi, hic sedebo, quoniam elegi eam. Quam nitidum ebur illud, quod oculis tanti, tamq; divitis Regis placuit, in cuius diebus argentum nullius erat pretij; quàm frigidum, quod nec à conceptu incaluit; quam solidum, quod nec partus violauit; quam candidum simul, ac rubicundum, quod candor lucis æternæ, ignisq; Spiritus Sancti universà sui plenitudine replevit.

M. indivisibilis Dei Natura largiori gratiâ superfudit.

M. candidior nive.

MARIA siquidem & ipsa candidior nive, rubicundior ebore antiquo; cui scilicet incomparabilem & Castitas candorem, & Charitas, seu Martyrium, rutilantem, præ antiquis electis noscitur contulisse ruborem. Nam & ipsius animam pertransiuit gladius, ut Mater summi Virginis, & Martyris esset, & Virgo ipsa, & Martyr candida, & rubicunda, quemadmodum & ipse Dilectus eius candidus, & rubicundus. Deniq; sicut Salomon in omnibus thesauris suis, & opibus tantis, nihil habuit tam pretiosum, quod in Opus illud, magnificum scilicet Thronum gloriæ suæ, iudicaret ebori præferendum: Sic Maria singularem, præ omnibus electis Angelorum, & hominum invenit gratiam, apud DEVM, ut videlicet Dei conciperet & pareret Filium, atq; ex ebore corporis eius Thronum sibi Virtus Altissimi sine manibus excideret gloriosum. Gloriosus prorsus ille Thronus, ac mirabilis, de quo Scriptura perhibet, quia non est factum tale Opus in universis Regnis; quod facilè testimonijs probaretur Angelorum, qui semper, & insatiabiliter in gloriam, & decorem Dominici Corporis prospicere concupiscunt. Quia enim in universis Regnis non est tale Opus factum, quicquid factum est, flectat ei genu in omnibus Regnis cœlestium, terrestrium, & infernorum. Quam beatus igitur ille Venter eburneus, unde Caro eburnea sumpta est Redemptoris, pretium animarum, miraculum Angelorum, Solium summæ Maiestatis, Thronusq; potestatis, cibus vitæ immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis.

M. rubicundior ebore antiquo ob Martyriũ.

Salomon in omnibus suis divitijs nihil habuit preciosiùs eburneo illo suo Throno.

In Maria sibi Virtus Altissimi Thronum excidit gloriosum sine manibus.

Humanitas Christi eburnea, precium animarũ miraculũ Angelorũ, Soliũ summæ Majestat.

Beatus igitur Venter, qui te, Domine IESV portavit, fœlix Castitas Vteri Virginalis, quæ huic operi materiam ministravit. Fœlix prorsus nitor illius eboris, id est, candor castitatis, cui nec aurum mundanæ Sapientiæ, nec argentum eloquentiæ, nec gemmam alicuius excellentis gratiæ nostri præfert electio Salomonis. Hæc Guerricus de sapientissimæ Virginis nostræ purissimâ carne, ac corpore, ex quo cœlestis Salomon sibi Thronum ad cœlestem in Mundo Sapientiam, salutisq; scientiam docendam, arte prorsus Divinissimâ construxit. Quare jure merito sacer textus concludens: *Non est factum tale Opus in universis Regnis: Nihil veriùs,* intulit Cardinalis Damian., *nihil sublimiùs, nihil dulciùs miseræ mortalitati, & mortali miseriæ. Nam etsi multa magna facta sunt in creaturis Mundi, nihil tamen tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum DEI, ut est Virgo DEI Genitrix, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur.*

Laus Vteri Virginalis.

Nil tam excellens, tam magnificum fecerunt digiti Dei, ut est V. Dei Genitrix.

120. Quid tandem de illis sex gradibus Throni hujus admirabilis dicemus? Eucherius illis omnem creaturam tam visibilem, quàm invisibilem, sex illis diebus in primis Mundi incunabulis conditam, ait significari, quæ Christo Regi, ejusque benedictæ, ac sapientissimæ Matri cœlorum Reginæ subdita, illiusque eminentissimæ cedens, herbamq; porrigens Sapientiæ, designatur.

Omnis creatura, sex diebus condita cedit B.V. excellẽtię

121. Quid de duabus illis manibus hinc & inde tenentibus sedile dicam? Has Hugo Cardinalis ait, *brachiola Pueri IESV Virginem Matrem amplexantis, inq; eius castissimo Sinu delicianti, denotare.*

122. Quid de illis quatuordecim Leunculis aureis, quos idem Cardinalis septem Virtutes Deiparæ primarias, septem item Spiritus Sancti dona, quibus formidabilis, ac terribilis, ut castrorum acies ordinata Tartareis illis Leonibus evadebat significare, asseveravit?

Quid Leunculi Throni Salomonis significent?

123. Quid de duobus illis Leonibus aureis stantibus juxta manûs singulas? Hos sicut Cardinalis Damianus Angelum Gabriëlem, & Ioannem Evangelistam adumbrasse censuit; sic nos naturam Angelicam, atque humanam auro Divinæ Sapientiæ, ex Virgineæ lucis communicatione coruscantem; reliquos verò duodecim Leunculos aureos, uti ex sententia Doctissimi Abulensis Episcopi, duodecim Tribus Israël, quibus Thronus ille imperitabat, ita ex aliorum, uti Eucherij, ac Damiani interpretatione, duodecim Apostolos adumbrasse arbitramur. Qui omnes ideò Throno huic astitisse memorantur, ut sapientissimæ hujus Virginis, clarissimo Sapientiæ Divinæ lumine irradiati secreta cœli Mysteria penetrarent, alijsque annunciarent.

Leones duo aurei juxta manûs notant Angelum Gabriëlem & Ioannem Evangelistam.

Item Naturam humanam, & Angelicã.

124. Vnde Dilectus Domini Discipulus Ioannes Apoc. 4. ait quatuor illa mystica Animalia à Propheta quoque Ezechiele capite 1. memorata, totidem-

A Maria Evangelistæ Sapiẽtiam didicerunt.

dem Evangelistas significantiâ, in circuitu Throni Agni illius Immaculati constitisse, ut de lumine illo cœlesti Sapientiæ, quod de Throno, sacratissimam Virginem adumbrante, emicabat, participarent, in illudque quodammodo transformarentur. Et ideò *in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante, & retro* fuisse memorantur. Verissimè enim S. Macharius Ægyptius, sancta illa Ezechielis animalia mysticè interpretans; Animam Divinæ Sapientiæ lumine collustratam in Thronum, & Sedem Dei transformari, nec non totam lumen, totam oculum, totam faciem quandam pulcherrimam evadere, asseruit. Sed ipsa verba hujus sancti Viri audiamus Hom. 1. *Hoc quod in excessu mentis Propheta vidit, verum erat, & certum; cæterum etiam aliud mysticum, & Divinum subindicabatur, nempè Mysterium quod à sæculis absconditum est, postremis autem temporibus in aduentu Christi manifestatum. Nam Mysterium contemplabatur Anima, quæ DEVM suum erat susceptura, illiq; Thronus gloriæ evasura. Anima enim, quæ digna facta est, ut participaret Spiritui in lumine illius, & illustraretur à decore inennarrabili gloriæ eius, cùm præparaverit eam sibi in Sedem, & Domicilium, tota lumen evadit, tota facies, & tota oculus, neq; superest ulla pars ipsius, quæ spiritualibus oculis lucis nō sit plena. Hoc est, nihil habet tenebrosum, sed tota prorsus fit lumen, & Spiritus, tota plena oculis, nullam habens partem à tergo, siue posteriorem, sed undiq; faciem præseferens, ineffabili pulchritudine gloriæ luminis Christi veniente ad illam, & in ea residente.*

Thronus Agni est B.V.

Anima per Sapiẽtiæ lumen fit Christo Thronus gloriæ.

Anima Sedes facta Christi, tota oculus evadit.

Et quemadmodum Sol sui planè similis est, nullam habens partem posteriorem, aut inferiorem, sed totus penitus lumine splendet, & totus lumen est, & partium similium: Aut quemadmodum in igne lumen ipsius ignis totum sibi simile est, nihil habens in se primum, aut postremum, maius, aut minus: sic & anima, quæ plenè illustrata est ab ineffabili pulchritudine gloriæ vultus Christi, & Spiritus sancti perfectè particeps facta, ac digna, quæ fieret domicilium, Thronus Dei, tota oculus, tota lumen, tota facies, tota gloria, & tota spiritus evadit, nempè sic eam adornante Christo, gestante, agente, baiulante, & deducente, atq; in hunc modum illam instituens, spiritualiq; decore adornante.

Anima à Christo possessa Sol quidã tota efficitur.

Ex quibus facilè colligere licet non solùm Deiparam, ob intimam illam unionem cum Filio, verùm etiam Apostolos ipsos, eò quod huic Virgineo Divinæ Sapientiæ Throno, maximè post triumphalem Christi in cœlum ascensum astiterint, adeò de ipsius Sapientiæ cœlestis lumine participasse, ut ad instar Sacrorum Ezechielis, nec non Ioannis Animalium, toti lumen quoddam, toti Soles, toti oculi limpidissimi, ad Divina secreta pervestiganda viderentur.

Apostoli luce Sapientiæ B.V. illuminati toti Soles, ac oculi facti.

125. Hoc autem Divinum Sapientiæ lumen quantum, quamque copiosum in Deipara extiterit, vel inde nobis manifestum evadit, quod Doctissimus Pater noster Franciscus Suarez Tomo 2. in 3. P. Disp. 19. sect. 1. doceat ab ipso principio Sanctificationis in utero, Deiparam lumine fidei supernaturali, ad explicitè Mysterium SS. Triados & cognoscendum & credendum collustratam.

M. adhuc in utero Matris ab initio Sanctificationis agnovit explicitè SS. Trinitatẽ, & Incarnationem

Ejusdem luminis supernaturalis beneficio cognovisse Mysterium Incarnationis Filij Dei, quoad substantiam, credendo firmissimè secundam Sacrosanctæ Trinitatis Personam Humanitatẽ nostrã sibi hypostaticâ unione associaturam.

Idem Doctor sect. 3. docet, infusam fuisse Dei paræ Sapientiam Theologicam, quâ magis distinctè Mysteria fidei cognovit, eorundemque veritatem penetravit. Ex his omnibus tandem infert Beatissimam Virginem in hac rerum Divinarum scientia tantos, tamque mirificos, totius vitæ suæ decursu progressûs fecisse, ut absque ulla dubitatione, Apostolos omnes, Theologos omnes quotquot unquam in Ecclesia Dei floruerunt, longè post se reliquerit. Hinc S. Anselmus lib. de Excell. Virgin. cap. 7. docens B. Virginis præsentiam post Filij in cœlos ascensum Ecclesiæ perutilem fuisse, præclarè dixit: *Erat præterea, utilis & necessaria fidei nostræ conversatio sua post Ascensionem Domini inter Apostolos eius. Quia licet ipsi per revelationem Spiritus sancti edocti fuerint in omnem veritatem, incomparabiliter tamen eminentiùs, atq; manifestiùs ipsa, per eum Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc tam multa eis per hanc revelabantur, quæ in se non solùm simplici scientiâ, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysterijs eiusdem Domini nostri IESV Christi.*

M. infusa fuit Sapiẽtia Theologica.

M. omnibus Apostolis, ac Theologis sapiẽtior.

M. præsẽtia Ecclesiæ post Ascensionẽ Christi ad cœlos utilis & necessaria

Apostoli per B. V. edocti in omnem veritatẽ, ipsius Sapientiâ.

126. Hinc Angelus serm. illo suavissimo dictato B. Brigittæ cap. 19. Diuam Virginem confert cum Regina Saba, quæ à finibus terræ venerat ad audiendam Sapientiam profundissimam figurati Salomonis, quâ in humani generis redemptione, crucẽ, mortemq; acerbissimam per-

M. multa fidei Mysteria ipso experimẽto didicerat.

perpetiendo, vti dignatus est. In cuius Sapientiæ consideratione vti Regina illa, spiritum ampliùs non habebat, sic Virgo sanctissima, doloris oppressa angustijs in morte Filij, penè expirauit. *Huic Regina*, inquit Angelus, *excellentissima Regina V. MARIA conuenienter similatur, cuius animus totius Mundi ordinem, & processum, ab eius exordio, usq; ad eius finem sagaciter perlustrans, & universa, quæ in eo erant diligenter prospiciens, nihil in eo reperit, quod possidere, vel audire desideraret, nisi solum modo illam Sapientiam, quam de DEO audiverat. Illam itaq; omni aviditate, quæsivit, illam solicitè vestigavit, donec ipsam Sapientiam, scilicet Christum DEI Filium, qui incomparabiliter, Salomone sapientior est, sapienter invenit. Videns autem quam sapienter ille per corporis sui passionem, in Cruce revicit animas, eisq; cæli portas aperuit, tunc ipsa Virgo propinquior morti stabat, quàm Regina Austri, quando videbatur spiritum non habere. Christi deinde DEI, ac Filij sui passione consummata, tunc ipsa Virgo, resumptis viribus, donis ipsi DEO gratissimis ipsum glorificabat, nam plures animas suâ salutari doctrinâ ipsi DEO præsentabat, quàm aliqua alia persona post Christi mortem universis suis operibus.* Pergit indè, describitque Angelus, calamo planè cœlesti innumera beneficia DEI Ecclesiæ à DEipara communicata, erudiendo Apostolos, aliosq; Christi fideles præcipuis sacrosanctæ fidei nostræ mysterijs, &c. *Ascendente*, inquit Angelus, *suo benedicto Filio ad suum Regnum gloriosum, Virgo MARIA in hoc mundo ad bonorum confortationem, & errantium correctionem remanere permissa est. Erat enim Magistra Apostolorum, confortatrix Martyrum, doctrix Confessorum, clarissimum speculum Virginum, consolatrix Viduarum, in conjugio viventium saluberrima monitrix, atq; omnium in fide Catholica perfectissima roboratrix. Apostolis namq; ad se venientibus, omnia quæ de filio suo perfectè non noverant, revelabat, & rationabiliter declarabat. Confessores dogmata salutis edocebat, qui ex eius doctrina & exemplo perfectissimè didicerunt diurna, & nocturna tempora prudenter ad DEI gloriam, & laudem ordinare, somnumq; ac cibum, & labores corporis spiritualiter, & rationabiliter temporare, &c.*

M. similis Reginæ Sabæ.

B. V. assistens Cruci Filij vix spiritũ habebat præ dolore.

M. post Christi in cœlos ascensum Doctrix Apostolorum, & totius Ecclesiæ Consolatrix.

127. Hinc gloriosus Martyr Ignatius Epist. 1. Sapientissimam Virginem, nostræ religionis Magistram, & sapientissimus Idiota in Contempl. B. V. c. 3. Magistram Apostolorum; collo pulcherrimæ Columbæ (per quod cibus reliquis corporis membris distribuitur) eam comparando, indigitauit: *Species Columbæ*, inquit, *consistit in simplicitate, & pulchritudine oculorum, colorum mutatione, & varietate circa collum: Sic tua species ò B. V. M. consistit in humilitate, pulchritudine sanctarum cogitationum, & doctrinæ varietate, quæ in collo intelligitur, quia Doctrix fuisti Doctorum, & Magistra Apostolorum: Vnde & B. Lucas, cui inter cæteros Evangelistas descriptio Divinæ Incarnationis attribuitur, Evangelij seriem à te didicisse traditur.* Hæc Idiota.

M. Religionis Catholicæ Magistra.

M. similis collo Columbæ.

M. Doctrix Doctorum.

Maria S. Lucæ Evangelij seriẽ tradidit.

Audite Ioannem Gersonem Cancellarium Parisiensem Tract. 2. in Magnif: idem prorsus asserentem. Cùm enim quæsijsset cur Christus bonum latronem in Paradisum assumpserit, dilectissimâ suâ Parente in Mundo relictâ, non aliam assignat causam hujuscé in terris moræ, quàm Apostolorum, totiusque Ecclesiæ in rebus fidei eruditionem. *Quid sibi vult Sponsus iste*, inquit ille, *quod unam suam unicè dilectam Matrem distulit introducere secum in cubiculum fœlicitatis æternæ, quando Latronem de Cruce protinus in hoc cubiculo collocauit, audiente Matre, & inconsolabiliter anxiante; pertransierat enim gladius animam eius; Hodie mecum eris in Paradiso: O mitissime IESV, & ubi erat Mater tua, nisi in dolore continuo remanens in hoc nequam sæculo? O verè terribilis in Consilijs DEVS super filios hominum! O certè verissimum quod erunt novissimi primi! Quis hoc æstimasset, quis credidisset, quis sperasset? Assumitur ad gloria cubiculum Latronis anima; & anima Matris relinquitur ad lamentum. Cui & longo tempore post patet ingressus ad idem Sponsi cubiculum, potuit invidiam illi facere glorificatus ipse Latro, si non fecisset eam charitas unum cor, & unam animam cum illo. Suasit eadem charitas quærens quæ DEI sunt habere vitam in patientia, propter electos DEI per se, & ex se docendos de Mysterijs nostræ fidei.* Tum ad S. Lucam de Incarnationis arcanis singulariter à Virgine eruditum conversus: *Quis te docuit, ò Luca Medice charissime, primas Evangelij tui partes, nisi sola talium conscia Virgo illa prudentissima, cui te familiarem conciliârat castitas, quia nec uxorem, nec prolem habuisse narraris? Per te Præcursoris Annunciatio, Conceptio, Exultatio, Nativitas, Circumcisio, cum nominis impositione nobis patent. Per te Canticum Zachariæ. Per te totius Incarnationis Christi Mysteria nobis tradita sunt. Per te Cantica Canticorum MARIÆ, & illud Simeonis, Puerîq; IESV inventio fœlix descr-*

Cur Christus bonũ Latronem assumpsit secũ in Paradisũ, & Matrem reliquit in Mundo?

M. relicta in terris ad consolationem Ecclesiæ.

S. Lucas familiaris B. V. quia castè absque uxore liberisque vixit.

describuntur. Et quo alio, nisi Maria revelante? Hæc Gerson.

128. Audite & alium hujus veritatis luculentissimum testem Eusebium Emissenum serm. 2. de Nativitate Domini: *O Mater sapientissima, ò sola talis Filij dignissima, quæ omnia verba hæc in corde suo ideò conferebat, nobisq; conservabat, & memoriæ commendabat, ut postea ipsâ docente, ipsâ narrante & nunciante scriberentur, & in universo Mundo prædicarentur, cunctisq; nationibus nunciarentur. Ab ipsa hac Apostoli audierunt, & ipsâ dictante scripserunt, nobisq; legenda mandaverunt.* Et infrà: *Quædam Apostoli & Evangelistæ à Matre Domini audierunt, quemadmodum ista, & reliqua quæ de Salvatoris Infantia scripta sunt.* Audite Hieronymum, qui ser. de Assumptione. *Eximius*, inquit, *Apostolorum Chorus post Domini Ascensionem non deseruit eam, inter quos ipsa B. V. scilicet post Resurrectionem intrans & exiens familiariùs contulit de Incarnatione; tantò siquidem veriùs, quantò ab initio pleniùs per Spiritum sanctum cuncta didicerat, & perspexerat oculis universa. Licet & Apostoli per eundem Spiritum Sanctum omnia cognoverint, & in omnem edocti pervenerint veritatem.*

M. conservabat omnia verba Filij in corde suo, ut ea postea Apostolis enarraret.

Quid dicam de Richardo à S. Laurentio lib. 2. de Laudib. Virginis, qui eisdem Divam Virginem penè celebravit elogijs: *Maria*, inquiens, *Apostolorum Magistra facta est, qui nostri Magistri postea facti sunt, & ascendente Domino docuit novum Testamentum, quod ad docendum nos ijdem Apostoli conscripserunt.*

M. novum Testamentũ docuit Apostolos

129. Quid dicam de Ruperto Abbate qui lib. 5. in Cant. expendens curiosam illam & sanctam Animarum sanctarum ex B. V. de Verbi Incarnati qualitatibus, interrogationem: *Qualis est Dilectus tuus ex Dilecto, ò pulcherrima Mulierum? Opportuna*, inquit, *percunctatio si respiciamus ad illa tempora, quando tu Dilecta propter Evangelium Dilecti præsens aderas, & in corpore detinebaris Magistra necessaria, & testis valdè idonea contra Iudæos blasphemantes, & hæreticos Christianam veritatem corrumpere laborantes. Pulsandum igitur erat ad ostium veritatis, & consulendum Oraculum Spiritus sancti, scilicet Sacrarium pectoris tui, ut vivâ voce omnem necessariò tenendam demonstrares Regulam fidei, cum testamento scripturarum, quas memoriâ tenebas, Prophetissa Magna, & capax omnium Prophetiarum.*

Apostolũ interrogatio ex B. V. qualis sit Dilectus ejus Filius.

Sacrariũ pectoris B.V. fuit Oraculũ Spiritus S.

M. Prophetissa magna, omnium Prophetiarum capax.

Idem Doctissimus Abbas lib. 2. in Matth. docet DEIparam optimè novisse tempus tacendi, & tempus loquendi juxta sapientissimum Salomonis consilium. Et tempus quidem tacendi observasse, dum Filius in hac mortali vita degeret. Tunc enim observabat omnia verba conferens in corde suo, & fuisse tunc Hortum conclusum, Fontemque signatum. At verò ubi idem Filius à mortuis redivivus cœlos ascendit, fuisse illi tunc tempus loquendi, ejusque verba fructuosissima verè extitisse *Emissiones, & Paradisum malorum Punicorum cum pomorum fructibus; Hoc ipsum congruè dicat*, ait Rupertus, *Persona DEI Patris dilecta sibi B. Mariæ: Emissiones tuæ Paradisus malorum Punicorum, cum pomorum fructibus. Favus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua. Quamdiu Filium hominis decuit manere minoratum paulò minus ab Angelis, ferè tam diu fuit B. V. tempus tacendi, & tam diu tacuit, tam diu in silentio fuit, velut Hortus conclusus, Fons signatus, quo accedere, cuius secretum audire nullus meretur nisi cognitus. Vbi autem gloriâ & honore coronatus est Filius hominis, resurgendo, & in cœlos ascendendo, ubi sedet ad dexteram Patris, ex tunc eidem B. V. fuit tempus loquendi, & hoc amicis, id est, sanctis Apostolis, & talia loquendi, qualia priùs portare non potuissent. Primus quidem, & Princeps spiritus ille veritatis illos omnem docuit veritatem. Sed & ipsa B. V. testimonium suæ vocis adhibuit, & talia locuta est auribus fidelibus, ut proinde rectè dicat dilectus eius DEVS: Favus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua; Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano, &c.* Quid dicam de Richardo de Sancto Victore lib. 2. de Emman. p. 2. qui ab hac Virgine sapientissima adeò edoctos fuisse Apostolos ait, ut ipsâ quasi dictante novum Testamentum conscripserint: *Maria*, inquit, *Apostolorum Magistra facta est, qui nostri postea Magistri facti sunt, & ascendente Domino Apostolos novum Testamentum docuit, quod ad docendum nos ijdem Apostoli conscripserunt.*

M. habuit tempus tacendi, dum Filius morabatur in terris: habuit tempus loquendi post ejus Ascensionem in cœlum erudiendo fideles.

M. per silentium Hortus conclusus

M. labia docentia Apostolos favus distillans.

M. Apostolos docuit novũ Testamẽtum.

130. Quid dicam de Dionysio Carthusiano qui in 1. D. 16. q. 2. hæc in laudem sapientissimæ Virginis literis consignata reliquit: *Ipsa Divinissima Virgo non solùm habuit Sapientiam & Scientiam, prout sunt dona gratiæ gratis datæ, secundùm habitum, sed etiam secundùm actum earum, ipsasq; docuit multas vtriusq; sexus personas per verba & scripta, id est, Epistolas, sicut & S. Ignatium, imò & B. Lucam Evangelistam de multis secretis & Incarnationis Mysterijs, quæ ipse*

M. docuit per Epistolas S. Ignatium, & B. Lucam Evangelistam.

M. docuit Collegiũ quoddã 120. Virginum.

ipse præ cæteris descripsit Evangelistis, creditur instruxisse. Quotidie quoq; seu tempore opportuno edocuit felicissimum illud Collegium 120. Virginum eius obsequio atq; regimini deputatarum.

131. Hujus tam sublimis Sapientiæ DEI Parentis probè conscij SS. Patres eandem clarissimis præconijs celebrârunt. S. Bern. ser. 4. super Missus; Illuminatricem Evangelistarum; S. Ildephonsus Ser. 2. de Assumpt. Evangelistam & Prophetidem. S. August. ser. 6. de Temp. Sponsam Christi,& Magistram gentium. S. Ambrosius lib. 1. de Instit. Virg. c. 7. Aulam cœlestium Sacramentorum nuncupavit, ac proinde nemini mirum videri debere, si præcæteris Euãgelistis arcana DEI penetraverit Dilectus Discipulus Ioannes: *Mirum non est*, inquit S. Doctor, *præ cæteris locutum fuisse mysteria, cùm ei præsto esset Aula cœlestium Sacramentorum.*

M. Illuminatrix Evangelistarum.

M. Evangelista, & Prophetis

M. Magistra gentium.

M. Aula cœlestium Sacramentorum.

Hinc pijssimus ille Abbas Guerricus ser. 4. de Assumpt. Filij amorem in Matrem Virginem describens, inter cætera argumenta ponit Ioannem, quem non modò ideò ipsi commendavit, quia erat Virgo, sibiq; dilectissimus, verum etiam quia scripturus Euangelium, sapientissimæ Virginis indigebat Magisterio. *Cùm dilexisset eam IESVS*, inquit ille, *in finem dilexit eam, vt non solùm propter ipsam finem vivendi, verum & in ipsam finem pene faceret loquendi; dum velut inter vltima verba testamenti curam Matris, cujus debitorem se cognoscebat, charissimo transcribit hæredi. Huic planè competebat hæc portio non solùm jure propinquitatis, sed etiam amoris privilegio, testimonioq; pudoris. Decebat namq; vt nonnisi Virgo Virgini deserviret, quatenus & Virgo beata Divino languens præ amore, floribus fulciretur castitatis, & virginitas adolescentis id interim perciperet remunerationis, vt de contubernio tantæ proficeret sanctitatis, qui etiam quia fidelis probatus est in obsequio incorruptæ Matris, mysteria quoq; Divinitatis, & arcana Verbi incorruptibilis sibi credi promeruit. Decebat*, inquam, *vt Matri Domini non alius obsequeretur, quàm Dilectus Filij, quatenus & Mater semper suspirans Filium, in Dilectum Filij suavius respiraret. Et Discipulus Magistrum sibi conquerens nimis citò subtractum, Magistram totius veritatis se reperisse gauderet. Idq; satis commodè provisum, vt scripturus Evangelium familiariùs de singulis conferret cum ea, quæ conscia erat omnium. Quippe quæ ab initio omnia Filij sui diligentiùs observaverat, conservans omnia verba quæ de illo erant conferens in corde suo.* Hactenus Guerr.

CurChristus Matri Ioannem cõmendaverit?

M. commendata Ioanni sub finem vitæ tanquam opulenta hæreditas

M. languẽs præ amore Divino, floribus castitatis Ioannis fulciebatur.

M. in Ioanne suspirans Filiũ, respirabat

M. Magistra totius veritatis.

B. Ioañes scripturus Evangeliũ familiariter cõtulit cum M.

132. Hæc rerum cœlestium Divinarumq; scientiâ à Virgine participata Ioannem extra humanæ Naturæ limites quasi eduxit, supra se elevavit, & in DEVM quodammodò transformavit. Vnde Origenes: *Non erat Ioannes homo, sed plusquam homo, quando & seipsum & omnia quæ sunt, superavit.*

Ioannes super se & super omnes homines elevatus.

Non solùm Evangelista Ioannes ex consortio Sapientissimæ Virginis, tanto, tamque excellenti Sapientiæ lumine, rerumque Divinarum refulsit scientiâ, verùm etiam ipse Domini Præcursor Ioannes, adhuc Materno conclusus vtero, ob illam benevolentissimæ hujus Virginis visitationem, quando intravit domum Parentis ejus Zachariæ, & visitavit Elisabeth, & cum illa mansit quasi mensibus tribus, vt ait Luc. 2. Quantis autem illum Virgo beata, fœlicissimâ hâc sui præsentiâ insigniêrit gratijs, inter quas fuerit absque dubio præcipua donum Sapientiæ Cardinalis Petrus Damiani ser. 23. verbis illis significatione plenissimis satis, superque declaravit, dum ait: *Tanto tempore manet cum Elisabeth Virginalis integritas, & nunc dulciore colloquio, nunc amplexu feliciore Ioannem Puerum consecrat, & insignit.*

Ioannem Bapt. M. Sapiẽtiâ, reliquisq; gratijs insignit.

133. Tantâ, tamque eximiâ Deipara Virgo Divinæ hujus sapientiæ luce, dum adhuc inter mortales degeret, resplenduit, vt mellifluus Doctor S. Bernardus ser. 1. super Salve Regina, *ipsam scientiarum sanctarum Scientiam* Sanctam MARIAM indigitaverit.

M. est ipsa scientiarũ sanctarum Scientia.

Hoc Divinæ Sapientiæ collustrata splendore, vt S. Vincentij Ferrerij ser. 1. de Nativ. Domini, verbis utar, *B. Virgo MARIA meliùs sciebat Bibliam quàm Propheta.* Longè enim meliùs, quàm illi, profundissima penetrabat arcana, sensúsque spirituales, vtpote, quæ oculos mentis excellentissimâ Spiritus Sancti luce irradiatos habuerit. Vnde oculos Sponsæ ideò Columbis comparatos à Sponso asserit Origenes Hom. 3. in Cant. *Quia Divinas Scripturas non jam secundùm literam, sed secundùm spiritum intelligat, in eisq; spiritualia perspiciat mysteria. Columba enim indicium est Spiritus sancti. Spirituali ergo sensu legem, & Prophetas intelligere, hoc est Columbæ oculos habere.* Sic ille.

M. meliùs callebat Biblia quàm Prophetæ.

M. Columbæ oculos habebat, quia scripturas spirituali sensu intelligebat

Hanc rerum Divinarum tam eminentem cognitionem in Virgine admirans Richar-

Richardus à S. Laur. lib. 9. de Laud. V. eandem *Armarium Scripturarum, quæ profunda sunt & obscura, sicut aqua putei, quia tenebrosa aqua in nubibus aëris, iuxta Psalmistam, id est, obscura scientia in Prophetis, cuius notitia plenè fuit in MARIA.* Eandem Virginis sacrarum literarum suspiciens peritiam Rupertus Abbas lib. 3. in Cant. Secretarium quoddam Divinarum Scripturarum appellare non dubitavit: *Tu fons hortorum,* inquiens, *puteus aquarum viventium. Fons, inquam, hortorum, id est Mater Ecclesiarum, puteus aquarum viventium, id est, Secretarium omnium scripturarum sanctarum, quæ videlicet aquæ viventes fluunt impetu, de Libano, hoc est, sanctæ omnes scripturæ Canonicæ manaverunt, de populo Iudaico, cuius nobilitas per Libanum solet mysticè designari.* Paucis verò interjectis, eandem Virginem alloquens, ait: *Tu aquarum viventium puteus, id est, scripturarum sanctarum Sacrarium Soror mea Sponsa tu es.*

M. Armarium Divinarum Scripturarum.

M. Secretaria sacrarum Scripturarum.

M. Sacrariū sanctarum Scripturarum.

134. Hinc Ioannes Gerson Cancelarius Parisiensis Tract. 2. super Magnif. DEIPARAM Divinitus illuminatam Canticum Canticorum, ejusque Mysteria penetrasse asseveravit. Cùm enim Discipulus quæsijsset: si Cantica Salomonis cecinerit aliquando B. V. dum sæpiùs voluebat animo Canticum proprium proferens illud in corde suo. An in exultatione spiritus sui eructaverit cor ejus verbum bonum, dicens: *Osculetur me osculo oris sui?* Respondit: *ita prorsus existimo. Nimirum plenissimè docta erat ab infantia in lege Domini & Prophetis, & Psalmis de Christo scriptis. Inter quæ Salomon in exultatione spiritus edidit Cantica Canticorum tanquam Epithalamium Sponsi, & Sponsæ mutuò fœderatorum per amorem; quam MARIA coniunctionem modo sentiebat uberiùs impletam, dum in ea Verbum caro factum est, DEVS homo, qui teste Ioanne, Sponsus est, habens Sponsam, ad cuius præsentiam & vocem ipse Ioannes amicus Sponsi gavisus est & exultavit adhuc ex utero.* Idem paulò post ait, Epithalamium hoc Salomonis convenire B. MARIÆ privilegio singulari, cujus in desponsatione nulla fuit par anima, quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem, ad quam anagogiâ traduceret Cantica Canticorum. Concludit denique nil dubitandum, quin creberrima, libentique jucunditate cantaverit ista dum viveret; vtpotè quæ perfectissimè omnia illorum arcana comprehendebat.

M. aliquando Cantica Canticorum cecinit.

M. ab Infantia docta erat in lege Domini & Prophetis

Epithalamium Salomonis convenit M. privilegio singulari.

135. Quare minimè mirum nobis modo videri debet, cùm vel à Leone sapientissimo simul atque devotissimo hujus almæ Matris, Imperatore, Virginem hanc ita salutatam audimus, Homil. 6. *Ave elegantissimum scripturæ Divini Verbi Volumen.* Vel cum S. Proclum orat. 6. eandem Sapientissimam Virginem; *Novum Novi Testamenti Volumen,* appellantem legimus; *per quam,* ait, *extemplo dæmonum vastatum est Imperium.* Licet enim ipsa Incarnata Sapientia Christus Dominus, Novi Testamenti Auctor dicatur ab Apostolo, & sit Volumen illud, quo cibatus fuit Ezechiel c. 3. & Liber ille, quem vidit Ioannes Apoc. 5. scriptus intus, & foris; licet ipse Satanam de hoc mundo eliminaverit: *Nunc judicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras,* & expoliando Principatus & Potestates, eas traduxerit confidenter palam triumphans in semetipso: nihilominus tamen jure meritissimo novum novi Testamenti Volumen vocitatur etiam DEIPARA; non solùm quia ob eminentissimam illam, quâ pollebat Sapientiam, quicquid novi Testamenti Volumine involutum quodammodo delitescit, velut quædam animata Arca mente sagacissimâ comprehendebat; verùm etiam quia velut novum Testamentum continendo, & cõferendo gratiam, expellit peccatum: sic Virgo sapientissima, illâ gratiâ plena, quæ formaliter, ut Theologorum more loquar, opponitur peccato, non modò Satanæ, verùm etiam ipsius peccati Imperium post Christum, ac si ipsissima, hæc Virgo sacratissima, extitisset Gratia, destruxit, atque pessundedit.

M. elegantissimum Divini Verbi Volumen.

M. novi Testaméti Volumen.

Christus est Volumen illud quo cibatus est Ezechiel.

M. tanquã Dei Gratia expellit peccatum.

136. Non mirabimur etiam quando à S. Germano Archiepiscopo Constantinop. ser. de Nativ. Domini, Sapientissimam hanc Virginem, tã antiqui quàm novi Testamenti Sigillum, salutatam audierimus: *Salve,* inquiens, *Legis atq; Gratiæ Mediatrix, veteris, noviq; Testamenti Sigillum, totius Prophetiæ clarissimum supplementum, summa Divinitus inspiratæ Veritas scripturæ, quæ DEI, ac Verbi spirans, ac purissima pars, in qua sine voce, & scriptura ipse inscriptus DEVS, & Verbum per diem legitur.*

M. antiqui & novi Testaméti Sigillum.

137. Neq; insuper S. mirabimur Epiphanium, qui lib. de B. V. laudibus eandem *Librum incomprehensum;* quod Verbum illud cuicunq; creatæ menti, etiam Angelicæ incomprehensibile, Humanitati nostræ hypostaticè copulatum, quo-

M. Liber incomprehensus, q. Verbũ Divinum cõprehendit

dammodo comprehenderit, vteroq; gestaverit, appellavit: *Tu Virgo*, inquiens, *liberes incomprehensus, qua Verbum, & Filium Patris mundo legendum exhibuisti.* Ad hunc fortasse S. Epiphanij locum alludens S. Damasc. orat. 2. de Dormit. Deip. Virginem hanc, grandi illo Isaiæ libro c. 8. designatam putavit: *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe, cito prædare.* Quare mundo, nobisq; mœstissimum ejus ex hac vita discessum deplorans, ac singultiens, cumq; ejus sepulchro loquens, exclamavit: *Vbi novus Liber, in quo inenarrabili modo DEVS Verbum citra omnem manus operam inscriptus est?*

M. Liber grandis.

M. Liber novus, in quo Deus Verbum sine ullius manûs opera inscriptum est.

138. Idem Damascenus orat. 1. de Nativ. V. Virgunculam hanc Natam velut librum, sapientiâ Divinâ plenissimum Mundo ignorantiæ tenebris involuto donatam censuit. *Hodiernâ die*, inquiens, *is qui condidit omnia DEVS Verbum, quod Pater è pectore eructavit, Librum novum creavit DEI linguâ à spiritu tanquam calamo quodam in ipso conscribendum, qui quidem homini literarum perito datus est, nec tamen ab eo legitur. Neq; enim Ioseph MARIAM cognovit, neq; ipsius mysterij potentiam:* Hæc Damasc.

M. Liber novus, in quo Diviнū Verbū Spiritu S. velut calamo scriptum est.

Eandem rerum Divinarum in Virgine admiratus cognitionem B. Andreas Cretensis Hierosol. Antistes ser. 2. de Dormit. B. V. eam sic est allocutus: *Tu sola verè es novi Testamenti Volumen à Deo scriptum, quod DEVS ante fecit cum hominibus. Tu es Liber verè vivus ejus, qui in te tacitè fuit inscriptus Verbi Paterni, vivifico Spiritus Sancti calamo.*

M. Tabula in qua Divinū Verbum descriptū est

Audiamus & S. Catharinam Senensem, quæ Orat. 11. de Annunc. de æterna illa Sapientia Incarnata in vtero Virginis loquens: *O MARIA*, exclamat, *dulcissime Amor meus, in te descriptum est Verbum, à quo habemus doctrinam vitæ. Tu es Tabula, in qua descriptum est, & porrigis nobis illam doctrinam. Video ego Sapientiam in te, ipsum videlicet Vnigenitum DEI Verbum. Tu hodie o MARIA facta es liber, in quo est descripta Regula nostra. In te enim hodie descripta est Sapientia Patris æterni.*

M. Liber, in quo descripta est Sapientia Patris æterni, velut Regula nostra.

Ad eundem hunc Librum Virgineum idem Isaias c. 29. allusit, cùm dixit: Dabitur Liber Viro scienti literas, & dicet; Non possum, signatus est enim. Quæ verba S. Greg. Thaum. ser. 3. de Ann: considerans: *Et quis*, inquit, *est iste obsignatus Liber, nisi omninò Immaculata Virgo? A quibus dabitur? A Sacerdotibus. Cuinam Viro? Fabro Ioseph, qui dicet, non possum legere, quia obsignatus est, & rerum omnium Conditori pro domicilio custoditur.* Quibus verbis & profundissima Virginis sapientissimæ Sapientia, & ejusdem intemerata purissimaq; Virginitas declaratur.

M. Liber obsignatus.

139. Cùm igitur in hoc grandi Virgineo, & animato Libro Verbum æternum, Sapientia illa Increata, Filius Dei, in quo sunt omnes Thesauri Sapientiæ Dei absconditi, operâ Spiritus sancti descriptus sit, quânam quæso ratione fieri potest, ut non omnis Sapientia, omnis tam rerum humanarum quàm Divinarum Scientia, libro hoc insripta sit? quomodo non ipsa scientiarum sanctarum Scientia, cum Bernardo, quomodo non ipsissima Dei Sapientia, quandoquidem ejus imaginem, similitudinemq; tam ad vivum expressam Virgo Beata in sese repræsentat, vocitabitur? Bellè atque argutè simul totum hoc quod dicimus, syllogismo optimè formato Sanctus confirmavit Anselmus Homilia quâdam in illud Evangelij: *Intravit IESVS in quoddam Castellum: quid de DEO non sapiebat,* inquiens, *in qua Sapientia DEI latebat, in cuius vtero corpus sibi aptabat? Christus, ut ait Apostolus, DEI Virtus & DEI Sapientia est, & in eo sunt omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ DEI absconditi. Christus autem est in MARIA. Ergo DEI Virtus, & DEI Sapientia, & omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ in MARIA.*

B. V. mira de Deo sapiebat, in qua Dei Sapientia latebat.

140. Simili penè argumento ad ostendendam mirificam Virginis Sapientiam usus est Dionysius Richel. lib. 2 de Præcon. & dignitate Mariæ art. 10. vbi eam, ob lumen Divinæ Sapientiæ utero exceptum, mundi Illuminatricem vocitans, exclamat: O lampas splendidissima Divinitus illustrata, lucerna ardens, & lucens cœlitus accensa, Spiritus Sancti radijs penetrata Maria celeberrima, quæ inter Virginea tua viscera lumen superclarum gestabas, cujus splendore omnia intima tua instar Solis in seipsis rutilabant, luceq; mundissimâ intrinsecus venusta fuerunt. Quantum ò Domina mundo contulisti, dum lumen illud desideratum sedentibus in tenebris sæculi, atque in vmbra mortis suspirantis limbi produxisti. Ipse quippè ò supercœlestis Imperatrix Sol est Iustitiæ, Salus mundi, Fons Scientiæ, Sapientia est Patris. Per hunc, tuis semper, & vbique mediantibus precibus, ac meritis, Divinam

B. V. Lumē Divinū in se gestans tota illuminata.

nam, altissimamque Theoriam didicimus, mysticam quoque, ac supernaturalem Theosophiam suscepimus. Talem denique, tantamque ab ipso Sapientiam sortiti sumus, cui non est alia æqualis. Hæc tanta per te, & ex te, ò Regina, nos fatemur adeptos, dum eum nobis effudisti, qui est vapor virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei syncera. Sap. 7. Verumtamen quia impossibile est aliter nobis divinum radium resplendere, nisi varijs sensibilium obtectum velaminibus formarum, ex Maria habitum, formamq; Dei Vnigenitus induit, quâ applicari nobis connaturalius potuit. O Mater Illuminatoris, & illustrationis mentis meæ, ex qua Veritas, ac Lux æterna processit, illustra faciem tuam super servum tuum, tuique Filij syncerissimæ me semper inhærere dignissimis, maternisque tuis precibus impetra. Sic ille. Idem cap. 13. agnoscens in Virgine æternam Sapientiam habitasse, eandemque in se transformasse, sic Deiparam alloquitur: Invenisti, ò optima Maria, Sapientiam, & quia hanc amasti, & exquisivisti à juventute tua, factaque es amatrix formæ ipsius, amatrix vtique simplex & pura, ardens atque humillima, venit in te Fons vniversæ Sapientiæ Verbum Patris in altissimis, docuitque & penetravit te splendor ejus super omnem cœli, & syderum Solis & Lunæ, orbiumque cœlestium dispositionem, atque decorem, cuncta tuorum viscerum intima pulchrificans atque illustrans. Non sic Sol splendet in cœlo, vti Sapientia in animo tuo. Hæc Dionysius. Quibus sanè & copiosissimos æviternæ Sapientiæ in Virginem nostram influxus, & ejusdem in Divinam illam Sapientiam, mirificam quandam transformationem nobis ob oculos posuit.

M. intima Fons universæ Sapientiæ penetravit.

141. Hos cœlestis Sapientiæ in Dei Genitricem tam vberes agnoscens influxus, eamq; ab Increata Sapientia divinitus edoctam Rupertus Abb. li. 1. in Cant. Magistram Divinæ Legis, & Magistram magistrorum, id est, Apostolorum, vocare non dubitavit; cùm hæc Virgo Sapientissima sit ille Fons Hortorum, Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano cœlesti, Puteus, inquam, repletus aquæ illius copiâ, de qua Sapiens: *Aquâ Sapientiæ potavit illum.*

M. Magistra Divinæ Legis, & Magistra Magistrorum.

M. Puteus aquarum viventiũ, Fons hortorum.

142. Idem religiosissimus Abbas hanc Divinæ Sapientiæ aquam in hanc Virginẽ velut profundissimum humilitatis puteum non solm ab Increata Sapientia, ipsius dilectissimo Filio, verùm etiam ab ipso Spiritu Sancto (qui per os ejus religiosissimum loqui Apostolis consueverat) ipsi infusam, cumque Christi fidelibus, ac præsertim Apostolis communicatam intelligens, hæc subjunxit: *Vox tua, ò B. V. vox illis fuit Spiritus Sancti, quicquid supplementi opus erat, eisdem mortalibus, vel testimonij ad confirmandos singulorum sensus, quos acceperant, ab eodem Spiritu dividente singulis, prout vult, ex religioso ore tuo perceperunt, instructo ad loquendum, benè composito ad tacendum, prout tempus erat opportunum.* Idem Abbas eodem li. 1. in Cant. introducens Filium dilectissimæ Matris modestissimos, pulcherrimis laudibus efferentem oculos: *Oculi tui Columbarum*; asserit hoscé Virginis oculos esse Spiritus Sancti dona, quæ illius ore, oculisque emicare & spirare videbantur, erantque Filij oculis quam simillimi. Inter quæ dona, ac charismata agmen ducit: Spiritus Sapientiæ & intellectus. *Quinam sunt,* inquit ille, *oculi columbarum? nisi dona septem gratiarum, id est, septem spirituum super me requiescientium: septem namq; oculi, qui iuxta Zachariam in vno lapide sunt, septem sunt spiritus DEI, qui iuxta Isaiam super Florem requiescunt. Isti oculi mei, sunt oculi tui, oculi columbarum, oculi omnium gratiarum, vel spirituum, quorum tu effecta es particeps, ex quo me castis visceribus suscepisti, super quem requiescit, in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.*

M. vox, vox Spiritus S.

Apostoli ore Virginis edocti de secretis cœlestibus.

Dona Spiritus S. sicut & ipse Spiritus, oculis B. V. promicare videbatur.

143. Denique hic nostræ Sapientissimæ Virginis Abbas devotissimus tantam, tamque sublimem de eminentissima Deiparæ Sapientia, vti par erat, opinionem habuit, vt lib. 4. in Cantica Christianæ Religionis Magistram, qualem nunquam quispiam vidit, aut audivit, appellare non dubitaverit: *Tu Virtutum operatrix,* inquiens, *ac totius sacræ Magistra Religionis, qualem nunquam oculus vidit, qualis ab initio non fuit, nec est, nec erit, in cogitationibus tuis, in verbis, in factis tuis, in omni odore suavitatis, in flore & fructu honoris & honestatis.*

M. Magistra Christianæ Religionis.

M. Virtutum Operatrix.

144. Quis jam mirabitur cùm audit Sapientissimam Virginem Turrim, vel quasi Scholam omnium scientiarum, ac disciplinarum à Davide fabricatam nuncupari? siquidem verba illa Cant. 4. quæ secundùm vulgatam editionem sic legun-

M. Turris & Schola omnium Disciplinarum à Cœlesti Davide fabricata.

leguntur: *Sicut Turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis;* legit Pagninus: *quæ ædificata est ad docendum.* Ex Hebræo legunt alij, vt Rabbi Salomon, *quæ constructa est ad disciplinas seù doctrinas.* Versio Hispanica: *quæ ædificata est ad documenta.* Vatablus: *Quæ ædificata est ad usum dirigendi homines.* Alij demum; *quæ ædificata est ad suspendendum ora:* Omnes enim qui eam aliquando de Divinarum rerum arcanis disceptantem audiebant, profundissimam, admirabilemque ejus Sapientiam suspicientes, velut attoniti hianti ore ab ejusdem suaveloquenti ore, cui ipsa Suada insidere videbatur, suspensi hærere consueverant; adeò vt benè pronunciaverit S. Epiphanius apud Nicephorum lib. 2. Hist. c. 23. *In rebus eius omnibus multa Divinitus inerat gratia.*

DEI Filius Infans à Matre eruditus.

145. In hoc Disciplinarum, Scientiarumq; omnium tam humanarum, quàm Divinarum Gymnasio, non modò dilectus Discipulus Christi atque Virginis Ioannes, B. Lucas, B. Ignatius Martyr, ut suprà commemoravimus vnà cum alijs Evangelistis, Apostolis, cæterisque Salvatoris Discipulis, eruditi sunt, verùm etiam ipsa Increata DEI Sapientia quodammodò, si ita nobis loqui licet, dum adhuc infantilibus membris reclusa Nazarethi delitescebat, sub Magisterio & Disciplina MARIÆ V. erudiri videbatur, dum in Sapientia coram DEO, & hominibus, vt ait Evangelista, crescebat.

Audite hac de re D. Ildephonsum dignissimũ hujus sacratissimæ Imperatricis Capellanum, ab eadem Sacerdotalibus vestimentis decoratum; hic ser. 1. de Assumptione B. V. sic ait: *Qui cœlum, & terram adimplet, cui cœlum Thronus est, terra autem scabellum pedûm eius, qui palmo cœlos tenet, & appendit tribus digitis molem terræ, ac pugillo concludit, hunc Virgo Sancta pannis involuit, & in præsepio reclinavit. Qui cuncta pascit cœlestia & terrestria, regitq; simul, hunc sacratissima Virgo lacte carnis aluit, & nutrivit. Ad cuius nutum vniversi reguntur, sub eius disciplina, vel arbitrio Infans DEVS versatur,* quasi ab illa Scientiam Sapientiamque hausturus.

Filij DEI quem Virgo Mater erudivit, & sub sua Disciplina habuit, mira immensitas, acq potentia.

Hæc DEIparæ Disciplina, seù instructio Filij videtur quodammodo in Salomone adumbrata, qui à Matre Betsabee eruditus memoratur Prov. 31. ubi ipse de semetipso sic loquitur: *Verba Lamuelis Regis, Visio, quâ erudivit eum Mater sua.* Sic enim Pater Franciscus Mendoza noster B. V. alloquens in lib. 1. Regûm Annot. 11. *Tu illa Mater Salomonis, quæ Filium statu Regem, ætate Puerum, usu inexpertum, juvenili licentiâ innumeris periculis proximum non cessabat ad frugem, ad pietatem, ad Religionem informare.* Licet hæc omnia DEI Filio minimè conveniant; cùm æterni Patris fuerit Sapientia. Illud certè probabilissimum videtur, ab ipso velut humili Discipulo, & humilitatis omnis prototypo DEIparam studiosè auditam. Si enim hæc eadem increata Sapientia Doctores in Templo disputantes audire & interrogare dignata est, qui ejus respectu, totidem Simiæ videbantur, siquidem Sapiens DEO collatus Simia est, Platone teste; quomodo non Matrem Virginum omnium Sapientissimam? Præclarè sanè Seraphici Ordinis Doctor Didacus Stella, Sessionem illam in medio Doctorum expendens, ait: *In medio Doctorum sedebat, audiens illos & interrogans, quasi nunc discere cogatur, qui ipsum DEI Verbum & Sapientia erat.* In Comm. c. 2. Luc.

Salomon à Matre eruditus figura Pueri IESV à DEIpara instructi.

Homo sapiens respectu DEI Simia est.

146. Tantum, tamq; eximium hoc Sapientiæ cœlestis lumen effulsit in Virgine, ut subinde secretissimas aliquas Filij cogitationes penetrare videretur.

M. Filij cogitationes penetrabat.

Audite Eusebium Gallicanum serm. Dom. 1. post Epiph: *Filij sui cogitationes cognovisse ex eo intelligere possumus, quod ad nuptias vocata, hoc quod ille facere disponebat, ipsa vt faceret admonebat, dicens: Vinum non habent. Cui cùm ille responderet, quid mihi & tibi est Mulier? Nondum venit hora mea. Ipsa futura prænoscens, ait ministris: quodcunq; dixerit vobis, facite. Hoc enim illa non dixisset, si cogitationes ejus non cognovisset.* Idem insinuare visus est Apollinarius cap. 2. Catenæ in Ioanne: *Noverat,* inquiens, *Mater Dominum, sibi vt Filium morem gesturum.* Singularissimum sanè est hoc Privilegium DEIparæ Virgini soli dumtaxat concessum, cogitationes Filij DEI penetrare; ad quas nullus Angelicorum Spirituum quamvis supremæ illius Hierarchiæ potest attingere.

147. Ab hac sapientissima Virgine velut limpidissimo, & copiosissimo Fonte, virtutum, Scientiarum, bonorumque omnium in universum Orbem largissimi scatuririere rivuli, maximè posteaquàm Increata illa Sapientia in ejus purissimo utero, per Incarnationem sibi construxit Domicilium. Quare non immerito Magnus ille & admirabilis pronunciavit Thau-

À Mubehead cælestis Sapientiæ, velut à Fonte in Mundũ scaturiunt rivuli.

Thaumaturgus ser. 2. de Annunc: *Cunctorum nobis bonorum principium Annunciatio Mariæ gratiâ plenæ extitit; laudatissima Salvatoris Dispensatio, Divinaq; ejus, atq; altissima cœlestis Doctrina. Hinc nobis spiritualis lucis exoriuntur radij, hinc nobis Sapientiæ, & immortalitatis scaturiunt fontes, qui limpidos, ac puros rivos pietatis effundunt. Hinc nobis Divinæ cognitionis resplendent thesauri.*

Ex M. Divinæ cognitionis nobis resplendent Thesauri.

Hinc S. Bernard. Senens. Tom 4. ser. 13. a. 1. Gloriosam Virginem Signum esse magnæ intelligentiæ dixit. *Signum enim*, inquit ille, *ducit in signati cognitionem. Sic Virgo Maria super omnem aliam creaturam ducit in Sapientiam & intelligentiam Filij sui, & DEI. Hinc Isaia 89. Exaltabo ad populum meum signum meum; per signum utique meum, quod est gloriosa Virgo, altam intelligentiam dabo de me ipso, & de Filio meo dicit Dominus. Propterea enim dicitur Porta cœli, quia per eam alta, & sacra cœli, & scripturarum, ac sacramentorum mysteria reserantur.* Sic Bernardinus.

M. Signũ magnæ intelligentiæ.

M. ducit nos ad scientiã, & intelligentiam Filij.

M. Virga Ionathæ, mel cœlestis Sapiẽtiæ distillans.

148. Hæc Virgo Sapientissima, est Virga illa Ionathæ mel cœlestis Sapientiæ stillans, quo gustato mentis oculi mirificè illuminantur. De hac Virga bellè Ioannes Vitalis: *Maria signata est per Virgam Ionathæ, quâ sumpsit mel.*

M. Virga, quam gestabant Apostoli, dum ad prædicationem proficiscebantur.

Hæc est Virga illa, quam Salvator Apostolis ad prædicandum proficiscentibus deferendam præcepit. *Et præcepit eis ne quid tollerent in via præter Virgam.*

Audite Richardum à S. Laur. l. 12. de laud. verba hæc declarantem: *Maria*, inquit, *est Virga prædicationis, videlicet, quæ sola datur Prædicatoribus ad portandum in via. Qui enim habere posset hanc Virgam comitem in via vitæ præsentis, non deesset ei gratia, non Doctrina, vel aliquid necessarium.* Intellexisse visi sunt mysterium hoc Religiosi illi Sacri Ordinis Cisterciensis Monachi, qui ad concionandũ profecti cum Virga & unico libro, & à nescio quibus interrogati cur insignia illa secum deferrent? Respondisse feruntur, ut legitur in Menolog. Cisterciensi 14. Aprilis. *Quia Prædicatores sumus, & decet libro scientiæ esse instructos, & quia Virgo Mater, Virga est Aromatica, & Crux Christi, directionis Virga est, ijs nos utimur, & tanquam scipionibus sustentamur.*

M. salutatur à Concionatoribus, ut Illuminatrix mentium.

149. Hanc ob causam crediderim ego à Concionatoribus laudabilem illam, DEIPARAM salutandi usurpari consuetudinem, quâ eam mentium suarum Illuminatricem, Stellamque lucidissimam, imò ipsam Sedem, Domiciliumq; Sapientiæ Divinæ fateri videntur.

M. cuidam Concionatori suggerebat quicquid ad populum dicebat.

Hinc libro illo quo Patrum Prædicatorum res in vita gestæ continentur, legere est P. 1. c. 5. visam fuisse subinde cuidam Concionanti suggerens, quæcunque pro suggestu ad populum ab eo dicebantur. Libro item 2. describitur eadem Sapientissima Virgo coram altero Concionatore librum apertum tenuisse. Et aliàs alteri cuipiam, verba salutis, ut Auctoris libri illius verbis utar, dictasse.

M. Concionatori cuidam librũ apertum concionãti tenuit.

150. Immensus mihi Increatæ Sapientiæ proprietatum, laudum, elogiorumque, quæ à SS. Ecclesiæ Patribus Divæ Virgini applicari consueverunt, campus aperitur; verùm quia aliæ DEIPARÆ perfectiones, me ad se vocare, & quodammodo rapere videntur, unicam illam hoc loco Divinæ Sapientiæ proprietatem, quæ in illa mirificè velut Speculo elucescit, innumeris alijs prætermissis, Coronidis loco attexuisse sufficiat.

Ait igitur illa Prov. 8. *Ego Sapientia habito in Consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* Veteres legerunt: *Habito in Concilio.*

M. occurrentes circa fidem difficultates solvebat; lucéque Sapiétiæ suæ mentes illustrabat.

Pater noster Quirinus Salazar, verbum illud: *intersum*; significare ait; Præsum; eò quod Virgo sapientissima Doctoribus in occurrentibus nostræ Fidei difficultatibus enodandis, tanquam Magistra præesse, & luce Sapientiæ suæ, ignorantiæ, errorumque tenebras, ad instar Solis fugare consueverit. Quare jure merito ab omnibus Divinæ Sapientiæ studiosis, vice fabulosæ illius ingeniorum Præsidis Minervæ præcipuo honore, singularique veneratione, uti Sanctus docet Isidorus, colenda est.

151. Quod si juxta veteres legamus codices: *Ego Sapientia habito in Concilio*; nihil sanè à D. Virginis laudibus alienum, quidquid contradicant aliqui Theol. ut Bapt. Novatus, dicturi sumus.

M. primo Hierosolymis habito Concilio interfuit.

In primo enim Hierosolymis habito Concilio, cui interfuit ipse D. Petrus primus totius Ecclesiæ Antistes, DEIPARAM habitasse, eique interfuisse, luculentissima Ruperti Abbatis lib. 1. in Cant. Nos convincit auctoritas: *Non est putandum quod Conventus ille te omiserit, & sanctum de tuo pectore, de tuo ore Spiritum non consulverit. Imò & illic, & in cæteris agendis tu Princeps omnem solvisti quæstionem, ita tamen, ut non clamares, neq; contenderes; neq; audiretur vox tua foris; quia sicut ante* nos

Apostoli S. Spiritũ de pectore M. consulebant.

M. modestia in Cõcilio.

nos dictum est: Tu sola es Virgo, quæ universam hæreticam pravitatē interemisti. Sic ille.

152. Idem Doctissimus Abbas, tantum, tamq; sublimem sensum de profundissima Virginis Sapientia habuit, ut vocem ejus, vocem Spiritus sancti, ut suprà commemoravi, appellare non dubitaverit. Verum in hujus Assertionis meæ Confirmationem Venerabilem illum nostræ Societatis Patrem Petrum Canisium gravissimum Theologum, Germaniæque Apostolum lib. 5. de B.V. c. 1. audiamus: *Quid quod MARIA*, inquit, *non tam interfuit, quàm præfuit privatis & publicis Conventibus, in quibus tempore illo difficillimo, maximis de fidei negotijs Apostoli, alijq; Seniores subinde consultarunt, atq; definierunt? Quod ut minùs mirum esse videatur, eruditus Auctor Rupertus perspicuè tradit, cùm ad primum Concilium Hierosolymis celebrandum Apostoli convenissent, nec Mariam suo muneri defuisse, quàm non modò Magistram Magistrorum, id est, Apostolorum, sed etiam Fidei & Religionis Magistram appellat.* Hæc Canisius ferè ex Ruperto, & quidem optimè. In illo siquidem Concilio voce suâ, vòce, inquam, Spiritus sancti, dum doceret Apostolos, non solùm se eorum, Fideique Magistram, verùm etiam ingentes suo Virgineo pectore, Scientiarum divitias, Sapientiæq; cœlestis thesauros incomprehensibiles (quod de loquente, seù docente Socrate dixisse fertur Plato) reconditos ostendit. Vnde idem Rupertus lib. 3. in Cant. exponens verba Sponsi: *Oculi tui columbarum absq; eo quod intrinsecus latet;* Latitans hoc loco Mysterium sic in lucem producit: *Quod solus Deus in te videt, nobis autem quia inexpertum, ideò ineffabile est. Si enim quispiam dixit, teste Deo, vel conscio non mentiens, raptum se fuisse in Paradisum, siue ad tertium cœlum, ita ut nesciat, siue extra, siue in corpore raptus fuerit, & audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui; quantò magis tu Regina cœlorum persæpè cœlestibus interfuisti; quippe etiam & circumsteterunt obstetricum vice, gloriam DEO concinentes Angeli, & inter hæc didicisti, vel assecuta es aliquid quod latet, vel quod latere nos debet.*

Vox M. vox fuit SpiritusS.

M. loquēs in Concilio, ingentes de Virgineo suo pectore scientiarū divitias, Sapientiæque thesauros promebat

M. Sapiētia inperscrutabilis.

153. Hinc Dionysius Richel. lib. 2. de Præcon. & Dignit. B. V. c. 18. fatetur plenitudinem gratiæ, & consequenter Sapientiæ fuisse ipsi etiam Virgini incomprehensibilem. Tanta est, inquit, ille, MARIÆ plenitudo gratiæ, ut ne ipsa quidem, eamdem plenè videre valuit, nisi DEI essentiam contemplans. Hæc nempè gratiæ suæ altitudo consistit, quod veri, omnipotentisque DEI Mater vera facta est, quæ comprehendi nequit, nisi ipsa donum DEI videatur per speciem Majestas. Vt igitur incomparabilis, gratiosissimaque Virgo, DEO incessabiliter gratior existeret, datam etiam sibi gratiam perfectiùs conciperet, & per hoc Filium DEUM tractaret honestiùs, amaret ardentiùs, lactaret jucundiùs, ministraret humiliùs, conviveretq; decentiùs, decuisse videtur, ut vel aliquando ei ipse se clarè manifestaret.

B.V. suam gratiam quanta fuerit, non nisi inDeo videre potuit.

154. Ibidem jam citatus Rupertus postquam DEIPARAM Virginem probasset Magistram fuisse Apostolorum, ac Prædicatorum, dixit figuratam malo Punico, quod erat extremitati tunicæ summi Sacerdotis inter tintinnabula annexum. De quo Exo. 28. præcipitur à Domino: *Facies per circuitum quasi mala Punica ex hyacintho & purpura, coccoq; bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum, & malum Punicum, rursumq; tintinnabulum aureum, & aliud malum Punicum:* Quibus in verbis, duo Mysteria latitantia eleganter explicat. *Malum quippè Punicum*, inquiens, *in medio tintinnabulorum, religiosum, atq; operosum est silentium, maximè sexus fœminei in Societate Fidei, vel Doctrina Prædicatorum. Qualis tu præcipuè fuisti Virgo Virginum, in adiutorio, vel etiam Regimine prædicantium Apostolorum, cuius etsi verba non leguntur, vel audiuntur ubi prædicaverunt, opera tamen vel merita non ignorantur non minora, imò maiora tinnitu prædicantium.* Hæc Rupertus. Et jure merito sanè DEIPARA Malo Punico comparatur; quia sicut Fructus hic Regius sub sua Corona, atque involucro continet, atque complectitur quasi infinita grana, eis vitam, vigorem, purpuream q; illam pulchritudinem communicans; ita Virgo gloriosissima sub Regio suæ protectionis diademate, ac paludamento fideles Ecclesiæ universos, præsertim verò Apostolos, ac Prædicatores Evangelij colligit, eisque Divinæ Sapientiæ succum, vim, atque dicendi vigorem, charitatis quadam purpurâ quodammodo rubescentem communicat. Vnde jure merito Malum illud Punicum ex hyacinto, purpurâ, coccoque bis tincto compositum dicitur; quia in Virgine gloriosissima cœlestis vitæ

M.Malum Punicum.

M. Religiosum, ac operosum Silentium

Cur M. Malum Punicum dicatur?

tæ conversatio, ardentissimaque Dei, proximique Charitas corde ejus vehementissimè exæstuans, potissimum enitescebat, eandemque Apostolis impertiebatur, quo eorum voces, toto terrarum Orbe, tantò majori Spiritus virtute, & energiâ, majori magnificentiâ, & gloriâ resonarent, omniumque oculos, atque ora, quemadmodum summus ille Legis antiquæ Sacerdos Templum ingrediens malogranatis circumcirca exornatus, tintinnabulisq; aureis undequaque circumsonantibus, converterent.

155. Hæc eâdem corde Virgineo ignescens Dei, proximique Charitas urgebat Deiparam, ut non solùm præsentes quot poterat, Divinarum rerum Scientiâ, ac Sapientiâ, monitisque salutaribus verùm etiam absentes, per literas erudiret, solaretur, & in fide Christi Iesu confirmaret. Tres sanè circumferunrur Epistolæ ad diversos transmissæ. Vna ad S. Ignatium Martyrem Ioannis Discipulum, qui ejus videndæ desiderio cum summopere teneretur, ei in hæc verba Dei Mater respondisse fertur: *Ignatio dilecto Discipulo humilis Ancilla Christi IESV. De IESV quæ à Ioanne audisti, didicisti, vera sunt. Illa credas, illis inhæreas, & Christianitatis votum firmiter teneas, & mores, & vitam voto conformes. Veniam autem unà cum Ioanne, te, & qui tecum sunt, videre. Sta, & in fide viriliter age, nec te commoveat persecutionis austeritas, sed valeat, & exultet spiritus tuus in DEO Salutari tuo. Amen.* Hanc Epistolam licet Cardin. Cæsar Baron. Annal. Tom. 1. anno 48. minimè recipiat, recepere tamen Bern. ser. 7. in Psal. 90. Carthusianus in Comment. de Divinis Nominibus Dionysij Areopag. Petrus Canisius noster lib. 5. de B. V. cap. 5. Aliam dedisse ferunt ad Florentinos Autores varij, inter quos citatus Canisius, qui eam refert his verbis: *Florentiæ DEO, & Domino IESV Christo Filio meo, & mihi dilectæ: Tene fidem, insta orationibus, roborare patientiâ; his enim sempiternam salutem apud DEVM, & apud homines gloriam consequeris.*

M. etiam absentes per Epistolas docebat.

M. Epistolam scripsit ad Ignatium.

Epistola B. V. ad Florentinos.

Tertiam denique ad Messanenses, qui cùm Apostoli Pauli prædicatione ad fidem fuissent conversi, ex eoque intellexissent Matrem Iesu Christi, cujus fidem deprædicabat, Hierosolymis adhuc inter mortales degere, legationem ad Virginem adornasse feruntur, quibus ipsa benignissimè respondere hisce verbis non fuit dedignata: *Maria Virgo, Ioachim Filia, Dei humillima Ancilla, IESV Christi Crucifixi Mater, ex tribu Iuda, stirpe David, Messanensibus omnibus salutem, & Dei Patris Omnipotentis benedictionem. Vos omnes fide magnâ Legatos, ac Nuncios per publicum documentum ad nos misisse constat. Filium nostrum Deigenitum DEVM, & hominem esse fatemini, & in cœlum post suam resurrectionem ascendisse, Pauli Apostoli electi prædicatione mediante viam veritatis agnoscētes. Ob quod vos, & ipsam Civitatē benedicimus, cuius perpetuam Protectricē nos esse volumus.* Hæc porrò Epistola quam sit autentica, Pater noster Melchior Hincoffer doctissimè simul, ac eloquentissimè, certissimis atque luculentissimis, edito super ea re libro, præclarissimo sanè ejus ingenij monimento, conjecturis comprobavit.

Epistola B. V. ad Messanenses.

De his Epistolis Marianis sensit Pater noster Canisius, eas ipsius Charitatis in homines certissima fuisse Symbola, atq; argumenta clarissima: *Hæc*, inquiens, *ego velut Marianæ Charitatis symbola dixerim, quibus talem, tantamq; Matrem, de multorum etiam absentium, longèq; dissitorum salute non parum solicitam fuisse, res ipsa declarat:* De eisdem Epistolis, & de illa etiam ad Florentinos data, Ioannes Bonifacius lib. 1. de Deipara, cap. 8. illarum scriptionem facillimæ, benevolentissimæq; Deiparæ indoli adscribens, sic loquitur: *Quod mihi pro cætera Beatissimæ Matris facilitate & humanitate non magnopere videtur esse mirandum. Si enim Florentini, & Messanenses suam utraq; Respublica ad B. M. V. Epistolam miserunt, non est dubium quin Virgo rescripserit, & ambas Civitates cœlesti, qui Virginis mos erat, consolatione repleverit.* Probat idem Pater hac in re etiam Deiparam imitatam fuisse Filium, quem ad Abbagarum Edessenorum Regem literas dedisse, atque adeò vultus sui effigiem linteo expressam transmisisse ex varijs Auctoribus fide dignissimis confirmat, cap. 20. Ad cujus finem sic concludit: *Hoc capite constitutum esse oportet, non solùm exemplo Christi scripsisse Virginem, verùm etiam quod altera pars argumenti poscebat, necessarium fuisse scribere attentâ Virginis humanitate & pietate, immensaq; in omnes propemodum charitate; consideratâ etiam Messanensium Religione, ad quam firmandam, augendamq; id genus officij vel solùm omnia poterat.* Itaque satis habuit pia Messanensium imploratio; nec alienum à Virgi-

M. Epistolæ ipsius Charitatis symbola.

Christus ad Abbagarum Regem scripsit.

nis

nis clementia fuit, solamen pietatis conferre poscentibus, fovere fidem recens acceptam, augere spem salutis arreptā, incitata denique studia flectere, ad omnemReligionis ardentioris occasionem. Quæquidē conjecturæ licet plurimum apud Sapientes valere debeant, ait tamen Hinchoffer in Epilogo totius Operis, Traditionem nobilissimæ Civitatis Principem esse causam. Quæ tantum auctoritatis in animis omnium habere consuevit, ut meritò Cyrillus pronunciaverit: *Traditio est, nihil quæras amplius.*

Traditio Civitatis Messanensis Epistolam B. V. esse authēticam maximè cōprobat.

156. Quod attinet ad argumentum Svarij ductum à D. Pauli auctoritate 1. Cor. 14. *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Respondet nervosè simul atque argutè idem P. doctissim⁹ Hincoffer, c. 23. illas solas dumtaxat tangi ab Apostolo, quæ necessitate fallentis naturæ, vel errare possunt, ut coërceantur, vel deviare, ut dirigantur. At Dei Mater non minùs ab errore, quàm à noxa, quæ fons erroris est, immunis, ipso Maternitatis jure, plusquam Augustæ prærogativâ, legi quoque eximia est. Taceant in Ecclesia Mulieres, sed quæ discere habent, quæ domi Viros suos nterrogare queant: quid verò ab homine Dei Mater accipiat? quid à Viro Virgo, nisi quem olim utero circumdedit? At ex isto Viro thesaurum ejus Sapientiæ & Scientiæ sibi vendicavit, cujus plenitudinem, nulla unquam mortalium inopia vacuabit. Taceant in Ecclesia Mulieres, sed ad quas illa fulminantis Dei sententia pervenit Gen. 2. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries Filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Tacere quippè jubetur fœmina, dicit Anselmus, sed quæ cùm loqueretur, viro suo suasit peccatum.* Tacere, & discere jubetur, sed quæ ob rationis, & judicij imbecillitatem, Viri sapientioris rogare cogitur discretionem. Quid verò hæc ad illam fœminarum eximiam, quæ cùm Ministra mortis (ex Cyrillo dico) minimè fuerit, maledictionem legis præterivit, nec in dolore filios, sed Vnicum Dei Filium, in Spiritus exultatione concepit, ac peperit, eaque de causa Viri omnis potestatem eatenus evasit, ut generis sui jure, quo caput universorum toti Mundo, visibili in carne dedit, universarum ipsa, quæ vel oculos effugiunt, creaturarum Domina effecta est. Taceant in Ecclesia Mulieres, sed conjugatæ, ut rectè Chrysostomus, & Theophilactus, non quæ Virgo Virginum prima Virginitatem voto sacravit, prima Virginitatis, ut sic dicam, Sacerdos fuit. Et verò licebit huic fœminæ, quod nulli alij licet, quæ fœminas omnes prætergressa, non sexu, sed Maternitate, sed electione, sed meritis, non ut aliquid prærogativæ mereretur adversum conditionem suam, sed ut debitam dignitati suæ servaret excellentiam; hoc enim debebatur fœminæ, quæ Mater & Virgo esset, quæúe carnem suam, non tam ipsa primum sacrare proposuisset, quàm à Deo sanctam, & sanctificatam accepisset. Denique taceant in Ecclesia Mulieres quantumvis Sanctæ (quod Carthaginenses sanciunt Patres) viros in Conventu docere non præsumant. Taceāt, inquam, Mulieres, sed generatim sumptæ. Quia Mulierem illam, ex qua Filium Dei factum, factumque sub lege, ut nos à lege redimeret, haud percellunt. Tandem concludit idem Pater, quod si Sibyllis olim vaticinari, & erudire populos arcanis oraculis licuit: si Anna confitebatur Domino in Templo, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israël: si Brigitta, si Hildegardis, Catharina Senensis, Falconia, & sexcentæ aliæ, quantò magis Dei Mater? cùm Maternitas sit dignitas virtualiter in se includens dignitates omnes Apostolicas, &c. Plura de hoc argumento, qui volet ipsum Auctorem consulat, qui Epistolam illam à Virgine ad Messanenses datam fœlicissimè propugnavit. Hæc nobis dixisse sufficiat ad comprobandum, Dei Matrem Sapientiam, Charitatemque suam non modò coram, oretenus docendo, verùm etiam absentem per literas communicasse fidelibus. Idē sentit Bap. Novatus To. 2.

Mulieres quæ prohibeantur loqui in Ecclesia?

M. ob Divinam Maternitatē loqui in Ecclesia non vetatur.

Tacendū in Ecclesia mulieribus maledicto obnoxijs in dolore filios pariētibus.

Tacendū in Ecclesia mulieribus ob rationis, & judicij imbecillitatem.

Tacendū in Ecclesia mulieribus conjugatis, nō autem Virgini Virginum M.

Loqui licet Mariæ in Ecclesia ob varia ipsi divinitus concessa privilegia.

157. Adeò porrò pulchra, adeò formosa, ac gratiosa hæc B. V. sive ore deprompta, sive literis exarata, extitit Sapientia, ut labijs illis suis sacrosanctis Divinissima Fidei nostræ Mysteria, dum Apostolis explicaret, inusitatam quandam pulchritudinem eisdem communicare videretur. Quare non immeritò S. Hieronym. ser. de Assumpt. Virginem hanc sapientissimam, ipsam Formam, & quasi pulchritudinem Disciplinæ Christi appel-

M. est forma, & pulchritudo Disciplinę Christi. appellare non dubitavit. Christi enim Disciplinam atq; Doctrinam solis dumtaxat verbis explicare minimè contenta, vivis, spirantibusque operibus, & sanctioris, atque immaculatæ vitæ exemplo, incredibilem quandam venustatem, eidem Christi superaddidit Disciplinæ.

Operibus suis pulchritudinē Disciplinę Christi M. superaddidit. Denique cùm Virgo Deipara, quædam expressa atque animata benedicti Filij sui Imago atque similitudo, eum in semetipsa, velut quodā lucidissimo Speculo repræsentando extiterit, credendum sanè est expressisse etiam consequēter in se omnem ejus sanctissimam Doctrinam, atque Disciplinam, expressisse Sapientiam, atque prudentiam omnem, cum reliquis virtutum cæterarum ornamentis, ab ipso Conceptionis suæ instanti; tantosque in rerum Divinarum assiduâ commentatione fecisse progressûs, ut plùs ipsa dormiendo, quàm reliqui vigilando Sapientiæ cœlestis fuerit consecuta. Vnde S. Bernardinus Senensis cultui Divæ Virginis ab ipsis incunabulis addictissimus Tom. 4. serm. 13. art. 2. cap. 3. ubi Virgini illud cœlestis Sapientiæ attribuisset elogium: *Candor lucis æternæ, & Speculum sine macula DEI Majestatis, & Imago bonitatis illius*; Hæc in laudem ejusdem Sapientiæ attexuit: *Refulsit candore Divinalis Sapientiæ, cùm ipsa fuerit Candor lucis æternæ, & Speculum sine macula, ac speciosior Sole. Tanto enim lumine illustrata fuit B. V. cùm esset in ventre Matris, vt non tantùm plena fuerit lumine rationis, sed etiam altissimæ contemplationis, cognoscendo Creatorem, & in eo creaturas omnes. In lumine enim Creatoris cognovit omnes alias creaturas, vt ait Propheta: In lumine tuo videbimus lumen. Ad tantam enim contemplationem sublimata est, ut perfectiùs etiam in ventre Matris contemplaretur DEVM, quàm unquam perfecta ætate: magis in contemplatione DEI excessit dormiendo, quàm aliquis alius vigilando, sicut ipsa ait Cant. 5:2. Ego dormio, & cor meum vigilat.* Sic ferè Bernardinus.

M. doctrinam, & Disciplinam Christi in se expressit.

M. refulsit candore Divinalis Sapientiæ.

In contēplatione Dei magis excessit B. V. dormiendo, quā aliquis vigilando.

158. Cùm ergo ab ipso Conceptionis immaculatæ instanti, tantâ Deipara Virgo Divinitus collustrata fuerit Sapientiâ, quanta quam magna, Devs immortalis in dies singulos accepisse incrementa, non solùm assiduâ, & nunquam interruptâ actuum frequentatione, verùm etiam peculiari Filij benedicti Magisterio, atque eruditione, dum ejus in utero novem illis mensibus moraretur, existimandum est?

Audiendus hic D. Ambrosius lib. de Instit. Virg. c. 4. ubi expendens elogium illud Sponsi Cant. 7. v. 2. *Vmbilicus tuus Crater tornatilis nunquam indigens poculis*: ita loquitur: *Verè alvus illa Mariæ Crater tornatilis, in quo erat Sapientia, quæ miscuit in Cratere vinum, indeficientem piæ cognitionis gratiam, Divinitatis suæ plenitudinem subministrans.* Audiendus & Seraphicus Bonaventura in Spec. c. 8. ubi postquam dixisset: *Magnus Dominus noster, & magna Virtus ejus, & Sapientiæ ejus non est numerus*; In Sapientiæ Virginalis raptus admirationem, exclamavit: *O quam sapientissimus Dominus, cujus Sapientiam nihil fallere, nil latere potest, quia omnia manifesta, & occulta novit. Ecce Maria qualis Dominus est, quam sapientissimus Dominus, qui tecum est. Et quia Dominus sapientissimus, sapientissimè est tecum, ideò tu es sapientissima secum, & sapientissima es per ipsum. Tu enim signata es per Abigail, de qua dicitur: Eratq; illa mulier prudentissima, & speciosa. Maria tam prudentissima, & speciosa fuit, vt Anselmus de ipsa audacter dicat: Omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ in Mariâ. Dominus ergo tecum, ò Mariâ sapientissima.*

M. uterus Crater tornatilis.

B.V. sapiētissima, quia Dominus sapientissimus fuit cum illa.

M. Abigail sapientissima.

159. Quod si Regina Saba postquam venit ab ultimis terræ finibus ad audiendam Sapientiam Salomonis, adeò ex ipsius consortio & conversatione sapiens evasisse fertur, ut Iosephus Hebræus, attestante id etiam Origene Hom. 2. in Cant. scripserit, postquam regressa est à Salomone, Regem Cambysem admiratum fuisse ejus Sapientiam, quam sine dubio, inquit Origenes, ex Sapientia Salomonis susceperat, eamque Meroëm appellasse; quantò excellentiori sapientiâ præditam fuisse Virginem nostram cœlorum Reginam censendum? quæ non modico aliquo tempore, sed triginta & ampliùs annos cum Increata illa Sapientia, & Domi in Nazareth, & foris cùm prædicaret familiarissimè conversata, & tam sublimi Magisterio edocta est? Hinc quidam Græcus Auctor apud Divum Thom. in Catena meditatus verba illa Luc. 2. *Mater ejus conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo*: *Considera*, inquit, *prudentissimam Mulierem Mariam veræ Sapientiæ Matrem, qualiter scholaris sit Pueri.* Hujus tanti, tamque Divini, atque sapientis Pueri Discipula effecta Maria, profundissimā sine dubio, uti loquitur Bernardus Divinæ Sapientiæ, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum, ut lu-

Regina Saba ex consortio Salomonis sapientissima effecta, cum admiratione Regis Cambysis.

M. facta Scholaris Pueri Iesu

ut luci illi inaccessibili videretur imersa.

Vnde hujus figuratæ Iudithæ non mirum, si *universi mirabantur Sapientiam ejus*. Iudith. c. 11. utpote ab ipsa Increata, atque Incarnata DEI Sapientia, dum ejus purissimis visceribus circumdata delitesceret, communicatam. Ad hæc omnia, mira docilitas accedebat ingenij atque capacitas ex optima corporis dispositione, atq; harmonia. Vnde Dionysius Richelius lib. 2. de Præc. & Dignit. B. V. cap. 7. *Si*, inquit, *complexio Mariæ, & naturalis bonitas, ejusq; harmonia convenientissima æquitas spectetur, patenter constabit, secundùm naturalem docilitatem, eam studiosissimam fuisse. Certum enim est hanc Puellam quæ naturæ Autorem, omnisq; perfectionis Fontem, & confractorum Reparatorem gignere erat prælecta, naturæ donis, naturalibusq; perfectionibus non caruisse, imò benedicto suo Filio, in gratia & natura excellentijs simillimam fuisse. Vnde evidenter innotescit, optimi eam fuisse ingenij, studiosæq; mentis, ut & ipsa fateri possit cum Sapiente c. 8. Puella eram ingeniosa, & sortita sum animam bonam. Porrò in Maria, Gratia Naturam penitùs superimplevit, & omninò vicit, confortavit, atq; ineffabiliter perfecit. Ideò ut reor elucescit per gratiam vehementiùs docibilem, studiosamq; fuisse Mariam. Denique per gratiam omni inani sollicitudine caruit, tranquilla, quietaq; extitit, motûs inordinatos non sensit. Quis verò tam ineptus atq; insulsus est, qui hujuscemodi animam Sapientiæ capacissimam non cernat? Ad hæc Pater omnipotens Filio suo dilecto, idoneam, aptamq; Matrem paravit. Filius verò ejus Verbum est, & Veritas, Sapientia, & Splendor: omninò autem talis Filij susceptiva non est, nisi Virgo sapientialis, & simplex; ne hebetudo, Sapientiam; carnalitas excludat Splendorem.* Tandem concludit: *Erat igitur Vi go illa subtilis, & capax, studiosa, & prudens.* Hæc Dionysius de subtilissimo, sagacissimoque Virginis ingenio, excellentissimoque cœlestis Sapientiæ dono.

M. Iuditha sapiẽtissima.

B. V. docilitas naturalis, & supernaturalis.

Pater Filio Matrẽ simillimã, sapientissimamque præparavit.

160. Sumpsit postea in dies singulos majora, atque majora hæc Virginalis Sapientia, assiduâ sacrarum literarum lectione, rerumque cœlestium commentatione, supra humanum captum, incrementa, uti doctissimus testatur Svarez To. 2. in 3. P. D. 19. sect. 2. Idq; primò auctoritate D. Augustini confirmat, qui Divam Virginem alloquens: *Recole*, inquit, *Maria Propheticam lectionem, neque enim te scientiâ potest Divinorum præterire librorum, quæ ipsam plenitudinem paritura es Prophetarum.* Tum Ambrosij dicentis: *Tunc minùs sola videbatur quàm cum sola. Nam quomodo sola, cùm tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ?* Denique Origenis asserentis, Virginem sapientissimam, Legis scientiam habuisse, & Prophetarum vaticinia quotidianâ meditatione cognovisse. Addo ego Ruperti Abbatis Tuitiensis luculentissimum testimonium ex lib. 4. in Cant. ubi cùm Virginem sapientissimam, admodum eleganter contulisset Paradiso, ex quo Fluvius ad irrigandam superficiem terræ egrediebatur, dixit, ex ipsa non modò DEI Filium, Fontem aquæ vitæ, verùm etiam sacrarum scripturarum notitiam in Mundum influxisse, totumque Ecclesiæ irrigasse Paradisum: sic enim cœlestem Sponsum Virginem Matrem alloquentem introducit: *Aquarum viventium Puteus, id est, sanctarum Scripturarum Sacrarium, Soror mea, Sponsa tu es. Et hinc est quod dico, quia emissiones tuæ Paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus. Sicut enim initio Fons ascendebat è terra irrigans universam superficiem terræ, sicut, inquam, Fluvius egrediebatur, de loco voluptatis, ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur, in quatuor capita: sic ex te, ò Amica, ò terra benedicta, Fons ille ascendit, qui apud DEVM erat, & vera lux erat, sicut scriptum est: Quoniam apud te est Fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Fons, inquam, ille ascendit ex te, non principium, sive initium habens ex te, sed de corde Patris, per occultas vias, cum omnibus aquis viventibus, id est, cum omnibus Scripturis veritatis veniens in te, & æternum Sapientiæ Fontem, sive Puteum faciens in te, atq; hoc modo ascendit ex te. Ad quid ascendit? utiq; ad irrigandum superficiem terræ, ad instruendam sive excolendam Ecclesiam, per universum Orbem terræ. Ad hoc egreditur Fluvius, de loco voluptatis, ad irrigandum Paradisum, ad hoc, inquam, ex te, ò Voluptas, sive locus voluptatis DEI, initium accipiet S. Evangelium, ut per universum Mundum spiritualem irriget Paradisum.* Hæc ille.

M. assiduâ sacrarum literarum lectione in Sapientia profecit.

M. Paradisus, ex quo Fluvius Sapientiæ egrediebatur ad irrigandã Ecclesiam.

Ex M. Fluvius sacrarum Scripturarum, earumque notitia influxit in Mundum.

B. V. æternus Sapiẽtiæ Fons, & Puteus facta à suo Filio.

A M. initium sumpsit S. Evangeliũ, & Ecclesiæ Paradisum irrigavit.

161. Eandem veritatem Svarez solidissimâ roborat ratione. Cùm enim Maria optimam partem, quam SS. Patres communiter vitam contemplativam esse volunt, elegerit, & vitæ hujus præcipuæ partes, atque functiones, rerum Divinarum assidua lectio, atq; pia Meditatio censeantur, necessariò sequitur, hiscé exercitijs lectionis atque Medita-

M. optimã partem vitæ contẽplativæ elegit.

ditationis toto suæ sanctissimæ vitæ decursu addictissimam extitisse. Quibus in occupationibus quantos, quamq; mirificos fecerit progressûs, quæ mens nō dicam humana, sed ne Angelica quidem capere, quæ lingua proferre unquam poterit? Cùm DEIPARAM raro, uti diximus, excellentique ingenio, docilitate capacissimo, perspicuitate clarissimo præditam fuisse constet. Accedebat animus ille tranquillissimus, atque patatissimus, ut etiam fatetur Dionysius, omni passione, atque perturbatione quam liberrimus, ac proinde ad exercendas intellectus & voluntatis functiones peridoneus. Accedebat denique assiduâ precum, orationumque ad DEUM instantia, quâ ad Divinam Majestatem in plenitudine cordis accedens, in eandemq; semetipsam quodammodo, vi amoris transformans, mens ejus clarissimo, cœlitus immisso lumine perfundi merebatur. *Singulari etiam,* inquit Svarez, *Spiritus S. gratiâ, & lumine continuè adjuvabatur, ut legendo, meditando, ac contemplando, in hac Divina Sapientia mirabiles progressûs faceret.* De intellectûs porrò, sensuumque omnium perfectione, quæ in DEIPARA elucebat præclarè Gerson Tractat. 6. in Magnif. dum ait mentem Virginis Canticum illud canentem, in omnes affectionum voces, cum omni facilitate sese vertisse. *Et maximè,* inquit, *dum attendo, quantâ puritate, quam integrâ perspicacitate sensûs intimi cordis præditi erant, ad audiendum, videndum, odorandum, gustandum, contrectandum, interpretandum, seu loquendum spiritualia cum corporalibus, à summo cælorum, usq; deorsum in operibus, quæ Dominus volens fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Est enim contemplatio liber mentis intuitus, ad res perspiciendas circumquaq; diffusus; ac si instar S. Benedicti sub uno Solis radio totus Mundus collectus cerneretur. Conjecturo de ampliatione cordis Mariæ, dum de Patre ejus Salomone legitur: Et dedit ei Dominus Sapientiā, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam, quæ est in littore Maris. Nemo fidelis dubitaverit, quin amplitudo cordis incomparabilis major emicuerit in Maria.* Hæc Gers.

B.V. precum ad DEUM instantia pro consequēdo Sapientiæ dono.

Intellectûs, sensûsq; omnes perfectissimi in Maria.

Amplitudo cordis M. ejusq; Sapientiæ longè major quàm Salomonis

162. Quam porrò Virginis nostræ meditatio fuerit Divino Sapientiæ lumine plena, quam cœlestibus amoris incendijs exæstuans, pulchrè describit Dionysius Carthusianus lib. 2. de Præcon. & Dignit. B. V. c. 12. *Charitatis,* inquiens, *est hæc virtus, & proprietas, ut amantem amato uniat. Si verò perfectior fuerit, alterum in alterum transponet, ut jam unum sint, idemq; desiderent. Etenim Divinus amor ecstasim causat, quoniam amantem extra se in amatum transformat, locatq; Porrò Charitas perfectissima unita atq; transposita, indissolubiliter colligat, qualis fuit Mariæ, quæ ad Dilecti sui unionem eam indicibiliter, ac indesinenter excitavit atq; inflammauit. Vnio autem intellectualis ipsius amantis ad Dilectum, per mentalem utiq; visionem efficitur, quia non nisi in cognitum ferri valet voluntas. Itaq; sapientialis atq; affectuosa mens, per contemplationem copulatur amato; unde elucet, sicut Matris purissimæ incessabilem, continuamq; contemplationem Filij adorandi fuisse: sic utriusq; amor æstuantissimus, continuusq; fuit. Nunquam ergo mens Mariæ inordinatè occupata, otiosaue extitit. Omne igitur Opus ejus erat, aut Divinorum speculatio, aut cæterarum operationum in DEUM reductio, ita ut nil penitus egerit, seu cognoverit, aut affectaverit, quod non incessanter, atq; repentè in DEI honorem, gloriamq; retulerit. Hujuscémodi autem vita in contemplatione excellentissimè, ac stabiliter suspensa est. At verò mentem, quam inordinata, mundana, siue carnalis nulla tenet affectio, quæ charitate vehementissimè ardet, & sapientiâ præclarissimè lucet, in Deiformium utiq; syncceritate speculationum summè fixa est. Et talem sapientissimæ Puellæ animum extitisse, jam dicta demonstrant.* Sic ille, de Divinorum perfectissima contemplatione DEIPARÆ, in qua admirandus prorsus Sapientiæ splendor eluxit.

Charitatis proprietas amantem amato unire.

MensB.V. tota in DEUM ferebatur assiduè.

163. Et quoniam vera Sapientia ex sententia M. Tullij lib. 2. de Officijs nil aliud est, quàm Divinarum rerum, humanarumque Scientia; probat idem Svarez sect. 2. & sequentibus, habuisse Virginem rerum primo supernaturalium cognitionem per se infusam, quoad lumen & species; atque ita censet illam sacræ fidei nostræ objecta per species perfectiores, atque eminentiores, absq; phantasmatum dependentia ad instar Angelorum penetrasse. Vnde S Bernardinus Senensis Tom. 4. serm. 4. art. 1. de luminibus, splendoribusque loquens, quibus B. V. in instanti Conceptionis suæ, irradiata fuit, ubi cap. 1. dixisset, Primum Splendorem, Sanctitatem extitisse, deinceps cap. 2. prosequitur: *Secundus Virginis Splendor,* inquiens, *dicitur Claritas, seu luminositas. Tanta enim in prima sanctificatione Sapientiæ claritas à DEO illi*

Sapientia est rerum Divinarū, humanarumque Scientia.

B.V. cognovit res supernaturales, ut Angeli absq; conversione ad phantasmata.

In instanti conceptionis acquisivit B.V. intellectus claritatē.

M. dum esset in utero Matris habuit perfectũ usum rationis.

illi superinfusa est (cùm Maria interpretetur Illuminata) quod perfectè intelligebat creaturas, & Creatorem, & spiritus; & omnia bona amplectenda, & mala fugienda. Ex his sequitur quod B. Virgo etiam dum erat in utero Matris habuit usum liberi arbitrij, perfectumq; lumen in intellectu, & ratione. Proinde secundùm quosdam fuit tunc in sublimiori contemplationis statu, quam unquam fuerit aliqua creatura humana in perfecta ætate.

In utero Matris M. sublimiùs contemplabatur, quàm ulla creatura in perfecta ætate.

M. etiam dormiens actus meritorios eliciebat.

Et licet in utero Matris sicut cæteri infantes dormiret, attamen somnus qui sepelit in nobis rationis, liberiq; arbitrij actus, ac per consequens actum merendi, non credo quod talia in ipsa fuit operatus, sed animâ sua liberè, actuq; meritorio tunc tendebat in DEVM. Hæc S. Bernardinus de singularissimis Dei-paræ privilegijs, quæ sanè nec sufficienter capi, nec congruè explicari possent, absque Divinitus illi rerum supernaturalium infusâ cognitione, à phantasmatis independente, Angelorumque simillima. Quod si Scientiam hanc, & per se infusam cognitionem Angelis concedimus, multò magis ipsi Angelorum Reginæ potentissimæ attribuenda est.

M. nunquam ab actuali rerum Divinarum cõtemplatione etiam Viatrix cessabat.

164. Ex hoc tam insigni sacratæ Virginis privilegio infertur, eam dum esset adhuc viatrix nunquam ab actuali rerum Divinarum contemplatione cessasse, uti sensit etiam Dionysius; cùm nullum à fatigatione corporis eidem obstaret impedimentum, uti nobis miseris mortalibus evenire consuevit, quorum intellectiones à phantasmatis dependent, & hæc à spiritibus tam animalibus, quàm vitalibus, quibus exhaustis, fatiscescere tandem phantasmata, tum ipsas intellectiones necesse est, cùm ex sententia Philosophi; *Intelligentem phantasmata speculari oporteat.* Quod si benedicta illa sacratissimæ Virginis anima, à primo suæ creationis initio, ab actuali Dei cognitione nunquam destitit, infertur sanè necessariò eandem nunquam etiam ab actuali Dei amore cessasse.

M. intellectiones independentes à phantasmate.

165. Quare Ioannes Gerson Cancell. Paris. Tract. 7. in Magnif: asserit Virginem perfectissimâ illâ Sapientiâ præditam fuisse, quam descripsit S. Dionys. Areop. *Quæ est amens, & irrationalis, & stulta, & tamen est omnis rationis & mentis, & scientiæ causa: Sapientia,* inquiens, *est Divinissima DEI cognitio, quæ est per ignorantiam cognita, secundùm unionem super mentem, quando mens ab omnibus alijs recedens, postea etiam seipsam dimittens, unita est splendentibus, ac radijs, inscrutabili, ac profundo Sapientiæ lumine illuminata.* Postquam enim hæc præmisisset intellectu tam difficilia, conversus ad Virginem, cœlesti hâc Sapientiâ plenissimâ, tam arcana mysteria sibi petit explicari: *Videamus,* inquit, *de verbo hoc, te docente, & illuminante, ò Virgo beata, sapientissima fœminarum. Quid sibi vult hoc verbum, ut Sapientia, quam quærimus in nullo videatur nostri Triclinij cœnaculo reperiri? Nunquid in supremo ubi mens habitat? At Sapientia est amens, id est, sine mente? Nunquid in medio, ubi ratio collocatur? At ipsa dicitur irrationalis, sine ratione. Nunquid in imo, ubi cognoscit anima? Sed hæc Sapientia stulta vocatur, quasi scientiam nullam habens. Dic obsecro te Virgo prudentissima, dic per Sapientiam tuam, quo pacto talis repugnantia verborum, & nominum, imò & rerum secum stabit?*

Sapientia, & Divinorum Sciẽtia est amens.

Vera, ac cœlestis Sapientia ubi reperitur?

Perfecta Sapientia in nulla pura creatura, exceptâ B.V. reperta.

Concludit tandem, Sapientiam hanc perfectissimam in nulla alia pura creatura, exceptâ Deiparâ reperiri unquam potuisse, utpotè quæ clarâ Dei visione adhuc in hac vita sæpiùs tam Moysem, quàm Apostolum Paulum superârit, eosque etiam Viros spirituales, de quibus scribit S. Bernard. ad Carthusienses de mente Dei, explicans illud: *Abscondit lumen in manibus: Nonnunquam quasi pertransiens gratia perstringit sensum amantis, & eripit eam sibi, & rapit in DEVM, pro modulo suo ad momentum, idipsum ei ostendens videndum, sicut est. Interim etiam & ipsum efficit idipsum, ut sit suo modo, sicut illud est.*

M. sæpiùs in hac vita clarè Deũ vidit, & Moysen, & Paulum superavit.

Vnde ad finem totius Tractatus ad Deiparam apostrophe facta: *Perspicuum deniq; fit,* inquit Gerson, *quam alta, sis mente contemplata Virgo Beata tu super omnes Illuminatrix, & Illuminata, cum decursu Mundi labentis peregrinationis hominum, sub stabili DEI providentiâ prospiciens cecinisti: Dispersit superbos mente cordis sui.* Hæc Gerson de præstantissima Deiparæ rerum Divinarum scientia.

M. super omnes Illuminatrix & Illuminata.

166. Quid tandem de rerum humanarum, sublunariumque gloriosissimæ Virgini communicatâ dicemus cognitione? Hic etiam audiendus Suarez sect. 5. qui ubi super hac Virginis Scientia sat fusè discurrisset, citassetque S. Antoninum asserentem naturales, humanasque omnes infusas ei fuisse scientias, concludit tandem: *Dico verisimile esse habuisse B. V. per accidens infusam eam cognitionem rerum naturalium, vel moralium, quæ ad perfectam scripturarum intelligentiam, & ad per-*

M. habuit infusas omnes naturales scientias.

perfectionem Theologicæ Doctrinæ, item ad penetranda & explicanda, ac suadenda fidei Mysteria, deniq; ad consummatam prudentiam, & cognitionem rerum agendarum illi fuit necessaria, aut expediens. Et paucis interjectis ad demonstrandum Scientiam illam Virgini Divinitus infusam fuisse, & nullatenus proprio labore, industriâue conquisitam, subjungit: *Non est verisimile proprio labore, ac industriâ paulatim illam acquisivisse, quia non decuit eam in hujus modi actionibus occupari. Ergo verisimile est habuisse hanc cognitionem vel omninò, vel maiori ex parte dono datam à DEO, quanquam potuerit etiam ex principijs cognitis plurium veritatum cognitionem elicere. Plurimum enim valebat ingenio, & paccatissimum habebat animum, ut facillimè posset quasdam veritates, ex alijs indagare.*

B. V. proprio labore, atque industriâ non acquisivit paulatim sciẽtias, sed ei à Deo fuerunt dono datæ.

167. Beatus Albertus Magnus Tract. super Missus probat septem artibus liberalibus præditam fuisse Deiparam; Ipsa enim fuit celeberrima illa increatæ Sapientiæ Domus, uti suprà commemoravimus, septem artium liberalium columnis suffulta, varijsque alijs scientijs exornata longè excellentius, quàm ulli unquam à Mundi exordio contigerit creaturæ. In particulari ait Rhetoricæ, & Iuris civilis fuisse peritissimam, cùm nostra esse debuerit Advocata. Vnde & Prædicatorum Aureolam indeptam esse testatur. Advocati porrò tribus in rebus docet consistere consuevisse Sapientiam. Si in primis obtineat causam quamcunque coram Iudice justo, & sapienti: Deinde si contra adversarium astutum, & sagacem: si demum in causa desperata victor evadat. Tùm subsumit: sed B. V. contra Iudicem sapientissimum universorum Dominum; contra adversarium callidissimum Diabolum, in causa nostra desperata, quâ æternis mactandi supplicijs eramus destinati, optatam, favorisque plenissimam sententiam obtinuit, unde sapientissimam fuisse Advocatam necesse est. Tùm quia sapientis est, sapientissimum Advocatum eligere, quid porrò sapientiùs Spiritu sancto, qui omnia novit, eamque nobis elegit? Tùm quia nonnullorum Advocatorum, ut plurimum solet esse proprium, causam injustam, Sophisticè justam reddere. Et quæ tandem injustior causa, quàm humani generis, coram supremo illo Iudice extitit, quam tamen Virgo non Sophisticè, sed Sapientiâ suâ incredibili, gratiâque, quâ in cœlesti pollet curiâ, reddidit justissimam? Probat idem Albertus ipsam calluisse Dialecticam, quia omnia Sophismata Diaboli dissolvit, ejusque fraudes, captiones, astutiasque suâ Sapientiâ patefecit. Demum Physicæ & Medicinæ cognitionem habuisse constat Deiparam vel ex eo, quod diversas proprietates lapidum, plantarum, & animalium ex sacris literis noscet perfectissimè. Accedit quod solo verbo plurimis sanitatem restituerit tam corporis, quàm animi, & quidem ad immortalitatem. Sic ferè Albertus, de gloriosissimæ Virginis, insigni rerum humanarum Scientia, quæ Divinarum notitiæ sociata, admirabile illi addebat ornamentum.

M. 7. artibus liberalibus instructa, velut Domus Sapiẽtiæ 7. columnis suffulta.

Rhetoricã & Ius Civile M. callebat.

M. habuit Prædicatorum Aureolam.

N. Advocata sapiẽtissima quare?

Spiritus S. B. V. nobis in Advocatam elegit.

M. suâ Sapientiâ causã nostram iniustã, iustã reddidit.

M. callebat Dialecticã, quia omnia Sophismata Diaboli dissolvit.

M. Physicæ & Medicinæ perita.

168. Duplex hæc rerum Divinarum, humanarumque Deiparæ Divinitus infusa Scientia duobus illis ex auro purissimo simul, ac solidissimo fabrefactis Cherubinis respicientibus se mutuò versis vultibus in Propitiatorium Arcæ. Exod. 26. adumbrata fuisse videtur, ad denotandam eximiam illam sapientissimæ Virginis Scientiæ plenitudinem, quam vel illi ipsi beatissimi Spiritûs, qui à plenitudine Scientiæ nomen invenerunt, capere non poterant. Vnde sese mutuò, & simul etiam figuratam hanc Arcam admirabundi respicientes, singularem illam ejusdem animatæ Arcæ plenitudinem scientiæ suspiciebant. De hac in Cantico amoris cap. primo gloriari, visa est Deipara dum canebat: *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Quibus nimirum tam rerum naturalium, quàm Divinarum Mysteria arcana celantur. Quam Virginis Rupertus Abbas expendens gloriam lib. 1. in Cantic. *Et quæ*, inquit, *sunt illa cellaria Regis DEI? Nimirum sacra Mysteria quæcunq; continentur in Scripturis sacris. Nam ista cellaria sunt meliora cellis aromatum, argenti, & auri, & odoramentorum unguenti optimi, omnibusq; Apothecis Regiæ supellectilis, Thesaurorumq; universorum, quales habere potuerunt Reges terrarum, & præcipuè Rex Salomon. In cellaria, sua*, inquit, *Rex non qualiscunq;, sed Rex cœli, & terræ me introduxit. Nihil enim à me abscondit, sed omni suâ dulcedine me inebriavit. Qui enim Verbum suum quod erat, & est in corde suo mihi totum infudit, quomodo non etiam cum illo mihi omnia donavit? Non enim introductio qualiscunq; hæc debet intelligi, sed intro-*

Cherubini aurei super Arcam, M. rerum divinarum, humanarumque Scientiam notant.

Cellaria Dei, sunt sacra Mysteria in scripturis contenta.

B. V. oĩa mysteria sacræ scripturæ revelata.

Cũ Verbo æterno B. V. omnis Sapiẽtia, ac Sciẽtia donata.

introductio cum iure possidendi, sicut ius est Sponsam legitimam, cum tabulis Matrimonij in dotem suam introduci. Hæc devotissimus Abbas.

169. Denique, ut paucis multa complectar, tanta, tamque excellens hæc nostræ Sapientissimæ Virginis extitit Scientia, atque Sapientia, ut in ejus perspicacissimo intellectu nulla unquam pravæ dispositionis; ut Scholæ loquuntur; quæ in errore consistit, ceciderit ignorantia, (cùm in Adamo à peccato originali præservata non peccaverit, cujus peccati inter reliquas, pœna justissima fuit, ignorantia) sed ne quidem ignorantia privativa, quam Theologi carentiam scientiæ debitæ, aut convenientes alicui subjecto, juxta ejus statum, ac conditionem, definiunt. Callebat enim exactissimè omnia Virgo Deipara, quæ pro dignitate sui status, ac Personæ quam præferebat conservanda, requirebantur.

In B.V. nō fuit ignorantia pravæ dispositionis, nec ignorantia privativa.

170. Cùm igitur Virgo Sanctissima, adeò excellenti, tam rerum Divinarum, quàm humanarum scientiâ, non modò à suo dilectissimo Filio, qui ipsissima est Dei Sapientia, novem mensibus, ejus purissimo utero delitescente, verùm etiam, ab ipso Divinissimo Spiritu, Spiritu, inquam, illo qui Spiritus Sapientiæ, & intellectus, ab Esaia vocitatur, erudita & perpolita fuerit, adeòque insignes in hac cœlesti Sapientia totius suæ vitæ decursu fecerit progressus, ut altera Increata Sapientia rursùs Incarnata quodammodo esse videretur, nil sanè mirum nobis videri debet, si Theologi, uti Gabriël, Albertus Magnus, & Suarez disp. 22. sect. 4. eam Doctoratus, eximio splendore coruscantem, Aureolam in cœlis consecutam, quod in terris ipsos Apostolos totius Ecclesiæ universales Magistros, ac Doctores ipsa erudiêrit, asseverent.

B. V. Doctoratûs Laureolâ in cœlis decorata.

Sed Auctorem supplementi Gabriëlis in 4. D. 49. q. 4. a 3. super hac assertione audiamus: *Et ob hoc,* inquit, *Christo ascendente in cœlum, ipsa ad tempus in terris pro fidelium consolatione, & Magisterio est derelicta. Et piè tenendum est, quod ipsa Diaboli suggestiones plùs omnibus alijs detexit, & enervavit, Discipulos Domini, & Ecclesiæ Magistros informando, & erudiendo, & sanctissimis morum disciplinis instituendo, veritate Evangelicâ illustrando, & fidei secreta pandendo.* Beatus Albertus Magnus Tract. super Missus est, vel ex illis verbis colligit Beatissimam Virg nem excellentiorem, cæteris omnibus Doctoribus Doctoratûs Laureolam consecutam, quod brevissimo compendio summam totius perfectionis, quæ est humanæ voluntatis cum Divina conformatio, Mundo tradiderit, ac prædicaverit, dum Ministris ad nuptias Canæ Galileæ consulvit, ut omnia Filij mandata accuratissimè exequerentur: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Ad hæc aurea Deiparæ verba Magnus ille Doctor tale attexuit argumentum: *Doctrina prudentum facilior est, ut ait Salomon Prov. 14. sed B. V. brevissimè & lucidissimè omnia prædicabilia uno verbo prædicavit, quando dixit in nuptijs: Quodcunque dixeris vobis, facite.* Qui enim facit quæcunque Filius Dei dixerit, omnia prædicabilia implet. Ergo Beatissima Virgo omnia uno verbo prædixit, seù prædicavit.

B.V. fraudes Dæmonis detexit.

M. brevi compēdio summā Christianæ perfectionis docuit.

171. Quod si quispiam ex me quærat, quænam tandem, aut qualis hæc esset sapientissimæ Virginis Aureola? Respondendum censerem esse fortasse illam, duodenis lucidissimis contextam Stellis Coronam, quâ eam Christi Discipulus ejusdemque Virginis Filius redimitam in cœlis, ingentique refulgentem gloriâ conspexit. Si enim idem Pater Suarez loco citato, ob eminentissimam Divinæ Maternitatis gratiam, ac dignitatem habuisse Deiparam, affirmavit, in corpore singularem quendam splendorem, vel aliquid aliud, quod sit velut insigne Regiæ dignitatis, ac Divinæ Maternitatis, Principatûs, ac Dominij in omnes Beatos; habuisse etiam singularem quendam decorem, ac lucem ob egregium pietatis Opus, quod in Filio lactando, nutriendo, & educando exercuit (quem ego quidem splendorem, ac decorem, Solarem illam Cycladem, quâ eam idem dilectus Discipulus amictam contemplatus est, jure merito dixerim) quo ita effusissima Dei Bonitas, quæ nunquam sese, à creaturis suis liberalitate superari patitur, paludamentum illud humanitatis nostræ, ex Virgineis ejus, purissimisque sanguinibus sibi quasi contextum, compensaret. Vt meritò proinde dixerit Bernardus: *Vestis eum, & vestiris ab eo, vestis eum nube carnis, & ille te veste Divinitatis.* Si, inquam, ob dignitatem Maternitatis Dei, aliaque pietatis obsequia Verbo Incarnato exhibita, splendore illo admirabili, adeòq;

Aureola B. V. est Corona Stellarū 12.

Ob Divinā Maternitatem habuit B. V. insignē quendam splendorē

B. V. luce singulari circumdata ob pietatis opera Christo Infanti exhibita.

Data B.V. vestis Solaris, loco carneæ vestis, quā Christo dedit.

adeòq; Solari meruit circumdari, quomodo non etiam Doctorum Aureolâ, adeòque Coronâ illâ Stellarum duodecim, duodenos Apostolos denotante, coronari, cùm eorum Illuminatrix extiterit, & Magistra? Qui quidem Apostoli, Virginis beneficio sese Divinâ Illuminatos Sapientiâ agnoscentes, eo Divinum illud lumen, unde hauserant, eâdem quasi luce eam coronantes, refuderunt. Atque ita factum, ut sapientissima Virgo, velut singularis quædam inter Doctos Primiceria, duodecim illis coronata Stellis fulgeret, ut ait Propheta Daniel, *qui ad iustitiam erudiunt multos quasi Splendor firmamenti; &, quasi Stella in perpetuas æternitates.* Dan. 12.

Apostoli M. coronant luce, quam ab ipsa acceperunt.

173. Hæc est gloriosissima illa Regina Esther, quæ juxta nominis sui Ethymon, occultando, & ab abscondendo Sapientiæ, virtutumque reliquarum preciosissimos Thesauros, meruit hoc Diademate Stellarum duodecim à sempiterno Rege, Filio suo redimiri. Verè enim ducta in cubiculum Regis æterni Regina Maria, ut cum Seraphico Bonaventura loquar, cap. 5. spec. *Gratiam Regis Assveri, id est, Gratiam veri Regis habet super omnes Mulieres, id est, super omnes Intelligentias Angelicas, & super omnes beatas animas, ut sit in MARIA gratia, super gratiam omnium Beatorum. Nam revera in capite eius Rex Regum Diadema Regni posuit. Diadema certè tam impreciabile, Diadema tam delectabile, Diadema tam mirabile, quod hoc omni lingua inennarrabile, omni ingenio inscrutabile est.* Hæc ille. Quod si Virgo sapientissima gratiam habuit gratum facientem, & gratis datam super omnes Angelos, aliasque beatas mentes, consequens sanè est, ut eadem, imò longè pulchriore Coronâ Aureâ, Aureolisque, quibus ornari eædem Beatæ mentes in cœlis meruerunt, decorata sit.

M. Esther diademate preciosissimo coronata.

Diadema B.V. Reginę est preciosissimũ atq; inenarrabile.

Cùm ergo Virgo Deipara, & ab ipsa Increata Sapientia condita, & ab eadem, velut animatum quoddam Domicilium, atque Palatium Inhabitata, rerumque omnium, tam naturalium, quàm naturæ limites transcendentium infusa Divinitus Scientiâ, Doctorumque Aureolâ, titulisque atque elogijs penè omnibus Divinæ Sapientiæ, cujus vivam in se similitudinem exprimebat, fuerit decorata, quis illam non vivum quoddam ejusdem Sapientiæ Simulachrum, ipsamque quodammodo Increatam Sapientiam fuisse existimabit?

174. Quæ cùm ita se habeant jure merito quivis Christianæ Sapientiæ Studiosus ad hanc Increatæ Sapientiæ Domum confugere, sapientissimamque Virginem, velut quondam cœca Gentilitas, ingeniorum, Sapientiæque Præsidem Palladem quampiam, omni cultu, honoreque prosequi, atque venerari debebit. Hoc fecisse memoratur Religiosissimus ille Ordinis D. Benedicti Abbas Rupertus Tuitiensis, qui cùm tardiori esset ingenio, ad hanc Sapientiæ Domum confugiens, & coram Divinissimæ Virginis, ipsam Dei Sapientiam, Sinu gestantis effigie, in Templo S. Laurentij Leodiensis suburbij preces fundens, ut sibi Divinorum eloquiorum intelligentiam impetraret, meruit, ab eadem sapientissima Virgine benignissimè visitari, & tantò, tamque admirabili scientiarum omnium Divinitus perfundi lumine, quantum ejus omnia ingenij monimenta, præsertim verò doctissimi illi simul, ac devotissimi in Cantica Commentarij; quibus sine dubio gratitudinis memor, Divæ Virginis præclarissima celebravit elogia, demonstrârunt.

M. Christianorum Pallas.

M. suam Sapientiâ cum varijs communicavit.

Rupertus Abbas ope Virgin. scientias acquisivit.

174. Quid Hermannũ cognomento Cõtractum ex Sueviæ nobilissima Comitum familia oriundum memorem? Hic cùm juxta cognomen, membris omnibus esset captus, & à Deipara infirmitati suæ remedium postulasset; ab eademque accepisset optionem; mallet nè infirmitatem illam corporis cum excellenti scientia, an verò sanitatem cum ea, in qua tunc jacebat ignorantia? Cùm ille Sapientiam, ut par erat, infirmitati sociatam, sanitati, ignorantiæque antetulisset, adeò Virginis beneficio in omnium scientiarum genere, triumque linguarum Latinæ, Græcæ, atque Hebraicæ peritiâ excelluit, ut eâ tempestate neminem sibi parem reperiret. Extat Viri hujus eruditissimi, simul, ac pientissimi eximium pietatis, & gratitudinis in Divam Virginem monimentum Salutatio illa in tota Ecclesia celeberrima, atque usitatissima, quâ eam Reginam Matrem misericordiæ salutare consuevimus.

Hermannus Contractus auxilio B. V. literatus evadit.

175. Quid Albertum illum verè nomine, ac Sapientiâ Magnum, illustrissimum Dominicanæ familiæ Sidus, ac ornamentum commemorem? Notissimum illud est, ut Annales Prædicatorum refe-

Albertus magnoSapientiæ dono à B. V. donatur.

referunt, & Hieronym. Platus lib. 2. de bono Stat. Relig. cap. 33. eum, cùm Adolescens decimo sexto ætatis anno sacræ Prædicatorum Familiæ nomen dedisset, adeòque tardo, hebetique foret ingenio, ut nil capere, nil memoriâ retinere posset, tantò subinde affectum fuisse vitæ religiosæ tædio, ut de vocatione deserenda cogitaret.

Cùm ecce Virgo unicum afflictorum levamen, nocte quâdam tribus alijs stipata Virginibus, dum tentatus adolescens ad Monasterij muros scalas fugitivus applicat, ei apparet. Quærit statim una ex tribus illis Virginibus, cur abitum pararet? Cùmque ingenij hebetitudinem allegasset, suasit, ut à quarta illa Matrona, quæ Virgo esset DEIpara, opem imploret; quod ubi fecisset, reliquæque tres illæ Virgines pro infœlici tunc adolescente DEI Matrem essent deprecatæ; annuit illicò ejus votis Virgo benignissima. Cùmque optionem ei dedisset, in quânam scientiarum, Theologicâ nè, & supnaturali, an naturali Philosophica excellere mallet, & ille Philosophicam præoptasset: *Fiat*, inquit Virgo benignissima, *tibi, quod petisti.* Sed tamen quia scientiam hanc, Filij mei Scientię prętulisti, extremâ vitâ, omnem perdes doctrinam, & in hanc ipsam, quam nunc exues hebetitudinem, recides. His à Diva Virgine dictis, sensit illicò sapientissimæ Virginis opem. Tantâ enim subito præditus fuit ingenij facilitate, ut quicquid legeret, quicquid audiret, nullo negotio caperet, ac retineret. Quod si subinde aliquid magis arduum, intellectuque difficiliùs occurreret, ubi ad hanc æternæ Sapientiæ recurrisset Domum, Divino perfusus lumine, difficultatem quamcunque, etiam nodo Gordio solutu difficiliorem penetrabat. Tandem cùm multis annis in celeberrimis Academijs, exedrisq; magnâ cum sui Ordinis gloria docuisset, plurimaque florentissimi sui ingenij posteritati reliquisset monimenta, tribus ante mortem annis, cùm in Cathedra publicè doceret, iterum quasi repuerascens, incredibili illâ rerum omnium scientiâ repente, velut preciosissimo quopiam thesauro, in neglectæ Theologiæ pœnam, cum omnium audentium admiratione usque ad finem vitæ suæ destitutus est.

Pœna neglectæ Theologiæ.

176. Missum facio sanctissimum Adolescentem illum Edmundum, postea Cantuariē. Episcop. qui ante sapiētissimæ hujus ingeniorum Præsidis eburneū, ad omnem pietatem expressum simulacrum (cujus digito, abineunte ætate, inserto annulo, eam sibi in castissimam adsciverat Sponsam) quasi præ foribus Domus cœlestis Sapientiæ excubans, studijs operam dare, ejusdemque in occurrentibus difficultatibus opem implorare consueverat. Exemplum sanè omnibus literarum studiosis, ut & illud D. Bonaventuræ Doctoris Seraphici apprimè imitandum. Hic enim cùm Parisijs summo omnium applausu atque concursu Theologiam doceret, simulque multos summâ eruditione refertissimos conscriberet libros, ejus familiaris D. Thomas Doctor Angelicus eundem aliquando invisit (ut in Chronicis D. Francisci P. 2. cap. 2. memoriæ proditum est) cùmque paucos admodum in cubiculo ipsius libros cerneret, obrogavit ostenderet sibi illos, ex quibus tantam doctrinam, eruditionemque depromebat. Cui Vir sanctissimus in suo oratorio Christi de Cruce pendentis mirificè, ad pietatem excitandam expressam ostendens effigiem: Hi Pater, inquit, sunt mei libri; certoque tibi persuadeas velim, hunc meum principalem Librum esse, ex quo quidquid in cathedra lego, quicquid scribo, depromo; multoque majorem in literis profectum, absque comparatione, majùsque veræ Sapientiæ lumen, ad pedes hujus Crucifixi, in omnibus meis dubijs ad ipsum recurrendo, quàm quocunque alio literarum exercitio, consecutum esse.

Edmūdus Adolescēs coram effigie B. V. studebat.

Eandē Virginē annulo dato sibi in Spōsā adsumit

S. Bonaventura à Crucifixo Domino Scientiā hausit.

177. Hos imitari visus magnus ille Academiarum, ac Theologiæ splendor Franciscus Suarez, qui dum eruditissimis illis suis lucubrationibus operam daret æternæ Sapientiæ Christi Domini Cruci confixi effigiem, uti & ejusdem Virginis Matris sapientissimæ, præ oculis habebat assiduè. Ad hos si quæ perdifficilis quæstio, sive nodus implicatus occurrebat, recurrere, Divinamque lucem implorare erat solitus. Cùm verò audisset aliquando quempiam Stationes Vrbis celebrantem, subintulit Vir pijssimus; se quoque intra cubiculi sui parietes suas Stationes percurrere consuevisse, dum modò ad DEI Filium, modò ad magnam ejus Ma-

P. Franciscus Suarez coram Crucifixo & B. V. studebat.

In dubijs ad Crucifixum, & Deiparā recurrebat.

Matrem in dubijs confugeret. Has Stationes, ut plurimum à meridie frequentabat, in eisque post studiorum curas, ac labores animum relaxabat, atque oblectabat suum, suavissima cum DEO, ac DEIpara Virgine miscendo colloquia; quibus ita extra se, alienata à sensibus anima, in cœlestia rapiebatur aliquando, ut nec Ianitoris cubiculum ingredientis pulsum, nec graviorem pedis supplosionem, nec triplicatum manus impulsum persentisceret. Adeò in Christû, ejusq; Matrê mens ejus erat absorpta.

178. Habeat igitur quivis veræ Sapientiæ studiosus semper ob oculos hæc duo lucidissima specula. Habeat in primis æternam DEI Sapientiam IESVM de Cruce pendentem dum literis suam navat operam; audiatque identidem D. Bernardum ser. 43. in Cant. de IESV cruci affixo sub typo Fasciculi myrrhæ sic loquentem: *Hæc meditari dixi Sapientiam, in his justitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Propterea hæc mihi in ore frequenter sicut vos scitis, hæc in corde semper, sicut DEVS scit. Hæc stylo meo admodum familiaria sicut apparet. Hæc mea sublimior interim Philosophia, scire IESVM, & hunc Crucifixum.* Habeat deinde Sapientiæ cœlestis studiosus alterum hoc Speculum ob mentis suæ oculos, sapientissimam hanc Virginem Incarnatæ Sapientiæ, veræque Scientiæ Magistram nobilissimam. De qua præclarè, ut reliqua omnia, S. Ambros: *Primus discendi ardor nobilitas est Magistri. Quid nobilius DEI Matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit?* In hos, inquam, duos veræ Sapientiæ Magistros, quivis Sapientiæ studiosus intentos habeat oculos, & consilium illud prudentissimum D. Bonaventuræ sequatur in Spec. c. 6. qui ubi dixisset Christum esse Florem illum Iesseæ Virgæ, super quem requievit Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus &c. docet dona hæc Sapientiæ & intellectus, ut & reliqua à Filio per Matrem postulanda esse; *Quicunq;*, inquiens, *septiformem Spiritus S. gratiam adipisci desiderat, ipse Florem in Virga quærat. Per Virginem enim ad Florem, per Florem ad Spiritum, in ipso requiescentem, pervenimus: Per Mariam ad Christum accedimus, & per Christum gratiam Spiritus S. invenimus. Propterea bene Mariam alloquens Bernar. ait. Per te accessum habeamus ad Filium, ò benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater salutis &c.*

Crucifixû IESVM meditari summa Sapiêtia.

S. Bernardi Philosophia erat scire IESVM Crucifixum.

In Flore Iessæ Spiritus Sapientiæ, & intellectus requievit, quos per Virgam Mariam assequimur.

MEDITATIO XIII.



PRimò, Contemplare Anima mea DEIparam Virginem DEI ipsius manibus quodammodo, nempè Increatâ suâ Sapientiâ, & Spiritu S. ad instar Domus magnificentissimæ fabricatam, ut in primis ipsius Divinæ Majestatis dignissimum domicilium, tum toti Mundo cœlestium disciplinarum Gymnasium quoddam evaderet. Ipsa enim est Tabernaculum illud fœderis inter DEUM, & genus humanum, ad quod ædificandum, ornandumque summus rerum omnium Architectus vocavit duos illos sapientissimos Artifices Beseleel & Ooliab (Verbum æternum, Divinumque Spiritum figurantes) *quos Dominus implevit Spiritu DEI, sapientiâ & intelligentiâ, & scientiâ, & omni doctrina ad excogitandum, & faciendum opus in auro, & argento &c.* Exod. 35. Perpende igitur quas sapientiæ, & scientiæ DEI divitias, quos thesauros in hoc Tabernaculum suæ Divinæ Majestati ad habitandum præparatum, congessisse universorum Dominus putandus est? quam bonitatis suæ copiam, atque opulentiam Spiritus S. in eamdem transfudit Virginem, cum septem suis donis, velut septem columnis hanc animatam Sapientiæ Domum fulcivit? O Virgo sapientissima tanta sunt in te hæc omnia, tamque admirabilia, ut ea præ immensitate, nec mens capere, nec lingua eloqui ullo modo valeat.

2. O summam DEI Sapientiam ipsis Cherubinis imperscrutabilem! O bonitatem effusissimam ipsis Seraphinis obstupescendam, & assiduo illo Trisagio indefessè decorandam atque sanctificandam! Vidisti Domine benignissime post Adæ lapsum, in tanti sceleris ultionem ignorantiæ tenebris involvi, & quodammodo stultescere cœpisse genus humanum, stultorumque infinitum esse numerum, ideò admirabili Providentiâ tuâ, hanc Sapientiæ Domum velut omnis sacrosanctæ Disciplinæ Scholam Mundo aperuisti, ut in ea, ejus ignorantiæ, stultitiæque tenebræ illuminarentur. Hæc enim Virgo sanctissima,

est illa Lux, quam in primo Mundi exordio jussisti, de tenebris splendescere, ut mentibus, cordibusque nostris illucesceret.


3. Gratias tibi ô Patris æterna Sapientia immensas, atque interminatas, cum sempiternis laudibus referant cœlum, & terra, cum reliquis omnibus, quæ Sinu, ambituq; eorũ continentur, quod de cœli Regalibus sedibus in hanc vallem miseriarum ad illuminandas nostras ignorantiæ tenebras, utpote Paternæ gloriæ Splendor, ad nos descendere, & mentibusque nostris luce doctrinæ tuæ cœlestis illucescere, non sis dedignata.

Cantent tibi quoque ô Sanctissima Deipara, ô animatum, purissimumque Divinæ Sapientiæ Speculum, Imaginem in te sapientissimi Conditoris, ac Filij tui clarissimè repræsentans; cantent, inquam, tibi canticum laudis, & gratiarum actionis creaturæ omnes visibiles, & invisibiles, quod unà cum benedicto Filio, Lumine Sapientiæ Mundo in tenebris jacenti affulgescere, eumque luce doctrinæ tuæ illustrare volueris. Verè Domina, ob singularem Sapientiam tuam, ut tuus Bonaventura cecinit Psalmo 77. *Pulchritudo tua vincit Solem & Lunam: in te refulget species castitatis, lumen justitiæ, & splendor veritatis.* Ps. 11. *Amicta solari lumine sicut vestimento, duodecim Stellarum coronâ rutilas radianti.* Proinde jure merito benedicit tibi idem tuus Seraphinus: *Benedicti sint oculi tui splendidissimi, quos dignaris misericorditer convertere super nos peccatores: Benedictum sit lumen & splendor faciei tuæ, benedicta sit gratia vultus tui.* Psal. 22. *Proinde labia Angelorum enarrent Sapientiam tuam, & omnes cives Paradisi cantent laudem tuam.* Psal. 176. O si Virgo beatissima, serenissimâ hâc oculorum tuorum, Sapientiæque luce me ita irradiares, quemadmodum tuum illum, tui castissimo amore succensum Seraphinum, ut innumerabilia tua in me, universumq; Mundum collata beneficia recognoscẽs, sempiternas tibi laudes, & gratiarum actiones decantare, creaturasque totius Vniversi ad easdem celebrandas possem invitare. Liceat mihi interim exclamare, affectumq; ardentem hujus tui Seraphini pro modulo meo imitari: *Laudate Dominam nostram quoniam bonus est Psalmus, jucunda, & decora sit illi nostra jubilatio. Magna est virtus Sapientiæ illius, & clementia ejus nullum habet finem. Præcinite illi in jubilatione, & in confessione Psalmum cantate illi.* Ps. 146. Vos quoque creaturæ pulcherrimæ creaturarum omnium cœlestium penè Principes quæ purissimam hanc Virgineam Sapientiæ lucem in vobis repræsentatis, venite alacres, & cum jucunditate præconia sapientissimæ Virginis celebrate. *Laudate*, itaque, *Dominam nostram de cœlis, glorificate eam in excelsis. Laudate eam Sol & Luna, Stella & Circuli Planetarum. Laudate eam Cherubin & Seraphin, Throni, Dominationes, & Potestates.* Ps. 148.

4. Interea ô Virgo benignissima, abysso vilitatis & ignorantiæ meæ absorptus, & ante pedes tuos provolutus oro, & obsecro te cum eodem illo tuo dilecto Famulo Bonaventura Ps. 63. *Illumina Domina oculos meos, & illustra cæcitatem meam.* Ps. 135. *Illumina vias & semitas nostras, ut noscamus quæ beneplacita sunt DEO.* Ps. 4. *Tu es Mater illuminationis cordis mei, tu es Nutrix refovens mentem meam.* Illumina ergo Virgo sapientissima mentem, omniaque interiora mea luce gratiæ, & Sapientiæ dilectissimi Filij tui, ut eum, teque Matrem ejus, Matrem omnium viventium agnoscendo utrumque amem medullitus, utrique serviam animitus. Fac insuper ô Virgo pijssima, ut omnes Ecclesiæ S. Doctores, Concionatores, & Magistri, lumen illud Scientiarum quodcunque tandem habent, participationem superni illius luminis tui, æternæque Sapientiæ, velut radium à Sole, velut rivulum à Fonte derivatum agnoscentes, ad gloriam, honoremque tuum, & in primis dilectissimi Filij tui, propriæ gloriolæ penitus obliti Orbi communicent universo. Concludo cum eodem tuo Seraphino, teque summo, quo possum obtestor devotionis affectu ô Sanctissima Deipara: *Per viscera multitudinis misericordiæ tuæ visita nos Stella matutina oriens ex alto. Per te siquidem dedit DEVS scientiam salutis plebis suæ in remissionem peccatorum. Illumina tenebras sedentium in umbra mortis, & eas luce dilectissimi Filij tui digneris illuminare.* Ex Cant. Zachariæ.

Amen.

AVE MARIA.



DISCVR-



DISCVRSVS XIV.

DEIPARAM Virginem Christum patientem, ac morientem in se repræsentasse.

Stabat juxta Crucem IESV Mater ejus. Ioann. cap. 19.



I.

Quemadmodum Virgo beatissima vivã, spirantemque dilectissimi sui Filij imaginem, ac similitudinem, ejusque Sapientiam admirabilem, reliquasque perfectiones, velut in quopiam lucidissimo Speculo, ita sanè & ejusdem patientis, ac morientis effigiem, velut stupendus ille Indorum Flos, Granadilla nominatus, repræsentavit, ut meritò de Flore hoc eruditissimus Causinus noster, reliquis omnibus eundem præferendo cecinerit lib. 10. Symb. 34.

M. similis Granadillæ Passionem Domini repræsentanti.

Ite procul blandi Veneris ludibria Flores,
Quos parit in risum luxuriosus ager.
Altiùs una suos tollit Granadilla dolores
Et fert congesti pondera tota DEI.
Tortilis hic nodis, & adunco milite surgit
Regis apex, Domini Gloria mixta malis.
Hic Crux, hic clavi, Christi preciosa supellex
Pauperis, hic rubris vulnera picta notis.
O dilecta DEO cui cœlum nectare sudat,
Et vigil intactas Flora tuetur opes!
Quis tanta in parvo lusit miracula Flore?
Nempè suâ hic pinxit se DEVS ipse manu.

Verè enim sicut in exiguo illo Flosculo supernus Artifex suæ Passionis acerbissimæ lusit, atq; gratiosè simul expressit miracula; ita in corde Virgineo æterna DEI Sapientia, omnipotenti illâ suâ dexterâ, semetipsam diris cruciatibus dilaniatam, Crucique opprobriosissimæ suffixam depinxit. In hujus Floris laudes lusit pervenustè, ut assolet etiam P. Hieremias Drexelius noster, versiculis elegantissimis, qui sanè in D. Virginem mysteria hujusce Floris referentem, immutatis paucis aptissimè transferri possunt:

In corde B. V. Dei dextera fuit expressa Passionis Imago.

Flosculé Flos florum, cunctorũ Floscule florum
Regule, & hortorum Stella, decusq; novum
Flosculé, quo Phœbi jactat se terra cadentis,
Flosculé dignè seri nobiliore solo.
Vllos si liceat cœlo transcribere Flores,
Hic certè Flos est dignus in astra rapi
Quo non proficies Natura? effundere Stellas
En etiam didicit terra vel ipsa novas.

2. Verè hæc nova Stella in terris fuit Maria, licet nube doloris fuscata, Stella, inquam, duplicem in se octonis radijs Crucem tam internam animi, quàm externam corporis repræsentans.

Audiendus de hac Dominicæ Crucis, Passionisq; in Mariana Stella veluti Speculo repræsentatione B. Laurentius Iustinianus Venetorum Patriarcha li. de Triumph. Agone Christi cap. 21. *Prævaluerat, inquit, in præcordijs Mariæ illius Vnigeniti Passio, atq; anima virtutem penitus absorbuerat. Clarissimum Passionis Christi speculum effectum erat cor Virginis, nec non & perfecta mortis imago. In illo agnoscebantur sputa, convitia, verbera, & Redemptoris vulnera. Conversum erat gaudium in luctum atq; in mœstitiam lætitia salutaris. Iam juxta Simeonis Vaticinium passionis gladius ipsius pertransierat animam, jamq; cum extincto Filij corpore, spiritualiter exspiraverat. Supererant lacrymæ, ac mœror, quatenus mortua viveret, & vivendo moreretur. Talis erat tunc Mariæ Sanctæ status, talis passionis conflictus. Sicut cæteros præcellebat gratiâ, sanctitate & merito, ita dolore, cruciatu, & pœnâ.* Hæc B. Iustinianus.

Cor B. V. Passionis Christi fuit Speculum.

3. In eundem quoq; Granadillæ florem ingeniosè, doctèq; lusit P. noster Gualterus

terus Paullus in Cantico illo, quod auspicijs Imperij Ferdinandi III. dedicavit, ita concinens:

Quis author est? quis ille?
Qui format arte seriâ
In flore Granadilla
Passi DEI mysteria?
Est Granadilla luctus
Imago funestissimi:
Qui prodit inde fructus
Saporis est dulcissimi.
In Flore tam suavi
Hæc sculpta sunt ænigmata:
Crux, hasta, tresq; clavi,
Et dira quinq; stigmata;
Virga, columna, scala,
Corona spinis horrida,
Miraculumq; tale
Fert Zona Mundi torrida.
In Indijs videtur
Christi renata Passio,
Vt cordibus creetur
Vel barbaris compassio.

Verè non in Indijs solum, verùm etiã, & multò magis corde Virgineo Christi renata, & repræsentata est Passio, ut non modò viscera nostra ad Filij, verùm etiã Matris compassionem moverentur.

4. Hanc porrò Passionis Dominicæ quò perfectiùs, velut in Granadilla, velut quopiam in speculo imaginem, similitudinemque repræsentatam intueremur, voluit in Monte Calvario, tanquam in theatro Virgo juxta Crucem stare, Filijsq; in se dolores toti Mundo manifestare. Hinc testis oculatus Dilectus Domini Discipulus fatetur, eam juxta ipsam Crucem Filij constitisse; cùm perspicuum sit, objecta magis approximata speculis, magis etiam clarè eorundem species exprimere consuevisse. Vnde Simon de Cassia lib. 2. Vitæ Christi cap. 27. Vir sanè ex Augustiniana familia pius æquè, ac doctus, Crucem illam Christi, ait, fuisse Virtutis exercendæ imaginem; Crediderim ego charitatis potissimum, ob dimensiones, quas ad instar Crucis habere videtur. Sed Viri hujus pij verba audiamus: *Stetit etiam Virgo iuxta virtutis exercendæ Imaginem. Quadrifaria enim virtus, & comprehensio optimi in illa consistit, sublimitatis, longitudinis, latitudinis, ac profunditatis, quæ dimensiones dum indagata comprehenduntur, iuxta Crucis virtutem non otiosè consistitur.* Concludit tandem Virginem ex illa ad Crucem vicinitate, Christiformem & Cruciformem evasisse. *Itaq;*, inquit, *B.V. facta per omnia Christiformis & Cruciformis stat diligens, & diligenter iuxta Crucem.* Idem Vir Religiosissimus loco jam citato, juxta Crucem stetisse Deiparam ait, tanquam juxta suum principium, ac originem, unde fuerat exorta. Nisi enim prima mortalium omnium Mater Eva ligno illi vetito scientiæ boni, & mali approximasset, Maria Virgo, Christi Mater minimè extitisset, ac proinde juxta Crucis lignum vicina, in morte Filij minimè stetisset. *Stat*, inquit Simon, *iuxta Crucem altigena Virgo Mater ad intuendum unde fuit exorta. Nam ex duobus lignis, uno contempto, scilicet Vitali; altero, scilicet, Scibili contra inhibitionem tacto, ipsa velut è duabus amaris radicibus prodijt. Nec alia genimina fecere Crucem, in qua Christus pœnaliter & Diviné stetit, nisi negligere debitum, & operari prohibitum.*

B.V. stetit juxta Crucem Filij, ut ipsius passioné, velut in speculo nobis clariùs repræsentaret.

B.V. maximè charitatis patientis Christi in se repræsentavit Imaginé.

B. V. juxta Crucé Filij stans facta est Cruciformis.

M. origo, ex peccato Evæ.

5. Ad declarandam hujus fortissimæ Virginis constantiam in perpetiendis acerbissimis Filij doloribus de Statione illa juxta Crucem Iesu, præclarè varij excurrunt Patres; & Statione quidem illâ Deiparæ incredibilem ejus animi fortitudinem; vicinitate verò ad Crucem intimam cum Crucifixo Filio per charitatis affectum unionem, transformationemque declarant. Audiendus in primis D. Ambrosius libro de Instit. Virg. cap. 7. *Stabat*, inquit, *ante Crucem Mater, & fugientibus viris stabat intrepida. Videte utrum pudorem mutare potuerit Mater IESV, quæ animum non mutavit. Spectabat pijs oculis Filij vulnera, per quem sciebat omnibus futuram redemptionem. Stabat non degeneri Mater spectaculo, quæ non metueret peremptorem. Pendebat in Cruce Filius, Mater se persecutoribus offerebat; non ignara mysterij fuit, quod genuisset resurrecturum.* De hac item Statura, interiorem mentis, animique constantiam, ac statum denotante, piè de more discurrit S. Anselmus Commentarijs in illum Ioannis locum: *Stabat*, inquiens, *in fide IESV constantissima, & patientissima. Nam Discipulis fugientibus, cunctisq; viris recedentibus, in gloriam totius fœminei sexus, inter tot pressuras Filij sui constanter ipsa sola stabat in fide IESV firma; & pulchrè stabat, ut decet pudicam Virginem. Non se laniabat in tanta amaritudine, non maledicebat, non murmurabat, nec vindictam hostium a DEO petebat, sed stabat disciplinata, verecunda Virgo patientissima, lacrymis plena, doloribus immersa.*

Statio B. V. ad Crucem indicat ejus constantiam; vicinitas Crucis, eius cũ Christo patiente unionem.

Magnanimitas B.V. penes Crucem Filij.

B.V. doloribus Filij patientis immersa.

immersa. Hactenus S. Anselmus.

6. Vicinitatem Virginis ad Crucem, ejusque mirabiles effectûs devotissimè, ut assolet, Seraphicus descripsit Bonaventura, clarissimè demonstrans propinquitatem hanc, Crucifixi Filij Imaginem in corde Virginis expressisse, dum in stimulo Amoris cap. 4. sic Virginem juxta Crucem stantem, alloquitur: *O Domina mea ubi stas? Nunquid iuxta Crucem? imò in Cruce cum Filio cruciaris; Ibi enim crucifixa es secum. Hoc solùm restat, quod ipse in corpore, tu verò in corde es passa, & singula vulnera, per corpus eius dispersa, in tuo corde generaliter sunt unita; quia nempè tuam ipsius animam pertransiuit gladius. Tu Domina in tuo corde es lanceata, tu amaris clavis inclavata, tu de spinis coronata, tu illusa, & exprobrata, tu contumelijs, & maledictis affecta, tu etiam felle & aceto potata. O dulcissima Domina, cur ivisti immolari pro nobis? Nunquid non sufficiebat nobis Christi Passio, nisi crucifigeretur & Mater?* Hæc de Virginis juxta Crucem, ac cruci affixum Filium Statione, in eumque transformatione Divinissima, Bonaventura.

M. cum Filio crucifixa.

M. in corde, vulnera Christi unita sũt.

M. immolata pro nobis.

7. Stabat juxta Crucem Mater IESV. Stabat verè contra mortem intrepida, charitate illâ fortissimâ in Filium ad instar mortis roborata, atque confirmata, poteratque jure merito ærumnas omnes, calamitates omnes, vitæque pericula omnia audacter cum Apostolo, Crucem complexa quam arctissimè provocare: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? In his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certa sum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatûs, neq; Virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo IESV Domino nostro.* Rom. 8.

B.V. charitate Christi Crucifixi roborata, provocare videbatur omnes adversitates cum S. Paulo.

Quã præclarè de hac Virginea fortitudine, ac magnanimitate pijssimus Guerricus Abbas serm. 4. de Assumptione. *Stabat iuxta Crucem planè Mater, quæ nec terrore mortis, Filium deserebat. Quomodo enim morte teneri poterat, cuius charitas fortis ut mors, imò fortior quam mors erat. Planè iuxta Crucem stabat, cuius mentem dolor crucis simul crucifigebat, suamq; ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius, quantis confossum corpus Filij cernebat vulneribus.*

M. in Filiũ charitas morte fortior.

B. V. mẽtem dolor Crucis crucifigebat.

8. Beatus Laurentius Iustinianus lib. 6. de Agon. Christi cap. 18. vivis, iisque miris coloribus hanc Virginis juxta Crucem Stationem describit. Ait enim eam juxta Crucem stetisse dilectissimi Filij, ejusdem acerbissimæ Passionis altissimâ contemplatione defixam, triplicique, doloris, admirationis, atque amoris funiculo cruci alligatam; atque ex hac ad Natum propinquitate in eundem patientem, crucique suffixum planè quodammodo transformatam. *Aderat*, inquit, *ibi propè Filium, doloreq; nimio absorpta tenebatur. Nusquam cognitionis suæ intentionem divertere valebat. Tota erat cum Filio, & tota rapiebatur in Filium; in corpore Filius, in mente verò erat Genitrix Crucifixa. Oculos lacrymis suffusos erigebat in Filium, illosq; illicò demittebat. Non enim valebant Materna viscera horrendum Nati intueri supplicium. Quò se illius figebat obtutus, mœstus retundebatur animus visionis horrore. In capite coronam spineam, in facie sputa, gelatum sanguinem, & speciem deformatam. In manibus & pedibus clavos infixos, vulnera dilatata, defluentem cruorem, rigidosq; nervos; in toto demum corpore livores, tunsiones, excoriationes, tumoresq; cernebat. Vndiq; vehementissimi doloris aspiciebat insignia, & tamen iuxta crucem stabat. Tenebatur funiculo triplici, doloris videlicet, admirationis, & amoris. Dolore equidem, quia præsentis passionis gladius ipsius transfixerat animam. Verùm tamen in corde transverberata gladio, & mente crucifixa, quò se divertere valebat? Admiratione autem; cùm quis pendebat, tacita cogitabat. Illum verum DEVM esse sciebat in sui natura impassibilem, immortalem, invisibilem, atq; beatum. Quoties igitur conferebat in corde suo, & eundem impassibilem, & passibilem, mortalem, & immortalem, visibilem, & invisibilem: miserrimum intelligebat, & beatum, ultra quam credi posset admiratione suspensâ tenebatur. Quomodo admiratione non raperetur extra se, & redderetur immobilis, cùm scrutator Maiestatis absorbeatur à lumine gloriæ? Et quis unquam familiariùs quàm B. V. in Divinæ contemplationis agnitione admissus est? Amore verò, quia unicus ei erat Filius, cunctis formosior, sanctior universis, decoratus moribus, virtutibus plenus, ac gratiarum locupletatione conspicuus. Materno siquidem amoris vinculo secum conglutinata tenebatur: Prævaluerat tamen dolor, & mentis eius ita secreta compleverat, ut vix amori, & admirationi esset locus.* Sic ille.

B.V. iuxta Crucem Filij stabat dolore nimio tota absorpta.

In corpore Filius, in mente Mater erat crucifixa.

M. triplici funiculo ligata Cruci, doloris, admirationis, & amoris.

Christus in Cruce admirabilis, quia miserrimus, & beatus &c.

9. Intrepidam hanc Virginis Stationem aptissimè etiam P. Petrus Canisius Germaniæ Apostolus lib. 4. de MARIA DEIP. cap. 26. describit verbis hujusmodi, quæ Virginis altissimam sub Cruce contemplationem, constantiam, eximiamque animi magnitudinem, charitatemque in Filium ardentissimam nobis proponunt: *Stabat*, inquit, *non sine stupore contemplans illam inexplicabilem DEI bonitatem, quæ pro seruis Filium, in tam acerbam mortem traderet; & iustitiam, qui tam atroces, ab innocente pœnas, pro sontibus pendi vellet; & liberalitatem, qui scelerato Mundo preciosum illum donaret sanguinem, & copiosam Vnigeniti Redemptionem etiam ingratissimis cuperet applicare. Stabat partim gratulabunda, quod Filium tam gloriose certantem, hostesq; omnes breui victurum intelligeret, partim mœrore quasi confecta, quod solùm calcantem torcular Filium, & non humanâ modo; sed & Divinâ quasi ope destitutum, & undiq; suo conspersum sanguine, extremosq; trahentem spiritûs conspicaretur; se verò hoc Vnico suo in terris fraudatam iri doleret. Stabat suæ constantiæ, atq; virtutis, quæ rebus adversis probanda erat memorandum exemplum posteris prabitura. Stabat sexu imbecillis, animo virilis, & intrepida, ipsis etiam Apostolis fortior, tantò licet impiorum, & immanissimorum hostium agmine circumsepta, tantoq; sanctæ dilectionis igne succensa, ut neq; Iudæorum furore, neq; militum sævitiâ, neq; comprimentium turbâ, neq; doloris acerbitate, à Statione sua posset dimoveri.* Hactenus Canisius.

Mira B. V. constãtia, animique fortitudo iuxta Crucem.

10. *Stabat iuxta Crucem.* Stabat verè juxta Crucem, eique confixum, totoque corpore immanissimè dilaniatum Filium, stabat, inquam, veluti Marpesia cautes, dolorum undis, tribulationumq; procellis, undique circumsonantibus, circumdata. Quam Stationem, animique incredibilem quandam eminentiam, atque constantiam Hieronymus Vida Albæ Episcopus venustissimo carmine exornavit lib. 5. Christiados.

B. V juxta Crucem stetit, ut Marpesia cautes suâ fortitudine, ac constãtiâ.

Vt verò informi mulctatum funere Natum
Affixumq; trabi media iam morte teneri
Aspexit coram infœlix, ut vidit ahena
Cuspide traiectas palmas, palmasq;, pedesq;,
Vulnificisq; genas, fœdataq; tempora sertis,
Squallentẽ ut barbã, turpatũ, ut sanguine crinẽ.
Deiectosq; oculos, durâ iam in morte natantes,
Inq; humeros lapsos vultûs, morientiaq; ora,
Alpino stetit ut cautes in vertice surgens,
Quam neq; concutiunt venti, neq; sæva trisulco
Fulmine vis cœli, assiduus nec diluit imber
Hispida, cana gelu, longoq; immobilis ævo
Ipsi illam montes, ipsa illam flumina longè
Videre ingentem fessa miserata dolorem,
Æq; sacro aëreæ lacrymarunt vertice Cedri.

M. constã tia in morte Filij.

11. Sanctus Bernardinus Senensis Tom. 1. ser. 51. cap. 2. docet DEIPARAM Statione hâc juxta Crucem cum Filio fuisse Crucifixam. Cùm enim præmisisset verba Evangelistæ: *Stabat iuxta Crucem, &c.* Mox attexuit: *Parum dixisti, ò Euangelista, perfectis auribus aliquid maiùs dicere potuisse. Stabat, tu inquis, iuxta Crucem IESV Mater eius, cùm in ipsa Cruce penderet: vel ei plùs utique debes, quam reliquis, de quibus dicis: Et Maria Cleophæ, & Maria Magdalena; omninò plùs illa ad Crucem propinquabat, quàm quicunq; alij, quia non solùm iuxta Crucem stabat, verùm etiam in Cruce pendebat, de se enim in se nihil remanserat. Tota commigraverat in Dilectum, & dum ille corpus, ista spiritum immolabat. Sed quâ parte stabat Virgo MARIA iuxta Crucem? Vtiq; ad sinistram Christi, secundùm Alexan. de Hales, scilicet, ut pro peccatoribus Filium exoraret, qui à sinistris Domini sunt. Aliter non verificaretur, quod in persona Christi pendentis in Cruce, Propheta ait: Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognosceret me; non autem dixit ad sinistram, quia ibi erat B. Virgo pro peccatoribus, uti dixi, exorans.*

M. stans juxta Crucem Iesu, cum illo in Cruce pendere videbatur

B. V. ad sinistram Crucifixi stabat, ut pro peccatoribus exoraret.

12. Pelbartus de Themisuar Pannonius Ordinis Seraphici vicinitatem hanc Crucis, Matri Christi summam doloris acerbitatem peperisse scribit lib. 3. Stell. Par. 2. art. 2. cap. 3. Vnde inter varias doloris causas, quæ magnitudine suâ Virginem afflixerunt, primam ponere non dubitavit; Dilecti præsentiam: *Stabat iuxta Crucem IESV*, inquit ille, *Mater eius. Stabat, inquam, Sponsa amoris, Mater Salvatoris, & ideò summè dolebat, cùm oculis suum Vnicum sic in præsentia cruciari cernebat. Plùs namq; quælibet Mater condolet de pœna Filij in præsentia, quàm in absentia. Vnde Bernard. O viscera Materna beatissima, quanta fuit intra vos commotio in illo tempore, cùm dissecaretur oculis videntibus, & laceraretur caro illa sacrosancta, quæ intra vos tam dulciter à Spiritu Sancto est compacta. Verè dolor, qui ab alijs Matribus exprimitur in præsentialibus natorum tormentis exterioribus, & signis, & clamoribus, penè totus intra te, ò fœlix Mater conversus, viscera tua inennarrabiliter commouit. Noueras enim integrum corpus tui Filij egressum de utero tuo Virginali, & ecce videbas dilaceratum, & conscissum,* vulne-

MARIÆ Præsentia morientis Christi summum dolorem peperit.

vulnere super vulnus; manus clavis confixas cruci, & pedes perforatos, ac latus, & sanguinē decurrentem in terram. Consueveras de ore illo aureo semper cœlestia, consolatoria verba audire; & ecce audis in Cruce præ angustia clamantem: DEUS DEUS meus, &c. Vultum ante radiantem Divino radio cernebas, qui iam expalluit, exarnit, conspùtus, truentatus est. Propterea ipsa B. V. dicere potuit: Vide Domine, DEUS Pater, scilicet, quoniam tribulor, subversum est cor meum, in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. Thr. 1. Foris interficit gladius, dum Filio infertur vulnus, & domi, id est, in corde tuo mors similis, multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens. Accedebat ad dolorem hunc alius, cùm videret, omni adjutorio carentem Filium. Neque enim à Patre, vel Angelis, vel hominibus ullum auxilium adveniebat, & ideò in Cruce clamavit: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me.* O quantum dolorem cor Virginis habebat, cùm suum Vnigenitum sic ab omnibus derelictum videbat! Vnde dicere poterat cum Iobo cap. 19. *Fratres meos longè fecisti à me, & noti mei quasi alieni recesserunt a me.*

M. dolor maximus, quia videbat Filium in Cruce sine adjutorio.

13. Accedebat dolori huic, alter non inferior, quod dilectissimum Filium tantis doloribus excruciatum, in nullo juvare poterat. Leviùs enim Materna viscera quatiuntur, cùm patientibus Filijs, quapiam in re aut per se, aut per alios prodesse possunt. Sed Virgo benedicta nullum juvamen Filio afferre poterat, quia valde altè erat in Cruce sublevatus. Vt enim dicit Magister in Hist. Lignum Crucis 15. pedibus in altitudinem erigebatur. Et ideò eum B. V. manibus tangere non poterat, nec caput, præ dolorum magnitudine inclinatum sustentare, nec lacrymantes oculos extergere, aut vulnus ligare, aut aliquod solatium impendere. Vnde hinc dolorem maximum oriri necesse fuit. De hoc ita Anselmus: Quis æstimare potest, quantâ tristitiâ, mœrore, & dolore vulnerabatur cor Maternum, super Vnici, & naturalis Filij Passione, quem tam castè concepit, tam gaudiosè peperit, tam dulciter aluit. Vidit eum ligatum, & solvere non poterat; vidit corpus vulneratum, & vulnus alligare non valuit: vidit sanguinem in faciem fluere, & abstergere nequivit; caput inclinatum & sustentare non potuit; flentem præ tristitia, & consolari nequivit. Audivit eum dicentem: Sitio, & ei aquam ministrare non fuit possibile. Sic Ansel. O Virgo dulcissima, nonnè tuum sanguinem preciosum eidem tuo Filio, si fuisset possibile obtulisses? nonnè morti teipsam, pro ipso exposuisses? nonnè ei famescenti cibum præparasses? nonnè ulnis circumfovisses? Verè credo, & fateor, quod omnia sustinuisses, ut ei aliquod juvamen afferre valuisses.

M. dolor maximus, quod in nullo poterat Filiũ cruci affixũ juvare.

14. Ad hos dolores omnes denique Virginis Cruci adstantis, quasi Cumulus accedebat; summa Dei injuria, atq; ignominiâ, de qua summè dolebat, quia summè DEUM amabat. Quantum putas Virgo doluit, cùm DEUM sic humiliatum vidit; summè pulchrum sic deformatum; summè dulcem, sic amaricatum, ut Creator omnium, à miseris hominibus; justus ab injustis tormenta latronum, coram notis, & charis, talia & tanta ludibria, dira verbera, pœnasque pateretur? Itaque ò fidelis anima plora cum Maria, super ejus Vnico Filio dulcissimo IESU DEO tuo, pro te patiente. Considera tot & tantas lacrymas, & frange, ac coge cor tuũ ad ploratum. Ploravit namque Christus in Cruce, ploravit benedicta Virgo Mater ejus sub Cruce. Denique Angeli pacis amare fleverunt. Isa. 33. Propterea Sol luctum ostendit, obscuratione, petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, præ dolore. Frangatur igitur tantis exemplis cor tuum lapideum. Audi Christum in Cruce tibi dicentem apud Bernardum: O homo vide quæ pro te patior; ad te clamo, pro te morior; vide pœnas quibus afficior; vide clavos, quibus confodior; vide lacrymas, quas pro te fundo, ut verè dicere possim: Quia caligaverunt oculi mei à fletu meo. Et licet tantus sit dolor exterius, eò tamen gravior est interius, dum te ingratum video. Compatere igitur, & plora, ne ingratus videaris. Si membrum es Christi, compatere capiti Christo in Cruce confixo, compatere quoq; ejus Matri dolenti. Hæc ferè Pelbartus de doloribus Virginis Cruci Christi adstantis, deque causis, quæ tantos illi cruciatûs attulerunt, corque ejus, animamque; quæ unum quid per amoris vehementem affectum erat, cum anima dilecti, ut inquit Gorra apud eumdem Pelbartum; velut gladio pertransierunt atque

B. V. dolor maximus sub Cruce ob Dei injurias.

Christus Crucifixus nos ad cōpatiendũ sibi invitat.

atque transverberârunt; ita ut sauciata anima Deiparæ, necessariò anima ipsius dilectissimi Filij, in quem Virgo Charitatis vi fuerat transformata, sauciaretur.

15. Stationem hanc denique Deiparæ ad Crucem Filij, pijssimis, ac Divinum planè amorem spirantibus Rhythmis descripsit Seraphici Ordinis P. Ioannes Hondemius Anglus, qui dum Matrem acerbissimos Filij dolores contemplantem introducit, Martyrem multis mactatam mortibus fuisse asseverat, dum canit:

Adstat Mater migranti Filio,
Simeonis consumpta gladio
Quam plùs necat Nati migratio
Quam necaret mortis illatio.
Videt caput sub spina deyci,
Frontem Floris fractam magnifici,
Os verendum sputis sic infici
Quo lætatur se Seraph affici.
Clara videt lugere sydera
Et in fronte languere libera,
Quæ cum luce transcendant cætera
Morte lugent, & languent aspera.
Cum pupillæ splendor obvolvitur,
Quo supremus Seraph afficitur,
Migrat Mater, imò plùs patitur,
Quam inducit mors, cùm inducitur.
Mater Martyr quid corde senseras
Cum pallere, quæ dudum paveras
Labra vides? & fronte literas
Pennâ scriptas spinosâ legeras?
Pectus tibi dudum deliciæ
Cujus vincunt flores fragrantiæ,
Cùm suspirat vi mortis anxiæ
Martyr migras telo tristitiæ.
Ferrum videns fixum in pedibus
Et attendens clavos in manibus,
Quæ jam vernant stellis rubentibus
Multis Martyr mactaris mortibus.
Pœna partu, quæ te non tenuit
Iam in Nati nece te necuit
Trux Natura quæ tunc non potuit
Nunc elimat, nunc telum acuit.

M. Martyr multis mactata mortibus.

Sic Hondemius magnanimam illam Deiparæ Cruci Filij doloribus plenissimam descripsit assistentiam, atque vicinitatem. Quâ sanè Increatam illam æmulari, atque imitari visa est Sapientiam, quæ sicut in Orbis creatione, universorum astitit Opifici, ipsâ attestante Prov. 8. *Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & liberabat fontes aquarum, quando appendebat fundamenta terræ cum eo eram:* Sic Virgo nostra in ejusdem Orbis recreatione, atque instauratione, cùm eadem fuerat Sapientia. Vnde à SS. Patribus Mundi perditi Reparatrix vocitari consuevit.

M. Filio morienti juxta Crucé astans, Sapientiã æternam Mundum creantem imitata.

16. Causas porrò Virgineæ hujus ad Crucem Filij assistentiæ diversas luculenter exposuit devotissimus, Virginique addictissimus Dionysius Richel. lib. 3. de Præcon. & dignitate B. V. Art. 25. quas omnes Divinæ Sapientiæ dispositioni attribuit: *Tu Domine universorum*, inquiens, *sapienter cuncta disponis.* Sapient. 8. *Cur ergo, IESV bone, ò mitissime Agne, præcordiali, dulcissimæque non pepercisti Genitrici, ordinans ne tuam præsens & adstans passionem videret? Sed quia nil prorsus sine tua contingit providentia evenire permittis, non utique absque sublimi, & admirabili causâ amorosam tuam Matrem morti, Crucique assistere ordinasti. Enimverò totius nostræ salutis eam cooperatricem esse volebas, eamque Ecclesiæ Advocatam statuisti, atque per eam multos salvare decrevisti; ideòque & eam tibi compati voluisti, vt ob id materna suæ compassionis merito, ad misericordiam tu ipse esses promptior, non utique tamquam tuæ mortis sanctitas, meritumque non suffecerint, sed vt hunc quoque ipsi honorẽ impenderes, atque per ejus patrocinia desperatos, eosque qui tuæ passioni ingratos, & indignos sese exhibuerunt, reparares. Ideò præterea, vt per hoc & ipsa proprium cumularet meritum. Scimus enim quoniam si compatimur, & conregnabimus Rom. 8. Deniq; qui plùs compatitur, ampliùs & conglorificabitur. Ideòque quemadmodum Sancto Sanctorum incomprehensibiliter compassa est Sancta Sanctarum, sic & in gloria simillima constituta est.* Tandem ad Christum de Cruce pendentem conversus, sic eum deprecatur: *Nunc igitur, ò summe Christe, ò bone IESV, ò hominum amator, Mariæque Fili quoniam tuæ sanctæ Passioni, Cruci, & Sanguini tam ingratus huc usque ego extiti, non tibi condolui, neque patienti conformatus sum, nec Crucifixo confixus, & ideò derelinqui, perireque merui, præstantissima quæso tuæ Matris merito compassionis, me salua, ipsi me trade; & tu ò Bona me suscipe, & sacratissima tuæ compassionis merito, in æternum conserva.* Hæc Dionysius de causis, quibus mota Deipara Cruci dilectissim. Filij adstare voluit.

B. V. Cruci Filij adstitit tanquam nostræ salutis cooperatrix.

B. V. suã ad Crucẽ Filij assistentiã propriorẽ Dei misericordiam nobis promeruit.

B. V. suã ad Crucẽ assistentiã suum cumulavit meritum, & gloriã.

17. Hos dolores Virginis, ingentemque desolationem breviter descripsit Baptista Mantuanus lib. 3. Parthen. dum ita Matrem sub Cruce, alloquentem Filium introducit:

Nate DEI, qui fers humana piacula solus:

Me

Me affligi simil, atq; tuos sentire dolores
Cogit amor; Natura jubet: mihi ferrea plantas
Spicula, mortifera penetrant mea pectora sentes,
Cordaq; dilaniant: miseros vix sustinet artus
Spiritus: atq; utinam tecum mihi Nate liceret
Afflictos finire dies, & cedere vitâ.
Omnia te nobis meliùs præsente ferebam.
Sed postquam te livor edax, & avara Cupido
Oppressère; nihil superest nisi triste, & amarum.
Nulla meis, sine te solatia, nulla voluptas
Rebus erit; tecum pereunt mea gaudia, tecum
Omne meum solamen obit; suspiria tantum,
Singultusq; mihi sine te, & lamenta supersunt.
Ah quam dulce foret Matri, si viribus usus
Nate tuis, propria fugeres dispendia vitæ.
At postquam pietas, & inennarrabilis ardor
Tanta pati, tantoq; premi te pondere cogunt:
Esto mei saltem memor, & miserere tuorum,
Quos moriens, inter tam sævos deseris hostes.
Postq; tuos, Matrem reditus, mi Nate revise.
Adventus sperare tuos concede Parenti,
Atq; tuos iterum vultus, atq; ora tueri.
Hæc mihi spes lenimen erit, curasq; levabit.

Hæc V suarum amaritudinū, dolorūq;, ob cruciatus Filij acerbissimos, ac mortem levamen, lenimenq; quærens.

18. Dolentis, amantisq; Matris in dilectissimum suum Filium affectûs hos pervenustè expressit S. Ephræm Syrus in Threnis B.V. dum eam ita lamentantem, Filioq; animitus compatientē introducit: *Quomodo in ligno pendes mortuus, ac denudatus mi Fili, qui cœlum nubibus tegis? Quomodo sitim tulisti, qui universorum es Conditor, quiq; maria, & aquas omnes creasti? Quomodo innocens in medio flagitiosorum, & impiorum moreris? Quid fecisti? aut in quo Hebræorum gentem Fili mi offendere potuisti? Et cur scelerati illi, ac ingrati te in ligno Crucis suspenderunt? Quorum claudos & languentes plurimos sanasti, mortuos ad vitam revocasti, paralyticum consolidasti; quiq; à nativitate cæcum illuminasti Salvator optime, & viduæ filium vitæ reddidisti ô Vita universorum: qui Chananeæ filiam servasti, & Centurionis filiū à morte liberasti. Arena quantumcumq; numerosa suam habet mensurā. At tua mi Fili miracula omnem planè modū superant. Lazarum à monumento suscitasti fœtidum, vox tua eum traxit ab Inferis, & ad vitales revocavit auras. At tu quomodo jam occideris mi Fili dulcissime. Deficit mihi animus dum te Crucifixum intueor conclamatum, plagisq; plenum amantissime Fili. O Iudæi impij, in Creatorem vestrum ingrati. Nunquid in Eremo non ipse vos mannâ aluit? verùm vos pro bonis mala rependitis, fel pro Manna, pro dulci aqua, acetū reponentes, potione enim amarissima te potaverant iniquissimi illi, mi Fili, qui quinq; hominum millia quinq; panisti panibus, & totam Iudæā tuis implevisti prædicationibus. Ecce mors tua Fili mi, cor meum subijt, disrupta sunt viscera mea, lumen meū obscuratum est, pectusq; meum dirus gladius pertransijt.*

19. Quanti autem dolores illi fuerint, atque cruciatûs, quos Mater Sanctissima, Cruci confixo adstando Filio, in semetipsa repræsentavit planè incomprehensibiles, planè inennarrabiles esse videntur, ut S. Bernardus in Lamentat. B. V. declaravit: *Nec lingua*, inquiens, *poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ.* Vnde S. Damasc. & idem Doctor mellifluus, eos doloribus parturientium comparavit. Inde conversus ad Virginem, eandemq; alloquens, subjungit: *Nunc solvis Virgo cū usura, quod in partu non habuisti à Natura. Dolorem pariendo Filiū non sensisti, quem millies replicatum, Filio moriente passa fuisti.*

Dolores B.V. inennarrabiles

M. dolores ut parturientis.

20. Tantus porrò tamque intensus Virginis hic dolor extitit, ut eum omnes Mundi creaturæ simul unitæ sufferre minimè potuissent, quemadmodum D. Bernardinus Sen. testatur tom. 3. serm. 45. Par. 2. Addit insuper: *Quod si dolor ille foret partitus, & divisus inter omnes mundi creaturas vitales, caderent mortuæ; Quia quantò plùs amabat Christum Virgo Beata, tantò plùs dolebat, & amor suus, quem ipsa portabat Christo ejus unigenito Filio, erat infinitus.* Quæ infinitas non Physica sed moralis censenda est. Rursus cùm amor quo Filius prosequebatur Matrem fuerit infinitus, sequitur dolorem quoque, quem de ejus experiebatur cruciatibus (ut de doloribus ejus proprijs sileam) fuisse quodammodo infinitum. Cùm ergo Deipara Imago quædam, ac Speculum dolorum, cruciatuumque Christi Filij dilectissimi, eosdem in se ad vivum repræsentando, extiterit, consequens sanè est, ut Virginei hi dolores fuerint interminati, atque immensi, perinde atque illi Filij. Hos declarant voces illæ lamentabiles. *O vos omnes qui transitis per viam attendite & videte si est dolor similis sicut dolor meus.* Thren. 1. Ad quæ verba addit Seraphicus Pater: *Quia omnes dolores mundi, & alij suprascripti si essent simul conjuncti, non essent tot, & tanti, quantus fuit dolor gloriosæ V. M. reverberati & recepti cum crudelissima passione Christi.*

Dolor B. V. si fuisset divisus in creaturas omnes, fuissent enectæ.

M. dolores de morte Filij fuère infiniti.

21. Quod si oculorum dolor, utpotè partis maximè sensibilis, ac delicatæ esse consuevit acerbissimus: quantus, Deus immortalis, cruciatus esse debuit Deiparæ, quæ dolores omnes, quos Filius

M. in oculis omnes Filij cruciatûs ferebat.

liùs totis membris corporis excepit, ipsa suis excipiebat oculis, altèque in cor defixos transmittebat. Atque ita quot flagella, ac verbera dorsum, quot spinæ sacrosanctum ejusdem verticem, quot clavi, manûs, pedesque, quot lanceæ latus perfoderunt, totidem planè & oculos Matris amantissimæ pupugerunt, lancinârunt: ita ut verè dicere & ipsa potuerit cum Filio amicorum suorum persecutiones, ac tormenta ægerrimè ferente: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. Filius enim Matri, ipsâ oculorum pupillâ, ipso corde, ac præcordijs, ipsâque vitâ longè charior extitit. Vnde ejus cruciatus vel solis hausti oculis, incredibilem ei dolorem attulerunt, erantque totidem gladij, qui amantissimam ipsius animam pertransibant, eandemque inusitato quodam martyrio afficiebant. Evenit sanè Virgini nostræ illud, quod generosissimæ illi Machabæorum Matri, oculis proprijs crudelissimam illam Filiorum lanienam excipienti. De qua Divus pronunciavit Augustinus serm. 109. ex diversis cap. 6. *Illa videndo in omnibus passa est, facta Mater septem Martyrum, septies Martyr, à Filijs non separata spectando, & Filijs addita moriendo. Videbat omnes, amabat omnes, ferebat in oculis, quos in carne omnes.*. De eadem fortissima Heroina non dissimilia protulit S. Cyprianus, dum Martyrium ipsius oculorum, martyrio ipsi Filiorum comparavit: *Tam grande Martyrium DEO præbuit virtute oculorum suorũ, quam præbuerũt Filij omnes, tormentis, & passione membrorũ.*

Machabæorum Mater spectãdo septem filiorum mortem, septies Martyr.

22. Intellexit dolorem hunc oculorum Deiparæ, quibus passionem, doresque acerbissimos contemplata est Dionysius Richelius lib. 3. de Præcon. & Dignitat. B. V. cùm dixit: *Demum in Calvariæ locum deventum est. Et en mox te ò Maria cernente quem diligit anima tua nudatur, & formosissimum illud corpus nunc deformissimum, miserrimumq; videtur; quippè quod sic laceratum, sanguinolentumq; extitit, Cruci hinc superimponitur, & confestim manûs illius & pedes, diris, obtusisq; clavis confodiuntur, & universum sacratissimum, & Deiforme illud corpus violentissimè à nefandis distenditur, ut in pristino, naturaliq; loco membrum nullum remaneret, & ipsa insuper ossa dinumerari possent. Tota namq; solvebatur sanctæ, delicataq; carnis compago, & venæ rumpebantur & nervi. Hæc autem confossio, ac distensio acerbissimum erat tormentum. O res superamara, ò superdolorosum spectaculum, dum affectuosissima, mitissimaq; Mater Vnicum suum Filium sic mactari conspicit, ipsumq;, ut fertur, capitis sui velo, involvit. O duri ictûs, acerbissimiq; sonitûs dum spissos clavos in Filij tui manûs, & pedes incuti præsens audisti & vidisti. Enimverò quo eum, ò Domina, meliùs noveras, eò pœnaliùs condolebas. Non te latuit natura ejus amabilitas, cordis suavitas, mentis sanctitas, teneritudo, passibilitasq; complexionis. Vbi nunc ò Maria, vidua mœstissima, ubi nunc vox illa amœna: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Hunc enim aspicis, & non est ei species, neq; decor, color ejus immutatus est, & cinereum versus in pallorem. Deniq; ubi vox illa nunc est: Ego Dilecto meo, & ad me conversio ejus? Iam enim ò Domina aufertur tibi, & ipse deserit te unicum vitæ tuæ solatium, cordis tui gaudium, lumen oculorum tuorum. Quem cernere, quem audire, cogitare, loqui; cui convivere, ministrare, uniri, adhærere, unicum erat refrigerium, & lætitia summa. Hunc tibi ò benigna rabidissimi canes auferunt, & te adstante, ac vidente occidunt.* Sic ille; quæ sanè incredibilem Virgineorum oculorum dolorem, martyriumq; indicant.

B.V. dolor oculorum in monte Calvario, dum Christus Cruci affigeretur.

B.V. auriũ dolores in Crucifixione Filij.

23. Quod si B. Brigitta li. 9. Revel. cap. 11. asserit Ioachimum, & Annam sanctissimos Deiparæ parentes in Sinu Abrahæ Crucifixum Dominum, nepotemque suum à longè odoratos, tantopere fuisse turbatos, ut maluerint æternis Inferni pœnis addici, quam talem pœnam, cruciatumque in Domino videre: & quas tandem pœnas expertam dicemus eorum Filiam, quæ non à longè, sed juxta Crucem stans, suis oculis acerbissimas illas Filij, toto corpore dispersas contemplata est passiones?

Parentes B. V. in limbo quãtum dolorẽ de morte Christi senserint.

Hos in spiritu prænoscens, atq; exhorrescens sanctissimus ille Senex Simeon, ultimus quidem in lege Moysi, ut loquitur Timothæus Presb. Hieros. ser. de Purif. primus verò in lege gratiæ; Religione Iudæus, Christianus animi gratitudine; Angelus sermone; vel hoc nomine ex hac vita quantocyus emigrare, oculosq; sibi à morte claudi quamprimum anxiè desiderabat, ne ipsis tam cruentam, atrocemque mortem Filij Dei conspicere, mortemq; oculorum suorum tam horribilem pati cogeretur. Vnde idem Timothæus eum cygneâ, efferâque voce sic dulciter modulantem introducit: *Nunc dimittis &c. Vidi Domine jam tandem gloriam tuam, absolvar itaq; ab hac caducâ, &*

S. Simeon ne Christi cruciatûs videret quamprimum emori optabat.

momen-

momentaneâ vitâ. Vidi Angelorum Choros, audivi Archangelorum gloriationem, perspexi universam creaturam præ gaudio exultantem, animadverti cœlestia inter se transcurrere, pariterq; convenire. Absolvat nunc quæso Domine, ne diutiùs hic hærens, quæ nolim intueri compellar. Etenim Spiritus S. qui in me est, palam ostendit, quæ in te futura sunt. Dimitte me nunc obsecro, ne videam audax, nefariumq; Iudæorum contribulium meorum in te facinus. Ne videam coronam ex spinis contextam. Ne videam servum alapam impingentem. Ne videam lanceam in te adactâ. Ne videam Solem lumine orbatum. Ne videam Lunam, velut deliquium passam, ac obscuratam. Ne videam elementa immutata. Ne videam te clavis cruci affixum. Ne videam saxa disrupta. Ne videam Templi velum discissum. Ne ipsa quoq; elementa, quæ quod impium, execrandumq; ausum non ferrent, Domino condolere visa sunt. Nunc ergo dimittis servum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace. Sic ille, de doloribus, quos Dei Filiũ unà cum Matre perpessurum augurabatur, eligens longè libentiùs mortẽ, quàm hujusmodi cruentum suorum oculorum spectaculũ, quod tamẽ Virgo, vehementi amore saucia, videre non detrectavit.

24. Augebatur porrò dolor hic Virgineus oculis haustus, medullasque cordis penetrans, ex eo, quod cruciatus Filij, aliquâ ratione, uti Matres moribundis Filijs assistentes consuevere, mitigare, atque temperare non poterat, uti sæpè ex Pelbarto diximus. Dolores hos morientis Filij, descripsit B. Laur. Iust. lib. 6. de Ago. Christi c. 17. ex quorum descriptione in cognitionem Deiparæ cruciatuum facilè devenire poterimus. *Erat*, inquit ille, *Mediator confixus in ligno, omni carens doloris temperamento. In se namq; premebatur angustijs, in corpore cruciabatur vulneribus, & foris convitiabatur opprobrijs. Hinc inde Sanctissimum movebat caput, præ spinarũ punctionibus debilitatũ. Vbi illud firmaret minimè reperiebat. Nunc sinistrũ latus, nunc vertebat in dextrum, requiẽ quærens, nec inveniens, Cùm Cruci adhærebat, spinæ infigebãtur arctiùs: cùm illud erigebat sursum, diù perseverare non poterat. Satis autem fuisset, si hujusmodi tantũ capitis cruciatus supplicio extitisset, sed huic non minùs aspera jungebantur. Trium solùmmodò suspensus tenebatur virtute clavorum. Nam corpori, omni ex parte attrito Crux ipsa strata facta est. Porrò quando pro sublevando corporis afflicti dolore clavatis innitebatur pedibus, afficiebatur incredibiliter; si verò in brachiorum vigore pro mitigandis cruciatibus pedũm, suspendebatur, manuum supra modum dilatabantur fixuræ, addebanturq; vulnera vulneribus, & rediviva fessis membris supplicia inferebantur, sicq; incomprehensibili modo inde patiebatur vehementiùs.* Cùm ergo tam verba, tamque crudelia supplicia, dolores, ac cruciatûs humanis viribus planè intolerabiles Virgo Deipara dilectissimum Filium suum, oculis ipsis, ipsâque vitâ chariorem exantlantem in infami illa trabe conspicaretur, & ad instar vermiculi præ doloris puncturis, atque aculeis sese volventem, ac torquentem, admirabili toti Mundo patientiæ exemplo, contemplaretur, nec tantis ejus malis opem ullam afferre, pro suo materno in Filium affectu valeret; & illos demum cruciatus omnes corde expressos quodamodo gestaret, cogitandũ vobis relinquo, quantis quáq; acerbis cor illud Virgineum discruciatũ sit doloribus, quantis amaritudinẽ fluctibus circumvallatũ.

Christus in Cruce, omni doloris caruit temperamento.

Christi de Cruce pẽdentis manuum, pedùmque cruciatus.

25. Hinc idem B. Laurent. Iustin. lib. de Agone Christi c. 18. ubi dixisset, triplici funiculo Virginem ad Crucem Filij fuisse colligatam; dolore, admiratione, atque amore, subjungit postea prævaluisse dolorem adeò, ut vix admirationi, amoriq; reperiretur locus: *Fecerant enim*, inquit, *admiratio, & amor rivulos duos, qui indesinenter in doloris alveum profluebant, propter quod rapidissimum in corde Virginis, ex hujusmodi illuvione congregarant torrentem. Vnde in persona ipsius in Threnis legitur: O vos omnes qui transitis per viam &c. Iuxta admirationis, & amoris mensuram, doloris inerat magnitudo. Offensam quippè DEI, in pendentis æstimabat injuria, & pro cruciatu Filij acriter affligebatur in Filio. O quantus hinc, indeq; conflictus exercebatur in Virgine? Tanquam in spirituali constituta erat stadio, & indomitarum attrectata erat morsibus bestiarum.*

B. V. ad Crucem Filij dolore, admiratione, & amore colligata.

26. Ad hoc autem, ut hi inundates cruciatuum fluvij magis, magisque intumescerent, atque redundarent, Cruci quàm vicinissimè, amore stimulante adhærebat, ut ex conspectu dilectissimi Filij pœnæ, doloresque multiplicarentur. Id quod expressit B. Amadeus Lausannæ Episcop. Hom. 5. *Stabat*, inquiens, *juxta Crucem, ut illud dulcissimum caput Nati unctũ oleo justitiæ, præ participibus suis, arundine percussum, & spinis coronatum tristi spectaculo videret. Aspiciebat speciosum formâ præ filijs hominum, & in eo non esse speciem, neq; decorem; excelsum super omnes gentes, de-*

spectum, & novissimum reputatum; Sanctum Sanctorum, cum iniquis, & sceleratis affixum; oculos sublimis hominis humiliatos; & cervicem sustinentis omnia, humeris inclinatam pendere; serenissimam faciem DEI emarcuisse, & decorem vultus eius absconditum. Illi cui per Prophetam dicitur: Verè tu es DEVS absconditus. Quare absconditus? quia non erat ei species, neq; decor, & cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius. An non absconditus quando manus suas misit adfortia, & palma eius clavos consecuta sunt. Hæc Amad.

Christus in Cruce Deus absconditus, quia non erat ei species, neq; decor.

27. Hi porrò dolores, cruciatûsque Virginei, & multitudine, & acerbitate suâ, Martyrum omnium quotquot à sæculorum exordio, usque ad eorundem consummationem futuri sunt, pœnas, atque tormenta, infinitis modis superârunt. Vnde Sancti Patres eam plusquam Martyrem fuisse asseverant. Audiamus hac de re S. Anselmum lib. de Excell. Virg. cap. 5. *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil, comparatione tuæ passionis, quæ nimirum suâ immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuiq; benignissimi cordis intima.*

Dolores B.V. omnium dolores Martyrũ superârunt.

Quid de S. Hieronymo dicam? qui ser. de Assumpt. B. V. Virgineos dolores supra Martyrum attollit cruciatûs ex eo, potissimum capite, quod fuerint interni. *Rectè Beata DEI Genitrix, & Martyr, & Virgo fuit, quamvis in pace vitam finierit. Quod autem verè passa fuerit, testatur Simeon Propheta: Et tuam ipsius animam pertransiuit gladius. Ex quo constat, quod supra Martyrem fuerit. Alij enim Sancti, & si passi sunt pro Christo in carne, tamen in animâ, quia immortalis est, pati non potuerunt. Beata verò DEI Genitrix, quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur, ideò, ut ita fatear, quia spiritualiter & atrocius passa est, gladio Passionis Christi, plusquam Martyr fuit. Nimirùm & eius dilectio ampliùs fortis, quàm mors fuit, quia mortem Christi suam fecit.*

B.V. Martyr & Virgo fuit quamvis in pace mortua.

B.V. Mortem Christi suam fecit.

Quid S. memorem Ildephons. Virginem eandem ser. 2. de Assumpt. ob eosdem internos menti cruciatûs, Martyribus præferentem? *Plusquam,* inquit, *Martyr fuit, quia in animo, non minùs amoris, quàm mœroris fuit: est intus gladio vulnerata; parata enim stetit, & si non esset manus percussoris. Beata DEI Genitrix iure plusquam Martyr Mater est, quæ nimio amore vulnerata, testis extitit Salvatoris, & præ mœrore in animo cruciatum sustinuit passionis.* Hinc Beatus Ephrem Syrus orat. ad B. V. eam Martyrum honorem, decusque appellavit. Hinc Richardus à Sancto Laurentio lib. 4. de laudib. Virgin. explicans illud Iob 28. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, non lapidi Sardonycho pretiosissimo;* quo designari putat Martyres suo sanguine rubricatos ad instar illius lapidis; *Quorum,* inquit, *Martyria non sunt comparabilia Martyrio MARIÆ, quod passa est in animâ, quæ est impassibilis. Vnde ipsa est plusquam Martyr.*

B.V. Martyrum honor, ac decus.

Sardonyx significat Martyres.

28. Quid referam, jam memoratum B. Amadeum Hom. 5. de laud. Virginis, qui recensens internos dolores animi Abrahæ Patriarchæ, Filium immolare Divinitus jussi, Moysis zelantis salutem sui populi, & obliterationem sui Nominis de libro vitæ postulantis; Davidis pro subditis deprecantis; Apostoli denique Pauli anathema fieri pro fratribus exoptantis, præponit tandem hisce doloribus omnibus, Deiparæ cruciatûs, dum ait: *Puto advertimus ex his, quod mentis Martyrium, carnis tormenta excedat. Hoc igitur patiendi genere Gloriosa triumphans, quantò cunctis vicinior, tantò cunctis gloriosior veneranda Cruci Dominicæ Passionis inhæsit, hausit calicem, bibit passionem, & torrente doloris potata, nulli unquam similem potuit præferre dolorem. Currit post IESVM, non tantùm in odore unguentorum, sed in multitudine dolorum; non solùm gaudio consolationum, verùm & in abundantia passionum. Cernebat verum Salomonem Mater eius in diademate, quo coronaverat eum Noverca Synagoga, & ipsa coronata Coronâ tribulationis post eum incedebat.*

Mentis Martyriũ in B. V. carnis tormenta excessit.

B. V. in morte Filij, torrente doloris potata.

Quid denique B. Arnoldum Abbatem Carnot. qui Tract. de septem verbis, omnium optimè horum vehementiam animi dolorum expressit, quibus oppressa Mater, & plusquam Martyr effecta, Filio commori videbatur; luctam illam internam appetitus rationalis, & sensitivi intra se patiendo. Sic enim ille Crucifixum alloquens, ait: *Intuetur te illa in mulieribus Benedicta, & confixis in te oculis, vulnera tua, Maternâ pietate considerat. Et licet, non ignoret quidquid boni conferat Mundo tua passio, tamen Parentis affectu commoritur, & pectus Maternum, immanitate doloris arctatur. Suspirat intrinsecus, & erumpentes revocat lacrymas, & eo ampliùs anxietas intumescit, quo prohibetur egredi, & per luctûs, lamentaq; dissolui. Emergebant quidem aliqui gemitus, sed increpiti reprimebantur, reuertebanturq; in Sinum mentis, de quo prodibant, & collidebant se ad invicem intror-*

In animâ B.V. tempestas valida dolorum.

introrsus, eratq; in anima illa tempestas valida occurrentibus sibi procellis, & quasi in sartagine frixis medullis, ebulliebant amaritudines, quas excoquebat & coagulabat exacerbatio perseverans. Imperabat siquidem dolori silentium formido, & ringentium Iudæorum torui in eam oculi illos turbines suffocabant. Verum illa tantarum procellarum salsuginem ebibebat; & quod difficillimum erat moriebatur, & mori non poterat. Sic ille. Et quis obsecro luctum hanc Virginis interiorem, quam nobis ob oculos pijssimus hic Abbas proposuit, omni Martyrio longè acerbiorē esse diffitebitur?

M. moriebatur in morte & passione Filij, & mori non poterat.

29. Nec refert quo ad rationem veri, perfectique Martyrij, vera mors, ut consequatur, sit necessarium. Licet enim DEIPARA doloris acerbitate emortua minimè fuerit, Martyr tamen, & plusquam Martyr extitit, ut Sancti loquuntur Patres: modo tamen longè alio, atque eminentiori; uti & reliquæ Sanctorum gratiæ, atque prærogativæ in Virgine Sanctissima, ob dignitatem Divinæ Maternitatis enituere. Quia, ut doctissimus Pater noster inquit Salmeron Tract. 43. Tom. 3. ejus dilectio fortior fuit, quàm mors, quâ ipsam Christi mortem, suam esse fecit. Dolor enim interior major est exteriori, quia illius objectum est omne malum appetitui repugnans. Quod magis adversatur appetitui, quam malum corporis, ipsi corpori repugnat. Vnde Martyres, ut internum conscientiæ dolorem effugerent, libenter externa subibant corporis tormenta. Nam omnis plaga tristitia cordis est, ait Eccli 25. Quod auctoritate Divi Hieronymi s. c. comprobat. Quia ergo, concludit Salmeron, B. V. plùs diligebat Filium suum, quàm seipsam diligeret, quod nulli alteri creaturæ contigisse putamus, iccircò in illo percuti, flagellari, crucifigi, & mori magis fuit, quàm in se ipsa percuti, & mori. Hæc Salmeron.

B. V. Amor Morte fortior.

M. Amor, quo mortem Filij, suā fecit, fuit morte fortior.

Martyres, ut internū conscientiæ dolorem, torturāque effugerét in corpore pati maluerūt.

30. Accedit quod cùm Christus Dominus ejus Filius verè, ac propriè Martyr fuerit, propter veritatem, doctrinam, morumque innocentiam interfectus, ut docet S. Thom. in 4. D. 49. q. 5. a. 5. sequitur etiam B. Virginem: tum propter summam illam cum Filio conjunctionem Humanitatis, Charitatisque transformationem; tum perseverantiam, quâ constanter in fidei, amorisque Christi testimonio, simul cum illo patiendo perduravit, evasisse Martyrem, Martyrijque pulcherrimam indeptam fuisse laureolam. Licet enim Christi interfectores directè non intenderint DEIPARAM, propter Christum affligere; tamen quia, ut præclarè Pater Suarez Tom. 2. in 3. P. Disp. 21. sect. 4. reipsa persequendo Christum, ipsam persequebantur, & occidendo Christum, quantum in ipsis erat, eam interficiebant; vera Martyr fuit.

Iudæi reipsa persequendo Christū, simul etiā Matrem persequebantur, & ideò facta uti Filius, Martyrū Regina.

Vnde & Innocentes, qui in hunc modum passi sunt, ab Ecclesia verè flores, primitiæque Martyrum salutantur, licet persecutores eos propter Christum trucidare non intenderent, sed Christum dumtaxat perdere. Quâ ex doctrina facilè perspicitur, quânam ratione Mater Sanctissima Filij patientis, ac Martyris, uti & reliquarum virtutum omnium similitudinem, ipsa verè effecta Martyr, in sese expresserit.

Quare jure merito Religiosissimus Pelbartus Pannonius lib. 3. Stell. Par. 3. art. 3. asseruit ob dolores hos Filij, quos juxta Crucem perpessa est laureolam Martyrij fuisse in cœli adeptam: *Ponitur,* inquit, *pro conclusione, quod B. V. M. præfulget in cœlesti gloria Martyrij fœlicissimâ Aureolâ. Ipsius enim Martyrium, quamvis non fuerit secundùm actum Martyrij per mortem illatam corporaliter & materialiter consummatum, quia tamen habuit Virgo summum dolorem in anima, ideò Martyrium ipsius, atq; Aureola omnium aliorum Martyrum, quam longissimè gloriam excessit.* Vide rationes quibus suam hanc ibidem comprobat assertionem. Idem confirmat pientissimus in Virginem Bapt. Novatus Ordinis Clericorum Regularium ministrantium infirmis Tom. 1. de Eminent. B. V. cap. 18. q. 6. idque probat Ieremiæ testimonio Thr. 2. *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te Filia Ierusalem, cui exæquabo te, & consolabor te Virgo Filia Sion? magna enim est velut mare contritio tua, quis medebitur tibi?* Quam sententiam nos Tomo 3. cùm de mari, Virginem repræsentante agemus, explicabimus.

31. Tantus verò, tamque incredibilis dolor hic, in hoc Martyrio Virginis DEIPARÆ, ad Martyrium sanè sufficientissimus, extitit, ut, quemadmodum Christus, nisi Divinitate Verbi fuisset roboratus, in medio dolorum ante ipsas Crucis pœnas, atque tormenta, sic ipsa juxta Crucem, nisi consolatione Divini Spiri-

B. V. nisi consolatione S. Spiritus fuisset cōfortata, præ dolore esset mortua.

Spiritus fuisset delibuta, atque confirmata (ut & in hoc Filij similitudinem æmularetur) exspirasset. De Christo quid senserit B. Laurentius Iustinianus lib. de Agone Christi cap. 17. audiamus. *Noverat solus ipse, quæ & quanta sustineret tormenta. Venerat in maris latitudinem, adeò ut penè eum tempestas demergeret. Tanquam petra durabatur in undarum positus medio, procellis tribulationum tumentibus impellebatur, nec tamen frangebatur. Ab inhabitante profectò roborabatur eVrbo. Illa siquidem immania perferre supplicia humanæ minimè virtutis erat.* Hæc de Christi doloribus Iustin. Quid jam de doloribus Virginis senserit Sanctus Anselmus lib. de Excell. V. cap. 5. observemus. *Vtiq;*, inquit, Deiparam alloquens, *pia Domina, non crediderim te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres sustinere, nisi ipse Spiritus vitæ, Spiritus consolationis, Spiritus, scilicet, dulcissimi Filij tui te confortaret, te consolaretur.* Idem sensit B. Amadeus Episcopus Hom. 5. *Itaq; pro Nati morte*, inquiens, *pro Iudæorum perditione, ineffabili dolore Gloriosæ pectus urebatur, & altissimo pietatis iaculo confossum extremas spirabat inter angustias, hausit poculum amariùs ipsâ morte, & quod hominum genus ferre non posset, adiuta Divino munere fœmina valuit sustinere; Vicit sexum, vicit hominem, passa est ultra humanitatem.* Suarez quoque disput. cit. asserit dolorem sufficientem, ad inferendam mortem corporis sustinuisse Deiparam, nisi peculiari Dei auxilio fuisset suffulta.

Christus venerat i maris latitudinē, ut eum dolorum tēpestas mergeret.

Tanquam Petra Christus induruērat in doloribus.

B. V. dolores tanti, ut nisi fuisset præservata Divinitus, esset mortua.

B. V. Divinâ gratiâ adjuta Passionē Filij, morte amariorem sustinuit.

32. Verùm quânam ratione Filius dilectissimus has Matris miseratus cordis angustias, animique acerbissimos cruciatûs (quibus perpetuo perinde, ac si sudes, vel acutissimus stimulus in ipsius latus profundè impactus, vel si confixa aculeis, spinisque laniata ejus fuisset caro, amarissimè torquebatur) quomodo, inquam, Filius suis consolationibus temperaverit, atque permulserit, Angelum ipsum hæc secreta cœlestia revelantem B. Brigittæ, audiamus serm. Angel. cap. 17. *Ille gladius*, inquit Angelus, *cordi Virginis omni hora tantò magis approximabatur, quantò dilectus Filius passionis tempori magis appropinquabat. Vnde sine dubio credendum est, quod ille piissimus DEI Filius, & innocentissimus Filialiter suæ Matri compatiēs, dolores eius frequentibus consolationibus temperabat; alioquin eius vita, usq; ad Filij mortem illos sustinere minimè valuisset.* Vnde idem Angelus cap. 18. non absque miraculo eandem Divam Virginem, tantis doloribus sauciam vitam traduxisse affirmat. *Non parvum miraculum*, inquiens, *in hoc tunc DEVS fecisse dignoscitur, cùm Virgo Mater tot, tantisq; doloribus intrinsecus excruciata suum spiritum non emisit. Si enim*, ut idem Angelus ait, *uxor Phinees Arcam DEI captam intelligens, præ doloris magnitudine expiravit; multò magis vivere desiisset Deipara, recogitans corpus dilectissimi Filij, quod Arca illa figurabat, inter clavos & lignum captum detinendum olim, nisi speciali DEI omnipotentis auxilio, ac dono, contra omnes corporales vires fuisset præservata.* En ut S. Mater, & Filius, ut in reliquis omnibus mutuam Imaginem, similitudinemque sui ipsorum, ita & modum perferendorum cruciatuum in seipsis expresserunt: Quos sanè dolores ideò etiam Deipara in semetipsa ad vivum expressit, ut se veram Matrem declararet; *Enimverò*, ut inquit Pater Canisius noster lib. 4. de Deipara cap. 25. *Si Maria tot, tantisq; Filij afflictionibus, vulneribus, calamitatibus, quæ nulla orationis copiâ explicari possunt, non valde compateretur, suaq; commiserationis intima viscera dolenti capiti, & morienti Filio non impenderet, non hunc suum optimum maximum Filium cognoscere, non diligere, non se naturalem, ac veram eius Matrem exhibere, sed potiùs Manichæorum phantastico corpore nugantium, vanitatem confirmare, ac demum cum perfecto Christi, & dolentis, & commiserantis, & lacrymantis exemplo pugnare videretur.*

Passio Christi fuit Matri Virgini aculeus cā assiduè pungens.

B. V. miraculosè in tot doloribus, quos passurum prævidebat Filiū, vitam traduxit.

Vxor Phinees ob captam Dei Arcā præ dolore exspiravit.

M. Filio compatiēdo, verum non phantasticum corpus eū assumpsisse ostēdit.

33. Porrò si quispiam scire aveat, unde dolor hic tam vehemens, simul & acerbus in Virgine sacratissima originem traxerit, amorem illum ardentissimum, quo Mater piissima hunc Vnicum sanctissimè deperibat Filium, non modò ut de ejus visceribus Natum (qui Naturæ affectus est) verùm etiam, ut Deum, ut Creatorem suum (qui motus Gratiæ est) amorem, item, ejus in genus humanum, & suum præsertim populum contempletur: Verissimè enim S. Bernardinus Senensis Tom. 4. serm. 3. pronunciavit: *Secundùm intensionem amoris, intensio est doloris.* Atque ita cùm Virgineus hic amor in Filium, ex tot jam commemoratis titulis, intensissimus fuerit, consequens sanè est dolorem etiam intensissimum in corde Virginis peperisse, & usque adeò vehementem, ut omnium Martyrum, quemadmodum suprà memoratum est, cruciatûs quantumvis acer-

M. dolor ex magnitudine amoris duxit originem.

cerbissimos transcenderit. Erat enim cor Virginis instar cujuspiam incudis, quæ sine intermissione alternis ictibus percussa fuit ab Amore, & Dolore illo, quo in dilectissimum Filium ferebatur.

34. De hac amoris radice, ex qua tantus pullulabat dolor præclarè Richardus Victor. cap. 26. in Cant. *B. V. tota pulchra fuit, quam totam illustrauit & perfudit Sol Iustitiæ, ut nec maculam habuerit, nec tenebras culpæ. Super hoc Martyrio decorata fuit. Ipsius animam pertransiuit gladius, non materialis, sed doloris. Quo Martyrio grauius passa fuit, quàm ferro. Quantò enim incomparabiliter amauit, tantò vehementius doluit. Vnde sicut non fuit amor, sicut amor eius, ita nec fuit dolor similis dolori eius.*

M. Martyrio decorata.

In Martyribus magnitudo amoris dolorem leniuit passionis. Sed B. V. quantò plùs amauit, tantò plùs doluit, tantòq; ipsius Martyrium grauius fuit. Vnde quia plùs omnibus dilexit, & iuxta magnitudinem amoris erat vis doloris, grauiùs passa fuit mente, quàm Martyres carne. Sic ille.

Sicut Amori Virginis nullus potuit comparari, ita nec dolori.

35. Nec id immeritò asseveravit Richardus. Cùm enim amor amantem extra se ponat, eumque quodammodo in amatum transformet, ut ait Magnus Areopagita Dionysius cap. 4. de Div. Nominibus, consequens sanè est, ut sicut de bono, & fœlicitate amati summam voluptatem, fœlicitatemque: sic de malo, ac miseria summum dolorem, ac calamitatem in semetipso experiatur. Verissimè enim Angelicus Doctor verba Dionysij exponens 1. P. q. 20. a. 3. ad 1. asseruit, *amantem sic fieri extra se, in amatum translatum, in quantum vult amato bonum, & operatur per suam prouidentiam sicut & sibi.* Cùm igitur Deipara Virgo dilectissimo Filio suo bonum voluerit perinde, ac sibi ipsi, imò & plùs multò, ejusque bona æquè, ac mala in se redundârint, necessariò sanè consequitur eandem Virginem, uti de bono, ac fœlicitate Filij summam lætitiam, ita de malo, acerbissimisque ejus cruciatibus, summam tristitiam, doloremque expertam fuisse, utpote quæ vi Amoris, fabri sanè ingeniosissimi in unum, quid cum amato fuerit quodammodo compacta.

Amor amantem extra se ponit, trāsfertq; in amatum.

B. V. vi amoris in Filium transformata, dolores eius reputabat suos.

36. Eximiam hanc Virginei amoris in patientem Filium vim & energiam expressisse visus est Dionysius Richelius lib. 3. de Præcon. & Dignit. B. V. art. 4. dum eam singulariter præceptum de diligendo Deo observasse, atque implesse asseverat. Vnde cùm præmisisset verba illa Sponsæ Cant. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo;* hæc attexit: *Nempè si omnibus Christus, toto corde, totâ mente, totâq; animâ, omniq; virtute diligendus est, tibi tamen singulariter, atq; ex specialibus multis causis amandus fuit. Deniq; hæ tibi, ò Benedicta Diuinæ Charitatis rationes fuerunt; quoniam ille Creator, tu creatura: ille Dominus tu Ancilla: ille Saluator, tu liberata: ille beneficiorum, gratiarumq; Dator, tu ea sortita. Et hæ quidem tibi, cæterisq; communes Diuini amoris fuêre rationes. Speciales porrò sunt, quoniam ille Filius, tu Mater; ille Sponsus, tu singularis Sponsa; ille familiaris, tu secretaria. Fateor, ò mea Domina, incomparabilis MARIA, quia etsi omnium Rhetorum eloquentiâ, linguisq; pollerem, cunctorumq; Philosophorum subtilitate, ac scientijs ornarer, & ipsorum Apostolicorum Virorum, Gratiâ, Sapientiâ, ac Sanctitate splenderem, effari tamen, aut concipere impotens existerem, quantopere ex omnibus his dilectionis fomentis Christi Filij, Deiq; tui calidissima, æstuantiq; charitate incessabiliter ardebas.* Ex hac tandem Virginis in Filium ardentissimâ charitate, colligit idem Dionysius Art. 24. Deiparam, summos dolores, ex Passionis, mortisque Christi assiduâ contemplatione, tolerasse: *Cùm IESVM DEI Filium,* inquit ille, *Virginea Mater ineffabiliter dilexerit, palam est, quoniam & ineffabiliter patienti, ipsa compassa sit.* Hæc Dionysius.

Varij amoris tituli, ob quos B. V. Filium diligebat.

Amor B. V. erga Filium, omni linguæ ineffabilis.

37. Penetrare visus est vehementissimum hunc, fortissimumque Virginis amorem, quo in dolentem Filium, Crucisque supplicia patientem ferebatur, extra se quodammodo posita, in eumque transformata, Beatus Amadeus Lausanensis Episcopus Hom. 5. de laud. V. dum ait: *Torquebatur magis morte, scilicet Filij, quàm si torqueretur ex se, quoniam supra se incomparabiliter diligebat id, unde dolebat. Effugit omnem sensum, humanos intellectûs exuperat, concepta de Passione Nati tristitia. Nulla hanc similitudo, nulla ad tantam mœroris acerbitatem accedit comparatio. Quæ enim Mater dilexit Filium suum, vt ista?* Addit deinde rationem pijssimus Vir hujus vehementis amoris, eò quod Christus, in quantum homo, ipsius Virginis soi us esset Filius, adeòque id totum quod humanum erat, quodque patiebatur in ipso, totum illud penitus esset suum. Accedebant ad hæc, quod esset

B. V. tristitia de Passione Filij omnes sensûs, humanosq; intellectûs excedit.

esset suæ Virginitatis conservator, plurimarumque gratiarum largissimus Distributor, suus denique Creator; *Non enim fortuitò concepit, vt reliquæ mulieres,* inquit Sanctus, *sed Vnicus Patris piâ electione, & gratuitâ bonitate, Matris visceribus influxit, hoc est unde magis diligebat. Neq; verò, ut cæteri, offensam in vita sua, Matri retulit, sed gratiæ gratuitatem infudit. Hoc est unde magis diligebat. Eundemq; habuit DEVM, quē & Filium, quia Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus. Et hoc est unde magis incomparabiliter diligebat. Sola enim à sæculo meruit habere eundem Filium, & Deum. Ergo abysso, abyssum invocante, duæ dilectiones in unā convenerant, & ex duobus amoribus factus est Amor unus, cùm Virgo Mater Filio Divinitatis amorem impenderet, & in DEO amorem Nato exhiberet. Quo igitur magis diligebat, plùs doluit, & amoris magnitudo attulit fomenta passionis. Quid enim ageret, cùm in Calvaria consisteret loco, & videret Crucem, clavos, vulnera morientis in innocentia? Inter hæc DEI Genitrix consternabatur animo, & dolores, ut parturientis apprehenderunt eam, ibi gemitūs, ibi singultūs, ibi suspiria, ibi mæror, ibi dolor, ibi agonia, ibi æstus animi, ibi incendia, ibi mors, morte durior, ubi vita non tollitur, & mortis angustia toleratur. O veneranda & plena devotionis, & lacrymarum memoria! recordari qualiter sancta illa anima Gloriosæ passa sit, quasúe pertulerit de Christi Morte angustias.*

Amoris & doloris causæ in B. V.

Amor naturalis & supernaturalis B. V. in Filium duæ Abyssi se invocantes.

M. dolores in mōte Calvario, ut parturientis.

38. Idem Sanctus Antistes tandem subjungit, quod amore, doloreque absorpta Virgo sanctissima, in patientem, morientemque Filium videbatur planè transformata, uti paulò ante quoque diximus. *Pallidus,* inquiens, *vultus IESV, exanguem reddidit vultum Genitricis. Ille carne, illa corde passa est. Deniq; contumeliæ & opprobria impiorum in capite materno redundabant. Mors Domini illi amarior morte fuit.* En ut Mater Sanctissima vi amoris in dilectum translata, en, inquam, ut pallorem & livorem ejusdem, adeòque ipsum Cruci suffixum in corde suo veluti quopiam in speculo expressum referebat, ut quemadmodum viventis Filij, ita & morientis similitudinem in semetipsa, effecta penitus Christiformis, exprimeret. Quare meritò Patriarcha Iustinianus lib. de Agone Christi c. 18. Virginem ex præcedentium, præsentium, & futurorum, sine dubio, scelerum memoria, quibus humanum genus DEI Filium, velut tribus clavis trabalibus, ad Crucem affixit, ad eandem quoque Crucem affixam esse affirmavit: *Porrò,* inquiens, *veluti inundans fluvius, ita doloris in ipsius erat corde rugitus. Præterita quoq;, præsentia, ac futura prospectans, quasi clavis tribus ferreis jacebat spiritualiter in Nati Cruce confixa. Sic igitur appressa vulneribus Filij, vulnera suis vulneribus aggregabat.* Idem Patriarcha de hac quoque Virginis in Christum transformatione c. 17. *In corpore,* inquit, *Filius, in mente erat Genitrix crucifixa.*

M. amoris dolorisq; vi in Filiū transformata.

M. peccatis præteritis, præsentibus, & futuris velut tribus clavis Cruci affixa.

39. De eadem DEIparæ in Filium crucifixum transmutatione Seraphicum Bonaventuram audiamus, qui in Stimulo Amoris c. 4. Cor Virginis totius Christi passionis Imaginem quandam efficere videtur, dum in idem Cor, amore castissimo exardescens, sic exclamat: *O suauissimum cor amoris, cur conuersum es in cor doloris? Aspicio, charissima Domina, cor tuum, & jam non est cor, sed fel amarum; myrrham, & absynthium video: Filius ò Virgo in corpore, tu in corde passa es. Singula vulnera in corpus eius sparsa, in tuo corde sunt unita. Quæro Matrem DEI, & inuenio spinas, & clauos; Quæro Mariam, & inuenio vulnera, & flagella, quia tota conuersa es in ista. O verè Maria, quia amaritudine plena. Quid fecisti? cur Vas sanctitatis fecisti Vas pœnalitatis? Vas tripudij, & amoris fecisti Vas contumeliæ, & horroris. O castissima Domina cur non eras solitaria in camera tua? Quare ad Caluariæ locum venisti? Cur te quæso non tenuit verecundia Virginalis? cur te non tenuit pauor muliebris? cur te non tenuit horror facinoris?* Et postquam per varia pericula excurrisset, quæ Virgo in Filium, vi amoris translata, superaverat, subjungit: *Sed hæc omnia non considerasti Domina, quia cor tuum alienatum erat à te, præ immenso dolore. Non eras quippè in te, sed in afflictione Filij, & in Vulneribus Vnigeniti tui, in morte dulcissimi IESV Christi. Non enim considerabas vulnus, non pressuram, sed fixuram, non clamorem, sed liuorem, non horrorem, sed dolorem,* scilicet, Filij, quem suum, (sicut & reliqua tormenta omnia, & Crucem ipsam, in quam fuerat transformata) vi dilectionis, effecerat.

M. in mente crucifixa.

Cor B. V. est myrrha ipsa & absynthium amarum.

Vulnera Christi in corde B. V. unita.

M. in spinas, clavos vulnera, & flagella conversa.

M. Vas sanctitatis, facta Vas pœnalitatis.

M. quasi à se alienata, in vulnera Filij transierat.

40. Hinc est quod S. Epiphanius lib. de laud. Virg. postquam DEIparam varijs celebrasset elogijs, tandem eam, ipsam Crucem, Thronumque Cruciformem, propter hanc sine dubio in Crucifixum Filium transformationem appellare non dubitavit: *Dico,* inquiens, *illam esse Cœlum, Thronum, simul & Crucem. Exten-*

M. fuit ipsa Crux.

tendens enim Sanctas ulnas Dominum portauit, Thronus Cherubicus, Cruciformis, & cælestis. Cùm enim Virgineis illis brachijs Mater Sanctissima Divinissimum Puerum Sinu gestans amplecteretur, Crucem quandam, seù Thronum Cruciformem cui insidebat ille, qui sedet super Cherubin, repræsentare videbatur.

M. Thronus Cruciformis.

41. Hinc Ecclesia Romana & Ambianeñ. in suis antiquis Missalibus, Rhythmis pulcherrimis comparationem instituit inter Crucem, & Deiparam, in quam stans in Monte Calvario juxta Crucem, transformari visa est, ut non immeritò quispiam contemplans Deiparam, & Crucem, sibi invicem adeò similia, canere possit:

M. & Crucis comparatio.

Positus in medio,
Quo me vertam nescio:
In hoc dulci dubio
Dulcis est collatio.
Hic complexus brachijs
Modis vagit varijs;
Hic ostendit brachia
Complexurus omnia.
Hic adhærens pectori
Pascitur ab ubere;
Hic affixus Arbori,
Pascit nos, ex vulnere.
Crux ministrat pabula
Fructu nos reficiens;
Mater est præambula
Fructum nobis nutriens.
Crux in loco Pascua
Pascit nos præcipua,
Sed Virgo præcipua
Pascit ipsa Pascua: id est, Christũ.
Fili Matris unice,
Matris Crucifixæ,
Nos de Cruce respice
Fili Crucifixe.

42. De hac eadem Deiparæ in Crucem pariter, ac Crucifixum transformatione, præclarè S. Bernardinus Senensis To. 3. ser. 45. p. 2. ait, Matrem visam à Filio dum penderet in Cruce, fuisse totam transformatam, & esse ita Crucifixam sicut erat ipse Christus, quia erat unita cum Christo, & è contra; adeò ut totus dolor Virginis reverberaret, seù redundaret in Christum & contra;

Opinio falsa quorundam, B. V. cum Christo mortuam, tempore passionis.

Ob hanc Virginis in Filium transformationem censuêre quidam non rectè apud Salmeronem To. 3. Tr. 43. Deiparam doloris gladio in morte Christi transverberatam, mortem planè oppetijsse cum Christo, ut & in hoc perfecta foret conformatio. Horum argumenta sunt: Erat caro Christi, caro Mariæ. Erat illa optima Mater inter omnes mulieres, ille optimus inter omnes filios, ac proinde dignus omni amoris affectu; præsertim verò Matris, tum ratione materni officij, & consuetudinis, tum ratione cognitionis, certæque fidei de summa Filij dignitate, tum denique ratione beneficiorum ab ipso plena, quod ajunt, manu, acceptorum; propter quæ maximo, ardentissimoque prosequi tenebatur amore. Si ergo hæc summa atque immensa beneficia parere possunt summum, immensumque amorem, ergo & summum, immensumque dolorem. ergo & mortem quam summus consequi consuevit dolor. Siquidem Cant. 8. dicitur: *Fortis est ut mors dilectio.* Quod si, addunt hi, solus amor carnis, & affectus gaudij, ac tristitiæ nonnullos ad mortem ipsam adegêre, ut Plinius attestatur li. 7. Hist. Cur non, inquiunt, hic tantus affectus carnis, ac spiritus, qui in Deipara vehementissimus, ac planè quodammodo immensus fuit, ex objecto immensi Filij, in quem ferebatur. Quæ sanè argumenta concluderent, nisi jam intellexissemus Virginem, sublimiori vi Divini, ac vitalis spiritus roboratam, atque evectam, superiorem omnibus illis, quãtumvis atrocissimis cruciatibus, ac pœnis, evasisse.

43. Verùm de hac sua admirabili in Filium patientem, Crucique suffixum transformatione ipsam Matrem sanctissimam B. Brigittæ loquentem, atque hujusmodi Sacramenta cœlestia revelantẽ audiamus lib. 1. Revel. c. 35. ubi cordis identitatem cum Filio totius hujuscé transformationis ponit fundamentum? *Ipse Filius*, inquit Dei Mater, *erat mihi quasi Cor meum. Propterea cùm nasceretur ex me, sensi ego quod quasi dimidium cor meum nasceretur, & exiret ex me. Et cum ipse pateretur, sensi quod quasi cor meum patiebatur. Sicut enim illud quod dimidium est extra, & dimidium intra, si illud pungitur quod est extra, æquè sentit dolorem, quod intus est. Sic ergo cum flagellaretur & pungeretur Filius meus, quasi cor meum flagellabatur, & pungebatur. Ego etiam fui propinquior ei in Passione, nec separabar ab eo. Ego stabam vicinior Cruci ejus, & sicut hoc graviùs pungit, quod viciniùs est cordi, sic dolor ejus gravior erat, præ cæte-*

Filius erat quasi Cor B. V.

Christo patiente, cor B. V. patiebatur.

ris, mihi. Cùmq; respexisset ad me de Cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis, quasi de venis lacryma exibant. Cùmq; ipse me cerneret, dolore confectam, tantum amaricabatur de dolore meo, quod omnis dolor vulnerum suorum erat quasi sopitus, præ dolore meo, quem in me videbat. Propterea audacter dico, quia dolor ejus erat dolor meus, quia cor ejus erat cor meum.

Christus cernens Matrem sub Cruce magis dolorem Matris, quàm suũ sentiebat.

44. Ex hac intima Matris cum Filio unione, cordisque quâdam identitate factum, ut Filij omnes illæ copiosissimæ effusiones sanguinis; Virginis propriæ, & quasi cordi suo lanceæ acutissimæ viderentur. Sic enim illa eidem sanctæ Viduæ lib. 1. Revelat. c. 27. *De quot venis sanguis ejus exiuit preciosus, quasi tot lanceis cor meum perforatum est.* Hinc factum, ut vulnus lateris Christi, cordis sui vulnus arbitraretur. Sic enim ibidem c. 10. *Vnus adueniens,* inquit, *infixit lanceã in latus ejus tam validè, vt per aliud latus ejus transiret. Et cùm extraheretur hasta, apparuit cuspis ejus rubea, sanguine. Tunc mihi videbatur quod cor meum quasi perforaretur, cùm vidissem cor Filij mei perforatum.* Hinc denique factum, ut mortem Filij, mortem suam duceret. Vnde dicebat Virgo ipsa eidem Dei famulæ lib. 1. Revelat. c. 27. *Tunc mortuo, scilicet, Filio meo, aruerunt manûs meæ, oculi obtenebrati sunt, & facies palluit quasi mortui hominis, aures nihil audiêrunt, os nihil potuit loqui; pedes etiã mei nutaverunt.* Denique eum sepultum videns lib. 1. c. 10. cum illo sepeliri optabat, inquiens: *O quam libenter tunc posita fuissem viua cum Filio meo, si voluntas ejus fuisset.* Desiderium hoc ardentissimum, quo Deipara Cruci affigi, commori, & Filio omnimodè patienti conformari anhelabat patheticè cecinit Hieron. Vida lib. 5. Christiad. ubi Virginem rogitantem circumstantes introducit, ut se quoque Crucis stipiti configant.

Rivuli sanguinis Christi erant lanceæ in cor de B. V.

Vulnus lateris Christi, cordis sui vulnus B. V. arbitrabatur.

B. V. cum Filio sepeliri optabat.

Saltem huc ferte oculos vos ò quicunq; tenetis
Hac iter, & comitem dulci me reddite Nato,
Quando nulla mihi superant solatia vitæ,
Atq; meo major nusquam dolor, addite meme
Huic etiam, si qua est pietas, & figite trunco.

45. Hanc Cruciformem Virginem in Crucifixum Filium transformatam jam pridem figuraverat Petra illa quæ bis Virgâ Moysis decussatim percussa copiosissimas effudit aquas. Exod. 20. Audite Richard. à S. Laurent. lib. 1. de laud. V. *Loquimini,* inquit ille, *ad Petram, id est, ad B. V. duram contra tribulationem, grauem contra instabilitatem, & illa dabit vobis aquas.* In gemina siquidem illa Petræ percussione Moyses, primò quidẽ directo Virgæ ictu, tum obliquo feriendo, Crucem efformavit, ut notat Severinus Gabalorum Episcopus Orat. 4. de S. Cruce, ad innuendum Virginem Deiparam animatam quandam Petram futuram, Crucemque in se simul, ac Crucifixum repræsentaturam.

B. V. Petra, Virgâ bis percussa crucem in se exprimens, dedit aquas lacrymarũ.

46. Denique similitudinem hanc sui cum mœrente, despecto, & Crucifixo Filio insinuare videtur ipsa Virgo Deipara Cant. 1. sub persona Sponsæ dicentis: *Nigra sum sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut Pelles Salomonis. Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me Sol.* Quæ verba trutinans Cardinalis Halgrinus: *Nunc B. V. loquitur,* inquit, *de dolore, quem habuit tempore passionis Filij sui. Nigra sum, despecta, & obfuscata, obscurata, decolorata, quia decolorauit me Sol moriens, decolorem me fecit Sol obscuratus, & obfuscatus. De qua Solis obfuscatione dixit Isaias loquens de Christi passione: Non est species ei, neq; decor, & vidimus eum, & non erat ei aspectus, despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus ejus, & reputauimus eum quasi leprosum.* Isa. 53. *Absconditus enim fuit in eo vultus potentia Divina, & apparuit in doloribus infirmitas humana Natura. Vnde habitus est despectus, nec reputatus DEI Filius. Ipso igitur sic despecto, despecta est & Mater, ipso sic obfuscato, obfuscata est & Mater, nec DEI Genitrix reputata est. Nigra sum in apparentia, & despecta tanquam Mater leprosi, sed formosa in veritatis existentia, & tanquam veri DEI Genitrix gloriosa. Nigra sum sicut tabernacula Cedar, quia non reputor Tabernaculum Regis Iustitia, sed sicut catera Matres, quarum ventres tabernacula sunt filiorum mœroris, & tenebrarum. Verùmtamen ego sum formosa, sicut pelles Salomonis, sicut pelles dedicata vero Salomoni, Christo pacifico. Nam sicut illæ pelles Arcam typicam continuerunt, sic ego intra mea viscera veram Arcam continui Christum, cujus caro figuratur per Arcam; Anima, per Vrnam auream; Diuinitas per Manna.* Hæc Halgr.

M. nigra animi mœrore, & à Sole Iustitiæ moriẽte decolorata.

M. in Passione Filij Tabernaculum Cedar.

M. Pelles Salomonis Arcam, id est, Christum continentes.

47. Hanc denique Matris compatientis, ac commorientis, atque in sese dolores, mortemque Filij repræsentantis, mirificè depinxit Imaginem Ioannes Hondemius, dum canit:

Prole passâ Parens sic patitur
Quod quo viuit, eò plùs moritur.
Ista, nouo more Mors utitur,

Quan-

Quando premit, nec tamen premitur.
Solet enim Mors facto funere,
Cum perempto simul occumbere,
Sed hanc audens Matrem inuadere
Mors moratur docta persistere.

Alibi dolores Virginis acerbissimos miseratus, ad eandem conversus, ait, ipsam in tantis cruciatibus, vitam, morte acerbiorem vixisse, dum canit:

Dudum læta Materno gaudio
Nunc litaris lethali gladio
Mortem Martyr in desiderio
Iam haberes pro refrigerio.
Sed vocata nescit accedere
Mors crudelis, mors digna funere,
Et plùs nocet cùm finit viuere,
Quam si vitam vellet adimere.
Priùs astra limarem ætheris
Quàm narrarem linguâ, vel literis
Morienti quantum commoreris
Mater, Natū cùm in Cruce videris.

Et licet Vir hic devotissimus in singulis Christi cruciatibus Deiparam quasi mortuam affirmet, singularem tamen, eumque acerbissimum dolorem, eandem expertam canit, dum immani illâ trabe Crucis Filij humeros oneratos, caputq; aculeatâ illa Corona redimitum conspexit. Vnde ad Divinum Amorem conversus, sic eum alloquitur:

Scribe Matris Cor fungi funere
Cùm curuatum sub ligni pondere
Natum videt, & iter agere
Vt plectatur ceù fur pro scelere.
Scribe pœnam quæ Matrem lacerat,
Spineatam cùm Prolem videat,
Quam vernanti ventre protulerat,
Et pudoris papillâ pauerat.
Quantò dudum ditata gaudio,
Cùm floreret intacta Filio,
Tantò tristis terretur tædio
Prolem videns, sub spina gladio.

Sed ipsam tandem Deiparam hanc tam insignem in morientem Filium trāsformationem referentem audiamus, quam in antiquis Rhythmis Romani Missalis reperimus. Ita enim ibi Virgo amore, doloreque saucia Mortem alloquitur:

Parcito Proli Mors, mihi noli:
Tunc mihi soli solà mederis
Morte, beatè separer à te,
Dummodo Nate non crucieris.

Conversa tandem ad Crucifixores, optans cum Nato crucifigi, eadem vi amoris exæstuans, sic exclamat:

Nato quæso parcite,
Matrem crucifigite,
Aut in Crucis stipite
Nos simul affigite;
Malè solùs moritur.

48. Audiamus deniq; de hac Matris in Crucifixum, morientemq; Filium transformatione S. Bernardum, qui Tract. de lamentat. B. V. Dei paræ ad mortem cum Filio subeundam anhelantis ita exponit desideria: *Fili mi, Fili mi, quis dabit mihi, ut ego moriar pro te Fili mi? Moritur Filius meus. Cur secum non moritur hæc Mater eius mæstissima? Mi Fili, Fili mi. Amor unice Fili dulcissime, noli me derelinquere post te, trahe me ad te ipsum, ut ego moriar tecum. Malè solus moreris. Moriatur tecum ista tua Genitrix. O mors misera noli mihi parcere, tu mihi sola præ cunctis places, exaggera vires, trucida Matrem, Matrem cum Filio perime simul. Fili dulcor unice, singulare gaudium, vita animæ meæ, & omne solatium, fac, ut ego ipsa nunc tecum moriar, quæ te ad mortem genui, sine Matre noli mori. O Fili, recognosce miseram, & exaudi precem meam. Decet enim Filium & audire Matrem desolatam. Exaudi me obsecro, in tuo me recipe patibulo, ut qui unâ carne viuunt, & uno amore se diligunt, unâ morte dissoluantur. O Iudæi impij, ò Iudæi miseri, nolite mihi parcere. Ex quo Natum meum crucifixistis, & me crucifigite, aut aliâ quâcumq; morte me perimite, dummodo cum Filio meo moriar. Malè solus moritur. O Fili charissime, ac benignissime miserere Matri tuæ, & suscipe preces benignus. Desine nunc mihi esse durus, qui cunctis semper fuisti benignus. Suscipe Matrem tuam in Cruce. Nihil mihi dulciùs quàm te amplexato in Cruce tecum mori.* Hæc Bernardus, quibus sanè miram Virginis in Crucifixum Filium descripsit transformationem, ostendens revera eam fuisse Cruciformem.

M. cum Filio patiendi, ac moriendi desiderium.

49. Neque verò Deiparam tunc solùmmodo, dum Cruci adstaret, fuisse Cruciformem, similitudinemque patientis Filij cordi impressam præ se tulisse credendum est. Tulit eam sanè statim animo exculptam, ac Dei Filius, de ejus visceribus carnem in ejusdem Virginali utero assumpsit, dum eundem lactavit. Tunc enim Thronus Cherubicus, tunc Cruciformis, vel maximè evasisse censenda est. Tunc verè Parvulus ille cœlestis, qui datus, & natus est nobis, cœpit illi esse, Fasciculus myrrhæ inter ubera præcordiorum suorum commorans, amarissimè. Vt in hoc quoq; Filium imi-

M. Cruciformis facta in Filij Dei Incarnatione.

imitari videretur; qui ab ipso conceptionis suæ sanctissimæ instanti, mortem acerbissimam in Cruce, sibi imminentem, oculisque assiduè obversantem, & brevi annorum curriculo adventantem in Verbo prænoscens, non potuit, non assiduis, iisque atrocissimis doloribus cruciari, ut meritò aliquando de doloribus hiscé amantissima ejus viscera coarctantibus, atque torquentibus pronunciaverit: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiam illud?*

Tunc, inquam, Deipara Virgo, ad imitationem Filij, dolores hos acerbissimos prævidens gloriari poterat, affectuque amanti dicere: *Fasciculus Myrrha Dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Quasi dicat: Tota ratio, ob quam Fasciculus myrrhæ, & omnium amaritudinum, dolorum, cruciatuum, tormentorum collectio in cordis mei meditullio commoretur, est ipse Dilectus, cujus amore, dilectioneque in ipsum transformata, quantò magis eum diligo, tantò ejus doloribus cordi meo hærentibus magis excrucior. Verissimè enim dixit S. Augustinus lib. 21. de Civ. c. 26. *Ex earum personarum amissione, quæ nobis necessitudine aliquâ sunt coniuncta, tantò necesse est urat dolor, quantum hæserat amor.* cùm hic passionum omnium, ut doloris, tristitiæ, timoris, &c. norma sit, ac mensura, ut meritò idem dixerit August. in Psal. 123. *Si timuisti, amasti.*

Christus Matri Fasciculus Myrrhæ.

50. Sed illa Sponsæ verba Rupertum Abbatem lib. 1. in Cant. expendentem, simulq; Virginē ita loquentem audiamus: *Postquam*, inquit, *ex accubitu Patris in Sinum Virginis venit, factus est Fasciculus Myrrha. Quia sicut dixit Simeon: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransivit gladius. Nolite solam attendere horam, vel diem, in qua vidi talem Dilectum ab impijs comprehensum malè tractari, illudi, spinis coronari, flagellari, crucifigi, felle, & aceto potari, lanceari, mori, sepeliri. Nam tum quidem gladius animam meam pertransivit. Sed antequam sic pertransisset, longum per me transitum fecit. Prophetissa namq; eram, & ex quo Mater eius facta sum, sciui eum ista passurum. Cùm igitur carne meâ taliter progenitum, talem Filium Sinu meo foverem, ulnis gestarem, uberibus lactarem, & talem eius mortem futuram, præ oculis haberem, & Propheticâ, imò & plusquam Propheticâ mente præviderem, qualem, quantam, quam prolixam me putatis Materni doloris pertulisse passionem? Commorabitur. Commoratio dulcis quidem, sed plena gemitibus inenarrabilibus.* Super iisdem Canticorum verbis Cardinalis Halgrinus in persona Virginis aliam contexuit paraphrasin: *Dilectus qui meus est mihi singulariter, & specialiter, ipse est Fasciculus Myrrha, id est, multarum amaritudinum congregatio colligata. Et iste Fasciculus commorabitur inter ubera mea, in corde meo conclusus, quia non possum ei non compati, non possum ei non commori, quem genui, quem lactaui; & illum amare nequaquam valeo, qui pro me tot amaritudines toleravit.* Angelomus denique, Fasciculum hunc Mortem esse dilecti, quam pro salute Sponsæ subijt, cujusque imitatione succendebatur, affirmat: *Hæc semper*, inquiens, *in mea memoria commorabitur, ad eius imitationem, & gloriam laudationis.* Ad hanc assiduam Passionis dilectissimi Filij memoriam confovendam Deipara crebro, dum viveret, Crucem amplexabatur, omniaque loca illa, in quibus passus est Hierosolymis invisebat: *Puto*, inquit Ioannes Gerson Cancellar. Tract. 2. in Magnif. *post Passionem Filij B. Mater eius Crucem crebro fuerit amplexata; omniaq; loca ubi sacri steterunt pedes eius, sedulà deosculatione coluerit.*

M. Prophetissa mortem Filij diu ante prævidens, cruciabatur.

Fasciculus Myrrhæ est multarum amaritudinum cōgregatio colligata.

B.V. dum vixit crebrò loca illa in quibus Filius passus est invisit.

51. Ad quod faciendum, ait Venerabilis Dionysius Richelius lib. 3. de Præcon. & Dignit. B. V. art. 8. invitatam à cœlesti Sponso verbis illis: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. Quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut Infernus æmulatio.* Cant. 8. Quibus præmissis excitat se ad dolorem, amoremque Virginis, ex illa sanctorum locorum visitatione haustum, contemplandum. *Intendite*, inqens, *omnia intima mea, quâ amoris flammâ hæc Virgo æstuabat, dum ab oculis sublato Christo suo Vnico, ea potissimum loca, indesinenter visitabat, in quibus nostræ salutis negotia, ipsiusq; acta singularia consummata, atq; transacta sunt. Illa nempè visitans, atq; contemplans, præteritorū renovabatur memoria, & i ipsis velut præsentem cernebat Filium; pertractabat reminiscens quæ, quantaq; sustinuit, quomodo eum pati, crucifigi, in ea pendere, ac demum mori conspexit, quomodo sacri sanguinis vidit rivos roseos, ac salvificos, ex Filij lacerata carne profluere, eumq; se de Cruce affantem audivit. Legimus quandoq; Beatos aliquos, dum beatissima Divinæ Passionis loca inviserent, tantâ Christi*

M. loca passionis invisens, amore liquescebat

Christi dilectione, pietatisq; compassione affectos, ut à semetipsis omninò deficerent: Quantò magis affectuosissima, Christiferaq; Virgo in talibus concaluit, liquefacta est, atq; defecit. Hæc Dionysius.

52. Dolores hos porrò, atrocissimosque cruciatus animi, ab ipsa Infantia Salvatoris Deiparam fuisse perpessam, revelavit Angelus B. Brigittæ in sermone Angelico cap. 17. Quod sanè acerbissimum, assiduumq; mortis genus illi extitit, qualibet morte corporis longè crudelius. *Quando ipsum*, inquit Angelus, *involuebat, tunc in corde suo considerabat, quam acutis flagris totum ipsius corpus lacerandum erat, ita ut leprosus apparere debebat. Recolligens quoq; Virgo sui Filij parvuli manus, & pedes leniter in fascia, recordabatur quàm duriter ferreis clavis debebant in Cruce perforari. Aspiciens faciem eiusdem Filij speciosi formâ præ filijs hominum, meditabatur quam irreverenter ipsam impiorum labia sputis debebant maculare. Revolvebat etiam sæpiùs ipsa Mater animo suo quantis alapis maxillæ eiusdem Filij cædendæ erant; quantisq; opprobrijs, & contumelijs eius benedictæ aures replendæ. Quomodo oculi ex proprij cruoris influxu caligaturi, & ori eius acetum commixtum felle, infundendum. Reducebat etiam ad mentem, qualiter ipsius brachia funibus ligari oportebat, nervòs etiam & venas, atq; omnes compagines quomodo misericorditer in Cruce debebant extendi, præcordia ipsa, in ipsa morte contrahi, totumq; corpus gloriosum, qualiter intus, & foris, omni amaritudine, & angustiâ, usq; ad mortem oportebat cruciari.* Hæc omnia revelavit Angelus.

B. V. meditationes cùm Filiū Infantem fascijs involvebat.

53. Cùm autem literas sacras evolveret, in eisque Prophetias, figurasque, Filij acerbissimam mortem repræsentantes attentiùs contemplaretur assiduè, difficile vel cogitatu est, quantis dolorum undis sanctissima illa anima obrueretur. Cùm verò (ut alia innumera, quæ ei mortem Filij adumbrabant, prætermittam) cùm, inquam, quot annis ad celebrandum Pascha Hierosolymam proficisceretur, & ad Filium, juxta legem Divinis conspectibus sistendum, in Templum ascenderet, Agnumq; illum Paschalem, qui Deo litari consueverat, unà cùm ceremonijs illis, à populo in eo immolando, atque edendo observaret, dolore sine dubio hujusmodi excruciabatur, quem nulla mens capere, nulla lingua exprimere sufficeret. Expendens enim quod Agnum illum universa multitudo filiorum Israël immolaret ad vesperam, ut legitur Exod. 12. occurrebat sine dubio conspiraturos Iudæos omnes, Principes Sacerdotum, Scribas & Pharisæos, atque adeò Statum utrumque Sacerdotalem, & sæcularem, ut eum morti tradant, & in Crucem actum, ad vesperam tandem exspirare cogant. Considerans eosdem illos Iudæos baculos in manibus tenentes, Agnum comedere, veniebat in memoriam eum tanquam latronem cum gladijs, fustibus, & armis comprehendendum. Recogitans inde eosdem Iudæos Agni caput cum pedibus & intestinis vorantes, & quidem festinanter, subibat mentem canina illa, lupina, atq; leonina invidentium, ac malignantium Iudæorum rabies, quâ Filium vivum quam citissimè deglubere, ac velut infernus devorare, & perdere inauditâ crudelitate, anhelabant. Videns denique sanguine illius Agni domorum illitos postes, veniebat in mentem copiosissima Filij sui preciosissimi sanguinis profusio in nostrorum peccatorum remissionem. Quæ omnia secum ipsa revolvens Virgo sanctissima, suam Divinæ voluntati, quæ ita fieri decreverat conformando, Filium ipsa quoque in sacrificium pro totius humani generis salute lubens, volensque offerebat, seque ipsam cum Filio quodammodo in Crucem, amoris devicta vi, suffigebat.

B.V. figuras mortē Christi adumbrantes, cum dolore legebat.

Agnus Paschalis Figura Christi patiētis

54. De doloribus eisdem Virginis atque cordis anxietatibus, quas à primo Christi in Orbem ingressu perpessa est usque ad ejusdem obitum, præclarè disserit Canisius lib. 4. de Deip. cap. 25. aitque illos nobis esse inexplicabiles: *O graves*, inquiens, *& nobis inexplicabiles animi cruciatus, quos illa cum Filio, & propter Filium annos 30. sæpè sustinuit, atq;, ut arbitror, pro sua modestia nulli mortalium patefecit.* De eisdem ineffabilibus Virginis cruciatibus à patiente, seù passuro Filio in eandem redundatibus exclamat S. Ber. *O dolores inexplicabiles! O ineffabilis reciprocatio sancti amoris! Filius patitur, & intus valdè compatitur Matri; Mater verò compassa est patienti Filio. Tantus nempè impetus Passionis Domini fuit, ut quasi torrens ipsum impleret patientem, quia teste Psalmista: De torrente Passionis in via bibet, ut sic Christo impleto, in Mariam flueret compatientem; quâ similiter impleta, ad Filium redundaret inundatio amaritudinis.* Atque ita torrens

Torrens dolorum patientis Christi in Matrem redundabat.

 ille

ille Passionis Filij, quem olim bibiturus erat, ab ipsa Infantia, dum adhuc ulnis ejus gestaretur redundabat in Matrem, à Matre vicissim in Filium; adeò ut hic amabilissimus ejus Natus, vel tunc in ætate illa tenerâ, instrumentum Martyrij, & Crux ipsa Matri videretur. Vnde crediderim, vel hoc titulo jure merito Deiparam Iesum ulnis gestantem pingi consuevisse, ut illum eidem Virgini quasi Instrumentum Martyrij, quemadmodum Crucem Petro, gladium Paulo, lapides Stephano, Craticulam Laurentio, &c. fuisse intelligeremus.

Filius in ulnis Matris Instrumentum Martyrij fuit ipsi.

55. Iugem hanc, acerbissimamque cordis, animique dolentis anxietatem à conceptu, & Infantia, totaque Vita Salvatoris ad extremam usque in Cruce mortis periodum à Deipara toleratam, nobis adumbrare aliquo modo voluisse visus est Deus in Abrahamo, dum ei Gen. 20. Filium immolaturo præcipit, abiret in terram visionis, quam die tertio elevatis oculis vidit procul, ut ait Scriptura. Divinum hoc præceptum ponderans B. Alcuinus doctissimus olim Caroli Magni Imperatoris Magister, qui floruit circa Annum 770. inter. 204. in Gen. cùm sibi objecisset: *Et cur non statim licuit ei occidere Filium, sed triduana itineris mora, eum immolaturus secum ducere iussus est?* Respondet: *Quatenus longitudine temporis tentationis etiam augeretur incrementum. Nam per triduum iter protenditur, & per totum triduum crescentibus curis, paterna viscera cruciantur, ut omni hoc spatio tam prolixo intueretur Filium Pater, cibum cum eo sumeret, ut noctibus Puer penderet in amplexibus Patris, inhæreret pectore, cubitaret in gremio, quatenus per singula momenta paterno affectu dolor occidendi Filij accumularetur.*

B.V. dolor de morte Filij adumbratus in Abrahamo, cùm pergeret ad immolandum Filiū

Idem prorsus, sed diuturniori longè tempore accidit sanctissimæ Deiparæ. Spatio siquidem annorum 33. per singula momenta, utpotè Prophetis sapientissima, hujusmodi futurorum circa Filium eventuum probè conscia montem illum myrrhæ cum Abrahamo conscendebat, doloribusque, atque anxietatibus acerrimis conflictabatur, discruciabatur, verbo, in Crucem ipsam, ut Cruci olim affigendo Filio conformaretur suffigi videbatur. Hos inter cruciatûs, angoresque animi, unicâ illâ cogitatio cor illud afflictissimum, dolorisque gladio perfossum fortasse solabatur; Divinissimum illum Dei Patris Vnigenam, suumque Filium, cruciatûs illos amore in primis Matris, totiusque humani generis redimendi perpeti, futurum brevi, ut ejus Nomen super omne Nomen exaltaretur, adorarent eum innumerabiles populorum, gentiumque myriades, precioso ejus sanguine de Sathanica servitute redemptæ, futuramque se hujus tam gloriosi Redemptoris Primogenitam, ut S. Bernardin. Senens. loquitur.

B. V. dolores ob Passionē Filij cogitatio de Resurrectione ipsius solabatur.

Similem fortasse considerationem Abrahamo in tantis, tamque intensis doloribus, toto illo tridui itinere, quo ad Filium Vnicum quem diligebat Isaac sacrificandum proficiscebatur, magno extitisse solatio, insinuare videtur Procopius, dum ait: *Christus in utroq; adeò radices egerat, ut Filius non timeret fieri victima, Pater non doleret Filium offerendo.* Vt nil dicam de spe resurrectionis, quâ sanctus ille Patriarcha lætari videbatur. Cogitaverit enim fortassis secum ipse: Ille bonus Deus, qui jam centenario mihi, senioque confecto, ex sterili, effœtâque Sarâ conjuge donavit Filium, multò faciliùs sine dubio eundem suscitare poterit à mortuis redivivum.

Abrahami cogitationes in Filio immolando.

Eadem hæc resurrectionis recordatio in Deipara sine dubio Myrrhæ amaritudinem illam, dolorisque acerbitatem, quam ob mortem dilectissimi Filij tolerabat, sine dubio, temperavit. Quare jure merito postquam Dilectum suum, Fasciculum Myrrhæ in Passione, totoque retroacto tempore sibi fuisse memorasset, eundem Dilectum in Resurrectione, Botrum Cypri in vineis Engaddi, ob Divinæ dulcedinis, consolationisque corde suo exundantem gratiam, indigitavit, ut exposuit Halgrinus.

Christus Fasciculus Myrrhæ fuit Matri in passione: Botrus verò Cypri in Resurrectione.

56. Et licet gravissimi hi Deiparæ extiterint cruciatûs, nullatenus tamen censendum est, juxta nonnullorum Patrum, vulgique opinionem, illam in tanta dolorum atrocitate spasmum fuisse passam (qui in sententia Avicennæ est propriè morbus contractionis nervorum, ob doloris magnitudinem) vel syncopen, hoc est, defectionem animæ, seu deliquium mentis, ex tristitia, quæ à Græcis λειποθυμία vocatur, & à Galeno lib. 12. Method. *praeceps virium lapsus*, definitur. Quia in hoc affectu concidunt & prosternuntur vires, languescunt sensûs, deficiunt arteriarum pulsûs, & sudores concitantur. Quæ omnia perfectioni, ac plenitudini gratiæ, quæ erat in

Spasmus quid sit?

Quid sit syncope, sive deliquium?

B. V. nec syncopen, nec spasmum in morte Filij passa.

in MARIA minimè conveniebat, ut ait P. Salmeron Tomo 3. Tract. 43. Dolor enim hujusmodi ponit hominem extra se, & exercitium rationis adimit quo intercipiuntur sensus. Accedit quod, ut inquit idem Pater, DEIPARA Virgo similis per omnia esse debuit, quantum fas est, Filio, cui tamen minimè congruebat aliquo morbo languere, ut ait Sanctus Thomas 3. P. q. 14. ar. 4. Vnde licet in horto, lethalibus illis doloribus fuerit oppressus, adeò, ut in faciem super terram prociderit, faterique coactus sit: *Tristis est anima mea usq; ad mortem;* non tamen spasmum ullo modo, aut deliquium passus est; qui etiam non semper, ex maximo aliquo dolore consequi solet. Quare sapienter P. Baptista Novatus suprà citatus, Vir æquè pietate, ac doctrinâ insignis Tom. 1. de Emin. B. V. cap. 18. q. 7. cùm ex doctrina Physicorum varias spasmi acceptiones præmisset, concludit DEIparam nullum spasmum passam, neque adeò fuisse præ dolore debilitatam, ut deficientibus corporeis viribus, in terram corruerit. Idque probat Evangelistæ testimonio: *Stabat iuxta Crucem, &c.* Si enim eo tempore stabat Virgo, quo in majoribus erat cruciatibus Filius, non est perfectò credibile alio aliquo passionis tempore pati spasmum potuisse, sed semper erecto corpore, simul, & animo, fortitudine illâ, quæ Mulierem illam fortem à Salomone deprædicatam decebat, juxta Crucem tanquam invictam Palmam perstitisse. Hanc enim potissimam ob causam Sponsus Cant. 7. illud ipsi attribuit Elogium: *Statura tua assimilata est Palmæ,* quod Tom. 3. diffusiùs declarabimus.

Christus, licet tristis fuerit in horto usq; ad mortem, non tamē spasmum aut deliquium passus est.

B. V. in Passione Christi nō est passa spasmum, sed potiùs mentis ecstasim.

57. Nec refert, quod Cardinalis Cajetanus Tract. 13. de spasmo Virgin. ex aliorum sententia referat, Christum onustum Cruce egressum Hierusalem, in terram præ lassitudine virium corruisse, Filioque tunc mœstissimam, occurrisse Matrem, quæ tam atroci, mœstoq; spectaculo, præ doloris, & commiserationis vehementiâ, ut inquit Cajetanus, incidit in spasmum. Nec illud etiam refert, quod in eo loco traditur, ad perpetuam rei memoriam ædificatam Ecclesiam, quæ Hierosolymis in hunc usq; diem appellatur: *S. MARIA de spasmo;* cujus officium per octo dies, à Dominica in Passione, in Dominicam Palmarum celebratur. Non, inquam, refert hoc, quod vulgo fertur. Quia si tale aliquid in mœstissimo illo Filij occursu accidit, dicendum est, inquit idem Salmeron, tunc Virginem fortassis fuisse raptam à DEO, & in ecstasin elevatam, ad contemplanda tormenta, cruciatûs, mortemque tam ignomiosam Filij, causasque ejusdem, nempè generis humani peccata innumerabilia, peccatores ipsos, passionis ingentia merita, preciosumque sanguinem impijssimè proculcantes; copiosissimos denique ejusdem fructûs, qui in Viros justos, adeòque Orbem universum erant redundaturi.

58. Si enim Apostolorum Princeps conversurus ad fidem Cornelium, hujusmodi mentis alienationem à corpore, expertus est, ut testatur Lucas Act. 16. *Cecidit,* inquiens. *super eum mentis excessus, & vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam &c.* Si Coapostolus ejus Paulus raptus fuit in tertium cœlum, & Paradisum, audivitque arcana verba, quę non licet homini loqui. Si demum dilectus Discipulus de se dicit Apocal. 1. *Fui in Spiritu in Dominica die, & audivi post me vocem magnam, &c.* Si, inquam, Viri sancti hujusmodi mentis excessûs passi sunt, in quibus adimitur usus sensuum, ad tempus duntaxat, ut fortiùs rationis, & gratiæ opera intendantur, animaque ipsa à sensuum quasi impedimentis, vinculisque liberata in DEUM, Divinaque tantò vehementiori feratur voluntate: quantò magis nobis persuadere possumus DEIparam hujusmodi mentis excessum, sensuumque alienationem fuisse expertam, ut tantò liberiores benedictæ illius animæ facultates, intellectûs nimirum in penetrandis Filij doloribus, voluntatis verò in redamando tam amante Filio, evaderent.

M. in ecstasim rapta ad cōtemplandam Passionem Filij.

59. Multò verò minùs assentiendum est ijs, qui DEIparam doloris gladio transverberatam, uti suprà commemoratum est, mortem in passione Filij oppetijsse censuerunt, cùm hæc omnia luculentissimè neget oculatus testis Ioannes, qui Matrem juxta Crucem IESV stetisse, uti dictum est, minimè verò exanimem in terram corruisse testus est. Neque verò necessarium est semper, ad intensissimum dolorem, mortem consequi, si præsertim quis Divino robore cœlitus sicut DEIpara confirmetur. Quo sanè cœlesti Virgo munita præsidio, egre-

gregiâque illâ suâ animi moderatione, lethalibus illis doloribus omnibus reddita fuit inexpugnabilis. Idem confirmavêre Patres omnes suprà commemorati, qui ejusdem Virginis dolorum vehementiam, acerbitatemque describentes, ejusdem semper constantiam, atque heroicum simul animum celebrare visi sunt. Quod sanè efficaci etiam ratione nobis satis evidenter P. Svarez To. 2. in 3. Part. Disp 41. sect. 2. persuadet: Quia B. V. inquit ille, semper habuit perfectum dominium super omnes actûs, affectûsque suos, atque ita regebat omnes motûs portionis inferioris, ut nil indecorum, nil dissonum, in ea esse permitteret. Erat autem valdè indecens propter inferioris partis tristitiam, ac perturbationem corporis viribus, & rationis usu privari. Cùm Virgo fuerit Mulier illa fortis atq; magnanima, uti supra diximus, habens in se ordinatissimas suas passiones, utpotè Castrorum acies ordinata, quibus & spasmo, & Morti ipsi reddita fuit terribilis, atq; inexpugnabilis. Id quod confirmari solidissimè potest supra allegato B. Arnoldi graphicè luctam illam partis inferioris cum superiore describentis, testimonio.

B. V. habuit semper perfectum dominium in omnes suos affectûs.

60. Eundem stantem, erectum, imperturbatumque Virginis animum, Columella illa in medio Floris Granadillæ, corona spinea, & folijs septem in mucrones, gladiolosque desinentibus, tum quinque corallinis sphærulis, seù sanguineis guttis, tribusque ferrugineis fibris, tres clauos exprimentibus circundata, sese erigens, nobis ob oculos clarissimè proponere videtur. Qui licet Virginis animus non modò corona illa Christi spinea, verùm etiam alia plurimorum tribulorũ, acutissimorum nempè toto corpore Filij dispersorum cruciatuum, ac tribulationum, nec non septem dolorum, velut gladijs, ac mucronibus, quinis insuper Filij vulneribus, ternisque clauis circumseptus esset, ac fossus, stetit tamen semper erectus, sibique similis ad instar columnæ. Erectum hunc, constantemque DEI Matris animum Floris ejusdem, occidente Sole, mirabilis illa conclusio, & ut ita dicam coangustiatio; ejusdemque Oriente Sole dilatatio præseferre videtur. Quemadmodum enim cùm Sol Iustitiæ per mortem in Cruce occubuit, cor, animusque Virginis, dolore, ac tristitia non dejectus, aut prostratus, sed arctatus intra se quodammodo, ac constrictus fuit; sic quando idem Sol gloriosissimâ suâ anastasi est exortus, Virgineum illud cor ad instar Granadillæ fuit dilatatum.

Columella in Flore Granadillæ erectũ animum B. V. notare videtur.

61. Hunc sensum porrò communem jam esse Ecclesiæ, circa hanc Virginis fortitudinem, vel inde confirmari potest, quod Romæ non ante multos annos, Magistri Sacri Palatij jussu, Imagines omnes quæ Divam Virginem in terram ante Crucem concidisse, & spasmum, deliquiumúe passam referebant, sublatæ sunt. Testatur quoque Bartholomæus Medina 3. P. q. 27. art. 4. Concionatores de hujusmodi spasmo aut syncope ad populum verba facientes in Hispania ab Inquisitoribus ad Palinodiã publicè canendam compelli; cùm hæc opinio fortitudini, ac magnanimitati hujus cœlestis Heroinæ, hujus Mulieris fortis, cui similem ne quidem sapientissimus Salomon invenit unquam, è diametro repugnare videatur.

Quod B. V. spasmũ non sit passa communis est jam Ecclesiæ sensus.

Concionatores qui asserunt B. V. passam fuisse spasmum in morte Filij, corrigendi.

62. Non modò ad instar illius Indici Floris stetit erecta juxta Crucem DEIpara, verùm etiam ad instar Virgulæ cujuspiam, ex suavissimis virtutum aromatis (quæ in quibuscunque tandem Martyribus ab exordio sæculorum fragravêre) compositæ, igneque charitatis succensæ, gratissimum cœlo, totique Mundo aspiravit odorem. Vnde Beatissimæ illæ Mentes hujus tantæ, tamque eximiæ, patientiæ, ac constantiæ, longanimitatis, ac humilitatis, charitatis denique ardentissimæ odore, quem in illa juxta Crucem statione exhalabat recreatæ, admirabundæ sciscitabantur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut Virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & uniuersi pulveris pigmentarij*. Cant. 3. Virgula verè fumi, ex myrrha amarissima Passionis Filij, & thure sanctorum desideriorum pro salute generis humani in cœlum profusorum, Virgula verè non humanâ quâpiam, exquisitâque arte; quâ veteres Alexandrini Artifices, teste Rabbi Kimchi, uti consuevêre, ut fumus nimirum instar palmæ sursum rectâ ascéderet, nec obliquè hac illacque fumus distraheretur; Virgula, inquam, arte planè Divinâ composita, ut ad instar victricis Palmæ, contra tot cruciatuum, dolorumq; undique perflantium impetus, animus ejus semper invictus, in cœlumque erectus consisteret. In odorem igitur hortum

M. in Passione Filij sicut Virgula fumi stetit erecta.

Alexandrini Artifices fumum aromatum dirigebant, per rectã lineam in cœlum.

rum unguentorum suavissimum curramus, memoresque Divinissimam Virginem juxta Crucem erecto, infractoque in tantis, tamque atrocibus doloribus, ac cruciatibus constitisse animo, tam insignia Heroicarum patientiæ, ac charitatis, fortitudinis, ac magnanimitatis universo Orbi dedisse exempla virtutum, per eandem patientiam, ac charitatem, fortitudinem, ac magnanimitatem curramus ad propositum nobis certamen. Et quemadmodum illa voci obsequendo Dilecti suadentis: *Pone me ut signaculum super cor tuum, signaculum super brachium tuum;* vivam toto corde, animoque suo Crucifixi Filij expressit imaginem, ad illamque semper, à primo ejus conceptionis instanti, oculos mentis intendendo, in cogitationibus, in operationibus omnibus sese eidem patienti, morientique Filio studuit conformare, ut verè hic Dilectus amarissimæ Myrrhæ Fasciculus, ei inter ubera assiduè commorari videretur: ita & nos patiendi pro Christi amore, Crucisque ejus, ac mortificationis in corpore nostro ferendæ desiderio, vivam, spirantemque Passionis Christi memoriam, mente, animoque nostro, sanctis meditationibus expressam circumferamus, memores Doctoris melliflui nos amanter exhortantis serm. 43 in Cantic.

Exhortatio ad passionis memoriam recolendam.

Iesus Crucifixus signaculum cordis B.V.

Tu quoq; si sapis, imitaberis Sponsæ prudentiam, atq; hunc Myrrhæ tam charum Fasciculum de præcordijs tui pectoris, nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia, quæ pro te pertulit semper in memoria retinens. O si fœlicitas illa nobis obtingeret, quæ B. Margaretæ cognomento, Pœnitenti, tertij Ordinis D. Francisci. Hæc enim amore vehementi Christi patientis saucia, ab illo postulavit aliquando, dolorum ejus Matris sanctissimæ fieri particeps. Exauditæque sunt ejus preces. Ad Templum enim Patrum Minorum veniens Dei admonitu, ad horam tertiam, adeò ex Mysteriorum Passionis Dominicæ consideratione corde afflicta est, ut penè mortua censeretur, multis ad eam sustentandam accurrentibus. Vbi verò horâ nonâ advenit, quâ Christus caput inclinans, in manus Patris Spiritum emisit, ipsa quoque inclinato capite absq; ullo motu, sensuq; usq; ad vesperum permansit, ut testatur Pater Anton. Balinghen in Kalend. Deip. 22. Febr.

Crucifixus velut myrrhæ Fasciculus, intra præcordia recondendus.

B. Margareta Pœnitens dolorum B. V. facta fuit particeps.

63. Quare jure merito idem Sanctus Bernardus nos, suo, Sponsæque exemplo, ad jugem Passionis Dominicæ memoriam, corde, animoque nostro exculptam, circumgestandam hortatur, quo intimè Deiparæ dolores, in corde nostro sentire possimus: *Et ego fratres,* inquiens, *ab ineunte mea conversatione, pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi Fasciculum colligare, & inter ubera mea collocare curavi, collectum, ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini mei. Primum videlicet Infantilium illarum necessitatum, deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumq; similium. Memoriam abundantiæ suavitatis horum eructabo quoad vixero. In æternum non obliviscar miserationes istas, quia in ipsis vivificatus sum. Has olim David cum lacrymis requirebat: Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam. Hæc meditari dixi Sapientiam, in his iustitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Hæc me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt. Hæc mihi conciliant Mundi Iudicem, dum tremendum potestatibus, mitem, humilemq; figurant, dum non solùm placabilem, sed & imitabilem repræsentant eum, qui inaccessibilis est Principatibus, terribilis apud Reges terræ. Propterea hæc mihi in ore frequenter, sicut vos scitis, hæc in corde semper, sicut DEVS scit, hæc stylo meo admodum familiaria, sicut apparet: hæc mea sublimior interim Philosophia scire IESVM, & hunc Crucifixum.* Totum tandem sermonem concludit, Fratres ad Dominicam Passionem assiduè, quam maximo cordis affectu recolendam, Iesumque de Cruce pendentem præ oculis habendum exhortando. *Hunc & vos dilectissimi tam dilectum Fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut & vobis inter ubera commoretur. Habete illum semper, non retro in humeris, sed ante, præ oculis, ne portantes, & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat. Mementote, quia accepit eum Simeon in ulnas suas. Maria gestavit in utero, fovit in gremio, Sponsa sibi inter ubera collocavit: Arbitror & Ioseph Virum Mariæ super genua frequenter illi arrisisse. Hi omnes ante se eum habuerunt, nullus retro. Exemplo ergo sint vobis, ut & vos similiter faciatis. Si enim ante oculos habueritis, quem portatis, pro certo videntes angustias Domini, leviùs vestras portabitis.* Hæc ille.

Memoriæ Passionis Dominicæ utilitates.

Iesus Crucifixus cordis medullis inserendus.

64. Tandem coronidis loco exhortationem ipsius Spiritus sancti, quâ nos ad dolores, gemitûsque Deiparæ, quos in Passione Filij, Speculum ejus cruciatuum effecta, perpessa est, recolendos extimulat, audiamus: *In toto corde tuo honora Patrem tuum, & gemitus Matris tuæ ne obliviscaris. Memento, quoniam nisi per illos, natus non fuisses.* Eccl. 7. Verè enim, sicut beneficio, ac labore carnalium parentum, temporalem hanc, miserijs plenissimam vitam nacti sumus, sic Christi patientis, ejusque Matris compatientis acerbissimis cruciatibus vitam spiritualem, ac beatam, nullo fine terminandam consecuti sumus. Vnde jure merito Christus de Cruce pendens, ac moriens, velut Parens amantissimus; ejusq; Genitrix ipsi commoriens, ut Mater pientissima nobis assiduè, ob oculos mentis proponendi, amandi, honorandique sunt, quo nunquam tantorum gemituum, ærumnarumque, amore nostri exantlatarum memoriam, è mente nostra obliteremus, sed vivam semper, recentemque dum spiramus, conservemus. Quare saluberrimum est quorundam Ascetarum consilium, quo suadetur, ut ad Christi, ejusque Matris sanctissimæ dolores recolendos, in dies singulos, vicibus 15. oratio Dominica cum Salutatione Angelica repetatur. Sic enim faciendo, totius anni decursu pro annua pensione singulis Christi vulneribus, Matrisque doloribus, ut ait Ludolphus Carthusian. lib. de Vita Christi, singulæ orationes Dominicæ, Salutationesq; Angelicæ cedunt. Cùm ut cōmuniter canitur:

Christus patiens, & M. compatiens tanquam Pater & Mater ob oculos proponendi.

Pietatis quotidianum exercitium ad vulnera Christi recolenda.

Septuaginta quinq; quater cent millia quinque
Tot fertur Christus pro nobis vulnera passus.

Quod si hoc pietatis exercitium annorum 50. spatio iteretur cuilibet guttæ sanguinis, una ex illis orationibus similiter obveniet. Fixi igitur menti nostræ sint altissimè gemitûs, doloresque Matris nostræ charissimæ, in qua velut in viva, spirantique Imagine omnes illi Salvatoris nostri immanissimi repræsentati sunt Cruciatûs: ut ita gratos nos cœlestibus hiscé progenitoribus exhibentes, Gratiam uberiorem, in hac vita dum degimus, consequamur. Amen.

MEDITATIO XIV.

I.



Contemplare anima mea Virginem Deiparam, Filium dilectissimum, uti in reliquis actionibus penè omnibus imitantem, ita quoque in passione, ac morte; & fecisse etiā illud de quo Sponsus gloriabatur: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Cant. 4. Ad montem nempè Calvarium, montem amarissimæ myrrhæ cruciatuum, dolorumq; plenissimum; ad collem verè Thuris, quo corpus ipsum Christi denotatur, cujus odorem suavissimum, in sacrificio illo in Ara Crucis pro humani generis salute oblato, igneque amoris succenso, ad instar Thuris odoratus est Dominus. Considera messuisse etiam Divam Virginem Myrrham tribulationum, atque anxietatum omnium, & gloriatam, cum eodem Sponso: *Messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Fecisse denique quod Messores consuevere, qui manipulum demessuri, eum amplectuntur, ac pectori adprimunt. Dolores enim omnes Filij, tam internos animi, quàm externos corporis, angores omnes, vulnera omnia à planta pedis, usque ad verticem capitis, toto corpore dispersa collegit, ad instar manipuli seu Fasciculi, cordi suo appressit, & impressit, ut cor ejus speculum quoddam, seù compendium totius Passionis acerbissimæ dilectissimi Filij videretur, & verè gloriari posset: *Fasciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* In hujus cordis Virginei contemplatione, stupore attonitus exclamavit ad Deiparam conversus S. Bonaventura in Stim. Amo. cap. 4. *Totum cor tuum, ò chara Domina, versum est circa Filij tui amarissimam Passionem. O mira res, ò stupendum prodigium! Tota quippe es in vulneribus IESV Christi, & totus IESVS Christus crucifixus est in intimis visceribus cordis tui.* O quis mihi det Virgo sanctissima te imitari, tecum in IESUM crucifixum transformari, tecum in monte myrrhæ juxta Crucem stare, tecum hos cruciatûs Filij acerbissimos metere, in intimaque præcordia recondere? Vtinam tecum pati, tecum vulnerari, tecum Filio dilectissimo commori, & omnibus

Mundi

Mundi delectationibus, vanitatibus, ac vitijs, mihi emori liceat. Vulnera, ò Domina pijssima, vulnera dulciter corda nostra, obsecro te, cum eodem illo tuo Seraphino, & in mentibus nostris Filij tui renova Passionem. O Domina cor tuum undique vulneratum conjunge cordi nostro, ut sic tecum intimi tui servi, vulneribus pariter vulnerentur. O Domina cùr saltem cor tuum non habeo, ut sic quocunque pergam semper dulci Filio tuo te videam confixam?

O pijssima Domina si fortè non vis mihi dare tuum dilectum Filium Crucifixum, nec etiam cor tuum vulneratum, saltem quæso mihi misericorditer tribue Filij tui contumelias, vulnera, illusiones, opprobria, & flagella, tolle illa tanquam pijssima Mater à Filio dilectissimo, & transfer in hunc vilissimum, & impijssimum servum. Vel si fortè, ò Domina, sic inebriata existis vulneribus, nec vis à corde tuo, vel à corpore Filij tui ea separare, nec alicui ea dare, saltem quæso Domina illis ignominijs, & vulneribus indignissimum me conjunge, ut sic tibi & Filio tuo solatium sit socium habere pœnarum. O quam beatus essem si possem vobis saltem vulneribus sociari. Nam quid majùs, quid dulciùs, quid nobiliùs, quid utiliùs homini? O Domina quam libenter haberem cor unitũ cordi tuo perforato, & amore sauciato? Nõné cor tuum Domina plenum est dulcedine gratiarum? Nonné cor Filij plenum est gloria beatorum? Vni igitur immediatiùs cor meum cordi tuo unito pariter cordi amantissimi Filij tui, ut à vestris cordibus amore Divino perforatis, ac sauciatis, in miserrimum cor meum dulcedo gratiæ, ac gloriæ emanet, tandéq; vobiscũ æternâ beatitudine pfruar.

2. Contemplare anima mea Deiparam Virginem in morte Filij Amoris Divini vulnere sauciam Martyrem Amoris evasisse. Et quia Amor hic Divinus, Amor est infinitus, dolorem quoque vulneris causasse infinitum, ac proinde excellentissimũ Matyrium subijsse, imò Reginãm Martyrũ, ipsi Regi Martyrũ Iesu Christo quam simillimã extitisse, nobilissimam deniq; Martyrij Palmam, ac Laureolam consecutam esse. Quia sicut Caro Christi dici consuevit à varijs, caro Mariæ; sic vulnera, & dolores Christi, fuere vulnera, & dolores Mariæ: sicut opprobria, & contumeliæ, & illusiones, despectúsque Christi fuere opprobria, contumeliæ, illusiones, despectúsque Mariæ: sic è contra gloria, honores, & coronæ Christi, fuere gloria, honores, & Coronæ Mariæ. O quis nobis det Virgo sanctissima, Martyr gloriosissima, vulneribus illis tuis, tuique dilectissimi Filij vulnerari, illis tuis acerbissimis doloribus cruciari, in illisque tandem vitam terminando Palmæ tuæ, Martyrijque Coronæ pulcherrimæ participes fieri?

Eia Mater fons amoris
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Sancta Mater istud agas
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè.

Fige, inquam, Virgo pijssima plagas illas Crucifixi Filij, fige in intima cordis mei penetralia, penetra medullas & viscera. Fige illas quoque tuas, ò Virgo, Filij tui vulneribus quam simillimas, quas tibi Divinus inflixit Amor; ut Amore utriusque confixus langueam, amore utriusque, à Mundi vanitatibus deficiam, amore utriusque carni & sanguini penitus moriar, & in utrumque transformer, glorierque cum Christifero Ignatio: *Amor meus Crucifixus est.*

Et quia novi Domina preces meas valdè frigidas, ac ingratas, utpote peccatoris, tuo conspectu indignissimi, usurpabo preces illas ardentissimas, quibus amore tuo, Filijque tui sauciùs, ac inflammatus tuus ille Seraphinus, vulnera hæc tam anxiè expetebat clamando. In stim. Amor. cap. 4. *Curre Domina, curre, & vulnera servos tuos vulneribus sacris, ne vulnerentur ab hostibus tuis vulneribus mortis.* Vulnera Domina, vulnera servum tuum clamantem, languentem, & plorantem. O Domina mea, ò Fons Pietatis, Laus Sanctitatis, Flumen bonitatis. Præbe Domina, præbe mihi vulnera tua; Imò vulnera mea, quia propter peccata mea sunt facta. Tuum est corpus Filij tui, quia illum genuisti, lactasti & nutrivisti. Tolle ergo Domina tolle, quod tuum est, & da mihi vlnera mea. Quod si etiam illa volueris esse tua, quia sunt in corpore Filij tui, fac saltẽ Domina mea tecum me habere societatem. Et siquidem tu vulnerata ès Mater Christi, vulnera & servum, sine vulneribus miserum; vulnera obsecro, nil aliud quàm vulnera postulan-

stulantem. Non peto cœlum, non terram, non lumen, non sydera, sed vulnera. Verecundum enim nobis est valdè, ac turpè, videre Filium tuum Dominum nostrum sic vulneratum, & nos peccatores servos vestros vilissimos, sic liberos, & illæsos pertransire. Proinde ò Domina benignissima ad te, oculis lacrymarum imbre suffusis, suspiramus, Filij tui, tuorumque vulnerum desiderio, tanquam parvuli ad ubera anhelantes. Vulnera ergo Domina, vulnera nos, vulneribus tuis, quia nihil aliud volumus, nil petimus, nisi vulnerari.

Quid est Domina, quod mihi sic de his vulneribus sis avara, quæ semper cunctis fuisti, & es dulcis, liberalis, & larga? Hoc solummodo quæro, hæc vulnera sine intermissione peto, cum clamore, cum pijs lacrymis, cancellatis manibus, tuis provolutus pedibus benignè, & humiliter postulo, & postulabo, nec desinam à ploratu, donec me sensero tuis vulneribus vulneratum. Vt ita sacris his vulneribus saucius, ac confectus, amore Filij tui, tuoque, huic Mundo, carni, sanguinique mortuus, Martyrque amoris vestri effectus, vobis in hac vita vivam, vobis æternum in cœlo fruar.

Fac interim ut hic dum mortalem hanc vitam agimus, Cruci IESU tecum semper adhæream, eamque animitus semper complexans, invicto, intrepidoque in omnibus tribulationibus, & angustijs, in tentationibus, ac persecutionibus animo, tecum juxta Crucem consistam, ac medullitus cum Sancto Apostolo dicam: *Quis nos separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an persecutio? an gladius &c. Certus sum enim, quod neq; mors, neq; vita, neq; alia creatura me separare poterit à Charitate DEI, quæ est in Christo IESU.*

Fac quoque ut ita Crucem, eique affixum IESUM, arcto illum amplexu ad cor stringens, apprimensque, diligam, quo cum eodem S. Ignatio Episcopo Antiocheno, & Martyre toto cordis mei affectu dicere valeã: *Nihil de his, quæ videntur desidero, ut meum IESUM inveniam. Ignis, Crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant, tantum Christo fruar. Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.*

Impetra prætetea nobis omnibus ò Virgo benignissima, ardentissimum sacratissimorum vulnerum dilectissimi Filij tui, ejusdemque Passionis amarissimæ amorem, ut ea identidem majori quo possumus pietatis sensu consalutemus, ac dicamus cum tibi devotissimo Iusto Landspergio: *O salutifera vulnera dulcissimi Amatoris mei IESU Christi salvete. Salvete*, inquam, *saluete in omnipotentia Patris, qui vos dedit; in Sapientia Filij, qui vos sustinuit; in benignitate Spiritus Sancti, qui in vobis Opus nostræ redemptionis perfecit. Benignissime Redemptor meus, imprime hæc vulnera tua cordi meo, quæ me dolore compassionis Matris tuæ simillimo, crucient, amore inflamment, ab omni peccato emundent, ad omnia, quæ tibi non placent, insensibilem reddant, omnes sensûs, & vires, omnes affectiones & cogitationes intra se absorbeant, tibiq; inseparabiliter perpetuo uniant. O Domine IESU, qui dives es in misericordia, qui es ipsa æterna Veritas, recordare quod dixeris: Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Te itaq; peto, te desidero dulcissime Domine DEUS meus, tuam Passionem, tua vulnera, tuam Charitatem imprimas velim in cor meum, nullâ unquam obliuione delendam; ut te semper videam pro me patientem, tibi compatiar, teq; amem propter me morientem; teq; requiem meam diligam, me priùs diligentem. DEUS meus, bone IESU, omnia bona mea tu es, & ego vilissimus, pauperrimus, miserrimus, & nihili, obsecro te, respice in me, & miserere mei. Domine IESU cor meum tuis vulneribus saucia, & sanguine tuo mentem meam inebria, ut quocunq; me vertam, semper videam te Crucifixum: quidquid aspexero, tuo sanguine mihi appareat rubricatum. Hæc sit mihi consolatio, tecum mi Domine vulnerari, tecum despici, tecum pati. Hæc sit mihi intima afflictio, sub te aliquid cogitare, aut extra te consolari. Non quiescat cor meum, donec te inveniat centrum suum, ubi cubet, ubi pauset, ubi appetitum suum terminet. O vos sanctissima Vulnera Domini mei IESU, intra vos animum, & sensûs meos concludo, ut anima mea, omnibus potentijs, & viribus suis recollectis, intra vos abscondita, omnium aliorum oblita, nihil nisi IESUM valeat intueri, nihil nisi vitam eius contemplari; atq; omnia quæ infra ipsum sunt, mihi vilescant, & ipse solus Dominus meus & DEUS meus mihi placeat, ac dulcescat. Abscondite me miserum peccatorem, ò sacratissima Stigmata Domini mei IESU, ut per vos à peccatis meis omnibus purgari, ab omni malo præseruari, contra omnes tentationes muniri, & in amorem*

Salutatio Iusti Lãdspergij ad Vulnera Christi.

Optandũ ut Vulnera Christi cordi nostro imprimãtur.

Intra Vulnera Christi à tentationibus abscondimur.

vem Domini mei, imitationemq; vitæ ipsius accendi, in eaq; dum spiritus hos reget artus, dolorosæ Matris meritis, ac patrocinijs perseuerare merear.

Atque ut has, quas à te amantissimè, ac patientissimè Iesu, amore mei Cruci clavis suffixe, gratias tantò faciliùs impetrare merear, humillimam hanc supplicationem amarissimis illis doloribus, quos tua benedicta, atque amantissima Mater, juxta tuam Crucem stans, sustinuit, associo, ut ejus intercessioni, quæ numquam apud tuam Majestatem, utpotè dilectissimæ Matris, repulsam patitur, unita, opatum effectum sortiatur. Tibi igitur rursus cum eodem tuo Iusto devotissimo: *Benignissime IESV, quem pro nobis, & propter nos charitas ardentissima erga nos Cruci affixit, supplico, suscipe nunc omnium vulnerum tuorum dolores, sanguineasq; guttas, suscipe pientissimæ Matris tuæ compassionem, & dolorem pro peccatis meis, & pro peccatis universi Mundi. Suscipe etiam, quæso me indignum peccatorem, quem tibi offero in unione doloris Matris tuæ, & unione charitatis tuæ, & converte me in laudem & gloriam tuam iuxta tuum beneplacitum.*

In Oratione ad Crucifixum dolores Matris associandi, & recolendi.

Benignissime, ac suavissime IESV, dolorem illum benedictæ, ac compatientissimæ Matris tuæ, quo te nudum, pauperem, humiliatum, atq; despectum vidit in Cruce inter latrones pendentem, offero tibi pro me, & pro toto Mundo, obsecrans misericordiam tuam, ut passionem tuam, Matrisq; tuæ compassionem simul imprimas cordi meo, ut eisdem oculis cum Matre tua, eodemq; corde ubiq;, ac semper videam, & sentiam te patientem. Dulcis IESV da mihi veram, ac perfectam paupertatem spiritus, quâ meipsum, & omnia extra me contemnam; propter te omnibus creaturis libenter caream, & nihil nisi te, aut propter te diligam.

Benignissime, ac suauissime IESV dolorem illum benedictæ, ac compatientissimæ Matris, quo te Filium suum olim speciosissimum vidit consputum, cruentatum, fœdatum, plagis, ac vulneribus laceratum non habentem speciem, neq; decorem, offero tibi pro me, & pro toto Mundo, obsecrans te per misericordiam tuam, ut Passionem tuam, Matrisq; tuæ compassionem simul imprimas cordi meo, adeò, ut eisdem oculis cum Matre tua, eodem corde ubiq;, ac semper videam, & sentiam te patientem. Dulcis IESV da mihi castissimam puritatem, nuditatem, ac simplicitatem cordis, quâ tibi soli semper inhæream, & locum habitationis in me tibi gratum semper exhibeam.

Benignissime, ac suauissime IESV, dolorem illum benedictæ, ac compatientissimæ Matris tuæ, quo te vidit omnibus pœnis expositum, cum ossium, membrorumq; luxatione distentum, omni consolatione, & auxilio destitutum, ac derelictum offero tibi pro me, & pro toto Mundo. Dulcis IESV da mihi mititatem, fortitudinem, atq; constantiam spiritus, ut in omni tentatione, & adversitate ad te solum confugiam, omnem cogitatum omnem spem, atq; fiduciam meam in te solum collocem, & me totum in te proijciam, tibiq; inseparabiliter adhæream.

Benignissime, ac suauissime IESV, dolorem illum benedictæ, ac compatientissimæ Matris tuæ, quo te Filium suum, quem ubere olim Virgineo lactaverat, audiuit in aridissima siti Sitio clamantem, nec qui guttam aquæ ministraret habentem, offero tibi pro me, & pro toto Mundo. Dulcis IESV da mihi omnem voluptatem carnis, delectationemq; sensûs aspernari, & ardentissima siti honorem, gloriam, beneplacitum tuum, animarumq; salutem sitire, ac zelare, proq; illis corpus, vitamq; meam impendere.

Benignissime, ac suauissime IESV, dolorem illum deniq; benedictæ, ac compatientissimæ Matris tuæ, quo te Filium suum Vnigenitum vidit in Cruce morientem, offero tibi pro me, & universo Mundo, obsecrans te dulcis IESV, ut ego quoq; Mundo, carniq;, vitijs, ac concupiscentijs, mihiipsi, & omnibus creaturis moriar, & tibi soli vivam. Dulcis IESV tu solus in me vivas, tu solus me totum possideas.

Ad te tandem me converto, ô Mater misericordiæ, Mater Speculum omnis virtutis, Speculum Passionis Dominicæ, Speculum ipsius quinque, & reliquorum omnium, toto corpore dispersorum vulnerum, ac dolorum, quæ ille amore nostri perpessus est, te quæso, te obsecro, per pietatis, ac misericordiæ tuæ viscera, per illum doloris acerbissimum gladium, qui animam tuam pertransivit, ut tecum semper quoad spiravero, dilectissimo tuo Filio compatiar, tecum ipsi, in Cruce Religionis, tribus clavis paupertatis, castitatis, & obedientiæ confixus commoriar, ut tandem tecum, & cum ipso, in consumatione Mundi, in illa universali anastasi, gloriosus resurgam. Amen.

AVE MARIA.



DISCURSUS XV.

Quod DEIPARA Virgo similitudinem Filij, ut humani generis est Redemptor, in se expresserit.

Melior est Fructus meus auro, & lapide precioso, & genimina mea, argento electo. Prov. cap. 8.



I. Eraphicus Doctor Bonaventura eximiam Magnæ Dei Matris, in genere humano de Sathanica servitute, ac captivitate liberãdo contemplatus, ac demiratus charitatem, ad imitationem Cantici illius, quod Maria Moysis Soror, post ereptionem Israëlitici populi, de acerbissimâ illa tyrannide Pharaonis cecinerat, pulcherrimum Epinicium in hujus magnanimæ, ac fortissimæ Virginis, humani generis amantissimæ, atq; magnanimæ Redemptricis laudem composuit, atque modulatus est: *Cantemus*, exclamans, *Dominæ gloriosæ Virgini MARIÆ, in hymnis, & confessionibus benedicamus eam. Domina nostra, & omnipotens, post DEUM, Nomen eius currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare. Dextera tua Domina magnificata est in fortitudine, quia in multitudine misericordiæ tua stravisti adversarios meos. De ore Leonis liberasti me Domina, & tanquam Infantem pia Mater suscepisti me.* Idem S. Doctor eandem Redemptionem per Virginem factam expendens, imitatus Isaiam (qui humanato Filio Dei, benignissimo hominum Salvatori, de Tartareis hostibus triumphanti Panægyrim quandam venustissimam, totum quodammodo Mundum ad ejus laudes convocando, celebraverat) festũ Carmẽ illi persimile in laudem hujus cœlestis Heroinæ, ac gloriosissimæ de nostris infestissimis hostibus Triumphatrici decantavit: *Confitebor*, inquiens, *tibi Domina, quoniam per te placatus est mihi Dominus, & consolata es me. Ecce Domina Salvatrix mea, fiducialiter agam in te, & non timebo. Quia fortitudo & laus mea in Domino es tu, & facta es mihi in salutem.* Inde quasi ad universum Orbem conversus, invitat omnes ad Virginis laudes: *Notas facite in populis virtutes Dominæ nostræ, quia excelsum est valdè Nomen eius. Exulta, & gaude totum genus humanum, quia talem dedit tibi Mediatricem Dominus Deus tuus.*

B.V. eiusq. Nomen in nostra redemptione benedicendum

B.V. Domina Salvatrix nostra.

2. Et jure sanè meritissimo Pater hic devotissimus Cantica illa in honorem Incarnati Verbi, hominumque Divinissimi Salvatoris concinnata, ad gloriosissimam Virginem, ejusdem Salvatoris Matrem, Filio in hac etiam Orbis operandâ salute, ac redempt ione, ut & in omnibus reliquis, quàm simillimam, transtulit, cùm eam Sancti Ecclesiæ Patres passim, Orbis Reparatricem, Salvatricem, Mediatricem, humanæ salutis Causam, omnium Salutem, Auctricem meriti, omnium Vitam, omnium Liberatricem, nostræ lætitiæ Causam, humani denique generis Redemptricem, ut S. Catharina Senensis: humanæ Salutis Corredemptricem, & Cooperatricem, ut Salmeron Tom. 3. Tr. 5. vocitare consueverint. Vnde & eandem Primæ Matri nostræ Evæ totius perditionis nostræ origini opponere sũt soliti.

B. V. humani generis Redemptrix, ac Reparatrix.

2. Audite S. Ildephonsum serm. 2. de Nativit. B. V. *Quod prima Matris contu-*

contumax tam arrogantia, quàm gula perdiderat, huius sacræ Virginis partus non solùm restaurauit diruta, sed etiam tribuit sempiterna. Et idcircò cunctis præconijs veneremur Auctricem, quæ dum Auctorem suum concepit, excelsum nobis Redemptorem ostendit in sæculo. Et post pauca: *Neq; enim dubium quin illa, quæ meruit pro liberandis dare precium, possit liberatis impertire suffragium: Nostra inter hæc Oratio iugis ad DEVM dirigatur, ut qui pro honore Nominis sui viscera illa, quæ sanctificauit, intrauit, nos sedulitate debitâ veneremur: prosit nobis ad remedium, quod per eam se nobis dedit in precium.*

Meritò B. M. à nobis præconio atollitur, quæ singulare commercium Mundo præbuit.

Meritò inter fœminas tunc etiam latebatur, cùm singularem medicinam aluo pudicâ gestabat. Idem Serm. septimo de Assumpt. Deiparam *Mundi Saluationem* appellavit. Theophanes verò, hymno de Annunc. *Euæ Redemptionem.* Audiamus hac de re quoque D. Augustin. ser. 18. de Sanctis, ubi comparationem Evæ instituit, cum Maria, malorum item, bonorumque, quæ eædem in Mundum suis meritis invexere: *Mater,* inquit S. Doctor, *generis nostri pœnam intulit Mundo; Genitrix Domini nostri, Salutem attulit Mundo: Auctrix peccati Eua, Auctrix meriti MARIA: Eva occidendo obfuit: MARIA viuificando profuit: illa percussit, ista sanauit.* Tandem ob tot, tantaque beneficia, memor gratitudinis, ad Virginem conversus, exclamat: *O B. M. quis tibi dignè valeat iura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu Mundo succurristi perdito? quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluet, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum invenit, &c.* Quid D. Bernardinum Senens. commemorem, qui Tomo 2. ser. 51. ar. 2. cap. 1. sicut nostræ perditionis originem Evæ, sic salutis adscripsit Mariæ: *Meritò,* inquiens, *sicut serpens prostrauit humanum genus, mediante peccato Eua, inclinante Adamum ad vetitum cibum, & consummatio fuit in esu Adæ; sic inclinantis Virginis, per meritum ad se DEVM, ut assumeret carnem nostram, conculcatio Sathanæ, & reparatio nostra inchoata est, ac per DEVM Incarnatum extitit consummata.*

M. Mundi Salvatio, & Evæ Redemptio.

M. Evæ opposita.

B.V. Angelo consentiendo Mundo perdito succurrit.

Inchoata Salus per B.V.

Tunc verò propriè fuit Arca DEI intra se continens legem in duabus tabulis solidis, digito DEI scriptam, hoc est, in duabus Naturis Filij sui, quarum primam accepit a Matre, secundam verò à tota Sanctissima Trinitate.

Quid D. Iræneum commemorem? qui lib. 1. cont. Hær. cap. 33. Deiparam Evæ, è diametro opponit, ejusdemque ruinas reparantem inducit: *Sicut Eua,* inquiens, *inobediens facta, & sibi, & universo humano generi causa facta est mortis: Sic Virgo MARIA obediens, & sibi, & nostro generi humano facta est causa salutis. Eua inobedientiæ solutionem accepit per obedientiam Mariæ, quod enim alligauit Eva per incredulitatem, hoc M. V. soluit per fidem.* Eandem planè Evæ, & Mariæ antithesin prosequi visus est Epiphanius insignis ille Virginis Encomiastes, qui lib. illo de illius laud. celeberrimo, sic loquitur: *Maria lapsam Evam erexit, & Adamum è Paradiso eiectum in cœlos misit, quæ Paradisum clausum aperuit; & per latronem rursus Adamum complantauit. Per te enim ò S. Virgo medius obstructionis paries inimicitias dissoluit, per te pax cœlestis donata est Mundo, per te homines facti sunt Angeli, per te homines appellati sunt Amici, Serui, & Filij DEI.*

Vt Eva inobediens hominibus causa facta fuit mortis: sic Maria obediens causa facta est vitæ.

M. lapsam Evam erexit, & Adamum in cœlos misit.

4. Rupertus Abbas denique lib. 2. in Cant. dum verba illa explicat: *Surge, propera, Amica mea, Columba mea, formosa mea;* Sponsum, inter Mariam, & Evam pulcherrimam antithesim facientem, introducit: *In his omnibus,* inquit, *es Eua opposita. Eua namq; quasi inimica, Eua quasi vipera, Eua quasi deformis, & ignominiosa per pruritum libidinis, quâ statim scaturire cœpit. unde & nudam se cognoscens folio pudenda contexit. Tu autem Amica mea per humilitatem, Columba mea per charitatem, formosa mea per castitatem, tu contra DEVM non tumuisti, imò mente humili Altissimo complacuisti, & ecce Amica es; Tu serpenti aurem non præbuisti, imò inimicitias inter te, & serpentem ego posui, & ecce Columba es. Tu nuditatem libidinis non incurristi, imò Spiritus sanctus obumbrabit tibi, & ecce formosa es. Veni ergo MARIA, veni, nam Eua ad latebras fugit. Veni, & crede Angelo evangelizanti; nam Eua credidit serpenti susurranti. Veni, & contere caput serpentis; nam Eva & capite illecta, & ventre oblectata, & cauda est obligata serpentis. Veni & dic: Ecce Ancilla Domini: nam Eua abscondens se pariter, & defendens: serpens, ait, decepit me, & comedi.* Hæc Rupertus, ex quibus clarum evadit, quod quemadmodum Eva nostræ perditionis, ac ruinæ, ita Maria nostræ Redemptionis, ac instaurationis causa extitit. Idem nobis declaravit S. Ambrosius, dum Mariam Deiparam Mariæ Sorori Moysi contulit Epist. 7. ad Siricium.

Evæ descriptio.

M. Dei Amica p humilitatem, Columba per charitatē, formosa p castitatē.

M. Sorori Moysis B. V. similis.

5. Vnde sacræ illæ Virgines Monasterij

sterij S. VValdetrudis Montibus Hannoniæ, Virginem hanc plurimum ad Protoplastorum reparationem, atque adeò ad universi generis humani, Orbisque Redemptionem contulisse agnoscentes, diebus singulis ad finem Primæ, Psalmodicè sequente hymnū ejus honori, gloriæq; decantare consueverunt:

Per Mariã orbis lapsi facta est Redẽptio.

Ave per quam orbis lapsi
Facta est redemptio.
Ave per quam occumbentis
Est Adæ surrectio.
Ave per quam primæ Matris
Est Evæ redemptio.
Sancta Maria ora pro nobis,
Altitudo cogitandi
Tu inaccessibilis,
Invisibile profundum
Angelorum oculis. &c.

Hymnum alium huic non ob similem decantare quoque sunt soliti Canonici S. Falempij, ut habetur in illorū Missali.

Illa sæva Mulier Eva,
Decipi digna,
Fraude maligna.
Ius subijt mortis, abstulit sortis,
Prima gaudia, carens patriâ.
Sed diram abstulit mortem,
Primam reddidit sortem,
Virgo MARIA.
Conceptu sacrosancto
Miroq; Partu suo, Plena gratiâ.

6. Religiosæ item Virgines S. Brigittæ, Hymno quodam, ut habetur in earum sacris libris, Deiparam Virtutem, Virtuti cœlesti sociatam; sanitatem, salutem item, æternæ saluti copulatam, salutem toti mundo attulisse concinunt, dum eam in hunc ferè modum collaudant:

M. Virtus Virtuti cœlesti sociata.

Tota pulchra es Amica Regis Angelorum
Virgo prudens & pudica, claritas polorum,
Eva prolem, denigratam peccati fuligine,
Cœli Regi reddis gratam, tuâ pulchritudine.
Summa Virtus te Virtutem in terris constituit.
Tibi jungi, & te frui, cui summè placuit.
Vnde Virtus de supernis te Virtutem adijt.
Vt humanum genus sanum fieret, quod perijt.
Iunctus DEVS est facturæ, iunctus DEVS homini:
Venerandus omni jure iunctus Partus Virgini;
Iuncta Virtus est Virtuti; Decor, pulchritudini.
Iuncta salus est saluti, & Dulcor dulcedini.

7. Claudat agmen Vir sanctissimus Ephræm Syrus Diaconus qui ser. de Deip. Mediatricem eam inter Deum hominesque agnoscens, sic alloquitur: *Per te reconciliati sumus Christo DEO nostro Filio tuo dulcissimo.* Et in orat. ad eandem Virginem: *Virgo DEI Sponsa, ac Domina nostra, quæ DEVM hominemq; Mundo, mirificâ, ac gloriosâ conceptione tuâ peperisti, DEVMq; Verbum hominibus miro modo conciliasti, & rebellem humani nostri generis Naturam cœlestibus consociasti. Tu Redemptio captivorum, & omnium Salus.*

Per M. reconciliamur Christo.

Verùm quid nos aliunde testes ad veritatem hanc comprobandam & ostendendum Deiparam Virginem, humani generis esse Redemptricem, inquirimus? Ipsam Dei Matrem de se luculentissimum testimonium perhibentem audiamus. Revelavit hoc illa B. Brigittæ lib. 1. Revel. c. 35. *Sicut Adam,* inquiens, *& Eva, uno pomo mundum vendiderunt, sic meus Filius, & ego redemimus mundum quasi uno corde.*

Ipsa B. V. testatur se Filio Redemptionis nostræ Cooperatricẽ fuisse

8. Quâ verò ratione Redemptionem hanc humani generis vel operata, vel promerita fuerit Deipara, varij dixere varia. Illud certissimum est, eam principalem nostrę reparationis causam minimè extitisse, cum ejus benedictus Filius omnis nostræ salutis, vitæque spiritualis, uti ab initio huius corporalis, principalis Auctor, ac Fundator extiterit; & meritò planè de condigno æterno Patri, pro ingenti illo totius Orbis debito, ob personæ dignitatem, atque excellentiam, valorem satisfactorium, minimis etiam Humanitatis Christi actionibus infinitum communicantis, satisfecerit; adeò vt revera nostra esset apud Deum Redemptio copiosa; & qui nos redimere unicâ sui guttâ sanguinis poterat, voluit undâ, vt loquitur S. Leo Papa.

Christus Redemptionis nostræ principalis Auctor.

Certum quoque est eo titulo quod Deipara accelerationem Incarnationis sacrosanctæ, ardentissimis cordis desiderijs fuerit promerita, quodque pro salute mundi, Dei proximique amore stimulata, preces fuderit, Mediatricis, humanæque salutis vel Assertricis, vel Reparatricis nomen à sanctis Patribus ei minimè fuisse attributum. Hac enim ratione Patriarchæ & Prophetæ, plurimique alij Deum metuentes, amantesq; Viri (quos & Deum pro hominum salute exorasse, & vehementissimis, uti venerabilis ille senex Simeon Dei Filium in carne videndi exarsisse desiderijs, constat) Mundi redemptores, reparatoresque vocitari potuissent.

9. Ratio igitur illa potissima, atque principalis est, cur Deipara Redemptrix, Reparatrix, ac nostræ salutis apud Deum Media-

M. Redẽptrix dicitur, quod Filiū suū, pro Salute hominum Deo obtulerit.

Mediatrix à Patribus prædicetur, illa est, quod vera Christi veri Dei, hominisque Mater extiterit, in eumque in quantum homo paternam potestatem, ipso naturæ jure sibi convenientem, perindè, atq; alij parentes in suos Filios habuerit, atque exercuerit, cùm ei subditus fuisse ab Evangelista memoretur. Et nihilominùs tamen sponte suâ vnicum hunc suum tam dilectum, preciosumque Filium æterno Patri, pro totius Mundi salute tanquam rem suam, tamquam os, ex ossibus suis, tanquam carnem, de carne suâ tanquam denique cor, & viscera sua intima, Divinæ voluntati, suam promptissimè conformando, summâ, indicibilique animi, cordisque alacritate obtulerit, atque consecrârit. Hinc B. Antoninus Florentinorum Archiepiscopus 4. P. tit. 15. c. 41. ita Deiparam ait Divinæ voluntati fuisse conformem, vt si oportuisset, ad implendam secundùm rationem, voluntatem Dei, ipsa Filium in Crucem posuisset, ac obtulisset. Neque enim minoris fuit obedientiæ quàm Abraham. Cùm enim Deipara Virgo ab ipso conceptionis Divinissimi Verbi instanti, in Sacrosanctæ Triados Consistorio decretum esse, vt Dei Patris vnicus, suusque jam Filius, Hostia in ara crucis, pro mundi scelerum expiatiatione caderet, intellexisset: Audiretque quodammodo Filium, insigni illâ, quâ genus humanum complectebatur charitate saucium, ad Patrem adhuc ex utero clamitantem, seseque citissimè in sacrificium, holocaustumque pro Redemptione mundi offerre cupientem; illicò Mater sanctissima, quæ semper velut speculum, velut vmbra corpus, Filium, ejusque actiones referebat, illicò inquam suam Divinæ attemperans voluntati, eundem Patri obtulit, & quasi acceptissimam victimam, voluntate saltem litavit. Audierit enim sine dubio Filium amore hominum jam vulneratum. audierit interiori auditu ad Patrem orantem Psal. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi: Holocaustum & pro peccato nostro postulasti, tunc dixi; ecce venio: In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. DEVS meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Quam sanè orationem, fuisse nô Davidis, sed ipsius Dei Filij, ad redimendum genus humanum properantis, Mundumq; hunc Virgineum ingredientis, satis apertè Paulus declarat Apostolus, dum ad Hebræos mysterij hujus profundissimi incredulos scribit c. 10. *Ideò ingrediens in Mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.*

B. V. adeò prôpta ad faciendam Dei voluntatem, ut ipsa si Deo placuisset, actura fuisset in Crucem Filiū.

B. V. cum adhuc Filius esset in utero eum Patri in sacrificium offerebat.

Christi adhuc in utero Matris patiēdi pro nobis desiderium.

Et quæ tandem corporis hæc fuerit aptitudo? Crediderim ego Divini illius fuisse Amoris interiora vulnera, quibus in Incarnationis instanti corpusculum illud tenerrimum intrinsecus saucium, aptum redditum fuit postea ad clavorum, spinarumque ferenda exteriora vulnera. Vnde ex textu Hebræo legêre Patres Cyrillus Alexandrinus, & Arnobius; *Corpus confodisti, & perforasti mihi.* Hinc Sponsæ dilectæ in Canticis ingenuè fatetur Sponsus, duplici se esse confossum, ac vulneratum vulnere: *Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum.* Quibus in vulneribus, principale amoris vulnus agnoscens mellifluus Bernardus, amore hoc & ipse sauciùs exclamat: *Quid necessarium fuit illud ab inimicis vltrà vulnerari, quod jam dudum Amoris lanceâ fuerat vulneratum?*

Christus in instanti adhuc Incarnationis, nostri amore saucius.

Christus duplici vulnere sauciatus Amoris in primis, & Iudæorū.

Audiens igitur Virgo sanctissima dilectissimi Filij, amore generis humani jam saucij, voluntariam oblationem, & tam hilarem, promptamque obedientiam, animique ad parendum æterni Patris imperijs æmulata alacritatem, atque devotionem perfectione aurium significatam, velut resonabilis Echo, & ipsa vicissim respondit. *DEVS meus volui; DEVS meus volui.* En Pater æterne voluntas tua, en lex, & præceptum tuum, quo pro mundi redemptione Filium emori jubes, en fixum est Pater in medio cordis mei. en meipsam cum Filio, qui caro de carne meâ est, & os ex ossibus meis, tibi devoveo, ac consecro; paratum cor meum Deus, paratum cor meum, ad illum tibi, uti jam decrevisti sacrificandum.

B. V. promptitudo in offerendo Filio eterno Patri pro nobis.

10. Hanc voluntatum Filij, Matrisq; ad obtemperandum æterno Patri, in tanto, tamque admirabili celebrando Sacrificio consonantiam, venustissimè exprimere visus est B. Arnoldus Abbas, Carnot. Tract. de laud. B. V. *Dividunt*, inquiens, *coram Patre inter se Mater, & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium, & condunt inter se reconciliationis nostræ inviolabile testamentum. Mater Christo se spiritu immolat, & pro mundi salute obsecrat, Filius impetrat, Pater condonat. Omninò tunc erat* una

Maria se spiritu pro nobis immolauit.

ipsa Christi & Mariæ voluntas, vnumq; holocaustum ambo pariter offerebant DEO; hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis. Vnde idem S. Abbas Dei Matrem sub Cruce stetisse, ait, atque existimasse morte suâ, ad communem mundi redemptionem se aliquid posse conferre. *Stabat*, inquit, *ante Crucem non minor, quàm Matrem Christi decebat: fortasse etiam quia in morte Filij intelligebat Redemptionem Mundi, etiam suâ ipsâ morte se aliquid æstimabat publico muneri addituram. Sed IESVS alieno adiutorio non indigebat, qui dixit: Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Suscepit quidem Parentis affectum, non tamen quæsivit auxilium, imò ipsam inter reliquos, pro quibus sui sanguinis Patri Sacrificium offerebat, illo generali officio complexus est.*

Mariæ & Christi una voluntas, unum holocaustum.

B.V. licet cooperata sit ad communem hominum salutem, Christus tamē ejus auxilio nō indigebat.

11. De hoc auxilio quod Mater patienti & morienti Filio offerre atque exhibere v debatur insinuavit nonnihil & Card. Halgrinus. Expendens enim verba illa Sponsi Virginem consolantis Cant. 6. *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere vt intueamur te. Sunamitis*, inquit, *interpretatur mortificata, sivè coccinea, & designat B. V. quæ moriente Filio, commoriens, per compassionem Filij, quasi rubricata est, in coccino passionis.*

M. Filio velut commortua, per compassionem

En ut Filius dilectissimam Matrem ad cooperandum sibi in Mundi redemptione, atque liberatione invitat, nomineque ipso Sunamitidis eam, ut ipsi compatiatur, & quasi commoriatur, admonet. Ad quod illa se promptissimam exhibuit.

Intelligens enim Virgo sapientissima de se figuratè dictum à Moyse Gen. 2. *Adæ verò non inveniebatur Adiutor similis eius. Dixitq; DEVS: Faciamus ei Adiutorium simile sibi.* Intelligens, inquam, hoc de se dici, quemadmodum in reliquis omnibus Filij sui propèmodum moribus, actibusque, ita etiam in extrema illa mortis periodo, in dolorum tolerantiâ, Mundique reparatione sese illi quam simillimam reddere studuit. Atque ita licet Filius in exantlandis acerbissimis illis cruciatibus minimè eius indigeret adjutorio, ipsa tamen animo saltem, voluntateque, pro humani generis salute, cum Filio ad mortē oppetendam, & sese, Filiumque suum in sacrificium holocaustumque ad offerendum anhelans, adjutorium ei simile fieri calentissimè desideravit.

M. Adjutorium Filio in Mūdi salute extitit.

12. Quare jure merito impijssimi Apostatæ Iuliani Imperatoris (qui verè infortunium, portentumque Orbis appellari potest) impietas detestanda est, quâ effatum illud universorum Conditoris, supremique Imperatoris Dei, sugillare, per summum nefas ausus est, ut testatur S. Cyrillus Alexand. lib. 3. contra Iulianum, ridendo summam, incomprehensibilemque Dei Sapientiam, quæ humani generis caput, fœmineo ortu fœdaverit, atque obscuraverit: *Fœmina*, inquiens, *in nullo ipsum adiuvit, sed decepit, & facta est auctor illi ipsi, ac sibi, ut exciderent ab horto deliciarum. Igitur quomodo hoc rationi consentaneum est, quod hoc factum ab ipso in adiutorium, non tam boni, quàm mali occasionem exhiberet?* Respondit ad hæc argutè nefario huic falsorum Deorum cultori idem S. Antistes ex Hesiodo, retorquendo argumentum: *Quomodo Vulcanus fabricauit mulierem ornatu vario, Prometheo furante ignem, datumq; hominibus* καλὸνκακὸν *Bonum malum?* Quasi diceret: Creditis vos vestris anilib⁹ fabulis, Poëtarumque deliramentis, creditis rationi consonum esse à Vulcano effictam mulierem, varijs virtutum decoratam ornamentis, eamque bonam, pulchramque, simul & malam extitisse, & non creditis, sacris literis attestantibus, à vero Deo, ter Opt. Max. Mulierem ex costâ Adami, dono Iustitiæ, Sanctitatisque originalis exornatam in Viri adjutorium fuisse efformatam? Non creditis sub literæ cortice latitanti mysterio, non creditis mulierem illam factam in Adjutorium primi Adami, umbram quandam fuisse Mariæ melioris Evæ, quæ secundo Adamo de cœlo cœlesti, in nostræ Redemptionis adjutorium, singulari Dei munere, ambabus quodammodo summi Artificis, Omnipotentiæ, & Sapientiæ manibus fabricata fuit, effectaque est non καλὸνκακὸν; sed absolutè Bonum, ac Pulchrum quoddam singulare, omne Bonum, Pulchrumque in creaturis dispersum comprehendens, utpote ab ipso summo, infinitoque Bono, summo, Divinissimoque artificio fabrefactum, Divinis dumtaxat Filij sui dilectissimi usibus deputatum, ut loquitur D. Hieron. ser. de Assumpt. Quæ omnia præclarè, eleganterque reddidit Tertull. lib. 2. contra Marc. cap. 4. *Etenim bonitas*, inquiens, *finxit hominem, eadem bonitas Adiutorium prospexit. Non est enim bonum hominem esse solum, sciebat illi sexu. Mariæ profutu-*

Iuliani Apostatæ blasphemia.

Mulier à Vulcano fabricata & ornata.

Mulier Bonum Malum.

M. tota bona, tota pulchra.

M. Adjutoriū Christi in nostra Redemptione.

futurum. Audiamus & D. Bern. Hom. 2. super Missus redemptionis nostræ prima exordia ponderantem,& copiosiùs Virgineum hoc Adjutorium explicantem: *Ecce Deus mittit ad Virginem*, inquit ille, *ecce Angelus affatur Mariam. Apponite aurem parieti, auscultate quid nunciet ei, si fortè audiatis unde consolemini. Lætare Pater Adam, sed magis tu Eua Mater exulta, qui sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores, & quod infælicius est, priùs peremptores quàm parentes. Ambo,* inquam, *consolamini super filia, & tali filia, sed illa ampliùs, de qua malum ortum est priùs, cuius opprobrium in omnes, pertransijt mulieres, qui utiq; dum se impudenter excusare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est dicens: Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Propterea curre Eua ad Mariam, curre Mater ad Filiam; Filia pro Matre respondeat, ita Matris opprobrium auferat; ipsa Patri pro Matre satisfaciat, quia ecce si vir cecidit per fœminam, iam non erigitur nisi per Fœminam. Quid dicebas ò Adam: Mulier quam dedisti mihi dedit mihi de ligno, & comedi. Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas quàm deleas culpam. Verùmtamen Sapientia vicit malitiam. Redditur nempè Fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis fructum tibi porrigat vitæ, & pro uniuerso cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum, in vocem gratiarum actionis, & dic: Domine, Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso viuificasti me.* Tandem hanc Deiparæ in nostra Redemptione admiratus, sive cooperationem, sive adjutorium, quasi extra se positus, exclamat: O admirandam, & omni honore dignissimam Virginem, ò Fœminam singulariter venerandam, super omnes fœminas admirabilem, parentum Reparatricem, posterorum Vivificatricem. Sic Bernard.

M. Evæ opposita.

13. Audiendus hic deniq; de hac Virginis gloriosissimæ ad saluté nostrã cooperatione Dionys. Richel. lib. 2. de Præcon. & Dignit. B. V. art. 9. ubi sic loquitur: *Creator altissimus, atq; æternus, qui omnia in Sapientia fecit, humanam quoq; naturam sapientissimè reparauit: ut quemadmodum Vir non sine cooperante fœmina Mundum occidit, sic nec absq; concausante muliere, Vir Mundum redimeret. Non tamen sic Christo Saluatori Mariam cooperatam reor, tanquam ille non suffecerit. Sufficit prorsus, penitusq; supersuffecit, quippè cuius satisfactionis pars, vel millesima omnino erat digna, ac superidonea existebat. Nihilominus alijs multis rationibus, Christo cooperata, Mundi Salvatrix vocatur Maria, 1. Quia eum qui Orbem refecit, ipsa concepit, & edidit, lactavit, & fouit. Et scimus quoniam quod est Causa Causæ, est Causa causati. Salvatrix etiam Orbis appellatur, non propter efficientiam, quoniam nec salutem, nec gratiam ipsa effecit; sed propter subventionem, quia gratiam, fœlicitatemq; nobis precatur, atq; procurat. Rursus quoniam Mediatrix Mundi facta est, eosq; denuò reparat, qui à Filij sui gratia, per ingratitudinem prolapsi sunt, miserorum facta Refugium, Spes peccatorum, ac desperatorum singulare Præsidium. Vnde non ineptè misericordiæ Mater, ac Liberatrix sæculi nominada est? quot per eam perditi, & penè, aut certè totaliter desperati redempti sunt? Quot demum ipsius prece, ac gratia, à sæculi iniquitate, Inferni voragine liberatos se, præseruatosq; esse lætantur?*

M. Mundi Salvatrix.

14. Hinc P. Bapt. Novatus Ord. Clericorum Regularium ministrantium infirmis To. 1. cap. 18. q. 24. sapienter asseruit, quod ideo Christus in Cruce moriturus B. Virginem mulierem, & non matrem nuncupaverit, ut insinuaret mentis suæ esse, quod illa affectum maternum, quem erga se ipsum, ut Filium habebat, ad fideles, quos tanquam filios in persona Ioannis illi tunc consignabat, converteret. Quòd ex ipsius sacri textus verbis quę subsequuntur ipse colligit, dum Salvator dixit: *Ecce Filius tuus; deinde Discipulo: Ecce Mater tua.* Dum enim illam tanquam Filius appellat, nomen Matris tacet, solo illam Mulieris nomine vocans: dum autem filios illi in Ioanne adoptat fideles, nomen Matris attribuit. Q. D. Mulier ecce Filius tu⁹, ipsum scilicet genus humanum, in Ioanne tibi commendo; ut ad illud salvandum mihi cooperatrix, & Adjutrix sis. Mulierem te dixi, non Matrem: nunc enim mihi summoperè placet, ut affectum illum Maternum, quo me amantissimè hactenùs fuisti prosecuta, in fideles, quos tibi in Ioanne, tanquàm Filiotrado transmittas; & vos quoque homines, quos in Ioanne cognosco, in omni necessitate, tentatione, tribulatione ad Matrem hanc ejusque sinum tanquàm filij accurrite; expandet illa vobis innatæ sibi misericordiæ sinum, vosq; amãtissimè fovebit; quia: *Ecce Mater vestra.*

Cur Christus i Cruce B. V. Mulierẽ, non Matrem vocavit?

15. Eumdem MARIÆ in fideles omnes affectum precibus, patrocinijsque salvandos in Sponsa desiderabat Sponsus in Cant. 6: 4. cum illi præcipiebat: Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt. Quàm sponsi voluntatem, elegāti reddidit paraphrasi Guilelmus Anglicus apud Delrium in Cant. *Sancta*, inquiens, *calliditate alludit pia Matri dulcissimus Filius ad Patrem iam assumptus. Q. D. Iam per inclytum meæ Resurrectionis, ascensionisque triumphum, cunctis malignis spiritibus, quos non ense, sed Cruce perdomui, tanquam Mater clarissimi Triumphatoris, terribilis facta es. Iam tibi ab Angelis simul, & hominibus, pleno ore acclamatur: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Iam non est necesse tibi, ò pia Mater, solicitari, ut olim quando me parvulum pannis involuebas, sinu fovebas, lacte alebas; sive quando grandiusculum pane nutriebas, & pro ætate vestiebas; sive etiam quando in me jam adultum, & virum factum, non desinebas materna pietate abundare, quamvis jam desiisses, maternis pro ætate officiis ministrare. Vnde etiam cum agonizanti mihi pro hominum salute assisteres, & stares iuxta crucem meam, pia anima tua maternis perforabatur doloribus. Quia ergò iam vetera transierunt & novitas iucunda illuxit, noli me aspicere, ò pia Mater, ut olim Mater, averte à me maternos oculos; sed aspice me velut Amica, & Sponsa.*

B.V. facta terribilis Dæmonibus, eò quod sit Mater eorum Triumphatoris Christi.

Cupit Christus ut Mater piam illā curam, quam de illo habebat, convertat ad homines salvandos

Iam ascendi ad Patrem, habeant Materni illi oculi vacationem, sed à me: porrò ad membra mea vacare illos nolo. Auerte à me, ad fratres & filios meos. Ne claudas illos, sed auerte à me. Transfer Maternam pietatem à me, in meos. A me, quia iam assumptus ad Patrem, à Matre non debeo ampliùs tenerè diligi: in meos autem conuerte, quos oportet, me ab illis assumpto, Maternæ tuæ pietatis teneritudine confoueri. Non ergo tepescat Materna pietas tua, non extinguatur, nec minuatur; sed à me, in meos integrè transferatur. Illos iam tenerè ut Mater dilige: me iam intuere, ut Sponsa, ut Dilecta. In Cruce pro salute hominum agonizans, unum tibi adoptaui, Ioannem dicens: Mulier ecce Filius tuus: porrò cùm triumpho resurrectionis ascendens ad Patrem multos tibi, vice mei adoptaui, & reliqui filios: Mulier, ecce filij tui quos diligas, & piè confoueas. Sic auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt, hoc est, propter ipsos auolaui à te, ut auertas oculos illos tuos Maternos à me, ascendens in cœlum auolaui à te; ut à me in meos transferres teneritudinem Maternæ pietatis. Hæc ille in persona Sponsi Matri genus humanum commendantis, ut in ejus salutem cooperetur, illudque ijs pietatis, amorisq; oculis, quibus olim se, dum inter mortales degeret, intuebatur, soliciteque necessitatibus suis prospiciebat, respiciat, suisque intercessionibus, atq; patrocinijs in vitam deducat æternam. Atque ita semper dum Mundus hic perdurat humanæ salutis esse perseveret Adjutorium. Miserere, miserere nostri, ò Mater misericordiæ, dum in hac periculorum, miseriarumque plenissimâ peregrinatione versamur, miserere, inquam, illosque tuos misericordes oculos ad nos converte, quos olim tam piè ad Filium, ipsius necessitatibus compatiens convertebas. Respice in me, Mater pijssima, & miserere mei, & quæ secundo Adamo, de cœlo cœlesti data es Divinitus in universalis salutis Adjutorium, adesto & mihi, & sis Adjutorium, ut te adjuvante, te patrocinante æternæ salutis, beatitatisque particeps fiam. Atque ita non modò Filio pro communi salute, verùm etiam mihi, alijsque peculiare fies salvationis Adjutorium; digna planè quæ à nobis cum Ephræm animitus saluteris: *Aue Pax, Gaudium, Consolatio, & Salus Mundi. Aue humani generis Lætitia. Aue terrigenarum omnium Oblectamentum. Aue Lilium convallium, Vallum fidelium, Mundiq; Salus. Aue periclitantium Opitulatrix. Aue progenitoris illius Adam Resurrectio. Aue iucunda Libertas. Aue omnium Mater. Aue peccatorum Refugium, ac Diversorium. Aue Spes omnium proborum rebus adversis afflictorum. Aue totius Orbis terrarum Reconciliatrix efficacissima. Aue Domina nostra fœdus, pacemq; fidelibus tuis impetrans, & Sceptrum cunctis imperans.*

Vult Christus, ut Mater suæ pietatis oculos ad homines salvandos convertat

In Ioanne B.V. omnes homines commendati.

Salutatio ad B.V. tanquam nostram communē Salutem.

16. De pijssimo hoc affectu Virginis, in universum humanum genus, spontaneè in nostra salute Adjutorium se exhibendo Filio, ipsumque Patri pro nobis offerendo, præclarissimè Seraphicus Doctor excurrit in 1. sent. D. 24. q. 2. *Nullo*, inquiens, *modo dubitandum est, quin virilis MARIÆ animus, & ratio illius constantissima voluit etiam tradere Filium suum, pro salute generis humani, ut Mater per omnia conformis esset Patri, & Filio. Et in hoc miro modo debet laudari, & amari, quod adeò compassa est, ut si fieri potuisset, omnia tormenta, quæ Filius pertulit, ipsa libentiùs sustinuisset: & nihilominus placuit ei, quod Vnigenitus eius pro salute generis humani offerretur. Verè ergò fuit*

M. fortitudo in offerendo Filio pro salute nostra.

fortis,

Nullus post SS. Trinitatē nostræ salutis ita studiosus fuit atque B.V.

fortis, & pia, dulcis pariter, & severa, sibi parca, & nobis largissima. Ideò nobis amanda, concludit Sanctus, *& veneranda post Trinitatem;* & meritò. Quandoquidem nullus hominum, vel Angelorum unquam cujuscunque tandem Hierarchiæ à seculorum exordio post SS. Triadem nostræ salutis tam solicitè, tam ardenter studiosus extitisse memoratur, ac Virgo Deipara.

M. in omni genere causæ post Filium, causa fuit nostræ Redemptionis.

17. Quare non immeritò S. Antoninus 4. P. tit. 15. c. 20. §. 10. Deiparam Virginem nostræ salutis, Mundique reparationis causam, in omni penitùs genere causæ fuisse luculentissimè asseveravit, & ideò jure meritissimo Matrem omnium nuncupari. *Quia in genere causæ efficientis,* inquit, *post DEVM, sub DEO, & cum DEO ipsa nobis eum genuit, qui nos omnes recreavit, seu regeneravit per Passionem suam, virtutem gratiæ conferentem in Sacramentis; & ut suum Filium gigneret, suis virtutibus, de congruo promeruit. Causa Materialis fuit Virgo huius recreationis nostræ, quia Spiritus S. de purissimis eius sanguinibus, consensu mediante, accepit quod in corpus formavit Christi, per quod redemptio nostra, & recreatio facta fuit. Causa verò formalis, quia suâ conversatione cœlesti speculum est omnibus convertendi se ad DEVM. Causa deniq; finalis, quia totum opus Redemptionis post DEVM in Christi Filij eius, ut homo est, honorem, & gloriam est ordinatum, & ideo seniores Coronas ante pedes Agni deponebant.* Hæc Antoninus, quæ sanè Virginis nostræ in salute nostra procuranda mirificam cooperationem, ardentissimumque desiderium cum Filio pro nobis se Patri offerendi ac sacrificandi declarant.

18. Expertus est Causam ad nostram salutem cooperantem esse pientissimam Virginem Deiparam, Canonicus ille, qui turpissimo adulterij scelere obstrictus, callidissimorum Dœmonum insidijs, mare navigans circumventus, præsentissimam animæ naufragium adijsset, ni Virgo benignissima de salute tam animi, quàm corporis periclitanti, præsto fuisset, eumque à præsentissimo exitio liberasset. Insigne hoc Virginis facinus, charitate erga humanum genus, plenissimum sanctus recenset Anselmus quâdam in Epistola, quam sæpiùs citat noster Salazar in Defens. Imm. Concept. cap. 35. n. 37. quod ego totidem verbis referam: *In pelago Gallico,* inquit ille, *Canonicus quidam ordine Sacerdos, solitus B. M. V. horas Canonicas decantare, à villa quadam ubi cum uxore alterius fornicatus fuerat rediens ad oppidum, in quo morabatur tendere curans, & pelagus Sequanea transmeare cupiens, solus navim ingressus, Dominicæ Matris horas navigando canere cœpit. Cùmq; invitatorium: Ave MARIA, &c. diceret, & jam in medio fluminis esset; ecce turba magna Dæmonum in profundo pelagi unà cum eius navicula eum præcipitauit, eiusq; animam rapuit ad tormenta. Die autem tertia ad locum, quo Dæmones eam tormentis afficiebant, venit Mater IESV cum magna Angelorum Societate dicens eis: Vt quid animam famuli nostri ita iniustè affligitis? Cui illi: Nos eam debemus habere, & meritò, quia in nostris operibus capta est. Quibus Mater IESV: Si illius debet esse cuius opera faciebat; ergo nostra debet esse, quoniam Matutinas nostras, dum vos eum peremistis, decantabat. vnde magis rei estis, qui iniquè erga me egistis. His dictis Dæmones huc, illuc, dispersi fugerunt, & B. M. animam reduxit ad Corpus, hominemq; ab utroq; funere suscitatum, per brachium arripiens, aquam à dextris, & à sinistris quasi murum stare iubens, de profundo pelagi ad portum incolumem reduxit. At ille gaudens, pedibus B. V. prostratus ait: Charissima mea Domina, & Virgo speciosa, Christo gratissima, quid tibi retribuam pro tantis beneficijs, quæ mihi fecisti? Liberasti me de ore Leonis, & tormentis Inferni gravissimis animam meam. Cui Mater IESV: Precor te ne de cætero in adulterij peccatum cadas, ne fiat tibi novissimus error peior priore. Precor iterum, ut de cætero Festum Conceptionis meæ devotè celebres annuatim sexto Idus Decembris, & vbiq; celebrandum prædices. Mox ut ea dixit B. V. M. eo cernente cœlos ascendit, & ipse Eremiticam vitam ducens, quod sibi acciderat, cunctis audire volentibus narravit, & postea quamdiu vixit, festum illud Conceptionis solenniter & devotè celebravit, & celebrandum prædicavit.*

B. V. Canonicum, in adulterio submersum, ad vitam reducit, & salvat.

Officium B.V. quàm illi gratū, & nobis salutare.

Festum Conceptionis Imaculatæ celebrare gratum B. V.

19. Quo sanè tam eximio prodigio sanctissima Misericordiæ Mater perspicuè se ad mortales salvandos Adjutorium ipsi Filio Redemptori constitutam esse declaravit: ut perindè non immeritò S. Ephræm Syrus ipsius tam insignis hujus ad coercendos Cacodæmones, in homines adeò atrociter sævientes omnipotentiæ conscius, illi dixerit ser. de Deip. *Sub tuum præsidium confugimus ò S. DEI Genitrix, sub alis pietatis atq; misericordiæ tuæ protege & custodi nos. Miserere nostri, qui sordibus peccatorum conspurcati sumus, qui sceleribus atq; delictis quàm plurimis Creatorem*

torem offendimus, ne adversum nos insolescat, & glorietur Satanas perniciosissimus, ne in nos insurgat detestandus inimicus noster; ne servos tuos a tui spe excidere videamus. Non nobis est alia, nisi in te fiducia, ò Virgo syncerissima. Ex ulnis siquidem maternis tibi Domina nostra dediti sumus miseri, tuiq; clientes appellati; ne igitur a maligno Satana ad Inferni portas abduci nos sinas. Tu enim noster es Portus, ò Virgo intemerata, & Præses, piaq; auxiliatrix. Sub tua deniq; tutela, ac protectione toti sumus, quare ad te Vnicam confugimus, crebrisque te lacrymis ò Beatissima Mater imploramus, tibiq; procidimus, suppliciter clamantes, ne dulcis Filius tuus ob plurima nostra scelera nos è medio tollat, animasq; nostras instar Leonis diripiat, aut sicut ficum sterilem nos excidat, sed ut ad Christum securè pervenire possimus. Hæc Vir pientissimus, quæ sanè Canonicus ille in tanto salutis, inter frementium Dœmonum phalanges discrimine constitutus, longè aptiùs vsurpare, auxiliumque Deiparæ invocare potuisset. Sed ipsa nimirùm ejus indolis est, vt & minimè invocata, aut quæsita adesse pro sibi innata pietate consueverit.

Inter insidias Dœmonis B. V. est nostra fiducia.

20. Experta benignissimam hanc Virginis ad salutem nostrã cooperatricem indolem, fuit hoc etiam nostro sæculo Mulier illa, de qua P. Anton. Valtrinus noster in Annuis 1582. Collegij Iuliensis Provinciæ Peruanæ, quæ licet quidem satis erga res spirituales, inque Deiparam esset affecta, cum tamen in nescio quod peccatum fuisset prolapsa, ita mœstitiâ, & pudore opprimi se passa est, ut id nunquam confiteri auderet, tandem ex ægritudine desperatio concepta, suspendio molestias finire constituit. Hæc igitur meditanti, & laqueum unde se suspenderet apparanti, B. V. apparuit, quæ miseram hanc, Filiam appellans, primo molliùs accusauit, atque redarguit, quod pristinæ erga se, Filiumq; suum pietatis oblita, in exitium rueret voluntarium. deinde graviter increpavit de peccato illo in confessione occultato. neque enim aliter in ipsam, eam potestatem Dœmonem fuisse habiturum. Denique laqueo de collo detracto, jussit Mater pientissima cuidam de nostris Sacerdoti, quem & nominatim designavit, peccata omnia confiteri. Quibus saluberrimis B. Virginis auditis consilijs, eis aquievit, & eamdem suam, ab æterna morte Redemptricem agnoscens, statim ad expiandas omnes anteactæ vitæ maculas advolavit, opeque, ac patrocinio Deiparæ in vita illa laudabiliter instituta atque renovata perseveravit.

B. V. mulierem laqueum meditantem saluat

21. Expertus denique est, ut alios innumeros prætermittam, salutis suæ Cooperatricem Virginem, miles ille, de quo Nicolaus Orlandinus in Annuis Societatis Domus Professæ Goanæ Anno 1584. qui cum multis sceleribus, uti id genus hominum consuevit, esset immersus, & diu ipsum, vocanti Deo, pertinacimente resisteret, eamque ob causam magnis conscientiæ stimulis exagitaretur, nec tantis animi angoribus, ac torturis levamen ullum inveniret, tandem Templum nostrum, tutelari sine dubio suadente Angelo, expeditus reliquis curis adit, seseque ante Venerandam Dei Matris Imaginem prosternit, tantis malis remedium quæsiturus. Mox illum externa undiq; circumfundit lux, quàm simul aspexêre complures. hæc illius porrò adeò internos animi sensûs, mentisque oculos irradiavit, ut criminum suorum fœditate perspectâ, usque adeò ad Divinis monitis obtemperandum animatus est, ut statim abiecto per confessionem gravissimo illo peccatorum onere, illustriorem Divinæ voluntatis significationem non expectârit. Testis insuper factus, inquit Orlandinus, quantis è tenebris sese expediat, quisquis ad candidissimam Deiparæ lucem propius accesserit. Nempè Virgo nostra uti Filia illa Iobi pulcherrima, Dies est, & vocitatur; Aurora consurgens est; Luna pulchra, candidissimaque est, noctem scelerum illuminans: Maria est, quæ Illuminatam, & Illuminatricem sonat. Sol denique est, sempiterno illi justitiæ Soli, in procuranda hominum salute cooperans. Electa verè ut Sol est Virgo pijssima; quemadmodum enim hic ex millibus virorum, ad humani generis salutem in medio in terræ operandam, à Deo Patre electus est; sic ipsa à Filio ex millibus fœminarum, ad sibi in eodem salutis humanæ negotio cooperandum electa est. Vnde quemadmodum, ut aiunt Philosophi: *Sol & homo generat hominem;* ita revera aliquâ ratione dicere possumus: Sol Iustitiæ, sive Filius hominis, & homo, nempè Virgo, & ipsa ut Sol electa, regenerat hominem; uti miserrimi istius Militis, atrâ nocte longè nigrioris, comprobatur exemplo,

Miles ante B. V. Imaginem prostratus cœlesti luce circumfunditur, & peccata detestatur.

B. V. Dies Aurora, Luna, tenebras peccatorũ illumināt.

B. V. electa ex millibus mulierum, ut Sol ad cooperandũ humanæ saluti.

B. V. Sol cũ Christo homine regenerat hominem.

plo. Virgineæ enim opis lux, menti ipsius affulgescens, divisit ipsius peccatorum tenebras, easque dissipavit, animoque ejus mirificam serenitatem induxit.

22. Quare jure merito Leo V. Orientis Imperator sapientiâ æquè, atque pietate celebris hujus Virgineæ lucis radios penitius intuens, ei dicebat Hom. 6. de Assumpt. B. V. *Tu tanquam perpetuo lumine collustratum Candelabrum, tenebras pellis, liberasq; & liberasti, à morte peccati totum mundum, & floribus, quos producis benè olentem efficis, utpote, quæ salutis Florem tulisti.*

B. V. velut lucidissimum Candelabrũ Mundi tenebras dispulit.

Vbi simul lucis hujus, ac vitalis salutis radicem nobis indicat, nempè IESUM Florem campi, Florem inquam Iesseæ Virgulæ, germen prænobile, ac sublime, cœlos ipsos celsitudine suæ Divinitatis attingens, imò quàm longissimè transcendens. Hic nimirùm Flos, luce cœlesti conspicuus, Flos hic vitalis, mortuos in peccatis, resuscitans, ex Virgine hac prodiens, non modò tam exuberanti eam luce, verùm etiam vitali odore perfudit, ut sicut ipse cunctorum Viventium Pater, ita ipsa eorundem Mater esset; atque ita suis patrociniis, ac precibus efficacissimis mortales adjuvando, salutem hominum unà cum Filio suo dilectissimo operaretur.

B. V. à Cristo Flore lucem vitalem mutuata.

23. Atque hoc est unum ex illis Magnis sine dubio, quæ sibi ab omnipotentia DEI facta in suo Cantico Virgo gloriabatur. Audiendus hic S. Aug. qui cùm To. 10. ser. 35. de sanctis quæsijsset, ex Virgine: *Quæ tibi magna fecit Domina? quæ gloriosa Virgo, ut dici Beata merearis?* mox sibi ipsi respondens: *Puto enim*, inquit, *imò veraciter credo, ut Creatura ederes Creatorem; famula Dominum generares; ut per te DEVS mundum redimeret; per te illuminaret; per te ad vitam reduceret;* uti clarissimè in milite illo patefactum, quê Virgo Illuminata, & Illuminans, illuminavit, quem ipsa prima post Filium Vita nostra dulcissima, vivificavit; quem denique Filio suo salutis nostræ cupidissimo, cooperans, ab æviterno interitu vindicavit.

Inter Magna à Deo facta B. V. est, quod sit Salutis nostræ Cooperatrix.

24. Agnovit S. Ephræm Syrus Deiparam causam & cooperatricem nostræ æternę salutis etiamnum in cœlo degentem esse, cùm in Threnis, sive lamentatione B. Virginis, postquam illam Cruci adstantem, & redemptionem nostram adjuvantem, Filijque acerbissimis doloribus compatientẽ, Crucemq; ut se ad ipsam inclinaret (cupiens in ea quodammodo cum Filio emori) ita alloquentem introduxisset: Tu mihi jam Crux sanctissima, Lignumque benedictum decumbe, ut dilectissimi Filij mei, ac DEI mei plagas exosculer, propriumque Filium salutem, ut Filij mei corpus amplectar, & os suavissimum, oculosque, ac faciem, manus atque pedes, & cædem iniquissimam deosculer. Decumbe Crux veneranda, decumbe. Eximia ò Crux, tua est gloria, magna tua gratia, immensaque vis tua, ac potentia. O Lignum sanctum, ac benedictum, in quo DEUS tuus, atque Creator innocens instar latronis expansus est. Mi Fili, Fili mi suavissime, atque charissime honoro tuas illas afflictiones; veneror lanceam, vulnus arundinem, clavos spongiam, alapas irrisiones atque opprobria, fel & acetum, sputa, colaphos & verbera Fili mi dulcissime. Sed quia cuncta illa Creaturæ gratiâ perpeti placuit, ignominia tua mi Fili, gloria cunctis facta est. Et tua mors toti mundo vita evasit. Postquam, inquam, ita Virginem Crucifixum alloquentem, in eumque transformari cupientem introduxisset tandem ad eam conversus sperans que se quoque illius adjutorio redemptionis beatæ vitæ æternæque salutis futurum compotem, eam, in ejus laudes effusus ita allocutus est: Sed te jam nos, ò pura, & immaculata, eademque benedicta Virgo magni Filij tui, universorumque DEI Mater inculpata, integra, & sacrosanctissima, desperantium atque reorum spes collaudamus, tibi ut gratiæ plenissimæ benedicimus, quæ Christum genuisti DEUM & hominem, omnes tibi procidimus, omnes te invocamus, & auxilium tuum imploramus. Eripe nos ò Virgo sancta atque intemerata, à quacunque necessitate ingruente, & à cunctis Diaboli tentationibus. Nostra Advocata, & Conciliatrix esto in hora mortis, ac judicij; nosque à futuro inextinguibili igne, tenebrisque exterioribus libera, & Filij tui nos gloriâ dignare, ò Virgo & Mater dulcissima, ac clementissima. Tu siquidem unica apud DEUM spes nostra es securissima, & sanctissima.

B. V. optabat Cruce ad se inclinari, ut in Crucifixum transformari posset.

Oratio S. Ephræm ad B. V. ut sit ipsius Salutis Cooperatrix.

25. Agnovit Vbertinus Casalius Ord. Seraphici lib. 4. Arboris Vitæ c. 15. DEIparam Redemptionis nostræ cooperatricem, ex vehementissimis illis doloribus, quibus sub Cruce anima ejus acerbis-

B. V. Cooperatrix nostræ Salutis ob dolores Filij, quos in se expressit.

cerbissimè lancinata, dilectissimo Filio medullitus compatiebatur. Postquam enim præmisisset, eo magis hominem influxum gratiarum Spiritus Sancti donorumque qualia sunt amor Dei, erga Christum patientem compassio, &c. experiri quo magis ab omni labe peccati anima fuerit depurata; amoremque simul, ac dolorem erga morientem Christum magis intendi, quo plures habitualis gratiæ intensionis acceperit gradus; ac proinde cum Beatissima Virgo omnis vel minimi criminis maculâ, fomiteque peccati fuerit liberrima, ac in dies singulos maiora acceperit gratiæ incrementa, consequens fuisse, ut maiores in se cœlestium charismatum Spiritus Sancti, uberioremque quotidie divinæ gratiæ influxum exciperet, ac proinde ardentioribus divini amoris, compassionisque, velut nova quædam Phœnix exæstuaret incendijs, Christoque in Cruce velut adoratâ pyra patienti, sese consumenti, ac morienti, salutemque nostram operanti, redderetur quàm simillima: Postquàm inquam his similia ad longum disceptata præmisisset, tandem hæc subjunxit: *Sola ergò Beatissima Virgo plenissimè expurgata liberrimè sine aliqua rebellione recepit Spiritus Sancti influxus, & ideò Spiritum Sanctum, qui ex se semper largus est, & non avarus, quia ipsam Virginem sine rebellione fecit, ideò eam omni gratia replevit, quantum potest creatura DEO hypostaticè non unita capere; & quantum creaturæ capacitas dilatatur ex dignitate Divinæ maternitatis. Et quoniam fundamentum & radix omnis gratiæ & meriti est dolor cordis, & corporis Crucis IESV Christi; ideò tantùm eam replevit in summo, Christi doloribus, quantùm omnis creatura, ad statum Divinæ Maternitatis non evecta, capere nequit. Modo cogita, & mensuram mentem Virgineam, & videbis tuam modicitatem, pedem esse formicæ, uno passu totam mundi machinam, vel immensum maris Oceanum amaritudinis, dolorum maternorum viscerum mensurare attentantem. Et cum dolores isti in amore fundentur, omnes rationes intendentes amorem, intendebant sine dubio pariter, & dolorem. Et sicut Christus majores dolores assumpsit, pro redemptione humani generis, quàm si nullum redemisset electum: Sic & B. V. M. illi magis condoluit, quia videbat quod dolores omnium in se portabat: imò sicut ipse fuit omnium Redemptor; ita ipsa fuit omnium Genitrix, Mediatrix, Reconciliatrix, Excusatrix, & Advocata omnium peccatorum. Et ideo cum ipsa esset Advocata mundi, tantum dolorem Spiritus Sancti eius infudit visceribus, quantus sufficiebat omnium electorum Genitrici, ad hominum ingratitudinem, coram DEO excusandam, hominum, inquam, qui tam dirâ morte, de hoc mundo suum expellebant Auctorem, qui ad ipsos de mortis faucibus eruendos, in forma servi de sinu Patris aduenerat. Vnde ipsa pro se, & pro toto mundo dignum DEO morienti, & de se genito exhibebat lamentum. Et quantò certiùs sciebat seipsam per Filij mortem redimi, tantò magis eius coniungebatur dolori: & quantò breuiùs sciebat esse tempus, quo mors ad solum triduũ in membris Christi debebat includi, tanto magis satagebat ei, toto corde commori atq; consepeliri. Sicut deniq; per gratiam Redemptoris ad Maternam unionem fuit electa ipsum Redemptorem solum genuit, & ipsa principaliter redempta est: Sic per eamdem gratiam dolorem eius mentis plenissimè sola participauit. Electrix enim Gratia, quæ ipsam ad dignitatem maternam elegerat totam ad compassionem morientis Filij compellebat.*

B. V. quo purior à peccato, eò maioré amorem erga Filiũ, & simul dolorem experta.

Radix omnis nostri meriti est Christi Passio.

B. V. in summo repleta Christi doloribus, quos nulla pura creatura capere poterat.

Dolores Christi fuerunt tanti, nulláq; consolatione permixti, ac si nullũ redemisset.

B. V. sicut sola ad Maternitatem fuit electa, & prima omnium redempta, ita prima fuit in dolorũ participatione.

Gratia Electrix B. V. ad cõpatiendũ Filio compellebat.

26. Concludit tandem Vir pijssimus non modò Gratiam, verùm etiam ipsum dilectissimum Filium in Matrem ejus dolorum appetentissimam, omnes suas amaritudines transfudisse, eamque suæ Cooperatricem Passionis ad mortales redimendos effecisse: *Ipse etiam IESVS, inquit ille, qui sciebat quod dignum erat Matrem de sua participare Passione, eam plenissimè suis doloribus coniungebat, idq; ex magno amore, quia bene animaduertebat, quia tunc Mater nil aliud desideraret, ideo eam plenè exaudiuit. Vnde seipsum quasi totum doloratum intra cor Virginis ad instar sagittæ iaciens, dixit: Mulier ecce Filius tuus. Quo suscepto, ope Divinæ gratiæ, amorisq; beneficio in eum transformata, ipsi nostræ Redemptionis Adiutorium, inquit ille, (non enim bonum est hominem esse solum) fieri meruit.*

Christus Matrem arctissimè suis doloribus conjunxit.

Crucifixus ad instar sagittæ se i cor Matris conjecit.

Addit idem devotissimus Vbertinus, ut magis hoc Divinæ Matris ad humani generis procurandam Salutem Adjutorium declaret, magisque nobis illud ob oculos proponat, eam, cogitationem nullam in animum suum admisisse, quæ ei aliquod consolationis genus afferre posset. *Quia dignum*, inquit, *fuit ut talis Mater, quæ omnibus filijs gratiæ digna præparabatur Genitrix, dignè obsequium morienti DEO, pro omnibus electis, compassionis, Lamentationis, participijq; mortis, quæ actualiter cor, & corpus depascebat, Vnigeniti DEI Sacrificium lamentationis, & transformativæ*

B. V. plurimum de doloribus participare debuit, quæ Mater electorũ & Advocata erat electa.

Cruci-

Crucifixionis offerendo afferret. Et ideò meritò dixi, quod menti Virgineæ nulla ratio occurrebat de Filio, nisi in ratione amaritudinis, & amaricantis, ac transfigentis doloris. Quod si aliqua ratio occurrere materno aspectui potuisse videtur, ea sic ab amaritudine maternorum viscerum absorbebatur, sicut gutta aquæ dulcis, à mari amarissimo. Sicut enim omnium fluviorum in mare influxus, in amaritudinem convertuntur: sic omnes rationes, quas hebes intellectus noster in solatium considerat Virginis, mare cordis Virginei sua amaritudine absorbet. Et hoc fecit pro omnibus nobis pia Mater. Et ideò ipsa est speculum, & exemplū omnium lamentantium mortem Christi, & Arca, & Armarium dolorum corporis boni IESU: *quo suo intercessorio Thesauro, jure merito, omnium suorum filio mentes debet respergere, ac locupletare. Vnde & verbum illud quod protulit* IESUS *indicans Ioannem. Mulier ecce Filius tuus, licet doloris fuerit gladius; spirituali intellectu tamen, quo duo illi Seraphini Mater, & Filius semper sibi mutuo loquebantur, alterius generis dolore materna viscera transfixit: Q. D. Filij gratia, sunt filij tui, qui in peccatis nati, per DEI gratuitam misericordiam redempti, & post hoc mea morti, sanguinisq; lauacro ingrati, repetititis peccati, sibi horribiles aspergentes maculas, DEOq; iniuriam irrogantes, meorum dolorum causas repetere non verentur. Tu ergò nunc illorum Aduocata, eorundemq; scelerum ablutrix, collige mei sanguinis lauacrum, quo tanquam forti lixiuio tuorum maculas eluere filiorum possis. Collige meæ faciei pallores, meorum vulnerum dolores, meæ lamentationis clamores, cordis, quas conspicis inæstimabiles anxietates, dignoq; mihi affectu compatere, mihi commorere, mecum crucifigere, horumq; ingratorum omnium ita demùm supple defectus, ut meo præsupposito merito, qui sum radix bonorum omnium, in te, & in aliis merearis, pro hisce filiis quidquid volueris apud meam Clementiam impetrare.*

B.V. speculū omniū Christo compatientium.

B.V. Arca & armariū dolorum Christi.

Amor Christi in homines dum eos tanquam Filios Matri commendat.

Sanguis Christi lixiviū est, quo peccatorum maculæ eluuntur.

B. V. suis doloribus meruit apud DEI clementiā pro nobis quicquid voluerit impetrare

27. Quæ Salvatoris verba ad pijssimam Matrem, amabilitate, divinissimaq; plane charitate refertissima, cujus quæso ferreum pectus non emolliant? cujus adamantinum cor non disrumpant? cujus congelata viscera non resolvant? cum eum ita de nostra salute solicitum videamus, ut non contentus ipse totum sese, quantus erat, in emolumentum nostrum impendisse, totumque sanguinem, è venis omnibus elicuisse, illumque non guttatim, sed undatim, ut ita dicam largissimè expendisse, atque instar aquæ (uti ipse de se fatetur; *sicut aqua effusus* sum) profudisse, ut copiosior, efficaciorque nostra foret Redemptio; Matrem quoque suam dilectissimam sibi in tanti operis salutis universalis Adjutorium adsciscere non dubitauit. Quare meritò idem Vir Religiosissimus ad tantam, tam Filij, quàm Matris in nos pietatem considerandam atque æstimandam animas invitat: *Hinc potes videre Anima deuota, quam insatiabilis sit amor boni* IESU, *qui omni modo tuam salutem operatur, tuisq; compatiens lapsibus, salutarem in recommendatione materna tibi medelam prouidebat, & apud propriam justitiam efficacem tibi constituit Advocatam. Vnde & ille qui primo meruit, huius medicinæ sanitate potiri, Discipulus, nempè quē diligebat* IESUS, *sicut in cæteris, sic & maximè in hac commendatione dilectus, & electus, non mediocriter ampliatione virtutum meritorumq; hujus Sanctissimæ Matris fuit locupletatus; eiusq; cordialibus affectibus, ex Vnigeniti sui Filij recommendatione illâ, intimè plane insertus.* Hæc Vbertinus, ex quibus omnibus clarè perspicimus quanam ratione B. V. dilectissimo Filio suo compatiendo, commoriendo, in Crucem cum ipso suffigi, toto affectu desiderando; ejusdemque dolores, ac mortem, paternumque affectum quem in hominibus salvandis in Cruce exhibebat, in se, Spiritus Sancti infusione, cum innumeris alijs ejus gratijs accipiebat, suscipiendo, humanæ salutis Cooperatrix, mortaliumq; Redemptrix effecta sit.

Christus apud propriam suā justitiam piam Advocatam nobis providit, Mariam.

28. Hunc ego pijssimum pijssimi hujus Viri Discursum postquam attentiùs mecum ipse considerassem, in mentemque venisset Virgini ad Divinæ Maternitatis apicem evectæ, inter creaturas omnes, etiam Angelicas nobilissimæ, Primogenitæ Redemptoris, DEI Filium, ipsumque Spiritum Sanctum, singularis instar amoris, benevolentiæque pignoris, Dominicæ Passionis dolores intimis ejus animi fibris imprimere ejusque cor Christi acerbissimorum cruciatuū speculum efficere non fuisse dedignatos, occurrit illico, eos qui varijs tribulationibus in hac vita, amore Christi exercentur in summis esse Christi, ejusque Matris amoribus, ac maximè eos qui quam creberrimè memoriam & Matris, & Filij amarissimarum pœnarum, dolorumq; recolunt. Ac proindè charissimum tam Matri, quàm Filio Ordinem esse Servorum DEIparæ, qui illi syncerâ vitæ puritate deseruit; cum eos jusserit suos, Fi-

Pati tribulationes patienter in hoc mundo, divinæ benevolentiæ signū.

Ordo servorum B. V. ipsi gratissimus. & ideo ei nigro Habitu dolorũ suorum memoriã tribuit.

lijque dolores assiduè mente versare, ac revoluere, dùm B. Philippo Benitio ipsa cœlorum Regina, aureo invecta curru, miris tracto jugalibus, Agno videlicet, ac Leone, pullam vestem propriâ manu porrexit; qua videmus in hodiernum usque diem Venerabilem hanc Marianam Religionem uti; ad contestandam toti mundo, gratissimam, & Christo ejusque Matri, cujus se esse filios ac servos in Domino gloriantur, esse memoriam Dominicæ Passionis; quàm ut semper, præ oculis haberent, voluit eos illo lugubri amictos esse habitu, quò eo viso, luctus, gemitus, doloresque eorum pijssimæ Matris, atque Auctricis in mentem revocarentur, intimisque sensibus in dies, in horas, in momenta singula, in animos suos demitterent. Quare eo Habitu sanctissimo Virgo benignissima id eis indicare voluisse visa est, quod Moyses de Divina lege loquens Israëlitico populo edixit: Deut. II. 18. *Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate. Docete filios vestros ut illa meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris, atque surrexeris.* ut ita atrore illo mœsto, ac lugubri, quê assiduè circumgestant commoniti tam domi, forisque, tam sedendo, quam ambulando, decumbendo, atque de lecto consurgendo, sua Filijque passio & oculis & animis simul obversaretur. Quemadmodum enim Dei Filius, decore habituque Humanitatis nostræ jam & in cœlis Regnans indutus, humanæ naturæ oblivisci non potest, suaviterque quasi cogitur ipsi compati, ac misereri: ita Virgo mœsto mentis suæ quasi habitu servos suos vestiri voluit, ut sibi, Filioque in tam acerbis doloribus compaterentur, & ad piam commiserationem moveretur; atque ita & ipsi eam imitando communis salutis hominum cooperatores, & quasi Redemptores qualis ipsa fuit, pati & mori etiam pro animabus desiderando, evaderent. Sed unde digressi sumus tandem revertamur.

B. Philippi Servitæ Vocatio à B.V. facta.

Maria offerendo Filium Sacerdos simul, & Hostia, nec non Altare effecta.

29. Revertamur, inquã, ad patiendi, ac moriendi pro salute mundi unà cũ dilecto Filio suo ardẽtissima Deip. desideria, quibus quemadmodum eundẽ in officio Redemptoris; ita & in ministerio Sacerdotis, Sacerdos simul, & altare quodammodò effecta, æmulari videbatur. Audiẽdus hic etiam B. Arnoldus Trac. de septẽ verbis: *Quod difficillimum erat,* inquit, *moriebatur, & mori non poterat; & clausa tanti doloris tormento intrinsecus, alium vultum palam exhibebat, nec poterat ex facie colligi Crux illa animæ, & patibulum spiritus, in quo erat hostia viva, beneplacens* Deo, *& medullatum holocaustum, quod cum ipsa incenderet, tantum conscientiæ ministerio utebatur, ipsaque sine strepitu seipsum mactans in altario interiori, & ligna & flammas, ac latices congerebat. Nimirùm in Tabernaculo illo duo vidimus altaria, aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Christi. Christus carnem, Maria immolabat animam. Optabat quidem ipsa ad sanguinem animæ, & carnis suæ addere sanguinem, & elevatis in Cruce manibus celebrare cum Filio sacrificium vespertinum, & cum Domino* Iesu *corporali morte Redemptionis nostræ consummare mysterium. Sed hoc solius Summi Sacerdotis erat privilegium, ut de sanguine munus intra sancta inferret; nec poterat ei consors hæc esse cum aliquo, dignitas; & in reparatione hominis nulli Angelo, nulli homini cum eo fuit, aut esse potuit communis auctoritas. Cooperabatur autem plurimum secundùm modum suum ad propitiandum* Deum *ille Matris affectus* (ut potè qui meritò saltem de congruo mundo misericordiam redemptionemque promerebatur) *cum tam propria quam Matris vota charitas Christi perferret ad Patrem, cum quod Mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret. Diligebat Pater Filium, & Filius Patrem, Mater verò post utrumque ardebat, unumque erat quod diversa exhibebat officia, quod Pater bonus, quod Filius pius, quod Mater sancta intendebat, quod in commune elaborabat dilectio, simulque se complectebantur pietas, charitas, & bonitas; Matre supplicante, Filio interpellante, Patre propitiante. Filius ad pectus Matris, & ubera: Pater ad Filij Crucem & vulnera respiciebat. Et quid inter hæc tanta pignora non moverent? Quid illa sanctitatis schola nisi pietatem doceret? quid nisi misericordiam informaret.* Hæc pijssimus Abbas, quibus quoniam Sacrificium à Deipara peractum, modusque in eo offerendo servatus præclarè describitur, fusius ob tanti Viri auctoritatem, dicendique copiam ejus attexere libuit testimonium.

Christus & Maria duo Altaria, in quibus Deo sacrificatũ

Mariç pro nobis patiendi desiderium.

Matris affectus patiendi & fundendi sanguinẽ cooperabatur ad propitiandũ Deum.

30. Non dissimiliter de hoc Virginis Sacrificio, ac Sacerdotio discurrit S. Epiphanius lib. de Virg. laud. qui ubi introduxisset ipsam Virginem gratias sibi à Deo collatas, præcipuè verò fœcunditatem Virginitati sociatam extollentem, dixissetque in persona Deiparæ:

Non

Non nouit Natura humana partum meum, excepto solo Deo, *qui in me habitauit;* tandem sanctus Vir, stupore attonitus, tam sublimia, tam arcana, mente vix assequi valens mysteria, in hoc prorupit epiphonema: *O Virginem stupendum Ecclesiæ thesaurum, qui adeptus est ingens mysterium. Virginem appello velut Sacerdotem pariter, & Altare, quæ quidem mensam ferens, dedit nobis cœlestem Panem Christum, in remissionem peccatorum.* Ipsa enim Deipara fuit figurata illa Mensa Panum propositionis, quia Panem illum *viuum qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo;* remittendo peccata, conferendo gratiam, figurabant.

Maria stupendus Ecclesiæ Thesaurus.

Maria Mensa Panis propositionis.

31. Et jure sanè meritò vocat Virginem: stupendum Ecclesiæ Thesaurum Sanctus Pater; ob Vnigenam illum nimirum æterni Patris, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, quem Deipara utero conclusum gestabat. Vnde factum ut Virgo tantum, tamque opulentum utero gestans Thesaurum, illumque, animi incredibili prorsus alacritate Deo Patri offerens tanquam suum proprium, copiosissimam humani generis, & ob infinitam magnitudinem precij, & ob offerentis illud dignitatem excellentissimam, operata sit redemptionem; usque adeò ut ipsa quoque ad Christianos omnes illam Divi Petri Apostolorum Principis memorabilem jure meritissimo pronunciare possit sententiam 1. Pet. 1. 18. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed precioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati.*

B. V. quia nobis Thesaurus extitit ideò copiosa fuit nostra Redemptio.

32. Verè Christus, Virginis Filius stupendus quoque est Ecclesiæ Thesaurus, Thesaurus, inquam, ingentis mysterij, abstrusissima Divinæ sapientiæ, in sese complectens secreta. Sic enim Dei Filium, appellavit Augustinus To. 10. Fer. 4. Pent. ser. 2. *Thesaurus,* inquiens, *dicitur, quia in ipso omnes opes, diuitiæ cœlestium Regnorum recondita cognoscuntur: Margarita appellatur, ut nihil eo preciosius habeatur.* Idque jure sane meritò. Si enim Thesaurus juxta Grammaticorum Ethymologiam quasi Tectum aurum, nuncupatur, eleganter profector Mundi Salvator Thesaurus dicitur, quod aurum Divinitatis, tegmine Humanitatis, ex virgineis visceribus, sanguinibusque compositæ in sese tectum comprehendat. Vnde cum eundem hominum Redemptorem in Evangelio Regnum cœlorum Thesauro abscondito in agro comparantem audimus, ipse Cœlorum Rex (continens nimirum pro contento figuratè usurpando) intelligendus est. ut Seraphicus docet Bonaventura in spec. cap. 7. expendens verba illa Patriarchæ Isaac: *Ecce odor Filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: Ager iste,* inquit, *ille est & Maria, in qua Thesaurus Angelorum, imò DEI Patris totus absconditus est. Felix qui vendit omnia, quæ habet, & emit agrum istum.* Verè aurum purissimum, optimumque in agro uteri Virginalis tectum, atque absconditum est augustissima Christi Divinitas. Vnde ipsa Virgo in Canticis c. 5. in persona Sponsæ pulchritudinem singularem Christi à verticè capitis, usq; ad plantam pedis describens, *Caput,* inquit, *eius aurum optimum.*

Christus Thesaurus noster, & Margarita.

Thesaurus dicitur, quasi tectum Aurum.

Christus & Maria Ager benedictus, in quo Dei Patris totus thesaurus est absconditus.

32. Quod si quis scire aueat, quidnam Sponsi caput in sacris dicatur literis, quærat ex Apostolo, & audiet: *Caput Christi* Deus. Quod si in sententia Iurisperitorum, ut Pauli Castrensis L. Nonnunquam de acquirendo rerum Dominio; *Thesaurus est tam vetus depositio pecuniæ, ut eius non extet memoria, nec Dominium habeat;* Quis non videat Christum Dominum verissimum esse Thesaurum, utpotè, qui tam vetus & antiquus sit, ut eius principij nullam sit reperire memoriam, cum sit æternus, principio, fineque carens, cujus Regnum æternum, quod non corrumpetur, ut ait Propheta, cujus nomen ante Lunam permanet, qui à Patre deniqúe in splendoribus sanctorum ex utero ante Luciferum est genitus?

Caput Christi aureũ est ipse Deus.

Quid sit Thesaurus?

Divinissimus hic quoque Thesaurus nullius supra se habet Dominium, utpotè à se existens per essentiam, & à quocumque independens, habens cætera omnia à se dependentia, tanquam absolutus uniuersorum Dominus, Rex Regum, Dominus Dominantium, Princeps Regum terræ! Agnouit Christum tectum esse aurum & Thesaurum Isaias quando c. 45. edixit: *Verè DEVS absconditus tu es & Salvator.*

Agnouere & illi fortasse, qui Aram ipsi cum epigraphe illa Act. 17. *Ignoto DEO;* posuere.

34. Eundem Virginis Filium Sacerdotem magnum semetipsum Patri in Ara Crucis offerentem, ingentem esse Ecclesiæ Thesaurum, seù Tectum aurum denotare voluit Dominus in summo illo

Summus Sacerdos antiquæ legis ornatu suo Christum nostrum Thesaurũ esse denotabat.

Israëlitici populi Pontifice, ad cujus exteriorem ornatum, ac vestes (interioris hominis amictum, decorem, divitias, thausaurosque significantia) preciosissima quæq; adhiberi voluit, aurum nempè, hyacinthum, purpuram, coccumq; bis tinctum, byssum retortam, lapides onychinos, auro inclusos, atque circumdatos, alias item gemmas preciosissimas ab ipso Domino Exod. 28. nominatas, quales sunt; Sardius, & Topazius, Smaragdus, & Carbunculus, Sapphyrus, & Iaspis; Ligurius & Achates; Amethystus & Chrysolithus, Onychinus & Berillus inclusi auro per ordines suos.

Quis obsecro Dei hunc Sacerdotem tam insignibus, preciosisque ornamentis decoratum, Sancta Sanctorum ad propitiandum Numen ingredientem, quis, inquam, ingentem Thesaurum circumferre non esset arbitratus? Verùm majorem, ac longè preciosiorem, interioris nimirum hominis Divinitati sociati, Filius Dei, ac Virginis, summus ille secundùm Ordinem Melchisedech Sacerdos, Patri semetipsum Sacrificium, atq; holocaustum pro totius generis humani redemptione in Ara Crucis consecrans, (cujus exterior ille Aaronicus sola dumtaxat erat umbra) obtulisse credendus est: adeò, ut infinitum illud debitum, quod ex offensa Divini Numinis in Protoplasto contraximus, non solùm adæquasse, verùm etiam infinitis parasangis, ob Personam Verbi hypostaticè cum humana Natura copulati, actionibus omnibus Christi etiam minimis, uti suprà memoravi, infinitum valorem ad satisfaciendum Patri tribuentis, excessisse fatendum sit.

Christus ob dignitatem Divinæ Personæ infinitum debitum nostrum, minimâ aliqua suâ actione dissolvere potuit.

35. Vnde minimè nobis mirum accidere debet, cùm à Sanctis Patribus, Deiparam tam preciosum Filium Patri offerentem, Mundi Redemptricem, tam ingentis precij, pro nobis deposito litro, ac thesauro, nuncupari audimus.

B. V. offerendo Filium Patri ingentem Thesaurum pro nostra Redéptione obtulit

Multò verò minùs debebimus admirari cùm eandem Virginem apud Salomonem in Prov. cap. 8. in Persona sempiternæ Sapientiæ, cui semper conformis esse studuit, gloriantem de hac humani generis redemptione à se facta, intelligimus, verbis illis celeberrimis: *Melior est fructus meus auro, & lapide precioso, & genimina mea, argento electo.* Quæ verba aurea Seraphicus Doctor attentæ considerationis expendens trutinâ in suo speculo cap. 18. Fructum hunc ait esse Iesum, Fructum benedictum ventris Mariæ Virg. quem qui habet, opes omnes, thesauros omnes, honoresque, temporalia denique omnia vicissitudinem temporum diffluentia contemnit, & cum Virgine jure merito gloriatur: *Melior est Fructus meus auro, & lapide precioso.* Addit insuper de hoc eodem fructu locutam Sponsam Cant. 8. *Vir affert pro Fructu eius mille argenteos; Relinquendo temporalia, dicit Interlinearis. Nam sicut alia glossa, per mille, perfectio; per argentum verò, omne mundanum accipitur. Vnde quasi mille argenteos pro hoc Fructu dat, quicumq; omnibus temporalibus pro Christò renunciat. Et verè meritò pro hoc Fructu omnia temporalia feruenter vilipendit, quicunq; quam preciosissimus sit ille Fructus diligenter attendit, dicens illud: Melior est Fructus meus auro. Vir certè est, quicunq; tam virilis est.*

Christus uteri Virginei Fructus melior est auro, atq; divitijs omnibus.

Idem S. Doctor cap. 16. spec. ad Fructum ventris Virginalis argento, auro, lapidibus preciosissimis preciosiorem, quo nostra per oblationem Deiparæ empta, ac redempta est Salus, alludens: *Dico*, inquit, *quod Fructus iste benedictus virtuosus sit ad saluandum, siue ad salutem, propter quod etiam Fructus Salutis dicitur, sine quo nulla Salus est nobis. Vnde Anselmus: Non est Salus nisi quam tu Virgo peperisti. Tu ergo Maria verè es Arbor Salutis, quæ Mundo portasti Fructum Salutis.*

Fructus ventris M. quam preciosus ad nos redimendos extiterit.

M. Arbor Salutis quæ Mũdo portavit, Fructum Salutis.

36. Cùm igitur Deipara Fructum hunc sui ventris purissimi, preciosiorem argento, auro, gemmisque, pro generis humani incolumitate, ac salute, voluntatem suam Patris voluntati conformando, liberalissimè obtulerit, quis obsecro dubitare poterit, quin in nostra salute procuranda Filium dilectissimum æmulata fuerit; & in ara cordis eundem Patri sacrificando, Sacerdotio, Filij sui quam simillimo perfuncta? Quis etiam ambigat eam Sacerdotem, simul & Altere, quis Redemptricem, ac humani generis Reparatricem esse vocitandam? Quis denique Virginem hanc tot gemmis, auroque meritorum copiosissimo cumulatam, ingentem Ecclesiæ Thesaurum, & cum Chrysippo Hierosolymitano Presbytero, *Arcam preciosissimam, quæ totius Sanctificationis excepit Thesaurum,* quo empta atque redempta mortalium omnium Salus extitit, verebitur appellare?

M. Arca preciosissima Thesaurũ Sanctificationis continens.

37. Quare Ioannes Gerson Parisiensis Cancellarius Tract. 9. in Magnif. inter

reliqua

reliqua ad laudem gloriosissimæ Virginis gravissimè pronunciata Theoremata, illa sanè videri debent jure merito memorabilissima, ac præcipua, licet in extremis ab ipso numerentur: MARIA *vespere Iovis Sancto*, inquit ille, *& si non fuit insignita Charactere Sacerdotalis officij, dū Iudas illum suscepit: nihilominus tunc, ante, & postmodum fuit in Regale Sacerdotium, præ consortibus suis inuncta, non quidem ad consecrandum, sed ad offerendum hanc Hostiam puram, plenam & perfectam in altari cordis sui, in quo semper ignis ardebat holocausti. Fuit enim Rubus ardens incombustus.* MARIA *plùs complacuit DEO, plùs humano generi profuit post Christum benedictum Fructum, siue Filium suum, offerendo ipsum spontaneè in holocaustum in ara cordis sui, feruentissimâ Charitate succensi, quamvis hoc primitus fieret in ænigmatibus, & figuris ante cœnam illam benedictam Fructus ventris sui.* Hæc Vir DEIparæ studiosissimus de Regali ejus Sacerdotio, preciosissimoque proprij Filij sacrificio, auro, gemmisq; longè preciosiori.

M. fuit in Regale Sacerdotiū inuncta, ad offerēdum DEO Patri Filiū

38. Vnde nil mirum nobis accidere debet, cùm inter quamplurima Virginis elogia audimus Hesychium Presbyter. Hierosolymitanum ser. 2. eam vocitantem; *Fodinam unde prodijt lapis totam terram tegens, à nullo incisus, navem mercibus refertam, nulloq; egentem gubernatore*, nimirum ob Spiritus Sancti assistentiam, *Thesaurum deniq; locupletantem.* Siquidem animadvertimus eam Patri æterno suum proprium, unicumque Filium, qui juxta Philosophum est pars Matris, & idem cum Matre, Filium, inquam, ventris sui Virginei benedictum Fructum, re quâvis Mundi charissimâ, ac preciosissimâ preciosiorem, tantâ, tāq; effusâ liberalitate, ac charitate, pro universi Orbis salute, ac Redemptione offerentem. De qua oblatione fusè, ac eruditè P. Quirinus de Salazar comment. in cap. 8. Prov. quem consule v. 19.

39. Quia verò quævis Divino Numini facta oblatio, non modò ex valore, & precio rei oblatæ, & ex dignitate ejus, à quo offertur: verùm etiam ex ejusdem Personæ offerentis promptitudine, atque alacritate pensari consuevit, videamus quam promptè, quam alacriter Virgo Beata Sacrificium hoc Vnigeniti, DEO Patri consecrârit.

B.V. summâ prōptitudine Filiū pro nobis Patri obtulit.

Summa sanè promptitudo, atque lætitia hæc esse debuit, pro summa atque ardentissima sua, quâ in DEUM ferebatur charitate. Vnde S. Bonaventura: *Sic Maria dilexit Mundum*, inquit, *ut Filium suum Vnigenitum daret*; ut non solùm Filij, verùm etiam Patris æterni tam amanter Filium in redemptionem Mundi nobis donantis æmula, atque imitatrix sedula, uti & in reliquis omnibus, super omnes creaturas videretur. Vnde idem P. Seraphicus: *Nulla creatura*, inquit, *per amorem DEI, ac per amorem nostrum ita exarsit, ut Virgo, quæ amantissimum Filium suum, & Vnicum, quem plùs seipsâ amabat, nobis dedit, & pro nobis obtulit.*

Amorem hunc, quo Virgo sanctissima Filium pro nobis Patri offerendo exarsit, totum Spiritui Sancto (qui per essentiam Personalis Amor est) attribuit D. Bernardus: *Spiritus*, inquiens, *supervenit, & virtus Altissimi obumbrabit tunc vel maximè, cùm Filium suum obtulit Patri.* Gaudium hoc DEIparæ (quod Donum etiam ipsius Divini Spiritus est) quo Sacrificium obtulit, pijssimus Gerson tit. 2. de Canticordio, ad cordis Virginei indicandā alacritatē in hoc Sacrificio, Canticordium appellavit; ad quod audiendum nos invitat: *Erige cordis aures ad voces Spiritus sui, dum proprium Filium, dum Dilectum oris sui, viscerum quoq; suorum, ac votorum consensit crucifigi, pro redemptione nostra, dans nobis illum utiq;, cum gaudio, & exultatione, quæ summam superabat carnis angustiam. Alioquin quomodo implesset, quod dicitur: Hilarem datorem diligit DEVS?*

B.V. hilaritas, quā Filiū Patri æterno obtulit, fuit Canticordium.

40. Et licet mœror ob acerbissimam Filij mortem, quam prævidebat ipsi imminere cor Matris incredibiliter lancinaret, excruciaretque, nihilominus tamen voluntatis, cùm Divina conformatio, spes resurrectionis, fructuumque in Salutem generis humani redundantium memoria, dolorem illū mirificè temperabat. De admirabili hac horum affectuum in Virgine colluctatione præclarè Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis in cap. 9. Deut. quæst. 4. *Virgo*, inquit, *in tempore Passionis ex charitate magna, quâ eam repleverat Spiritus S. ardenter diligebat Salutem humani generis. Cùm ergo eum vidit patientem, admirabiliter consolabatur, quia certissimè videbat redemptionem humani generis factam. Dolebat tamen acerbè, quia videbat tenerrimum illum Iuvenem Christum IESVM, quem ipsa conceperat, ipsa lactaverat, quem magis diligebat, quàm animam suam, ita ut pro eo mori elegisset, si licuisset. Erant ergo in ea dolor, si-*

In corde M. doloris & gaudij lucta, in offerendo pro nobis Filio.

mul & gaudium utrumq; magnum, sed unum alteri satis concordabat.

41. Hanc Virginis DEiparæ lætitiam in offerendo pro nobis Filio, lætitia illa Abrahami in immolando suo Primogenito Isaac figuravit, siquidem nulli gemitus, nullæ lacrymæ illius, sed potiùs promptitudo atque alacritas mirifica, dum obscurâ, ac intempestâ consurrexisse nocte, nulla penitus interposita mora, effœtus Senex, à scriptura memoratur. Audiendus de hac eximiâ hujus Senis venerabilis, Filijque alacritate S. Zeno Veronensis Episcopus & Martyr ser. 1. de Abrah. qui spectaculum hoc lacrymabile mirâ dicendi suavitate, proponit ob oculos: Postquam enim Dominum Abrahamo in hunc modum loquentem, introduxisset: *Volo mihi fieri Sacrificium Abraham, tuis manibus in monte de Filio tuo. Hæc mihi victima placet, hoc me sanguine deplacabis: iste meis sacris debetur, unde immolari iam iubeo;* subjunxit mox, Parentis, Filijque demirans alacritatem: *Non contristat frontem devotissimus Abraham, nec dolor Patri lacrymas persuasit, sed exultat, & gaudet. Nec timuit ne parricidium ei imputaretur, sed magis ut devotioni pareret, lætabatur hoc iussisse Dominum. De Filio hostia parabatur festina. Ascenditur in montem; omni mysterio, sacrificioq; disposito, ductus Filius gaudens, gaudente Patre, Patris dexterâ feriendus. Qui antequam veniret in montem, cùm de Patre quæreret, ubi esset victima quam disponeret, & immolaret, securus de fide generis sui Pater Filio, de quo non dubitabat, patefecit, quia se Dominus postulasset, & quid ipse Domino promisisset, ostendit. Lætatus est Puer Patre fidele; ipse quoq; fidelior, nec recusabat mortem, quàm DEVS, qui vitam dederat, imperabat. Lætatur Pater Filio quoq; gaudente, & cum gaudio unici Pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentiùs offert: pedes quoq; constringit, ne in ex. u mortis concitata victima calcitraret. Securus enim Pater optimus timuit, ne dolori aliquid liceret in mortem. O qui Servum Domini ita se esse meminerat, ut Patrem se esse nesciret! Quid est Pater? Ecce sub oculis iacet Filius vinculis adstrictus, ubi sunt lacrymæ? ubi dolor? qui in humanis sensibus versari consuevit. In tantis Filij casibus lætatur & gaudet, & se Dominum promeruisse triumphat.* Hæc S. Martyr.

Abrahami alacritas in immolando Filio, figuravit lætitiam B.V. in offerendo Christo

Isaaci alacritas in offerédo se Hostiam Deo

24. De hoc quoque Sancti Patriarchæ gaudio ipse Salvator sine dubio innuisse visus est, cùm Ioan. 8. edixit: *Abraham Pater vester exultauit, ut videret diem meum, vidit, & gavisus est.* Prospiciens enim diem illum, mentis, Divino lumine irradiatis oculis, quo DEI Filius in Monte Calvario ligna Crucis, ut super illa holocaustum Patri sese offerat, pro Mundi totius salute humeris bajulantem; Prospiciens fortassis etiam sanctissimam ejus Matrem Cruci assistentem, & Patri gratissimum illud Filij Sacrificium voluntariè offerentem, non potuit non summo exilire gaudio, quod DEus nobilissimam illam, in Filio suo Isaac immolando, repræsentare dignaretur Filij pariter, Matrisque actionem. Sed Sanctum Prosperum Aquitanum audiamus 1. Par. de Promiss. cap. 17. *Diem Passionis Filij DEI in suo Filio figuratum vidit Abraham, quod unico Filio non pepercit, quod velut ad Aram Crucis triduo cum insonti victima convolauit, quod patiens sine voce similis Agno coram tondente se, Filius Patri, ut percuteret pia colla præbuit, quod se ligno quod portaverat ipse, suspendi Isaac non reluctatus est, quod aries cornibus in vepre detentus, spinis coronatum Christum ostendens, pro Isaac immolandus apparuit.* Sic ille.

Abraham in Filio offerendo fuit hilaris, quia oblationē Christi & M. notabat.

43. Quod si dicamus cùm Richard. à S. Laurentio lib. 5. de laud. Virg. Deiparæ totam animam occupatam, & doloribus excruciatam, adeò, ut solamen aliquod, nullum in ea reperiret locum, adhuc hæc oblatio omni consolationis quasi melle (quod sibi in sacrificijs offerri vetuit Dominus) destituta, æterno Patri quodammodo evadit gratior, quia omni proprio penitus commodo carere videtur. Vnde Seraphico illi Francisco, & Catharinæ Senensi, Crucifixo Domino suo quam simillimis, suasum ab eodem cœlesti Sponso, fugienda dulcia, quasi essent amara, & ut inhiarent ad acerba, quasi forent dulcissima, ut scribit Lipeloo in Vita Catharinæ Senensis. Sed verba ipsa Richardi dolorem hunc omni prorsus solatio vacuum describentis audiamus: *Alij Martyres,* inquit ille, *etsi tormenta sentiebant in corpore, interiori tamen consolatione refrigerebantur in mente, etsi eorum corpora pertransibat gladius tormentorum pro Christo, tamen anima eorum recreabantur à Christo. Filius etiam simul fruebatur, & patiebatur, quia fuit in via Comprehensor,* ut dicit in Psalmo: *Providebam Dominum in conspectu meo semper. Sed anima Matris torquebatur in Christum, & totam eius animam vehementia doloris possidebat.*

B.V. in offerendo Filio consolationē omnem exclusit.

Torque-

Torquebatur, inquam, & usque adeò anima illa torquebatur Virginea, ut eosdem penè Filij in Crucem affixi dolores, ut suprà dixeramus, experiretur, corpusque ipsum Filij in Cruce pendentis Speculum quoddam Maternorum cruciatuum videretur. Quod Drogonius Episcopus Hostiens. licet dissimiliter, de anima cujusque peccatoris, ser. de Passione Domini asseveravit. *Fecisti*, inquiens, *mihi bone IESV de corpore tuo Speculum animæ meæ. Nesciebam contumelias & terrores, & colaphizantem me incessanter Satanam, nisi viderem artem medicinæ tuæ similia similibus curantem, & appendentem in Statera, hinc calamitatem tuam, hinc iniquitatem meam.*

44. Hoc Deiparæ Virginis Deo Patri immolatum sacrificium, atque adeò ad nostram redemptionem, ac salutem Divinissimâ illâ cooperatione, mirificam illi ac planè Divinam, ipsique æterno Patri quam simillimam peperisse visa est dignitatem. Vnde S. Ambrosius Abrahæ à Deo Filium immolare vetiti expendens sacrificium, dignam verè Ambrosio pronuntiavit sententiam. Ideò nimirùm inhibuisse Deum, ne Abraham Filium suum immolaret, quia sibi tanquam propriam eam reservabat ationem, utpotè planè Divinam; quam etiam Apostolus summoperè demirans, quasi attonitus exclamavit: *DEVS proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et quod mirabilius est, ipse Vnigenitus sempiterni Patris Filius hanc amoris plenissimam optimi sui Parentis stupere visus est operationem, cũ veridico illo suo edixit ore: *Sic Deus dilexit Mũdum, ut Filiũ suum Vnigenitũ daret.* Ioan. 3:16.

MARIA Divinam quandam nacta est dignitatẽ offerendo Patri Filium.

45. Immensam hanc Dei Patris Filium suum nobis tradentis, ac donantis obstupescens charitatem S. August. To. 10. de sanctis ser. 35. exclamavit: *O mira pietatis affectus! ò inæstimabilis ardor charitatis! quis ante tanta pietatis diuitias non obstupescat! quis ante tam ineffabilem charitatem non contremiscat? quis unquam posset sperare, ut ex DEO ante tempora natus, nasceretur pro hominibus in tempore ex fœmina homo factus? quis posset æstimare ut portaretur in manibus fœmineis Portator orbis, Panis Angelorum aleretur, virtus cœlorum infirmaretur, vita moreretur?* Possumus sanè erumpere & nos in simile aliquod Virgineæ charitatis, Divinam, in offerendo pro nobis Filio æmulantis, epiphonema: O mirus Virgineæ in nos pietatis affectus; ò inæstimabilis ardor charitatis! quis ante Virgineæ pietatis divitias non obstupescat? non contremiscat?

Charitas Christi in genus humanum admirabilis.

S. Ansel. lib. de Exc. B. V. c. 9. Cũ hujus Reparatricis Mundi laudes, nec nõ gratiarum actiones ipsi debitas omni creaturæ ineffabiles esse censuit. *Quas itaq; laudes*, inqens, *quasúe gratiarũ actiones non solùm humana, sed omnis creatura huic Sãctissimæ Virgini debet? Pura enim Sanctitas, & sanctissima puritas piissimi pectoris eius, omnem omnis creaturæ puritatem, siue Sanctitatem transcendens, incõparabili sublimitate, hoc promeruit, ut Reparatrix perditi Orbis dignissima fieret. Vnde quid laudis pro tam ineffabili bono ipse per eam reparatus Mundus ei iure debeat, æstimare nullatenus sufficit.*

M. Mundi Reparatricis laudes omni creaturæ esse ineffabiles.

Eamdẽ *Mundi Reparatricis* dignitatem, non modò mortales omnes, verùm etiã beatos Spiritûs demiratos sensit S. Chrisol. ser. 142. *Ipse*, inquiens, *Angelus miratur, aut fœminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per fœminam.*

Angeli mirantur homines vitam habuisse per fœminam.

Cùm ergò Virgo sanctissima tanto, tamque ardenti amore, promptitudine, atque alacritate pro nobis omnibus Filium suum in orbis universi redemptionem obtulerit, Filioque in nostra salute reparanda tam sedulo cooperata, eumque perfectissimè, quantum in creaturam quampiam rationalem cadere poterat, fuerit imitata, nonné jure merito Divinorum æmulatricem morum, Deoq; Patri, imò & Filio ipsi (qui sponte sese, amore nostri consecrans, ac devovens Patri, verè oblatus est, quia ipse voluit, ut loquitur Isaias) nonnè inquam Patri, nonné & Filio, quam simillimam, nonné humanæ naturæ Restauratricem, nonné in salutem nostram Cooperatricem benignissimam fuisse, pleno ore deprædicabimus?

46. Et licet gloriosissima Virgo Deipara, suam Divinæ conformando voluntatem, in sacrificium, pro salute humani generis dilectissimum æterno Patri obtulerit Filium tunc vel maximè, dum cruci affixus in monte Calvario penderet; obtulit nihilominùs etiam & multo ante, sæpiusque pro congenitâ sibi in omnes homines charitate, obtulit, inquam, statim, atque hanc hujus mortalis vitæ hausit auram. Vnde natum illico collocavit in præsepium, in terram exposuit, ut ipse in Salomonis persona de semetipso fatetur: *Et ego natus accepi com-*

Sæpe B. V. pro nobis æterno Patri offerebat Filium.

B. V. Filiũ simul, ac natus est, obtulit Patri pro salute nostra.

communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans. Sap. 7. Obtulit post octiduum ad circumcisionem, ad effusionem illam sanguinis. Hinc Psal. 21: 11. Patri dicit ex Heb. *Expositititus factus sum apud te, ex utero Matris meæ.*

Christus à Matre pro nobis factus Expositititus.

47. Obtulit etiã & exposuit quotannis in festo Paschatis, ut legem illam, de primogenitis in Templo DEI conspectui sistendis, observaret, uti S. Evangelista testatur Lucas c. 2. *Et ibant,* inquiens, *parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solenni Pascha.* Licet inquã hæ, aliæq; quãplurimæ à DEIpara factæ fuerint Filij oblationes; atq; expositiones: illa tamen quadragesimo à Nativitate die in Templo Hierosolymitano peracta, videtur fuisse solennissima, quando nimirum, illum proprijs manibus sanctissimo illi Sacerdoti Simeoni, Viro justo, & timorato (quem D. Bernard: Senensis sagacem humani generis appellavit Procuratorem) consignavit tradidit, atque exposuit. In qua DEIparæ oblatione, idem Pater Seraphicus To. 3. ser. 7. p. 3. ita loquentem introducit Simeonem: *Non recipiam Infantulum hunc, nisi tu pia Virgo primo ipsum mihi tradas, hoc pacto, ut Infantulus iste innocens Filius tuus, ô Mater, tanto Filio digna, pro salute totius humani generis nocentis moriatur, dico morte patibuli amara crucis, & gladius perforet animam tuam. Quã Virgo pijssima audiens, tota conformis voluntati Patris, Filij, & Spiritus Sancti illum unicum genitum suum dilectissimum Simeoni tradidit charitate ferventi, & liberalitate gratiosa, ac in veritate donavit. Tunc Procurator noster Simeon Propheta, donum hoc ineffabile recipiens Divinitatis amplexando Puerum cum jubilo dicere cœpit: Nunc dimittis &c.*

B. V. gratissima Filij Oblatio, cùm eum in Templo præsentavit.

B. V. Filiũ suum tradidit Simeoni charitate ferventi, liberalitate gratiosa.

48. Oblationem hanc S. Bernardus ser. 3. de Purificat. Sacrificium appellavit matutinum; alludens, videlicet ad Agnum illum, qui DEI jussu mane, simul, ac vespere in Templo Hierosolymis immolari præcipiebatur. Num. 28. *Offeretis Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum, unum offeretis mane, & alterum ad vesperam.* Verè enim, dum dilectissimum Filium Virgo Beata Simeoni offerendum DEO tradidit, Sacrificium matutinum obtulit: obtulit inde & vespertinum, cùm ad vesperam in Ara Crucis, voluntate expeditissimâ, DEO Patri eundem, amore salutis nostræ, consecravit.

B. V. Filij in Templo facta Oblatio fuit Sacrificiũ matutinũ.

Verùm de his duabus oblationibus verba Melliflui Doctoris gloriosissimam Virginem ad eas faciendas adhortantis audiamus: *Offer Filium tuum Virgo Sacrata, & benedictum Fructum ventris tui Domino repræsenta. Offer ad nostram omnium reconciliationem Hostiam sanctam, DEO placentem. Omninò acceptabit DEVS Pater Oblationem novam, & preciosissimam Hostiam, de qua ipse ait: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Sed Oblatio ista satis delicata videtur, ubi tantum sistitur Domino, redimitur avibus, & illicò reportatur. Veniet quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra Civitatem inter brachia Crucis. Veniet, & quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio. Quia Redemptionem eum misit DEVS Pater populo suo. Illud erit Sacrificium Vespertinum, istud est matutinum. Istud quidem iucundiùs, sed illud pleniùs. Istud enim tempore Nativitatis; illud iam in plenitudine ætatis. De utroq; potes accipere quod Esaias prædixit: Oblatus est quia ipse voluit. Nam & modò oblatus est, non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia voluit. Et in Cruce nihilominus oblatus est, non quia meruit, non quia Iudæus prævaluit, sed quia ipse voluit.* Concludit tandem, oblationes has æmulari devotè cupiens, & affectu ardenti proponit: *Voluntariè sacrificabo tibi Domine, quia voluntariè oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate.* Hæc Bernardus.

Quid sit Sacrificiũ Vespertinum.

49. De hoc preciosissimo Sacrificio sine dubio locutus est Malachias Propheta cap. 3. cùm de Legis novæ Sacrificijs vaticinaretur: *Et erunt,* inquiẽs, *Domino offerentes sacrificia in justitia, & placebit Domino sacrificium Iuda, & Hierusalẽ, sicut dies sæculi, sicut dies antiqui;* In quibus nimirum Viri illi Sanctissimi Abel, & Noë, Melchisedech & Abraham, Moyses & Aaron, &c. summâ Iustitiâ, Sanctitateque, summâ cum mentis puritate, ardoreque devotionis optima quæque sua Divinæ sacrificabant Majestati.

Imò Sacrificium hoc unicum, ultra omnem humanæ mentis captum, excessit maximè omnia illa Virorum Sanctissimorum in annis antiquis sacrificia, atque holocausta. Illa enim ex opere operantis; ut Theologi in Scholis loqui consuevere; ex pietatis nimirum, devotionisque in DEUM affectu dumtaxat, non autem ex opere operato, oblatione videlicet animalium, ac terræ fru-

Sacrificiũ B. V. omnia reliqua antiquæ legis Sacrificia superavit.

tuum Deo grata esse potuere.

At verò Sacrificium hoc Virginis ortæ de tribu Iuda, Holocaustum hoc hujus animatæ Ierusalem (cui jam pridem eam comparaverat cœlestis Sponsus: *Pulchra, inquiens, es amica mea, suavis, & decora sicut Ierusalem*) tam ex parte offerentis Virginis, ut potè quam Divinissimus ille Verbi æterni ignis tanquam in ardentissima quapiam fornace liquefaciente metalla, divino amore succendit, incanduit, atque decoxit, ut loquitur S. Ildephonsus; imò & in semetipsum per amoris affectum transformavit; ab omnique macula cujuscumq; tandem peccati etiam Originalis præservavit: Sacrificium, inquam, hoc gratissimum fuit tam ex parte offerentis Deiparæ, quam ex parte rei oblatæ, utpotè preciosissimæ, cujus æstimationem valoremque infinitum infiniti mundi, cum rebus omnibus in ipsis comprehensis, nullo unquam tempore adæquare possent. Vnde non immerito Scholarum Angelus, inter tria illa creata infinita, nempe Visionem Beatificam Dei, Divinamq; Maternitatem, Verbi æterni cum humana Natura hypostaticum illud Vinculum numeravit. Quare Chaldæus loco verbi illius; Placebit Sacrificium Iuda; posuit: *Suscipietur voluntariè Sacrificium Iuda.* Pagninus verò & Vatablus; *Dulcescet Sacrificium Iuda.* Quia nimirùm Sacrificium hoc magnæ Dei ter optimi, terque Maximi Parentis sanctissimæ, voluntatem suam Divinæ conformantis, dulce, gratum, sapidumque & ex offerentis puritate, ac sanctitate, & ex ipsius rei oblatæ præstantia Divinæ illi Patris æterni.

B. V. Sacrificium Deo gratissimum, tam ex parte personę ipsius, quàm ex parte rei oblatæ, quæ erat Filius ipsius Dei.

Tria creata sunt infinita: Visio Dei beatifica, Divina Maternitas, & Vnio hypostatica.

B. V. Sacrificium dulce, gratum ac sapidum fuit Deo.

50. Non solùm Deo Patri gratissima hæc tam preciosa extitit Oblatio, verumetiam Templo illi, in quo facta est honorificentissima. Sumam enim illi peperit gloriam, honorem, atq; dignitatē, quàm Aggæus Propheta, oculis propheticis à longè contemplatus, de Templo hoc postremo à Zorobabele ædificato ultra omnē humanæ mentis captū accidit Majestati seu instaurato sic cap. 2. exclamavit: *Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum, & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Et quaminam tandem existimamus hujus postremi Templi fuisse gloriam? Fortassis divitias, pulcherrima fortassis quædam ornamenta, ac opera, divinâ quadam arte elaborata? Minimè, cum constet Templum Zorobabelis, illud Salomonis ne minima quidem ex parte, non dico superare, sed ne exæquare, ob ingentem auri, argenti, vasorumque preciosissimorum copiam (quę omnia postmodum impijssimi diripuere Chaldæi) potuisse.

B. V. Sacrificium Templo Hierosol. fuit honorificentissimum.

Maxima Templi Hierosolymitani gloria non fuit aurum aliævé divitiæ, sed ipse Christus quem Mater obtulit Patri æterno.

Gloriam itaque atq; novi illius Templi magnificentiam non aliam intelligit esse idem Propheta, quàm Verbum æternum, ipsum Dei Filium Regio humanitatis Virginalis amictum paludamento; Desiderium illud collium æternorum; Desideratū cunctis gentibus omniumq; votis, ac suspirijs tot annorum, sæculorumque myriadibus expetitum. De quo idem Propheta paulo ante luculenter dixerat: *Et veniet Desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria.* Vnde in persona Dei subiungit illico: *Meum est argentum, & meum est aurum.* Quasi diceret: Argentum illud atque aurum quod tantâ, tamque hactenus inauditâ mortalibus, copiâ, Regis Salomonis redundabat Templum, huic postremo Zorobabelis non addet splendorem, ac gloriam, sed ego ipse, cujus est argentum, & aurum, atque adeo omnes totius Vniversi thesauri, utpotè universorum Creator, ac Dominus. Ego, inquam, ero hujus postremi Templi, cum Matre meâ sanctissima; Ego ero Templi hujus meâ cœlesti doctrinâ, miraculisque, insigne decus, ornamentum, gloria.

51. Et licet in hoc Zorobabelis Templo non fuerit Arca Testamenti, nec Propitiatorium, quæ Gloria Israël vocitari consueverant; supplevit tamen defectum hunc, Sanctissima Deipara, suâ præsentia, quæ viua atque animata novi Testamenti fuit Arca. Supplevit Propitiatorij defectum, ejus benedictus Filius, qui mundi totius apud æternum Patrem est pro peccatis nostris, propitiatio. Quare jure meritò crediderim Deum permisisse, ut & Arca, & Propitiatorium de medio velut umbræ tollerentur, locumque veræ huic Dei Arcæ, atq; Propitiatorio cederent. Ipse etiam idem Dei Filius eodem loci dedit Pacem, uti promiserat: *Ipse est enim Pax nostra qui fecit utraq; unum.* Quam Pacem Divinissimam complexus Simeon velut confectus senio, mortique vicinus olor carmen illud modulatus est: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in Pace. Luc. 2.*

B. V. Arca novi testamenti, ejusq; gloria.

Evangelicus Propheta denique Isaias de Messiæ adventu loquens, eumdem, Gloriam Decoremq; Domini vocitavit: *Ipsi videbunt Gloriam Domini, & Decorem DEI nostri.* Isa. 35: 2.

52. Verùm quidem est Salomonicum illud Templum insigni planè decoratum fuisse gloria, quando ipsa DEI omnipotentis Majestas in nebula sese visendam exhibuit. Verùm hoc posterius Zorobabelis Templum multò amplius extitit gloriosum, cum ibidem æterni Patris Vnigenitus Filius, quadam veluti nebulâ nostræ carnis, immensam illam, invisibilemque mortalium oculis, Divinitatem contegens, eamdemque sibi, hypostatico illo insolubili prorsus nexu uniens, corporaliter omnibus visibilis comparere, & verba vitæ æternæ prædicare humano generi, in eodem DEI domicilio non est dedignatus. Qua in apparitione terrorem nullum, uti antiquitus consueverat, nullam prorsus præ se tulit majestatem, quin potius, cum in forma DEI esset, ut loquitur Apostolus, exinaniens semetipsum formam servi accipiens in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo, eximiam humanitatem, atque benignitatem omnem toti mundo declaravit, adeò ut idem Apostolus ad Tit. 3. scribens, gloriando dixerit: Apparuit benignitas & humanitas, seu ut legit Græcus; φιλανθρωπία; hoc est, amor hominum, Salvatoris nostri DEI.

Christus ejusq; Mater templi Hierosol. gloria ac decus.

Christus carne humana velut nebula contectus in Templo apparuit.

In Christo apparuit Amor hominum.

53. Gloriosum denique Templum illud ob innumera, opimaque sacrificia, Holocausta, atque Hecatombas, quæ in eo Divino Numini quotidie offerebantur, fuisse memoratur. Atque, ut sileam de illis quæ Salomon in ejus dedicatione obtulisse libris Regum describitur, aliaque diversis temporibus à diversis litata sacrificia; illud sanè celeberrimum inter alia à Genebrardo lib. 2. Chronologiæ fuisse perhibetur, cum Antiochus Sedetes Taurum pulcherrimum inauratis cornibus; quæ aureæ ingentis precij contegebant laminæ; preciosissimâque coopertum purpurâ, phrygio opere; gemmis, lapillisque preciosissimis distinctâ, atque elaboratâ; onustum vasis plurimis aureis, atq; argenteis, gemmarum, suavissimorumque aromatum copiâ refertis in Templo illo Divinæ immolavit Majestati. Verùm hæc oblatio tenuis dumtaxat, hujus nostræ Virgineæ umbra extitit; in qua pulcherrimus ille castissimusque Humanitatis nostræ Taurus, seu Agnus habens cornua septem, oblatus est, Apoc. 5. De qua oblatione Moyses in Deuteronomio 33. quasi pulchritudo tauri pulchritudo ejus, cornua Rhinocerotis cornua illius; in ipsis ventilabit gentes, usque ad extremum terræ. Et clariùs dilectus Christi Discipulus Victimam hanc se vidisse fatetur Apoc. 5. in specie Agni stantis tanquam occisi, ob vulnerum sanctissimorum cicatrices, quas etiam nunc in cœlis regnans, in amoris nostri mnemosynon in suo gloriosissimo corpore reservavit: *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio Seniorum Agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem & oculos septem, qui sunt septem spiritus DEI.* His Divinitatis suæ, Regiæque potestatis, Diviniq; spiritus donis, velut septenis cornibus inimicos impiosque usque ad extrema terrarum ventilavit, ac pessumdedit. Victimam hanc operiebat etiam Humanitatis nostræ purpura, sanguine proprio olim rubricanda; onusta erat hæc victima auro, argento, gemmis aromatisque suavissimis, infinitorum meritorum; valoris, precijque planè interminati, ob Divini suppositi excellentiam, quibus & copiosâ, ut jam memoravi apud DEUM nostra facta est redemptio, & victima ipsa tam acceptæ, DEOq; summoperè dilectæ rei oblata, odorem Divinæ Majestati exhalavit suavissimum.

Antiochi Sacrificiū factū Hierosolymis.

B. V. longè gratissimum in Templo Hieros. obtulisti Sacrificiū.

Christus Taurus & Agnus.

54. Si enim innocentissimi Abelis victima, quod electus esset Agnus, ut ait Cardin. Cajetanus, adeò cœlo placuit, ut Moyses Gen. 4. dixerit: *Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius;* seu ut vertit Theodotion: *Inflammavit Dominus super Abel;* ignem videlicet de cœlis evibrando, qui ad instar flammantis cujuspiam quadrigæ oblationem illam superis gratissimam, in alta subveheret, quo Divina illa Majestas tam grato ejus pietatis odore magis, magisque recrearetur: quanto magis Deiparæ hæc oblatio mundissima (in qua revera selectissimus, tollens mundi peccatum immolabatur Agnus, de quo Sponsa jam pridem dixerat in Canticis c 2. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus*) Patri æterno fuit acceptissima, atq; gratissima? Plura qui volet de infinito hujus Virginei Sacrificij valore, consulat P. nostrum Salazar in Prou. c. 8. in illa verba:

Mariæ oblatio gratior quam Abelis.

verba: *Melior est fructus meus auro &c.* ubi doctè, ac copiosè de toto hoc disseruit argumento. n. 221. Ex his omnib⁹ hactenus dictis facilè est perspicere Deiparem Virginem non modo speculum Filij patientis, crucique affixi, verumetiam semetipsum Deo offerentis atque immolantis, pro salute humani generis mundique redemptione extitisse imaginem; dignamque quæ sempiterna sæculorum omnium memoria monimétisq; omnium quoque gentium nationumq; linguis celebretur, nec ulla unquam ætas de divinissimis ejus laudibus conticescat.

55. Claudamus tandem sermonem D. Bernardi suavissima exhortatione, qui Virginem Filium Deo Patri offerentem, eumdemque imitantem contemplans, se etiam, suosque ad ejusdem Virginis, Filijque inflammavit imitationem. Postquam enim ser. 1. & 2. de Purific. dixisset: *Hodie Templi Dominum, in Templum Domini Virgo Mater inducit. Ioseph quoq; sistit Domino non suum sed eius Filium dilectum, in quo ei bene complacuit. Hodie sistitur Creatori terra Fructus sublimis, hodie placabilis, & DEO placens Hostia Virgineis manibus offertur in Templo, portatur à Parentibus;* tandem ser. 3. concludit: *Sed quid nos Fratres offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus, quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam preciosiorem quam habuit, nimirum qua preciosior esse non potuit. Et nos ergò faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illic quod sumus, utiq; nosmetipsi. Ille seipsum obtulit, tu quis es, qui teipsum offerre cunctaris? Quis mihi tribuat, ut oblationem meam dignetur majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo Domine, corpus & animam dico. utinam hac tibi perfectè possim in sacrificium laudis offerre.* Bonum enim mihi, longèque gloriosiùs *atq; utiliùs est, ut sibi magis offerar, quàm deserar mihi ipsi. Nam ad meipsum anima mea conturbatur, in te verò exultabit spiritus meus si tibi veraciter offeratur. Hæc est enim Hostia placabilis, DEO placens Hostia, Hostia viva.* Hæc mellifluus Doctor.

B. V. imitanda in oblatione, qua in Templo Filium obtulit.

Christi exemplo corpus animamq; creatori nostro offeramus.

Corpus & anima sunt duo minuta Deo offerenda.

56. Cupimus & nos hujusmodi Hostia viva, placabilis, Deoq; placens evadere? Eadem & nos duo illa minuta offeramus amantissimæ huic humani generis Redemptrici, nosque gratos illi pro tam immortalibus exhibeamus beneficijs; memores nos hæc eadem duo minuta Evæ scelere perdita, ac penè annihilata, Mariæ pietate ac charitate in statum quasi pristinum revocata, atque instaurata recepisse. Verè enim, ut Ecclesia Romana in suo antiquo concinit Missali:

Eva prius interemit,
Sed MARIA nos redemit,
Mediante Filio:
Prima Parens nobis luctum,
Sed secunda vita fructum
Protulit cum gaudio.

Vt porrò ostendat Virginem sanctissimam in hac nostri Redemptione cooperatam Dei Filio, mox ejus Incarnationis mysterium memorans, annectit:

Negligentes non neglexit,
Sed ab alto nos prospexit
Pater, mittens Nuncium
Gigas velox, Gigas fortis,
Gigas nostræ victor mortis
Accinctus potentiâ
Ad currendam venit viam,
Complens in se Prophetiam,
Et legis mysteria.


Verè denique per hanc Virginem, ut eadem canit Ecclesia:

Servitus finitur,
Porta cæli aperitur,
Et libertas redditur.

Huic igitur quam maxima grati animi significatione, totum hoc quod sumus, totum hoc quod ab ipsa accepimus, liberalissimè offeramus. Huic vitam, voluntatem, huic libertatem nostram omnem, ejus obsequio ac servitio nos totos ex animo mancipantes, devoveamus, consecremus; certò nobis persuadentes illam nobis apud dilectissimum Filium, copiosissima dum adhuc in hac vita degimus gratiarum munera, & post hanc, æternæ patriæ felicissima gaudia impetraturam. Dubium siquidem non est ut sanctus loquitur August. Tom. 10 ser. 35. de sanctis, eam quæ meruit pro liberandis proferre precium, posse plus omnibus liberatis impendere suffragiū.

MEDITATIO XV.

I.



Ontemplare anima mea Magnam Dei Matrem; ardentissimo hominū amore succensam concurrisse ad tuam salutem, & cooperatam ad hominum redemptionem, non modo orando, & intercedendo apud

do apud Deum, pro humani generis salvatione, verumetiam offerendo Divinæ Majestati in suo proprio & dilectissimo Filio maximè ad montem Calvarium juxta Crucem consistens sacrificium & holocaustum in odorem suauitatis, pro totius mundi de Sathanica captivitate liberatione. Cujus oblatio debuit omninò esse gratissima, tum quia erat ex semetipsa pręstantissima ac valoris prorsus infiniti, non auro, non gemmis preciosissimis ullo modo comparabilis, offerendo nimirum ipsum Dei Patris, suumque in suis Virgineis visceribus humanatum Vnigenitum. Tum quia à Virgine dignissima Dei Matre ingenti exstimulatâ charitate, sese æterni Patris voluntati conformante peracta est. Quæ adeo grata acceptaque extitit, ut quemadmodum ait S. Bonaventura in Medit. Vitæ Christi c. 11. *Per manus Angelorum fuerit in suprema curia cum omnium jubilo præsentata atq; acceptata.*

B.V. oblatio per manus Angelorum in cœlesti curia præsentata.

O ineffabilem gloriosissimæ Virginis in homines charitatem. ò liberalitatem effusissimam, Eja anima mea amantissimæ hujus Virginis in te amorem, uti par est, redama, in eamque omnes cordis tui affectus effunde, quia ipsa est Vita, est salus tua post Christum, ipsa est via, Scala, & Porta Paradisi. Per hanc sicut Dei Filius, de cœlis in terras venit & cum hominibus conversatus est, ita per eamdem de terris ad cœlos, Dei faciem æternûm contemplaturi, conversationemque cum Angelis habituri, proficiscemur. Accede igitur confidenter ad hanc benignissimam Matrem, tanquam Filius, magnoque pietatis ardore beatis hujus Reginæ cœlorum pedibus provoluere, quia verè ut ait ejus devotissimus Bonau. Ps. 117. *Via veniendi ad Christum est appropinquare ad illam, qui autem fugiunt eam, non inuenient viam pacis.* Imitare proinde eundem hunc Seraphicum Patrem animam suam ad salutiferam hanc Matrem laudandam exhortantem Ps. 114. *Conuertere Anima mea in laudem ipsius, & inuenies refrigerium in novissimis tuis.* O utinam Virgo benignissima te laudibus condignis possem extollere, & Nomen tuum gloriosissimum, toto orbe celebrare. Vtinam totum me laudibus tuis possem impendere. Vtinam creaturas omnes ad servitium honoremque tibi exhibendum excitare. Vtinam hæc Anima mea, cum suis simul potentijs te semper glorificet, memoria assiduè te recogitet, intellectus Divinissimam excellentiam, dignitatemque tuam comprehendat, voluntas tuam effusissimam bonitatem in nostra redemptione demonstratam animitus medullitusque diligat. Tu Mediatrix nostra, tu Redemptrix nostra, tu præsentissima salus. Tu post Deum nos de captivitate Tartarei Pharaonis eripuisti, inque libertatem filiorum Dei adscivisti, ac transtulisti in Regnum Filij dilectionis tuæ. O si gloriam tuam totius humani generis linguis assiduè possem extollere, tuam charitatem benedicere, tua laudum præconia deprædicare. Cum aliud facere nequeam, totum me interim tuo cultui & obsequio offero, & mancipo, profiteorque cum tuo Seraphino: *Tuus totus ego sum, & omnia mea tua sunt Virgo super omnia benedicta. Pone te ut signaculum super cor meum, quia fortis est, ut mors dilectio tua.* Pone te, inquam, ò Domina mea ut signaculum super cor meum, super animam, super meipsum totum, tanquam rem tuam, & possessionem tuam propriam, pone inquam te, vt signaculum super cor meum in signum absoluti tui in illud Dominij, ut fortiter te diligat, & dilectio hęc sit mihi ad instar mortis, quo mundo, ejusque cupiditatibus mortuus, Christo dilectissimo Filio tuo, tibiq; perpetuo vivam.

In Cantico Moys.

Marię nos totos debemus tanquam ei, quæ nos redemit.

Pone te, tuaque singularia in me beneficia, ut signaculum super memoriam meam, ut memoriam suavitatis, charitatisque tuæ eructans, assiduaque tui memoria memor, tabescat & colliquescat in me, amore tui, anima mea. Pone te ut signaculũ super intellectũ & voluntatem, ut te cognoscã, & ardenter amem. Pone te deniq; ut signaculum super me totum quantus sum, quia me tuum servũ, tuum mancipium agnosco, quandoquidẽ me, totumq; genus humanũ Sathanæ, peccatorumq; servitute liberasti. Quæso te, obsecro te, per gratiã illam, quam apud Deum invenisti, per increatã illam infinitãq; Misericordiam quam peperisti, concede mihi minimo famulo tuo perpetua hac filiorum Dei libertate gaudere, nec quam in pristinam servitutem, ac peccata relabi, sed ea tanquam à facie colubri fugere, atque aversari.

B.V. ut signaculum cordi imprimenda, ut nos servos ejus esse fateamur.

2. Contemplare Deiparam Virginem, non aurum, aut argentum, aut lapides preciosos ad te, Mundumque de captivi-

captivitate Sathanica redimendum contulisse, sed rem longè omnibus hujus Mundi divitijs, ac thesauris preciosissimam, cor nempè suum, viscera sua, Filium dilectum suum, Dilectum votorum suorũ, Dilectum uteri sui, imò & semetipsam totam (cùm Filius idem quodammodo cum Matre sit) æterno obtulisse Patri in nostræ redemptionis precium. Quid hic dicam Virgo beatissima tam ingentibus tuis in nos amoris flammis circumdatus! Exclamabo cum tuo fidelissimo Servo Bonaventura: *Quid pro his retribuam tibi, nisi me totum? Domina benignissima suscipe me.* Psal. 118. *Sucipe*, inquam, *quia paratum cor meum Domina, paratum cor meum laudes tibi psallere, ac cantare. Maior est charitas tua, cunctis divitijs, & gratia tua super aurum, & lapidem preciosum.* Psal. 107. Dignum itaque est, ò Mater DEI benignissima, ut optimum illud, & preciosissimum, quod habemus tuæ Majestati offeramus, nempè animam nostram, cor nostrum, nos metipsos totos, maximo, quo possumus amoris affectu; dignum quoque est ut in servitio, obsequiòque tuo, vires omnes facultates omnes, tam animæ, quàm corporis impendamus, & superimpendamus. Quia, ut verissimè dixit tuus Seraphinus: *Egressa es Virgo in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo;* ei videlicet in redemptione nostra cooperando. *Proinde magnificate ipsam mecum semper, & exaltemus Nomen eius in sæculum sæculi. Repleatur os vestrum laudibus eius, decantate totâ die magnificentiam eius.* Psal. Quia verè virtutem hanc vel maximè Regina cœlorum exercuisse videtur, tam largos, tamque ingentes sumptus rerum preciosissimarum profundendo, pro animabus nostris redimendis, fateamur proinde cum eodẽ ejus Servo humiliter, atq; ingenuè: *O verè benedicta, in manibus tuis verè reposita est nostra salus, recordare ò pijssima, miseria nostra. Quem vis ipsa, salvus erit, & à quo auertis vultum tuum vadit in interitũ.* Virgo igitur benignissima, respice in me, & miserere mei, salvum fac servum tuum, ò Ancilla Domini, sperantem in te.

Respice & tu cœlestis Pater, Pater misericordiarum benignissimis tuæ pietatis oculis, hoc Sacrificium atque holocaustum dilectissimi tui Filij, quod tibi Sanctissima Virgo Filia tua, oculis tuæ Divinæ Majestatis gratissima, pro totius generis humani redemptione & salute in monte Calvario Cruci assistens offert, ac consecrat.

Eumdem ego quoque tibi, toto cordis affectu, in Ara Crucis immolatum pro animæ meæ expiatione exhibeo, ut preciosissimus ejus sanguis ex quinque ipsius sacratissimis vulneribus, velut uberrimis fontibus emanans fit in ablutionem mei peccatoris, cujus justitiæ sunt velut pannus menstruatæ, ut ita emunder ab omni inquinamento carnis, & spiritus, fiamque in conspectu tuo, unà cum purissimo hoc, atque immaculato Agno, oblatio munda, tuæ summæ Majestati exhalans odorem suavitatis.

Atque ut hæc oblatio tibi gratior accidat, offeram tibi cum tuo devotissimo Servo Iusto Landspergio in primis dulcissimum tuum Filium, tum singula ejus manuum, pedum, cordis, laterisque vulnera, quo etiam meritis non modò tui Vnigeniti, ejusque Matris dignissimæ, verùm etiam tam pij, fidelisque tui Servi, nobis omnibus tot scelerum maculis defœdatis propitieris: *Igitur ò Pater clementissime, DEUS æterne, pro omnibus peccatis meis, & totius Mundi offero tibi Vnigenitum tuum in Cruce pendentem; omnem quoq; passionem, dolorem, angustiam, pressuram, sanguinem, ac mortem eius offero tibi in ea charitate, ac virtute, quâ olim semetipsum obtulit, in Ara Crucis, nec non cum eodem illo affectu, quo Divina Mater illum tibi ultro dedicauit.* (Lib. 1. Pharetræ Divini Amoris. Orationes Iusti Landspergij, quibus Deo Patri offert 5. vulnera Christi.)

In eiusdem oblationis unione offero meipsum tibi in laudem & gloriam, in beneplacitum tuum in sepiternum.

Amantissime Pater, hoc Vulnus, hunc Sanguinem, hunc laborem Dexteræ Vnigeniti tui, eius amorem, perfectissimamq; obedientiam offero tibi contra omnia peccata mea, & totius Mundi, ac præcipuè contra inobedientiam, ac rebellionem meam, orans, ut ex hoc vulnere mihi infundas perfectissimam obedientiam, quâ vel nutum quemcunq; beneplaciti tui tam promptus, tamq; obediens sequar, quam sequitur umbra ad corporis sui motum. Da mihi etiam, ut tui amore, & Filij tui imitatione, omni creatura meipsum humiliem, atq; subyciam. Da mihi abyssalem abnegationem meiipsius, & tantam, ut fideliter meipsum totum tibi offeram, totum resignem, totum relinquam, nil habens de ulla proprietate, sed tuum solum amans, quærens, faciensq; beneplacitum.

Amantissime Pater, hoc Vulnus, hunc dolorem Sinistræ Vnigeniti tui, eius amorem, eiusq; perfectissimam humilitatem offero tibi contra omnia peccata mea, & totius Mundi, & præ-

& præcipuè contra omnem superbiam, vanam gloriam, & vitia quæcunque inde nascentia, orans, ut per gratiam tuam hæc in me extinguantur & moriantur. Oro etiam, ut ex hoc vulnere mihi infundas profundissimam humilitatem, qua vilitatem, ac nihileitatem meam agnoscens, meipsum despiciam, & ab omnibus despici, & vilipendi cupiam, & ex animo gaudeam.

Amantissime, ac misericordissime Pater, hoc Vulnus, hunc sanguinem, hunc dolorem dextri Pedis Vnigeniti tui, eius amorem, eiusque patientiam perfectissimam, ac mititatem offero tibi contra omnia peccata mea, & totius Mundi, & præcipuè contra omnem iracundiam, atque impatientiam meam, orans, ut ex hoc Vulnere mihi infundas perfectissimam patientiam, ac mititatem, quâ adversa omnia hilariter de manu tua accipiam nullam evasionem, aut consolationem quæram, sed ad finem usque quæcunque mihi patienda miseris cum gratiarum actione sustineam, tibi soli purissimâ charitate inhæream, plenâque fiducia meipsum inter quoscunque eventûs in amantissimam voluntatem, ac bonitatem tuam projiciam.

Amantissime, ac misericordissime Pater, hoc Vulnus, hunc sanguinem hunc dolorem sinistri Pedis Vnigeniti tui, eius amorem, eiusque clementissimam misericordiam offero tibi contra omnia peccata mea, ac totius Mundi, ac præcipuè contra omnem duriciem, inclementiam, atque invidiam, orans, ut hoc vulnere mihi infundas misericordiam, pietatem, compassionem, benignitatem, mansuetudinem, ac charitatem perfectissimam, ad omnes homines, potissime autem ad eos qui me offenderunt, ut pijssimo, Maternoque affectu omnium necessitatibus, ac mœrori condoleam, omnibus succurram, ac benefaciam, omnes portem, soler, & ex animo diligam.

Amantissime, ac suavissime Pater, hoc Vulnus, hunc sanguinem, hanc aquam Cordis Vnigeniti tui, eiusque charitatem immensam, quâ te ipse dilexit, offero tibi contra omnia peccata mea, ac totius Mundi, ac præcipuè contra omnem acediam, teporem, negligentiam, ac inordinatum amorem meum, orans, ut ex hoc Vulnere mihi infundas charitatem intensissimam, purissimam, ardentissimam, atque perpetuam, quâ ex toto corde meo te diligam, laudem, ac benedicam in omnibus, & super omnia, ut te solum cogitem, te solum desiderem, te solum quæram, ac intendam, tibi soli inhæream, tibi soli placere cupiam, omnesque vires animæ, & corporis, omne denique tempus vitæ meæ in laudem, ac beneplacitum tuum, in amorem, ac gloriam tuam expendem, atque consumem.

Nunc rursus convertor ad te Virgo, Dei Mater dignissima ad te recurro, tuis advolvor pedibus, te oro atque obsecro, ut quoniam juxta Crucem stans in monte Calvario, tuo proprio orbata es Filio, quem in tam acerbam mortem, pro totius generis humani salute Deo Patri in Sacrificium obtulisti, me indignissimum in locum ipsius adoptare, tibi arctissimè atque castissimè devincire, meque tuis vulneribus, doloribusque sauciare non dedigneris. Fateor inter hos filios distantissimam esse similitudinem, & adeò quidem magnam, ut major esse nequeat. Verùm tu pro ea, quâ apud Filium Maternâ authoritate polles, tuis nullo negotio acceptissimis precibus impetrabis, ut tibi fidelissimus, devotissimus, feruentissimus in finem usque in amore tuo perseverans evadam, Filius per gratiam & vitæ imitationem, cujusmodi est, quem amisisti, Patrique consecrasti Filius ille per naturam. Exhibe igitur ò pijssima Mater spiritualiter servulo indignissimo, quod exhiberes tuo Vnigenito. Tu enim inter reliqua, dulcissimâ, Maternâque curâ, licet minimè esset indigus, eum custodiebas, ac nutriebas. Iam igitur tuo Filio orbata, nunc me, qui tua cura indigeo, vel maximè, custodire, fovere, diligere, virtutumque ornamentis tibi amabilem facere, qui tuum, tuique amorem summopere desiderat, ne graveris. Indignissimus sum fateor, vel amare te, vel abs te amari. Verùm tamen tu non indigna, sed dignissima es diligi, & ab omni creatura honorari. Nutri me etiam benignissima Parens tuæ pietatis lacte, ut cum illo, tui dilectionem, puritatem animi, morum integritatem sugam, & Divinam quamdam, corruptionis expertem complexionem nanciscar. Decet Matrem præterea proprios diligere filios, maximè eam quærentes, post illam suspirantes, ac ejulantes; ostende igitur ò Virgo tuæ pietatis erga me viscera, meque sub tuæ protectionis pallio suscipe, atque absconde. Exerce quæso in me misericordem tuam crudelitatem, sanctissimum odium, vindictamque gratissimam, quâ, pro tuo Filio, propter me occiso, pro me Patri immolato, in me quoque occidas, atque immoles quidquid carnale, quidquid est mundanum, quicquid à Deo alienum; Interfice in me omnes concupiscentias, inordinatas passiones, omnem sensus, nec non intelle-

telle&us, & voluntatis proprietatem: occide denique in me veterem Adam cum actibus suis, ut in novitate vitæ coram DEO ambulem. Aufer à me omnes inutiles cogitationes, curas vanas, ac infructuosas, ut totus mihi & Mundo mortuus, purgato affectu, atque illuminato intellectu Filio tuo serviam, eique amantissimè indesinenter inhæream. Decet enim, pijssima Domina mea, & Mater clementissima, si adoptivus tuus Filius esse cupio (quod ut fiat, præ omnibus, & super omnia per misericordiæ tuæ Materna viscera supplex obsecro) ut nihil quoad fieri potest, discrepem in moribus, & vita, à vero Filio tuo, imò per charitatem, & meipsius abnegationem, ita DEO uniar, ut numquam ab Vnigeniti Filij tui benedicti dissentire beneplacito, atque tuo unquam possim, cum quo tibi una est voluntas, unum votum, unumque gaudium. Quod utinam & mihi, tuâ pijssimâ intercessione apud Filium, contingat; quo ita puro corde, synceráque voluntate illi unitus, & unum quid effectus, à te DEO Patri, simul cum illo Sacrificium, atque Holocaustum in odorem suavitatis offerri, ac consecrari merear.

Amen.

AVE MARIA.




DISCVR.



DISCURSUS XVI.

DEIPARAM Virginem similitudinem Spiritus Sancti, qua Amor est in se expressisse.

Vna est Columba mea, perfecta mea, una est Matris suæ, electa Genitrici suæ. Canticorum cap. 6: v. 8.



I. DIvus Gregorius Episcopus Nyssenus Magni illius Basilij Frater expendens Hom. 15. in Cant. pulcherrimum illud cœlestis Sponsi in laudem Sponsæ ex 70. Interp. versione celebratum Encomium: *Pulchra es Proxima mea, sicut ipsa Benevolentia;* dixit Benevolentiam hanc, ipsum esse DEI Filium in Sinu Patris existentem, qui infinitæ suæ in homines benevolentiæ declarandæ causa, nostræ carni, & sanguini uniri, ut in terra pax hominibus bonæ voluntatis exoriretur, dignatus est: Sponsamque hujus Divinissimæ Benevolentiæ suam conformando pulchritudinem, præclaris operibus, Christum imitatam fuisse, ejusdemque imaginem in sese expressam circumtulisse. Expendens item ejusdem Sponsi ex 70. Interp. verba illa: *Averte oculos tuos à me; nam illi alas mihi addiderunt;* postquam docuisset Naturæ Divinæ sacras literas tam veteris, quàm novi testamenti passim alas attribuere; Naturamq; humanã ad imaginem, similitudinemq; DEI conditã quasi alatam; dixissetque alas esse, eminentissimam illam in omnia potestatẽ, beatitudinem, statumque, interitus omnis expertem, &c. quæ omnia quia Protoplastorum scelere fuerunt deperdita, ac deformata. à Sponsa tandem Divini intuitus beneficio, recuperata, alatam DEI similitudinem indeptam, alas quasi Sponso addidisse, & pulcherrimam quandam Columbam evasisse. Cùm, inquam, hæc omnia præmisisset, ad finem tandem Homiliæ exponens verba illa ejusdem Sponsi Cant. 7. supra citata. *Vna est Columba mea;* non contentus dixisse, Sponsam alatam illam Divinæ Naturæ similitudinem instar Columbæ æmulatam, ipsamque DEI Filij in humanum genus Benevolentiam; addit etiam eandem Sponsam in sese, ipsius Spiritus Sancti (qui Columba est) imaginem, ad instar Filiæ expressisse; ac proinde unitate illâ charitatis, quæ propria Spiritus Sancti claritas, & quædam quasi excellentia est, unam hanc Columbam Divinissimum Spiritum imitatam, Salvatore attestente Ioan. 17. *Et claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus: ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum.* Quam claritatem, sive gloriam dedit sine dubio Sponsæ, ut vult Nyssenus, cùm dixit ad Discipulos: *Accipite Spiritum Sanctum, quo accepto, Regia dignitatis particeps effecta est Sponsa,* ut idem S. Pater ait, *& capax gloria Spiritus Sancti, per puritatem, ac statum quemdam, à vitijs omnibus alienum, evadit una illa & perfecta Columba.*

Dei Filius est ipsa Benevolentia.

Naturæ Divinæ Alæ adduntur à sacris literis.

Natura humana ad imaginem Dei condita est quasi alata.

Sponsa similis effecta Spõso, alas acquirit, & fit Columba.

Vnitas charitatis est propria Spiritus S. claritas.

Sponsa, accepto Spiritu S. fit Columba.

2. Quod autem una hæc, ac perfecta Columba sit ejusdem Spiritus sancti Filia, eidem quam simillima, eundem pijssimum Patrem audiamus: *Neq; verò esse nobis obscurum potest, quanam sit Columba huius Mater, cùm ex fructu cognoscere arborem liceat. Vt enim homine conspecto, non dubitamus eum ortum esse ab homine; sic cùm*

M. Spiritus S. Filia.

Electa

Electa hujus Columbæ Matrem quærimus, non aliam sanè, quàm Columbam esse intelligimus. In Filio enim Parentis natura omnino conspicitur. Quare cùm id, quod ex spiritu gignitur sit spiritus, & Filia hæc Columba sit, Mater huius etiam Columba illa, quæ de cœlo ad Iordanem deuolauit sit necesse est. Audiamus & Origenem, qui omnes Christi fidelium animas ejusdem Spiritus Sancti donis ornatas, in columbas transmutari asseverauit Hom. 4. in Cant. *Puto,* inquiens, *quod sicut ij, qui mortem Christi recipiunt, & mortificant membra sua super terram, consortes fiunt similitudinis mortis eius; ita & hi qui virtutem Spiritus S. recipiunt, & sanctificantur ex eo, donisq́, eius replentur, quia ipse in specie Columbæ apparuit, etiam ipsi columbæ fiant, ut de terrenis & corporeis locis euolent ad cœlestia, pennis Sancti Spiritus subleuati.*

In Filio Natura Parentis repræsentatur, ut & Natura Spiritus S. in Maria.

Animæ donis Spiritus S. ornatæ fiunt Columbæ.

3. Ex quo argutissimo horum Doctorum colligimus discursu, Magnam DEI Matrem potissimum, Filiam esse ipsius Spiritus Diuinissimi, eidemque quam simillimam, optimamque ejusdem Naturam imitantem, adeò ut de ea verè dixerit Salomon: *Imago Divinæ Bonitatis;* quæ Bonitas ipse Spiritus S. est.

MARIA Imago Divinæ Bonitatis ipsius Spiritus S.

Idẽ sensisse visus est B. Hildephonsus Archiep. Tolet. ser. 1. de Assumpt. qui totã B. Virginis pulchritudinem à Columba illa, quæ supra Christum in Iordane resedit, velut parente, provenire docet, perinde, ac si ejusdem pulchritudinem Columbæ, similitudinemque, ad instar Filiæ esset sortita: *DEI Genitrix,* inquit ille, *speciosa prædicatur, quia Columba illa, quæ supra Christum mansit, eam totam repleuerat: idcircò ob hanc speciem decoris, non immeritò formositate virtutum speciosa laudatur.*

Pulchritudo & species B. V. à Spiritu S. derivata.

Idem sensit D. Hieron. ser. de Assumpt. B. V. explicans illud Canticorum Elogiũ: *Vidi speciosam ascendentem, quasi Columbam desuper riuos aquarum. Verè speciosa quasi columba,* inquit, *quia illius speciem Columbæ, ac simplicitatem demonstrabat, quæ super Dominum venit, & docuit Ioannem, quia hic est qui baptizat: Et benè super riuos aquarum, quia super aquam refectionis educauerat eam Dominus & nutriuerat, ex qua multi deducti riui, omnem irrigant terram, & infundunt hortum voluptatis.*

4. Neque verò cuiquam mirum videri debet, quod DEIpara Spiritui Sancto conferatur; siquidem idem Sanctus Doctor Rebeccam ejusdem Virginis figuram, Iacobum vestibus illis amicientem odoratis, quibus Patris promeritus est benedictionem, eidem Diuinissimo Spiritui comparavit. *Vnde,* inquit, *in Hebræo Spiritus Sanctus: Ruah in fœminino genere dicitur, non quod aliquis sexus in DEO monstretur, sed vt fœcunditas quædam materna comprobetur. Quare cùm Latini, Spiritum Sanctum, generis masculini esse pronuncient, sapientissimè Græci, ne ullus sexus in eo esse credatur, generis neutri τὸ πνεῦμα, eundem Spiritum docuerunt.* Atque ita licet Spiritus Sanctus naturâ suâ minimè sit fœcundus, nec generet per intellectum, nec spiret per voluntatem aliam Personam à se distinctam, cùm ejus intellectus, ac voluntas, (quæ eadem est omninò cum intellectu, ac voluntate reliquarum Personarum) non ampliùs fœcunda sit, utpotè, quæ adæquatum terminum, nempè Verbum, & Spiritum Sanctum sunt sortita; nihilominus tamen, quia Virgo sacratissima Diuinissimo illi Spiritui adeò similis esse videtur, dici aliquo modo potest, Spiritus Sanctus, respectu hujus Virgineæ electæ, atque perfectæ Columbæ, Columba quædam fœcundissima, quæ similem sibi Columbam generavit.

Rebecca Spiritus S. figura.

Spiritus S. apud Hebr. fœminini, apud Latinos masculini, apud Græcos neutri generis est, ut discamus nullum esse in Deo sexum.

Spiritus S. dici potest fœcundus respectu B. V. quam quodammodo generauit.

Vnde Rupertus Abbas agnoscens Virginem in Columbam Spiritum Sanctum repræsentantem transformatam quodammodo, præclarè dixit, Conventum illum Apostolicum, sanctissimorumque Virorum Hierosolymis coactum consessum, sanctum de Virginis pectore, atque ore consuluisse Spiritum; ejusdemque Virginei pectoris Sacrarium, Oraculum fuisse Spiritus Sancti, vocem eius deniq; Apostolis, vocem ejusdem Spiritus Diuinissimi extitisse.

5. Et jure sanè meritissimo. Quemadmodum enim Oraculum Delphicum, seù Apollinis Simulacrum, & Dodoneæ quercus (si tamen hæc sacrosancta, prophanis hiscé miscere audemus) loqui, & respondere, ac si animatæ essent, ferebantur, eò quod Spiritus malignus illis assisteret, easque quodammodo animaret: ita sanè Virgo gloriosissima, Vox & Oraculum Spiritus S. appellari potuit, quod Diuinissimus ille Spiritus non solùm ei assisteret, verùmetiam in illius sacrosancti pectoris Sacrario habitaret, eam in se (cùm omnipotens & substantialis sit Amor) transformârit, adeò, ut tota Spiritus videretur.

Memorabile sanè est quod de Oraculo Delphico refert Iamblicus Philosophus lib. de Mysterijs cap. 26. vbi, varia explicans

Oraculi Delphici miranda.




DISCVRSVS XVI.

DEIPARAM Virginem similitudinem Spiritus Sancti, qua Amor est in se expressisse.

Vna est Columba mea, perfecta mea, una est Matris suæ, electa Genitrici suæ. Canticorum cap. 6: v. 8.

I.



DIvus Gregorius Episcopus Nyssenus Magni illius Basilij Frater expendens Hom. 15. in Cant. pulcherrimum illud cœlestis Sponsi in laudem Sponsæ ex 70. Interp. versione celebratum Encomium: *Pulchra es Proxima mea, sicut ipsa Benevolentia;* dixit Benevolentiam hanc, ipsum esse DEI Filium in Sinu Patris existentem, qui infinitæ suæ in homines benevolentiæ declarandæ causa, nostræ carni, & sanguini uniri, ut in terra pax hominibus bonæ voluntatis exoriretur, dignatus est: Sponsamque hujus Divinissimæ Benevolentiæ suam conformando pulchritudinem, præclaris operibus, Christum imitatam fuisse, ejusdemque imaginem in sese expressam circumtulisse. Expendens item ejusdem Sponsi ex 70. Interp. verba illa: *Auerte oculos tuos à me; nam illi alas mihi addiderunt;* postquam docuisset Naturæ Divinæ sacras literas tam veteris, quàm novi testamenti passim alas attribuere; Naturamq; humanã ad imaginem, similitudinemq; DEI conditã quasi alatam; dixisset que alas esse, eminentissimam illam in omnia potestatẽ, beatitudinem, statumque, interitus omnis expertem, &c. quæ omnia quia Protoplastorum scelere fuerunt deperdita, ac deformata. à Sponsa tandem Divini intuitus beneficio, recuperata, alatam DEI similitudinem indeptam, alas quasi Sponso addidisse, & pucherrimam quandam Columbam evasisse. Cùm, inquam, hæc omnia præmisisset, ad finem tandem Homiliæ exponens verba illa ejusdem Sponsi Cant. 7. supra citata. *Vna est Columba mea;* non contentus dixisse, Sponsam alatam illam Divinæ Naturæ similitudinem instar Columbæ æmulatam, ipsamque DEI Filij in humanum genus Benevolentiam; addit etiam eandem Sponsam in sese, ipsius Spiritus Sancti (qui Columba est) imaginem, ad instar Filiæ expressisse; ac proinde unitate illâ charitatis, quæ propria Spiritus Sancti claritas, & quædam quasi excellentia est, unam hanc Columbam Divinissimum Spiritum imitatam, Salvatore attestente Ioan. 17. *Et claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus: ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum.* Quam claritatem, sive gloriam dedit sine dubio Sponsæ, ut vult Nyssenus, cùm dixit ad Discipulos: *Accipite Spiritum Sanctum, quo accepto, Regia dignitatis particeps effecta est Sponsa,* ut idem S. Pater ait, *& capax gloria Spiritus Sancti, per puritatem, ac statum quemdam, à vitijs omnibus alienum, evadit una illa & perfecta Columba.*

Dei Filius est ipsa Benevolentia.

Naturæ Divinæ Alæ adduntur à sacris literis.

Natura humana ad imaginem Dei condita est quasi alata.

Sponsa similis effecta Spõso, alas acquirit, & fit Columba.

Vnitas charitatis est propria Spiritus S. claritas.

Sponsa, accepto Spiritu S. fit Columba.

2. Quod autem una hæc, ac perfecta Columba sit ejusdem Spiritus sancti Filia, eidem quam simillima, eundem pijssimum Patrem audiamus: *Neq; verò esse nobis obscurum potest, quanam sit Columba huius Mater, cùm ex fructu cognoscere arborem liceat. Vt enim homine conspecto, non dubitamus eum ortum esse ab homine; sic cùm Electa*

M. Spiritus S. Filia.

Electa hujus Columbæ Matrem quærimus, non aliam sanè, quàm Columbam esse intelligimus. In Filio enim Parentis natura omnino conspicitur. Quare cùm id, quod ex spiritu gignitur sit spiritus, & Filia hæc Columba sit, Mater huius etiam Columba illa, quæ de cœlo ad Iordanem deuolauit sit necesse est. Audiamus & Origenem, qui omnes Christi fidelium animas ejusdem Spiritus Sancti donis ornatas, in columbas transmutari asseverauit Hom. 4. in Cant. *Puto,* inquiens, *quod sicut ij, qui mortem Christi recipiunt, & mortificant membra sua super terram, consortes fiunt similitudinis mortis eius; ita & hi, qui virtutem Spiritus S. recipiunt, & sanctificantur ex eo, donisq; eius replentur, quia ipse in specie Columbæ apparuit, etiam ipsi columbæ fiant, ut de terrenis & corporeis locis euolent ad cœlestia, pennis Sancti Spiritus subleuati.*

In Filio Natura Parentis repræsentatur, ut & Natura Spiritus S. in Maria.

Animæ donis Spiritus S. ornatæ fiunt Columbæ.

3. Ex quo argutissimo horum Doctorum colligimus discursu, Magnam Dei Matrem potissimum, Filiam esse ipsius Spiritus Divinissimi, eidemque quam simillimam, optimamque ejusdem Naturam imitantem, adeò ut de ea verè dixerit Salomon: *Imago Divinæ Bonitatis;* quæ Bonitas ipse Spiritus S. est.

Maria Imago Divinæ Bonitatis ipsius Spiritus S.

Idē sensisse visus est B. Hildephonsus Archiep. Tolet. ser. 1. de Assumpt. qui totā B. Virginis pulchritudinem à Columba illa, quæ supra Christum in Iordane resedit, velut parente, provenire docet, perinde, ac si ejusdem pulchritudinem Columbæ, similitudinemque, ad instar Filiæ esset sortita: *DEI Genitrix,* inquit ille, *speciosa prædicatur, quia Columba illa, quæ supra Christum mansit, eam totam repleuerat: idcircò ob hanc speciem decoris, non immeritò formositate virtutum speciosa laudatur.*

Pulchritudo & species B. V. à Spiritu S. derivata.

Idem sensit D. Hieron. ser. de Assumpt. B. V. explicans illud Canticorum Elogiū: *Vidi speciosam ascendentem, quasi Columbam desuper riuos aquarum. Verè speciosa quasi columba,* inquit, *quia illius speciem Columbæ, ac simplicitatem demonstrabat, quæ super Dominum venit, & docuit Ioannem, quia hic est qui baptizat: Et benè super riuos aquarum, quia super aquam refectionis educauerat eam Dominus & nutriuerat, ex qua multi deducti riui, omnem irrigant terram, & infundunt hortum voluptatis.*

4. Neque verò cuiquam mirum videri debet, quod Deipara Spiritui Sancto conferatur; siquidem idem Sanctus Doctor Rebeccam ejusdem Virginis figuram, Iacobum vestibus illis amicientem odoratis, quibus Patris promeritus est benedictionem, eidem Divinissimo Spiritui comparavit. *Vnde,* inquit, *in Hebræo Spiritus Sanctus: Ruah in fœminino genere dicitur, non quod aliquis sexus in DEO monstretur, sed vt fœcunditas quædam materna comprobetur. Quare cùm Latini, Spiritum Sanctum, generis masculini esse pronuncient, sapientissimè Græci, ne ullus sexus in eo esse credatur, generis neutri τὸ πνεῦμα, eundem Spiritum docuerunt.* Atque ita licet Spiritus Sanctus naturâ suâ minimè sit fœcundus, nec generet per intellectum, nec spiret per voluntatem aliam Personam à se distinctam, cùm ejus intellectus, ac voluntas, (quæ eadem est omninò cum intellectu, ac voluntate reliquarum Personarum) non ampliùs fœcunda sit, utpotè, quæ adæquatum terminum, nempè Verbum, & Spiritum Sanctum sunt sortita; nihilominus tamen, quia Virgo sacratissima Divinissimo illi Spiritui adeò similis esse videtur, dici aliquo modo potest, Spiritus Sanctus, respectu hujus Virgineæ electæ, atque perfectæ Columbæ, Columba quædam fœcundissima, quæ similem sibi Columbam generavit.

Rebecca Spiritus S. figura.

Spiritus S. apud Heb. fœminini, apud Latinos masculini, apud Græcos neutri generis est, ut dicamus nullum esse in Deo sexum.

Spiritus S. dici potest fœcundus respectu B. V. quam quodammodo generauit.

Vnde Rupertus Abbas agnoscens Virginem in Columbam Spiritum Sanctum repræsentantem transformatam quodammodo, præclarè dixit, Conventum illum Apostolicum, sanctissimorumque Virorum Hierosolymis coactum consessum, sanctum de Virginis pectore, atque ore consuluisse Spiritum; ejusdemque Virginei pectoris Sacrarium, Oraculum fuisse Spiritus Sancti, vocem eius deniq; Apostolis, vocem ejusdem Spiritus Divinissimi extitisse.

5. Et jure sanè meritissimo. Quemadmodum enim Oraculum Delphicum. seù Apollinis Simulacrum, & Dodoneæ quercus (si tamen hæc sacrosancta, prophanis hiscé miscere audemus) loqui, & respondere, ac si animatæ essent, ferebantur, eò quod Spiritus malignus illis assisteret, easque quodammodo animaret: ita sanè Virgo gloriosissima, Vox & Oraculum Spiritus S. appellari potuit, quod Divinissimus ille Spiritus non solùm ei assisteret, verùmetiam in illius sacrosancti pectoris Sacrario habitaret, eam in se (cùm omnipotens & substantialis sit Amor) transformârit, adeò, ut tota Spiritus videretur.

Memorabile sanè est quod de Oraculo Delphico refert Iamblicus Philosophus lib. de Mysterijs cap. 26. vbi, varia explicans

Oraculi Delphici miranda.

cans variorum locorum Oracula, ait Sibyllam ad antri ostium consistentem ita Numine afflari, ut fiat tota Dei. Ejus verba sunt: *Secundum erat Oraculum Delphicum, ubi sedens ad os antri vaticinabatur Sibylla, & duobus modis suscipiebat DEVM, vel per spiritum quendam tenuem, igneumq́, qui erumpebat alicubi ex ore antri eiusdem: Vel sedens in adyto super sedem aneam habentem tres aut 4. pedes, & DEO dicatam. Et utrobiq; exponebat se spiritui Divino, unde radio Diuini ignis illustrabatur. Itaq; aliquando ignis plurimus simul totus ex antro euolans undiq; ei circumfunditur, eamq; replet splendore Diuino. Aliquando cùm inhaeret sedi sacratae DEO, per quam accommodatur DEO, coaptatur stabili vaticinio DEI. Vtrobiq; verò per hac Sibylla fit tota DEI, unde subitò DEVS adest.* Sic ille. Quod si ita se res habet, quib⁹ Divini amoris ignibus, ac flammis circumdari, quibus splendoribus intellectus, quibus voluntatis ardoribus Virginem nostram abundare oportuit, dum ipse Divinus Spiritus in anima ipsius, veluti Sacrario habitabat eandem omnium gratiarum, ac charismatum plenitudine cumulando? Quare ceu Sibyllam totam Dei esse, imò totam in Deum, Spiritumque transformari oportuit Deiparam sacratissimam.

6. Hinc S. Chrysostomus Apostolum Paulum ob hunc inhabitantem in eo spiritum, totum Spiritum quodammodo fuisse affirmavit. Dum enim considerat, causamque inquirit Hom. 13. in 1. Epist. Corin. cur hic gentium Doctor minimè à vipera moderi potuerit, luculentissimam hanc attulit rationem: *Quia, manus illa non erat hominis, sed Spiritus;* adeò totus in Spiritum, per inhabitantem videlicet in illo ejusdem Spiritus Sancti gratiam, amoremque erat transformatus; cùm proprium Divini Amoris sit rem amatam in se conuertere, sibique similem reddere.

Cur S. Paulus à vipera morderi non potuerit?

S. Paulus totus in spiritum transmutatus, per Spiritus S. gratiam.

Vnde fortassis data fuerit nonnullis falsa suspicandi Occasio, vt testatur Origenes, Paulum fuisse Spiritum illum veritatis à Patre promissum, quod amoris Divini vi in spiritum illum transmutatus videretur.

7. Eat nunc fabulosa celebret antiquitas suorũ Deorum in varias formas, animaliumque figuras planè portentosas transmutationes. Prædicet Anij Regis, ac Sacerdotis filiarum in columbas prodigiosam metamorphosin. Hujus profectò Regis sempiterni Filiæ similis nunquam hactenus audita fuit, vtpotè potentissimâ vi amoris peracta. Licet enim Anij illius Natæ, quod singulari essent in homines beneuolentiâ, & cuncta quæcunque tandem attigissent, in triticum, vinum, oleumque commutarent, Deorum miseratione in columbas essent transformatæ, uti ipse Rex apud Ouid. lib. 13. Metamor. Æneæ hospiti est contestatus, inquiens:

Filiæ Anji Regis in columbas conversæ, & quare?

Anij Filiæ in bello Trojano cũcta quæ attingebant in triticum, vinum & oleũ convertebant

Tactu Natarum cuncta mearum,
In segetē, laticemq; meri, baccamq; Minervæ
Transformabantur, divesq; erat usus in illis:
Summa mali nota est; pennas sumpsêre, tuaq;
Coniugis in volucres niveas, abiêre columbas.

Auditum tamen est nunquam Virginis alicujus vehementiâ Divini amoris in Columbam, Spiritum Divinissimum denotantem, factam fuisse transmutationem. Soli Virgini Deiparæ hæc duntaxat reservabatur, utpotè ei, quæ ob eximium generi humano amorem, benefaciendique studium, singularemque rerum providentiam, ad vitam vtriusq; hominis tolerandam, Spiritum illum Sanctum Dominum viuificantem, imitari digna fuit. Vnde meritò B. Andreas Cretensis Episc. orat. 2. de Dormit. B. V. pijssimam hanc ejus in mortales omnes providentiam admiratus exclamavit: *O vita suppeditatrix, vita viventium, & causa vitæ.*

B. V. in Columbam transmutata ob suam in homines beneficentiam.

Maria vitæ suppeditatrix & vita vivẽtium & vitæ causa.

8. Transmutationem hanc, pulcherrimâ similitudine declaravit D. Basil. lib. de Spiritu S. *Sicut*, inquiens, *corpora illustria, pellucidaq; radio Solis contacta, fiunt & ipsa splendida, & alium fulgorem ex se profundunt: sic & anima Spiritu S. afflata, ac illustrata, fiunt & ipsæ spirituales, & in alios gratiam emittunt. Hinc futurorum præscientia, arcanorum intelligentia, occultorum comprahensio, donorum distributiones, cœlestium conversatio, cum Angelis chorea: Hinc gaudium nunquam finiendum, hinc in DEO perseverantia, hinc similitudo cum DEO, & quo sublimiùs, nil expeti potest, hinc est, ut DEVS fias.* Eandem Deiparæ in Spiritum S. atque adeò in Dei Filium transmutationem, alijs etiam similitudinibus Richar. à S. Laurent. lib. 5. de laud. V. luculentissimè declaravit. *Sicut*, inquiens, *ferrum ab igne extractum, non solùm ignitum, imò totum ignis: & sicut aër illustratus à Sole habet colorem, caloremq; Solis, totusq; Sol efficitur: sicut aqua gutta dolio vini optimi infusa, tota transit in odorem, in saporem, & in colorem vini. Sicut vitrum*

Mariæ in Spiritum transformatio varijs similitudinibus ostenditur

trum purum, & candidum à Sole illustratum, transit in colorem, splendoremq; Solis. Deniq; sicut lana candida & pura, tincta in sanguine muricis, vel conchilij tota coloratur, secundùm tincturæ qualitates: sic Anima Mariæ Spiritu S. repleta, maximè luce illâ cœlesti, id est Filio DEI, in eam descendente, non solùm luminosa est effecta, sed & tota Deificata.

9. Et sanè meritò Virgo Sacratissima Spiritui Sancto esse debuit moribus quam simillima, cùm ejus castissimus esset futurus Sponsus. Quod in desponsatione Rebeccæ cum Isaac, mediante Abrahami Servo, nobis jam pridem adumbratum est Gen. 24. Cùm enim nosceret Abrahami, Filijque, ab optimo parente minimè degenerantis genium, ac ingenium hospitalem, ac benevolum, decrevit hospitalem etiam, benevolam, benignamque Sponsam illi procurare. Vnde secum ipse revolvebat: *Igitur Puella cui ego dixero, inclina hydriam tuam, ut bibam, & illa responderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est quam præparasti servo tuo Isaac.*

Rebecca Isaaco desponsata figura fuit Sponsalitij B.V. cum Spiritu S.

Quâ de re præclarè S. Chrysostom. Hom. 48. in Genesim: *Quia scivit*, inquit aureum illud os, *Patriarcha Hospitalitatem, & quia Virginem inde deducendam congruebat iisdem esse præditam moribus, quibus Iustus, nullam aliam coniecturam inquirit, sed characterem Virginalis animi, hospitalitate colligere vult; & dicit; Si non solùm fecerit quod petiui, sed & candorem, ac liberalitatem mentis suæ declarabit, & dicet: Etiam Camelos aquabo, morum suorum mititatem ex aquarum præbitione ostendendo.*

10. Quod autem tota hæc historia figura fuerit Sponsalitij æterni Verbi cum Naturâ humanâ passim docent Patres, qui in Abrahamo, DEUM Patrem, ut August. ser. 71. de Temp. Rupertus lib. 6. in Gen. cap. 38. in servo, Gabriëlem; in Isaac, Amorem, & delicias æterni Patris ipsum Spiritum: In Rebecca denique *Puella decora, nimis & Virgine pulcherrima, & incognita Viro;* MARIAM pulchritudinis omnis, ac Virginitatis Coronam, atque Ornamentum. agnoscunt. Agnovit in Rebecca Virginem Deiparam S. Bernardus quando ser. de verb. Apoc. eam alloquens, circa finem dixit: *Ciba hodie pauperes tuos Domina, neq; pueró Abrahæ tantùm, sed & camelis potum tribue de supereffluenti hydria tua, quia verè tu es Puella praelecta, & præparata altissimo Filio DEI.*

Rebecca liberalis figura B. V. fuit.

Agnovit B. V. Sponsum Spiritum Sanctum esse B. Amadeus Episcopus Lausanensis Hom. 3. de laud. Virginis M. ubi cùm verba illa explicaret: *Spiritus S. superveniet in te;* subjunxit: *Gaude & lætare Maria, quia concipies de spiramine, gaude quia inventa eris habens in utero de Spiritu S. Desponsata quidem eras Ioseph; sed à Spiritu S. præventa. Ille qui te creavit, signavit, & assignavit te sibi, Plasmator tuus, ipse factus est Sponsus tuus, factus est amator formæ tuæ; qui Plasmator ipse te uocat, dicens: Veni amica mea, formosa mea, Columba mea veni. Ille decorem tuum concupiuit & tibi conjungi desiderat. Impatiens moræ ad te uenire festinat. Surge ergo & induere uestimentum gloriæ tuæ, ornare preciosissimis ornamentis tuis, quia complacuit Domino in te. Surge in occursum Sponsi tui, & Dei tui, & dic ei: Ecce Ancilla Domini. Festina noli tardare, quia ille non tardabit, sed exultabit ut gigas ad currendam viam. Festina & tu, obliviscere populum tuum & domum Patris tui, currens obviam ei, ut osculeris osculo oris ejus, eiusq; beatissimis immiscearis amplexibus.* Agnovit eundem Spiritum Sponsum Deiparæ Alphonsus Salmeron, qui eadem illa Angeli exponens verba Tomo 3. in Evang. Tract. 8. *Mihi*, inquit, *inter cæteros sensus magis placet, si per Virtutem Altissimi intelligamus Spiritum S. qui sanctè præstitit officium Mariti in præparanda Virgine, & Christi conceptione. Vnde illi tribuitur Conceptio, ut Artifici.*

M. Sponsus est Spiritus S.

Spiritui S. attribuitur Conceptio Christi in utero Virginis, ut Artifici.

11. Cùm igitur Divinissimus hic Spiritus Sponsus Virginis amantissimus, atq; castissimus sit, ut ait Salom. Sap. 7. *Suauis, incoinquinatus, amans bonum, benè faciens, humanus, benignus, denique omnem habens virtutē; Cùmq; sit*, ut canit Ecclesia: *Pater pauperum, Dator munerum, Lumen cordium; Consolator optimus, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.* Cùm etiam ideò dicatur benignus secundùm Cardinalem Damianum Opusc. 6. c. 11. *Quia mala merentibus, bona retribuit, & supplicio dignis gratia sua munus impertit;* Et ad hanc benignitatem, seù in genus humanum charitatem demonstrandā, noluerit coessentialem, coæternumque sibi DEI Filium liberare à suppliciis, quæ illi per labia Prophetarum prædixerat, ut illud Salomonis impleretur Vaticinium, sap. 1. *Benignus est Spiritus sapientiæ, & non liberabit Maledictum, id est, Christum (qui pro nobis factus fuit Maledictus juxta Apostolum ad Galat. 3.) à labijs suis, scilicet proprijs, quibus*

Spiritus S. Natura benignissima.

Crucem, ejusq; supplicia per Prophetas, tanquam ora sua vaticinatus est.

Spiritui benignissimo, Sponsa Maria benignissima debebatur.

Cùm, inquam, adeò benignus, adeò mortalium amans Divinissimus hic fuerit Spiritus, decuit sanè Virginem quoque ejus Sponsam eâdem morum suavitate, benignitate, benevolentiâ, atque charitate quam simillimam ipsi desponsari.

M. Columba Spiritû S. amore suo singulari similitudinem potissimû Spiritus S. in se expressit.

12. Et licet perfectionibus quamplurimis Vnica hæc perfecta, & electa Columba Virgo Sanctissima similitudinem in se Diuini hujus Spiritus expresserit, expressit tamen præcipuè, Amore, expressit Bonitate, suique ipsius liberali donatione, expressit denique eximia, atque incomparabili sanctitate; de quibus omnibus, Divini hujus Spiritus aspirante Fauonio, atque hujus Maris Stellæ benignâ nobis præeunte luce, pro modulo nostro tractaturi sumus, initium ab Amore desumendo, cùm Plato rerum omnium principium Amorem esse pronunciârit.

Amor est Nomẽ notionale Spiritus S.

Amor hic in Divinis Nomen est proprium Spiritus Sancti, & nihil aliud est, quàm personalis, substantialisque nexus, atque impulsus, quo Pater æternus fertur in Filium, & Filius vicissim in Patrem, ut communis, ac indubitata fert omnium Patrum, ac Theologorum sententia cum eorum Principe D. Thoma 1. P. q. 37. art. 1. in corp. ubi, *Nomen*, inquit, *Amoris in Divinis secundùm quod personaliter sumitur, est proprium Nomen Spiritus S. sicut Verbum est Nomen proprium Filij.* Atq; ita cùm Divinissima illa Natura nos amare dicitur, quasi ferri intelligitur in nos impulsu illo Divino, nobisque uniri, eodem planè amore mutuo, quo se Divinæ Personæ complectuntur. Et quemadmodum per Amorem illum mutuum Pater est totus in Filio, & Filius vicissim totus in Patre, & Spiritus Sanctus totus in utroque, quem essendi modum Circuminsessionem Theologi vocitare consueverunt: sic quoque Amor ille Divinus amans hanc Sacratissimam Virginem, totus quasi in illam transivit, totamque quodammodo circuminsedit, & recipiendo ab amata Virgine quasi impressionem quandam, in se, quantum humanæ naturæ imbecillitas patitur, eandem transmutavit in se.

Circuminsessio in Divinis quid sit?

M. amans Spiritus S. in se transformavit.

13. Quod Angelicus Doctor aptissimâ planè declaravit similitudine. *Sicut enim*, inquiens, *ex hoc quod aliquis rem aliquam intelligit, provenit quadam intellectualis conceptio rei intellecta in intelligente, qua dicitur Verbum; ita ex hoc quod aliquis rem aliquam amat, provenit quadam impressio, ut ita loquar, rei amata in affectu amantis, secundùm quam amatum dicitur esse in amante, sicut & intellectum in intelligente: ita quod cùm aliquis semetipsum intelligit, & amat, est in seipso, non solùm per identitatem rei, sed etiam ut intellectum in intelligente, & amatum in amante. Quam impressionem seu affectionem rei amata, qua provenit in amante, ex hoc quod amat, Amorem, Dilectionemue ob vocabulorum inopiam nominamus*, ait S. Doctor.

Amatum in Amãte est sicut intellectũ in intelligente.

Cùm igitur Divinissimus hic Spiritus ab ipso statim Conceptionis Virginis Sacratissimæ, atque purissimæ exordio, eam ardentissimè dilexerit, fecit sine dubio quamdam veluti sigilli impressionem in Virginem, instar ceræ igne Divini amoris liquefactã, quâ eam in semetipsum totam ita transformavit, ut Spiritus quidam Divinus in terris comparuisse videretur.

B. V. velut cera igne Divini amoris liquefacta in se Spiritum S. velut sigilli expressit.

14. Quod sanè mirum minimè nobis accidere debet, cùm eadem Deipara S. Brigittæ revelaverit, Parentes suos non concupiscentiâ carnali, sed ex purâ in Deum charitate, eidemque obediendi studio convenisse, sed ipsa Sanctissimæ Dei Matris verba audiamus lib. 1. Rev. cap. 9. *Ipse Filius meus priùs me dilexit, quia Creator meus est. Ipse coniugium Patris, & Matris mea tantâ castitate coniunxit, ut tunc castiùs coniugium minimè reperiretur. Cùm autem eis esset nunciatum ab Angelo, Virginem eos parituros, ex qua Mundo Salus processura erat, ex charitate Divinâ, & ex verbo Angeli convenerunt carne, non ex concupiscentiâ aliquâ voluptatis, qua in eis iam erat emortua, sed contra voluntatem suam, ex Divina dilectione, & sic ex semine eorum, per Divinam charitatem, caro mea compaginata est.*

B. V. Conceptio facta ex charitate Spiritus S. absq; ardore libidinis.

Hanc ob causam eadem Deipara fœlicissimum illud suæ immaculatæ atq; sanctissimæ Conceptionis instans, *Horam Auream* nuncupavit lib 6. Revel. cap. 55. *Hora illa in qua concepta sum*, inquiens, *benè vocari potest Hora Aurea, & preciosa, quia cùm alij Coniuges conveniant, ex carnali voluptate, mei Parentes convenerunt ex Obedientiâ, & pracepto DEI. Benè ergo Aurea Hora fuit Conceptio mea, nam tunc incœpit principium Salutis omnium, & tenebra quasi festinabant in lucem. DEVS namq; singulare quoddam & à saculo absconditum facere voluit*

Instans Conceptionis B. V. dicitur Hora Aurea.

luit in opere suo, uti fecit in Virga illa arida florescente.

Nascente Pallade aureus imber cœlo defluxit.

Verè hora aurea fuit benedictum illud, terque fœlix Conceptionis immaculatæ instans. Quemadmodum enim de cerebro Iovis, ingeniorum tutrice nascente Pallade

Iuppiter auratos Rhodijs indulserat imbres;

Sic exoriente Deipara nostra, Virginum omnium sapientissima, Deus ter Opt. Max. instans illud, Horam illam Auream effecisse visus est, dum & in illam, & in universum humanum genus, imbres gratiæ, quovis auro preciosiores, Divinissimâ suâ liberalitate copiosissimè profudit.

Non dissimiliter de aureo illo Conceptionis instanti sensisse videtur Petrus Galatinus lib. 7. Arcanorum Cathol. veritatis cap. 8. dum responderet ad argumentum Hogostrati asserentis, Divam Virginem peccato originali minimè carere potuisse, eò quod Parentes ejus ex concupiscentiâ carnali convenerint, doceretque contra ex ardenti devotione, vehementique rerum Divinarum contemplatione eosdem convenisse: *Fateor,* inquiens, *S. Ioachim & Annam sese conjugaliter copulasse, ob ardentem tamen devotionem, vehementemq; contemplationem, quâ unanimiter in generatione B. V. intenti ambo tenebantur, fomes in illo actu penitus extinctus fuit. Quare peccatum originale in Conceptione immaculata Virginis nullum locum habuit. Vehementissima enim devotio, atq; animi delectatio omnem corporis voluptatem, concupiscentiam, atq; libidinem extinxit.*

B. V. in rerum Divinarum contemplatione concepta, extincto fomite.

Vnde non immeritò eis nomina Ioachim & Anna imposita fuerunt. Ioachim enim, DEVS elevabit, eriget, vel suscitabit, vel confirmabit, Latinè significat. Anna à nomine; Hen; quod est Gratia, derivatur. Vt ex nominibus ipsis palam innotesceret, quod per Prolem quam genituri erant, DEVS ex misericordia sua gratia humanum genus, & à peccato primorum Parentum, in quod prolapsi fuerant, eos elevaturus erat, & à morte æterna suscitaturus, & ad cœlestem gloriam erecturus, ac confirmaturus. Hæc Galat.

Ioachim & Anna absorpti contéplatione cœlestium, libidinem in côceptu V. nô senserunt.

Idem affirmare visus S. Vincentius Ferrer. ser. 2. de Nativit. B. V. ubi generationem Deiparæ Lucis productioni comparavit, eò quod rationis, & charitatis lumina in Sanctis ejus Parentibus concupiscentiæ tenebris obscurata minimè fuerint: *Lux,* inquit ille, *dicitur benedicta Generatio V. MARIÆ, quia sine tenebra culpa facta fuit, & coniunctio Ioachim & Anna luminosa fuit.* Quia videlicet ex puro Spiritus S. amore, qui Lux beatissima ab Ecclesia prædicatur, pacta fuit.

B. V. Conceptio fuit velut lucis productio, absq; tenebris côcupiscétiæ

15. Quare non immeritò Virgo beatissima Filia charitatis, ac dilectionis, Spiritui Sancto simillima, qui ipsa personalis est Charitas, vocitari potest. Vnde S. Diadochus lib. de Perfect. Spirit. cap. 4. docens quâ ratione homo obtineat similitudinem Dei: *Ad similitudinem nostram,* inquit, *illorum tantum est, qui per multam charitatem, libertatem suam DEO in servitutem addixerunt, quando enim non sumus nostri, tunc similes sumus ei.*

M. Filia Charitatis.

Charitas Deo similes reddit.

Cùm igitur mutuæ in Deum dilectionis vi, Ioachim & Anna sui quasi Dominium, extra se, per contemplationem rapti, amiserint, in Deumque transtulerint, quid mirum si ipsi Divino Amori similes, Filiam quoque Spiritui S. qui Amor est, quam simillimam genuerint? *Charitas enim,* ut ait 6. Synodus act. 11. *simul sentientes addensat, quorum funis nec solutionem agnoscit, neq; disruptionem admittit, neq; separationem sustinet.* Atque ita censendum est Beatorum Ioachim & Annæ Conjugum cor Divino Amori addensatum, conjunctumque fuisse, ut cor quasi quoddam homogeneum, ejusdemq; rationis cor, cum Divino corde videretur, ostenderentque verè se per lineam rectam ab illo descendere, de quo ipse Divinissimus Spiritus testimonium perhibere dignatus est: *Inveni David Filium Iesse Virum secundùm cor meum, &c.* 1. Reg. 13:

Charitas corda simul addensat atque coniungit.

16. Quandoquidem ergo Virgo hæc purissima, non ardore concupiscentiæ, sed amore Spiritus S. concepta est, & quasi Columba candidissima, à Divina illa Columba in Iordanem descendente generata, quid mirum eam Spiritui S. simillimam extitisse, cùm generatio juxta communem Philosophorum, ac Theologorum sensum; *Origo viuentis à principio vivente coniunctio in similitudinem natura, definiatur?* Quamobrem cùm Evangelicus Proph. Isai. 11. de Sanctissimæ hujus Virginis Conceptione loqueretur, cùm illam orituram de radice Isai dicere potuisset, maluit eâ de radice Iesse egressuram vaticinari: *Egredietur Virga de radice Iesse.* Isa. 11. Quæ vox postrema; Incendium sonat apud Hebr. teste Venerabili Beda ser. de Nativit. B. V. ad denotandum, videlicet de radice illa Incendij Divini Amoris, qui Spiritus

M. à Columba quæ ad Iordanem advolavit generata.

Quid sit generatio?

Iesse incendium significat.

M. orta de radice incendij Divini Amoris.

Sanctus est, originem suam Virginem Deiparam habituram.

17. Quare Baptista Mantuanus Ord. Carmelitani illustre Decus, cùm lib. 1. Parthen. Virtutum Chorum, Fidei nempè, Spei, Charitatis, Iustitiæ, Temperantiæ, Fortitudinis, atque Prudentiæ, quæ in Deiparæ præcordijs sibi quæsiêre Domicilium, describeret, ante omnes Amorem, ignes, facesque ardentes pectore eructantem, aureâque veste decoratum introducit, quem ipse Erotem appellat:

In corde Mariæ Charitas, aliæq; virtutes domicilium posuerunt

Tres una Comites habitant Eros, Elpora, Pistis,
Sydereus fronti quibus est nitor. Aurea prima
Vestis, & ardenti pictum face pectus, & igne.

Hujus Divini amoris effectûs admirabiles præclarè describit S. Bernardin. Sen. To. 2. Ser. 51. c. 3. ar. 1. postquam enim dixisset Virginem Solem esse mundo exorientē. Sicut Sol oriens mundo, Eccli. 28. varios mox eius explicat splendores, inter quos tertium ait esse Charitatem, quæ in ejus voluntatem tantâ plenitudine sese infudit, ut nihil eligere vellet, nisi quod Dei Sapientia præmonstrabat. *Proinde hâc Sapientiâ*, inquit Sanctus, *illustrata, tantum DEVM diligebat, quantum illam summam Majestatem diligi debere intelligebat. Quis igitur exprimere posset, quantò ardore diligebat eum, ex toto corde, id est, super omnia temporalia mundi; ex tota anima, super corpus & carnem suam; & ex omni mente sua, hoc est super omnia superiora, scilicet, spiritualia, & cœlestia. Vnde in persona illius Psalmista: Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt, scilicet per transformationem Divini Amoris. Ex charitatis quoq; ardore, humanæ salvationis, toto affectu desiderabat Incarnationem filij DEI. Proinde omnes virtutes eius ardentissima mentis, in id, quod post factum fuit in ea, toto conamine inflammabant animam eius. Ipsa siquidem fuit fœlix clausula totius expectationis & desiderij, ac postulationis adventus Filij Dei, in qua sicut in cono seu angulo omnium præcedentium electorum, ac Sanctorum desideria consummata, & terminata sunt. Ideò nobis inexpressibile est illud feruidum desiderium, languentisq; orationis suspirium, quo suspirabat ad DEVM, ut Filium suum mittere dignaretur ad nostram naturam assumendam.*

Maria Sol mundo exoriens.

Maria ex toto corde, ex tota anima, & ex omni mente sua Deum dilexit.

Divini Amoris effectus in corde Mariæ.

In B.V. omnia Sanctorum desideria cōsummata & terminata sunt.

18. Præter virtutes illas Fidei, Spei, Charitatis, pluresque alias quas Mantuanus in pectore Virgineo, à primis vitæ exordijs fixisse sibi domicilium commemorat, introducit alias 12. idem Sanctus Bernardinus To. 2. ser. 48. art. 2. quas ille Virginis Deiparæ Angelicas Domicellas, ejus latus assiduè stipantes appellat; quarum munia stylo suo Apostolico studiosè describit. Has qui nosse cupit Autorem consulat. Quantus porrò, quamque vehemens foret hic amoris ardor in Virgine, præclarè depingit S. Hieronymus ser. de Assumpt. B. V. *Puto*, inquiens, *quod quidquid cordis est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, si totum adhibeas, non sufficiat, ut cogitare valeas, quantò indesinenter cremabatur ardore pij amoris, quantis movebatur repleta Spiritu S. cœlestium secretorum incitamentis; quia etsi diligebat Christum, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute, nouis tamen quotidie inflammabatur, præsentia absens desideriorum affectibus; tantò siquidem validiùs, quantò Divinis illustrabatur intus visitationibus, quam totam repleuerat Spiritus Sanctus gratiâ, quam totam incanduerat Diuinus Amor, ita ut in ea nihil esset, mundanus quod violaret affectus, sed ardor continuus, & ebrietas perfusi amoris. Nam si Christus ab omnibus est amandus, ex toto corde, & ex tota anima, atq; ex tota virtute quærendus; maximè tamen ab ea ardentiùs cuius & Dominus erat, & Filius. Denique amor Christi desiderium pariebat, desiderium verò gliscens, quasi nouis reparabatur ardoribus, in tantum, ut credam, nonnunquam, quod omnia, & semetipsam etiam transcenderet; quia omninò amor impatiens, quod amat non potest non videre.* Hæc ille de Virgineo amore, quo Divinam, toto corde, totâ mente, totis viribus diligebat Maiestatem.

B. V. Virtutes sunt Domicellæ eam comitantes.

Amor M. incomprehensibilis.

M. totam Divinus Amor incanduerat

De eodem hoc charitatis ardore luculenter etiam Richar. de S. Vict. lib. 2. de Emm. c. 29. explicans illud Psalmistæ: *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.* Ait enim tantoperè hunc charitatis ignem in corde Virginis exarsisse, ut non modò peccata omnia, sed & excusationes peccatorum, quæ per scuta intelliguntur, combusserit: *Quis illud*, inquit, *primum & maximum mandatum sic unquam impleuit? quis unquam implere poterit? Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Ex hac utiq; exæstuantis amoris flammâ, exusta sunt scuta illa, nempè excusationes in peccatis, quæ cùm non habuerit, non habuit utiq; illorum excusationes. Proinde benè dicit: Scuta comburet igni, ita ut nihil eorum penitus superfit.*

M. Amor Scuta excusationū in peccatis combussit.

M. vel maximè præceptum de diligendo Deo implevit.

19. Quam porrò perfectè Præceptum

ptum illud charitatis Virgo beata etiam in præsentis vitæ statu impleverit, atque observârit, præclarè ostendit Venerabilis Dionysius Richelius lib. 3. de Præc. & Dignit. B. V. Art. 7. Postquam enim præmisisset charitatis mandatum in præsenti vita plenè atque perfectè impleri non posse, ob varia, quæ nos à Divino amore abstrahunt, mox addidit, illa à Virgine quam longissimè fuisse remota. *Mens rationalis* inquit ille, *si sana, vivaxq; extiterit, utiq; sine amore subsistere nequit. Vnde patet eò in unius vehementiùs posse dilectione quempiam incalescere, atq; feruere, quò à pluribus longiùs, synceriùsq; eius fuerit segregatus affectus. Igitur quò ab omni inordinato rerum creatarum desiderio Deiferæ, benedictæ Virginis animus fuit absolutior, eò consistebat in Dei amore stabilior. Ea autem quæ à Diuina charitate mentem retrahunt, atq; impediunt tripartita sunt. Quendam namq; extra nos prorsus existunt, ut pecunia, agri, diuitiæ. Alia verò inter nos latent, uti sensualitas, passionumq; inordinatio. Alia media inter hæc locata sunt, quia licet extra nos sunt, tamen quodammodo nobis coniuncta & nobiscum unum sunt, ut parentes, coniux, aliiq; cognati, quorum affectio si in nobis abscissa, extinctaq; fuerit, in DEI mox charitate figemur, atq; stabiliemur. Contemplandum ergò quomodo ab horum inordinata affectione liberrima, atq; syncera mens fuerit gloriosa pulla Maria. Et quidem quod pauper extiterit, ex Euangelio innotescit. Deniq; quod diuitiarum quoq; amor in ea prorsus non fuerit, hinc patet, quod aurum Filio à Regibus oblatum, in egenorum usum celeriter expendisse creditur, alioquin quomodo in Purificatione, dum Infantem Domino sisteret, Agnum non obtulit? Quod autem intra se nullum inordinatum motum, vel sensualitatis rebellionem mitissima, dulcissimaq; Virgo experta sit clarissimum est. Quod deniq; sibi coniunctorum nullo fuerit impedita affectu constat. Virgo enim obedientissima, summèq; prudens hortantem patrem audiuit & paruit* Psal. 44. *Audi Filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Deniq; Sponsum habens, intacta permansit. Itaq; mens eius deiformis, Deoq; concupiscibilis, ab omni penitus à DEO elongante motu, affectuq; segregata permansit, eamq; ob causam in Divina dilectione stabilis, atq; integra perseuerauit. Accedit quod sicut Natura non impedita, sic Gratia perfecta de facili agit. Quò igitur Gratia, in incomparabili Virgine sublimior erat plenitudo, eò utiq; Diuinis erat uberiùs intenta, in charitate stabilior, atq; omni actu meritorio incessabilior, Ergò cùm fuerit in Matris sanctificata utero, ante Verbi Incarnationem gratiâ plena, plenior in Incarnatione, & deinceps quotidie in ea summè profecerit, constat quod quantum præsentis vitæ peregrinatio patitur, Divino semper actualiter amore exarserit. Quod si DEI contemplatione radicatur dilectio, dicente Psal. 38. In meditatione mea exardescit ignis, dicendum quo fuerit contemplatio stabilior, eò amorem quoq; diuturniorem, vehementioremq; futurũ. Quia igitur Maria præclara & excellenti mentis fixione in DEO, erat prædita, & nec per omissionem boni, nec per commissionem mali unquam peccauerat, nec otiosa unquam vixerat, constat sanè in ea ardentis charitatis flammam fortiùs semper incaluisse, adeò ut nec in manducante, nec operante, aut dormiente quieuerit. Hinc ipsa in Cant. 5. Ego dormio, & cor meum vigilat.* Hæc Dionys. de causis, ac fomentis Virgineæ charitatis, quibus illa mirificè quotidie magis, magisque in DEUM exardescebat.

M. ab amore terrenorum abstracta totum affectum suũ in DEUM collocarat.

Paupertas M. DEO uniuit.

Vacuitas passionum M. DEO uniuit.

M. nulla suorum affectione tenebatur

In M. plenitudo gratiæ & divinorum medit. DEI amorem augebat.

Vnde ob eximiam hanc in DEUM charitatem, super omnes sanctas animas, Angelorumque Hierarchias est evecta, ut ait S. Brigitta orat. 1. Virginem alloquens; *Quia toti cœlesti Curiæ erat manifestum, quod nullus Angelorum, vel hominum tantâ charitate, quantâ tu, ipsum DEUM amauit, idcircò dignum, & justum fuit, ut in summâ sede gloriæ, cum animâ & corpore, te ipse DEUS honorificè collocaret.*

20. Et quia hic Divinus Amor, Virgineo in corde iam inde à primis annis sibi perpetuam defixurus erat sedem, ideò supra memoratus Mantuan. dum huius Virginis sanctissimæ cor efformaretur, introducit Creatorem ipsum ter Opt. Max. Angelis demandantem, ut illud sollicitâ, assiduâque vigilantiâ, custodiâque tuerentur. Postquam enim de successiva ejus membrorum formatione hæc cecinisset.

Deus Angelis curã cordis Virginis Matris tuendi demandavit.

Sic nova Progenies utero congesta Parentis
Emersit, non tota simul, sed singula certo
Discreuit formans Opifex DEUS ordine membra,
Cor primum, ex illo quoniam descendit in artus
Vitalis calor, à pleno ceu flumina fonte,
Illic prima Domus Vires, postrema per illud
Discedens terris animus vestigia ponit.

Postquam, inquam, hæc de sacrosancti illius Cordis formatione præmisit, tandem ejusdem Creatoris in Corde illo Virgineo, atque purissimo tuendo, describit sollicitudinem.

Cordis Deiparæ puritas, à b ipsa illius formatione.

Tum superum Pater illius procul ire caducas
Iussit ab hospitio curas; habitacula, dixit
Spiritibus, dulcemq; mihi servate recessum.

Vtque

Vtque tota Virginis vita ab ipsis suis initijs immaculata decurreret, alteram vitæ sedem, nempè Caput, cerebrumq; statim in prima ejus formatione idem Creator Sanctum reddere voluit, quo meliùs ejus phantasmata, intellectioni, & hæc Divini Amoris affectibus deserviret. Sic enim idem Poëta:

M. Caput plenum pudicis, ac sanctis imaginibus ab ipsa ejus Conceptione.

Mox Cerebri concreta domus qua plena pudicis
Crevit imaginibus, castoq; imbuta pudore.
Os roseum sine labe dedit, frontiq; decorem.
Sydereum, & latos frontis cælestis honores
Ambrosiaq; comas tinxit.

Hinc Angelus in suo illo ser. cap. 10. Sanctæ revelavit Brigittæ corpusculum illud Virgineum, quod DEI, atque adeò Divini Amoris erat futurum Domicilium, DEI Thesaurum fuisse preciosissimum, in quem DEI Filius suos defixit oculos, corque suum Divinissimum, ipsò id attestante: *Vbi est Thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Vnde*, inquit Angelus, *venerabilis Anna verè nuncupari potest Omnipotentis DEI Gazophylatium, quia ipsius Thesaurum super omnia sibi amabilem ac Dilectum in suo utero recondebat. O quam propè erat iugiter cor DEI huic thesauro, ò quam piè & alacriter huic Thesauro oculos suæ Majestatis infixit?* Hæc Angelus.

M. Cor Thesaurus preciosissimus.

S. Anna Dei Gazophylatium.

Cor Dei proximũ Virgineo Thesauro fuit.

21. Iam quid de ejus Sanctissimis dicemus sensibus? Hi quia mirificè ab ipso inhabitante Spiritu sanctificati erant, ac depurati, mirum quantum Divinum amorem in illa excitabant, atq; exacuebant, quia assiduè circa DEUM, Divinaque versabantur; atque ita Deificari eos quodammodo oportuit. *Nam*, ut testatur S. Bernardinus Senens. Tom. 2. ser. 51. art. 1. cap. 3. *Mundo, & omnibus noxijs clausi erant, & soli aperti atq; parati DEO. Primò enim patens DEO erat auditus, ut promptissimè acceptaret omne spiraculum, seu inspirationem eius. Proindè in eius persona dicebat Propheta: Audiam quid loquatur in me Dominus DEVS meus. Secundò, patebat DEO eius gustus ad saporandum, & degustandum admirabiles eius dulcedines. Vnde illius experientiâ dicebat inebriata: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! Tertiò, patebat DEO omnis oculus eius, ac intellectus, quia iam per experientiam in affectum, & intellectum, DEO plena, ad talia invitabat: Gustate*, inquiēs, *& videte, quoniam suavis est Dominus. Quartò, DEO patebat anima Virginis odoratus: Vnde orabat: Trahe me post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Patebat deniq; tactus, ut strictè, ac dulciter Dominum amplecteretur se visitantem sapiùs. Quod quia continuè faciebat, cum Propheta iterabat: Mihi adhærere* DEO *bonum est, & ponere in Domino DEO meo spem meam. De his quinque portis aiebat Propheta: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Psal. 86. *Quemadmodum enim Sion est locus eminentissimus Hierosolymis, atq; tutissimus; sic B. V. per Virtutum eminentiam altissima, atq; à vitijs tutissima erat. Diligit igitur Dominus portas Sion, sensùs videlicet* DEI *para, super omnia tabernacula Iacob, id est, plusquam omnium aliarum Virginum corpora. Quæ meritò dicuntur Iacob, quæ luctata sunt, & supplantaverunt fomitem, qui in B. V. in prima sanctificatione fuit ligatus, ac consopitus.* Hæc ferè Seraphicus Pater.

M. sensûs soli DEO patebant.

M. sanctissimas sensuum portas DEUS dilexit.

Virginum corpora sunt Tabernacula Iacobi, quia supplantaverunt fomitem peccati.

22. Neque verò mirum cuiquam evenire debet, Divinum amorem, qui in corde, Virgineoque corpusculo à primis conceptionis exordijs sedem sibi delegerat, totam Virginem in se cum omnibus sensibus, atque adeò in Spiritum Sanctum quodammodo convertisse, sibique quam simillimam reddidisse, cùm idem Sanctus Bernardinus Senensis Tomo 1. ser. 51. art. 1. cap. 7. dixerit, in Anima Christi hypostaticè Divinitati sociata, fuisse quasi omnes animas comprehensas, inque illam transformatas; ac proinde cùm animam, spiritumque suum Patri in Cruce commendabat Salvator, commendasse simul & omnium fidelium spiritûs, in suum, per charitatem transmutatos: *In anima enim Christi*, inquit Pater Seraphicus, *unita per omnia Deitati, certâ notitiâ scriptæ erant omnes animæ suo sanguine redimendæ, quas ut animam suam ad æternam gloriam dirigebat. Pro quibus cum lacrymis, & clamore valido orans, exauditus est, pro sua reuerentia. Has siquidem, Patri, animam suam commendans, in ipsa omnes Patri suo Altissimo cõmendabat, atq; omnes salvandas animas, velut suam unam animam fecit, de qua Patri dixit: Commendo Spiritum meum. Facit enim verissima charitas, quod est alterius, esse suum. Proinde supereminens charitas Christi, omnem salvandam animam suam animam faciebat. Qui enim adhæret DEO, unus Spiritus est cum eo, ait Apostolus.*

In Anima Christi erant omnes animæ fidelium ipsi unitæ.

Christus animam suam Patri comendans, simul omnium fidelium animas comendabat.

23. Concludit denique Animas omnium salvandorum contentas quodammodo in anima, & spiritu Christi, illamque orationem non fuisse pro continente, ut Sanctus Pater ait, emissam

(quia

Oratio Christi in Cruce cõmendãtis animam Patri, fuit pro omnib9 animabus, quæ illã continebantur.

(quia salvus erat, & Beatus, utpotè Comprehensor à primo conceptionis instanti) sed pro contentis in Anima Christi animabus nostris, ut ij, quos Anima Christi prætritos, præsentes, atque futuros dilexerat, salvarentur.

Anima Christi sagena quædam fuit latissima, omnes fidelium animas cõprehendẽs

Proinde eandem Christi Animam sagenæ latissimæ charitatis comparare nõ dubitavit, *quæ in mare præsentis sæculi à Divinitate iacta*, inquit ille, *ad littus tandem paterni pectoris reducitur, cum tota electorum multitudine, quos omnes sibi unitos intra paterna viscera collocavit.* Quod si Christus animas sibi junctas, per gratiam, vi Amoris in suam quodammodo transformabat animam, cur non transformaret & in se ipse Spiritus Divinissimus, qui ipsissimus Amor est, Deiparam?

Spiritus S. est Columba, ramum Olivæ ore portans.

B. V. Columba ramum olivæ ore portans.

Maria Columba facta, ob pacem inter Deum, homines que initam.

24. Quare gloriosissimæ Virginis Animam, per Amoris Divini affectum in Spiritum Sanctum quodammodo transformatam, Columbæ illi, quæ ramum olivæ virentibus folijs, ore gestabat, jure merito cum S. Bonaventura comparandam ducerem; illumque olivæ virentem ramum, tacitam quandam loquelam hujus Virgineæ Columbæ dicerem, quâ ingenuè fateatur, se pacis, Charitatisque cum Deo initæ beneficio id esse, quod est, ac proindè à Divinissimâ illâ Columbâ, nempè ab ipso Spiritu Sancto, ab Amore Divino Notionali, in similitudinem quandam Naturæ, Columbam candidissimam, atque pulcherrimam generatam, effectamque simul quodammodo consanguineam illius atque affinem. Hinc est quod in Canticorum Amoris Canticis Sponsus, ipse videlicet Spiritus S. non ante, sed post medium illius libri, vbi pulcherrimum illud Virgineæ sanctitatis, ac charitatis celebrasset encomium; *Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in te.* Cant. 4. (sciens pulchritudinem Animæ veram ac genuinam, Charitate Divinâ contineri, (dicente Nazianzeno: *Solus Dius Amor formosum reddit amantem.*)

Amor Divinus est animæ pulchritudo.

Statim eam Sponsam, nempè affinem nuncupavit: *Veni de Libano Sponsa mea:* Mox Sororem simul, & Sponsam, utpotè consanguineam, & complexioni, naturæque suæ quam simillimam. *Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa.* Vnde præclarè Venerabilis Beda in cap. 4. Cant. *Soror dicitur propter conjunctionem carnis* (dixerim ego propter conjunctionem unionemque Spiritus) *Sponsa verò quia cœlestis thalami eam sibi fœdere junxit.*

Maria Soror dicitur ob cõiunctionẽ carnis cũ Filio.

25. Quod autem Dilectio hujus Sponsi, pulchritudinem, charitatemq; ac per consequens in amatum transformationem conferre consueverit (cùm diligere sit velle bonum dilecto) audite S. Greg. Nysse. Hom. 2. in Cant. qui verba illa Adolescentularum: *Recti diligunt te*, seù juxta 70. Interp. *Rectitudo dilexi te*; & responsum expendens ipsius Sponsæ: *Nigra sum sed formosa*: *Ipsa Sponsa*, inquit, *addit miraculum quod in se factum est, ut magis discamus immensam Sponsi benignitatem, qui Dilecta per dilectionem indidit pulchritudinem. Nolite*, inquit, *mirari, quod me dilexerit Rectitudo, & Rectus ille Dominus, sed quod cum nigra essem peccato, & per opera essem affinis, & juncta tenebris, me pulchram fecerit per dilectionem, suâ pulchritudine commutata cum mea turpitudine. Ille me suâ puritate impertijt, efficiens participem suæ pulchritudinis, qui ex deformi primum fecit amabilẽ, & sic dilexit me.*

Sponsus cœlestis Dilectæ per Dilectionem indidit pulchritudinẽ

Quod si hoc de anima qualibet peccatis subdita, à Deo tamen dilecta prædicatur, quantò magis de immaculata, & à Deo semper amica Deipara? De unione verò, admirabiliq; illa Sponsæ in Spiritum transformatione eundem S. Doctorem Hom. 1. in Cant. audite, qui prima illa verba Cantici exponens: *Osculetur me osculo oris sui.* Per Os Sponsi, Osculumque, ipsum Spiritum S. intellexit, quo Sponsa ipsi Spiritui ita unitur, ut in ipsum transfundi, & unum quid fieri velle videatur. *Quia verba Sponsi*, inquit ille, *Spiritus & vita sunt: quicumq; autem conglutinatur spiritui, fit Spiritus, & qui vitæ conjungitur transit à morte ad vitam, propterea desiderat anima appropinquare Fonti vitæ; Fons autem, est Os Sponsi, unde scaturientia verba vitæ æternæ implent os, ea attrahens, sicut faciebat Propheta: Os meum aperui & attraxi spiritum. Oportet ergò os admonere aquæ illum, qui potum attrahit ex fonte. Fons autem est Dominus, qui dixit: Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Vnde anima volens ori vitam scaturienti, os suum admouere; Osculetur, inquit, me osculo.*

Os Sponsi, ejusq; Osculum est Spiritus S.

Maria uniendo se Spiritui Sancto, effecta tota Spiritus

Fons Vitæ est Os Sponsi.

Vt autem pijssimus Antistes, à Spiritu S. mentis puritatẽ, utq; pulchritudinẽ animabus illis, quas osculatur, conferri manifestè ostendat, ibidem subjunxit verba hęc cõsideratione dignissima: *Qui omnib9 scatere facit Vitã, & vult omnes saluos fieri, neminem vult eorũ qui salui fiunt huius expertem esse Osculi. Est enim eius Osculũ*, (vtpotè Spiritus S.) *purgamentum cuiusuis sordis. Quamobrem videtur hoc Dominus exprobrare Simoni le-*

Os Sponsi ipse Spiritus Sanct9 est purgamentum cuiusvis sordis.

lui leproso: Osculum mihi non dedisti: Revera enim fuisset mundatus, ab ægritudine, si ore attraxisset Puritatem; Spiritum, videlicet, ipsius Christi, qui cum sit ipsa Charitas, ipsa puritas, atque verissima animæ pulchritudo, utique se illi communicando, eum in se transformasset, omnisque maculæ expertem reddidisset. *Ab osculo enim Oris Dominici osculari*, ut ait S. Bernardus Ser. 8. in Cant. *nil aliud est, nisi infundi Spiritu Sancto.* Vnde *cùm petit Osculum*, inquit, *Spiritum Sanctum invocat, per quem accipiat simul & scientiæ gustum, & gratiæ condimentum, quo Divinæ efficimur*, ut ait Apostolorum Princeps, *consortes naturæ, & filij DEI evadentes, quodammodo deificamur.* S. Ambros. deniq; lib. de Isaac & Anima c. 3. de hac Sponsa loquens: *Petit*, inquit, *Sponsi Osculum, per quod sibi transfunditur Spiritus osculantis.*

Ab osculo oris Domini osculari, est Spiritu S. infundi.

26. Agnovit hanc Deiparæ in spiritum Divinum, ipsumq; Amorem transformationem idem S. Greg. Nyssenus Hom. 4. in Cant. Sponsam, ipsam Charitatem vocitans. Vbi enim legit Vulgata: *Adjuro vos Filiæ Hierusalem ne suscitetis, neq; evigilare faciatis Dilectam;* legit ipse ex 70. Interp. *Adjuro vos Filiæ Ierusalem in potestatibus & virtutibus agri, si excitetis, & expergisci faciatis Charitatem &c.* Adeò enim Virginem in Divini Amoris contemplationem, ceu somnum suavissimum raptam, atque absorptam, adeoq; in Divinum Amorem, alienato à corporeis sensibus, animo, transformatam intellexit, ut ipse Divinus Amor, ipsa Divina Charitas videretur.

Maria Divini Amoris contéplatione absorpta, in ipsum Amorem est transformata.

Et sanè si mellifluus Doctor nil mirum asseruit in affectum Charitatis transijsse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas novem mensibus requievit; Etsi S. Ber. Senensis To. 2. ser. 6. Flam. 2. Incarnationem Verbi in utero Virginis peractam dixit fuisse Matrimonium per verba de præsenti, in quo tanta fuit inter Divinum Verbum & Virginem unio, *ut nunquam possint ampliùs à se invicem*, inquit S. Pater, *in æternum separari; quia DEI Filius carnem assumpsit de carne Virginis, atq; ita facti sunt duo in carne una, & quos DEVS coniunxit homo non separat;* Si, inquam, per Incarnationem Filij Dei, qui Amor essentialis est, purissima Virginis viscera in affectum ipsius charitatis, atque adeò ambo in carnem unam uniti transiêrunt; cur dici non poterit eamdem Virginem gloriosissimam, per inhabitantem Spiritum S. ab ipso conceptionis ejus instanti, perque eundem Spiritum in illam supervenientem, dum Devs factus est homo, totam quasi in Divinissimum illum transijsse Spiritum, atque adeò duos in uno, eodemque quodammodo substitisse Spiritu? ut ita quemadmodum purissima Deiparæ caro, sic & innocentissimus ejus spiritus, imò tota penitus in Divinum Amorem, inaudità hactenus metamorphosi transmutata, atque deificata videretur? Verissimè enim idem S. Bern. To. 3. ser. 6. flam. 2. pronunciavit: *Amor capit formam rei amatæ, sicut cùm amas vanitatem & carnalia, capis formam rei amatæ, & transformaris in illam, efficerisq; carnalis, & vanus. Sic cùm amas DEVM, transformaris in DEVM evadens bonus, sanctus, omniq; virtute perfectus.* Atque ita Pater hic Seraphicus, tanto Dei amore, pronunciatis verbis illis humillimis; *Ecce Ancilla Domini*, Beatissimam Virg. exarsisse ait, ut non modò, illo instanti effecta fuerit Mater Dei, verùm etiam transformata in Deum.

Maria in Incarnatione Verbi facta una caro cum illo.

Amor capit formã rei amatæ.

Moxq; hæc addit: *Et ideò Beatissima Mater DEI plena Spiritu S. & tota in DEVM* (in Spiritum S. scilicet) *transformata jubilando dixit decem jubilationes;* lætissimum illud nempè Canticum, quod quia decem versiculis, velut totidem chordis, seù jubilationibus constat, Psalterium Decachordum appellavit.

Canticum Mariæ Psalteriũ Decachordum.

27. Tantâ verò tamque vehementi Deiparam Virginem, superveniente atque obumbrante eam Spiritu illo sacratissimo, Divinâ charitate exarsisse, atque exæstuasse affirmat, ut cor ejus ardentissima fornax (quæ tantò majores ejaculatur flammas, quanto magis prævalet ardor ignis) incendijs Divini Spiritus inflammata videretur.

Cor Mariæ Divini amoris Fornax.

Has flammas idem S. Pater in Virgine sanctissima contemplans, eandemque in Apocalyptica illa Muliere agnoscens, exclamavit. To. 2. ser. 51. ar. 2. c. 1. *O quis posset sufficienter intelligere, quale fuit illud è cœlo emissum incendium, collatum refrigerium, infusum solatium, tam in sacratissimæ Virginis mente, quàm carne. Ipsa siquidem tunc facta est Mulier amicta Sole &c.* Idem Vir sapientissimus, ardentissimâ hac charitate, docet Deiparã, in gratiâ fuisse confirmatam, & impeccabilitatem omnimodam indeptam: *Adfuit illi ardor charitatis*, inquiens, *eo modo, quod mens illius in ardore dilectionis continuè tenebatur; DEVS enim illius*

Maria Divina charitate facta fuit Mulier amicta Sole.

B. V. charitate ardétissimâ fuit in gratia confirmata, & impeccabilis facta.

illius menti se mirabilissimè intimabat, omnesq; eius potentias inferiores subditas, sub rationis imperio continebat. Aderat denique illi obiectum Divinitatis, eò quod semper habuit continuum aspectum ad DEI beneplacitum, promptumq; consensum semper gerebat in mente, Divina beneplacita adimplendi. Vnde in ipsius persona aiebat Propheta: Providebam Dominum in conspectu meo semper.

B.V. habuit continuum aspectum ad DEI beneplacitum.

28. Hunc sanctissimæ Virginis continuum in DEUM aspectum, inque Divinum Amorem transformationem, Ioannes Gerson Cancellar. Parisinus Tract. 2. in Magnif. Matrimonio rato in via, & taliter confirmato, ut neque repudium, per mortale peccatum, nec quævis offensio per originalem, aut venialem maculam unquam intercesserit; cujus consummationem castissimam præstolabatur in patria, sapientissimè comparavit. Quam comparationem cùm audiret Discipulus: *Eleuatis*, inquit, *piæ considerationis oculis intueri mihi videor Mariam secundùm tua dicta, proximam valdè tunc fuisse cubiculo Sponsi, nec obstitisse ad consummationem Matrimonij spiritualis præter velum, vel cortinam ænigmatis via tegentem cubiculũ, quod tunc pervium non erat ingressui.* Cui Gerson in persona Magistri respondens, ardentissimam Virginis in cœlestem Sponsum, dum adhuc in via peregrinaretur, declarat charitatem, illi cœlesti patriæ omninò quam simillimam: *Cernis acutè*, inquiens, *non vides quanto Maria desiderio consummationem in gloria Matrimonij iam inchoati, & rati per gratiam confirmatam optabunda quæsierit, non quidem impudentiâ, quasi meretriciâ ultro virum rapiente, sed verecundiâ Virginali? Petebat per insinuationem formatã reverentialis pudicitiæ verbis, quod optabat, communi voto cum Sponso: Neq; enim tepidior erat Sponsi ad Sponsam Zelus, donec introduceret eam in domum Matris suæ, & in cubiculum Genitricis suæ, quando deinceps, omni ablato velamine, facie ad faciem videre sibi dabitur Sponsum, & unum fieri cum Sponso. Itaq; iam non duo, sed unus spiritus, fœdere perpetuo nubentur. Hinc sunt voces illæ, amoris interruptæ suspirijs. Hinc allocutiones alternæ. Hinc mutuæ collaudationes. Hinc cursus, & recursus crebri, subitiq; Sponsi salientis, & tripudiantis. Audi Sponsam verecundè petentem Sponsum: Osculetur me osculo oris sui: Trahe me post te: Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Deinde cùm pulchritudinem Sponsæ laudasset Sponsus, Sponsaq; de Sponso similiter fecisset, considera quam aptè, vel quam verecundè dedit intelligi, nil restare nisi secretum ingressum cubiculi: Lectulus,* inquit, *noster floridus. Amor nimirum igneus est, lampades eius lampades ignis, atq; flammarum. Propterea nequit se intra se continere, quin assimilationem quærat sibi facere, semper inquietus est, quousq; pertingat ad intimum rei, quam diligit. Vocat benè D. Dionysius vim amoris esse quid semper mobile, incessabile, calidum, acutum, fervidum, superfervidum. Quid igitur faciet Sponsa talibus in Sponsum flammis amoris succensa? inquiret sine dubio intimos eius amplexûs, & illis, tota toti coniuncta inveniet refrigerium. Expectat tamen pudicitia Virginalis tempus beneplaciti Sponsi; diemq; statutum pro nuptijs anticipare non audet. Facit interea quod sibi fas est, petit ad solatium, petit ad refrigerium æstuantis ardoris sui osculum Sponsi castissimâ suavitate iucundum: Osculetur me osculo oris sui. Vide raptam, vide exultantem extra se Sponsam.*

Charitate B.V. Deo quasi Matrimonio castissimo fuit copulata.

M. charitas similis illi patriæ cœlestis, ubi videbitur Deus facie ad faciem

Amor utpotè igneus assimilationem quærit.

Vis amoris quid semper mobile, in cessabile, acutum & fervidum.

29. Idem Vir pijssimus Tract. 4. in Magnif. Virginis hanc mutuam, intimam, castissimamq; cum Divino Sponso unionem, ac in ipsum transformationem ex illis Sponsæ verbis colligit: *Dilectus meus mihi, & ego illi; Intendit*, scilicet: *Dilectus meus mihi osculum amoris dirigit, osculum porrigit, loquitur, assentitur, blanditur, & ego illi. Dilectus meus mihi finis omnium desideriorum meorum, & omnium cogitationum & intentionum cordis, & operationis cuiuslibet, seu motionis cardo, centrum, & axis; & ego illi totum quod dat reddo. Dilectus meus mihi deliciosus est, amorosus, & concordans est, suauis est, benignus est, iucundus est, delectabilis est; mihi omnia est. Quippè cum quo sum, unum cor, una anima, unus spiritus. Imò Dilectus meus mihi unitur, & ego illi. Dilectus meus mihi se dedit in precium, in mortem, quomodo non omnia mihi secum donavit?* Cum autem quæreret in persona Discipuli, quonam modo se donaret DEUS, qui nusquam abest? Respondit in persona Magistri, donare se per gratiam, uti fecit MARIÆ, quæ cùm invenisset gratiam apud DEUM, audire etiam meruit; *Dominus tecum. Per gratiam*, inquiens, *fit disposita & organizata suo modo, calore vitali gratiæ ad susceptionem Domini, de quo, & à quo vivit anima, non minùs, quàm disponitur corpus organicum per harmoniam qualitatum disponentium ad animæ rationalis introductionem faciendam in corpore.*

M. cum Sponso amoris certamina.

M. fuit disposita & organizata per gratiam ad suscipiendum Dominum.

Tunc audit anima; Dominus tecum; quia se dat ad nutum animæ, ut fruatur se. Vnde fit amoris illa reciproca donatio mirabilis, quo manet in charitate, in DEO, & DEVS in eo. Dilectus meus mihi seipsum dat, & ego illi meipsam reddo, & meipsam cum eo, cum quo iam unum effecta sum, coniungo. Et sicut in illa Trinitate ineffabili Pater dat Filio Spiritum, & Filius Patri reddit eundem Spiritum: sic anima datum sibi Dilectum dat, & reddit seipsam illi qui tribuit, ut sit ipse principium & finis omnium desideriorum utriusq;. Atq; ita DEVS se dat in dono, quo informat animam, & viuificat, reddens Deiformem, pulchram, amabilem, & desiderabilem ei, qui lætatur in operibus suis, maximè in filijs hominum.

B. V. in Dilectum intellectu, & affectu transformata.

Vt denique ostendat Vir Virginis nostræ studiosissimus mutuum esse inter Matrem, & Filium hunc transformantem Amorem, colligit ex ipsis verbis Sponsæ, in quibus aliquando præponit Dilectum; *Dilectus*, inquiens, *meus mihi*; aliquando præponit se Dilecto: *Ego Dilecto meo. Quia Dilecta in Dilectum fertur secundùm vim duplicem, apprehensiuam, & motivam. Vis apprehensiua & cognoscitiva, trahit ad se, & in se quodammodo suum obiectum, quod est verum. Motiva verò, seù affectiva vis, præsertim dilectiva, cuius obiectum est bonum, tendit extra se quasi, & tendit in ipsum. Causam dat Philosophus: Verum*, inquiens, *est in anima, sed bonum in rebus. Vnde bonum quod est appetibile imprimendo se per cognitionem fit aptum ad amandum; non enim velle possumus incognita. Appetitus verò, quasi rivulo quodam redire in appetibile, seq; illi dare, communicare, vel imprimere conatur. Propterea dicitur anima, dum Dilectum cogitat & imaginem, vel speciem ipsius format, quod Dilectus illi imprimatur. Dum verò diligit, ipsa se Dilecto dat & exponit, ad ipsumq; quasi foras egreditur. Et hoc est verbum illud mysticum Christi de Dilecto suo, quod ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet. Sic anima subintrans se, & trahens ad se Sponsum per cognitionem, dici potest pascere Sponsum. Exiens verò per dilectionem ad Sponsum trahitur ad Sponsi palatium, thalamum, vel cubiculũ. Atq; ita in hac coniunctione Sponsi, & Sponsæ per dilectionem consurgit delectatio, dum rursus imprimit se Dilectus in Dilectam sugentem ubera consolationis suæ.*

Hæc Gerson de Virginis in Divinum Amorem transformatione admirabili: cujus verba fusiùs recensere libuit, quia Divinam illam transformationem mirè ob oculos ponunt.

30. Vnde nemini sanè mirum videri debet, si B. Amadeus Lausanensis Episcopus Hom. 6. gloriosissimam Virginem Vnicæ Phœnici his Divini amoris incendijs, undique circumdatæ, comparavit. Quemadmodum enim ex Phœnice, Phœnix ignis beneficio, alius exoritur, sic à Divino Spiritu (qui uti Columba, sic etiam Phœnix immensis quibusdam amoris flammis, circumquaque exornata, dici potest) rarissima, ac Vnica Phœnix Virgo DEIPARA generata est. Sed B. hunc Antistitem Divam Virginem alloquentem audiamus, ubi etiam simul causam, cur DEIPARA tantis amoris exarserit incendijs: verba Ɩ, videlicet Filij gloriosè à mortuis resurgentis, assignat: *Tu gloriosa*, inquiens, *Nati gloriam beatissimis oculis aspexisti, vidisti, & defecisti. Defecit caro tua, & cor tuum. Factum est verbum eius quasi ignis flammigerans in ossibus tuis. Ergo Divinis ignita colloquijs, tota effecta es velut ignis, te holocaustum DEO suauissimum obtulisti. O Phœnix aromatizans gratiùs cinnamomo, & balsamo; & nardo suaviùs Regem in aspectu tuo delectans. O Phœnix congregans omnes species, & Igne circumfusa superessentiali, ut cœlum cœlorum, & cœli potestates Angelicas mirifico repleas suauitatis incenso.* Vt autem ostendat pijssimus in Virginem Antistes, Cor Virginis amoris Divini igne fuisse inflammatum, odorem omnium exhalasse suavissimum, addit: *Hoc incensum suavissimum est, hoc thymiama benè compositum procedit de thuribulo cordis Mariæ, & uniuersa suaniter redolentia excedit.* Quem gratissimum odorem postea, Angelicos ait, demiratos esse Spiritûs, & ad invicem stupore attonitos exclamasse Cant. 3. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut Virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & uniuersi pulveris pigmentarij?*

M. Phœnix amoris Divini flammis circumdata.

S. Spiritus Phœnix.

M. Phœnix, superessentiali Divinitatis igne circũfusa.

M. Cor Thuribulum, ex quo procedebat thymiama suavissimũ.

31. Quod si sola dumtaxat Verbi Divini verba extrinsecus sonantia, ejusdemque sola præsentia, vim tantam, virtutemque, Divam Virginem, tantis amoris flammis incendendi habuerunt, ut Phœnix quædam in aromatica sua pyrâ, rogoque, flammis circumsepta videretur: quantò magis idem Verbum, essentialis ille Amor utero conclusus, quantò magis Divinissimus ille Spiritus (qui verè superessentialis, ac supersubstantialis Ignis Amoris est, omnes creatas substantias longissimè excedens) Spiritus, inquam, Divinissimus, qui ab ipso

ipso conceptionis ejus instanti, sibi in corde illo purissimo domicilium longè gratissimum elegerat? Vnde idem S. Pater Hom. 7. Deiparam in hunc Divinum Amorem transformatam, supra ignem rubuisse ob charitatem, supra lucem claruisse ob castitatem, omni denique ex parte præclaram, admirabilemq; ipsis Cœligenis ob Virginei Partus novitatem evasisse, asseveravit.

M. supra ignem rubuit ob Divinam charitaté.

Paucis verò interjectis, ut ostenderet intimam in Virgine Divinissimi Spiritus præsentiam, mirificas, ac planè Divinas ejusdem deprædicat operationes, & toto ore, oculisque Spiritus sacrosancti exuberantem, ac redundantem gratiam: *Deniq; Virgo Mater*, ait Sanctus Antistes *omnium in se charismatum commercia deferebat. Primâ namq; visione scintillans sacri amoris ignibus, proximorum pectora suauiter exurebat, animis fidem suggerebat, suadebat verecundiam, honestatem venustabat, inflectens ad pietatem. Spirabat florem Virginitatis, depingens oculis habitum humilitatis, splendor indeficiens in circuitu eius, & ignis exardescens à facie eius.*

M. charitas accendebat proximos.

Ignis à facie Virginis exardescebat.

32. Vt autem hæc omnia verissimos effectûs, atque operationes intimè Virgini præsentis Spiritus Sancti comprobaret, subjungit idem B. Amadeus, ipsum ore, oculisque Virgineis adeò Divinè, potenterque emicuisse, ut ignivomus quasi torrens obvia, quâque rapiens, atque succendens ab ea erumpere videretur: *Fluvius*, inquit, *igneus, rapidusq; egrediebatur ab ea, qui hostes succenderet, amicos confoveret, iuuaret proximos, concremaret inimicos.*

Fluvius igneus, rapidusque à facie M. procedebat.

Quibus in verbis observandum, Deiparam à Sancto hoc Antistite etiam, Divinis Personis assimilari. Quemadmodum enim à facie antiqui dierum, quem Daniel cap. 7. in throno igneo sedentem viderat, *Fluvius igneus, rapidusq; egrediebatur;* sic à Patre, qui per venerandum canitie Senem illum, & à Filio, qui per ejusdem Faciem, Spiritus Sanctus, qui per igneum, rapidumque Fluvium designatur, procedit. Dum ergo Dei, Deiparæque amantissimus Amadeus, Igneum, rapidumque fluvium à Virgine procedentem asserit, insinuare nobis visus est, in ea perinde quasi Spiritum S. sibi domicilium fixisse, quemadmodum in Patre, & Filio, in quibus ita inhabitat, ut idem penitus sit cum illis, secundùm essentiam, licet ab eisdem Personalitate realissimè distinguatur, cùm per circuminsessionem, ut suprà memoravi, totus Pater sit in Filio, Filius in Patre, & Spiritus Sanctus in utroque.

M. Divinis Personis similis.

Quam ob rem hoc igneo, rapidoque Divini Amoris inflammatam fluvio Deiparam, vel solis oculis, ex quibus, quasi per fenestras animæ, ignis Divinissimi Spiritus emicabat, asserit, vitam, mortemque, pro diversa hominum dispositione afferre consuevisse. *Fertur*, inquiens, *ab ijs, qui animantium naturas nôrunt quod solo visu, & flatu mortifero vicina, quæq; sibi Regulus venenatus interimat. Sic illa è contra ignis Divini calore vehementer accensa, & verbi flammigerantis sparsa incendiis, odorem resuscitantis gratiæ ijs, qui longè, & ijs, qui propè commanebant exhalabat. Et alijs quidem, id est, adversæ partis erat odor mortis in mortem, alijs verò, id est, credentibus in Filium suum odor vitæ in vitam.*

Regulus seu Basiliscus oculis, ac flatu enecat.

B.V. Regulo similis, dum in nobis vitam carnalem perimit.

31. In qua Dei paræ cum Regulo comparatione ostendit Vir Sanctus mirabilem sanè Virginis in hominibus convertendis vim, atque potentiam, similem prorsus illi, quâ pollebat Christus eius Filius. De quo Isaias cap. 14. loquens de Achaz jam mortuo, & Filio ejus Successore Ezechia verissimâ Christi Salvatoris figurâ: *Ne læteris*, inquit, *Philisthea, quia comminuta est Virga Percussoris tui. De radice enim Colubri, egredietur Regulus, & semen eius absorbens volucrem.* Ac si clariùs dicat: Non est quod vos, ò Philisthei lætitiâ efferamini, ob mortem Sampsonis, Achaz &c. qui vos ad instar virgæ ferreæ innumeris cladibus attrivêre, quia ejus loco succedet Ezechias, atque adeò Messias Rex potentissimus, hic vos multò potentiùs atteret, utpotè Regulus serpentum quasi omnium Rex. Quemadmodum enim Regulus, teste Plin. lib. 8. cap. 21. Solino cap. 30. & li. Æli. 9. cap. 18. serpens adeò parvus, ut digiti, aut palmi vix excedat magnitudinem, candidâ quâdam Coronâ lineatum habens caput, mediâ parte corporis humi reptans, mediâ erectâ incedens (quibus omnibus Regalis eius dignitas, tum ejusdem Divinitas, atque humanitas simul sociata denotatur,) aspectu solo, atque anhelitu, homines, atque volucres prætervolantes interficit; sic Christus Rex, ejusque Mater Regina cœlorum potentissima homines carnales fœliciter perimit, ut Mundo, carnique mor-

Christus similis Regulo.

Reguli seu Basilisci natura.

Christus & M. ad instar Reguli perimunt in hominibus vitam carnis.

mortui, vitam spiritualem, ac sanctam traducant. Interpp. 70. legunt: *Et Semen eius Serpens pennatus;* Ad indicandum Regulum hunc habere alas, quo celeritas ejusdem potentiæ expeditissima denotetur. Porrò Serpentem hunc Hebræus vocat: *Saraph*, quod est, Ardens, urens. Igne siquidem potentissimo suæ charitatis & Filius, & Mater corda peccatorum, hominumque carnalium adjurantes, sensuali vitâ peremptâ, atque absumptâ in viros longè alios; vitam spiritus viventes, velut quidam ignis transmutabant.

34. Sed ad lineam. Quod autem Fluvius ille igneus, rapidusque Divinissimum Spiritum à Patre, Filioque procedentem, ipsisque consubstantialem nobis adumbret, audite Rupertum Abbatem in Dan. cap. 13. *Licet*, inquit ille, *hic ignis, ira, & flamma vindictæ futuræ, possit intelligi; tamen quoniam Fluvius igneus, dulciori adhuc dignus est intellectu, maximè cùm dictum sit; Egrediebatur à facie eius; Quid enim non dulce, non amabile egreditur aut procedit à facie eius? Ergo Fluvius igneus non iniuriâ, non coactâ sententiâ, dicimus, quod ipse sit Spiritus S. de quo Psalmista: Fluminis impetus lætificat civitatem DEI: & in Isaia idem Spiritus Sanctus: Ecce ego declino in eos, ut Flumen pacis, & ut torrens inundans gloriæ gentium. Hic sine dubio Fluvius egrediebatur à facie eius, unde procedens, dicitur hic Spiritus S. Igneus autem est, & rapidus, quia mentes igneas reddit, & linguas disertas atq; vividas efficit; quod & testatus est, & ab effectu comprobauit, quando super Discipulos apparuit tanquam ignis, & cœperunt loqui varijs linguis rapidis, ita ut silentium illis nulla posset indicere potestas sæculi.* Hactenus Ruper.

Spiritus S. Fluvius est igneus.

Spiritus S. Fluvius igneus, & rapidus, quia mentes igneas reddit, & linguas disertas, ac vividas

35. Quod autem Facies Patris, à qua admirandus ille Fluvius egrediebatur, Filium ejus adumbret dilectissimum, innuit Psalmista: *Ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Postulatio enim ostensionis Faciei Dei Patris, est postulatio Incarnationis Verbi. Quemadmodū enim ex facie Natura hominis, ut plurimum deprehenditur, ita optima atque amabilissima Dei Patris indoles, pietatis, ac misericordiæ Dei nostri viscera, per Filium, velut per Faciem benignissimam nobis innotuère. Hanc amabilissimam faciem contemplari cupiens Moyses, videre anhelabat ipsum Messiam, qui eos in deserto hujus Mundi, molestissimâque hâc peregrinatione præcederet, quando adeò confidenter Deum obsecrabat: Exo. 33. *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ostende mihi gloriam tuam, ut sciam te, & inveniam gratiam ante oculos tuos, respice populum tuum gentem hanc.* Cujus orationem exaudiens Dominus, respondit: *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* Verè enim præcedéte nos, in hac lachrymosa peregrinatione benignissimâ hâc Dei facie, requiem accepimus; Cùm hæc sit ipse Salvator, qui dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Matth. 11.

Per Filiū velut per faciē Dei Patris pietas nobis innotuit.

Moysis desideriū videndi Christum

Christus dat nobis requiem.

36. Nec Facies tantùm Dei Patris est Verbum Incarnatum, verùm etiam ejusdem Gloria, ejus Decor, & Pulchritudo, quam idem Moyses videre desiderabat: Vnde de Messia loquens Isai. 35. Ipsi videbant Gloriam Domini, & Decorem Dei nostri; visionem illam Filij Dei in nostra humanitate, ejusque in terris conversationem vaticinatus est, juxta expositionem S. Hieron. Cyrilli, Eusebij lib. 6. Demonst. Evang. cap. 21. Hilarij in Psal. 65. Iustin. Mart. Apol. 2. Nazianzenus Orat. 1. in Iulianum. Imò Eusebius, Theodoretus, Cyrillus & Hilarius, Prophetiam hanc impletam autumant eo tempore, cùm Iesus venit à Galileâ ad deserta Iordanis, à Ioanne baptizandus. Decor verè, ac Pulchritudo etiam fuit illius deserti Christus illud efflorescere, ac germinare faciens, velut lilium, juxta ejusdem Isaiæ eadē c. Vaticinium: *Lætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit;* Cùm benignissimus Mundi Salvator sit ille:

Christus est Patris Gloria.

Qui picturatos intexit floribus hortos,
Quiq; iubet rutilis albescere lilia campis,
Et qui tellurem violâ distinguit, & herbâ.

Filij Dei pulchritudo in creaturas redundans.

Cùm igitur à facie illius antiqui dierum senis, Fluvius igneus, rapidusque egrediens Spiritum S. à Patre, Filioque procedentem significet, & eumdem ignitum Fluuium à Deipara egredientem affirmet Amadeus, cur in Spiritum hunc Divinissimum, ad imitationem quandam Divinarum Personarum, Virginem sacratissimam transformatam quodammodo fuisse dubitabimus?

37. Hanc Dei Matris in Divinissimum Spiritum quasi transformationem indica-

indicare visus est ipse Sponsus Cant. 4. quando pulchritudinem interiorem Sponsæ, oculis emicantē laudavit: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! Oculi tui Columbarum absq; eo quod intrinsecus latet.* Quemadmodum enim Sponsa Cant. 5. sui Sponsi dilectissimi pulchritudinem laudare volens, dixit ejus oculos geminas esse Columbas candidissimas: *Oculi ejus sicut Columba super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lota, & resident juxta fluenta plenissima;* innuens verbis hiscé, Amorem Dei Amoremque proximi, atque adeò ipsum Spiritum S. ejus ex oculis elucere: sic vicissim Sponsus, ut eam sibi similem esse indicet, non contentus quod Vnam, electam, atque perfectam Columbam, suum nempè Spiritum illam appellaverit, addit insuper Virginem, suos illos geminos formosissimos oculos ad instar Columbarum habere, eò quod Spiritus S. ex ipsis quasi spirare, quasi per fenestras prospicere atque emicare videatur. Agnovit totâ facie oculisque Virgineis hunc Divinum Spiritum promicantem Rupertus Abbas li. 1. in Canti. dum laudes illas geminatæ pulchritudinis, Virgineorumque oculorum expenderet: *Pulchra,* inquiens in Persona Sponsi, *decore Virgineo, pulchra Vnigenito Filio. Taliter geminata nullius unquam fuit, nullius unquam erit pulchritudo. Adhuc addo istud pulcherrimum: Oculi tui Columbarum. Quinam sunt oculi Columbarum, nisi dona septem gratiarum, id est, septem spirituum super me requiescentium? Septem namq; oculi, qui juxta Zachariam, in uno lapide sunt, septem sunt Spiritus DEI, qui juxta Isaiam super Florem requiescunt. Isti oculi mei, sunt oculi tui, oculi columbarum, oculi omnium gratiarum, vel spirituū, quorum tu effecta es particeps, ex quo me castis tuis visceribus suscepisti, super quem requiescit, in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.*

Oculis Christi amor, atq; adeò Spiritus S. promicabat.

Ex Mariæ oculis Amor atq; adeò Spiritus S. promicare videbatur.

MariaPulchra decore Virgineo, pulchra Vnigenito Filio.

In Maria septem dona Spiritus Sancti.

38. Hanc ob causam D. Methodius Martyr gloriosissimam Deiparam Divinæ charitatis promptuarium appellare non dubitavit; adeò illam charitate, donisque Spiritus Sancti, alijsque cœlestibus charismatis ad instar ingentis cujusdam, infinitique Thesauri, seu ignei illius, rapidique fluvij redundantem agnovit, ut & in cæteros pleno gurgite, absque ulla prorsus sui imminutione, quod proprium Dei est, sese posset effundere.

MariaDivinæ charitatis Prõptuarium.

In hac Divinæ charitatis plenitudine, atque exuberantiâ nullus Virgini par, aut similis inter puras creaturas ab ipso sæculorum exordio, ad eorum usque finem reperiri unquam potuit. Vnde idem Rupertus Abb. li. 3. in Cant. in persona Sponsi sic Virginem alloquitur: *Et quis in hac dilectione talis ut tu, ò Dilecta singularis? quam solam præ cunctis amantibus totam occupauit, totamq; possedit Amor Dilecti. In hoc uno Soror mea. Verum per Spiritus S. Amorem Sponsa mea. in hoc uno oculorum tuorum vulnerasti cor meum; unde & viscera mea super te se continere non potuerunt.*

B.V. in charitate nullus unquā similis extitit.

Mariam solam præ cunctis amantibus possedit Amor dilecti.

Eandem Virginem à Spiritu S. possessam semper, absque ulla interruptione à primis conceptionis exordijs, eidemque velut castissimam Sponsam unitam affirmavit B. Iustinianus Patriar. ser. de Purif. *Erat MARIA Angelorum consortio custodita, & à Spiritu S. absq; intervallo temporis possessa. Sibi namq; illam in Sponsam elegerat, sapientia in Matrem, in suam Interventricem Mundus, Angeli in Dominam, æternus Pater in Filiam.* Quare idem Patriarcha pijssimus, Virginem sacratissimam, tot tantisque sanctissimæ Triados cumulatam fauoribus, eisdemque Deificatam quodammodo contemplans, stupore attonitus in illas prorupit voces: *O honor fœminæ, ò excellentia Mariæ, cuius meritorum celsitudine, & gratiarum opulentiâ stupet cœlum, Natura miratur, sancta Beatorum spirituum venerantur agmina. Non capit polus, non concludit orbis, non attingit creatura, quod MARIA suscepit mente, concepit in corpore, gestavit in utero &c.*

Maria semper fuit absq; ulla interruptione à Spiritu S. possessa.

Maria totius Naturæ atque uniuersi Miraculū.

39. Ob hanc in spiritum Divinissimum Deiparæ transformationem crediderim sanè D. Bernard. Sen. To. 4. ser. 6. cap. 8. jure merito pronuntiasse ab instanti conceptionis, atque Incarnationis æterni Verbi in ejus utero purissimo peractæ, eam Iurisdictionem quandam, ut sic dicam, atque auctoritatem in omnem Divini Spiritus temporalem processionem obtinuisse; idque sanctissimi Bernardi confirmat auctoritate dicentis: *Nulla gratia venit de cœlo ad terram, nisi transeat per manum Mariæ.* Item D. Hieronymi qui: *In Christo,* inquit, *fuit plenitudo gratiæ sicut in capite influente, in MARIA verò sicut in collo transeunte. Vnde in Canticis de Virgine instar colli respiciente universalis Ecclesiæ Caput IESVM Christum dixit Salomon: Collum tuum sicut Turris eburnea. Nam quemadmodum per collum vitales spiritus à capite descendunt in corpus, ita per Virginem à Christo capite Vitalis ille spiritus, ejusq; gratia, ac* charis-

Maria obtinuit Iurisdictionem in omnē temporalem SpiritusS. processionem.

Per Mariā, velut per collū SpiritusS. communicatur corpori totius Ecclesiæ.

charismata in eius corpus mysticum transfunduntur. Vnde hic ordo, inquit S. Bernardinus, *est defluxus Divinarum gratiarum, ut priùs à DEO defluant in Christi animam benedictam, deindè in animam Virginis Matris, inde in Seraphin, & sic deinceps in alios Angelorum Ordines, demùm in totam Ecclesiam militantem.* Hæc S. Bernardinus.

40. Idem sensit B. Amadeus Hom. 2. qui membrorum Virginis aptissimam considerans Symmetriam, eorumdemque significationem: *In collo*, inquit, *quod cæteris membris eminet, & vitalem gratiam capitis artubus subministrat, altitudo Virginis exprimitur, quâ præsidens membris Ecclesiæ, caput suo connectit corpori, quia Christum conjungit Ecclesiæ, & vitam quam primo loco suscipit, reliquis membris infundit. Decebat enim, ut sicut per fœminam mors, sic per fœminam vita intraret in orbem terrarum. Et sicut in Eva omnes moriebantur, ita in* MARIA *omnes resurgerent. Illa malè credula verbis serpentis mortis venenum miscuerat; Hac conterens caput serpentis, antidotum vitæ cunctis ministravit, ut mortem occideret, & vitam repararet.* Hæc Amad. Cùm igitur à capite Christo per Virginem velut collum, omnium gratiarum, charismatum, ac donorum Spiritus Sancti influxûs in Ecclesiam deriventur, non immeritò gloriosissimam Virginem in hujusmodi Spiritus sancti charismata jurisdictionem quandam habere censemus. Cum enim tota Essentia Naturæ Divinæ cum omnibus suis attributis Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Charitatis, &c. atque adeò summum illud immensum, infinitumque Bonum, Fons bonorum omnium, intra Virginis uterum conclusus fuerit, quis verebitur dicere, in effluxûs hujusmodi gratiarum, bonorumque omnium jurisdictionem quandam hanc habuisse Virginem, de cujus utero quasi Divinitatis quopiam Oceano rivi, & flumina omnium gratiarum emanârunt. Hæc porrò gratiarũ Spiritus S. dispensatio quantam gloriosissimæ DEIparæ pepererit dignitatem, declaravit idem Pater Seraphicus, dum eam dispensationem inter duodecim illa, quæ Virginis inclytum coronauêre caput, sydera numeravit.

Per Evam mors: per Mariam vita in orbem intravit.

Dispensatio gratiarum in Maria, stella est in corona ipsius.

41. Vt autem Vir hic Sanctissimus Missionem hanc Spiritus S. ostenderet Divinis illis quam simillimam; & ad imitationem quandam Divinarum Personarum, Virginem eidem Divinissimo Spiritui esse conjunctissimam, præmiserat, reperisse se in IESU Christo Rege nostro duas admirandas dignitates. Prima, quod sit Filius DEI Patris ab æterno genitus. Altera, quod DEUM producat, spirando Spiritum S. De utraque hac dignitate Pater Seraphicus participasse ait Virginem beatissimam. In primis enim ita verè fuit Filius Virginis, ab ea in tempore genitus, sicut fuit Patris æterni, in æternitate generatus Vnigenitus. *Nec enim maior*, inquit, *nec minor, nec dignior est DEI Filius in Throno paterno sedens, claritate vestitus, quam habuit antequam mundus fieret, quàm utero Virginis circumdatus, pannis pauperibus involutus, & intra fœnum in præsepio reclinatus.* Alteram etiam eximiam illam Filij dignitatem habuit DEIpara, eò quod & ipsa uti Filius producat, & spiret nobis quodammodo Spiritum S. *Siquidem omnia ejusdem Spiritus dona, quibus vult, quando vult, quomodo, & quantum vult per manus Virginis administrantur.*

Maria in se duplicẽ Filij dignitatem repræsentat.

42. Hanc cœlestium donorum, charismatumq; Spiritus S. affluentiã, quam mortalibus Virgo nostra largissimè communicare consuevit, licet in ipso immaculatæ suæ Conceptionis instanti, inque Divini Verbi Incarnatione, ac deinceps intensissimorum actuum Divini amoris assiduâ frequentatione nacta fuerit; in adventu tamen Spiritus Sancti, post gloriosissimam Filij in cœlum profectionẽ, certum est ipsam omnium gratiarum consummatam plenitudinem atque superefffluentiam fuisse sortitam. Quod nobis Venerabilis Dionysius Richelius lib. 2. de Præcon. & Dignit. B. V. Art. 27. varijs rationibus luculentissimè declaravit: *Scimus*, inquiens, *quoniam pijssimus ille spiritus veritatis, qui utiq; essentialiter benignus est, naturaliterq; sui diffusivus, omnem in quam descenderit mentem eò exuberantiùs adimplet, quo dignior, atq; capacior extiterit. Nil porrò mentem ad Spiritus S. missionem, susceptionemq; magis disponit, quàm ardens* DEI *affectio. Elucescit ergò in die sacro Pentecostes, eò in* MARIAM *Beatissimam, Spiritus Sancti dona copiosiùs influxisse, quò cæteris cunctis in* DEUM *affectuosior erat. Ideoq; sola pluѕ suscepit, ni fallor, quàm simul universi. Non enim dubito dicere solam ardentiùs omnibus* DEUM *amasse. Etenim si Christi Filij ejus amor creatus, tam incomparabiliter cunctorum simul electorum hominum, atq; Angelorum Cherubin, Seraphin, atque Thronorum charitatem quâ* DEUM *diligunt, supergreditur, non miror si sola*

B. V. in Pentecoste Divini amoris, reliquarumq; gratiarum superefluẽtiam est consecuta

Spiritus S. mentes puras & capaces magis replet, vt mentẽ B. V.

B. V. plùs gratiæ in Pentecos. accepit, quàm alij simul omnes

sola MARIÆ *dilectio centum viginti illorum, quamvis electissimorum amorem excesserit. Quippè cujus tanta exstitit sanctitas, & gratia, quâ sub* DEO *major intelligit non possit. Ad hæc, quemadmodum unum peccatum præparat ad aliud: sic una virtus, una gratia, ac sapientia disponit ad aliam. Habenti namq; dabitur, & abundabit; ei verò qui non habet, etiam quod videtur habere, auferetur. Itaq; quo ante Paracleti Adventum erat in* MARIA *sanctitas mundior, gratia plenior, sapientia splendidior, eo quoq; præ cæteris in ipsius adventu in his singulis sublimiùs exaltata est. Igitur si ante Verbi Incarnationem plena gratiâ cœlitus salutata est, atq; in* DEI *conceptione mente ventreq;* DEO *repleta, non aliud cerno, quàm quod jam superplena facta sit; quatenus instar liquidi elementi undiq; se diffunderet, cunctosq; ad se venientes suo effluxu ditaret. Deniq; ut se magis* MARIA *ad recipiendum Spiritum Sanctum disponeret, decem diebus unanimiter cum Discipulis in oratione perseveravit. Quæ autem mens meditari sufficiat ignitos interim precum* MARIÆ *ardores affectusq; calidissimos? Nimirum quo unicum suum æstuantiùs dilexit, eò fructum passionis eius, qui mundi salus est cordialiùs optavit. Hæc autem nisi Spiritu S. adveniente, effici non poterat. Et hinc interim affectuosiùs, & super affectionem intimiùs precata, atque inflammata est Mater Virginea.* Hæc Dionys. de abundantia Spiritus S. ejusdemque charismatum, quæ DEIPARA in Pentecoste accipere merita est, deque causis tantæ donorum cœlestium superefluentiæ, quam in mortales omnes, ac præsertim suos clientulos communicat.

Sicut unũ peccatum disponit ad aliud, ita una gratia ad aliam.

Purissima B. V. sanctitas eam disposuit ad divinorum charismatum abundantiam.

Item decem dierũ oratio illa assidua cũ Discipulis

43. Vnde paulò ante citatus Pater Seraphicus Tom. 3. ser. 6. flam. 3. inter flammas Divini hujus Amoris, qui in corde Virginis velut ardentissima fornace exæstuabat, unam ex illis vocat: Communicantem. *Quia anima*, inquit, *philocapta in* DEO, *conatur communicare amorem illum cæteris omnibus, per charitatis aliarumq; virtutum opera, sicut ignis communicat flammam, & calorem omnibus circumstantibus, & Sol radios, splendoremq; suæ lucis toto orbe diffundit.* Idque confirmat exemplis. *Sic*, inquiens, *benedicta V. M. virtute Altissimi obumbrata post salutationem Angeli, amore Divino plena abijt in montana cum festinatione, & primo ardentis sui divini Amoris communicavit flammam S. Ioanni, tanquam ejusdem amoris magis capaci, ob sanctificationem in utero. Tum communicavit Elisabethæ, eam verbis illis salutando, ut ait S. Pater: Christus sit tecum.* Vnde Evangelista: *Vt audivit salutationem Mariæ Elisabeth repleta est Spiritu S. quem postea illa communicavit Zachariæ de communicatione, in communicationem,* de uno in aliud concludit S. Bernardinus.

MARIA Divinum Amorem cum alijs communicabat.

MARIA Divinum Amorem communicavit Ioanni Bapt.

Verum de harum communicationum effectibus audiamus Abbatem Rupertum, qui postquam Fluvium igneum, rapidumque commemorasset, addidit: *Ex tunc Thronus eius, id est, Ecclesia ejus, flamma ignis, & rota Evangeliorum eius, ignis accensus. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Licet hoc de Angelis intelligatur, tamen quia de genere humano negotium est, cujus sibi millia* DEUS *in Regnum, dignatione suâ acquisivit, sicut juvat continuari. Fluvio igneo rapidoq; egrediente à facie ejus* (addo ego, & à facie Virginis gloriosissimæ) *Millia millium ministrabant ei &c. id est, dato Spiritu S.* (qui etiam à Virgine aliquo modo procedere videtur) *innumerabiles homines qui priùs non erant ejus, per aquam, & per eundem renati spiritum, distributis ordinibus servire cœperunt Majestati ejus, alij per activam ministrantes ei, alij per contemplativam vitam assistentes ei. Et quia plures in activa ministrant, pauciores in contemplativa, benè indefinitâ quantitate dictum est; Millia millium ministrabant ei. Definitâ verò, de contemplativis: Decies millies centena millia assistebant ei.* Hæc Rupertus, quæ nos ad Beatissimam Virginem nostram transferre possumus. Verè enim Virginei hujus Fluminis emanatione, ejusdemque in electorum animas effusione, atque communicatione infinitæ, atque innumerabiles, tam contemplativam, quàm activam simul agentes vitam hominum myriades consurrexerunt, quæ Divini Amoris succensæ ignibus, sese DEO in holocaustum servitutis Divinæ sempiternum devoverunt.

Thronus Christi est Ecclesia.

B. V. Spiritum suũ communicando alijs, innumeros ad vitam cõtemplativam & activâ pertraxit.

44. Agnovisse videtur etiam B. Amadeus Episcopus Hom. 7. DEIPARAM Virginem non modò igneum quemdam esse Fluvium, ob Spiritum S. (qui ignis Divini Amoris est) in ipsa habitantem, eamque in se transformantem, verùm etiam ob ejusdem Spiritus charismatũ, virtutum, donorumque in Virgineo pectore exuberantiam, quâ, cùm DEIPARA, velut immensus quidam gratiarum Oceanus redundaret, ad instar Fluvij illius, de loco voluptatis egredientis, universum Ecclesiæ Paradisum, largissimâ benedictionum cœlestium emanatione, atque communicatione irrigavit. Cùm vis

B. V. Ecclesiæ Paradisum gratiæ suæ rigat.

enim B. quæsijsset Antistes, cur Deipara Virgo unâ cum dilecto Filio non statim, in cœlum auolârit, sed tandiu voluerit in terris nobiscum commorari; inter plures alias, hanc optimam reddit rationem: *Quia residens Virgo illa gloriosa in arce sublimissimâ virtutum, & pelago divinorum affluens charismatum, abyssum gratiarum, quâ cunctos excesserat, credenti, & sitienti populo largissimâ emanatione profundebat. Salutem namq; corporibus, & animis medelam afferebat, potens suscitare à morte carnis, & animæ. Quis unquam ab eâ æger, vel tristis, aut ignarus cœlestium mysteriorum abijt? quis non lætus, & gaudens redijt ad propria, impetrato à Matre Domini quod voluit? Mariæ præsentia gratam Veris temperiem exhibebat, & quo favens se verteret, Paradisus erat.*

B.V. pelago Divinorum charismatum affluebat.

Mariæ favores varij animabus ac corporib9 exhibiti.

Mariæ præsentia gratam ubiq; Veris temperiē exhibebat, & quasi Paradisum.

45. Ad hoc comprobandum refert illas Sponsi laudes Sponsæ suæ decantatas Cant. 4. *Emissiones tuæ Paradysus malorum Punicorum, cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum, cum universis lignis Libani, myrrha & aloës, cum omnibus primis unguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Quibus sanè verbis cœlestium gratiarum admirabiles in genus humanum à Deipara factæ describuntur communicationes, eisdemque continentur Virgineæ laudes sane eximiæ, cœlestibusque refertæ mysterijs, quæ idem Amadeus singillatim feliciterque enodare pergit: *Habet*, inquiens, *Paradisus gloriosæ Virginis mala Punica, in varietate virtutum, fructus pomorum, in perfectione operum. Habet & Cyprum, cum nardo; illam fertilem uuarum; hanc miri odoris herbam aromaticam, ob sobriam ebrietatem sensuum, & suaue fragrantem opinionem virtutum. His adduntur crocus lætitiæ, fistula expoliationis carnis, cinnamomum suavitatis, cum universis lignis Libani, per quæ virtutum universitas figuratur. Myrrha quoq; mortificationis, & aloë incorruptionis, cum omnibus primis ungentis effusis in oratione, ab illo unguento, scilicet, Spiritus Sancti quod consistens in capite, descendit in barbam Aaron, non illius veteris, & significantis, sed novi, & significati, nimirum Christi, descenditq; in oram vestimenti ejus, quod est Ecclesia. His ergò tot tantisq; bonis exuberans Sponsa, Sponsi Mater unici, suauis, & charissima in deliciis, ut fons hortorum rationabilium, & puteus aquarum viventium, ac vivificantium, donorum nempè Spiritus Sancti, quæ fluunt impetu de Libano, à monte Sion, usq; ad circumfusas quasq;, & exteras nationes, pacis flumina, & gratiarum emanationes cœlicâ infusione deriuabat.* Hanc porrò pacis uniuersalem abundantiam, Filij, Matrisq; beneficio toti mundo communicatam Davidis auctoritate confirmat, qui ubi dixisset: *Erit in diebus eius* (nempè Messiæ) *justitia & abundantia pacis;* mox de Matre subintulit: *Donec auferatur Luna: Luna*, inquiens, *ipsa est, quæ cœlo, terrisq; irradians, astris sanctorum longè superior coruscat. Tradit enim fides maiorum, iuxta veritatem historiæ, ab ortu Saluatoris usq; ad transitum Gloriosæ, terrarum accolas sopitâ armorum rabie, continuâ, ac tranquillâ pace quieuisse.* Hæc Amad.

Miræ B.V. gratiarū cœlestium cum hominibus communicationes.

B. V. tanquam fons hortorum & Puteus aquarum viventium in nationes etiam exteras pacis flumina, & gratias derivat.

Mariæ dum vixit pacem cōseruauit in mundo.

Maria Luna astris reliquorū sanctorum longè superior coruscat.

46. Ob hanc pacis, aliorumque donorum Spiritus Sancti, virtutumque omnium toti mundo à gloriosissima Virgine factam communicationem S. Bernardinus Sen. To. 2. ser. 3. P. 3. jure sanè merito *Virginem Mariam Optimam Proxenetam Diuini Amoris* (qui ipse Spiritus S. est) appellavit. Sanctus verò Methodius Martyr ser. de Deipara, eandem ob causam sine dubio, eam in hunc modum salutavit: *Salue Amoris DEI Patris Thesaure.* Et quis alius Dei Patris thesaurus est, quàm Filius, quàm Spiritus S. quàm Angeli, quàm homines justi, quàm tota rerum universitas? Cùm ergò & Filius & Spiritus Sanctus, reipsa in Virgine habitaverint, & perfectiones omnes Angelorum, justorumque, quin etiam creaturarum omnium totius Vniversi eidem fuerint communicatæ, quid mirum eam Amoris Dei Patris Thesaurum à gloriosissimo Martyre vocitari? De hoc tam copioso amoris thesauro à Deo Patre Deiparæ donato, Rupertus lib. 1. in Cant. eam sic in Domino gloriantem introducit: *Qui Verbum suum, quod est in corde suo mihi totum infudit, quomodo non etiam cum illo mihi omnia donauit.* Quasi dicat; donavit tunc mihi sine dubio etiam ipsum Spiritum S. qui idem cum Patre, Filioque secundùm essentiam est, donavit simul & gratias omnes tam invisibilis, quàm visibilis creaturæ, quicquid denique amplissimo, ditissimoque Divinitatis suæ continebatur Gazophylatio.

Maria optima Proxeneta Divini Amoris.

Maria Amoris Dei Patris Thesaur9.

Dei Patris Thesauri sunt Filius & Spiritus S. quos communicando B. V. suum eam effecit Thesaurum.

Devs Pater donādo Mariæ Filium, cū ipso quoq; ei omnia donavit.

47. Sed ad Fluvium igneum revertamur, quem Spiritum S. esse diximus, in quem admirabili quâdam metamorphosi transformatam quasi fuisse Deiparam, asseveramus. Quemadmodum enim ignis proprium est, calorem, lucemque

Spiritus S. est ignis Divini amoris omnes in se convertens.

cemque diffundere, & proxima quæque in se convertere. Sic sanè Spiritus S. qui Divini Amoris ignis est, potentissimus, pectore illo reclusus Virgineo, luce mirificâ cœlestis Sapientiæ illam irradiavit, accendit, & in se quantum humana natura patitur, transmutavit. Quod ut clariùs intelligatur, præmittendum tanquam certisimum, Amorem, ut ait Magnus Dionysius Areopagita cap. 4. de Divin. Nomin. *Vim, virtutemq; unitivam, atq; concretiuam esse.* Vnde ex hymnis amatorijs S. Hierothei, Amoris definitionem afferens: *Amorem dicimus*, inquit, *siue Divinum, siue Angelicum, siue intellectualem, siue animalem, siue naturalem, Vim quandam vnificam, atq; commiscentem, superiora quidem mouentem, ad inferiorum providentiam, rursus quæ sunt eiusdem ordinis ad communionem mutuam exhortantem, inferiora tandem revocantem, ut ad sublimia convertantur.* Quam amoris descriptionem Angelicus expendens Doctor 1. P. q. 19. ar. 1. ad 3. ait, *Actum amoris semper in duo tendere, in bonum scilicet, quod quis vult alicui, & illum cui vult bonum, propriè enim amare, est velle alicui bonum. Vnde in eo quod aliquis amat se, vult bonum sibi, & sic bonum illud quærit sibi unire quantum potest.*

Amor est vis unitiua & concretiva.

Amoris Natura.

Amor movet superiora ad inferiorum providentiam.

Atq; ita Amor etiam in DEO ipso, vis unitiua dicitur, absq; ullâ tamen compositione, quia bonum illud, quod sibi vult, non est aliud, quàm ipse DEVS, qui per essentiam suam bonus est. In hoc autem quod aliquis amat alium, vult bonum illi, & sic utitur eo tanquam seipso, referens bonum ad illum tanquam ad seipsum. Amor etiam dicitur Vis concretiua, quia alium aggregat sibi, habens se ad amatum sicut ad seipsum. Quare etiam Amor Divinus est Vis concretiua absq; compositione, quæ sit in DEO, in quantum alijs bona vult. Cùm ergo mutuus inter Divinissimum Spiritum, Virginemque purissimam, ijsque vehementissimus, & à primo conceptionis ejus, Deique Filij Incarnationis instanti, per indicibilem illam ejusdem Spiritus obumbrationem, amor intercesserit, quis dubitare poterit eam eidem Spiritui unitam, cum illo, ut ita dicam, concrevisse, simulque in unum quodammodo coaluisse, in Spiritualemq; illam Naturam quasi transijsse? *Amor enim Divinus*, ut præclarè jam memoratus ait Areopagita, *excessum efficit, dum amantes sui iuris esse non patitur, sed amatorum.* Quod ille rerum omnium probat exemplo, *Superiora enim*, inquiens, *inferiorum providentia sese dedunt; æqualia, conservationi mutua sese mancipant; inferiora deniq; Divina cuidam ad suprema conversioni sese devovent.* In quorum confirmationem, adduxit Apostolum à seipso in Deum, vi amoris excedentem. *Quapropter*, inquit Dionysius, *Paulus ille magnus, Divino amore iam occupatus, traductoriâq; huius amoris virtute comprehensus, ore Divinitus afflato, proclamat: Viuo iā non ego, viuit verò in me Christus. Tanquam verus amator, atq; in DEO extra se positus, viuensq; vitâ iam non suâ, sed vitâ Dilecti, ut admodum amabili. Effectûs enim amoris sunt, amantes extra se ponere, & quasi de statu proprio dimouere*, inquit idem Areopagita, *nec sinere illos esse suos, sed eorum quos amant.*

Amoris Divini Vis concretiua quia aliū aggregat sibi.

Amor Divinus est Vis concretiva in quantū alijs bona vult.

Amor Divinus excessum efficit.

Amoris Divini Vis i S. Paulo, eum extra se posuerat.

48. Quemadmodum ergo lignum quodpiam igne correptum ex naturæ suæ limitibus excedens, in ignem transmutatur: Sic Virgo Deipara à Spiritu Divinissimo, qui ignis est, & charitas, perfectè possessa in Divinum amoris ignem, est ita conversa, ut revera videretur hæc transmutatio esse illa Aristotelica; *Transitus de quodam in quoddam.* Seu: *Mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, ut subiecto eodem.* De quâ in Spiritum mutatione jure merito canere posset David: *Hæc mutatio dexteræ excelsi.* Divinæ quippè virtutis solius est hominum animos, mentesque, amoris vi, atque virtute Deo unire, in eundemque transformare. Quod agnovisse, visus est Sapientum ille Princeps Plato, dum libris de Republica, memorat duos aliquando amantes in solitudine quâdam circumeuntes, casu incidisse in Vulcanum, eundemque obsecrasse, ut fabrili suâ, Divinâque arte, eos in suam conijceret fornacem, quo ambo in unum quid conflari, in unum, idemque possent simul coalescere. Verùm quod nec fabulosus Ignipotens, nec ulla humanarum artium efficere unquam potuit, verus ille à Deo, cœlo demissus in terram Ignis, quem voluit in cordibus mortalium accendi, verus Ignipotens, Amor cœlestis fabrorum potentissimus patravit fœlicissimè, Virginemque sacratissimam, velut purissimum, preciosissimumque aurum, fornace sui amantissimi cordis, quasi reclusam in se transtulit, sibi univit, in se denique, quodam mirabili artificio, transformavit, adeò, ut non aliud quàm Divinus Ignis, non aliud quàm Divinus Amor, atque adeò ipse

M. in Divinum Amorem transformata.

B. V. Vi Amoris Divini passa est quasi Trāsmutationem.

Vulcanus duos amantes in suam fornacem conjectos in unum compegit.

Ignis Spiritus S. Deiparam in se convertit, sibiq; univit.

DEI Spiritus videretur.

49. Vnde Rupertus cùm lib. 10. de Divin. Offic. cap. 15. quæsijsset, cur Ignis potissimum Spiritui sancto, non autem Patri, aut Filio appropriaretur? respondit: *Amor Dei Spiritus est. Amor autem tam spiritualis, quam carnalis rveera ignis dicitur, & est, adeò sensibiliter calens, ut nemo amantium calorem eius nesciat. Et licet DEVS inuisibilis, atq; incorporeus ignis sit, iuxta illud Apostoli: DEVS noster Ignis consumens est. Verùm tamen ubi Personarum distinctione opus est, cum quid, cuiusq; Persona sit proprium, distinguimus, sicut DEVM Patrem vitam in se immortaliter viventem: Filium verum, & incommutabilem Sapientiam, per quam uniuersam condidit creaturam: Sic Spiritum Sanctum dicimus Amorem eius, per quem concupiscit, & inhabitare appetit rationabilem creaturam. Qui Amor quasi ignis, imò ut verè ignis ad eamdem appositam sibi tendit rationalem creaturam, sicut ignis hic visibilis semper in appositam tendit competentem sibi materiam. At illo igne, quo conflatur, non consumitur creatura, sicut hoc igne visibili consumuntur ligna, fœnum, stipula, sed quemadmodum aurum & argentum hoc igne liquescunt, neq; consumuntur, sed persistunt, & puriora sunt; sic illo igne, illo camino, qui est in Hierusalem Beati cuiusq; rationalis creatura* (atque adeò potiori jure dixerim ego Beatissima DEI Parens) *inconsumptibiliter liquescit, incendio huius amoris, semper pura, semper liquida, semper ardens amore, semper fruens DEO amatore, desiderando, non indigens, fruendo, non fastidiens.*

Cur Ignis Spiritui S. maximè appropriari soleat?

Spiritus S. est Amor Dei, per quem appetit rationalem habitare creaturã.

Igne Divini amoris conflatur, non consumitur creatura.

His ergo Divini Amoris ignibus, ac flammis adeò gloriosissima Virgo inconsumptibiliter tota ardebat, ac colliquescebat, ut non aliud quàm ipse ille Ignis Divinus videretur. Intellexit hoc B. Ildephonsus ser. 1. de Assumpt. quando exhortans suos Auditores ad imitationem hujus Virgineæ charitatis, dicebat: *Vnde quæso vos ò Filij, imitamini Signaculum fidei vestræ, Mariam Beatam, quam, velut ignis ferrum, Spiritus S. totam decoxit, incanduit, ignivit, ita ut in ea Spiritus S. flamma tantum videatur, nec sentiatur, nisi ignis amoris DEI, cuius animam in passione Christi pertransiuit gladius, & in cunctis angustijs decoxit feruor Divini amoris.*

M. Divinus Amor totam decoxit, incanduit, ac ignivit.

De hoc Virgineæ Charitatis incendio præclarè B. Laur. Iustin. ser. de Purif. B. V. *O quantum Maria crescebat in fide, augebatur meritis, Sapientiâ illustrabatur, & magis, magisq; charitatis cremabatur incendio!* Idem serm. de Annunciat. affirmat Mariam dulci Charitatis incendio concrematam.

M. Charitatis cremabatur incendio.

50. Neque verò mirum ulli videri debet Virginem sacratissimam, Ignis illius Divini, corde ejus exæstuantis beneficio, in eumdem Ignem commutatam atque DEIficatam esse. Certè DEUS ter Opt. Max. promisit olim Hieremiæ Prophetæ cap. 15. ob peccatorum conversionem præmium illud planè singulare: *Si converteris,* (seu ut legit Chaldæus: Si revocaveris impios ut sint justi) *conuerte me, & ante faciem meam stabis: Si separaueris preciosum à vili, quasi Os meum eris.* Quasi dicat: Si tu, ò Hieremias scelератos peccatores tuâ prædicatione in Iustos & Sanctos converteris, convertam ego quoque te in esse quoddam Divinum, ita ut quemadmodum Filius meus dilectus, & Sanctus ipse Spiritus sunt semper ante faciem meam, imò ego in illis, & illi in me: sic tu quoque Divinas hascé proprietates æmulaberis. Et si preciosam Animam, Filij mei preciosissimo sanguine olim redimendum, à peccati vilitate, & sordibus separaveris, quasi Os meum eris, eris, inquam, ad instar mei æterni Verbi, quod de ore meo egrediens, Mundum ex nihilo creavit; sic tu quoque de nihilo peccati eductum hominem, recreabis. Quasi Os meum eris, in Spiritum meum Divinissimum transformaberis, qui etiam Os meum dicitur, quia per illud tanquam uberrimum Fontem, fluẽta Doctrinæ cœlestis in Mundum emanârunt, fuitq; Os Prophetarum omniũ.

Præmia Viris Apostolicis promissa.

Quasi Os meum eris, eris, inquam, mecum unus, idemque Spiritus, perindè, ac Sponsa cum Sponso est os, ex ossibus ejus, & caro de carne ejus; & quemadmodum sunt duo in carne una, ita tu quoque eris mihi unitus in uno Spiritu. Quod si Viri Sancti animarum Zelatores, ex conversione peccatorum, & ipsi in DEUM quodammodo convertuntur, adeò, ut in se Divinissimas illas Personas Patris, & Filij repræsentare videantur: Quantò magis Sanctissima Virgo DEIpara, quæ adeò totius Mundi salutem ardenter desideravit, ut pro ea dilectissimum Filium in mortem tradere, nostræque salutis pijssima Mediatrix apud DEUM fieri non dubitârit? Adeò etiam semper Spiritui Sancto fuit unita, ut à primo instanti ejus immaculatæ

M. quod animarum salutis fuerit zelantissima in DEUM quasi trãsformata.

Conce-

Conceptionis, in ea cum omnium gratiarum plenitudine inhabitârit? Vt non immeritò etiam eam, ante sempiterni Verbi Incarnationem salutârit Angelus: *Ave gratia plena, Dominus tecum.*

51. Hanc Divinissimi Spiritus in Virgine gratissimam, deliciosissimamq; inhabitationem, jure merito ejusdem Spiritus Osculum nuncupare possemus, per quod in Spiritualem, Divinamque quandam Naturam mortalium Animæ transmutari consueverunt. Vnde Divus Gregorius Papa verba illa exponens Sponsæ: *Osculetur me osculo oris sui;* Sponsam sic loquentem introducit: *Ille, quem super omnia, imò solum diligo, veniat, qui dulcedine suæ inspirationis me tangat, quia cùm eius osculum sentio, subità mutatione me derelinquo, & in eius similitudinem illicò liquefacta transformor. Fastidit quippè sancta mens omnia, quæ per corpus sentit, & in illa spiritualia tota transmutari concupiscit.* Liquefacta sanè fuit purissima illa Divæ Virginis Anima, velut cera quæpiam ad hujus Divinissimi Amoris ignis præsentiam, adeò ut ejusdem Amoris similitudinem, ut suprà dictum, mirificè expresserit.

Spiritus S. in anima habitatio, Osculum ipsius dici potest.

M. Osculo Divino Imaginem SS. Trinitatis in se expressit.

52. Neque verò solùm Amoris Notionalis in se sacratissima Virgo, castissimi illius Osculi postulatione, verùm etiam totius sanctissimæ Trinitatis Imaginem efformavit. Quâ de re Gerson Cancellarius præclarè disseruit Tract. 2. super Magnif. Postquam enim dixisset labia Sponsæ, esse intellectum & affectum, mox addidit: *Quos, cùm Spiritus S. Osculum Patris, & Filij inspirando connectit, & osculatur illabendo, fit mens tota Deiformis, & conformis beatissimæ Trinitati, fit Trinitatis nobile Triclinium. Itaq; fit eius memoria fœcunda Parens Verbi, cùm acies intelligentiæ convertitur super ipsam, ex qua simili conversione spiratur amor communis unius, & eiusdem voluntatis. Hæc est Species, & Imago pulcherrima, conformata, & assimilata Divinæ Trinitati, quæ per gratiam est id ipsum quod DEVS per naturam. Exultabat ad hanc assimilationem pertingere Spiritus MARIÆ suspirans, & æstuans assiduè, desiderio Sponsi sui.* Tandem docere volens Vir pijssimus, consummatione Matrimonij istius Spiritualis, Imaginem sanctissimæ Trinitatis, & specialiter Increati illius Amoris, qui Spiritus S. est, in Virgine perfectissimè exprimendam, eandem inducit ad petendam absolutissimam hanc, castissimamque consummationem: Vbi enim Sponsæ postulationem illam iterasset: *Osculetur me osculo oris sui;* Virginem alloquens, attexuit verba hujusmodi, quæ Divini Amoris incendia, corde illo sacratissimo delitescentia, indicant: *Quid quæris, ò Beata? Quid Osculum Sponsi petis, ò benedicta? quid est illud Osculum nisi Spiritus S.? qui utiq; supervenit in te, quando virtus Altissimi obumbrabit tibi; imò iam præierat, nec postmodum recessit à te, quia Dominus semper tecum. Sed quid affectas, ò pulcherrima Mulierum? Sentio quid requiris, etsi dissimulare videaris verecundiâ Virginali. Thalamo Sponsi proxima es, gaudens Osculo oris, sed & leva eius sub capite tuo, & inter ubera tua commoratur, te amplexans, te osculans, quid tibi vis ampliùs? Certè nondum subintroisti secreta cubiculi silentia, ubi fœdere perpetuo, matrimonium consummetur. Inquieta es donec introducat te, & tu illum in Domum Matris tuæ, & in Cubiculum Genitricis tuæ. Et quæ est ista Mater tua? Nisi Divinitas sua, utiq; omnium Creatrix, & Gubernatrix. Et quæ Domus eius? quæ alia nisi æternitas amplissima? Quod deniq; Cubiculum, nisi Sinus Altissimus DEI Patris, in quo Sponsus tuus quiescit, perenni fœlicitate. Hoc Cubiculum intrare, in hoc quiescere, delectari, fœcundari desiderabunda suspirans, pensabas quale sit illud. Ecce nunc, ò Beata, quod sperasti, iam tenes, quem desiderasti, possides, quem credidisti, vides, quem dilexisti, tota complectens, ipso secura frueris in æternum.* Hæc ille de perfectissimo amore, quo Osculo Spiritus sancti suaviata, exarsit DEIpara, in via, & in Patria.

Labia Sponsæ sunt intellectus & affectus

Spiritus S. est Osculũ Patris & Filij.

B. V. Osculum Spiritus S. petendo, intimè uniri cũ Sponso desiderat.

53. Hoc Divini Amoris igne succensum Cor Virginis, videbatur quoddam Altare Thymiamatis, de quo præceperat Dominus Lev. 6. *Ignis in Altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna manè per singulos dies.* Quod præceptum considerans D. Bernardinus Senen. Tomo 1. ser. 15. ar. 1 cap. 2. *Quid per ignem*, inquit, *nisi ardens dilectio Dei, intelligitur? Altare verò, quasi alta res, altitudinem humani cordis* (dicam ego Virginei, quod verè immensum ob charitatis immensitatem dici potest) *demonstrat.* Nutriebat etiam velut Sacerdos ille antiquæ Legis, hunc Ignem Beatissima Virgo, quia, ut idem S. Pater ait; *Mens Virginis in ardore continuæ dilectionis tenebatur.* Neque verò solùm DEIpara Altare quoddam fuit, assiduo Divini Amoris igne succensum, verùm etiam Holocaustum ipsum, ipsumque Thymiama gratissi-

Cor M. Altare Thymiamatis.

Alare dicitur quasi alta res

tissimum, virtutum omnium odorem, non solùm in cœlum ante conspectum Divinæ illius Majestatis exhalans, verùm etiam in tota ejus Ecclesia militante, ut non immeritò Angelicæ mentes unà cum reliquis cœlestis patriæ civibus stupore defixæ, ad se invicem clamitarent Cant. 3. v. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut Virgula fumi ex aromatibus myrrha & thuris, & universi pulveris pigmentarij?* Quæ verba trutinans B. Ildephonsus Archiepiscopus Tolet. ser. 4. de Assumpt. *Quoniam in ascensu eius*, inquit, *multa flagrabant ornamenta virtutum, incendio Divini concremata amoris, ideò quasi virgula fumi, Virga illa de radice Iesse dicitur ascendere. Gracilis quidem, & delicata, ex aromatibus universi pigmentarij pulveris, sed conflagrata incendio Charitatis. Et ideò benè in modum Virgulæ fumi, ex aromatibus, quia facta est in Holocaustum DEI, quæ odoramenta virtutum spargebat de se, usq; ad cœlos, & non qualiacunq;, sed universi pulveris pigmentarij. Vnde admiratio illa Angelica non de Virginitate sola, quæ fuit singularis in Maria, sed de immensitate gratiæ venit, quia universæ virtutes in ea spargebant, ex incendio Divini Amoris suavitatem odoris, ita ut in ea esset forma, non solùm Virginum, verùm etiam omnium Ecclesiarum DEI. Quoniam Virginitas, & Vita B. M. Speculum, & Species fuit totius castitatis, & Integritas virtutum, Decus pudicitiæ, & Magisterium valdè eximium probitatis.* Vt porrò ostendat hoc Amoris Divini in corde Virgineo ardens Holocaustum suavissimum, undequaque odorem diffudisse, mox idem S. Antistes conversus ad Virgines, ad imitandas virtutes, quas exhalabat, easdem adhortatur, eisque sacratissimam Virginem, velut viam ad eas consequendas demonstrat: *Habetis ergo Virgines*, inquiens, *egregij Magisterij Formam, habetis Exemplar in ea perfectæ Virginitatis. Ecce Via, quâ pergere debetis, ecce Beatitudo, & Gloria, ad quam pervenire vultis.* Verè enim Charitatis Virgineæ, cæterarumque Virtutum Imitatio, Delibatio quædam est suavissima sempiternæ illius Beatitudinis, ac Gloriæ, ad quam omnes pervenire anhelamus.

M. Virgula fumi ardens igne Charitatis.

M. per Charitatē facta tota Holocaustum Deo

Vita, ac Virginitas M. Speculum fuit castitatis & integritatis virtutum omnium.

B.V. egregij Magisterij Forma, & Exēplar perfectæ Virginitatis.

54. Incendium hoc Divini Amoris in pectore B. Virginis exæstuans, eamq; penitus in se convertens, Columna Ignis, quæ per desertum, Israëliticum populum in terram lacte, ac melle manantem introduxit, figuravit. Quemadmodum enim Columna illa, per noctem ad instar Solis, Israëlitis & lucem porrigebat, & calorem: sic gloriosissima Virgo in nocte hujus fallacis, & plusquam Cimmerijs, Ægyptiacisque tenebris circumvallati sæculi, omnibus ad terram illam viventium, terram verè lacte, ac melle sempiternarum deliciarum manantem, tendentibus, velut Columna ignis, vel Sol pulcherrimus illuminat mentes, succendit affectus. Hinc Salomon Sap. 8. Solem, Columnam illam nuncupavit: *Solem sine læsura boni hospitij præstitisti eis.* Ac si clarius dixisset: Quod Sol de die præstare mortalibus consuevit, hoc tua, Domine, illa faciebat Columna ignea, lucem, videlicet & calorem fundendo, absque ulla tamen læsione, temperatum, adeò, ut eis Columna illa ignis, ubicumque substitissent bonum, in noctes singulas, præberet hospitium. Cùm enim noctis præcipua sint incommoda tenebræ, & frigus; hæc sanè mirificè Columna illa, veluti Sol, omni noxiâ carens influentiâ, totâ illâ peregrinatione arcebat. Quare Andreas Cretensis Orat. 2. de Dormit. Deip. lucidissimæ hujus Columnæ, cœlesti stupefactus splendore, exclamavit: *O Columna vivifica per lucem deducens non carnalem Israëlem, qui fugatur, sed spiritualem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, eum Divinis illuminans facibus.*

M. Columna Ignis ardens, & lucens.

Columna Ignis, Sol dicitur bonum hospitium præbens, noctis arcendo tenebras, frigusque.

M. Columna vivifica luce suâ nos ad cœleste patriam deducens.

55. Agnovit hujus luminosæ ardentisq; columnæ Divinos planè effectus Seraph. Bonau. c. 3. in Speculo: *Per Virginem*, inquiens, *in nocte hujus sæculi illuminati sunt spiritualiter, sicut quandoq; Filij Israël per columnam ignis illuminati sunt corporaliter, iuxta illud Psal. 77. Deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Maria est nobis Columna nubis, quia tanquam nubes protegit nos, ab æstu Divinæ indignationis, & Diabolicæ tentationis. Vnde dicitur in Psalmo: Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem. Maria quoq; Columna est ignis illuminans nos, imò illuminans mundum multis misericordiæ suæ beneficijs.* Quare jure merito Virgo DEI para, ob insignem pietatem, amorem, ac misericordiam in universum genus humanum, appellari potest *Columna illa Ignis & Nubis, per quam Dominus olim in vigilia matutina respexit super castra Ægyptiorum, & interfecit exercitum eorum, & subvertit rotas curruum, ferebanturq; in profundum*, ut loquitur Moyses

Maria Columna nubis protegens ab æstu divinæ indignationis.

Maria Columna ignis illuminans mundum misericordiæ suæ beneficijs.

Moyses Exod. 14. Verè enim per Virgineam hanc Columnam ignis & nubis, tanquam per cœli fenestram in nostras ærumnas, miseriasque, quibus impugnamur, atq; conflictamur prospiciens Dominus, nobisque benignissimum, desideratissimumque vultum suum ostendens, charitate, ac pietate Matris, ad misericordiam, ejus commoventur viscera adeò, vt peccata nostra tanquam nigerrimos, atq; abominabiles nos persequentes Ægyptios demergat in profundum maris, omniumque inimicorum nostrorum subvertat insidias, atque pessumdet. Verè Columna miseris mortalibus esse consuevit semper patrociniū, auxiliumq; Deiparæ, cui innixi contra omnes ferocissimos Tartarearum potestatum impetus inconcussi persistimus. Cùm enim tentationibus mundi, aut carnis quatimur vehementiùs, cùm ejus illecebris delinimur, cùm noxio calore adurimur, Columna nubis est nobis Deipara, harum cupiditatum æstum attemperans. Cùm verò torporis gelu quodam, langioreq; in via Diuini obsequij constringimur, mentisque caligine quâdam fuscamur, ne virtutis pulchritudinem, vitiorumque deformitatem perspiciamus, Columna ignis est nobis Deipara, luce suâ illuminans intellectum, calore Diuini amoris inflammans affectum.

Per Mariā velut per fenestram de cœlo Dominus respicit miserias & afflictiones nostras.

56. Hoc eodem Diuini amoris igne succensa Deipara, ardebat adeò, ut aspectus ejus mysticis illis, sacrisque Ezechielis animalibus videretur quam simillimus. Eorum autem qualis fuerit declarat idem Propheta: *Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. in medio animalium splendor ignis, & de igne fulgur egrediens, & animalia ibant & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Ezech. 1. Ardebat etiam ad instar mysticorum Pedûm Christi, de quibus Dilectus Discipulus Apoc. 1. *Pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti.* Sive enim per hoscé Pedes Viros Apostolicos per mundum universum discurrentes evangelizantes pacē, euangelizantes bona, ut vult Arethas; siuè sacratissimam Christi humanitatem nostri amoris igne succensam, intelligamus, ut vult Rupertus; jure meritissimo dicemus Virginem gloriosissimam hoc eodem amoris igne perinde propemodum inflammatam fuisse, ac Humanitatem dilectissimi Filij. Iure etiam meritissimo fatebimur Deiparam Sanctissimam magis hæc Divina exarsisse charitate, quàm omnes Discipulos, quā Euangelistas, quàm Apostolos, quàm reliquos Viros sanctos, quam omnes Angelorum choros, quàm denique ipsos Cherubinos, atque Seraphinos, qui ab ardore Divinæ charitatis, ob intimam cum Deo vicinitatem, atque unionem nomen invenerunt.

B. V. charitate similis mysticis animalibus Ezech.

Pedes Christi Apostoli, & ipsius Humanitas.

Maria ardore charitatis Humanitatē Christi æmulata.

Maria maiore arsit charitate quàm ullus vir sanctus vel Apostolus vel Euangelista.

Maria charitate superavit Seraphinos.

57. Vnde non immeritò B. Amadeus Hom. 8. circa finem cum eandem Deiparam paulò ante cherubinis ob plenitudinem scientiæ, amantemque ejus in genus humanum providentiam contulisset, Seraphinis postea quod amore succensa, volatu citissimo senas illorum Beatorum spirituum alas longè superante, mortalium miserijs, ærumnisque succurrat, comparavit. Cùm enim præmisisset hæc: *Notandum verò, ac solerter intuendum quanto affectu, quantaúe benignitate cognatos sibi puritate animi, complectitur & diligit, quæ homines nequam, ac sceleratos, suo interventu à morte peccati, & æternis doloribus incessanter absolvit. Gemina quippè dilectione rutilans & insignis, hinc in DEUM ardentissimè figitur, cui adhærens unus spiritus est, hinc electorum corda blandè consolatur, & attrahit, eisq; Nati largitate optima dona partitur.* Cum, inquam, hæc præmisisset, statim de charitate Virginea Seraphicam illam longè excedente, subjecit: *Motu ergo celerrimo, senas Seraphin alas excedens, nunc in fonte vitæ fruitur amore Deitatis, nunc terras signis, & virtutibus illustrans, ubiq; suis, ut Mater jucundissima, & mirificentissima occurrit. Quosdam præsentiâ suâ subactis vitijs reddit victores, quosdam pio interuentu, magnarum virtutum facit compotes; quibusdam intima contemplationis pandit sinum; alijs in exitu vitæ iter præbet securum, ut nulla deterreat virtus aduersarij, quibus ducatum præstat ad Christum Mater Vnigeniti DEI.*

B. V. homines nequam, ac sceleratos suâ interventione à morte peccati liberat, & ab æternis doloribus absolvit.

Maria gemina dilectione Dei & proximi rutilat.

Maria in nobis adiuvandis celeritate suâ senas Seraphin alas vincit.

Maria hominibus in exitu vitæ iter præbet securum.

58. De eadem Virginis ardentissima Charitate, quâ Seraphicam post se, ob Dei generationem longè relinquebat Naturam, audite Andream Hierosolymitanum Cretensium Antistem, Virginis devotissimum ser. 2. de Annunc. *Virgo*, inquit ille, *ipsorum Seraphin vincens naturam miraculo DEI generationis, prima natura proximè accedens ad DEUM Opificem omnium generationum.* Celerrimum hunc, Seraphicumque Deiparæ motum, quo & illuminare & accendere mortales omnes consueverat Vener. Beda ser. de

B. V. ipsorum Seraphinorum vicit naturam.

Nat. B. V. declaravit, ubi explicans dona, gratiasque Elisabethæ & Ioanni, benignissimâ illâ suâ visitatione effusissimè communicata: *En*, inquit, *quam miranda, quam cita Spiritus Sancti operatio. Nulla quippè in discendo mora est ubi Spiritus Sanctus Doctor adest. In uno eodemq; momento cum voce saluntatis gaudium nascitur infantis, quia dum vox ad aures peruenit corporales, virtus spiritualis cor intravit audientis, nec solùm Genitricem, sed & Sobolem amore Domini advenientis accendit.*

Spiritus S. operatio velox.

Mariæ vocis efficacia.

59. Verùm quid mirum Virgineam vocem tam citam, tam efficacem habuisse vim, ac energiam, cùm D. Bernardinus Sen. septem illa verba, quæ Deiparam protulisse commemorant Evangelistæ, flammis ardentissimæ cujuspiam fornacis, sicut & cor Virginis, ipsi exæstuanti fornaci comparare non dubitavit? To. 3. ser. 9. Vbi enim præmisisset Salvatoris verba Matth. 12. *Bonus homo, de thesauro cordis sui profert bona;* Mox subtexuit: *Quis autem inter puros homines, melior homo potest excogitari, quàm illa, quæ meruit effici Mater DEI, quæ novem mensibus in corde, & in utero suo ipsum DEVM hospitata est. Quis thesaurus melior, quàm ipse Divinus Amor, quo fornaceum Cor Virginis ardens erat? De hoc igitur corde quasi de fornace Divini ardoris, Virgo Beata protulit verba bona, verba ardentissima charitatis. Sicut enim è vase optimo vino pleno, non potest exire nisi optimum vinum; & è fornace summi ardoris non egreditur nisi incendium feruens: sic à Christi Matre exire non potuit verbum, nisi summi Divini amoris, ardorisq;.* Hæc Bern.

Mariæ septem verba sunt flammæ ardentissimæ.

Mariæ Cor fornax igne Divini amoris exæstuans.

Mariæ Thesaurꝰ Amor Divinus.

A Christi Matre exire non potuit verbum, nisi summi Divini amoris, ardorisque.

60. Idem hoc Cor Virginis B. Laurentius Iustin. Patriarcha Venet. lib. de Discip. Conversat. Monasticæ c. 15. fornaci similiter incendijs Divini Amoris æstuanti, vasique cœlestibus aromatis, unguentisq; refertissimo contulit, quod ubi Virgineum illud suum potissimum modulando Canticum, reservavit, mox odore suauissimo totum Orbem recreavit, luce mirificâ illustravit, calore vehementissimo succendit: *Quemadmodum*, inquiens, *ignis quantò magis in unum colligitur, tantò ampliùs nutritur, & flammas evaporans, sursum impetuosiùs erumpit: ita & mens cùm diutius intra se commorata fuerit, & ardentiùs per amoris incendium urit in se, & per desiderium elevatur in DEVM. Sed si tunc verba quædam protulerit, tota ignita, sapientiæ nectare condita, veritatis splendore irradiata, & divinarum laudum suauitate plena erunt. Sic Matrem DEI gloriosam egisse legitur. Nam post spiritualem & Angelicam Salutationem, post Verbi ineffabilem ex se Incarnationem, post desideriorum humilium ardorem, & innumerabilium gratiarum exhibitam DEO actionem, post Elisabeth tacitam Salutationem, tanquam plenissimum vas odoramentorum cœlestium in se nimiâ ardens charitate, cùm os sanctissimum aperire cœpit, eructauit Canticum illud eximium, Canticum æternis iubilationibus plenum, & Sacramentis multum refertum: Magnificat &c. Nec mirum nam tacentes & orantes, Dominus, ut plurimum visitare dignatur.* Hæc Iustin.

Mariæ Cor aromatis, unguentisq; preciosissimis plenissimum.

M. ex ignito corde, verba Divini amoris igne accensa proferebat.

Mariæ Canticum suavem per orbem odorem sparsit.

61. Ob eximiam hanc, quâ Virgo Deipara tam mirificè Spiritus Sancti flagrabat charitatem, Sancti Ecclesiæ Patres eam conferunt Rubo illi, Divino igne undequaq; circumsepto, qui Moysen in tantam rapuit admirationem, ut diceret: *Vadam & videbo visionem hanc magnã, quare non comburatur Rubus?* Exo. 3. Vnde S. Chrysippus Presbyter Hierosol. Hom. 2. de B. V. eandem sic salutavit: *Aue Rube ardens igne spirituali, qui nusquam tamen adureris.* Qui sanè spiritualis Ignis, aliùs non est, quàm ipse Spiritus Sanctus, quam essentialis Amor Verbi, quod in Virginis utero carnem assumens, eandem suo ardore totam adeò igniuit, ac circumsepsit, ut ignita quædam Planta cœlestis, ac prodigiosa in terris transplantata videretur. Intellexit Rubum hunc Divini, essentialisque Amoris igne vehementissimo ardentem, esse Deiparam, S. Bonaventura c. 11. speculi: *Dicitur*, inquiens, *in Exodo quod Rubus, absq; combustione ignitur. Christus est ignis accendens affectum, ut ait Apostolus: DEVS noster ignis consumens est. Hic ignis non solùm fuit in Rubo uteri Virginalis, sed etiam in Rubo deuoti cordis;* in quo Dei Filius placidissimè tanquam in suo naturali loco, utpote Lunæ sphæra requievit. Quare D. Bern. Senen. To. 3. ser. 11. art. 2. c. 1. explicans verba illa Psalmi: *Surge Domine in requiem tuam; Vocant*, inquit, *Beatam Virginem gloriosam, requiem Christi, non tantùm, quia in ea nouem mensibus requieuit, verùm etiam, quia plus per quietum amorem requieuit in ea, quàm in tota alia creatura rationali, sicut ipsa Beata Virgo testatur: Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.*

Maria Rubus ardẽs igne spirituali.

B. V. post Incarnatione Verbi facta ignita quædam Planta cœlestis.

M. Requies Christi, quia plùs requievit in ea per quietum amorem, quàm in tota creatura rationali.

62. Est etiam spiritualis Ignis ille Notionalis, seu Personalis Amor, ipse scilicet, Spiritus Sanctus, qui in Virginem superueniens, eamq; virtute suâ obumbrans,

M. Igne Notionali circumdata ex se humilis, fuit exaltata.

Maria in oculis suis virgultum sine fructu, in oculis verò Dei Arbor ingens & fructifera.

brans, igne suæ Divinæ charitatis undequaque circumdedit. Cumque in oculis suis humillima Virgo, virgultũ quoddam, seù rubetum, nullius frugis, ac fructus sibi videretur, in oculis tamen DEI erat germen electum, ac Divinum. Vnde DEI fauore, gratiarum imbribus irrigata, benignis cœli influxibus afflata, in ingentem quandam Arborem, cacumine suo cœlos attingentem, Orbemq; terrarum uniuersum obumbrantem meruit transmutari. Cujus Arboris pulcherrimæ Seraphicus Bonau. cap. 5. in speculo Sublimitatem, atq; amplitudinem demirans exclamavit: *O quam latè, quam longè, quam altè Arbor illa Beatæ Virginis* MARIÆ *ramos suos extendit! quam latè, ad homines, quam longè ad Angelos, quam altè ad DEVM!* Et sanè magna, imò & immensa quædam Arbor debuit esse Virgo sacratissima, utpotè quæ immenso illo atque infinito essentiali Verbi, & Personali Spiritus Sancti Amore, velut igne spirituali in ipsa quiescente fuit circumdata. Ad quam infinitam, immensamq; illam magnitudinem, incomprehensibilis Divinæ Maternitatis dignitas eam provexerat. Quæ sanè tanta est, tamq; sublimis, ut B. Thomas de Villanova ser. 3. de Nativ. dubitârit, an ipsa DEipara eam capere valuerit. Cùm enim verba illa ponderaret Virginis: *Fecit mihi magna qui potens est;* attexuit: *Sed quæ magna? Nescio an ipsamet valuit suam comprehendere magnitudinem.* Hæc enim summa illa est Gratia, quam Virgo invenit apud DEVM. Quam B. Andreas Cretens. Epis. ser. de Annunc. contemplans, admiratione perculsus exclamavit: *Inuenisti Gratiam apud DEVM, qualem non est nactus quisquam ab æterno sicut tu. Quæ enim talis sit Gratia DEI, quæ summum favorem mereatur, concipere nempè in utero, & DEI parere Filium? Papæ rem admiratione dignam!*

Maria Arbor altissima atque latissima.

Divina Maternitas summa dignitas ipsi Mariæ incomprehensibilis.

Divina Maternitas summa est Gratia à sola Maria inventa.

62. Rubi hujus Mariani Divinas flammas, atque incendia inter alios præclarè sanè explicuit B. Amadeus Hom. 3. Postquam enim quæsijsset ex DEipara Verbo illo Divinissimo fœcundata, & ad eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem evecta: *Rogamus te Domina DEI Mater dignissima non asperneris petentes cum tremore, quærentes ex pietate, pulsantes cum charitate, rogamus, inquam, quo affectu movebaris, quo amore tenebaris, quibus stimulis agitabaris, cùm hæc fierent in te, & Verbum carnem susciperet ex te? Vbi erat anima tua, ubi cor, ubi mens, ubi sensus, ubi ratio?* Illico subintulit: *Ardebas ut Rubus, qui olim ostensus est Moysi, & non comburebaris, liquefiebas, & non consumebaris. Ardebas liquefacta supernis ignibus; liquefacta in igne vires resumebas ab igne, ut semper arderes, & interim liquefieres. Ignis ille rorem luminis exhibuit, ros luminosus unctionem præbuit, & unctio semen sanctum præstitit; in quo repromissum est Abrahæ, quod in eo benedicerentur omnes gentes. Hæsisti enim Virgo pulcherrima strictis amplexibus Auctori pulchritudinis, & effecta plùs Virgo, imò plusquam Virgo, quia Mater & Virgo, hoc sacrosanctum semen Deificâ infusione suscepisti.*

Mariæ Divina charitas quãta?

Miri Divini Ignis effectus in Rubo Virginali.

63. Agnovit in Rubo hoc gloriosissimam DEI Matrem Divinitatis flammis coruscantem, atque ardentem Magnus ille Imperator Leo dum eam Homilia 7. salutat: *Salue ò Rube, per quem cœleste Mysterium est manifestatum, quia cum Divinitatis ille ignis, qui sustineri, & comprimi nequit, humanam materiam comprehendisset, luminis quidem communionem immittit, at neq; comburit, neq; absumit Naturam, Divinitatis flammâ circumdatam.*

Quid B. Hesychium Presbyt. Hierosol. commemorem? qui ser. 2. de DEip. varias Virgini attributas laudes recensens; *Alius,* inquit, *Deiferam dicit, alius comparat cum Rubo ardenti, qui tamen non exuritur;* ut subindicet & Verbi, & Spiritus Sancti Divinitate, velut flammis arsisse Virginem DEiparam, absque ullâ sui læsione. Quid demum sanctum commemorem Epiphanium, qui DEiparam non modò, ut Rubum, amore æterni Verbi, velut igne Divino ardentem, verùmetiam ut Clibanum, seù fornacem quandam ardentissimam, flammis amoris ipsius Spiritus Sancti exæstuantem salutavit. *Ave sanctissima Virgo, quæ velut Rubus intellectualis, absq; combustione, Divinitatis ignem tenes: Clibanus intellectualis, qui ignem, & panem vitæ calidum mundo in usum attulit, de quo Saluator ait: Accipite & comedite hoc est corpus meum.* Ne autem quispiam existimet Divam Virginem Divinitate solius Verbi, velut igne fuisse circumdatam, B. Ildephonsus ser. 1. de Assumpt. agens de Rubo illo, DEiparam repræsentante, ait etiam à Spiritu S. fuisse inflammatam: *Spiritus S.* inquit ille, *quia ignis consumens est, totam B. MARIAM inflammauit, & incanduit; ita ut Mater fieret Christi, & Templum Divinæ Majestatis. Hæc erat Visio magna.*

Maria Clibanus seù fornax intellectualis, duplici igne Verbi & Spiritus S. inflammata.

64. Flammas amoris, Virginei hujus

Zzz pecto-

pectoris ceu ardentissimæ fornacis, earumque vehementiam admirans Sponsus Cant. 8. dixit: *Lampades eius lampades ignis atq; flammarum, aqua multa non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Quam Divini Amoris magnitudinem corde Virgineo æstuantem expressit clariùs Hebræus, dum legit: *Lampades eius lampades ignis, Flamma DEI.* Quasi dicat Sponsus: Lampades, seù faces Amoris, quibus Sponsæ meæ cor inflammatur, sunt flammæ meæ, qui licet sim ejus Filius, sum tamen & verus DEUS; flammæ illæ, sunt etiam flammæ DEI, nempè Spiritus mei sanctissimi Amoris mei, mihi consubstantialis. Deniq; flammæ illæ sunt flammæ DEI, quia sunt ingentes, quia in sublime sese attollentes sicut montes DEI. Arabicus etiam expressit celeritatem hujus Amoris in hominum miserijs sublevandis, cùm ei Alas superaddidit: *Lampades ejus*, inquiens, *alæ ignis in circuitu; & extensio alarum eius, sicut alarum ignis;* insinuans Amorem Virginis esse Seraphinum quendam novum, atque admirabilem, alis igneis undique circumseptum, quarum extensione, lumine, ac calore mortales cœci illuminētur, torpescentes accendantur, miserijs, calamitatibusque obruti foveantur.

Mariani cordis flammæ, flammæ sunt DEI, hoc est, ingentes sicut montes DEI.

AmorMariæ, est velut quidā alatus Seraphinus.

65. De alata hac Virginis Charitate dicere possumus illud, quod olim pronunciavit S. Ambrosius lib. de Isaac. c. 8. *Bona charitas habens alas ignis ardentes, quæ volitant per pectora, & corda sanctorum, & exurit quicquid materiale, atq; terrenum est, quicquid verò syncerum est, probat, & quod contigerit, suo igne meliorat.* Sensit immensi hujus Amoris calorem, ac lucem devotissimus, ac sapientissimus Idiota, cū dixit in Prol. contemp. B. V. *Beatissima V. M. sicut est omnium Regina, sic & omnium est Patrona, atq; Aduocata, & cura illi est de omnibus. Longè enim positos illuminat radijs misericordiæ suæ; sibi propinquos per specialem deuotionem, consolationis suauitate; præsentes sibi in patria, excellentiâ gloriæ; Et sic non est qui se abscondat à calore eius, id est, à charitate, & dilectione ipsius.*

Mariæ cura est de omnibus.

Capite verò tertio illius devotissimæ Contemplationis discurrens de varijs pulchritudinis speciebus, quæ in DEIpara eluxerunt, inter cæteras numerat illam: *Est species ignis in nocte.* De qua specie Num. 9. literis consignatum est: *Operiebat Tabernaculum quasi species ignis;* innuendo, Animatum hoc DEI Tabernaculum totum opertum fuisse Igne illo Divini Amoris speciosissimo, ac suavissimo, qui & blandè luceret, & suauiter simul arderet. *Species*, inquit Idiota, *ignis consistit in ardore & splendore. In te autem ò Beatissima V. M. fuit ignis charitatis ardens & splendens ante DEUM, nos miseros peccatores protegens. Et sicut tu Regina Virginum nominaris, sic charitas illa tua Regina virtutum appellatur, quia Virtus nomen amittit, quæ charitati non famulatur.*

MariaTabernaculū opertum igne Divini amoris.

Ignis Virgineæ charitatis peccatores protegit.

66. Vt Charitatem hanc Virginis ardentissimam, declararet Sponsus esse virtutum omnium Reginam, non modò respectu earum, quæ vel in Angelis, vel Viris sanctis & justis emicuerunt, verùm etiam earum, quæ in Virgine, ad summum perfectionis gradum attigerunt, nō dubitavit eam Carmelo monti comparare: *Caput tuum ut Carmelus.* Cant. 7. 5. Vbi Dion Cart. Art. 24. in Cant. per Caput, sanctam Virginis voluntatem intelligit, charitatis sedem. Dixerim ego ipsam Virgineam charitatem, quæ in DEIpara domicilium figens, flammis suis ardentissimis, ita illam inflammavit, ut Carmel, hoc est, Coccinum videretur. Rabbi enim Abenesra in hunc Canticorum locum, non montem Carmeli, sed colorem Coccineum, quod Carmel, linguâ Hebraicâ significat, intellexit. Cùm ergò Sponsus hic dilectissimam collaudat Sponsam; *Caput tuum ut Carmelus;* perindè est, ac si diceret: Charitas tua, quæ caput, & Regina virtutum omnium est, adeò ardens, adeò rubicunda est, ut non modò igni, verùm etiam Carmel, seù rubicundo coccino comparari queat. Ad interpretationem hanc Carmeli allusisse visus est B. Amadeus Hom. 2. de laud. V. qui de insigni DEIparæ loquens charitate; *Rubet*, inquit, *ut sphœra ignea, ut Regis purpura, ut coccus bis tinctus præferens amorem DEI, & proximi.*

Charitas Mariæ sublimis velut Carmelus.

MARIÆ Charitas rubicunda ut purpura, seù Coccinū.

Carmel significat coccinū, seù purpuram.

67. Quod si Virgineam hanc Charitatē Sponsus Carmelo Monti adæquare intendit, mirificam sanè ejus sublimitatem atq; excellentiam declaravit. Quemadmodum enim Mons ille fuit altissimus, perpetuo quasi Vere, ac virore amœnissimus, fontibus, rivulis, floribus, fructibus deliciosissimus, atq; uberrimus; Heliæ reliquisque DEI servis in hodiernum usque diem commodissimum, imò & deliciarum spiritualium plenissimum exhibet domicilium: sic Virginis charitas mortalibus omnibus, præsertim verò Viris

MARIA sphæra ignea, ob charitatē, & Regis purpura.

ris illis Religiosissimis PP. Carmelit. qui sese ej⁹ obsequio, peculiari quâdā ratione devoventes, ab huiuscé imundi Mundi abstraxêre delicijs, iucūdissim⁹ spiritualis ocij, sanctæq; cōtēplationls fieri cōsuevit Paradisus. In hoc gratiarum suarum limpidissimis rivulis, ac fontibus, in hoc virtutum suarum floribus, ac fructibus animos eorum ita recreat, ut jam cœlestis Paradisi delicias sibi degustare in hujus adhuc vitæ lachrymabilis exilio videantur.

M. Charitas, ut mōs Carmelus omnibus, præsertim Religiosis præbet domiciliū

68. Delicias Carmeli descripsit Baptista Mantuanus Carmelitani Ordinis Sydus illustre lib. 3. Parthen. dum cecinit:

Montis Carmeli descriptio

Inter Cesareas arces, Tyriosq; Colonos
Et vada Iordanis frontem Carmelus in auras
Tollit, & assiduos latices in vertice summo
Parturiens, sylvas salientibus irrigat undis:
Mons Patrum pietate Sacer, lateq; priorum
Inclytus hospitio Vatum. nam dicitur illinc
Discipulo ambustam iaciens ex aere vestem
Helias, ardenti cœlum petysse volatu.
Illic perpetuus, ceu missi è fontibus amnes
Relligio, & sacri fluxit reuerentia cultûs.
Quicquid habent alij montes pietatis ab isto
Ducitur. hâc unâ plures è Vite racemi
Diffusi, latè terras atq; æquora complent.
Hinc nostri venêre Patres, habitacula montis
Culmen adhuc servat toto apparentia ponto,
Quæ nostri posuêre atavi.

Sic Mantuanus de delicijs, amœnitate, atque sanctitate Carmeli Montis, Virgineam Charitatem mirificè adumbrantis. Vnde non immeritò Sponsus postquam dixisset: *Caput tuum ut Carmelus;* ut sanctissimæ Matris Charitatem ostenderet deliciosissimam, atque amœnissimam, ad instar Carmeli Montis, statim admiratione plenus eam ipsam; Charitatem in delicijs, seù deliciosam, ac Paradisiacam quandam Charitatem nuncupavit. Vbi enim legit Vulgatus: *Quam pulchra es, & quam decora charissima in delicijs.* Alij ex Hebræo transtulêre: *Quam pulchra es, & quam iucunda ò Charitas in delicijs.*

B.V. est ipsa Charitas deliciosa, & Paradisiaca.

69. Crediderim sanè ardentem hanc Deiparæ Charitatem figuratam, jam olim igne illo cœlitus demisso tempore Nehemiæ Prophetæ, qui cùm ex altissimo, seù profundissimo puteo jussisset hauriri aquam crassam, ut libro 2. Mach. cap. 1. habetur, *Refulgente Sole, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* Verè enim ob Protoplastorum scelus, sempiternus ille Iustitiæ Sol erat in nubilo, nec mortalibus serenissimam faciem visendam exhibebat. At ubi primum de profundo puteo Virgineæ humilitatis, crassa illa aqua, nempè humanæ Naturæ consensus, cujus personam B.V. repræsentabat, elicitus est: *Ecce*, inquiens, *Ancilla Domini;* illicò æternus ille Sol, serenâ nobis refulsit facie, illicò in corde Virgineo Divini Amoris accensus est Ignis magnus, magni illius Spiritus sancti, Domini vivificantis Speciem præseferens, qui admirabili prorsus metamorphosi Naturæ humanæ crassam illam aquam, in clarissimum & crystallinum, omnique carens maculâ, summâ omnium admiratione, transformavit Speculum; in quo Sol ille Divinus, (qui priùs in Divinitatis suæ Sphœrâ latitans, lucemque inaccessibilem habitans, mortalium omnium effugiebat oculos: *Non me videbit*, inquiens, *homo & vivet*) faciem suam tot retro sæculis optatissimam, ac desideratissimam contemplandam exhibuit.

M. Ignis magnus & admirabilis.

70. Sed hæc hactenus de Igne, Fluvioque igneo, qui de vultu Virginis Deiparæ, Beato Amadeo promanare visus est. Videamus jam quâ ratione in nonnullis, alijs etiam proprietatibus, atque attributis, præsertim verò aquarum fluentis, Divinissimum Spiritum fuerit imitata. Vbi advertendum, quod quemadmodum Sancti Patres æternæ Sapientiæ laudes, Virgini sanctissimæ attribuere sunt soliti, ut eam eidem illi Sapientiæ quam simillimam fuisse demonstrēt, uti jam sæpiùs commemoratum; sic etiam Divinissimi Spiritus encomia eidem sacratissimæ Deiparæ communicare, ad ejusdem cum Spiritu sancto declarandam similitudinem consveverunt, uti jam Fluvium illum igneum Virgini Beatus attribuit Amadeus.

Spiritus S. laudes B. V. attributæ, ideò quia ipsū repræsentat.

Porrò inter reliqua Spiritus Divinissimi præconia, illud sanè eximium est, quod illi decantat Ecclesia, eum Fontem vivum, nuncupando. Hic enim est Fons ille, de quo dilectus Discipulus cap. ultimo Apoc. literis consignatum reliquit: *Ostendit mihi Angelus Fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum procedentem de sede DEI, & Agni.* Fluvium hunc Rupertus Abbas lib. 12. in Apoc. ait esse Spiritum S. Fontem verè omnibus delicijs, & gaudijs redundantem. Sed verba ipsa pijssimi hujus Abbatis audiamus: *Ista quæ hic loco ultimo ostendit, divitiæ sunt ineffabiles, & deliciæ inæstimabiles gloriosæ Civitatis, quas oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis a-*

scenderunt. Istud namq; flumen est abundantia lætitiæ, & iucunditatis, de quo Psalmista: Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Et alibi: Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Et Isaias in consolatione filiorum huius Hierusalem dicit: Hæc dixit Dominus: Ecce ego declino in eos, ut flumen pacis, & torrens inundans gloria gentium. Ergo flumen istud Dominus est, & verè, quia Spiritus Sanctus est. Spiritus est hoc Flumen pacis, hic torrens gloriæ, hoc Flumen lætitiæ, hic torrens voluptatis, & ubertas Domus DEI. Ipse namq; est amor Sponsi, & Sponsæ in illa gloriosa Civitate. Quid enim est tota illius vita, vel civitatis beatitudo, nisi iste Amor? De isto Amore omnes Sancti & Angeli, & omnes omnium Sanctorum viuunt animæ. Iccircò additur; Vitæ.*

SpiritusS. est Fluvius aquæ vivæ

Cœlestis Civitatis beatitudo est Divinus Amor.

71. Idem Rupertus, cur Spiritus S. Fluvius appelletur, exponit lib. 7 in Ioá. c. 7. *Benè*, inquiens, *dona Spiritus S. non modò aquæ viuæ, sed fluminibus aquæ viuæ assimilauit: Flumina*, inquiens, *de ventre eius fluent aquæ viuæ. Nam sicut aqua viua propriam, certamq; habet venam, & de fonte suo nascitur, fluendo autem nomen accipit, ut flumen vocetur: sic donorum distributiones quæ in Ecclesia sunt, omnes ab uno Spiritu tanquam ab uno fonte procedunt, sicut ait Apostolus; Hæc autem omnia operatur unus, atq; idem Spiritus diuidens singulis prout vult.*

Cur Spiritus S. Fluvius appelletur?

Fluvius hic splendidus est tanquam Crystallum, *quia Spiritus S. vivificando* (uti prosequitur explicationem inchoatam superiùs idem Rupertus) *illuminat & confirmat. In crystallo namq; claritas est, simul, ac firmitas, quæ sunt pulchra vitæ illius insignia, ubi & corda nostra translucebunt, & corpora nostra, beatâ immortalitate, & immortali beatitudine firma erunt.*

Cur Spiritus S. crystallo cõparetur?

Procedit Fluvius ille, ut ait Ioannes, de sede DEI & Agni, ad æternam illam Spiritus ejusdem à Patre & Filio denotandam processionem. Cùm addit denique Sanctus Ioannes: *In medio plateæ eius; expressit delicias ciuitatis*, inquit Rupertus; *quia non foràs extra civitatem illam Spiritus S. procedit, sed tantùm in medio plateæ ciuitatis, id est, solis electorum cordibus multum dilatatis.* Hæc Rupertus.

72. De eadem hoc aquæ vivæ fluvio penè similia habet S. Bernardinus Senensis Tom. 4. ser. 7. *Fluvius iste*, inquit ille, *procedens à Sede, id est, Maiestate Dei, est ipse Spiritus S. ut tota substantia gratiæ, & gloriæ, per quam, & in qua tota substantia summæ Trinitatis deriuatur, seu communicatur in præsenti omnibus iustis, & in futuro omnibus gloriosis. Quæ quidem ab Agno etiam, quà homo meritoriè, & dispensatiuè procedit. Nominat eum Fluvium propter eius copiositatem, continuitatem, ac fœcunditatem. Addit: Aqua; quia refrigerat, reficit & lavat. Viua etiam subdit; quia secundùm Richardum, nunquam deficit, sed semper fluit. Alij legunt: Aquæ vitæ: Quia verè est aqua vitæ, gratiæ, & gloriæ. Dicit esse splendidum tanquam crystallum, quia in eo est lux omnis summæ Sapientiæ, summa soliditas, & perspicuitas, quasi solidi & transparentis crystalli. Dicitur deniq; fluvius iste habere duas ripas, quia una est huius Spiritus Christi, ex hac parte, eius nempè gratia: altera ripa ad dexteram est, eiusdem Spiritus Christi, Gloria æterna, quâ omnes hoc Spiritu Diuinissimo in hac mortali vita repleti, in altera pro merito erunt coronandi.* Hæc ferè S. Bern.

SpiritusS. dicitur Fluvius ob copiã, continuationem, ac fœcunditatem gratiarum quas communicat.

SpiritusS. dicitur splẽdidus tanquam crystallũ, quia in eo est lux Sapientiæ, soliditas, & perspicuitas.

73. Hunc Spiritus Sancti Fluvium æmulata fuit etiam Virgo DEI para. Vnde Sancti Patres eam passim Fontem & Fluvium appellant, eò quod gratias, charismata, aliaque Spiritus Sancti dona animæ suæ sanctissimæ cœlitus infusa, sibi soli dumtaxat, non retineat, sed cum toto Mundo largissimâ, atque effusissimâ benignitate, communicet, ac participet. Quare Ecclesiæ Patres in verbis illis cœlestis Sapientiæ, Vocem ipsius Virginis agnovêre Eccl. 24. *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio, ego quasi fluvij Dioryx, & sicut aquæ ductus exiui de Paradiso. Dixi; Rigabo Hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum. Ecce factus est mihi trames abundans, & fluvius meus appropinquauit ad mare.* Quibus verbis ostendit Virgo sapientissima imitatam se non solùm dilectissimum Filium, Sapientiam Increatam, verùm etiam ipsum Spiritum Sanctum Fontem aquæ vivæ, qui à corde Patris, uti Filius, tanquam à copiosissimo totius Divinitatis Fonte procedit; seseque ad instar copiosissimi Aquæductus universæ DEI Ecclesię, præsertim verò animabus illis, quæ sese disciplinæ religiosæ claustris ad instar horti conclusêre, communicasse.

M. gratiarum Fluvius.

Vnde D. Bernardus gloriosissimam DEI Matrem: Aquæductum vocitavit, ejusque laudes integro sermone, eoque elegantissimo prosecutus est; uti inter reliqua; *Aduertistis*, inquit, *quem velim dicere Aquæductum, qui plenitudinem Fontis ipsius de corde Patris excipiens, nobis edidit illum, si non prout est, saltem prout capere poteramus.*

M. Aquæductus cœlestium gratiarum

Non

Non absimiliter discurrit Hugo Cardinalis, asserens *Virginem non de mari, sed de immenso Divinitatis Fluvio prodire, quia aqua eius, aqua dulces sunt omnium gratiarum, nullâ amaritudine coinquinata peccati.* Addit insuper secundùm aliquorum lectionem: *Dei Mater est Fluvius Doryx, qui interpretatur medicamentum generationis* (verba sunt ejus, sit fides penes autorem) *quod enim Eva percussit, ista sanavit. Hinc de Virgine dicitur Eccli. 43. Medicina omnis in festinatione nebulæ, nebulæ, inquam, illius, quæ ante de semetipsa prædicavit: Ego quasi nebula texi omnem carnem.*

M. prodijt de immenso, quasi Divinitatis Fluvio.

M. Nebula tegens omnem carnem.

74. Hujus Virgineæ dulcedinis pulcherrimum videtur esse Symbolum Fons ille propè Brielam Hollandiæ Vrbem, de quo scribit Nicolaus Caussinus noster, in suis Symbolis, cùm nusquam in puteis eo in districtu dulces reperiantur aquæ, præterquam in unico illo fonte, ad quem ponticulo est aditus, eumdem toti urbi ad usus vitæ necessarios aquas subministrare. Huic Naturæ miraculo hanc memoratus Caussinus addidit Apodosin: *Sancta Maria sola in hac inquinata generis humani massa pura permansit. Non enim æquanda est mulieribus, quæ genuit Maiestatem, plurimùm à cæteris differentem, naturâ communicavit, non culpâ,* ait. S. Cypr. serm. de Nat. Christi. O quam benè elogium illud pulcherrimum Reginæ Esther, huic gloriosissimæ cœlorum Reginæ aptari posset. *Fons parvus creuit in fluvium maximum, & in aquas plurimas redundauit.* Esth. 11. Verè enim in oculis suis Fons parvus cùm esset Deipara, superveniente in eam Spiritu Sancto, Fluvio illo aquæ vitæ, procedente de Sede Dei, & Agni, in aquas gratiarum, charismatumque plurimas redundavit. Fluvius verè magnus plurimarum aquarum est Virgo Deipara, ob donorum Spiritus sancti exuberantem copiam, Fluvius ob nunquam interruptam continuationem; Fluvius ob earundem gratiarum fœcunditatem. Est verè Fluvius aquæ, quia æstum humanarum cupiditatum refrigerat, sitim ardentem rerum terrenarum extinguit, scelerum omnium sordes abluit, quæ omnia sicut Spiritus Sancti præsentiæ, certissimi effectûs, ita & Virgineæ in nos pietatis esse consueverunt.

M. Fons parvus in aquas plurimas redundans.

Hinc B. Ephræm Syrus: *Facta est,* inquit, *Maria Fons Spiritus æterni.* Hinc B. Ioannes Damascenus eandem, *Fontem perennem curationum appellavit.* Mellifluus Bernardus; *Aqua ductum gratiarum omnium.* Seraphicus Doctor in Litan.; *Venam & Fontem misericordiæ.* Idem in Speculo: *Ipsa,* inquit, *tanquam Vena fontana semper fluit, effluens semper larga.* S. Brigitta in Revelationibus, Virginem *Canalem Spiritus S.* nuncupavit Deniq; S. Hierõ. ser. de Assumpt. audiamus; *Gratia,* inquit, *plena est, ex qua multi deducti riui omnem irrigant terram deliciarum, & infundunt hortum voluptatis.* Hujus Fluvij profluvium atque exuberantiam admiratus S. Anselmus, exclamavit: *O Fœmina plena & superplena, de cuius plenitudinis abundantia respersa, sic reuirescit omnis creatura.*

M. Fons Spiritus æterni.

M. Canalis Spiritus Sancti.

Verè Virginearũ gratiarum abundantia nõ modò respergitur, sed & abluitur à peccatorum maculis omnis illi devota Creatura, adeò, ut de illa dicere possimus id, quod Homerus apud Ælianum lib: 2. cap. 21 de Oceano pronunciavit, illum, videlicet *Deorum esse Lauacrum.* Sanè Virgo nostra meritò immensus quidam Oceanus omnium Divinorum charismatum redundans copiâ, & Filiorum Dei Lavacrum dici potest: quibus enim illa Divinam impetrat, communicatque gratiam, ita à criminum omnium sordibus abluit, ut eos tanquam Christi oves ascendentes de lavacro purissimas efficiat.

75. Vt autem intelligamus gloriosissimam Deiparam Fluvium, ac Oceanum quendam esse gratiarum in mortalium animos copiosissimè, pleno alveo, bonorum omnium summâ redundantiâ atque affluentiâ, atque adeò etiam summâ celeritate, atque impetu decurrentem, jure merito Hugo Cardinalis, Fluminibus illis, quæ ex Paradiso suam deducunt originem, Phisonti, & Tigri comparavit. Cùm enim Phison à radice Hebraica *Pusch*, quæ incrementum, ac multiplicationem significat, deducatur, facilè deprehendere possumus totum vitæ Virgineæ defluxum, atque decursum nil aliud fuisse, quàm virtutum omnium, ac gratiarum multiplicationem, atque incrementum. Cùmque dicat Moyses fluvium illum *circumire terram Hevilat, ubi nascitur aurum optimum, bdellium, & lapis Onychinus;* intelligimus sanè sanctas illas animas, quas Paradisiacus hic Fluvius fœlicissimè irrigat, eximiâ Sapientiâ, atque Charitate, (per aurum optimum) aliarumque virtutum, meri-

M. similis Fluvijs Paradisi Phisonti, & Tigri.

M. Cultores Divinâ Sapiẽtiâ, charitate, alijsq; virtutibus, velut auro, gemisque abũdant.

meritorumque preciosissimorum copia (per bdellio, sive unionem, lapidemque Onychinum denotatam) abundare.

Quod si unus, idemque est Fluvius Phison & Ganges, ut aliqui voluêre; tantò sanè pijssimi Cardinalis, Divam Virginem cum Phisonte conferentis, illustrior evadet comparatio. De Gange siquidem scribit Fernandius noster, eruditissimis suis in Genesim commentarijs, omnium Indorum opinione, illum, ex ipso Paradiso ortum traxisse, unde vel hoc nomine, sacrum, atque Divinum existimant, ac venerantur adeò, ut turmatim infiniti populi, suis longissimè dissitis exciti sedibus, ad visendum hunc, ut dicere consueverunt, Sanctitatis fluvium, confluere sint soliti; quo sacro illius latice ora proluere, & corpora, mentesque abluere sibi liceat, ut scelerum omnium labe puri, expurgatique ex hac mortali vita, ad immortalem faciliùs proficiscantur. Simile desiderium diximus fuisse quondam, in plerisque fidelium, (ut suâ ad Ioannem Apostolum Epistolâ testatus est S. Ignatius Martyr) visendi scilicet Sanctissimam Dei Matrem, omnis Sanctitatis verè Fontem Paradisiacum.

Ganges ducit originem ex Paradiso.

76. Idem Cardinalis, Phison, os papillæ interpretari, ad lacteam hujus Virginei fontis dulcedinem significandam asseveravit. *Dicitur*, inquit Hugo, *Phison, os papillæ, quod licet clausum videatur, lac tamen emittit, quod pueri, id est, puræ animæ sugunt.* Verè Virgineum os clausum fuit quasi semper sera silentij, quando tamen loquebatur, ore ejus sacratissimo lacteum emanare videbatur eloquium. Vnde hanc silentij restrictionem, ac loquelæ suavitatem, admiratus Sponsus dixit Cant. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Et licet hæc Mater sanctissima, ubere de cœlo pleno olim omnium lactaverit Creatorem, non cessat tamen in hodiernum usque diem, præsertim devotos, atque amicos, suis beneficijs, velut Paradisi fluvius (quem Rupertus, Magnam terræ Mammam vocat) nutrire. Adeò, ut Matrem hanc sacratissimam Multimammeam quodammodo (ut olim veteres Dianam, ob nutricandi fœcunditatem) atque ex uberibus quasi confectam (uti Ægyptij Isidem ad terræ denotandam fertilitatem) ob eximiam hanc, exuberantemque in omnes pietatem, ac charitatem, dicere jure merito possimus. Quâ etiam in re perspicimus facilè, Dei aliquam similitudinem, pro modulo suo Virginem æmulari voluisse; qui inter cætera nomina *Saddai*, id est, sufficiens, uber, copiosus, & quasi mammeus, à radice *Scad*, quod Mammillam notat, deducendo significationem.

Phison Os papillæ interpretatur.

M. suis beneficijs suos clientes lactat.

M. uti oli Diana Multimámea dici potest.

Isis ex Vberibus confecta terræ fertilitatem notat.

Deus Saddai quasi Mammæus vocatur.

M. Deum Saddai, id est, Mammeum æmulatur largitate beneficiorum.

AgnovitGuer. Ab. ser. 1. de Nat. B. Ioã. Deiparam esse Fluvium quendam Paradisiacum, universorum bonorum copiâ redundantem, eâque toti Mundo communicantem, dum visitationem illam contemplaretur, quâ Elisabetham non est dedignata: *Verè*, inquit, *gratia plena Maria: Manifestè DEVS totius gratiæ in ea erat, de cuius munificentiâ, tam copiosè, tam magnificè, principaliter in Matrem, de Matre in Ioannem, de Ioanne in parentes gratiæ largitas profluebat. Flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ vitæ, & fons vitæ & gratiæ oriebantur de medio Paradisi ad irriganda ligna Paradisi. Proxima erat fonti Cedrus ista nobilis, Ioannem loquor, consobrinum, & amicum Sponsi, Præcursorem, Baptistam, & Martyrem Domini. Ideòq; nimirum irrigata in tantum excreuit, ut inter natos mulierum nihil illa sublimiùs posset inveniri.* Hæc Guerricus.

M. Fluvius Paradisi omnium bonorum copiâ redundans.

S. Ioannes Bapt. Cedrus gratiæ fluminibus irrigata.

77. Tigri denique Virgo Deipara ab Hugone comparatur, ne Virgineo huic hactenus celebrato Charitatis fluvio, ulla prorsus perfectio defuisse videatur. Tigris enim sagittam sonat. Fluvius ergo rapidissimus Tigris jure dici potest Maria, tum ad celerem, velocemque opem ejusdem indicandam, tam admirabilem opitulandi modum, nempè vulnus Divini amoris infligendo, opemque, gratiâ suâ ferendo, significandam; ac proinde similis hastæ illi videtur, de qua olim fabulati sunt Poëtæ:

Pelias hasta salus, vulnus, opemq; tulit.

Tigris fluvius significat sagittam.

M. Tigri fluvio similis.

Hæc Virgo est verè sagitta illa, quâ configuntur & debellantur peccatores. De qua dici potest illud Prophetæ Vaticinium 4. Reg. 13. *Sagitta Salutis Domini contra Syriam.* Sensit hanc sagittandi, opemque ferendi peritiam admirabilem hujus Virginis Sponsus, eamque quod tam infirmis fieret instrumentis admiratus est, cùm dixit Cant. 4. *Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno osculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Quæ verba interpretans Doctissimus Cardinalis Halgrinus, ait aliam lectionem habere: *Percussisti nos corde,*

M. Sagitta sanans & vulnerans

cordis, totam videlicet Trinitatem. O Deiparæ potentiam incredibilem! ò sagittandi peritiam admirandam! Triumphat verè etiam Virgineus Amor de ipso Deo triumphat, quia spiculo suo quodammodo eundem vulnerat. Idem Card. suam prosequens interpretationem, declarat etiam ipsum vulnerandi modum; *Vulnerasti*, inquit, *cor meum vulnere charitatis, in uno, id est, in unitate oculorum tuorum affectus videlicet, & intellectus, qui in te ita sunt unum, ut non aliud desideret affectus, nisi quod desiderandum indicat intellectus. Vulnerasti in uno crine ceruicis tuæ, id est, in unitate cogitationum tuarum, quæ sic adhærent capiti tuo Christo, ut nil aliud dicant, quàm illud Psalmi: Vnam petij à Domino, hanc requiram. Dicit ergo Dominus se charitate vulneratum, & corde percussum, in uno oculorum, & in uno crine colli Matris suæ, quia de corde ejus triumphat hæc unitas, & ejus recordationem nulla delet oblivio; sicut fieri nequit, ne vulnus cordis continuè sentiatur. Vocat autem Dominus Matrem, suam sororem, & sponsam. Sororem, propter humanæ naturæ contubernium; Sponsam, propter inconcussam fidei constantiam. Cùm enim tempore Passionis fides Apostolorum concussa vacillaret, ipsa velut sponsa sponso suo, sine fidei titubatione constanter adhæsit. Ipsa etiam velut sponsa sponso suo familiariter, majorem in sponsi bonis obtinet portionem.* Hæc Halgrinus. O si nostra quoque soror & sponsa, per castissimum, ardentissimumque in illam amoris affectum, efficiatur Maria! O si potentissimis illis ipsius jaculis, sagittisque charitatis corda nostra configantur, ut emortuâ in nobis veteris Adami vitâ, vitam novi, beatam, felicemque vivamus! Sed ad Fluvium Apocalypticum reuertamur.

Maria Deum vulnerat, deque eo triumphat

Vnitas cogitationū B.V. semper uni Christo adhæsit.

B.V. est Sponsa Christi ob inconcussam fidei constantiā in Passione ipsius servatam

78. Neque verò Virgo sanctissima Fluuius est cujuscunque aquæ, sed aquæ vitæ. Ab hoc enim Fonte emanavit ille per generationem in tempore, qui de se professus est: *Ego sum via, veritas, & vita.* Ab hoc Fonte, ejusdem Dei dona & gratiæ, quæ vera sunt animæ vita, mortem destruentes peccati, profluxère. *Hac est enim*, ut inquit B. Ildephonsus ser. 1. de Assumpt. *Mater Domini per quam nobis vita redonatur.* Quam præclarè S. Bern. ser. de Nat. B.V. *Sine Maria quid nisi caligo involuens, & umbra mortis?* Quare jure merito Hesychius eam Stellā vitæ, quod multiplici Divinæ gratiæ influxu, velut propitium, benignumque Sydus, vitam, vigoremque animæ, communicet, appellavit. Vitalem esse Fontem B. Andr. Cret. orat. 2. de Dorm. Deiparæ illam agnoscens, Vitæ, cui nil auferri potest, Penum appellavit: ac proinde ad Fontem hunc vitalem hauriendum invitabat omnes velut ad illum intento digito: *Ecce*, inquiens, *Fons immortalitatis, qui exinaniri non potest. Venite qui morte affecti estis, haurite; Ecce vitæ fluvij perennes, adeste omnes, efficiamini immortales.* Denique ipsam Virginem semetipsam Vitę spem nominantem audiamus, Eccli. 24. *In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis.* Ac si dicat: Filius meus est via, veritas, & vita. Hæc ego omnia tanquam à fluvio illo de loco voluptatis, hoc est, de æterni Patris pectore, promanante, velut quidam Phison hausi, atque participavi. Ac proinde quemadmodum ille spes æternæ vitæ est, via ad hanc vitam, veritas denique viæ, ac vitæ, seù verissima via, & verissima vita: sic patrocinium, & protectio mea, favores, & gratiæ meæ sunt certa spes æternæ vitæ, sunt vera via ad veram, perennemque vitam; adeò, ut quicunque his mearum gratiarum fontibus fuerit irrigatus, spem veram, veræ sempiternæq; vitæ consequendæ sit habiturus. Siquidem *Qui me inueniet, inueniet vitam & hauriet salutem à Domino,* Prou. 8.

Per Mariā nobis vita redonatur

Maria Stella vitæ.

Maria vitæ Penu.

Maria fons immortalitatis qui exinaniri nō potest.

79. Fluvius hic Virgineus est etiam splendidus, tanquam crystallum. mentes enim illas, quas irrigare gratiæ suæ rivulis consuevit, ita claras, ac perspicaces, ita in bono stabiles, firmas, solidasq; reddit, ut res omnes fluxas, aquarumque more dilabentes detestentur, & beatissimæ illius clarissimæque visionis fructûs dulcissimos, dum adhuc hoc corporis ergastulo detinentur, prægustare videantur. Vnde S. Bonau. in spec. c. 6. Deiparam Virginem Beatorum Gloriam post Deum vocare non dubitavit. Et B. Petrus Card. Damianus ser. 1. de Nativ. verba illa Cant. 1. *Revertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere, ut intueamur te;* expendens, agnoscensque hanc visionem Virginis, hominis accidentalem, eamque maximam esse beatitudinem præclarè dixit: *Summa gloria post DEVM te videre, tibi adhærere, & in tua protectionis munimine delectari.*

Post Deū in cœlo nil jucundiùs, nil gloriosiùs quàm videre Mariam.

80. Quamobrem dicere quis posset Virginem sacratissimam, pellucidā illā, atque diaphanâ Arcæ Noë fenestellâ fuisse præfiguratam, per quam sanctæ illæ

Maria Arcę Noe fenestra crystallina.

illæ animæ, à pereuntium impiorum cõsortio segregatæ, spei in Deum, æternæq; beatitudinis plenę, identidem in cœlum, iratum Numen mortalium sceleribus placaturæ prospiciebant. Porrò fenestellam hanc lucidissimo ex crystallo alij, alij, ut Rabbini Lychnite, seu carbunculo constitisse opinati sunt. Quæ omnia gloriosissimæ Dei Matris clarissimam rerum Divinarum, atq; humanarum notitiam, ac sapientiam, ardentemque Dei, nostræque salutis amorem, in quem Spiritus Sancti (qui etiam Carbunculus appellari potest) beneficio fuerat quodammodo transformata, declarant: simulque insinuant, omnes illos, qui per hanc Ecclesiæ fenestellam in cœlum ad Deum, spe vitæ æternæ pleni, prospiciunt, prolixioribus cum Deo certis horis institutis, Divina meditando congressibus, & breviore sæpiùs ad Deum, ejusq; Matrem aspiratione, quam jaculatoriam dicimus orationem, repetitâ, & cœlestis sapientiæ, Divinæque cognitionis luce perfundi, & Divini amoris igne mirificè calere homines, pręsertim Societatis nostræ, qui Virginis peculiari obsequio sese mancipârunt, consuevisse; adeo, vt non immeritò Ioãnes Bourghesius noster in Societate Iesu Mariæ sacra cap. 28. dixerit, illis orandi modis, omnem Instituto nostro congruentem cum Deo familiaritatem, quæ socientis hujus anima est, & vita, contineri. Vocat insuper geminam illam cum Deo conversandi rationem, Generale ad omnes virtutes parandas, tuendasque Instrumentum instrumentorum; aluqum item cœlestem, quo in animos nostros, omnis gratiæ dona, ac munera derivantur, qualia sunt lux intellectus, ardor voluntatis, in præclaris rebus ad Dei gloriam excogitandis prudentia, in aggrediendis fortitudo, in exequendis constantia, ac perseverantia.

Arcæ Noe fenestra ex Lychnitæ seù Carbunculo facta.

Per Mariã intellect9 noster cęlestis Sapiẽtiæ luce illustratur, & voluntas Divino calore accenditur.

Meditatio rerum Divinarum & crebra ad Deum aspiratio, anima & vita est Societatis Iesv.

81. Lucem hanc mentis, ardoremq; voluntatis, per Virginem Deiparam, tanquam fenestram crystallinam limpidissimam, sive ignitum Carbunculum nactus fuisse visus est, Virginis cultui addictissimus Frater ille noster Henricus Delsom operis domestici Adjutor Audomari; de quo idem Burghesius ibidem hæc refert: *Cum primum Societatem inijt, adeò rudis erat, & hebes, nullâq; memoriâ, ut magnopere lugeret, se nihil rerum spiritualium ediscere, ac memoriâ complecti posse. Quare vehementer afflictus, die quadam coram Imagine Sacratissimæ Virginis prostratus, corpus, animam, corporis sensus, animi vires, ac facultates DEIparæ ad perpetuum ejus defert obsequium. Ex eo tempore ita rerum spiritualium evasit intelligens, ut conciones integras memoriâ retinere, easdemq; multis post annis reddere, ac recensère posset; tantoq; animi sensu de B. Matre, divinisq; rebus loquebatur, ut graves de Ordine nostro Theologi dicerent, eum velut è puteo profundissimo jugiter haurire sensus rerum cœlestium admirandos. Quare velut è fonte, ex ejus ore suavissimè scaturiebant, ac sponte prosiliebant ad sanctissimam Matrem, aut Augustissimum Sacramentum, in quod similis illum æstus pietatis abripiebat, aspirationes; cuiusmodi Theologi nec meditando, nec piis autores voluendo fuerant assecuti.*

Henricus Delsom cum admodum rudis esset, per B.V. fit docilis, & in Divinis illuminatus.

Totum se B.V. offert

Tantâ, tamque Divinâ sapientiâ simplicis hujus Fratris Deiparæ deuoti intellectus radiabat, tantâ, tamque eximiâ charitate voluntas ejus æstuabat, postquam se Marianis obsequijs totum deuouisset. Nimirum minima hæc Societas est Arca quædam Noëtica, quâ tuto in hujus vitæ fluctibus, scelerumque diluvio navigamus; cujus crystallina fenestra, per quam quodammodo respiramus; cujus lucidus, ignitusque Carbunculus, est Maria Gemma cœli preciosissima: per hanc cùm ad Deum aspiramus, ab eoque dona gratiæ expetimus, illuminamur; per hanc in amorem cœlestium, proculcatis Mundi, rerumque terrenarum illecebris, ac ludibrijs, exardescimus; per hanc verè sapientes, verè summi æternique Boni amantes euadimus. Sed ad Fluvium crystallinum revertamur.

Societas Iesu est Arca Noëtica, quâ in peccatorum hujus mundi Diluvio salvamur.

82. Procedit denique Virgineus hic Fluvius quemadmodum & Spiritus S. de sede Dei, & Agni. Sicut enim Spiritus hic Divinissimus Amor est, quo Divinæ Personæ sese mutuo, inque suâ Divinâ essentiâ omnes creaturas possibiles diligunt: Sic Amor, quo Deipara Creatorem suum, hominumque salutem diligit, est vnus idemque Amor. uno enim, codemque charitatis habitu, ut communiter asserunt Theologi, tam Deus in se, quàm proximus propter Deum diligitur.

Atque ita Virgineum hunc Amorem etiam de sede Dei & Agni procedentem, atque adeò Patris, Filijque Amori, nempè Spiritui Divinissimo quam simillimum jure merito dicere possumus.

Amor Virgineus quo nos complectitur similis est Amori Divinarum Personarum.

Ex his omnibus sat perspicuè colligere licet,

re licet; quam aptè Virgo sanctissima Fluvium illum aquæ vivæ splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede DEI, & Agni tertiam SS. Triados Personam repræsentantem, expresserit.

Iam ad alia Spiritus S. symbola gradū faciamus, ut in ijs quoque DEiparam expressam contemplemur, eamque in Divinissimū hunc Spiritum quasi transformatam agnoscamus.

83. S. Bernardinus Sen. To. 4. ser. 7. Lignum illud vitæ, quod Ioannes ex utraque parte Fluminis illius esse dixit, afferens fructûs duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, præclarè docet etiam Spiritum Sanctum denotasse. Cùm enim verba S. Ioannis recitasset, subjunxit: *Quibus sacratissimis verbis ostendit, quod Spiritus Christi sit Arbor amorosa, arbor gratiosa, atque fructuosa. Amorosa quidem, quia Amor Spiritus Christi præstat vitam gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Vnde Lignum hoc vitæ dicitur mysticè in medio Paradisi Gen. 2. id est, in medio Ecclesiæ militantis, ac triumphantis. Spiritus enim Christi modo in refectionem se tribuit per sensum spiritualem. Vnde nos invitans ait: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. De hac eadem, futuraque refectione Apostolus: Videmus nunc per speculum in ænigmate, id est, sentimus quasi in umbra de Spiritu Christi; tunc autem facie ad faciem, id est, gloriam habebimus experimentalem, gloriosamque eius spiritus notitiam.* Deniq; idem spiritus est Arbor fructuosa afferens in hac vitâ fructus illos duodecim, de quibus Apostolus: *Fructus autem spiritus est Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Galat. 5.

Lignum VitæSymbolum Spiritus S.

SpiritusS. Arbor est amorosa, gratiosa, & fructuosa.

SpiritusS. 12. fructûs sunt fructûs Ligni Vitæ.

84. Arborem hanc pulcherrimam imitata est etiam Virgo DEipara, ejusque imaginem mirificè in se expressit. Vnde Salomon de sempiterna loquens Sapientia, cujus MARIA Virgo in se speciem repræsentavit: *Lignum vitæ*, inquit, *est his qui apprehenderint eam, & qui tenuerit illam, beatus.* Pro. 3. Arbor verè amorosa, gratiosa, & fructifera est Virgo sacratissima. Cùm enim Spiritum Sanctum referat, qui ipse est DEI Amor, ipsa DEI Charitas, quid ni in anima illa, in qua, veluti quodam Paradiso ejus devotio radices egit, fructûs dulcissimos, atque sapidissimos Divinæ charitatis pariat, atque producat? Arbor verè fructuosa est DEipara, quæ uti Spiritus Divinissimi Arborem, ita & illos ipsius pulcherrimos fructûs duodecim ad vivum in se expressos referebat. Si enim primus Arboris vitæ fructus est Charitas, S. Bernardino teste, quæ obsecro post DEVM creatura, DEI hominumque amantior unquam extitit, atque DEI Mater, quæ per excellentiam, ipse DEI Amor, ipsa DEI Charitas dicta est?

MariaArbor Vitæ amorosa, gratiosa, & fructifera.

Quæ majorem gaudiorum segetem unquam habuit, quàm hæc? quæ cùm ab omni æternitate ad altissimam Divinæ Maternitatis dignitatem fuerit evecta, & tot tantisque naturæ, & gratiæ ornamentis decorata, jure merito eam Gabriël, cœlestis Paranymphus non modò avere, & salvere, verùm etiam gaudere jubet; χαῖρε, enim utrumque significat. Vnde B. Ephræm Syrus eamdem Virginem sub nomine gaudij salutavit: *Ave Gaudium, consolatio, pax & salus mundi; Ave humani generis lætitia.* S. Basilius Hom. de Hum. Christi generat. verba illa expendens Angeli: *Maria*, inquit, *edocta, & jussa est ab Angelo Gaudere.*

In María duodecim fructusSpiritus S. reperiuntur.

Maria humani generis gaudium, ac lætitia.

Eadē Angeli verba S. Greg. Nyss. ejusdē Frater Hom. de Christi Gener. explicans: *Contraria*, inquit, *hæc est oratio illis vocibus, quas prima mulier audivit. tunc enim illa doloribus propter peccatum damnata est; nunc autem in hac per Gaudium dolor expellitur; in illa molestiæ partum præcesserunt, huic partum lætitia prænunciat.* Sanctus deniq; Andreas Cretensis, orat. de Annunc. Ideò lætis præconijs cœli Reginam ab Angelo salutatam affirmat, *Quia & lætitiæ organum, & immensi gaudij Genitrix erat mox futura.*

Maria lætitiæ organum.

85. Non defuit donum Pacis huic Virgini sacratissimæ. Quid enim pacatiùs, ac trāquilliùs animâ illa, in qua ipse Princeps pacis, verusque pacificus Salomon novem mensibus habitavit? In qua Spiritus S. ab instanti conceptionis, velut domicilio sibi proprio versatus est? Qui cùm sit Flumen pacis, & torrens voluptatis, ut ait Rupertus Abb. li. 1. in Iob, Aqua item Siloë, quæ labitur cum silentio, non potuit non summam animi pacem, atque tranquillitatem possidere, Vnde pacificum Regem Messiam ejus Filium à mansuetudine, animique tranquillitate, ac suavitate commendare volens Isaias, fonti Siloë labenti cum silentio, ac tranquillitate comparavit. Et quia Siloë interpretatur Missus, rectè per Nomen Siloë intelligitur etiam Spiritus

Maria Pacifica.

SpiritusS. flumen pacis, & Aqua Siloe.

S. inquit Rupertus lib. 9. in Ioannem. *Etenim ipse quoq; missus est, juxta illud: Paraclitus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo.* Et alibi; *Quem ego mittam vobis à Patre.*

Maria patientissima. 86. Nec Patientiæ fructus in hac Arbore Virginea desiderantur. Quis enim illa patientior? quis ea magis longanimis, in adversorum tolerantia unquàm extitit? quæ cum se in Matrem illius electam agnosceret, qui Deus existens immortalis, atque impassibilis, in mundum tamen ad acerbissimos cruciatûs animi, corporisque, ad mortem ipsam ignominiosissimam patibuli crucis exantlandam advenerat, longissimũ sanè patientiæ exercitium, corde doloris transverberata gladio, totiusque vitæ Martyrium perpessa est.

87. Nec Deiparæ nostræ Optimæ, ac Maximæ Bonitas defuit. Quid enim meliùs illâ, quæ cum summi æternique Boni Mater, ac Nutrix esse meruit, merito, ipsa Bonitas vocitari poterit? Hinc devotissimus Goffridus Cardinalis suis in sermonibus, eam ut plurimùm bonam Dominam appellare consuevit. Sermone verò 8. bonitatem ipsius illis verbis comprobavit: *Hæc Virgo tam gloriosa, tam sancta tam honorata, à Deo tantoperè sublimata, ita est humilis, ita compatiens, ita misericors & pia, ut propter animam peccatricem, & jam pœnis deputatam æternis, severitati districti Iudicis se opposuerit;* quod exemplo illo celeberrimo Theophili luculenter ostêdit. (Maria Bona Domina.)

M. Benigna. Quid benigniùs, quid naturâ suâ suaviùs, faciliùs, dulcisué esse potuit Dei Matre? quæ cum Spiritu illo repleta fuerit, quem Salomon Sap. 7. dixit esse suavem, humanum, benignum, bonique amantem, non potuit sanè nisi eximiam morum suavitatem, ac facilitatem, mirificamque quandam dulcedinem, atque humanitatem spirare?

Benignitatem hanc, suavitatemque in Dei Matre agnoscens Venerabilis Dionys. Richelius in Præfat. lib. 3. de Præcon. & Dignit. B. V. cùm secum ipse suis diffisus viribus, defectuumque variorum conscientiâ stimulante, disceptaret, an Virginis laudes ei essent prosequendæ, tandem ejus pietate, benevolentiâ, mansuetudineque fretus, prosequendas censuit. Vnde ita titubanti hæc pia de Virginis benignitate ei occurrit cogitatio, quæ illum ad ejus pangendas laudes exstimulavit: *Sed en,* inquit ille, *consolatio, consiliumq; occurrit: Domina mea quamquam sit sublimis & magna, est nihilominus mitis & pia, humilis & affectuosa, deniq; miserationes eius super omnia opera ejus. Eia ergò egene, & pauper, si Deiformem superexaltatam, & Dominum laudare, affariq; metuis, cur benignissimam, humillimamq; formidas? Quamvis enim non sit speciosa laus in ore peccatoris, cor tamen contritum, & humiliatum misericordissima, ac superdulcis Virgo non despiciet. Igitur inperfectum, àc insufficientiam tuam confitens atq; perpendens, in ipsius quoq; clementia sicut ab exordio confidens, securus prosequere, quod restat. Si enim laudaveris, quamquam non ut ipsa digna est, sed ut tu vales, spero, quod acceptum ei futurum sit.* Hæc Dionys. (B. V. admittit laudes etiam se minus dignas.)

M. Mansuetudo. 88. Quid verò de Virginis dicam Mansuetudine? Si enim ut ait S. Anselmus, is mansuetus dicitur, qui quasi manu assuetus, est facilis, tractabilis, ductilis, ac flexilis: Quis quæso mansuetior, quis flexibilior Virgine gloriosissimâ, quæ, ut ait S. Bernard[9], *Omnibus amabilem, omnibus exorabilem se præbet, omnium deniq; miserias amplissimo quodam miseretur affectu.* Quæ à Deo, ut ait Rich. de S: Vict. c. 23. in Cantica, *Pietate repleta habet ubera, ut alicuius miseria notitiâ tacta lac fundant misericordiæ, nec possit miserias nostras scire & non subvenire.* Adeò facilis, adeò flexibilis est Virgo Beata, ut ante omnem nostrâ exorationem solâ miseriarum nostrarum notitiâ ad pietatem nostrique commiserationem flectatur. Quare idem jam citat. Dionysius Richelius lib. 3. de Præcon. & Dignit. B. V. Art. 19. sapienter unumquemque nostrum hortatur: *Quoniam,* inquiens, *cuncta quæ de MARIA Evangelica pandit narratio rememorans, atq; revoluens, aliud prorsus non inuenis, quàm quod in omnibus verbis, factisq; mitissima fuerit, universæq; crudelitatis, atq; amaritudinis expers, misericordiæ, atq; dulcedinis visceribus superaffluenter redundans, singulis exorabilis, cunctis placabilis. Vnde de cætero ne formides, neq; desperes. Accede ad MARIAM, eam ut misericordissimam Advocatam implora, in ea tanquam in fidelissima Protectrice confide, per eam velut per mitissimam Mediatricem saluari exposce. Sub umbra eius quiesce, illic persevera, nec inde unquam abeas.* Sic ille.

89. Quid fideliùs Deipara, quàm ideò crediderim ab Ecclesia Virginem fidelem prædicari, quod ut S. Bern. ait Tract. de Pass. Domini cap. 2. *Cùm passionis tempore relicto Christo omnes fugissent, sola illa, quæ benedicta est in mulieribus per illud triste*

Vixit Sabbathum stetit in fide, & salvatâ fuit Ecclesia in ipsa sola. Propterea aptissimè S. Ecclesia in laudem, & gloriam eiusdem Virginis diem Sabbati per totius anni circulum celebrare consueuit. Discipulis enim dubitantibus, ait S. Bonavent. in 3. D. 3. ar. 2. q. 3. ad 2. *in Virgine eâ die remansit fides Ecclesiæ solida, & inconcussa.* Quare B. Antoninus 4. P. Tit. 15. cap. 41. cerimoniæ illius, quæ in matutinis tenebrarum quotannis usurpari consuevit, ubi in Candelabro illo Triangulari, extinctis luminibus omnibus, unicum inextinctum asseruatur, assignans rationem, inquit: *Fidei lumen in Deipara occultum; quod omnibus postea patefactum, & omnes suo exemplo illuminauit, significatur candelâ illâ accensâ in matutino tridui hebdomadæ sanctæ.*

M. Fidelissima Sabbato S. perstitit in fide sola.

90. Quid modestiùs Virgine Deiparâ? quæ tanta in suis actionibus & sermonibus omnibus utebatur moderatione, ut, exterior morum compositio, interiorem animi prædicaret harmoniam. In ea siquidem *nihil torvum in oculis*, quemadmodum dixit Ambrosius lib. 2. de Virgin. *nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum. Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis Species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.* Hanc Virgineam modestiam pervenustè descripsit Mantuanus lib. 3. Parthen. his versibus:

M. Modestia.

Non mobilis illi
Frons erat, aut subitò pectus mutabile motu,
Grata sed illum mentem, vultumq; decoro
Pondere firmabat gravitas: non mæsta nec atrū
Torua supercilium, nec aperto effusa cachinno
Sed clarâ & miti facies condita lepore,
Non ridens, non tristis erat, sed mixtus utroq;
Vultus, humiq; oculos semper conuersa nitentes
Offuscare decus, viuamq; abscondere formam
Cura fuit, semper vulgus, manifestaq; semper
Compita, congressus hominum vitabat, & ora.

De hac deniq; gloriosissimæ Virginis nostræ singulari planè inter Virgines omnes modestia præclarè disseruit, paulò ante memoratus Richelius art. 13. *Modestia*, inquiens, *actiones externas respicit, in quibus tu, ô Sancta Sanctarum, summè matura, compositaq; extiteras; nempe in omni, quod aiebas, delectabilis, amabilis, & gratiosa fueras, tibi namq; verissimè fatemur: Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis Filia Principis!* Cant. 7. *Neq; enim unquam sine causa manum, pedemue mouisti, non levis, non dissoluta, non pigra, non tædiosa fuisti, sed uti omnia interiora tua, gratiâ, virtutibusq; erant impleta, sic in cunctis, utiq; exterioribus factis, summè exemplaris, penitusq; ordinata extiteras; eratq; suaue, atq; amœnum, te in uniuersis contueri, tibi conuivere, tecumq; commorari, quoniam interior decor exteriùs splendebat.* Hæc Dionys.

Modestia actiones externas respicit.

91. Quid denique continentiùs, ac castiùs hâc Virgine purissimâ, atque castissimâ, cujus perpetua, & illibata penitus ante partum, in partu, post partum Dei Filij, Virginitas, tot, tantisque sacrarum literarum figuris, ac signis, symbolis, ac emblematis, tot denique omnium sæculorum laudibus decorata est? M. Continentia & Castitas.

Prædicetur ergo jure merito Virgo Deipara Lignum, & Arbor Vitæ amorosa, & gratiosa, prædicetur Arbor fructuosa, quæ pulcherrimos hoscé Spiritus S. fructûs, velut alter Christi Spiritus, velut altera vitæ Arbor germinavit. Hanc tot, tantisque cœli fructibus oneratam contemplans Vitæ Arborem, magno pietatis affectu salutavit S. Ephræm Orat. de Deip. *Aue deliciarum, totiusq; amœnitatis, atq; immortalitatis Paradise: Aue Lignum Vitæ, Gaudium, & Voluptas.* Hujus pulchritudinem considerans S. Bernardus jure merito ser. 2. de Adventu exclamavit: *O verè Lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare Fructum salutis!* Iure etiam merito Seraphicus Bonaventura in Litan. eandem Virginem *Arborem vitæ fructiferam* appellavit.

M. Lignũ vitæ portans Fructum salutis.

92. Neque verò mirum nobis videri debet Arborem hanc, ex Sylva humani generis, scelere Protoplastorum vitiati, electam, ac prælectam in Plantam adeò cœlestem, adeò preciosos vitæ æternæ fructûs germinantem commutatam esse. Manus enim omnipotentis Domini fecit hoc. Vnde dum Arborem hanc pulcherrimam in hoc Ecclesiæ Paradiso tam dulces, tam mirificos producentem vitæ Fructûs contemplor, videre mihi videor Deum Patrem peritissimum Agricolam, suæ Divinitatis vitalem illum in hac Arbore inseruisse Ramum, qui cum Arbore per naturæ communicationem quasi coalescens, atque concrescens, (effectûs Insitum illud Verbum, quod potest salvare animas nostras, si tamen volumus) Divinissimis hiscé Spiritus Sancti exuberavit fructibus. Quâ de re S. Ephræm ser. de Margar. præclarè disserentem audiamus: *DEVS*, inquir, *diuersorum egregiorum operum fons inseruit Natura Divinita-*

M. Arbor, cui Pater inseruit ramum Divinitatis, id est, Filium.

nitatem, ac tanquam in rimam quandam & scissuram suum inclusit Filium, ut qualitatem participans, naturam redderet communem in assumptione hominis. Fuit igitur MARIA Patri Arbor, Filio Mater, hominibus Fons Spiritus æterni, & pudicitiæ atq; incorruptionis præceptum. Habet pro vinculis hac insitio, Prophetarum testimonia, & oculus siue rimula, pro spatio, habet Natura distinctionem. Agricola falcem habet, qua mundat & expolit, Virginis animo priùs, ac corpore præparato, virtutem in se continens Spiritus S. Arborq; ad melioris naturæ susceptionem facta; sancta Mulieris fidem habet. Hæc S. Ephræm.

93. Cùm igitur in hanc pulcherrimam, fructuosissimamque Arborem DEUS Pater, tanquam bonus Agricola suæ Divinitatis vitalem ramum inseruerit, quid mirum, si de ea dicat Salomon: *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus.* Hebræus legit: *Lignum vitarum.* Septuaginta Interpp. *Lignum vitæ est omnibus qui complectuntur eam.* Arabicus denique: *Ipsa est Lignum vitæ, custodiens omnes qui eâ proteguntur; & qui nituntur ei, tanquã ille qui innititur Domino.*

M. Arbor vitarum, nempè temporalis & æternæ.

Quæ omnia gloriosissimæ huic sempiternæ Sapientiæ Parenti mirificè congruunt. Ipsa verè Lignum vitarum est. Quicunque enim Filiali affectu, amoreq; eã complectuntur, nõ modò longam, ut plurimum, fœlicemque (utpotè tantæ Matris obsequentes Filij, quibus longum à DEO super terram promissum est ævum) verùm etiam gloriâ, honorumque titulis, opibusque redundantem hanc temporalem traducunt vitam, siquidem *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria;* ut ait Salomon.

Verè Lignum Vitæ Spiritualis est MARIA, quicunque enim hujus Plantæ cœlestis umbrâ, patrocinioque proteguntur, adeò eis copiosam DEI impertitur gratiam (quæ vera animæ nostræ vita est) adeòque eos, ut in ea perseverent, jugiter custodit, ut ejus beneficio perennem, æternamque vitam securissimè consequantur, simulque verè experiantur verissimum esse, quod dixit Arabicus: *Qui nituntur ei, tanquam ille, qui innititur Domino.* Quemadmodum enim ille qui firmâ Spe universorum innititur Domino, frustrari neutiquam potest: verissimè enim à Sapiente dictum est: *Respicite filij nationes hominum, & scitote quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est, aut quis invocauit Dominum & despexit illum? quoniam pius & misericors est DEVS, & Protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* Eccli. 2. v. 12. Sicut, inquam, in pijssimum, & misericordissimum Dominum quis confidens non derelinquitur: ita quivis cultui hujus Matris universorum Domini, cœlorumque Reginæ addictus, atque ejus patrocinio, ac protectione fretus, votorum suorum compos, præsertim verò in tremendo illo, discriminis plenissimo mortis articulo efficiatur, necesse est.

Qui Mariæ innititur tanquam is qui innititur Domino.

In B. V. fiducia habenda.

94. Testis est pijssima illa Virgo Hispana Ordinis Cisterciensis Maria, quæ cùm adhuc esset ætate juvencula, moribus verò, ac virtutibus provecta, cum graviori morbo exercita, ad extrema, ipsasque mortis portas devenisset; eamq; gloriosissima Virgo, cujus obsequijs se ab ineunte ætate devoverat, Sanctorum Apostolorum, Evangelistarum, multorumque aliorum Beatorum choris associata invisere non fuisset dedignata, ipsius pietatis, ac misericordiæ spe, fiduciâq; plena, ab ea obnixè postulare non dubitavit, ut ex hac vita eodem die, eademque horâ, migrare mereretur, quâ & ipsa cœlos ascendit. Quod illi clementissima Virgo, pro innata sibi benignitate minimè denegavit, imò verò promisit eosdem hymnos, eâdem lætitiæ, & exultationis Cantica, quibus cœli Cives ipsi ad beatam patriam proficiscenti, congratulati sunt, eam audituram, rectaque ex hac miseriarum valle in cœlestem gloriam ingressuram. Quæ omnia cùm audisset Maria, Sanctimonialibus reliquis, quæ ipsi aderant, ipsiusque colloquium audierant cum DEI para, lætitia gestiens retulit. Et ab ea die quæ 14. erat Augusti Mensis, in sequentem usque diem, horam illam fœlicissimam suæ resolutionis expectans, in gratiarum actionibus, cœlestisque patriæ ardentissimis desiderijs, mirâ cordis alacritate perseveravit. Vbi porrò designata ad transitum hora, in horologio Monasterij insonuit, jubilans exclamavit: *Iam migrandi tempus exoptatum aduenit. Tali horâ gloriosissima cœli Regina super Choros Angelorum exaltata, ad cœlestia Regna conscendit. Dominam Ancilla sequatur.* Tum mirâ vultus serenitate, animique tripudio omnibus valedicens, purissimum Spiritum DEI Matri Patronæ suæ fidelissimæ commendatum, suo reddi-

M. Monialis à B. V. Sanctorũ Choris stipata, invisitur.

Promittit illi B. V. ex hac vita transitũ eodem die quo ipsa est in cœlos assumpta.

reddidit Creatori. Post ejus obitum facies ipsius Angelicâ quâdam pulchritudine resplenduit, color vividus, oculi splendidi, aliaque miraculosa signa, fœlicissimum hujus Virginis transitum contestantia sequuta sunt, uti videre est in Menologio Cisterciensi ad 15. diem Augusti.

95. Testis est S. Bathildis Clodovei Francorum Regis conjux, fœmina religiosissima, cuitui Divæ Virginis addictissima, utpote quæ ei, ut loquitur ipsius vitæ Auctor apud Surium 26. Ianuar. corde, & opere servierat, operibusque misericordiæ, ædificandis, ornandisque Dei Templis deditissima. Hæc igitur paucis ante diebus quàm è vita migraret: vidit ante Altare B. V. Scalam quandam, cujus vertex cœlum attingebat, Angelosque per eam ad se descendentes, seque in cœlestem Patriam proficiscentem, mirâ cum lætitia comitãtes. Nimirum eximia illa in Virginem Deiparam pietas, singularisque in illam fiducia, Scalam illam, iterque ad cœlum ei præparavit, & ideò ante ipsius Aram, ante quam frequenter illi laudes persolvebat, Scalam conspexit: effusa quoque in pauperes vera Christi membra, Charitas, & in Ecclesias sancta Dei domicilia liberalitas, gradûs illos ad sydera, Beatarumque mentium societatem, vivamque in Deiparam spem promerita est.

Bathildi Reginæ à B. V. ostensa ad cœlum Scala.

96. Pari in Deum, ejusque Matrem spe, ac fiduciâ hilaritate plenissimâ ex hac vita migravit P. Alphonsus Salmeron, unus ex primis illis Societatis nostræ nascentis Decemviris, (domestica enim exempla non desunt) qui cùm decursu vitæ tenerrimo semper in sacratissimam Virginem, uti ejus, in Christi Euangelium commentaria attestantur, ferretur affectu; deque illa diebus Sabbati, cùm totâ Italia in quadragesima conciones habebat, mirâ pietate diceret, ipsiusque præcellentias, cultumque deprædicaret, id demum consecutus est, ut diem obitus sui prævideri. Cùm enim ab Infirmario percunctatus esset, quando esset octavus B. Agathæ dies? & cras ille respondisset: *Hic*, ait, *vita mea terminus*: Tum subinde iterare cœpit: *In vitam æternum eripiar; lætabitur anima mea in Deo suo.* Rogatus quid ita esset hilaris? *Quia misericordia vias mihi patefacere incepit DEVS*, ajebat. Cùmq; vox defecisset, labia tamen agitare, Crucisque signum effingere manu conabatur, quoad collabentibus membris, oculis in Christi Domini de Cruce pendentis, & Deiparæ Virg. effigiem defixis, in quam semper dum viveret suas spes omnes, post Deum defixerat, acquiescens, æternum ligni vitæ fructu fruiturus, obdormivit. Bourghesius in Societ: Mariana cap. 8.

P. Alphonsus Salmeron spe, lætitiáq; plenus, defixis in Crucifixi & B. V. effigiem oculis moritur.

97. O quam præclarè de hac in Dei Matrem reponendâ Spe, si in cœlum securè evolare desideramus, præclarus ille Theologus Martinus de Magistris in Paraph. super Salve Regina Virginem alloquens, eamque Spem nostram salutans, disseruit: *O quot, ò quot in te bonorum nostrorum repositas expectationes videmus! Si contendimus ad illas æterni cubilis delicias, si ad immortalis quietis pulvinaria, si ad ipsos quam suauissimos Maiestatis Sinus pergimus, nulla semita, nullus aditus, nulla nobis patet, nisi per te percursio. Et nos quidem tantarum rerum repercussi fulgore, deterritiq; asperitate itineris, desperantium languore tabescimus, usq; dum nostri miserata, infusâ luce, semitam pandis, & porrectâ dexterâ, tuo fœlici ductitas auspicio. Quid enim nobis ille nostri generis Princeps, Paterq; Christus, vel inter tot sæculi blandimenta, fructuosius, vel inter tot adversa suaviùs contulit, quàm quod te Spem nobis & humanissimam, pietate; & auctoritate, illustrissimam, ad immortalem gloriam præfecerit? Sese nobis subtrahit, erigitq; in altum cœlestium divitiarum immensitas? Tu demittis. Sese obviam exhibet venenata voluptas? Tu reijcis. Se in iniuriam nostram Adversitas accingit? Tu honestis fœderibus componis. Summo splendore lucis ictum, refractumq; oculum, aperis. Exhaustas inter obedientiæ munera vires reparas, & suo, delictorumq; pondere torpentem hominis molem excitas, accendis, inflammas. Tu à nobis pericula, Tu detrimenta, propulsas salutis.*

M. Vnica Spes nostra post Deum.

Nullus nobis ad Deũ aditꝰ patet nisi per M.

Nil nobis Christus in hoc mundo fructuosiꝰ contulit, quàm M. Spem nostram ad gloriam.

Adest miseris sanctum illud tuum, perbenignumq; Numen, in quo tanta, tam frequens, tamq; virilis auxiliorum copia est, ut pro eorum multitudine vinci, & pro magnitudine non vincere non possimus. Neq; enim mortalium, atq; immortalium Princeps, DEI te, atq; hominum Parentis magnificentiâ refersit. Non sacrum illud in te Virginitatis & Partus consortium intulit. Non prohibuit ne nostri generis inficereris contagio, non summis virtutum generibus excoluit, non tot tantis, tamq; incredibilibus sanctimoniæ meritis ornauit, nisi quatenus unâ te intueremur, cuius non modò dicam exemplo, verùm etiam interventione,

B.V. à nobis pericula, ac detrimẽta salutis propulsat.

& immortales desperare copias, & malorum perennitatem jugiter formidare cessaremus. Concludit tandem hoc epiphonemate Vir pijssimus, pijssimam hanc ad Virginem orationem: *O Spei mortalium illustrissimum decus Maria.*

M. Spei mortaliũ decus.

98. Verè enim spei cuicumque tandem nostræ, suum quodammodo ornamentum deesse videretur, nisi Virginis patrocinio, ac tutelâ, veluti diademate quopiam coronaretur, nisi amœnissimâ, ac securissimâ hujus vitalis Arboris & umbrâ protegeretur, & fructu pasceretur. Cùm enim noxius ille, assiduusque cupiditatum calor charitatem, aliasque virtutes, quæ quoddam humidum radicale, & vitæ spiritualis quasi fundamentum atque fomentum sunt, assiduè depascatur, nisi hæc vitalis Arbor Divinæ gratiæ fructibus, miseros nutriret mortales, & vigorem, cupiditatum calore deperditum, restauraret, ad senium quantocyùs, vitæque spiritualis vergeremus interitum. Quod ergò Planta illa cœlestis hominibus olim, aureis illis sæculis in statu justitiæ originalis collatura erat beneficij, ut nempè vitam fœlicem, beatamque omnis senectutis languore, mortisque interruptione expertem degerent, & ad æternam tandem suavissimè, remotis obstaculis omnibus, quæ nobis modo à mundo, carne, Satanaque inijciuntur, pertransirent; hoc sanè Deiparæ tutela, ac patrocinium velut suavissimus tam magnæ Divinæque Arboris fructus, omnibus ejus cultui addictis clientulis conferre consuevit.

Humidum radicale B.V. velut vitalis Arbor in nobis reparat.

99. Degunt sanè Virginis dilecti filij vitam spiritualem, vitam semper vividã, ac vegetam, omnis languoris, senijque vacuam. Quicquid enim innatus nobis cupiditatis ardor de humido radicali gratiæ, ac charitatis depascitur, hoc vitali suo fructu, fructu verè benedicto solet instaurare. Quod sane perspicuè videre est in pijssimis illis adolescentum Cœtibus, qui sese, peculiari studio colendæ Virginis addixêre. Hi siquidem sub hujus vitalis Arboris umbrâ protectioneque degentes, assiduâ Sacramentorum frequentatione, & esu præsertim deliciosissimi illius Fructus ventris Virginalis, id consequuntur, ut vitam quandam beatam, vegetam, ac viuidam, omnibus Christianis virtutibus exaggeratam, senijque omnis, ac mortis (quàm lethale crimen infert) exortem traducant, & vitæ tandem inculpabilis, ac sanctæ assiduâ innovatione, juventutem rejuvenescentis Aquilæ quandam indepti, ad vitam illam, gaudijs, ac delicijs cœlestibus delibuti transvolent sempiternam. Agnovit hosce Divinos Paradisiacæ hujus Arboris Fructûs magnus ille Imperator Leo Hom. 7. quando Virginem salutavit: *Ave Paradise cujus fructum edentes insitam nobis, & interitus effectricem rubiginem abiecimus, & ad floridam, senijq; expertem formam traducti sumus.*

M. clientes vivunt vitam spirit9, senij, mortisq; exp[...]m

B.V. Cõgregationes degũt sub Vitalis Ligni umbra.

MariaArbor cujus fructus senium spiritus depellit.

100. Hujus vitalis Arboris mirabilem hunc admirans Fructum Seraphicus Doctor cap. vlt. spec. jure merito exclamavit: *O verè super omnia diligendus Fructus, propter quem tam sublimiter plantatur in cœlo omnis electus.* Vnde mellifluus Bernardus, de miris hisce Virginalis sui ventris Fructus effectibus Deiparam his verbis gloriantem introducit, vt ibid. eum citat Bonaventura: *Angelicarum generationum numerus per meum Generatum redintegrabitur, & hominum generatio per Adam maledicta, per benedictum Fructum ventris mei ad æternam beatitudinem regenerabitur.*

Per B. V. gloriosum Fructum, in cœlo plantatur omnis electus.

Per B. V. Fructum Angelorũ ruinæ restaurãtur, & hominũ generatio per Adam maledicta, ad beatitudinem regeneratur.

De hoc cœlesti fructu locutum fuisse Salomonem censet idem Seraphicus Pater, cùm dixit: *Fructus Iusti Lignum vitæ. Optimus Fructus iste,* inquiens, *dictus est Lignum vitæ, quia sicut Lignum fuit ad conservandam vitam naturalem in Paradiso terrestri, sic Christus est ad conservandam vitam æternalem in Paradiso cœlesti.* Tandem ad finem capitis cùm hujusce Virginei Fructus duodecim alios retulisset fructûs seu utilitates, præsertim verò gratiæ & gloriæ, Virginemque esse Lignum illud Vitæ ab Angelo Ioanni demonstratum simul cum fluvio crystallino insinuasset, apostrophe ad Virginem facta ita eam deprecatur: *Adjuva ergò nos ò Benedicta in mulieribus, ut per benedictum Fructum ventris tui, benedictionem horum duodecim fructuum consequamur. Adjuva ò Virgo fructifera, ut per fructum tuum, his fructibus ita fructuosi efficiamur, ut per hos fructûs, Fructu tuo frui perpetuo mereamur. Adiuva ò dulcissima, ut nobis concedat dulcedine suâ frui, ille liberalissimus communicator sui benedictus Fructus ventris tui.* Hæc Bonaventura.

Maria est Virgo fructifera, quæ fructu suo nos reddit fructiferos.

101. Satis superque in Paradiso versati sumus hactenus, ubi videre licuit, quânam ratione Fluvius ille aquæ vivæ crystallinus, & Lignum vitæ, Spiritum S. ipsamque Deiparam nobis expressit, quę Divini amoris vi cum in Spiritum illum sanctis-

sanctissimum fuerit, uti diximꝰ, transmutata, jure merito ejusdem spiritus præconia, ac laudes sibi fecit esse comunes.

Ingrediamur jam in Templum Salomonis, quod alter quidam Paradisus fuisse videbatur. In quo, præ cæteris omnibus occurrit contemplandum Candelabrum illud aureum, lilijs, cythinis, malogranetorum floribus, amygdalis, sphœrulis, septenisque lucernis exornatum, ita Domino Moysi Exod. 25. præcipiente: *Facies & candelabrum ductile ex auro mundissimo, hastile ejus & calamos, scyphos & sphœrulas, ac lilia ex ipso procedentia. Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, & tres ex altero. Tres Scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphœrulaq; simul & lilium. Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso.* Idem hoc Candelabrum vidit Zacharias Propheta, illudque cap. 4. his descripsit verbis: *Vidi & ecce candelabrum aureum totũ, & lampas eius super caput ipsius, & septem Lucernæ eius super illud, & septem infusoria lucernis quæ erant super caput eius. Et duæ Olivæ super illud, una à dextris lampadis, & una à sinistris eius.* Candelabrum hoc tam miro artificio fabrefactum typus quidam, ac figura spiritus extitit Divinissimi. Vnde visionem hanc Rupertus Abbas exponens lib. 2 in Zach. cap. 4. ita loquitur; *Sicut Candelabrum aureum septem lucernis exornatum denotat Spiritum S. ita Lampadem quoq; illam in candelabri vertice septem lucernis, infusorijsq; circumseptam ejusdem dona; duas verò Olivas duplicem ejusdem Spiritus S. missionem designare: Spiritus,* inquit, *quia vnus est, lampas vna dicitur, & quia septiformis est, ob septem eius dona, septem eius lucernæ dicuntur.* Et quia duas olivas illas, duos filios olei appellârat, idem doctissimus Abbas ait eas esse duo Data Spiritus Sancti, sive duos effectus illius omnipotentis gratiæ. *Qui duo filij olei Dominatori universæ terræ assistere dicuntur, quia semper promptum, & paratum est uni DEO Patri, & Filio, & Spiritui S. remissionem peccatorum, & insuper quamlibet divisiuam gratiam dare, & prout vult distribuere.* Hæc ferè Rupertus.

Aurei Candelabri in Templo Salomonis descriptio.

Candelabrum aureum denotat Spiritum S.

Semper paratus est Pater & Filius & Spiritus S. dare remissionem peccatorũ

102. Hanc eandem Candelabri, lampadis, lucernarumque interpretationem in laudem DEIparæ nonnulli sanctorum Patrum feliciter transtulerunt. Et meritò sanè. Congruum enim, convenienſq; fuit, ut ea quæ in hunc Divinissimum Spiritũ erat transformata, sicut de ejus plerisque proprietatibus, sic de ejusdem laudibus, titulisque participaret.

B.V. Candelabrum Aureum.

Agnovit Virginem lucidissimam esse Lucernam, antiquissimus ille Edessenes Ecclesiæ in Syria Diaconus S. Ephræm qui serm. de laud. DEIparæ inter innumeras laudes reposuit hanc sanè illustrissimam: *O Virgo Sanctorum omnium, ac Virginum Corona, ob immensum fulgorem, atq; splendorem inaccessa, Thuribulum aureum Lucerna clarissima.* Lucernam hanc vidisse visus est S. Bernar. Orat. de laud. B.V. quando mirificis ejus splendoribus ipsius oculorum acie repercussâ, menteque stupore attonitâ exclamavit: *O lampas luculentissima quantos lætificasti, quando splendore DEI illustrata desideratum illud lumen, quo inuenta est drachma decima sedentibus in umbra mortis protulisti.* Idem agnovit S. Ioannes Damasc. Orat. 1. de Dormit. DEIp. quando Virginem gloriosissimam Candelabrum appellavit, ex quo lumen illud sempiternum & inaccessum prodijt. In eodem Candelabro DEIparam agnovit Andreas Cretensis orat. de Annunc. quando cum Elisabetha in has ejusdem prorupit laudes: *Benedicta,* inquiens, *tu inter mulieres quàm Zacharias Vir Divinissimus aureum velut Candelabrum septem vidit lychnis ornatum, nimirùm septem illis Spiritus Sancti donis clarum, & lucidum.* Agnovit & Leo Imperator sapientissimus Virginem esse Candelabrum, ac Lucernam ad mundi hujus Templum Divinis suis splendoribus illustrandum, unde eam insigni pietatis affectu consalutavit, Homil. 7. *Salve Lucerna, ex qua splendor Patris elucescens, cùm mundum in Templum Genitori dedicasset, eundem suæ cognitionis lumine collustravit.*

Maria Lucerna clarissima.

MARIA Lampas luculentissima.

MARIA Candelabrum aureum septem lucernis insigne

103. Idem pijssimus Imperator aureum illud Candelabrum Virginis umbrâ extitisse rursus clarè docuit Hom. 6. dum eam sic alloquitur: *Erat Israëlitis aureum Candelabrum septenario luminum fulgore conspicuum, & Vrna, in qua Manna servabatur, & Virga Virginitatis tuæ præconium, quasi florem emittens, & id genus alia, quibus natio illa, super omnes meritò nationes sese efferebat. Sed evanuerunt hæc omnia simul cum inclyto nomine & majestate. Te enim cùm adumbrarent, aduentu fulgoris tui abdita sunt. Tu verò tanquam perpetuo lumine collustratum Candelabrum tenebras pellis, liberasq;, & liberasti à morte peccati, & totum mundum floribus, quos producis benè olentem efficis; & quæ salutis florem tulisti, alis eundem* vitali.

MARIA perpetuo lumine collustratum Candelabrum tenebras pellit.

vitali illo ex te confecto Pane. Hæc Leo & quidem disertissimè, qui etiam mysteria nonnulla eo Candelabro reclusa, effectusque ejus luminis admirabiles simul pandit.

104. Eadem Candelabri hujus mysteria uberiùs explicuit Anastasius Episcopus Nicænus q. 53. in scriptur. Cum enim Virginem gloriosissimam, Lampadem esse, quæ septem lucernis, id est, universis Sanctis (septenarius enim numerus, perfectionis & uniuersalitatis numerus est) oleum Divinæ gratiæ, & doctrinæ post Christum instillat, siquidem Sancti Veritatis ipsius testimonio Lucernæ sunt Ioan. 5. *Ille*, scilicet Ioannes Bapt. *erat Lucerna ardens & lucens.* Cùm, inquam, hæc dixisset Anastasius, subintulit illicò quæstionem: *Quod est Candelabrũ?* sibique respondit: *Sancta MARIA. Cur autem Candelabrum? quia materia expertem Lucem gestavit DEUM incarnatum. Cur autem totum aureum? quia post partum mansit Virgo. Quenam sunt septem Lucernæ? Septem leges. Lex enim est Lux.* Prou. 6. Vide apud ipsum recensitas has leges, si cupis. *Quæ sunt septem infusoria? Septem dona Spiritus Sancti, quæ recenset Isaias c. 11. Quænam sunt duæ Oliva? Duo testamenta. Sicut enim olea habet folium semper virens, ita etiam duo Testamenta habent perpetua & nunquam cessantia de Christo testimonia.*

B.V. Lampas est quæ septé lucernis, id est, omnib9 Sanctis oleum Divinæ gratiæ subminiistrat.

105. Verè igitur Virgo DEIpara aureum est Candelabrum, Opus non fusile, sed ductile, arte Spiritus S. Ignipotentis malleatoris illius, qui uti in ejus utero tanquam officinâ sibi propriâ (sic enim Arnoldus Abbas Carnotensis B.V. appellat) Christi humanitatem tanto efformavit artificio, ut eam Rupertus Abbas lib. 1. de Spiritu S. Operibus cap. 2. *Primum, ac præcipuum Opus, quo pulchrius, ac pretiosius nullum unquam Spiritus S. effecit*, fuisse pronunciârit: sic in Virgine hac effingenda quicquid in arte sua Magistra Divinissima erat reconditum industriæ, exeruisse visus est. Et in primis quidem singulari suo, Divinoque artificio DEIparam Opus quoddam ductile effinxit, ut eam facilem, ductilem, atque flexibilem ad benignitatem, pietatemque peccatoribus exhibendam eandem futuram demonstraret, uti supra ostendimus.

Humanitas Christi primum & pulcherrimum Op9 Spiritus S.

MARIA Candelabrum ductile, quia facilis & flexibilis est ad benignitaté.

Fuit Candelabrum illud totum concavum, quo viscera pietatis Sapientissimæ Virginis nostræ, oleo misericordiæ plenissima fuisse denotentur.

Fuit Candelabrum illud aureum, quo nobis Virgo tota preciosa, tota charitate, atque cœlestis sapientiæ nitore præfulgens tota purissima repræsentaretur.

106. Quod si Candelabrum illud speciem quandam pulcherrimæ Arboris, in qua hastile, truncum; calami, ramos; lilia, & cythina, flores; sphœrulæ & amygdala, poma & fructûs, præseferebant: quis non videat sacrosanctam DEIparam hoc Candelabro clarissimè adumbratum, quandoquidem DEI Mater Arbor fuit amœnissimâ, ac fructuosissima in Paradisi totius Ecclesiæ meditullio, superni illius Agricolæ manu plantata Divinitus? Arbor, inquam, fuit MARIA Virgo sacratissima, Arbor mysterijs plenissima. Quid enim poma, quid cythina, & lilia, in uno Candelabro, nisi Virginitatem, cum Fœcunditate, inaudito prorsus nexu copulatam in Virgine fuisse adumbrârunt? Quid amygdala? (quæ in sacris paginis symbola sunt vigilantiæ. unde Zach. 9. *Virgam illam vigilantem*, exposuêre alij; Virgam amygdalinam) quid, inquam, amygdala, quæ præ cæteris arboribus flores, fructusque celeriùs, ac maturiùs producere consueverunt, quàm celerem expeditamque Virginis ad subveniendum mortalium necessitatibus promptitudinem, ac vigilantiam? Quam ob causam jure meritissimo DEIparam gloriosissimam describere quis posset; Virgam esse amygdalinam pulcherrimis floribus, suavissimisque fructibus decoratam.

Candelabrum speciem arboris præseferens Mariam notabat.

B. V. Amygdalus ob vigilãtiam in succurrẽdo nostris necessitatibus.

Maria Virga Amygdalina ob promptitudinem succurrẽdi hominibus.

Quid Scyphi illi denotant, nisi sitis illius variarum mundi, carnisq; cupiditatum, quæ in mortalium pectoribus assiduè exardescit, Virginem unicam esse restinctionem, ac refrigerium?

Quid Sphærulæ, nisi incredibilem Virgineæ mentis puritatem, nisi terrenorum despicientiam, quâ tanto tempore, tamque diuturno post dilectissimi Filij in cœlum ascensionem in terris degere coacta, ad totius Ecclesiæ spirituale emolumentum, ac solatium, omnis penitus rerum humanarum labis expers, ita vixit, ut ad instar sphœræ vix in puncto eas tangere videretur. Quâ de causa Poëtarum Princeps bonum describens Virum eum sphæram quandã esse dixit:

Hic Mundi instar habens totus teres atq; rotundus,
Externæ ne quid labis per denia sidat.

Vir bonus sphœræ comparatur, & quare?

107. Quid denique Lampas illa in capite seù vertice Candelabri, septem lucer-

lucernis, totidemque infusorijs circumdata, nisi ipse Divinissimus Spiritus, qui & sacrosancta præsentiâ suâ, & septenis illis suis donis, ac charismatibus replevit, sanctificavit, exornavitque Deiparam, ut caput ejus, ac Sponsus (qui Spósæ, ac mulieris caput dicitur) esse videretur.

Vt autem Spiritus Sanctus qui per Zachariam loquebatur declararet suam hanc dilectissimam Sponsam, majora indies sanctitatis fecisse incrementa, rectè addit Candelabro illi septem infusoria fuisse, quibus oleum lucernis assiduè ad lucem, divinumque ignem fovendum suppeditaretur. Addiderit fortasse idem Propheta binas illas Candelabro, seu Lampadi olearũ spicas, seu ramos, baccis ad instar tritícearum spicarum granis refertos, ad insinuandum, numquam an...to huic Candelabro, sivè Lampadi, lucernisque ad lumen nutriendum oleum divinæ gratiæ deesse potuisse. Siquidem à dextris, & sinistris oleæ fructibus onustæ latera stipabant candelabri, quo oleum exprimi, & semper affundi pro opportunitate posset. Quod si dixerimus binas illas Oleas, à dextris, sinistrisque Lampadi, & Candelabro circumstantes, duplicem esse Virginis misericordiam, qua cor ejus sacratissimum atque pijssimum, nostrarum miseriarum tam corporis, quàm animi notitiâ ambiri atque circumdari consuevit, nil alienum à Virgineæ pietatis præstantiâ, ejusdemque laudibus, dixerimus.

Maria duplicem habuit misericordiam secundum duplicem nostram animæ & corporis miseriam.

108. Quod si denique Lampadem illam in capite seu vertice Candelabri, infusorio carentem, dilectissimum ejus Filium, qui & caput Virginis, & totius generis humani, imo & Angelicæ totius Hierarchiæ à Deo Patre constitutus est, nil à recta ratione dissonum pronunciabimus. De hac enim Lampade vaticinatus est Isaias c. 42. *Propter Sion non tacebo, donec egrediatur, ut splendor justus eius, & Salvator eius ut Lampas accendatur.* Quæ Lampas cum lumen Divinitatis & gratiæ à se habuerit, illudque in Virginem, reliquosque Iustos velut caput copiosissimè derivarit, meritò de ejus infusorio altum est silentium. Qui enim & Divinitatem, omniaq; attributa à Patre, velut à lumine lumen, ante omnium sæculorum exordia derivavit, quique à Deo suo, oleo lætitiæ, & exultationis unctus est, qua homo, præ consortibus & participibus, hominibus nimirum, quibus carne & sanguine, adeoque humanitatis communicatione participavit, alio infusorio extrinsecus adveniente, id affatim supplente Divinitate, non indigebat omninò.

Duæ Olivæ juxta Candelabrum duplex B. V. misericordia.

Lampas in vertice Candelabri Virginei est Christus caput B. V. & totius Ecclesiæ.

109. Qua in re etiam sacratissima Dei Mater Filium, uti in reliquis omnibus, imitari atque æmulari pro posse suo visa est. Vnde Hesychius Præsbyter Hier. ser. 2. de Deip. eam *Lucernam oris expertem, quæ à se jugiter ardeat*, nuncupavit. Sanctus verò Epiphanius lib. de laud. Virginis eandem salutans: *Ave gratia plena*, inquit, *multis virtutibus exornata Virgo in lampade gestans lucem inextinguibilem, Sole splendidiorem.* Quibus verbis sanè admodum significantibus, & illibatam Virginis integritatem, & flagrantissimam illam continuamq; quâ à primo suæ creationis instanti exarsit charitatem, declararunt. Quo quidem instanti Spiritus S. admirabili artificio eam velut alterum Candelabrum aureum, ductile, atque intrinsecus concavum sibi formans, tam copioso suæ gratiæ simul explevit oleo, ut plane à se ardere, nullo extrinsecus ullius creaturæ emendicato adminiculo videretur. Vnde meritò Salomon ignem illum amoris, lucemque Virgineæ sapientiæ, ab interno Spiritu Christi, oleo Divinæ gratiæ nutritam agnoscens; *Non extinguetur*, inquit, *in nocte Lucerna eius*, Prob. 11. Quare & S. Cyrillus Hom. cont. Nest. *Lampadem inextinguibilem DEIparam* vocitavit.

Maria lucerna à se jugiter ardens.

Maria Lampas lucem gestans inextinguibilem, Sole splendidiorem.

Maria lampas inextinguibilis.

110. Agnovit etiam in Lampade illa Christum Dei Filium idem S. Epiphan. li. de laud. Virg. *Sancta Virgo*, inquiens, *& Mater Christi, splendidam lucernam relucentem in cœlo, & in terra Christum gestavit, ad quam Propheta Zacharias: Ecce Candelabrum aureum, & facula super ipsum. Quin etiam David Canticum hoc suavissimum inclamat: Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Tandem Lampadem & Lucernam illam Divino fulgore coruscantem, de hoc Virgineo Candelabro procedentem Christum natum de Virgine mundum universum irradiantem agnoscens, quasi extra se positus, admirationeque perculsus exclamat: *O Candelabrum Virgineum, quod illuminavit tenebris involutos. O Candelabrum Virgineum repellens tenebras, & lucem splendere faciens. O Candelabrum Virgineum, quod ignem & oleum inseparabile ad illuminandum intulit. O Candelabrum Virgineum,*

Maria Candelabrum gestans lampadem, ac Lucernam Christum.

gineum, quod ab Altissimo Throno accepit ter lucidum Ignem, unum, inextinguibilem, consubstantialem, & ad illustrandam terram resplenduit. O Candelabrum Virgineum, de quo per Prophetam DEVS inquit: Illuc producam cornu David paravit Lucernam Christo meo. Hæc Epiph.

111. Cùm igitur in Candelabro illo, ac Lampade & Dei Filius, & Spiritus S. & simul Dei para Virgo à Patribus agnoscatur, jure meritò inferre possumus eam Divinissimo huic Spiritui quàm simillimam extitisse, cumque ejusdem Divinitate quodammodo participasse. Si enim pijssimus Imperator Leo Hom. 4. dixit aliquando de Christi Apostolis, ac Discipulis: *Spiritus S. linguâ igneâ cuilibet Discipulorum insedit. Aderat quidem una his prius, pridemq; nunc verò magis præsentiam suam præstabat, & omne, si quid rerum inferiorum, & pulveris illis adesset, dissolvebat, & ad Divinam ipsos assumebat cognationem. Consentaneum enim fuit rationi, ut qui missi essent ad mundum instaurandum, partcipes fierent Divinitatis à summo rerum Opifice donata:* Si inquam hæc pijssimus Imperator sensit de Apostolis; quanto magis existimandum est Dei param Virginem cognationem & participationem cum Spiritus Sancti habuisse Divinitate, siquidem in ejusdem Sacrarium, ab ipso conceptionis suæ instanti consecrata, ejusdemque castissima Sponsa (cui omnia cum Sponso communia esse consueverunt, adeò ut sint duo in carne una) effecta est?

B. V. per Spiritum S. particeps fuit facta Divinitatis.

112. Crediderim sanè hujus etiam Spiritus operâ, in sua conceptione Virginem hanc sacratissimam nobilissimum illud, optimumque corporis sortitam fuisse temperamentum, complexionemque sanguineam, calidam, ac humidam, ut ita proprietates, ac qualitates quasdam ejusdem Spiritus Sancti, calorem nempè, cum sit ignis, humiditatem, cum sit aquæ vitæ fluvius, atque adeò vitam ipsam, in calido, humidoque radicali consistentem, æmulari (utpotè, quæ mortalium omnium salus, ac vita erat futura) videretur. Cùm enim Divinissimus hic Spiritus Amor sit substantialis, & Parentes Virginis ex Amore Divino, omni concupiscentiæ ardore semoto, ut ex S. Brigitta & Galatino supra demonstratum est, convenerint, verisimile est, amantem, amabilemque complexionem (quæ sanguinea esse consuevit) suæ amantissimæ Naturæ quam simillimam Virgini pulchræ Dilectionis Matri communicare voluisse, ut ita amator hominum benignissimus Christus eandem Matris complexionem sortiretur, essetque totus amabilis, totus desiderabilis, totus candidus & rubicundus; verbo, humani generis totius Amores atque deliciæ. Quemadmodum enim in corde humano tanquam in officina, sanguis, calor, vitalesque spiritus, quos Plato ignem appellavit, sic & amor generatur. Vnde quo magis quempiam sanguine, caloreque abundantem, magis etiam amantem, magis benevolum, amabilem, facilem, flexibilemque experimur, cum, ut ait Aristoteles; Humidum sit quod facile alienâ figurâ terminatur. Quare idem Philosophus in Problematis cum quæsijsset cur amantes amatum complecti cordique applicare, atq; apprimere consueverint; causam ad cor, quod sedes amoris est, retulit. Cùm ergò Dei, Virginisque Filius ejusque Mater sanctissima hominum amatores ferventissimi, omnibus amabiles, omnibus benigni, ac faciles, flexibiles, atque exorabiles esse debuerint: & cum præterea Christus ad testificandam, declarandamque suam in genus humanum charitatem, ex omnibus venis omnem sanguinem copiosissimè ad instar aquæ effusurus esset (adeo ut verissimè in persona Christi dixerit David: Sicut aqua effusus sum) decuit sanè & Filium, & Matrem, optimum hoc, ex communi Medicorum sententia, nempè sanguineum nancisci temperamentum.

Maria complexioné sanguineam calidam humidáq; sortita ope Spiritus Sancti.

B.V. amantem amabilemque complexioné tanquam Mater pulchræ dilectionis sortita.

Complexionis sanguineæ laus.

Humidum est quod facile alienâ figurâ terminatur.

Maria & Christus complexionis sanguineæ, ac proinde hominum amantissimi.

113. Non dissimilem habuisse visi sunt complexionem Virginis aui, atavique, qualis fuit magnus ille Rex David Vir secundum cor Dei, de quo 1. Regum c. 17. dicitur: *Erat autem adolescens rufus, & pulcher aspectu.* Quam sanè nobilissimam, atque amabilissimam indolem, Heroica illa in primos quosque, etiam inimicos benignitate atque charitate totius vitæ suæ decursu demostravit; ut de sanctissimis Virginis Parentibus sileam, qui simplices, amabiles, sine querela, pleni charitate, pij, hospitales, & misericordes in pauperes, egenosque fuisse feruntur. De his S. Hieronymus ser. de Nativ. B. V. *Vita eorum simplex & recta apud Dominum, apud homines irreprahensibiles erat, & pia. Ita isti DEO chari, & hominibus pij, omnem substantiam suam trifariam*

Mariæ Avi ac Parentes natura benignissimi.

Ioachim & Anna facultates suas Templo & pauperibus erogabant

viam diuiserunt, unam partem Templo, & Templi seruitoribus impendebant, aliam peregrinis, & pauperibus erogabant, tertiam suæ familiæ usibus, & sibi reseruabant. Vnde apparens Ioachimo Angelus: Non, inquit, in visione mea turberis, ô Ioachim, ego enim sum Angelus Domini missus ab ipso ad te, ut annuntiem tibi eleemosynas tuas ascendisse in conspectu eius &c.

B. V. eleemosynis & peregrinationibus parentes à Deo impetrârunt

Similia habet Sanctus Vincentius ser. 2. de Nativit. B. V. Non solùm autem eleemosynis in pauperes erogatis, hospitalitate, alijsque pijs operibus benedictam hanc, omnibusque sæculis desideratam prolem à Deo impetrârunt, verùm etiam sanctis peregrinationibus. Vnde idem S. Vincentius eodem serm. *Peregrinati sunt de Nazareth usq; Hierusalem sæpè, & discalceati.*

M. Filia hospitalitatis, & peregrinitatis, eleemosynę, & misericordiæ.

Vnde non immeritò Vir quidam Religiosus, ac Doctus, Virginisque devotissimus has pientissimorum ejus parentum virtutes expendens, eam Filiam hospitalitatis, & peregrinationis, misericordiæ, & eleemosynæ, temperantiæ, & abstinentiæ; jejuniorum, ac lacrymarum; castitatis, ac continentiæ; deniq; Fidei, Spei, & Charitatis Filiam nominavit, eò quod hæ virtutes in ejus Parentibus, utpotè purissimis, atque sanctissimis, omnisque virtutis lucidissimis speculis effulserint, & benevolam illam, benignam, plenamque Charitatis visceribus, amantemque indolem Filiæ communicârint.

114. Quinam verò ex his duobus conjugibus sanctissimis, sanctior, quis pluribus præditus Dei donis, ac virtutibus, non est facilè quid certi definire. Sancto Vincentio serm. jam citato videtur sanctior fuisse Anna; *quia*, inquit, *Anna habuit maiorem participationem cum V. Maria, quàm Pater, quia Patres propter negotium temporale parum curant de pueris paruis, sed Matres Sicut ramus violarum plùs redolet in illo, qui diu eum portat, quàm in eo qui solum tangit. Sic est in proposito. Quia facit Pater in generatione Filij, atq; si daret ramum violarum Matri, & recedit. Sed Mater portat in utero, & post Natiuitatem lactat, tenet in brachijs, osculatur, &c. Ideò Ioachim parum fecit.* Hæc S. Vincentius Apostolicæ simplicitatis Stylo.

S. Anna sanctior videtur fuisse Ioachimo, & cur?

Alijs porrò sanctior videtur fuisse Ioachim, quia ut ait S. Hieron. in c. 44. Ezech. *Post DEVM omnium Patrem diligendus est Pater.* Additque de Matre: *Illum verò DEVS magis diligit, in quem maiori officio Maria tenetur. At magis tenetur & obligatur Patri*, quia ut docet Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 26. art. 10. *Amantur Pater & Mater ut principia naturalis originis. Pater autem habet excellentiorem rationem principij quàm Mater, quia Pater est principium per modum agentis, Mater autem magis per modum patientis, & ideò per se loquendo Pater magis est diligendus.*

Alijs videtur sanctior fuisse Ioachim, & quare?

Pater magis diligendus quàm Mater, utpotè principium activum.

Accedit quod S. Ioachim, utpote Paterfamilias ipse eleemosynas erogabat in pauperes, ipse peregrinos hospitio recipiebat, ipse opprobria sterilitatis, ac contumelias Hierosolymam in festis solennioribus proficiscendo, cum publico dedecore & confusione, magnâ sui victoriâ, egregiâque patientiâ sustinebat.

Iam si Virgo Deipara tam sanctis, tantisque virtutibus, præsertim charitate præditis orta est Parentibus, quid quæso Sanctitatis, quid Pietatis, quid Charitatis, reliquarumque virtutum habuisse credenda est, eorundem tantopere à Deo, superisque omnibus dilecta Filia? Has sanè creaturarum nulla assequi unquam potuit.

Seraphinorum amor cum Amore Deiparæ non conferendus.

115. Laudatur à sacris literis, Patribusque Amor ille ardentissimus, excellentissimaq; illa Charitas supremæ, Deoque vicinissimæ Angelorum, qui ab amoris incendio nomen invenerunt, Hierarchiæ. Sed hæc cum amore Virgineo ne minimâ quidem ex parte conferri ullâ ratione potest. Nam ut reliquas imperfectiones Charitatis illius taceam, illa sanè, nempè cessabilitas, quâ nimirum aliquando ab Amore Divino cessare potuerunt, uti cessavit Lucifer, ejusque asseclæ, admodum notabilis est. Quam Sanctus Antoninus cum B. Alberto Magno 4. Par. tit. 15. cap. 44. expendens, & cùm gloriosissimæ Virginis incessabilitate conferens, doctissimè disseruit: *Incessabilitatem*, inquiens, *habuit B. MARIA super Seraphim, quod sic probat Albertus: Magis incessabile est quod non cessat, nec potest modò cessare, nec unquam potuit cessare, quàm quod non cessat, nec potest cessare, sed tamen potuit aliquando cassare. Sed Charitas Seraphim, & si non potest modò, potuit tamen aliquando cessare, scilicet in prima eorum conditione, seu creatione, quod patet, per exemplum Luciferi, qui secundùm B. Gregorium supremus fuit de ordine Seraphim, qui à Charitate sibi collata ce-*

Charitas B. V nunquam cessavit, nec potest cessare.

cidit de cœlo. Sed Charitas B. Mariæ nunquam potuit cessare, quod ostenditur per hoc, quia Charitas non potest cessare, nisi per mortale peccatum. Sed nunquam potuit peccare mortaliter, quia in utero sanctificata antequam posset peccare per ipsam sanctificationem ita fuit confirmata in gratia, & Charitate, quod postea peccare non potuit etiam venialiter. Vnde nec amittere Charitatem, quod tamen potuerunt Seraphin agere, & de facto aliqui amiserunt, scilicet Lucifer cum suis. Ergo B. Maria in hoc omnes excellit.

M. impeccabilitas.

116. Accedit alia Virgineæ hujus Charitatis excellentia, quæ Seraphinis minimè convenire potuit. Hæc ex intima Deiparæ cum Incarnato Verbo conjunctione, morumque similitudine suam trahit originem. Quâ de re præclarè ecstaticus Dionysius Richelius lib. 1. de Præcon. & Dignit. B. V. art. 11. *Vnio*, inquit, *ex similitudine procedit, quoniam similitudo dilectionem efficit, dilectio autem amantem, amatumq; coniungit. Iam igitur cerno Virgo gloriosa, quoniam quo DEVS se tibi viciniùs atq; intimiùs unit, eò vehementiore te Charitate complectitur, & ardentiùs diligit. Sed post personalem illam Verbi, Humanitatisq; copulam, aliam quæ unioni, quâ se tibi coniunxit DEVS sublimis, similem non intueor, neq; reperio. Descendit quippè, ò amabilis Maria, non iam dumtaxat ad te, sed in te quoq;, in medio uteri tui; in visceribus tuis sibi mansionem, quietemq; delegit, qui in fonte Paterni Cordis, qui in luce æterna mentis, atq; in Sinu Patris incommutabiliter consistit. Deniq; induit carnem ex te, & factus est aliquid tui, uti parentis est aliquid Proles. Itaq; nunc si ritè concipio, DEI, tuiq; ò Maria coniunctio non est tantùm per illuminationem, aut amorem, extrinsecamúe adhæsionem, sed per realem quandam idemtitatem, quæ intima est, ac penetrativa.*

M. Charitas excellentior quàm Seraphinorũ quia fuit intimè unita Incarnato Verbo.

Ad hæc Charitas communionem efficit, nil sibi proprium seruat, sed propria bona, ac divitias Dilecto impertitur. Itaq; dum Divinæ Excellentiæ communionem desuper tibi, à tota Trinitate ò fœlix Maria exhibitam contemplor, charitatis illius quâ te tota SS. Trinitas dilexit, magnitudinem, feruoremq; mirari non sufficio. Pater quippè tibi Vnicum suum, charissimumq; Filium misit, deditq;. Fecit insuper te suam veram Sponsam, eumdem naturalem suum Filium ex te gignens. Porrò Spiritus S. hoc adorando, Diviniſſimoq; Germine te repleuit, a quo ipse verè ab æterno procedit. Filius deniq; te singulariter veneratus est, dum ipse Fons omnis Bonitatis, ac Luminis uterum tuum non horruit, sed in eo se conclusit, tibiq; demum se commisit, atq; subiecit; Quid quæso eximijs hiscé privilegijs, atque prærogativis Virgineæ Charitatis, ex arctiſſima illa Matris cum Filio conjunctione proficiscentibus excogitari potest excellentiùs, quid sublimiùs? Hæc nimirum Charitas in unione Incarnati Verbi, ejusdemque similitudine radicatâ, atque confirmatâ, infinitis parasangis illam Seraphinorum, quantumvis ardentiſſimam, quantumvis solidiſſimam transcendit Charitatem.

SS. Trinitatis B. V. factæ communicationes.

117. De hac Virgineæ mentis in Charitate, reliquisque virtutibus obfirmatione locutus videtur Sapiens Ec. 26. *Fundamenta æterna super petram solidam, & mandata Dei;* scilicet de diligendo Deo, ac proximo; *in corde Mulieris sanctæ.* De eadem in bono, ac gratia confirmatione pervenustè cecinit pro suo in Virginem affectu Bapt. Mantuanus lib. 3. Parthen. ubi dilectiſſimum Filium Matris delicias, atque amores fuiſſe canit: & licet corpore in terris degeret, mente tamen in cœlo semper defixam vixiſſe, tantâque Divinæ lucis copiâ perfusam, tanto tãq; ardẽti; amoris succensã igne, tantâ denique virtutum omnium soliditate stabilitam, atque firmatam, ut inter Mundi hujus prospera, sive adversa, ad instar Marpesiæ cautis cujuspiam, in medio maris constitutæ, turbinibus, ac procellis circumvallatæ, immota consisteret.

M. in amore Dei solidata, tãquã supra firmam petram.

Gaudia Natus erat, Natus solatia, Natus
Curarum lenimen erat, Matri ista Voluptas
Sola fuit. terram membris, habitabat Olympum
Mente; nec à studijs potuiſſet talibus unquam.
Divelli. pietas imis immersa medullis
Hæserat, & firmas Virtus incocta sub alto
Pectore, radices, pulsâ undiq; sorde, per omnes
Spargebat latè synceri corporis artus.
His superaddiderat Divina semina lucis
Cælestiq; Pater totam lustrauerat igne.
Non illam terrenus amor, non ulla caduci
Cura boni, non spes vitæ, non tristis imago
Horrifera mortis, nec honor, nec fama monebat.
Hic fuit à prima seruatus origina semper
Viuendi modus, ad gelidi nigra usq; sepulchri
Limina. Sicut enim aſsiduis, quæ vapulat undis
Dura silex, immota manet, nec murmura ponti,
Nec metuit ventos, tempestatesq; sonoras;
Quoq; magis premitur, tantò fit lautior æstu,
Sic in concusso firmato robore pectus
Fortuna, quascumq; minas, quoscunq; labores
Ærumnasq; tulit. Patiens terit omnia Virtus.

M. corpore terrã, mente cœlum habitabat.

Constãtia B.V. inter adversa hujus Mundi.

118. Hanc Virgineæ Charitatis soliditatem, stabilitatem, mirificamque perfectionem, atque excellentiam agnoviſſe crediderim duos illos Seraphi-

nos

nos, quos Isaias super solium excelsum, atque elevatum (quod gloriosissimam Deiparam super omnem creaturam humanam, atque Angelicam, & Seraphinos ipsos excelsam, atque elevatam, in communi Sanctorum Patrum sententia denotabat) se vidisse testatur, crediderim, inquam, Seraphinos illos ora, pedesque sibi velasse, non modò quia verecundarentur, se Divinam illam Charitatem, eò quo par erat amore minimè prosequi, uti tantam decebat Majestatem, verùm etiam, quia à Charitate Virginis, animati, inquam, illius Solij gloriæ Dei, se plurimis parasangis distare cognoscerent, ultro se victos quasi fatentes, à vehementissimâ illâ, quâ Dei Matrem Spiritus Sanctus Divini Amoris incanduit flammâ, atque decoxit.

Seraphini ora, faciemque præ pudore velabant Charitate animati, Virgineique Solij contemplantes.

Vnde nil mirum si Sancta Mechtildis lib. I. Revelat. cap. 56. narret vidisse se à Seraphino quopiam salutatam in cœlo Virginem Mariam, *ob amorem*, ut illa ait, *quo DEVM, præ omni creaturâ in terris dilexit. Quia amor in passione Vnigeniti sui in ea tantum prævaluit, ut omnem humanum affectum penitus devinceret, & extingueret. Quia omni creaturâ in morte Filij dolente, ipsa sola cum Divinitate immobilis & gaudens Filium suum pro Mundi salute voluit immolari.*

M. à Seraphino in cœlis salutata ob amorē, quo Deū præ omnibus creaturis dilexit in terris.

119. Ex hoc perenni Divini Amoris fonte, velut rivulus quidam derivabatur insignis ille affectus pietatis, & commiserationis in proximorum, tam spiritualibus, quàm corporalibus sublevandis necessitatibus; de quibus multa Tract. de Misericordia & Sapientia Vgir.

M Amor in proximos.

Illud sanè omittendū non est, quod Seraphicus scribit Bonaventura in Medit. cap. 13. ubi agens de eleemosynis, quas Deipara à teneris erogare consueverat annis: *De esca*, inquit, *quam de manu Angeli accipiebat, ipsa reficiebatur; quam verò à Pontificibus Templi accipiebat, pauperibus erogabat.* De eadem in proximos Charitate S. Ignatius Martyr apud Petrum Canisium lib. I. cap. 1?. *Miseris*, inquit, *& afflictis commiserationis affectum præstitit, ac illorum impigrè subuenit necessitati.*

M. eleemosynæ.

M. de manu Angeli in Templo quotidie reficiebatur.

Agnovit ardentissimam hanc gloriosissimæ Virginis in homines Charitatem B. Petrus Cardinalis Damianus cum suavissimis illis Sponsi verbis eandem compellaret ser. I. de Nativ. B. Virginis. *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te. Revertere*, inquit, *per amorem. Scio Domina quia benignissima es, & amas nos amore invincibili, quos in te, & per te Filius tuus, & DEVS tuus summâ dilectione dilexit.* Huius dilectionis denique insignem quemdam, saluberrimumque commemorat effectum: *Quis scit quoties refrigeras iram Iudicis, cùm iustitia virtus à præsentia Deitatis egreditur?* O quam præclarè de hac Virginis in humanum genus Charitate B. Amadeus Hom. 3 pronunciavit: *Charitatem quâ gloriosa Virgo humanum genus incessanter protegit & fovet, mentis intelligentia non comprehendit.*

B.V. in homines amor.

B.V. Charitas incōprehensibilis.

120. Cùm igitur Virgo gloriosissima omnium & Seraphinorum Charitati superior extiterit, benevolentissimamque, atque amantissimam indolem, complexionemque, Spiritus Sancti beneficio, Parentumque suorum, in ipsâ suâ purissimâ Conceptione sit sortita: & cùm præterea in ipsa Filij Dei Incarnatione, ope ejusdem Spiritus in ipsius utero peracta, ipsi intimus, præsentissimusque fuerit, tantâque ipsius donorum, charismatumque copiâ redundârit: cùm denique penè omnia Spiritus Sancti elogia, ac proprietates à Divinis literis ei attributa, ipsi quoque gloriosissimæ Virgini Dei Genitrici conveniant, quis dubitabit unquam, eam veram Speciem, similitudinemque ipsius Divinissimi Spiritus in se repræsentasse; ac quemadmodum Patris, & Filij veram, spirantemque formam, sic quoque ipsius Spiritus Divinissimi, infiniti illius Amoris, immensi, atque incomprehensibilis extitisse?

121. Quæ cùm ita se habeant jure merito hoc insigne Divini Amoris exemplar, ipsiusque Spiritus S. formam, Virginem, inquam, gloriosissimam unusquisque Christianæ perfectionis studiosus, ad imitandum sibi ob oculos proponere debet. Hæc enim cùm tota sit Divinissimus quidam ignis, ignis, inquā, ter lucidus, unus, inextinguibilis, consubstantialis, qui ad illustrandam terram ab altissimo Throno resplenduit, ut loquitur suprà memoratus Epiphanius. Sit denique tota quædam Spiritus Sancti Flamma, corda nostra, sine dubio ad sese rapiet, ac inflammabit. Hanc ob causam à Sancto Bonaventura Saræ comparatur, quæ non solùm Dominam, ac Principem sonat, verùm etiam carbonem accensum, ob eximiam ejus charitatem, quâ cæteros etiam in Dei, rerūq; cœlestium amorem inflammabat.

Sara carbonem accensum significat.

122. Saluberrimum illud Evangelici Prophetæ monitum ad vos potissimum directum arbitremini: Isa. 51. *Attendite ad Saram quæ peperit vos.* Attendite, inquam, & figite oculos in hoc Charitatis Divinæ pulcherrimum exemplar in Deiparam Virginem gloriosissimam. Carbo est ignitus, seu preciosissimus Carbunculus, Rubus est, Divini Amoris flammis undequaque circumdatus. Est Columna ignis in nocte, & frigore hujus nequam sæculi, iter nobis ad terram illam viventium demonstrans.

M. est Sara nostra nobis imitanda.

Est denique Fluvius ille igneus, à facie Patris æterni egrediens, & universum Orbem terrarum quantum ex se est accendens; videamus ergo ne, à calore ejus abscondamur. Attendite, attendite ad mores hujus Matris vestræ sanctissimæ, Matris verè pulchræ dilectionis, & cavete ne tanquam filij adulterini ab ejus sanctissimis moribus degeneretis. Ardet illa flagrantissima in Deum, proximosque Charitate, toto ore, oculisque Divinum spirare videtur amorem, eundem spirate, & vos cœlesti, sanctâque vivendi ratione, ac instituto.

Exhortatio ad Charitatẽ B. V. imitandam.

Amat illa dilectos filios velut Mater amantissima, amat, inquam, & usque adeò amat, ut non tam amare dicenda sit cum Sancto Augustino, quam Charitatis Naturam ipsam induisse. Virginea enim hæc Charitas est velut spatiosissima illa Arca Noë, quâ totius Mundi creaturæ continebantur, ac conservabantur: Vnde Angelus apud S. Brigittam in suo ser. cap. 2. B. V. alloquens: *Lætabatur*, inquit, *Noë de Arca sua spatiosâ latitudine; lætabatur DEVS de tua amplissima & misericordissimâ pietate, quâ omnes perfectissimè amatura eras, nullumq; creatum irrationabiliter oditura, præsertim verò quia illa tua benignissima pietas, in tantum dilatari debecat, quod ille immensus DEVS, cuius magnitudo incomprehensibilis est, in tuo benedicto utero iacere, & versari dignaretur.* Si ergo hâc tam largâ, tamque spatiosâ suâ charitate Deipara omnes amat, ac complectitur, & vos igitur tanquam Filij amantissimi redamate Matrem; quæ ut tantò magis nos ad amandum invitet, ingenuè apud Salomonem fatetur Prov. 8. *Ego diligentes me diligo, & qui mane,* (in pueritiæ scilicet suæ, sive adolescentiæ Aurora) *euigilauerit ad me, inveniet me.* Diligentem ergo Virginem & nos vicissim diligamus, ejusque gratiam, amoremque summâ vigilantiâ quæramus. Verè enim de ejus dilectionis virtute dici potest illud, quod cecinit Mantuanus lib. 2 Parth.

Arcę Noëticæ latitudo, latitudinem Marianæ Charitatis notat.

Amor B. V. in humanum genus nobis imitãdus.

Nihil est virtute potentius. Ergo
Parthenices moniti exemplis, quæ scimus Olympo
Grata, sequi, studioq; opus est seruare teneci.

123. O si tenerrimo illo dilectionis in Deiparam ferremur affectu, eiq; cor nostrum colliquesceret ardoribus, quibus olim Alphonsi Rodriquez nostri, Operis domestici devotissimi Adjutoris. De quo Bourghesius in Soc. Mariana cap. 10. *A primis annis,* inquit, *inita Societatis addictissimus fuit cultui Divæ Matris, tenerrimo quodam, ac suavissimo adversus eam affectu ductus, à qua vicissim pluribus in dies donis, spiritualibusq; solatiis cumulabatur. quibus in delicijs spiritus, quadam die, illius amore vehementer incensus in eas voces erupit. O Domina ego te impensiùs longè, quam meipsum amo: te ampliùs diligo Mater mea, quam tu me diligas.* O si vicissim eamdem benignissimam Parentem in præmium nostræ erga ipsam dilectionis audire mereremur, quod ab ipsa audivit idem Alphonsus, dum se ab ipso, amore superari passa non est, sed affectu planè materno eundem visitans, illi dixit: *Non ita est, ut sentis mi Alphonse, sed ego te impensius amo, quàm tu me diligas. O suave certamen amoris exclamat idem Bourghesius, in quo & vinci & vincere sit æquè optabile, ac gloriosum. Sed vincat oportet, quæ plùs in amando potest, cuius non modo tenerior, sed & efficacior, ac fructuosior existit Amor;* nimirum Divinissimo illi Spiritus Sancti, quam simillimus; qui non contentus benè velle mortalibus, eamdem illam bonitatem, quam voluntate sua omnipotenti nobis exoptat, simul largissimâ charitate communicat. Quàm tam amantem in se Virginis, Spiritum Sanctum in omnibus æmulantis expertus donorum cœlestium communicationem Alphonsus, induerat planè erga ipsam affectum, animumq; Filij, ac quasi cum amantissima Matre tractabat observanter, & amicè, mixtâ reverentiæ confidentiâ, eademque familiaritas amoris, ac reverentiæ plena cum Christo Domino illi intercedebat. Atque ita Beatissimam Virginem, ac Christum Matris, ac Patris sibi ducebat loco, nec rarò illi aderant aspectu etiam, & specie visibili, dumque obiret domum, Ianitoris officio fungens subindè se illi comites adjungebant; simulque ostendebant vera

Alphonsi Rodriques amor in B. V.

B. V. in Alphonsũ pietas.

Alphonsi cũ Christo & B. V. familiaritas

verâ esse, quæ in eorum persona olim Spiritus S. apud Salomonem pronunciavit: *Ego diligentes me diligo.* Diligamus ergò & nos, Alphonsum imitantes, DEIparam, ut ab eâ vicissim diligi promereamur.

125. Dicamus ergò animitus, dicamus medullitus huic amantissimæ Matri nostræ Saræ, verè Dominæ cœli & terræ, ac totius Universi, ob eximiam ipsius in omnes charitatem, Principi, ac Reginæ; dicamus, inquam, quod Seraphico amore plenus ipsi aliquando confidenter locutus est S. Bonaventura c. 6. Spec. *O MARIA, ò Sara nostra dic obsecro, quod sis Soror nostra, ut propter te benè nobis sit à DEO, & ob gratiam tui vivant animæ nostræ in DEO.* Dic, inquam, *charissima Sara nostra, quod sis Soror nostra, ut propter talem Sororem Ægyptij, id est, Dæmones nos revereantur, ut etiam propter talem Sororem Angeli nobis, in acie conjungantur, ut insuper propter talem Sororem Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus nostri misereantur.* Imaginemur nobis hoc Virgineo, ignitoque carbone charitatis innumerabilium aromatum copiam in DEIparæ pectore, veluti in Phœnicis succendi pyrâ, suavissimumque odorem virtutum omnium exhalare. Hujus fragrantiæ suavitate allecti clamemus omnes, clamemus singuli post Virginem: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Cant. 6.

Maria Sara, id est, Carbo ignitus Divina charitate.

Propter MARIAM benè nobis est, & vivit anima nostra ob gratiã ipsius.

In odorẽ unguentorum & virtutem B. V. currendum.

126. Vt porrò ad currendum magis post virtutum ejus odorem, atque unguentorum charismata, ac præsertim ignitæ ipsius charitatis accendamur, ponamus nobis ob oculos vivam, spirantemque Divæ Virginis Divinum illum, substantialemque Amorem ulnis bajulantis Imaginem, eamdemque Angelici illius Adolescentis nostri Ioannis Berchmans exemplum secuti, castissimis osculis, summo cum pietatis affectu veneremur. De illo enim ita Vitæ ipsius Scriptor Virgilius Ceparius: *Solebat*, inquit, *arctè admodum, sæpiusque osculari Imaginem B. MARIÆ Infantulum gerentis parieti affixam; decies, aut duodecies oscula repetebat continenter, magna oris arridentis hilaritate.* Quo pietatis charitatisque exercitio id consecutus est Ioannes, ut majoribus, purioribusque in dies in Virginem amoris igniculis exardesceret. Osculum enim, ut est amoris symbolum, & argumentum, sic est & illius fomentum. Et verò si Terentianus ille Adolescens adulterantis Iovis impurissimi conspicatus effigiem, sese exemplo ipsius, ad impuros nefandosque amores inflammabat: si prisci Romani ante natorum fumosis Imaginibus, eorumque rerum præclarè gestarum memoriâ, ad ipsorum æmulanda decora animabantur, adeò, ut Sallustius c. 4. Hist. Iugurth. pronunciare non dubitârit: *Sæpè audivi Q. Maximum, P. Scipionem, præterea civitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere, cum Maiorum Imagines intuerentur, vehementissimum animum sibi, ad virtutem accendi:* Quanto magis, conspectâ hac pulchræ Dilectionis Matre, ejusque Filio, qui verè DEUS Amoris est, & ipsa Divina Charitas, cœlestibus incitatus flammis animus noster ad omnem virtutem exardescet? ipsamque Virginem tam dulciter nos diligentem, diliget? Quam bellè simul, ac piè Poëta ille in Cliente Mariano lusit hanc in rem, de Virginis religiosè colendis Imaginibus canens:

Imago B. V. exemplo Ioan. Berchmãs osculãda.

Osculo Imaginis B. V. ad purissimum ejus amorem accẽdimur.

Romani maiorum suorum Imaginib9 ad virtutẽ accendebantur.

B. V. Imaginum vis quanta?

Quæris; an & pictis jubeam indulgere Tabellis?
Partheniamque avidis Icona ferre oculis?
Nempè etiã hinc aliquam capiet veneratio flammã,
Quodque tepens animus non dat, Imago dabit.
Hæc est quod resides Pictura instaurat amores:
Et veteres renovat Coa figura faces.

127. Sit igitur dulcissima, Virginis nostræ gloriosissimæ memoria (quâ nil utilius, ut ait ipsius devotissimus Anselmus) sit inquam imis cordis nostri fibris, medullisque inserta, ac radicata; utque de excellenti illâ charitate, quâ eam ipsa Personalis Charitas, ipse Spiritus Sanctus replevit, pro modulo nostro participemus, cum Seraphico ipsius Psalmista Bonaventura identidem illi magno amoris affectu concinamus Psal. 17. *Diligam te Domina cœli, & terræ, & in gentibus Nomen tuum invocabo;* ardentissimis, mihi credite, ac planè Seraphicis, & DEI nostri, & ipsius Virginis lampadibus, ignibus, ac flammis concremabimur, consumptaque in nobis prisci Adæ vetustate, in novitate vitæ ambulantes, tanquam Phœnix, tanquam Aquila assumemus pennas, curremus & non laborabimus, ambulabimus & non deficiemus, donec tandem Virgineæ hujus Columbæ, patrocinio, ac intercessione, velut alis instructi in cœlum evolemus.

B. V. memoria utilis.

MEDI-

MEDITATIO XVI.

I.



Ontemplare anima mea gloriosissimam Deiparam Virginem, ob triplicem, eumq; singularissimum Divinissimi Spiritus cum largissima omnium donorum effusione in animam ejus sanctissimam adventum, nempè in instanti immaculatæ ejus conceptionis, Incarnationis, & die Pentecostes, tantis Divini Amoris exarsisse flammis, ac ignibus, ut in Divinum quodammodo Amorem, charitatem, denique in ipsum quodammodo Spiritum fuerit transformata.

O Divini Amoris vim, energiam, ac potentiam infinitam, atque incomprehensibilem, qui Adæ filiam de limo terræ, à maledicto tamen segregatæ, compositam, in se, qui Spiritus Dei subtilis, & incoinquinatus est, transmutare valuit adeò, ut toto ore, oculisque ejus emicaret, ac spiraret, evaderetque *gloria luti nostri, totiusq; humanæ Naturæ ornamentum.*

O quis mihi tribuat intellectus lumina, quis linguæ flumina, quibus Spiritum hunc omnipotentem, ac sacrosanctum, tam mira in creatura sua operantem extollere valerem? Invisibilis erat hic Spiritus, quia tamen diligi cupiebat, Virginem Sanctissimam in se transmutans, quodammodo factus est visibilis, ut corda nostra in suum, Virginisque Amorem raperet. Rape me ò Spiritus Divinissime in tui Amorem, accende tuo igne Divino cor meum, illud totum concrema; illud totum in te transmuta, ut cor istud non sit amplius lapideum, & insensibile, Divinas tuas inspirationes non sentiens non sit amplius carnale, carnalia appetens, sed totum spirituale, spiritualibus tui amoris delicijs sese oblectans, ad spiritualia, & Divina semper, velut ad centrum anhelans, in quo suam requiem invenire valeat.

Rape me tu quoque ò Virgo, ò vivum Divini amoris simulachrum, rape inquã cor meum, fluvio illo igneo, rapidoque qui ab ore tuo egreditur, absorbe me totum, & excoctâ vitiorum scoriâ in Virum spiritualem converte.

Converte inquam, & transmuta, ut conversionem & mutationem hanc dexteræ tuæ, post Deum agnoscens, lauder tibi, tibi gratias, nullo fine terminandas persolvam.

O Virgo gloriosissima, ò amor, ò charitas, ò magnes cordium, trahe cor nostrum ad te, rape illud, ò raptrix cordiũ, evacua malitiâ, imple supernâ gratia, & plenum conserva, accende illud amoris tui flammis castissimis, & in tuum cor purissimum, Deiq; amantissimum converte. Rogo & obsecro te ò Mater pulchræ dilectionis cum tuo Seraphino, Psal. 153. *Clarifica de alto manum tuam; & cantent servi tui laudem & gloriam tuam. Eleva de terrenis affectionem nostram, de sempiternis delicijs refice viscera nostra: Concupiscentiam supernorum accende in cordibus nostris, & de gaudijs Paradisi velis nos recreare.* Respice in me, & miserere mei; Respice, inquam, illis oculis tuis amore plenissimis, *oculis columbarum, oculis omnium gratiarum,* ut tuus à te eruditus loquitur Rupertus. Hi oculi tui sint mei, sint in tui amore Duces; cum enim per illos Spiritus Sanctus, qui Amor, qui Columba est, emicet, accendet sine dubio cor meum, animam meam, divino suo calore, illamque in se convertet, effundendo dona sua omnia, omnes gratias, *spiritum sapientiæ, & intellectus: spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ, & pietatis, replebit eam deniq; spiritu timoris Domini.* Largire mihi columbinam illam tuam simplicitatem, morumq; candorem, ac Sanctorum operum fœcunditatem. Largire denique columbæ gemitum, contritionem, ac lachrymas, ut verè in me experiar illud quod de tuo hoc divino spiritu dixit Apostolus: *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Fac me cum tuo devotissimo Bonaventura Psal. 120. Corde contrito, ac humiliato cum gemitibus, & lachrymis dicere: *Levo oculos meos ad te Mater Christi, per quam venit solatium omni carni: Auxilium tuum & gratiam tuam nobis impende in omni tribulatione nostra. Custodi nos Domina Virgo MARIA, ne peccatorum laqueo capiamur. Non dormiat, neq; dormiet pupilla oculi tui, ut tuâ semper custodiâ protegamur.* Atque ita sub alis, ac pennis protectionis tuæ in hac vitâ degentes, tandem pennis illis deargentatæ Columbæ in Cœlestem patriam evolemus.

Per Mariã venit solatium omni carni.

2. Contemplare anima mea Virginem gloriosissimam ita in spiritum illum vitæ, charitatis affectu transmutatam, ut proprietates illas fluvij aquæ vitæ, ipsiusque

ipsiusque ligni vitæ (quæ velut Symbola Spiritum Sanctum repræsentabant) fuerit imitata. Ipsa enim est fluvius ille, cujus *impetus lætificat Civitatem DEI*, Ierusalem, inquam, illam non solum triumphantem, sed & militantem, peccatores, spiritu & anima mortuos, gratiâ destitutos ad pœnitentiam suscitando.

Ipsa æstum carnalium, ac Mundanarũ cupiditatum restinguit. Ipsa pias electorum animas, velut Sponsi Cœlestis hortos, ut continuum illum Sanctitatis virorem conservent, irrigat, quo flores pudicitiæ, ac Castitatis, charitatis, ac humilitatis, aliarumque virtutum germinent. Ipsa verè est nobis in hac vitâ Arbor vitæ, cujus protectionis umbrâ, ab æstu cupiditatum defendimur, à Solis justitiæ indignationis spiculis abscondimur; cujus devotionis, ac pietatis fructu, vitam spiritualem hilarem, vegetam, ac jucundam, languoris, senij, ac mortis expertem ducimus, atque ita vitam hanc temporalem animæ, gratiâ DEI constentem, absque ullâ interruptione cum æterna copulamus.

O fons vitæ, ò Arbor vitæ MARIA Virgo amabilissima, & quis est, qui te non animitus, medullitusque laudet, qui nomen tuum ad cœlos usque non extollat? quæ nobis fontem vitæ æternæ, Filium tuum dulcissimum IESVM peperisti, quæ nobis fructum vitæ salutiferum, fructum illum benedictum, & beatum ventris tui Virginei protulisti, quo refecti, spiritus vigorem conservamus; languorem, senium, ac mortem spiritualem ignoramus. O si creaturæ omnes tam quæ cœlorum, quam quæ terrarum ambitu continentur, tuam charitatem in genus humanum extollerent; ò si omnium justorum membra, quibus tantâ cum pietate, tu ò vera vita, vitam spiritualem, languoris, teporis, senijque, ac mortis omnis exortem conservas, in linguas converterentur, tuamque benignitatem, nunquam terminandis laudibus extollerent! Liceat mihi ò Virgo pijssima interim, cum tuo Seraphino, omnes hujusmodi tuos servos, & meipsum etiã ad celebranda tuarum laudum encomia excitare. *Ecce nunc benedicite Dominam omnes, qui speratis, in nomine Sancto ejus, gaudete gaudio magno, qui exaltatis & glorificatis eam, quia lætabimini ab ubertate consolationis eius. Ecce nunc inurdante ubertate* (utpotè fluvius aquæ vitæ) *declinat in vos, ad consolandum, & lætificandum corda vestra. Benedicite illam omnes servi eius, & Memoriale ipsius sit in desiderio Animæ vestræ.* Psal. 133. Et quia ò Virgo dulcissima, ò vita animæ meæ, ò amor, & desiderium cordis mei, tu es etiam fluvius ille lympidissimus, & crystallinus aquæ vitæ, ad te sitibunda, & cupiditatũ incendijs exæstuans hæc misera animula, ergastulo carnis arctata, ad te anhelat & currendo in siti, cum eodem tuo Bonaventura Psal. 41. tibi amanter canit: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita ad amorem tuum anhelat anima mea. Quia tu es Genitrix vitæ meæ, initium & finis totius salutis meæ. Exaudi me Domina mundentur sordes meæ, illumina me Domina, ut illustrentur tenebræ meæ. Accendatur amore tuo tepor meus, gratiâ tuâ expellatur torpor meus. Vre cor meum igne amoris tui, & cingulo castitatis restringe renes meos.* Psal. 25. ut amore illo Divino, in quem ò Virgo beatissima, virtute Altissimi fuisti transmutata, ego quoque accensus & lumbis mentis viriliter succinctus in tuo, Filijq; tui dilectissimi servitio, magnis passibus progrediens, ad patriam, vitamque perveniam sempiternam.

Interim dũ miseram hanc vitam traho rogo te cũ tibi devotissimo Iusto Landspergio, *ò Puella speciosissima, moribus, & vita sanctimoniâ, quam maximè decorata, virtutibus vernantibus odorifera, cunctisq; gratijs cœlestibus repleta, ut me amore tui vulneres, & tui suavissima dilectio ita cordis mei penetralia sauciet, ut omnia mundi præsentis gaudia in nauseam mihi convertat. O Virgo Regia, in DEI Matrem, ante mundi constitutionem electa, mei pauperis noli quæso preces despicere, sed quem tantùm tui capit desiderium, ut putet sibi benè esse, sine te non posse, in tuam recipe gratiam, piumq; tuum illi ostende vultum, ex cujus consideratione omnes desolati, ac mœsti reficiuntur. O gloriosissima, ac misericordissima Domina mea, utinam me in Filium tuum adoptes, & exuberantissimam misericordiam tuam super me effundas, ab omnibus malis præsentibus, & futuris me protegas, tuo suavissimo cordi me constringas, & quidquid in me tibi displicet procul repellas, quo sic tuam voluntatem adimpleam, & quæ obedientis sunt Filij perficiam.* O Virgo gloriosissima, & omni laude dignissima, Mater IESV Christi charissima, per omnia, quæ Spiritus S. & tota beatissima Trinitas in sanctissimis membris tuis operata est magnalia, dignare de singulis membris tuis, dulcedine redundantibus, tantâ efficaciâ in me stillare

In Pharetra Divini Amoris lib. 1.

gratiam, & charitatem tuam, ut perfundatur totum corpus, & anima mea, sanctificenturque omnia membra mea, ita ut de cætero nunquam moveantur ad ulla prava opera, sed serviant amori tuo cum lætitia, & per amorem, quo tu à Spiritu Sancto es repleta vivificentur, regantur, roborentur, perficiantur usque ad exsiccationem medullarum omnium meorum ossium. Dulcissima Domina mea fac quæso mecum, fœlicissimum cambium, sive per mutationem. Aufer à me cor meum pessimum, & fac cum illo sicut volueris; & da mihi pro illo cor tuum illud Virgineum, charitate Spiritus S. alijsque ejus charismatis plenissimum, cor illud denique tuum sine vllo felle amaritudinis omnis peccati, cor tuum illud verè Columbinum. Da inquam cor illud tuum sanctum perfectum, ac in æternum benedictum. Aut saltem Domina dilectissima da mihi cor aliud novum secundum cor tuum, humile scilicet, mansuetum, pacificum, castum, quietum, & amore Dei, & proximi repletum, quod mundum, & ea quæ in mundo sunt contemnat, in tribulatione humiliter gaudeat, sui contemptũ diligat, Dei honorem sitiat, proximorum necessitatibus compati noverit. Amabilissima Virgo Maria impetra mihi à Filio tuo, ut occidat in me, & auferat omnes carnales, mundanas affectiones, & inordinatas ad creaturas inclinationes, impleatque cor meum castissimo, suavissimo, ac ferventissimo tui amore, perfectissimaque charitate. Ah vulnera cor meum dulcissima V. Maria, ut tui amore totus inardescam, & langueam, Deoque charitate inseparabiliter inhæream. Ah utinam omnium transeuntium rerum, & etiam meiipsius oblitus, nihil cogitem, nihil diligam, nihil desiderem, nisi Deum, & te dulcissimam Dominam meam S. Mariam. Vtinam Virgo potentissima virtute illa, qua polles Spiritus Divinissimi, ex toto corde meo omnem tam carnis, quàm mundi amorem, ejusque vanitates extirpes, & evellas, repleasque illud Divinissimi amoris tùi, quo semper plena fuisti balsamo, ita ut nihil terrenum mihi arrideat, nihil carnale mentem meam à cœlestium contemplatione præpediat. Vtinam Columba purissima mihi tuas cœlestium pennas desideriorum, addas, quibus tu in Columbam Spiritus S. transformata æstuans, in cœlum volitabas; ut ita anima mea his alis, à terrenis sublevata, ad beatam illam, æviternamq; requiẽ evolet, in eaque suavissimè velut in centro conquiescat.

Amen.

AVE MARIA.



DISCVR-



DISCURSUS XVII.

DEIPARAM Virginem Imaginem esse Bonitatis ipsius Spiritus Sancti.

Imago Bonitatis Divinæ. Sap. 7.



I.

QVemadmodum attributum potentiæ à Sanctis Patribus, atque Theologis attribui atque appropriari solet Patri; Sapientiæ, Filio; ita Bonitatis Spiritui Divinissimo, cùm Regius Vates cecinerit. Psal. 124. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam propter nomen tuum;* Et ejus filius Salomon. Sap. 12. *O quam bonus & suauis est Domine Spiritus tuus in omnibus!*

Bonitatis Attributũ est proprium Spiritui Sancto

Cùm enim Spiritus Sanctus procedat per voluntatem, cujus objectum est bonum; & Pater, ac Filius, amore mutuo sese, ut summum Bonum complectentes, spirent, producantque Spiritum S. sequitur, peculiari quâdam ratione Bonitatis attributum huic Spiritui Divinissimo appropriari. Quid enim aliud est Bonitas cujuscunque tandem rei, quàm ejus perfectio? Vnde consequitur Bonitatem Divinam naturalem, nil esse aliud, ut ait Doctissimus Lessius lib. 7. de Perf. Div. cap. 1. *Quam excellentiam naturæ Divinæ, per quam habet omnem perfectionem in toto genere entis, eamq; per se, & à se.* Vnde à magno illo Areopag. lib. de Div. Nom. cap. 13. vocatur Deus αὐτοτελής, hoc est, per se perfectus, utpotè qui perfectionem ab altero minimè accepit, sed per essentiam suam sit ipse perfectissimus. Vt autem indicaret in hac Dei perfectione, ac Bonitate omnem penitus bonitatem, ac perfectionem, modo perfectissimo, quæ à quocunque tandem intellectu potest concipi, contineri, idem Dionysius ait quod Deus sit: ὑπερτελής, id est, superperfectus, omni nimirum perfectione superior.

Bonitas est perfectio rei.

Bonitas Divina est excellẽtia Naturæ Divinæ, quâ habet omnem pfectionem

Deus est per se & à se perfectus, & superperfectus.

Vt ostendat deniq; perfectionẽ hanc Divinam adeò plenam, adeò esse omnibus numeris absolutam, addit illam in alias etiam creaturas redundare; *Pertingens ad omnia pariter, & super omnia,* inquit idem, *indefectibilibus largitionibus, & nunquam finiendis operationibus; exuberans una incessabili, & eâdem, & superplenâ, & imminuibili largitione, per quam omnia perfecta perficit, & unum quodq; congruâ sibi perfectione adimplet.*

2. Quæ Divinæ Bonitatis, ac perfectionis excellentiæ, licet etiam reliquis Divinis personis, ob identitatem essentiæ conveniant, conveniunt tamen potissimè, per appropriationem Spiritui Divinissimo. Ipse enim in se, & à se perfectissimus existens, & velut Oceanus, omnibus perfectionibus, quæ vel humana, vel Angelica mens comprehendere potest, plenissimus, in alias etiam creaturas sese effundit, non modò esse naturale in illis assiduè conservans atque perficiens (siquidem, *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum,* teste Propheta Regio, & Iobo: *Spiritus Domini ornauit cœlos*) verùm etiam supernaturale esse gratiæ, indefectibilibus verè donorum suorum largitionibus, sanctos, ac perfectos, qui animati quidam cœli sunt, adhuc magis perficiens, ac sanctificans, unumquemque congruenti sibi perfectione adimplens, utpotè Spiritus ille, de quo Apostolus, *operans omnia in omnibus, dividens singulis, prout vult, suorum charismatum dona.* Vnde consequitur imprimis, quod cùm Divinissimus hic Spiritus, sit summè bonus, & summè, & infinitè perfectus, sit etiam summè & infinitè appetibilis, atque amabilis, cùm, ut ait Philosophus Ethic.

Spiritus S. in nobis Esse Naturæ, & esse Gratiæ cõservat, & pfecit.

Spiritus S. ornavit cœlos, & animas spirituales suis gratijs.

Spiritus S. quia sumè bonus est, sumè quoque appetibilis est.

Eth. l. 1. *Bonũ, siue Pulchrũ sit, quod omnia appetunt.* Quæ verba Angel. expẽdens Doctor 1. P. q. 5. ar. 1. *Manifestum autem est*, inquit, *quod unumquodq; est appetibile secundùm quod est perfectum, nam omnia appetunt suam perfectionem.*

Deinde quod idem Spiritus sit summè communicativus, cùm dicat S. Dionysius Areopagita cap. 1. de Div. Nom. *Bonum suâ naturâ esse diffusiuum.* Cùm ergo Divinissimus hic Spiritus sit summum & infinitum Bonum, ac Pulchrum, summè sanè atque infinitè comunicativum sit, atq; appetibile necesse est.

Spiritus S. quia summè bonus, summè est cõmunicativus.

3. Hanc Divinam SS. Spiritus Bonitatem, ac Pulchritudinem more suo æmulata est Virgo, uti & Omnipotentiam Patris, & Sapientiam Filij, quemadmodum suis locis declaratum est. Cùm enim summi, æternique Boni Mater extiterit, illumque purissimis visceribus, qui olim de se dixerat Moysi: *Ego ostendam tibi omne bonum*, circumdederit, & à Spiritu illo sacratissimo, ac bono per essentiam, in ipsam superveniente fuerit, incomprehensibili quâdam ratione, òbumbrata, ac demum ipsâ sacrâ Pentecostes die adeò cœlestibus donis, ac charismatis redundârit, ut quemadmodum scribit B. Guerrices Abbas, mox citandus, flumina de ventre Mariæ fluẽrent aquæ vivæ, consequens sanè est, ut hujus immensæ, atque infinitæ Bonitatis, ac Pulchritudinis venustissima quædam, atque expressissima Imago extiterit.

B.V. Bonitaté Spiritus S. æmulata est

B.V. bona est, ac perfecta, quia summi, æterniq; Boni Mater est.

Hinc pijssimus atque sapientissimus Idiota in Prologo devotissimæ illius Marianæ contemplationis, quâ Virginis perfectiones, ac laudes clarissimis celebravit encomijs, volens homines ad perfectionem adipiscendam exstimulare, suadet Virgineæ perfectionis diligentem contemplationem; quâ etiam de causa omne Bonum eam, utpotè Divinitatis Æmulatricem, appellavit:

Perfectionis Studiosus Bonitatem, perfectionéque B.V. contẽpletur.

O homo, inquiens, *quicunq; es probationem vita ingressus misericordiâ Domini nostri IESV Christi indiges, sine quâ saluari non potes. Accede igitur per devotam mentis contemplationem ad gloriosissimam Virginem Mariam Matrem eius, quia per ipsam, & in ipsa, & cum ipsa, & ab ipsa habet Mundus, & habiturus est omne bonum; scilicet supra benedictum Filium eius Dominum nostrum IESVM Christum, qui est omne, & summum Bonum, & sine quo nihil est bonum, cùm solus bonus sit. Inventâ igitur Virgine Mariâ invenitur omne bonum, ipsa namq; diligentes se diligit.*

Per Mariã Mundus habet, & habiturus est omne bonum.

M. invẽtâ, invenitur omne bonum.

Quam ob causam S. Gregor. Thaumat. ser. 2. de Annun. eam cunctorum bonorum principium vocitavit: *Cunctorum nobis bonorum principium Annunciatio Maria gratiâ plena extitit.* S. Ephræm Syrus eam vocat oratione de Beata Virgine; *Dominam nostram gloriosissimam, eandemq; optimam, ac praecellentissimam.* S. Nazianz. Tragœd. de Christo patiente, eam sic compellavit:

M. cunctorũ bonorũ principiũ.

Regina, Domina, generis humani Bonum.

Et Baptista Mantuan. ex sacro Carmelitarum Ordine, Vir Virginis devotissimus lib. 1. Parth. in ejus Bonitatis laudem cecinit:

Tu commune Bonum; generis tu Gloria nostri.

M. commune Bonũ.

Chrysippus verò Presbyter Hierosol. ser. de B. V. eandem salutans: *Aue*, inquit, *Radix omnium bonorum;* Radix verè, quia Succum omnis perfectionis ab ipsa velut radice Mundus sugere videtur. Eâdem Virgo à S. Damasceno Orat. de Assumptione. *Fons benedictionum, & bonorum omnium Scaturigo*, appellatur. Martinus verò de Magistris Doctor pientissimus Virginem, Dulcedinem nostram salutans; *Cùm maximis*, inquit, *summèq; necessarijs in rebus per te nobis vera, integraq; suauitas, impertita sit, iure optimo in hac miseria valle asperitate detriti, te bonorum omnium Fontem sub ipso Dulcedinis nomine salutamus.* Leo denique pijssimus Imperator Hom. 6. agnoscens Deiparam Montem quendam esse, in quo bonorum, perfectionumque omnium thesauros Deus absconderat, alludens ad Regij Prophetæ, de Virgine cantatum Vaticinium: *Mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo* Ps. 67. eam in hunc modum religiosissimè salutavit: *Aue Mons pinguis, cuius pinguedinem videns Natura Cultor, & Sator, ex te omnium bonorum abundantiam nobis produxit.*

M. Radix bonorum omnium.

M. bonorũ omnium Scaturigo.

M. bonorũ omnium Fons dulcis.

M. Mons pinguis, ex quo Deus omnium bonorum abundantiã nobis produxit.

4. Hinc Richardus à S. Laurent. lib. 1. de laud. Virg. cap. 6. *Deiparam Fontem, & Originem totius nostri veri boni, atq; beatitudinis*, vocitavit:

M. Fons & Origo totius nostræ beatitudinis.

Hac est, inquiens, *beata plenitudo, & plena beatitudo Domina nostra, qua Fons, & Origo est totius nostra beatitudinis. Quicquid beatitudinis ab illo magno mari, id est, ab illâ infinitâ Bonitate DEI Trinitatis ad genus humanum peruenit, totum per eam Venam defluit. Et ideò quicquid nobis mittitur de supernis, per gratiarum actionem, ad eam referendum*

Quicquid boni à Deo ad genus humanũ pervenit, per B. V. tanquam venã defluit.

dum est, per quam Mediatricem habemus procul dubio quicquid gratiæ obtinemus.
Hinc B. Guerricus Abbas Cisterciensis Ordinis illustre Sydus ser. 1. de Nativit. S. Ioan. gloriosissimam Virginem Fluvio Paradisi, universam terram bonorum, gratiarumque omnium rivis irriganti, comparavit: *Flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ vivæ, & fons vitæ, & gratiæ oriebatur de medio Paradisi ad irriganda ligna Paradisi.*

D.M. ventre fluebāt flumina aquæ vivæ.

Ad hoc allusisse visus est S. Hieron. serm. 1. de Assumpt. *Gratia plena est*, inquiens, *ex qua multi deducti rivi omnem irrigant terram deliciarum, & infundunt hortum voluptatis.* Verè enim S. Ecclesiæ hortus Virgineorum bonorum effusione, copiosissimè, assiduèq; infunditur. Hinc denique Cardinalis Halgrinus DEIparam, Fontem hortorum totius Ecclesiæ, Puteum aquarum viventium vocitavit: *Ipsa, inquiens, propter inscrutabilem profunditatem gratiarum, quæ in ipsa congestæ sunt, Puteus est aquarum viventium, id est, gratiarum salientium in vitam æternam, quæ gratiæ, hominibus beneficia præstando, fluunt copiosè, fortiter, & cum impetu, cui resistere maligni spiritus adversarij nostri minimè possunt. Fluunt de Libano, id est, de ipsa Virgine, quæ de se dicit: Ego quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, ipsa enim sine incisione, cum Virginitatis integritate Filium peperit; sicut Libanus arbor vaporem, seu odorem emittit.* Quam ob causam Seraphicus Bonaventura cap. 5. Speculi DEIparam profundissimam quandam Bonitatis Abyssum prædicavit: *Abyssus*, inquiens, *est Maria in bonitate & misericordia profundissima;* Vnde etiam profundissimam misericordiam Filij sui pro nobis interpellat, quasi abyssus, abyssum invocans.

M. Puteus aquarum viven... ob inscrutabilē profunditatē gratiarū.

M. Libanus non incisus.

M. Abyssus bonitatis.

5. Denique Religiosissimus Ordinis Seraphici Pelbartus Pannonius de Temisvar lib. 8. stellarij P. 1. art. 2. §. 5. agens de Marianæ Virginitatis mirificis privilegijs, agnoscensque eam Fontem esse bonorum omnium, bona hæc, quæ olim Protoplastorum scelere amisimus, & postea per optimam hanc Virginem recuperavimus, ad septem capita revocavit; docuitque in primis Virginitatem DEIparæ fuisse fructuosissimam, ut meritò illi cecinerit Ecclesia: *Benedicta Filia tu à Domino, quia per te Fructum vitæ communicavimus. Revera per eius Virginitatem*, inquit ille, *DEUM Fratrem habemus, æternaq; vitæ participes effecti sumus: Et ut ait Anselmus: Omne bonum ad quod homo conditus fuerat, perdidit in Adam, & id ipsum bonum multò excellentiùs & fœliciùs recuperauit humana Natura per MARIAM. Nimirum septem bona præcipua perdidimus in Adam, & recuperauimus per V. M. fœlicissimè.*

Septē Bona quæ genus humanum per Evam amisit, per M. recupavit

Primum est peccati immunitas, ipsaque Innocentia, cujus Protoplasti rebelles facti suo Creatori, naufragium fecerunt. Hoc fœliciùs, in suo, quem nobis peperit Filio reparavit, cùm ipsum pro peccatis nostris ad satisfaciendum DEO Patri obtulit. Hinc Gregorius: *O fœlix Culpa, quæ talem, ac tantum habere meruit Redemptorem!* 2. Bonum est Sanitas. In statu siquidem innocentiæ constitutus homo, nulli morbo, infirmitatique obnoxiùs fuisset. Fœlicitatem hanc recuperavimus per MARIAM, per illam enim ad resurrectionem illam corporum gloriosam, æternamque patriam pervenimus; *ubi abstergat DEUS omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, & iam non erit ampliùs neq; luctus, neq; clamor, sed nec ullus dolor.* Apoc. 21. 3. Bonum quod perdidimus est Impassibilitas. Humanum enim corpus in statu illo præservatum fuisset Divinitus, ne ab ullo agente extrinseco læderetur. Non illi obfuisset frigus, non calor, &c. idque ei partim Divinæ providentiæ, quæ eum tuebatur, obtigisset munere, partim quia novisset, quæ ei adversabantur, erantque nociva. Et hoc etiam munus per benedictum Vteri Virginalis Fructum recuperavimus, à quo nobis in suprema illa corporum Anastasi inter reliquas dotes, Impassibilitas concedetur. 4. Bonum quod perdidimus est Immortalitas. Si enim Adam in sua primigenia substitisset innocentia, nunquam in laqueum mortis incidisset, ut vult Augustinus. Et immortalitatem hanc gloriosissimè per MARIAM recuperavimus: per quam vitæ sempiternæ, cœlestisque gloriæ, sacratissimæ ejus Virginitatis Fructu mediante, Ianua reserata est. 5. Bonum, liberum fuisset humanum corpus omnibus his miserijs, atque incommodis, quæ aliquam involvunt turpitudinem. Et hoc nobis restitutum est per DEIparam, quia ipsâ mediante beatam illam vitam, patriamque adipiscimur, in qua degemus sicut Angeli DEI, ubi omnis defectus aberit, omnis deformitas, & indecentia, aderit verò è contra omne

Primum Bonum.

2. Bonum.

3. Bonum.

4. Bonum

5. Bonum.

6. Bonum. bonum, ut ait Augustinus. 6. Bonum quod amisimus est Libertas, tunc enim homo nullius nisi solius DEI Dominio fuisset subjectus. Hoc ipsum bonum recuperavimus per Virginem, ejusque Virginitatis intemeratæ Fructu, quò infœlicissimam filiorum DEI libertatem restituimur. *Et quia sumus filij, euadimus quoq; heredes DEI, cohæredes autem Christi.* Rom. 8. Denique septimum, ultimumque Bonum, quo in illo aureo Innocentiæ Sæculo fruebamur, erat Sapientiæ, Scientiæque claritas. Clariùs enim, ac limpidiùs & DEUM ipsum, & Angelos, aliasque cognovissemus creaturas, quàm in hoc infœlici nostro statu. Tunc enim, ut censet Augustinus, DEUS fortassis cum Protoplastis, sicut cum Angelis loquebatur, ipsâ immutabili veritate mentes eorum illuminando, & si non tantâ Divinæ essentiæ participatione, quantâ ipsi Angeli. Et hoc etiam Bonum fœlicissimum per MARIAM recuperatum est, ipsius enim Virginali Fructu, fidei lumine in hac vita irradiamur, tandemque eodem lumen gloriæ, quo intellectus noster ad videndum clarè DEUM roboratur, infundente, in illa beata vita, Divinam essentiam; non ampliùs, velut in speculo, vel ænigmate, sed facie ad faciem contemplantes, in eandem illam nunquam terminandam gloriam transformamur. Tandem idem Pelbartus ex hac tam insignium bonorum humano generi, Bonitate Virginis benignissimè communicatorum, defixus contemplatione, æstuque castissimi ipsius amoris abreptas, in illud prorupit epiphonema: *O fœlicissima Virgo Maria, meritò tibi dixit Angelus: Invenisti gratiam apud Dominum.* Luc. 1. *Omnem enim gratiam quam in Adam amisimus, tu invenisti, inventamq; innata tibi bonitate restituisti, largissimèq; communicasti. O gloriosissima Domina quid laudis, quid gratiarum actionis, quid servitutis tibi retribuemus? Verè toto posse nostro, totis viribus tibi servire, teq; laudare obligamur;* utpotè Dominæ tam insigni bonitate præditæ, & de suis bonis nobiscum tam effusè communicanti. Si enim commune etiam vulgus bono Domino omnem servitutem, obsequiumque optimè, ac laudabiliter impensum esse arbitratur: quantò magis Dominæ huic, quæ est ipsius summi, æternique Boni Parens, à qua in totum genus humanum, omne bonum tanquam radius à Sole derivatur? Vnde meritò illi cecinit Seraphicus ipsius Psalmista, animam suam ad ejus laudes deprædicandas invitans: *Benedic anima mea Matri IESV Christi, & omnia præcordia mea glorificate Nomen eius. Ne obliviscaris beneficia eius, nec gratiam consolationis eius. O Domina bona naturalia conserua in nobis, & bona gratiæ per te multiplicentur. Illumina vias & semitas nostras, ut noscamus quæ beneplacita sunt DEO.* Quare jure abiq; hac Virg. optima, ejusque ope, atque adjutorio ipse universorum Dominus censuit hominis statum non esse bonum; & ideò dixit: *Non est bonum homini esse solum, faciamus ei Adiutorium;* Gen. 2. v. 18. quod communi Patrum interpretatione dicitur ipsa MARIA Evæ, primæ Parenti malorum omnium origini, penitus contraria. In cujus rei figuram Eliæ famulus 3. Reg. 18. ante adventum Virginis meritò undequaque circumspiciens: *Nihil est,* pronunciavit, innuere volens, absente Virgine nihil boni adesse; sicut revera antequam ipsa Mundo huic exoriretur non adfuit, sed è contra Ilias malorum omnium inundavit.

In Statu innocentiæ Deus cum primis Parentibus sicut cum Angelis loquebatur.

7. Bonum.

M. tanquã bonæ Dominæ totis viribus servire tenemur.

Nihil boni est in Mundo absq; M.

6. Atque ut idem Pelbartus cultui Deiparæ addictissimus bonitatem omnem, sive perfectionem, pulchritudinemque eminentissimam in Deipara repositam esse nobis significaret, inter reliquas Stellas, quæ in modum Coronę sacratissimum illius cingunt verticem, octavam posuit, vocavitque: *Perfectionis sublimitatem;* quæ summi DEI omnis perfectionis Auctoris Parentem decebat. *Debuit enim,* inquit ille, *talis in DEI Matrem eligi, quæ DEI donis foret perfectissima, & omni gratiâ plenâ, ut de eius plenitudine participare possent uniuersi, & verè dicere valeret: In me omnis gratia viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Eccli. 24. Radix ergo omnis hujus Virgineæ Bonitatis est, Divina Maternitas. Atque ita Divinâ decrevit Sapientiâ, ut ea, quæ in DEI Matrem eligeretur, quâ talis, adeò esset perfecta, ut perfectior esse non posset. Vnde Divus Thomas in 1. sent. Dist. 22. ar. 2. & 1. P. q. 27. ar. 6. & Alex. Alensis docent *id perfectum esse, cui nil de bonitate addi potest.* Et tali perfectione sine dubio prædita fuit Virgo Deipara. Licet enim in perfectione accidentali omnem creaturam, in infinitam

Perfectio est Stella in Corona B. V.

Radix bonorũ omnium in B. V. est Divina Maternitas.

infinitum facere possit meliorem; in perfectione tamen essentiali minimè. Quemadmodum enim, exempli gratiâ quaternarium majorem facere nequit, absque speciei ipsius mutatione: sic licet Devs potuerit B. V. ut creaturam, vel ut mulierem facere meliorem, in perfectione accidentali; non potuit tamen, ut esset melior Mater, & melioris Filij Mater, & ad majus bonum ordinata. Quare idem S. Thomas tria numeravit, quibus Devs meliora facere minimè potest; nempè Humanitatem Christi, Visionem Dei beatificam, & Virginem Deiparam. Hæc enim infinitæ sunt dignitatis, ex bono infinito, ipso Deo videlicet, quem respiciunt. Humanitati enim Christi infinita inest dignitas, quod Divinitati quę infinitum bonum est, sociata sit. Visioni quoque beatificæ infinita inest dignitas, quod Dei fruitio sit. Similiter Virgo beatissima ad eminentissimã nullo carentem fine, aut termino evecta dignitatem cum Mater Dei Altissimi facta est; bonis tãtis, tamq; eximijs, ac plane Divinis cumulata fuit, ut plura, meliora, aut pulchriora accipere non potuerit.

M. perfectissima ita ut nil ei addi possit.

Tria sunt infinita.

7. Quod si Bonitatem hanc Virginis, ut est fructus Spiritus S. consideremus, intelligemus sanè illam omnibus numeris fuisse absolutissimam, utpote ab arbore Spiritus S. qui omnis perfectionis fons inexhaustus est procedentem. Hæc porrò Arbor velut Lignum vitæ in Paradiso uteri Virginalis tunc plantata fuisse videtur, cum Spiritus S. supervenit in Mariam, & virtus Altissimi eidem obumbravit. Vnde consequitur Deiparam copiosissimè de dulcissimis illis fructibus bonæ hujus arboris Spiritus Sancti participasse, quos Apostolus ad Galat. 5. enumerat: *Fructus Spiritus sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, Bonitas, &c.* Quos fructus S. Antoninus Archiep. Florentinus 4. Par. tit. 15. cap. 26. appellat valde suaves, & hanc ob causam dixisse Virginem Eccli. 24. *Spiritus meus super mel dulcis, id est, fructus spiritus mei. Dulcia autem communiter alliciunt appetitum. Sunt enim dulcia, amica naturæ.* Et licet omnes fructus hi sint dulcissimi, Bonitas tamen Virginis, dulcedine prædita videtur inexplicabili. Hæc enim ut docet idem S. Antoninus, & B. Albertus Magnus ex Glossa, cum nil aliud sit, quã dulcedo animi, & hæc dulcedo animi, morumque suavitas, omnem tam humanæ, quam Angelicæ creaturæ suavitatem excesserit, consequens sane est, Bonitatem ej⁹ omne, idq; absolutissimũ habuisse complementum. Et quemadmodum dulce est, quod amaro impermixtũ est, dulcius quod amoro impermixtius, dulcissimum quod amaro impermixtissimum est, qualis fuit animus Mariæ: Sic Bonitas Virginis, quæ nulli prorsus ullius amaritudini peccati unquam etiam originalis admixta fuit, erit perfectissima; & adeò quidem, ut bonum hoc suum etiam alijs communicet, sicut fusius dicetur infra; Nam ut idem loquitur S. Antoninus. *Hoc pertinet ad istam Bonitatem, velle bonum aliorum, & suum communicare. Et B. V. M. summum Bonum, suum nempe Filium offerendo primo in Templo, deinde in patibulo Crucis DEO Patri, nobis communicavit, atq; ita dulcem suæ bonitatis fructum nobiscum participavit, largissimamq; variorum bonorum copiam in totum orbem per Filium etiam maximè in SS. Eucharistiæ Sacramento effudit.*

Bonitas B.V. est fructus Spiritus S.

Bonitas est dulcedo animi.

8. De his Virginem Ioan. Ger. Trac. 9. in Magn cecinisse in suo Cantico credidit: *Esurientes implevit bonis.* Luc. 1. *Dedit,* inquiens, *nobis panem de cœlo verum, sub umbraculo Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti. Dedit & nobis abundè omnia ad fruendum in hoc benedicto Fructu ventris sui. O benedictissima fœminarum. Fas tibi est, ò anima mea, fas gloriari ex toto corde, & ex toto corde dicere: sub umbra illius quem desiderabam sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Sede igitur solitaria sede & sile, & leva te, super te; sede per quietem, non per torporem, DEVS implebit desiderium tuum in bonis. Desiderabas dilectum ex dilecto, dilectum per amorem amorosissimum? Ecce sub umbra istius sedes sub sacris Eucharistiæ Symbolis, os operi per aviditatem devotionis, & attrahe Spiritum charitatis. Dilata os tuum per desiderij fervorem. Ipse secundum promissum suum complebit illud. Et quibus implebit? Planè fructu eius, qui dulcis erit gutturi tuo. Sit, ò anima mea, guttur tuum, sicut Dilecti tui, suavissimum.* Hæc Gerson de dulci Virginei ventris fructu, omnibus bonis redundate, filiorumque hominum famem abundè exsaturante.

B.V. communicavit nobis Bonum SS. Eucharistiæ.

9. Cùm igitur à Beata Virgine velut à quopiam copiosissimo fonte, vel amplissimo Oceano tantorum bonorum copia in nos redundet, facile colligere licet, eam summum quoddã post Devm Bonum, atque perfectionum eminentissima-

M. summum nostrum bonũ post Devm.

simarum epitomem esse absolutissimam; in qua condenda & DEI Patris infinita potentia, & DEI Filij inscrutabilis sapientia, & Spiritus Divinissimi immensa desudare visa est bonitas, ut sæpiùs supra commemoratum. Vnde ejus bonorum divinissimorum Venerabilis Beda admiratus copiam, attonitus quasi exclamavit: *O Virgo Beatissima in te sola Rex ille dives, & predives exinanitus est.* Tacitè nobis intinuans, summam illam Majestatem in elaboranda Virgine, suarum Divinarum perfectionum omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatisque prorsus immensas, atque infinitas inauditâ quadam prodigalitate quodammodo exhausisse divitias; summamque attentionem solicitudinemque in ea efformanda, donisq; cœlestibus locupletanda præsertim in Incarnatione Verbi, ejus in utero purissimo peracta, adhibuisse. Qua ex consideratione, hujus Divinissimi Operis nobilitas, Pulchritudo atq; perfectio satis clarè, ac evidenter colligi potest. Verissimè enim dictum est à Philosophorũ Principe 2.Phys: t. 45. & 2. de cœlo t. 50. *Natura rei nobilioris semper magis est solicita, ut scilicet in omnibus eam meliorem reddat. Natura siquidem*, ut idem ait 2. de Gener. t. 59. *in omnibus desiderat, quod melius est.*

In Maria sola Rex supernus exinanitus est.

M. Opus nobilissimum.

Natura in omnibus desiderat quod melius est.

Cum igitur Virgo DEIPARA nobilissimum DEI Opus esset futura convenientissimum fuit, ut ter optimus naturæ & gratiæ Auctor DEVS, summam & Naturæ, & Gratiæ vim virtutemque in hac Virgine condenda exereret, eamque optimam, atque perfectissimam omnibusque tam naturæ, quàm gratiæ numeris absolutissimam efformaret.

10. Quod si Sanctus Xystus III. Pont: Maximus in libro de divitijs, naturam Boni ita definivit: *Bonum est quod à DEO principium sumpsit: Non bonum verò, cujus exordium, non DEI dignatione, sed humana præsumptione censetur;* certè cum Virgo DEIPARA à DEO ter opt: max: singulari, ac peculiari quadam ratione, ejusdemque ineffabili prorsus in humanum genus dignatione, principium sumpserit, singulare sanè, ac peculiare quoddam bonum tam Naturæ, quàm Gratiæ eam esse censendum est.

Definitio boni.

Agnovit Naturæ Opus quoddã optimũ pulcherrimũ, atq; perfectissimum DEIparã B. Petrus Card: Dam: ser. 1. de Nati: dum expenderet encomium illud à Spiritu Sancto exaratum de magnificentissimo Salomonis Throno 3. Reg: 10. *Non est factum simile opus in universis Regnis: Nihil veriùs*, inquit, *nihil subliminùs, nihil dulcius miseræ mortalitati, & mortali miseria. Nam etsi multa magna sunt facta in creaturis mundi, nihil tamen tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum DEI.* Idem ait ser. 2. de Nativ: à Divina sapientia in domum quandam amplissimam, atq; magnificentissimam septenis Spiritus S. donis, velut columnis suffultam MARIAM ædificatam, ut tantæ Majestatis dignissima fieret habitatio: *Quam utiq;*, ait ille, *æterna sapientia, quæ attingit à fine usq; ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter talem construxit, quæ digna fieret illum suscipere, & de intemerata carnis suæ visceribus procreare.* Vnde Seraphicus Bonaventura cap. 3. in speculo dixit: *Opus Domini excellentissimum est MARIA:* Et cap. 16. cum DEO loquens, *Tuum*, inquit, *est opus Domine tantæ Virginis præparatio.* Agnovit Divinum quoddam naturæ opus optimum atque perfectissimum fuisse DEIparam mellifluus Bern: quando ser. 2. super Miss. *Factor*, inquit, *hominum ut homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imò condere Matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placituram.*

Maria Opus cui simile factũ est nunquam.

MariaDomus amplissima ab æterna Sapientiã fabricata.

M. Opus Domini excellentissimum.

11. Agnovit Optimum quid esse DEIparam S. Bern: senens. qui To. 2. ser. 55. art. 1. cap. 3. DEIparæ verba illa attribuens; *Optimam partem elegit sibi MARIA, quæ non auferetur ab ea in æternum;* reddensque rationem cur optimam partem B. V. elegerit; *Eo quod*, inquit, *tribus sibi propositis, scilicet esse Matrem, & non esse Virginem, vel esse Virginem, & non esse Matrem, vel esse Matrem & Virginem, ultimam & optimam sibi elegerit, scilicet esse utrumq; simul.* Idem Tom. 4. ser. 6. art. 2. cap. 2. *Bona pars quod fœcunda, melior quod Virgo, optima quod Virgo & Mater, quod soli MARIÆ datum est.* Alibi denique idem S. Pater eadem verba expendens: *Nempe optimum*, inquit, *est, super quod nihil est melius. Et in pura creatura supra Beatam Virginem non est factibilis status. Et quia talis status Beata Virgini honorabiliter datus est, ideò ante collatum fuit sibi copiosissimum donum; unde hunc sublimem statum mereri posset, ac sibi eligere sicut vellet.* Tomo verò 3. ser. 6. exponens verba illa Virginis: *Quia fecit mihi magna qui potens est;* adeò magnam, adeo eximiam, ac perfectam Maternitatis Divinæ hanc esse dignitatem asseruit, ut majorem perfectioremque DEO factu sit

Optima est pars MARIÆ, quia Virgo, & Mater est.

Dignitas Divinæ Maternitatis.

Magna fecit DEVS potens Mariæ, cum fecit Matrem & Virginem.

ctu sit impossibile. *Et verè fecit magna,* inquit, *quia fecit Matrem & Virginem intactam & intemeratam. Et verè magna, quia me fecit Matrem DEI. Et quid majus potuisset mihi facere? Sed nonnè potuit DEVS facere ipsam æqualem sibi? certè non, quia impossibile est DEVM posse sibi æqualem habere.* Tunc enim duo forent DEI, unusque dependeret ab alio; quod conceptui DEI repugnat, cujus est proprium à nemine dependere, & à se habere omnia reliqua dependentia.

12. Agnovit hujus Virginei operis excellentiam Beatus Laurent: Iustin: ser. de Nativ: Virg: cum dixit supremum Orbis, ac sapientissimum Artificem in efformanda Virgine DEIpara id fecisse, quod periti Artifices consueverunt, qui post diuturnam artis suæ exercitationē, præcipuum, ac singulare aliquod fabrefaciunt Opus, ad perpetuam magisterij sui memoriam, quatenus quod non valet lingua. inspecti operis elegantia manifestet, atque ita scelestos etiam hominés immortales fieri voluisse. Tandem cum ostendisset omnia DEI opera, tàm cœli quàm terræ, *Omnipotenti DEO laudis præconia exhibere, eoq́,* inquit, *perfectiùs, ac perampliùs, quo perfectiora, ac cumulatiora gratiarū munera perceperunt.* Mox addidit:

Maria Opus superni Artificis post omnia ipsius opera præcipuum, ac singulare, in quo suum Magisterium commendavit.

Hinc Beatissimæ V. excellentia fulget, hinc laudis ipsius holocausta commendantur. Sanctificationis quidem privilegio, virtutum meritis, virginitatis honore, prolis fœcunditate, humilitatis decore, atq́ donorum plenitudine mortales supereminet universos. Omnium quippè referta cumulo gratiarum, cunctis in se DEVM fecit laudabilem. Quis DEVM non honoret in Virgine, qui Virginem DEI voluit fieri Genitricem, Reparatricem sæculi, lucem mundi, speculum Sanctitatis, fidei magisterium, peregrinationis solatium, immaculatum Templum, Fœderis Arcam, Divinis manibus fabricatam.

B. V. omnium gratiarū cumulo referta, cunctis in se Deum fecit laudabilem.

MaterDei facta Reparatrix sæculi.

Maria nostræ peregrinationis solatiū

MariaArca fœderis, DEI manib9 facta

13. Agnovit deniquè optimum perfectissimumque & naturæ & gratiæ Opus fuisse DEIparam Sanctus Epiphan: lib. de laudibus Virginis, quando loco arrhabonis seù annuli sponsalitij datum ei fuisse, ait, Spiritum S. qui summa atque ipsissima est DEI Bonitas: *Virgo invenitur cœlestis sponsa, & Mater, quæ donorum ante nuptialium nomine, Spiritum S. accepit. Dotis verò gratiâ, cœlum unà cum Paradiso.*

Mariæ loco arrhabonis seu annuli spōsalitij datus Spirit9 S. qui summa est Bonitas.

Ac si clariùs diceret: Non fuit contentus Spiritus Sanctus ipsissima DEI Bonitas suis gratijs supernaturalibus, ac perfectionibus eam ditare, dotavit insuper bonis omnibus naturalibus, quibus Primam omnium Matrem dotavit in Paradiso, dotavit & donis gloriæ, quibus beati dotantur in cœlis. Quibus ex verbis devotus quisque Virginis clientulus mira perfundi debet lætitia, & æternæ capessendæ salutis spe erigi, siquidem hæc Sponsa Virginea pro dote sua cœlorū Regnum, sive Paradisi cœlestis accepit fœlicitatem, de qua sine dubio, uti aliæ nuptæ pro libitu potest disponere. Quare verè fœlices, ac beati sunt ipsius dilecti Filij, ipsius ferventes castissimiq; Amatores, qui ut tanto ferventiores in ejus obsequio atque laudibus sint in posterum, audiant Virginis studiosissimum Ioannem Gersonem Tract. 8. in Magnif. cum ipsa piè colloquentem, eorumque fœlicitatem deprædicantem: *Beatus ille, cui tu ò Beata dederis affectum diligendi te, honorandi te, loquendi de te, cantandi tecum Magnificat anima mea Dominum: Salutandi te Ave Maria gratia plena, &c. benedicendi te super omnes mulieres: confitendi & laudandi, quia benedictus fructus ventris tui IESVS. Beatus, cui tu Beata inspiraveris affectum petitionis septiformis, ab Angelo magni Consilij Filio tuo descendentis. Pete in primis nobis triplicem Beatitudinem, Obiectivam in sanctificatione Nominis sui: Formalem in adventu Regni sui; Virtualem in adimpletione beneplaciti sui. Deinde proventum cujusq́ rei necessariæ corporis vel animæ, in pane quotidiano, & supersubstantiali. Deniq́ remotionis impedimenti. Sit illud culpa, dimitte nobis debita nostra. Sit illud pugna; & ne nos inducas in tentationem. Sit illud pœna & miseria, sed libera nos à malo. Beatus cui tu ò Beata fidem dederis, quæ per dilectionem operatur credere in DEVM cum cæteris secundùm Divinitatem, & Humanitatem articulis. Beatus deniq́ magnificans te coram Angelis tuis in illuminatione faciei vultus tui.* Concludit tandem, optimumq; dat consilium, quid faciendum ei qui hujus Virgineæ dotis, ac beatitudinis particeps esse desiderat, ita concinens: *Vive Deo purus, velut hic, & nunc moriturus.*

Beati & Prædestinati censendi sunt ij, qui diligūt & honorant B. V.

Purè vivendum B. V. clientulis.

14. Sed unde digressi sumus redeam. Dotibus his alijsque virtutum à Sanctissima Triade decoratam ornamentis, atque ad sublimissimam Divinæ Maternitatis evectam dignitatem contemplans Sanctus ipsius Amator Bernardus, bonitatis, perfectionis, magnitudinisque ejus splendore quodam reverberatus, exclamavit attonitus: serm: 2. de Adven: *O Virgo, Virga sublimis, in quam sublime verticem*

vicem sanctum erigis! Usq; ad sedentem in Throno, usq; ad Dominum Majestatis, quoniam in altum mittis radices humilitatis. Quare S. Hildelphonsus serm. 2. de Assumpt: præclarè dixit, in Deiparam totam simul gratiæ plenitudinem venisse, habuisse immensa dona, commercia Divinitatis, quibus cum Deo familiarissimè conversando, quandam Dei similitudinem singularem nancisci visa est.

15. Hæc Virginea Perfectio, Bonitas, sive pulchritudo; In textu enim Græco unum idemque significant (quod enim Pulchrum, idem Bonum, & contra) tanta fuit, ut creaturas omnes tam cœlestes, quam terrestres exhilarârit mirificè, in summamque rapuerit admirationem, ac venerationem. Hanc pijssimus Bapt: Mant: lib. 2. Parthe. iter Deiparæ bonis omnibus, ac gratijs Spiritus Sancti repletæ, & in montana ad Elisabeth cognatam salutandam proficiscentis descripsit venustissimè:

Pedibus calcata pudicis
Gestijt immensum tellus, & dulcia longo
Tempore servavit, presso vestigia dorso.
Tota venustatem Regio mirata, decusq;
Ætherea frontis, fusumq; per ora pudorem.
Arrisit procul omnis ager, nemus omne virentes
Exorto jam verè comas curvavit, & ibat
In flores tunc omne solum, fragrantia rura
Purpureas passim violas, & candida passim
Lilia fundebant, nitidis è fontibus undas
Volvebant dulces, cursu crepitante susurros,
Assyrij colles assurrexêre Thaboris
Et iuga flexerunt, Dominam speculatus ab alto
Vertice Carmelus caput inclinavit apricum,
Coniferas pinos, & odoriferas Cyparissos
Blandior alternis flectebat nutibus aura.
Terra suas monstrabat opes, & lucidus æther
Nubibus expulsis vultu ridebat aperto,
Crinibus auratis, solutoq; recentior acres
Sol urgebat equos, tersoq; ardebat Olympo.
Qualis erat primâ Genitor, qua condidit illum
Luce Deus, cum clara novis splendoribus astra
Alta per insuetos ferrent vestigia gressus.

Creaturæ omnes Mariæ pulchritudinem admiratæ.

Carmelus reverētiā B.V. exhibuit.

Sol pulchritudinem B. V. miratus.

Idem Mantuanus hanc Virgineæ pulchritudinis perfectionem admirantem introduxit S. Elisabetham atque ita exclamantem.

O decor, ò facies dignissima cœlo,
Te tandem terris super; ostendere; quid ultra
Tristia primævæ flemus convivia Matris?

16. Sed quid ego creaturas Virgineæ puschritudinis perfectionem admirantes commemoro? Pulchritudo hæc ipsum Creatorem cepit, in summamq; adduxit admirationem. Audite B. Petrum Card. Damianum serm. de Ann. *Tandem nascitur MARIA, & ad nubiles annos egrediens speciem induit speciosam, quæ ipsum illiciat DEVM, & Divinitatis oculos in se convertat.* Audite Religiosissimum Imperatorem Leonem, qui Hom. 6. de hac Virgine loquens. *Non inest,* inquit, *in pulchritudine eius fallax gratia. Vnde specie illa, & pulchritudine captus DEVS, ex omnibus hanc unam sibi Matrem delegit, & sanguine eius formatus in pristinum statum delapsam & dissolutam figmenti sui figuram restituit.* Audite denique Sanctissimum illum Carthusiani Ordinis Fundatorem, ac Patriarcham Brunonem, qui serm de Annun: verba illa Psalmi enucleans: *Vultū tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Quid mirum,* inquit, *si divites & nobiles Virginis Matris vultum & pulchritudinem desiderabunt, cum jam dixerit quia concupivit Rex speciem tuam; valdè enim pulchra est, quæ suâ pulchritudine DEVM ipsum ad amorem sui provocare potuit. Vnde conveniens fuit, ut speciosus formâ, præ filijs hominum, speciosam sibi eligeret Matrem. Considera cuius pulchritudinis fuerit, cuius splendor, & pulchritudo cœlos penetrabat. Inde Angeli eam admirabantur; inde Gabriel recto itinere venit ad eam. Ad eam enim missus est, quæ præ cæteris fulgebat, quæ pulchra, ut luna, electa ut sol, pulchritudinem omnem, sua pulchritudine vincebat.* Hæc Bruno.

Mariæ pulchritudo Devm illexit.

Maria pulchritudine Deū ad amorē provocavit.

17. Hanc Divinissimorum oculorum in Virgineam illam pulchritudinem sive perfectionem conversionem piè Apostolico suo descripsit stylo S. Bern. Senensis Tom. 3 serm. 6. verba illa Virginis dum expenderet: *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ: Postquam,* inquit, *creavit DEVS Evam valdè pulchram, pulchriorem cæteris mulieribus, quia summus Magister Magistrorum plasmavit eam, idem ipse summus Opifex in suum deliciarum viridiarium ingressus ad auram post meridiem delectabatur in pulchritudine Creaturæ suæ. Vbi verò suadenti Dœmoni in præcepti Divini transgressionem, consensit, avertit statim Dominus vultum suum ab ea, & ab vniverso humano genere; atq; ita quinq; millibus annis, mansit DEVS, ut nemo mortalium eum videre posset. Quando verò DEVS creavit Beatiss: Virginem Matrem suam, ipsam fecit suo modo, & fecit eam omni perfectione virtutum perfectam, & Evæ contrariam. Atq; ita salutifera Virgine Matre Domini mediante, DEVS ipse convertit suam clementem faciem ad humanum genus, quam averterat propter peccatum Evæ. Et hoc est, quod dicit jubilando B. V. quia respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Addit insuper ob eminentissimam hanc perfectionem, Devm à Virgine exaltari magis, quàm

Post peccatum Evę avertit Dominus vultum suum ab ea, & à toto genere humano.

Ob Mariā Devs aversum olim vultū, ad genus humanum convertit

M. sola plùs magnificat Deum, quàm omnes creaturæ.

quàm à creaturis universis: *Quia*, ut inquit ille, *Mater DEI, & Regina Regni cœlorum erat sola super omnes creaturas, & ideò magis magnificat DEUM, quàm omnes alia creatura cœlestes, vel terrestres.*

18. Agnovere hanc Virgineæ perfectionis excellentiam, vel ipsi populi Iudaici Rabbini, ut testatur Petrus Galatinus lib. 7. Arcan. cap. 3. inter quos Rabbenus Heccados, sic vocatus quod esset Magister illius populi Sanctus, qui dū respōderet ad interrogationem septimam Antonini Romanorum Consulis suscitantis, cur de Matre Messiæ dicat Psalmista; *Perfice eam quam plantauit dextera tua.* Psal. 79. Seù ut legit idem Rabbinus: *Et Abacum quam plantauit dextera tua?* ita pronunciasse memoratur: Deiparam vocari Abacum, seù Armarium, in quo Deus perfectiones creaturarum omnium, velut vasa preciosissima aurea, atque argentea collocavit, ad magnificentiam Regni & Majestatis suæ, toti Mundo ostendendam. *Similis*, inquit Rabbinus Heccados, *facta est Mater DEI Abaco; Quia sicut est armarium, quod Principes conficiunt, ad vasa collocanda auri & argenti, ut gloriam suam, & opes omnibus ostendant: Ita Mater Regis Messiæ erit Armarium, quod DEUS construxit ut in illo sedeat ipse Messias ad ostendendam gloriam Maiestatis suæ cunctis mortalibus. Plantata Dei dexterâ dicitur, ut ostendatur eam primam esse Creaturam DEI in genere humano.* Hæc Galat. Atque ita quemadmodum à Crysippo Deipara *Armarium vitæ*, ab alijs, *Sapientiæ & Scientiæ;* ita à nobis jure meritissimo Armarium universæ bonitatis, seù pulchritudinis, atque perfectionis omnium creaturarū jure meritissimo vocitari potest.

M. Armarium perfectionum omnium creaturarum.

19. Quæ quidem bonitas, pulchritudo, atque perfectio, tantò eminentior, atque excellentior in Virgine reperitur, quantò magis ipsa Divinæ illi, ac supremæ Bonitati, cujuscunque creatæ bonitatis, ac perfectionis primario fonti, atque origini fuit magis conjuncta. Creaturæ siquidem omnes eò meliores, ac perfectiores sunt, quò magis ad supremam illam Bonitatem, vel accedunt, vel recedunt. *Animæ siquidem*, ut ait S. Dionysius Areopagita cap. 4. de Div. Nomin. *omniaq; animarum bona per ipsam consistunt Bonitatem plusquam bonam, inde virtutem intellectualem habent, inde essentialem vitam, & immortalem; inde quod ipsâ essentiâ, potentiâq; ad Angelicas vitas aspirant: Inde quod per Angelos, tanquam bonos Duces revocantur ad ipsum bonorum omnium Principem Bonitatem, splendorumq; inde micantium pro modulo suo compotes evadunt.*

M. bona atq; perfecta, quia Fonti bonorū omniū maximè uunita.

20. Idem Dionysius eodem capite volens ostendere increatam Bonitatem, causam esse cujuscunque bonitatis & perfectionis, quæ in creaturis reperitur, ab eaque velut rivulum à fonte, vel radium à Sole derivari: *Bonum*, inquit, *quibuscunq; se perfectè insinuaverit, perfecta facit, ac mera, atq; integra bona; quæ verò minùs de ipso participant, per defectum boni, & imperfecta sunt, & mixta bona. Neq; est omninò malum, neq; bonum, neq; beneficium, sed quod magis aut minùs appropinquat Bono, pro bono suo erit bonum. Nam quæ per omnia pergit perfecta Bonitas, non ad eas solùm, quæ circa se sunt eximiè bonas substantias penetrat, verùm ad extremas quoq; pertingit, alijsq; penitus præsens, alijs imperfecto modo, alijs deniq; ut singula capere possunt.*

Natura summi Boni est, ut in quos sese insinuat, perfecta faciat.

21. Quare ibidem asserit in Angelis Divinam Bonitatem maximè elucere, nobisque per ipsos eandem manifestari: *Illis*, inquit Dionysius, *Boni indoles indulta est, munusq; tributum, quo occultam illam in se Bonitatem ipsi in se patefacerent, Angeliq; existerent tanquam Divinum silentium nunciantes, & quasi conspicua quædam lumina, tanquam è vestibulo Bonum ipsum in aditis latens sequentibus declarantia.*

In Angelis Divina Bonitas magis elucet, quo sunt ipsi viciniores.

Denique cap. 5. ostendit ipsas Hierarchias Angelicas quo viciniores summo illi, sempiternoque Bono sunt, ut sunt Seraphini magis de ejusdem bonitate, atque perfectione participare: *Sanctissimæ*, inquiens, *atq; antiquissimæ Potestates Angelicæ, quæ & verissimæ sunt, & velut in vestibulis superessentialis Trinitatis collocatæ, ab ipsa simul, & in ipsa, ut & sint & Divina sint acceperunt. Præterea quæ post illas secundo loco, inferiores sunt, inferiore quoq; conditione id ipsum bonum habent. Extrema denique, extremâ quâdam sorte; extrema, inquam, si cum Angelis superioribus comparentur; comparata verò ad nos bonum illud habent, ratione quadam, ac modo superiore.*

Seraphini pfectiores sunt reliquis Ang. quia Deo propinquiores.

22. Quamobrem jure merito Div. Bernardinus Senen. Tomo I. ser. 61. a. 2. cap. 4. docet Bonitate, ac perfectione Virginis nullam sub Deo eminentiorem reperiri. *Certitudinaliter*, ait *tenendum est, quod ipsa, nempè Maria Virgo est super Ordines Angelorum tanquam per se implens & constituens unum integrum, ac totalem statum,*

M. quia perfectissima, ideò super omnes Angelorum Hierarchias ad dexterã Filij evecta.

cui secundùm rectam rationem, altera persona non potest congruè superaddi; quia ipse status ex sui ratione propter dignitatem, incommunicabilem exigit unitatem. Sicut enim nullatenus decet plures esse Christos, nec Deum plures homines esse; sic nullo modo decet DEI Filium nisi unam Matrem naturalem habere. Item ratio naturalis ex gratuitâ lege apertè dictat, quod Mater Regis omnium, est in Sede Regia super omnes Ordines ministrorum, & militum collocanda. Vnde quia electa est in Matrem, electa quoq; ad dignitatem transcendentem omnẽ dignitatem ministrorum & famulorum.

M. summo Bono unita, sum̃am infinitãq; participavit bonitatem, ac perfectionem

23. Quæ cùm ita se habeant jure meritissimo dixerimus gloriosissimam Deiparam ob intimam illam Vnionem, quam cum summo, & infinito Bono habuit, summam, atque infinitam quandam participasse bonitatem, atque perfectionem, pulcherrimamque Imaginem Divinæ Bonitatis evasisse. Quare Div. Gregorius Nyssen. Hom. 2. in Cant. expendens verba Sponsi: *Si ignoras te, ò pulcherrima mulierum;* ita Sponsæ loquentem Sponsum, de hac tam eximia, Divinaque ejus dignitate introducit: *Cognosce quantum sis honorata à Creatore, plusquam reliqua creatura. Non factum fuit cœlum Imago Dei, non Luna, non Sol, non sydera. Tu sola facta es effigies Naturæ, quæ omnem superat intelligentiam, similitudo pulchritudinis, in quam non cadit interitus, expressa figura veræ Divinitatis, vita beata receptaculum, veri luminis informatum simulachrum, imitans eum qui in te resplendet. Eorum quæ sunt nihil est adeò magnum ut suscipiat dimensionem tuæ Magnitudinis. Totum cœlum DEI palmâ continetur: terra & mare pugillo eius manus comprehenditur. Et tamen qui est tantus, ac talis, qui uniuersam creaturam palmâ continet, totus à te capitur, & in te habitat, & non in arctum cogitur, in tua versans natura ille qui dixit: Inhabitabo in illis, & inambulabo.*

M. sola facta est effigies Naturæ illius, quæ omnem superat intelligentiam

M. expressa Figura veræ Divinitatis.

Nulli nec Angelo, nec homini, Divinæ Maternitatis concessa dignitas nisi Mariæ.

24. Dignitas sanè hæc atque perfectio hujusmodi est, ut nulli creaturæ hactenus fuerit communicata, nec in posterum sit cõmunicabilis. Vnde non immeritò Angelicus Doctor in cap. 1. Matth. pronunciavit: *Nulli Creaturæ hoc concessum est, nec homini, nec Angelo, ut esset Pater, ut Mater Dei, sed hoc fuit privilegium gratiæ singularis, ut non solùm hominis, sed Dei Mater fieret. Et ideò in Apocalypsi dicitur: Mulier amicta Sole, quasi tota repleta Divinitate.* Quare Divus Anselmus lib. de Excell. Virg. cap. 2. *Hoc solum,* inquit,

M. tota repleta Divinitate

de Sancta Virgine prædicari, quod DEI Mater est, excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest. Quia revera quemadmodũ asserit S. Bonaventura in Spec. cap. 10. *Ipsa est quâ maiorem non potest facere DEVS. Attendite,* inquiens, *Charissimi quod Dominus iste qui singulariter est cum Maria, ipse est Dominus cuius Mater dignissima est Maria. De hoc Domino, & de hac Matre dixit Elisabeth: Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Mater Domini, Mater & Virgo, Mater est dignissima. Ipsa est Mater, quæ tali Filio est decentissima. Ipsa Mater est, cui talis Filius decentissimus fuit. Maiorem Mundum posset facere DEVS, maius Cœlum posset facere DEVS, maiorem quàm Matrem Dei non posset facere DEVS.* Et hoc propter intimam Divinitatis cum Naturâ humanâ, ex Virgineis illius sanguinibus, ope Spiritus Sancti compaginatâ, hypostaticam Vnionem; quâ Humanitas sacrosancta bonis illis, atque perfectionibus Divinitatis immersa quodammodo, iisdem communicare merita fuit. Quam participationem Theologi, Cõmunicationem idiomatum appellare consueverũt.

M. perfectio ex Divina Maternitate trahit originem.

Majorem non potest Deus facere, quã fecerit M.

25. Atque ita Sancti Patres gloriosissimæ huic Virgini, ob personale hoc vinculum omnia bona, ac perfectiones tam Naturæ, quàm Gratiæ, ac Gloriæ attribuere sunt soliti. Vnde B. Antoninus Archiepiscopus Florentin. 4. P. tit. 15. cap. 16. ideò censet vocatam ab Angelo; *Gratia plenam,* quod omnes hujusmodi perfectiones fuerit indepta: *Privilegia Principium,* inquit, *sunt latè interpretanda. Cùm ergo Dominus in Privilegio suo, quod ei mittit, per Angelum, dicat: Gratia plena, nullam specificando, erit pro omnibus interpretandum. Præterea DEVS infundit suam bonitatem unicuiq; secundùm suam virtutem, ac capacitatem, ut patet de Domino, qui tradidit servis suis bona sua secundùm propriam virtutem. Ergo quæcunq; creatura capax est omnis gratiæ, cuius est capax pura creatura, illa erit plena omni gratiâ. Talis autem Creatura fuit Beatissima Virgo Maria. Ipsa est enim plena omni gratiâ, cuius particeps potest esse omnis creatura.*

Ob unionem hypostaticã, quâ naturam humanã in utero B. V. Verbum assumpsit omnia bona, Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ ei attribuuntur.

M. cùm dicitur Gratia plena, accipit Privilegium quod latè interpretandum de omni gratia.

26. Quare devotissimus Dionysius Carthusianus ob hujusmodi Divinorum Bonorum plenitudinem jure merito *Comparentalem DEO Patri Virginem hanc sacratissimam* nuncupavit lib. de quatuor novissimis ar. 61. ubi Beatorum in cœlis describens gaudia ex aspectu Deiparæ; *Gaudent,*

B. V. Comparentalis Deo Patri ob suũ dilectissimũ Filiũ ipsi commune

Gaudent, inquit, *præsertim in ea, & de ea, & de eius excellentiâ, ac honore, eò quod ipsa sit Mater veri DEI comparentalis DEO Patri, eundem Filium habens cum illo, quod est dignitas quodammodo infinita, propter quam tota curia cœlestis militia, singulari, præcipuoq; honore eam deuotissimè veneratur, tantoq; abundantiùs congratulatur excellentia eius, quantò feruentiùs diligit eam.* Ob eandem bonorum Diuinorum plenitudinem crediderim D. Nazianz. in Tragœd. de Christo patiente dixisse; Deiparam, ut Deum habitam: *Honoranda, pudica, fœlicissima Virgo. Tu Beatorum sedem in cœlis, omnem faecem terrenam exuta, immortalitatis pallio ornata, semperq; expers senij, ut DEVS habita.*

M. ut Deus habita.

27. De his perfectionibus, bonisq; tam naturæ, quàm gratiæ Deiparæ à Deo ter Opt. Max. communicatis, audite B. Cardinalem Petrum Dam. serm. de Annunc. *Cùm fecerit DEVS omnia opera sua bona valdè, hoc meliùs fecit, consecrans sibi in ea Reclinatorium aureum; in qua sola post tumultus Angelorum & hominum se reclinaret, ac requiē inueniret. Hoc est quod natura miratur, reueretur Angelus, veretur homo, stupescit cœlum, extremit terra, Infernus exhorret. In huius utero Maiestas Altissimi mirabiliter liquefacta, sicut adipe, & pinguedine repleuit terras, infudit cœlos, inferna respersit. Hic exinaniuit semetipsum excelsus, & immensus, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam dans in sinum nostrum.*

B.V. aureum Dei Reclinatorium.

Ex qua Cardinalis Religiosissimi sententiâ colligimus Diuinissimam illam Bonitatem non contentam dumtaxat in Virginem suis bonis, ac perfectionibus influere, sed voluisse etiam quodammodo ejus ardore Charitatis liquefieri, ut & reliquis creaturis suam bonitatem largiùs communicaret.

De donis, ac perfectionibus gratiæ, eundem Cardinal. audite, qui serm. 3. in Natiuit. B. V. nihil Sanctitatis, nihil perfectionis deesse potuisse Virgini, utpotè totius Sanctitatis, Bonitasis, ac Perfectionis Fonti copulatæ, asseuerauit: *Quid sanctitatis, inquiens, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius Diuinæ gratiæ charismate plena fuit?* De bonis denique, ac perfectionibus Gloriæ, Seraphicum Cardin. Bonavent. audiamus, qui in Speculo cap. 6. *Gloriosum, inquit, gloria Mariæ priuilegium est, quod quicquid post DEVM pulchriùs, quicquid dulciùs, quicquid iucundiùs in gloria est; hoc Mariæ; hoc in Maria, hoc per MARIAM est.*

M. nil perfectionis deesse potest.

B.V. Gloria priuilegiata.

28. Hic prætereundus omninò non est B. Patriarcha Iustin. qui perinde de gloriosissima hac Virgine loquitur, ac si totius Diuinæ bonitatis, ac perfectionis epitome, ac compendium esset. *Quicquid honoris, inquit, quicquid dignitatis, quicquid meriti, quicquid gratiæ, quicquid est gloriæ totum fuit in Maria.* Quam ob causam Richardus de S. Victore lib. de differ. Sacrificij Abrahæ, & Beatissimæ Virginis, cùm intelligeret tot dona, ac bona, perfectionesque Naturæ, Gratiæ, ac Gloriæ Virgini communicatas, sapientissimè pronunciavit: *Quis audeat aliquem Sanctorum, nisi solum Sanctum Sanctorum Beatissimæ Virgini Mariæ anteferre vel æquiparare? Indubitanter itaq; quod optimum est tantæ Dominæ attribuimus.* Eandem ob causam S. Hieron. serm. de Assumpt. nullam inter Virginem Deiparam, ac Creaturam quantumvis Naturæ, Gratiæ, ac Gloriæ dotibus, ac ornamentis eximiam, institui voluit comparationem: *Sicut in comparatione Domini nemo bonus, ita in comparatione Matris Domini nulla invenitur perfecta, quamvis eximia comprobetur. Quia cæteris per partes Mariæ verò simul se tota confudit plenitudo gratiæ.* Quibus verbis Vir pijssimus Deiparam (quæ verè gratiarum omnium Fons uberrimus ob sui copiosissimā effusionem vocitari debet) Diuinæ Bonitatis expressam quandam Imaginem fuisse insinuavit. Idque ob intimam, quam cum Deo, ab ipso Conceptionis suæ Immaculatæ instanti, & in ipsa Diuinissimi Verbi Incarnatione habuit Vnionem.

Cum M. nullus Sanctorū cōferendus

29. Vnde D. Bernard. Hom. 3. super Missus expendens verba Archangeli. *Dominus tecum; Specialiter, inquit, Deus cum Maria est, cum qua utiq; tanta ei consensio fuit, ut illius non solùm voluntatem; sed etiam carnem sibi coniungeret, ac sic de sua, Virginisq; substantiâ unum Christum efficeret; vel potiùs unus Christus fieret; qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis esset, nec duo Filij sed unus utriusq; Filius.*

Cùm igitur S. Hieronymū Bonitatem Virginis super creaturarum omnium perfectionem efferentem, eandemque cum Diuinâ conferentem audimus, persuadeamus nobis sanè & Naturam, & Gratiam simul cum Gloria, omnibus reliquis operibus sepositis, in ornanda Virgi-

Naturā Gratia, & Gloria in ornāda B.V. omnes vires exeruit.

Virgine, omnes suas vires, ac industriam quodammodo exeruisse, in eaque ornanda Copiam cornu suum illud abuntissimum quodammodo exhausisse.

Quare Ioannes Gerson Cancellarius Paris. Tract. 9. in Magnific. explicans verba illa Virginei Cantici: *Esurientes implevit bonis, &c.* Bonis his cœlestibus repletam agnoscens Virginem planè inexplicabilibus, eandem rogavit humiliter, ut ea laudare, atque explicare valeret: *Dignare*, inquiens, *me laudare Virgo sacrata simul cum benedicto Fructu ventris tui IESV Christo: Da de Ligno vitæ dignos, ac salubres fructus capere, sive excerpere, da Theoremata dignè promere, quorum sit hoc primum: Maria sicut præ cæteris in via esuriit, & sitiit iustitiam, sic præ cæteris puris viatoribus impleta fuit bonis ex illo, in illo, & per illum, qui est omne Bonum, dicens ex sententia animæ suæ magnificanti DEVM: Benedic anima mea Dominum, qui replet in bonis desiderium tuũ.*

B. V. sicut præ cæteris esuriit justitiam, sic præ cæteris Divinis bonis repleta fuit.

30. His Dei repleta bonis adeò admirabile superni Artificis Opus evasit, ut admiratione perculsi in vocem illam Apellis, Opus quoddam excellentissimum Protogenis pictoris farmosissimi suspicientis possemus paucis immutatis erumpere: *Ingens labor, mirandum Opus, desunt tamen Gratiæ, quæ hoc auferant, & in cœlum reponant.* Ingens verè Divinæ Bonitatis Labor est Deipara, mirandum Opus Naturæ, & Gratiæ, cui proinde deesse non possunt Gratiæ, cùm gratiâ plena ab Angelis prædicetur. Hæ siquidem Gratiæ eam super omnes cœlos extulere, hæ Virginem Sanctissimam super omnes Angelorum Choros, ac Hierarchias dominantem, ac regnantem coronavere. Operis hujus perfectissimi, ac Divinissimi admiratus excellentiam jure merito exclamavit S. Ioan. Dam. Orat. 1. de Nativ. *O digna Deo Filia, Mater casta, sola digna Creatore.* Inter omnes siquidem puras creaturas à Sapientissimo illo, potentissimo, atque optimo universorum Opifice conditas, nulla reperitur omnino, in qua ipsius Sapientia, immensaque resplendeat Bonitas, ac Majestas, atque in hoc Opere planè Divinissimo, ut sæpiùs jam diximus, quod creando providè, ut canit Ecclesia, declaravit sanè in Mundo hoc perdito instaurando ineffabilem suam, omnium linguis, literisque prædicandam providentiam, adeò, ut quicunque eam contemplaretur, dignissimum Opus, solo universorum Creatore dignum pronunciaret. Hanc ob causam crediderim à Salomone Sap. 7. *Bonorum omnium Matrem*, appellatam. Eandem ob causã idem gloriatus fuerit fortasse: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.*

M. Opus admirabile, in quo Deus laboravit.

M. Opus singulare solo Deo dignum.

31. Hinc ad magnifici hujus, perfectissimique Operis ostentationem supremus Artifex tot retro sæculis suscitavit Patriarchas, ac Prophetas, qui sub varijs umbris, ac ænigmatis excellentiam tantæ rei deprædicarent: præmisit tot figuras, ac Sibyllarum vaticinia, quæ omnia tanti, tamque eximij operis erant dispositiones, mortalibusque expectationem mirificam pariebant, totumque Mundum, ut se ad Creatorem suum, Reginamque suam excipiendam prępararet, excitabant. Quod nobis etiam Venerabilis Dionysius Richelius lib. 1. de Præcon. & Dignit. B. V. art. 5. indicavit: *Magnifici, providiq; Factoris est*, inquiens, *ut sublime quidpiam acturus vicissim differat, ut interim cæterorum animos attentos efficiat, & quid in futurum operaturus sit cunctis insinuet, simulq; congruentibus præambulis excelsum Opus præveniat. An non ordinem hunc in torneamentis suis, ac Spectaculis Reges gentium, Principesq; populorum observant? Tempus namq; præfigunt, præcones destinant, præuijsq; quibusdã præludijs, velut futurorũ signis, atq; indicijs intentum Opus præoccupant: Sic prorsus summus Mundi Opifex Deus sublimis, ac benedictus, ab ipsis sæculorum primordijs, magis autem ab æterno, pro Mundi beatitudine amantissimum suum, præcordialissimumq; Filium incarnari disponens, non id mox prosecutus est; sed supersublime, superdignissimumq; Opus in fine sæculorum peregit, ut interim hominum mentes inflammans, atq; erudiens, congruis, tantum Opus vaticinijs, Oraculis, prodigijs, figurisq; præveniret. A sæculo igitur Præcones misit, Prophetasq; constituens mirabilia egit, quæ futurorum speciem, typumq; præseferrent. Vnde Zacharias: Erexit cornu salutis nobis, sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius. Hoc modo, ò celeberrima, præstantissimaq; Virgo, te tam incomparabiliter exaltare volens benignissimus Creator, hanc tuam excellentiam ab origine multipliciter verbis, factisq; manifestavit. Etenim de te serpenti contestans Gen. 3. Inimicias*, inquit, *ponam inter te, & Mulierem: ipsa conteret caput tuum. Denique in Rubo ardente, Gedeonisq; Vellere figurata crederis. De te syncerissimâ mente contemplans te Divinus David*

M. Opus eximium, ad quod elaborandum Deus ab initio sæculorũ se prępararé visus est.

B.V. excellentia ab origine Mundi prædicta.

metinit, cum cordis jubilo: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & concupiscet Rex decorem tuum. Quoties te Salomon in amoris Cantico in Sponsi Sponsæq; dialogo descripsit? An non de te Prophetico sciscitatus est Spiritu Salomon: Mulierem fortem quis inveniet? Prov. 31. Nonné de te dixit Isaias c. 7. Ecce Virgo concipiet &c. Nonné etiam Ieremias c. 31. Novum faciet Dominus super terram; Mulier circumdabit Virum? Hæc ille. quibus sanè luculenter ostendit DEI Matrem. Opus quoddam omnibus numeris absolutissimum extitisse.

32. Quod ille pluribus ijsque luculentissimis postea ar. 8. declaravit argumentis, inter quæ unicum commemorasse sufficiat ex Aristotele, *qui Dijs, Parentibus, Magistris non posse reddi æquivalens asseveravit. Sed hinc,* inquit Dionysius *is excipitur, qui propriam Matrem condidit; quoniam ei plus contulit, quam accepit. Verumtamen id constat, quia tantum dedit, quantum tantum, talemq; Filium Genitrici sua dare decuit. Quis verò comprehendere poterit, quid Filium immensæ Majestatis, incircumscriptæ bonitatis, magnificentissimæ liberalitatis, tam dulci, praelectaq; Matri donare decebat? At verò qui omnibus gratis, affluenterq; tribuit, & nulli improperat, quid ei præstitisse censendus est, quæ eum tam maternaliter lactavit, tam affectuosè fovit, aliaq; materna ministrationis exercitia tam reverenter exhibuit?*

Solus DEI Filius M. Parenti suæ potuit reddere æquivalens.

33. Has tantas, tamque Divinas DEIparæ perfectiones, quas in illam DEI Filius bonitate sua effusissima, manuque apertâ, atque munificentissimâ congessit contemplantes nonnulli, eandem tribus illis Iobi patientissimi Filiabus compararunt, quibus cum cœlum, & terra, tota denique natura suum quodammodo decorem, pulchritudinem, perfectionemque communicasset; alteri Diei, hoc est, lucis seu Auroræ, quæ pulcherrimum cœli ornamentum est, nomen inditum est: Alteri verò Cassiæ, quæ terræ aromaticus est frutex, ac odoris suavissimi flosculus; Tertiæ deniq; Cornustibij, seù pixidis cujuspiã stibio, cerussâ, & purpurisso refertæ, quibus optima Mater Natura, & Gratia velut pulcherrimis ornamētis, ac perfectionibus in primis Divinis, deinde omnium creaturarũ eã decoravit; ita ut vas quoddam, seù arcula candoris, ac ruboris, atq; adeò, ipsa pulchritudo, increatæ illius pulchritudinis æmula, Virgo DEIpara videretur. Quemadmodum enim sempiterna illa

Maria Iobi Filiabus similis ob ejus eximiã perfectioné.

MARIA Dies seù lux & Cassia.

Maria Cornu stibij, pulchritudinem omniũ creaturarũ in se complectens.

Natura bonorum omnium, ac proinde pulchritudinis etiam fons, non solùm in se pulchra, ac perfecta est, sed etiam reliquis creaturis omnibus eandem communicat; Sic Virgo gloriosissima Naturæ, & Gratiæ pigmentis, ac perfectionibus ab ipso Creatore immediatè ornata, adeò pulchra, adeò formosa, ac perfecta extitit, ut non modo aliunde adscitis pigmentis, ut cerussâ, purpurisso, ac stibio, quemadmodum aliæ mulieres, minimè indigeret, verùm ad instar preciosissimi vasculi, seù aurei scriniolo omnibus hujusmodi splendoribus referti, reliquis eam intuentibus, Bonum natura sua diffusivum se esse demonstrans, communicaret, ut fusius infra declarabimus. Hebræa siquidem vox, Keren, non modo Cornu, verùm etiam splendorem significat. Cùm igitur Divam Virginem Cornu stibij dicimus, simul etiam intelligim⁹ in ea ipsum splendoré; decus, & florem quodammodo ipsius stibij reliquorumq; pigmentorũ, quibus mulieres decorãtur esse repositum. Verè enim etiam MARIÆ *Dominus contulit splendorem.* Iudit. 10.

In Maria splendor & decor creaturarum ut stibij & cerussæ &c. repositus.

34. Quod si cum S. Gregor. Nysseno, reliquisque græcis Patribus legamus; Amaltheæ Cornu; intelligemus sanè multò adhuc clariùs, DEIparam Virginem velut illam Iobi filiam esse omnium bonorum copiâ abundantem. Quemadmodum enim Amaltheæ Melissi Cretensium Regis Filiæ, quod summum Tonantem melle, & lacte nutrivisset, Cornu cœlo delapsum, omnium desiderabilium bonorum exuberans copiâ, ob accepti beneficij memoriam fuit impertitum: Sic Virgini sanctissimæ, quod summum DEI Filium, Virgineo suo lacte nutrierit, largissimâ quadam bonorum omniũ, tam Naturæ, quàm Gratiæ Cornu copiâ donata fuit. Hinc communi ad agio Cornucopiâ, pro quorumcunque bonorum affluentiâ usurpari consuevit. Vnde Philostratus Dionem Sophistam Amaltheæ cornu, quod omnium virtutum genere cumulatus haberetur, nuncupavit. Hinc Plutarchus irridens Paradoxa Stoicorum, qui suo sapienti attribuebant universa, divitias, libertatem, sapientiam, & Regnum: *Qui Stoicam,* inquit *acceperit Amaltheam.*

Maria Amaltheæ Cornu.

Amalthea Melissi Regis Filia melle, ac lacte Ioué Infantem nutrivit.

Philostratus Cornu Amaltheæ ob virtutum copiã dictus.

35. Hinc denique magnus ille Rex & Propheta Iob, prævidens in Filiabus suis expressam aliquam in mundum olim venturæ DEI nostri Parentis similitudinem,

nem, per quam & lux Mundo, tenebris plusquam Cimmerijs immerso, & suavissimus omnium virtutum odor, & omnium deniq; bonorum copia erat communicanda, Diei, Cassiæ, & Cornu Amaltheæ nomine easdem decorare atque insignire voluit.

Iob filiabus suis nomina imponens adMariam oculū habuisse visus est.

Aliquid amplius adhuc in hiscé Iobi Filiab⁹ expressum advertit S. Greg. Nyss. Hom. 9. in Cant. *Sacra litteræ*, inquiens, *Filiarum Iobi pulchritudinem admiratæ, vocibus ipsis eximium hoc miraculum demonstrant. Cum Diei Nomen audimus, honestatem, quemadmodum & Apostolus filios lucis, & diei appellat eos, qui vitam puram agunt. Cassiæ appellatione, puritatem, ac fragrantiam studiorum; Cornu verò Amaltheæ laudem omnis generis virtutum significantes.* Quæ virtutes omnes in Deipara mirificè emicuerunt.

36. Vt autem bona hæc in mortales omnes liberalissimè à Virgine effundenda plenis apertisque manibus intelligeremus, observandum ad exortum syderis Oleniæ capellæ (cujus cornu Amaltheæ Nutrici tantorum bonorum affluens copiâ donatum fuit) ingentes imbres cœlo præcipitari consuevisse. Vnde Ovid. 5. Fastor.

Amaltheę sydus pluvium.

Nascitur Oleniæ signum pluviale capellæ.

Vt vel hinc agnosceremus Virgineam hanc Bonitatem, illius Divinæ æmulatricem, quæ sui ipsius diffusiua est, *pluens super justos & injustos.* Audite B. Ioannem Geometram, qui Virginem salutans ita cecinit Hym. 2.

Mariæ Bonitas diffusiva ad instar imbrium.

Salve cœlum quod stillas sacra, atq; ampla fluenta,
Queis Mundus mundus gaudet, & omne genus.

37. Intellexit hanc Deiparæ bonorum communicationem, atque diffusionem adeò esse copiosam, ut pluviæ quædam è cœlis in mundum ingruentes viderentur, Intellexit, inquam, Leo Imperator, ac Philosophus, Hom: 6. qui in cœlum assumptâ Virgine, quænam præmia, ei sit impertitus Filius commemorans, inter reliqua reponit illud, quod velut cœlum quoddam effecta, bonitatis suæ, pietatisque imbribus mundum infundat. *Cui*, inquit, *muneris loco, libertatem agendi, & propinquitatem honoris, ac sedis reponit. Propter quam nihil jacturæ mundus fecit, quasi Virgine iam ex hoc rerum statu subductâ, & procul avocatâ. Nam quibus ut prodesset in hunc mundum venit: ijsdem nunc quoq; in cœlos translata conducibilia procurare nunquam desistit. Moratur in his terrenis, & circuit, & magis ubiq; adest animatum illud Cœlum, omnium similiter curam gerens, beneficentiæ suæ guttas distillans, arentisq; vitæ nostræ constitutionem, cuius peccatum causa, irrigans. Nunc omnes adit, quippè viâ longe faciliori, maternoq; affectu omnes cognatos invisens; præsto est promptissimè, ut omnia incommoda repellat, stans pro salute nostra, & pro omnibus immaculatas manus extendens; quibus universorum est gestata salus. Quo circa omnia ora magnalia laudis eius decantant, & à cunctis generationibus beata prædicatur.*

Mariâ in cœlum a-uocetâ, nil jacturæ Mūdus est passus.

Maria Cœlum quoddam pluvium bonorum omnium copia nos infundens.

38. Idem pijssimus Imperator, paucis interpositis, ubi Deiparam Arcæ illi veteris Testamenti, quæ gloria, & protectio populi Israëlitici censebatur, contulisset, enumerat postea beneficia, quæ coram Filio, expansis manibus, largissimâ liberalitate suâ, effusissimâque bonitate elargiri consuevit: *An non tua in nos merita tot sunt, ac talia? an non novo populo tantum auxilij à te venit? quin & prius ijs, qui omnimodo à malis debellati fuerant opem tulisti? & nunc etiam, non tantùm illis, qui viam Divinorum mandatorum insistunt facilis ades, sed & illis, qui contraria via incedunt, ac proinde pœnis se obnoxios reddunt, refugium es, & præsidium, eosq; à meritis supplicijs eripis. Reveretur enim DEVS suam sacratissimam Arcam, benignumq; se exhibet ijs, qui benignitate sunt indigni, pœnasq; solvit, & justitiæ lancem declinat, alioq; vertit, prout tuam dignitatem, quasi personarum acceptator factus, extensionem manuum tuarum reveritus, quæ tanquam vehiculum DEVM gestarunt. Neq; enim fieri potest ut manus illas expansas non aspiciat; inflectitur ad misericordiam & debita clementer remittit, eosq; quos supplicijs mactare par erat, benevolentiâ sua dignatur. Ergo ubi tu præsens es, ibi malis manendi nulla relinquitur facultas, neq; tristia, & adversa loci aliquid reperiunt, ubi splendor tuus affulget. Cum enim ab initio in hunc mundum veneris, ut eum exornares, & illustrares, eadem tibi sententia semper perseverat, neq; unquam beneficia in nos effundere cessas.*

Maria Arca veteris testamenti gloria & protectio populi Christiani

B. V. expansis manibus orat pro nobis, bonaque sua abundè elargitur.

B.V. refugium est etiā ijs qui se pœnis reddunt obnoxios.

Mariæ extensionem manuum Devs reveretur, & flectitur.

Maria nūquam cessat in nos effundere beneficia.

Quæ beneficia luci, qua universus illustratur mundus conferre volens, prius Virginem candelabro illi aureo septenis lucernis in templo Hierosolym: refulgenti comparavit, uti supra retulimus. Addit insuper per eam mundum pane Eucharistico ali, ac sustentari, qui sanè fons est bonorum omnium, humanum genus infundens. *Tu mundo salutis florem tulisti, alis eundem vitali illo ex te confecto pane* (beneficio siquidē etiā Virginis Mundus, Eucharistiæ Venerabilis Sacramēto frui-

Variæ Marianæ Bonitatis cōmunicationes.

tur,

tur, ut Tomo 2. declarabitur fusius)

Tum reliqua Bonitatis Virgineæ effecta prosequens fonti cuipiam eandem confert: *A te,* inquit, *indesinenter beneficia, quasi ex fonte manant, & perenni illo rerum prosperararum cursu, & fluxu, eorum quæ nos circumstant, impressionem cohibens, dissipantur tristitiæ nubila, cum nitore tuo vitam serenas: passiones & cruciatus fugantur: Formido periculorum in securitatem commutatur. Nihil commodorum reperitur, quod te volente, non suppetat, & nulla sunt adversariorum vires, quæ non propulsentur, te opitulante. Annuit enim in omnibus, & omnia per se largitur ille, qui ut beneficio singulari figmentum suum efficeret, te ut in hanc vitam nascereris, concessit.* Hæc ille.

M. fons à quo indesinenter bona fluūt

39. Hanc Deiparæ in bonis suis affatim, magnâ liberalitate communicandis agnoscens Bonitatẽ S. Bona. in spec. c. 15. dixit Mariam benedictam fuisse pro sua hac liberalitate, contra avaritiam, nec non largitatis, ac profusionis benedictionem meruisse. Vnde eam fonti, uti & Leo Imperator comparavit: *Ipsa,* inquiens, *tanquam vera fontana semper fuit affluens, semper larga, & ideò vere benedicta,* juxta illud Prov. 5. *Sit vena tua benedicta, O quanta gratia per hanc venam ad homines defluxerunt. Sit ergo ò Ecclesia, vena tua benedicta, per quam tibi tanta affluunt bona. Verè vena nobilis, vena Spiritu Sancto plena, vena fontis vitæ, vena salutis nostræ MARIA. Per hanc namq; venam fons vitæ Christus ad nos venit, & per hanc ad fontem vitæ IESVM Christum etiam nos venimus; & ideò verè est benedicta.* Vnde B. Bernardus: *Per te accessum habeamus ad Filium ò benedicta inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis.* Hæc Bonav.

M. Vena benedicta

40. De hiscé Virgineis manibus liberalissimis coram Deo extensis, quibus in nos tot, tantaque confert bona, ac beneficia verè dici potest illud, quod nonnulli Rabbinorum de manibus Eliæ Prophetę, aquas multiplicantibus observarunt. Ajunt enim Prophetam hunc, cum solennissimum illud sacrificiũ Deo, ad Baal sacrificulos confundendos esset oblaturus, fecisse *aquæ ductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris,* ut loquitur script. 3. Reg. 18. n. 32. seu ut in Hebræo legitur. *Fecit sulcum duorum satorum sementis in circuitu altaris;* seù juxta interpretationem R. Salomonis: *Fecit in circuitu altaris fossam quinquaginta cubitos patentem;* ajunt, inquam, mandasse, ut duodecim hydriæ aquæ effunderentur, quibus effusis, *currebant,* ait Script. *aquæ circum altare, & fossa aquæ ductus repleta est.* Vbi sanè quæri posset, quanam ratione factum, ut paucæ hydriæ tam ingentem replerent fossam, adeò ut exundaret.

Ad hanc quæstionem respondit R. Salomon, non repugnante Lyrano; cum Helisæus minister Heliæ unam ex illis hydrijs effunderet, aquam, manus prius Heliæ attigisse, adeoque virtute Divinâ multiplicatã, ex illarum sanctarum manuum attactu, ut fossam illam quinquaginta cubitos patentem tantis tamque exuberantibus incrementis adimpleret.

Elias tangendo aquas eas multiplicat.

Quod miraculum R. Salomon confirmat dicto servi Regis Iosaphat, qui tribus Regibus, siti morientibus, & Prophetam aliquem inquirentibus, qui aquam eis divinitus subministraret, respondit: *Est hic Elisæus filius Saphat, qui fundebat aquam super manum Eliæ;* tacitè insinuans posse eundem Elisæum illico producere aquam de terrâ, siquidem fundendo eã super manum Eliæ, ad eam multiplicandam concurrisse visus est divinitus. Quod si manus Eliæ vim tantam, ad aquas multiplicandas, in Lyrani, & Rabbinorum sententiâ habuere, quam tandem, Devs immortalis, purissimæ illæ, potentissimæ Dei Parentis habiturę sunt manus, quoties coram Divinæ Majestatis Throno, ad bona nobis impetranda, & largienda extenduntur, atque expanduntur?

Manus B. V. ad instar Manuum Eliæ nobis multiplicant aquas gratiarum.

De his liberalissimis Deiparæ manibus præclarè Bern. serm. de Nativ. B. V. *Quicquid illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, ut eodem alueo ad largitorem gratiæ, gratia redeat, quo influxit. Forte manus tua, aut sanguine plenæ, aut infectæ sunt muneribus, quod non eas ab omni munere excussisti; ideoq; modicum istud, quod offerre desideras, gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis MARIÆ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam.* Sic Bernardus.

Mariæ manibus vota precesque nostræ cõmittendæ.

41. Neque verò mirum nobis videri debet puræ Creaturæ manibus tam eximia divinaque bona, tam largè, atque effusè mortalibus communicari. In ejus siquidem manibus omnes Divinæ Bonitatis divitias, ac Thesauros in humanum genus, ejusdem Virginis arbitrio dispertiendos, summa illa æternaq; Majestas posuisse atq; congessisse videtur.

Id agnoscens pijssimus, ac sapientissimus Idiota in Prol: contemplat: B. V. ejusque benignitatem, atque misericordiam in homines, pro eis apud Filium intercedentem, extollens: *Thesaurus*, inquit, *Domini est, & Thesauraria gratiarum ipsius: donis spiritualibus ditat copiosissimè servitutes sibi, & potentissimè protegit eos à triplici adversario Mundo, Carne, & Diabolo; quia salus in manu illius est, post Filium suum.*

Maria est Thesaur9 Domini, &Thesauraria gratiarũ eius.

42. Agnovit in manibus Virginis sempiternæ Bonitatis Thesauros S.Bern. serm. in Virginis Nat. *Quia indignus eras, cui donaretur, datum est MARIÆ, ut per illam acciperes quicquid haberes, quia nihil nos habere voluit, quod per MARIÆ manus non transiret.* Idem sensit eodẽ serm.circa finẽ cum adhortans suos ad cultum sacratissimæ Virginis, ingenti ardore animi, dicebat: *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus,* MARIAM *hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui nos totum habere voluit, per* MARIAM. Hanc ob causam sermonem integrum composuit de aquęductu, DEIparamque hoc nomine insignivit; *Quia*, inquiens, *hæc est unica illa Salvatoris fœmina, in qua solâ quæsitâ in omnibus requiem invenit, atq; in eius sinu omnes Thesauros suos, absq; mensurâ transfudit.*

Per man9 MARIÆ DEVS suus nobis distribuit gratias.

B.V. totis medullis cordium amanda, quia volũtas DEI est, qui totum nos habere voluit per Mariam.

In Mariæ sinu DEUS omnes thesauros suos reposuit absq; mensura.

Alibi verò in orat. ad Virg. vocat eam magni *DEI Secretariam, & Thesaurariam SS. Trinitatis.*

43. Agnovit manus Virgineas plenas cœlestibus donis Seraph. Bonaven: quando c. 3. spec. explicans verba illa Psalmi: *Sicut oculi Ancillæ in manibus Dominæ suæ. Ancilla*, inquit, *Domina* MARIÆ *est qualibet Anima fidelis illi devota, imò etiam Ecclesia universalis. Oculi huius Ancillæ in manibus Dominæ suæ semper debent esse, quia oculi omnium nostrum ad manus* MARIÆ *semper debent respicere, ut per manus eius aliquid boni accipiamus, & per manus eius quicquid boni agimus Domino offeramus. Per manus enim huius Dominæ habemus quicquid boni possidemus;* Tandem sibi de hac Virginis liberalitate applaudens: *Bene nobis,* inquit, *bene nobis, quod talem Dominam habemus, quæ manus tam liberales habet ad nos, ut securi ad ipsam confugere possimus omnes nos.* Hæc Bonavent: de MARIÆ liberalissimis manibus & verè.

Oculi nostri ad manus B. V. semper elevandi.

44. Hinc Alphonsus Salmeron Tom. 1. in Evang. tr. 7. *Mater*, inquit, *sanctissima, facta est advocata mundi, tanquam pientissima Christi Mater, & dispensatrix omnium donorum & gratiarum, quæ sanguine, & morte eius comparata sunt.* Idem ferè asseruit P. Petrus Morales Soc. nostræ comment. in 1. cap. Matth. Trac. 2. nu. 3. *Christus Dominus*, inquiens, *fecit, atq; constituit Virginem Matrem suam omnium meritorum suorum Thesaurariam, ut per eius manus nobis fieret distributio.* Hanc in DEIpara Divinorum bonorum agnoscens copiam, ac communicationem S. Bonav: Psal. 80. invitabat omnes, ut ad eam accurrerent deque bonis eius participarent: *Omnes*, inquiens, *gratiæ radiant in illa; capacissima enim est capacitas illius; currite ad illam cum devotione sancta, & de bonis suis participabit vobis.* Tum Psal. 81. conversus ad Virginem eam ita deprecatur: *Fonte vitæ influe in os meum, ex quo viventes aquæ profluunt, & emanant. Fons bonitatis tuæ inebriat sitientes, & aspectus faciei tuæ retrahit à peccato. Omnes sitientes venite ad illam, & de fonte suo gratanter vos potabit.*

Fons Bonitatis Virgineæ inebriat sitientes.

45. Tam largus porrò, tamque copiosus est Bonitatis, ac beneficentiæ hujus Virgineæ fons, ut non modo terram universam, verùm etiam naturæ excedens limites, cœlum ipsum irriget, ad ipsumque DEI attingat Filium, adeò ut non immeritò S. Methodius Martyr dixerit DEVM ipsum MARIÆ debitorem esse. Vnde Rupertus Abbas devotissimus lib. 3. in Cant. circa finem de eleemosynis Virginis ipsum Dei Filium participasse asseveraverit. Expendens enim verba illa Filij ad Matrem dicta: *Et odor unguentorũ tuorũ super omnia aromata: Cãt. 4. Quæ sunt*, inquit, *unguenta tua, soror mea, sponsa?* sibique respondens: *Eleemosynæ*, ait, *tuæ, quas expendisti in me. Audiunt, & audituri sunt amici de quadam muliere effundente oleum super caput, & super pedes dilecti tui recumbentis, & dicunt, quia domus nostra impleta est, ex odore unguenti, & intelligunt in illa muliere Ecclesiam nostram, quæ quoties impendit eleemosynam pauperibus nostris, toties unguenta pedibus meis superfundit, & aromata distribuit. Septem enim opera misericordiæ, unguenta sunt vera, unguenta sunt pretiosa. Super omnia autem hæc aromata, est odor unguentorum tuorum, id est, suavitas eleemosynarum tuarum, quia non ut cæteri, in membris meis, sed in memetipso tu mihi munificentissima extitisti. Et quidem iure materno, & naturali affectu tu mihi cuncta debuisti, verum etiam fidem, & humilitatem, sinè charitatem tuam recipienti mihi cuncta pro optimis unguentis, cuncta pro suavissimis fuere eleemosynis, ita ut nulla eleemosynarum aromata,*

Fons beneficentiæ B. V pertingit ad cœlos usq; ad ipsũ Dei Filiũ.

Marię ipse DEVS est Debitor.

Maria bonitatẽ suã cum ipso Filio DEI communicavit.

Maria Filio parvulo largita eleemosynas.

Panni quibus Maria involvit Paruulū odorem sparserāt ad instar thuris.

mala, quæcunq; in nobis expenduntur minimis, unguentis illis valeant aliquatenus comparari. Quid de pannis dicam quibus me inuoluisti, in præsepio reclinasti? nimirum id quod verum est, quia odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Omnium namq; vestimentorum, bonorum scilicet operum tuorum, quæ in me Maternâ, & plusquam Maternâ Charitate operata es, panni illi primitiæ fuerunt. Et quia cuncta, quæ tunc in me, vel tunc propter me operata es, de magno, & valido charitatis igne, cum suauitate humilitatis venerunt, rectè dixerim ego, rectè consenserunt amici, quia odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Sic enim in omnibus famulata es mihi, Mater, & Virgo fidelis, tanquam DEO, cui soli debetur odor thuris, quamvis essem ego parvulus tunc, parvulus homo. Hæc Rupertus.

Omnia quæ B. V. operata est erga Filiū parvulum, de magno & valido charitatis igne provenerunt.

46. Verùm quid mirum altissimum DEI Filium à Matre Virgine optima, atque liberalissima, illa Charitatis quodammodo mendicasse obsequia; cùm S. Basilius Seleuciæ Episcopus Orat. 39. dicat eundem ipsam illam humanitatis nostræ, quâ circumdatus erat, vestem, ab eadem Parente Sanctissima emendicasse: Postquam enim dixisset: Non fuit nudus homo qui genitus est, sed DEVS Verbum ex Virgine Incarnatum, carne, naturâq; eadem mecum sibi circumiectâ, ut simile simili saluaret. Nam si alterius naturæ, quam ego corpus habuisset, si mecum carnis particeps non fuisset, mihi vitam largitus non esset; mox subintulit verba hæc, quæ vix trementibus pronuncio labijs: Nisi meam mendicasset naturam, ego Regno DEI opulentus non essem.

Dei Filius à Maria emendicavit Humanitatem.

47. Tanta porrò est Virginis hujus optimæ bonorum suorum communicatio, ut non solùm plenis, expansisq; manibus, verùm etiam ore quodammodo suo, bona mortalibus largissimè communicare videatur; quod præclarè edixit S. Gregor. Nyssen. Hom. 9. in Cantic. explicans encomium illud: Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum. Cant. 4. Non solùm, inquit, facta est Hortus conclusus proprium ferens fructum, sed fit etiam potabilis sitientibus translata in naturam fontis, idq; obsignati. Et nec in his consistit, sed ad hoc usq; suum in maius constituit incrementum, ut ex ore eius germinaret Paradisus.

M. loquela erat Paradisus

Qui enim accuratius dictionis Hebraica attendit, emphasim inveniet: Emissiones tuæ ex ore, Paradisus malorum punicorum; ac si diceret; sermo tuus, qui per os tuum emittitur, est Paradisus malorum Punicorum. Mala autem punica producunt omne genus fructuum, poma, cyprum cum nardo, & crocum, calamum, & cinnamomum, & omnem aliam speciem Libani, myrrham, & aloën, & prima unguenta.

48. Vtque Sanctus Doctor clarius explicet quânam ratione Sponsa ore suo plantet Paradisum in terra, subjungit: Per verbum fidei, quod ab ore Sponsæ egreditur plantari Paradisum: Quid est, inquiens, quod emittit os Sponsæ? verbum fidei, quod cùm est in ijs, qui suscipiunt, fit Paradisus, qui plantatur per auditionem in cordibus. Nemus enim plantatum frequens arboribus, Paradisum vocare consuevimus. Ex quo pijssimi Viri discursu colligimus, Virginem quoties sacratissimum illud suum aperuit os, Doctrinam fidei, sui dilecti Filij explicatura, toties arborem quampiam in Ecclesiæ fertilissimo agro plantasse, atque adeò Doctrinâ suâ multiplicasse, ut pulcherrimum quoddam nemus, seu Paradisus, innumeris, preciosissimis, atque fructuosissimis arboribus consitus videretur. Quales autem arbores plantet Deipara in hoc Ecclesiæ Paradiso, decursu Homeliæ explicuit S. Doctor, dum malum punicum describit, in quo Sanctorum Virorum animas expressas intellexit. Malum Punicum fur difficulter aggreditur, inquit ille, utpotè quod spinosos profert ramos, & intra propugnaculum, seu corticem austerum, & amarascentem, fructum dulcissimum continet. Vnde docemur per dissolutionem aliquam; & delicias vitæ præsentis non emolliri, ac eneruari, sed per continentiam, duram, & asperam vitam eligere. Ita enim ad fructum virtutis nobis patebit aditus, ut qui obseptus est austero continentiæ habitu, per seueram, ac rigidam vitæ constitutionem, veluti, per quasdam spinas pungens fures propius accedentes.

Nemus plantatū arboribus est Paradisus.

M. loquela fructifera, plātans Paradisū in terra.

Punici mali descriptio.

Malum Punicum SS. notat.

Quibus verbis declarat S. Antistes sacratos Religiosorum Ordines seueriori disciplinâ, vitæque austeritate circumseptos, munere potissimum, ac Bonitate Deiparæ, post DEUM in hoc Ecclesiæ Viridario, ac nemore plantatos, deliciosissimum in hoc Mundo effecisse Paradisū.

Ordines Religiosi mala Punica sunt.

49. Inter hos Religiosorum Ordines primum, ac præcipuum in Ecclesiæ Viridario, manu sacrosanctâ Virginis Deiparæ consitos, meritò numerandam censuerim Sanctam, ac Venerabilem Patrum Carmelitanorum Religionem, quam sicut ipsa Virgo plantavit, sic eam peculiari semper pietatis, benevolentiæque affectu prosecuta est. Quâ de re præclarè. P. Cyprianus à S. M. in The-

Religiosi Ordines in Ecclesia plantati efficiunt quendam pulcherrimum Paradisum.

ſauro Carmelit. cap. 3. *Certè tantus, ac talis*, inquit, *amor eſt, ac benevolentia Deiparæ Virginis in hunc ſacrum Ordinem, ut quemadmodum affectu tenero, & ſingulari Mater in prolem ſuam ferri conſuevit, vel ut ſcripturæ verbis utar: Sicut Mater unicum amat Filium, pari imò nobiliori longè modò B.V. M. quæ eſt Mater pulchræ dilectionis iam pridem ſacrum Carmeli Ordinem fuerit complexa.* Hujus porrò ſancti, pulchrique amoris Virginei varia proſequitur idem Cyprianus argumenta, inter quæ ſanè illud arbitror non vulgare, quod cùm B. V. adhuc in hoc Mundo degeret, & in Civitate Nazareth moraretur, quæ tantum duobus millibus à Monte Carmelo diſtat, ſæpiſſimè ad montem, ex graviſſimorum Auctorum aſſeveratione, perexerit, ibique ſuos Carmelitas recognoverit, miraque amoris, ac benevolentiæ ſigna exhibuerit; imò cũ ſæpè ſæpiùs illuc pergeret, ajunt juſſiſſe ſibi Oratorium in montis latere conſtrui, ubi altiſſimis contemplationibus incumbebat: Additq; S. Cyrillũ Epiſt. quãdam ad Cœleſt. I. Pontif. ſcripſiſſe in tantum ſucreviſſe amoris magnitudinem, quo Carmelitas complectebatur, ut non alio eos nomine nuncupâret, quàm ſuos Fratres, ipſique Carmelitæ non alio titulo eam honorarent, quàm Sororis nomine. Vt ipſa verò clariſſimè toti Orbi palam faceret, ſuum eſſe hunc ſacrum Ordinem, ſuamque potiſſimum eſſe voluntatem, ut ſtabiliretur hic Ordo, proprio eum Nomine condecoravit. Vocatur enim: *Ordo B. Virginis de Monte Carmelo.* Quem poſtea titulum idem Cœleſtinus I. confirmavit; deinde Vrbanus VI. cõtra VViclephum, qui illum per ſummum nefas impugnare auſus eſt. Proinde non immeritò ſummi Pontifices, in ſuis Bullis Beatã V. ſacrum Carmeli Ordinẽ produxiſſe aſſerunt, utpotè ſuam Emiſſionem puriſſimam, fœliciſſimamque Mali Punici Plantationem planè Paradiſiacam. Audiendus hic Sixtus IV. in ſua Bulla: *Dum attentâ meditatione penſamus, quod glorioſiſſima Dei Genitrix Maria produxit ſacrum Ordinem B. Mariæ de Monte Carmelo, quem eiuſdem V. Mariæ ſpeciali titulo voluit inſigniri, &c.* Audiendus & Gregor. XIII. in Bulla quæ incipit. *Vt laudes in cœlis;* ubi ſic loquitur: *B. Mater M. viſceribus ſuis Carmelum Ordinem ſpiritualiter genuit, & ad ſua ubera lactavit.* Quo elogio quid Venerabili huic Religioni accidere potuit glorioſius?

Ordinem hunc B.V. Materno proſequitur affectu.

B. V. ſæpè Montem Carmelũ inviſit.

OrdoCarmelitanus eſt proprius B.V.

Sumi Põt. Ord. Carmelitanũ B.V. eſſe dicunt.

49. Nec refert quod S. Elias Propheta hujus Religionis perhibeatur Fundator; hæc enim ille Nomine B. Virginis jecit fundamenta, tunc cùm in latere Montis Carmeli 3. Reg. 18. v. 44. *Nubeculam parvam quaſi veſtigium hominis aſcendentem de mari*, contemplatus eſt. Cùm enim Nubecula illa, communi Patrum aſſeueratione Deiparæ typus eſſet, ac Imago, Divinâ revelatione ſine dubio intellexit, illam Montem Carmelum peculiariter ſibi deſtinaſſe, velut futuri ſui Ordinis Sedem, dilectiſſimumque Domicilium, imò Hortum, ac Paradiſum ſuarum plantationum, quem ipſa velut fœcunda nubes Divinæ Gratiæ imbribus, plena, ac gravida irroraret, ac fœcundaret, & ab æſtu Mundi, carniſque cupiditatum, nec non Satanæ impugnationibus, protegeret.

Concludit tandem benevolentiam hanc ſuam in Ordinem illum, non modò affectu, verùm etiam ipſo effectu; cùm amare ſit benè velle amico; Deiparam oſtendiſſe; Bona verò hæc tot, tantaq; eſſe, favores item ſpecialiſſimos, quos ſacro Carmelitarum Ordini ipſa exhibuit, ut ſi eos penitus perſpectos haberent homines, in admirationem rapeπrentur, nec ſatis dignè propenſiſſimam in hos Viros Religioſiſſimos Virginis voluntatem deprædicare poſſent. Hos inter favores numerat ille ſacrum Habitum, ſeù Scapulare, quo tam ipſi, ex dono tam piæ, amantiſque Matris, quàm alij ſæculares utuntur. De hoc nos, quia Tomo 2. fuſiùs dicturi ſumus, plura dicere ſuperſedemus. Videndus interim Arnoldus Boſtius de Patronatu B. V. ubi tanti beneficij dignitas abundè explicatur.

B. V. favor ſingularis in Carmelit. donum Scapularis.

50. Emiſſionem quoque Paradiſiacam, fructiferamque Plantationem in hoc Eccleſiæ Viridario malorum Punicorum Deiparę quâdam Omnipotentiâ factam, atque adeò Bonitatis Virgineæ communicationem largiſſimam, fateamur ingenuè ad Dei, ejuſdemque Matris gloriam, eſſe minimã hâc Iesu Societatem, ita ut nõ modò glorioſo hoc Nomine, verùm etiam hoc altero perquam honorifico; Sodalitatis Mariæ, in Domino gloriari poſſit, cùm ejus & ipſa Auctrix, ac Fundatrix extiterit, ut oſtendit ſat perſpicuè, ac diffuſè Pater noſter Burgheſius in Soc. Virg. ſacra cap. 1. ubi in-

Societas Iesu Plantatio B.V. eſt.

bi inter reliqua præclara: *Qui se probat Filio, inquit, probat & Matri; quem Mater amat, & Filius impensè diligit, nec alia potior diligendi causa. Si Salvatori Filio deferimus honorem, ad se eum pertinere jure optimo censet Regina Mater. Si Matrem veneramur, id officij gratissimum habet Filius, ut non aliâ re nos amet, ac probet. Vna est igitur Filij, ac Matris Aula, una familia, Societas IESV, atq; Sodalitas MARIÆ. Qui Filio famulatur, & Matri est in obsequijs. Qui Matrem pio cultu prosequitur, & Filium, quo præcipuè gaudet obsequio, demeretur: quos Filius in fidem, patrociniumq; suscepit, hos & Diva Mater sua cura, ac tutela concreditos ducit. Nimirum semper in Filio juncta comes optima Mater, suntq; ea connexa piorum impressa præcordijs salutifera Nomina IESVS, & MARIA adversus omnes hostium incursus certissima præsidia, in ipsoq; discrimine mortis maximè vitalia. Atq; ut nemo ferè piam de IESV Filio cogitationem suscipere potest, quin & de Maria Matre recogitet; ita nec IESV Societas in mentem venit, quin & animo Mariæ Sodalitas obversetur.*

Societas Iesu est etiam Sodalitas Mariæ.

Quæ sanè cogitationes nos, quasi admotis facibus accendere debent, ad utriusque vitæ sanctissimæ imitationem, præclarissimorumque facinorum Iesu, & Mariæ tanquã hujuscé Societatis Antesignanorum, eximio cum amore copulatam æmulationem. Et verò quis intelligens Iesum hujus Societatis Caput esse, à quo vitales spiritùs, per Virginem tanquam collum in totum hoc corpus mysticum derivantur, non in illos peculiari, tenerrimoque tanquam omnium bonorum quibus perfruimur causam feratur affectu, eisque totum sese devoveat, consecret, ac mancipet?

51. Idem Burghesius cap. 2. luculentas sanè adfert rationes, quibus permota Virgo Minimum hunc Religiosorum cœtum peculiari amore prosequitur, eumque in suam fidem, patrociniumque receperit. Quarum prima est, quod Filij ejus Societas est, quem cum illa, mirificâ, tam naturali, quàm alterâ illâ, quæ omnes naturæ limites excedit, diligat, charitate, consequitur sanè ut eadem illâ, & ipsius asseclas, quos Spiritu Iesu cernit informatos complectatur, in eisque tanquam adoptivis filijs sibi singulariter complaceat. Altera causa est, quod cùm ipsa insignis animarum Zelatrix extiterit, & ad nostram Salutem universalem, suum dilectissimum æterno Patri, maximè in Templo Hierosolymitano, & sub Cruce offerendo Filium, uti suprà memoravimus, fuerit cooperata, infertur profectò, ut hos sui Filij dilectissimi Servos in tanto opere, tanquam Divino Coadjutores peculiariter amet, eisque in omnibus patrocinetur.

Causæ, ob quas B. V. Societatẽ Iesu foveat.

Denique illa particularis hujus Virgineæ Charitatis, patrocinijque causa non inter postremas numeranda, esse potest, quod cum pava tenera, & adhuc adolescentula, nondum annis, ætateque confirmata sit hæc Societas, decebat innatam Virginis Bonitatem, præsertim in tanta adversariorum, ac Hæreticorum persecutione, ut eam sub suæ protectionis longè, lateque diffuso pallio susciperet, uti susceptam olim vidit P. Martinus Guttierez, uti fusiùs alibi explicabimus, eamdemque tenellam filiam pluribus adjumentis indigam, velut pijssima Mater confoveret.

B. V. suo pallio tegit Societatem.

52. Atque ut clariùs intelligamus Societatem hanc Iesu Opus esse, ac Emissionem, Deiparæ, Virgineæque illius Bonitatis diffusionem, supponamus tanquam rem certissimam, quod Sanctum Patriarcham nostrum Ignatium, quem Ludovicus Granatensis Ordinis Prædicatorum illustre Iubar, ait, *novum fuisse Speculum virtutis & prudentiæ datum à DEO ad animarum infinitarum Salutem;* Ipsa Mater sanctissima in Spiritu pepererit, & nos omnes, qui in ejus pectore, velut posteritas omnis in Abrahæ lumbis, continebamur. Vbi enim decrevit Ignatius anteactæ vitæ errores corrigere, veterem Adam cũ suis actibus exuere, novum de cœlo cœlestem, qui est Iesus induere, quadam nocte precandi incensus studio, è lectulo consurrexit, totoque animo, ac corpore prostratus ante Deiparæ Iconem ardentes humili cum fiducia preces effudit, seque totum Christo Domino per dilectissimam ejus Parentem obtulit, ac consecravit, simul spondens desertis vanissimi hujuscé Mundi castris, nomen sacræ ejus militiæ daturum, totũq; se sub potestate ejus futurũ. Hoc facto proposito, ecce tibi tota domus derepente contremiscit, cubiculũq; à fundamentis terræ motu concutitur, uti Paulo, & Silæ orantibus olim evenit.

B. V. S. Ignatium efformavit, & in illo totam Societatẽ.

Quo prodigio ostensum fuit Divinitus, orationes Ignatij per Virginem Filio oblatas, gratas ipsius accidisse Majestati, perque eamdem tanquam Inferni Triumpha-

umphatricem, Cacodœmonem, qui animum olim Ignatij Mundo militantis quodammodo occupaverat profligatū.

B. V. cum Filio in ulnis invisit Ignatium, eumq; illuminat.

Atque ut agnosceret Ignatius sibi, ob novum illud de sanctæ vitæ ratione ineundæ propositum favere Deiparam, nocte quâdam vigilanti Infantem Iesum ulnis gestans, pulcherrimâ specie, clarissimaque circumfusâ luce sese ei sat longâ temporis mora visendam exhibuit; quo jucundissimo spectaculo tanto mēs ejus irradiatata est splendore, tanto ardore voluntas ejus in res cœlestes accensa, ut omnem superiorem vitam cum obscœnis carnalium voluptatum illecebris fuerit aversatus; quarum rerum Imagines unicus hic Virginis ceù benigni Syderis aspectus puritatis suæ admirabili luce, ceù teterrimas tenebras fugavit, summoque castimoniæ perpetuò colendæ amore succendit. *Atq; hoc tam eximio in Ducem nostrum beneficio*, inquit Orlandinus lib. 1. Hist. Societ. n. 13. *clementissima DEI Mater tanto ante præmonere nos voluit huius se minima Societatis Patronam apud Filium suum charissimum semper fore, sibiq; secundùm Deum oportere admirabilem eius ortum, secundosq; progressus adscribi: nec aliunde nobis cœlestia speranda præsidia, nisi ex ipsa, cuius nos DEVS tutelæ voluerit esse commissos.* Addit deinde, ut ostendat jam totum à Dei para possessum quodammodo fuisse Ignatium, ubi convaluit ad Virginem Montis Serrati, miraculis, prodigijsque celeberrimam, cœlestis gratiæ ope, ductuque profectum esse. *Ibat ille plenus animi, & magna secum voluens*, inquit idem Orlandinus n. 14. *atq; eam partem, quam maximè rebatur infirmam aduersus hostiles impetus communiret, in eodem itinere, voto se, quod DEIpara, pro suo in eam peculiari studio nominatim obtulit, perpetuæ castitatis obstrinxit. AcRegina Virginum, & Nato eius acceptam sponsionem fuisse probauit satis, ex eo die deuoto clienti, ad ultimum usq; Spiritum excellentis pudicitiæ, intaminatæq; mentis, & corporis donum, cœlesti benignitate concessum.*

B.V. Ignatio donū puritatis communicat.

53. Vt verò ostenderet Ignatius & se totum, & Societatem hanc quam instituere ad Dei, ejusque Matris gloriam mente designârat, esse Opus ipsius Deiparæ, terminato Philosophiæ circulo, adeptâque Doctoratus Laurea die Assumptæ in cœlum Virginis cum Socijs ad MontemMartyrum in Templo ejusdem Virginis non procul ab ipsa Vrbe Lutetia prima Societatis jecere fundamente, seseq; emissis votis, coram sacratissima V. M. & curia cœlesti universa in holocaustum Domino obtulerunt, atque consecrârunt. *Atq; ita ab eo die, qui Assumpta DEIparæ sacer est*, inquit idem Orlandinus n. 90. *omnes eam sibi Patronam apud DEVM præcipuam adoptârunt, & post Societatem conditam eum diem quasi primum eius natalem, singulari religione, ac memoria coluerunt, tandemq; ob causam ex hoc potissimum Anno à nobis ducetur ratio Annorum.*

S. Ignatius cū Socijs in Templo B.V. vota emittit.

54. Idem affectus constans Ignatij in Deiparam eluxit, cum firmata jam à summo Pontifice Societate, & creatus Generalis, in Templo D. Pauli ad B. Virginis Dei Matris Aram in Sacello quod erat ad dexteram intranti per principes valuas post obitas septem Vrbis Templorum stationes cum Socijs solemnibus 4. votis sese Deo obstrinxit. Hic enim Sanctus Patriarcha sacris operans, ubi ad communionem corporis Christi ventum est, conversus ad Socios, & provolutus in genua, lævâ descriptam professionis formulam, dextrâ sacram de patena præferens hostiam, primus multis cum lacrymis, cæteris quoque collacrymantibus solemnem edidit professionem, conceptis verbis: *Coram sacratissima Virgine Maria.* Tum reversus ad altare communicavit: & cum se iterum ad Socios Christi corpus dexterâ præferens convertisset, reliqui ex eadem formula, quæ jam in Constitutionibus habetur, eandem professionem nuncupârunt, ut obscurum esse non possit prima illa Professorum primordia, ipsamq; adeò nascentem Societatem Sanctissimæ V. Matri acceptam esse referendam.

Professionem 4. Votorum cū Socijs in Sacello B. V. emittit.

55. Vt ostenderet porrò idē S. Patriarcha quanto studio in hanc Societatis Auctricem esset addictus, primum Romæ Templum Societatis esse voluit S. Mariæ de Strada in percelebri urbis regione ad Capitolij radices. Quod Templum variè auctum & commutatum cum populi frequentiam non caperet, tandem ab Alexandro Cardinali Farnesio magnificentissimè de novo ædificatum, ac Iesv Nomini consecratum est; in ejus primarium sacellum traductâ singulari quadam Artificum industriâ, atque operâ sanctissimæ Dei Matris Imagine miraculis celebri, cum ipso cui adhærebat depicta, pariete, quæque nunc summa totius

Romæ S. Ignatius S. Mariæ de Strada Templum eligit.

tius populi Romani colitur veneratione; ut in ipsius Virginis Matris gremio, & sinu nata videatur, atque educata Societas in ea, quæ fuit prima Domo professa. Hic primum Societatis consueta exercita ministeria, hic primum S. Pater rudibus catechesim explicuit & ardentes Divino spiritu ab illo, alijsque conciones habitæ, hic frequentandorum Sacramentorum exomologesis, atque Eucharistiæ mos per tot sæcula intermissus, & quasi inter mortuus, absit verbis jactantia, renovatus revixit, ac resurrexit. Vnde Magnus ille pietate, & Doctrinâ Cæsar Card. Baronius pro publica concione Templum illud Anastasiam appellare non dubitavit, sicut olim Nazianzenus Constantinopoli Deiparæ ædem, in qua fides orthodoxa resurrexerat. Indicare nimirum voluit pijssimus Cardinalis, populi Romani pietatem in frequentandis Divinis illis mysterijs veluti consopitam, denuò excitatam hoc in Templo resurrexisse, hominesq; à via salutis aberrantes hoc in Templo Mariæ de Strada, quod Viam significat, in Viam rectam reduci cœpisse, ipsâ adhoc tantum tamque Divinum opus patrocinante, atque cooperante Deipara.

In Templo S. M. de Strada antiqua pietas resuscitata.

56. Ex quibus omnibus luce meridiana clariùs evadit totam hanc Iesu Societatem ipsius quoque Virginis Sodalitatem esse, utpote quæ eam in & in primo Patriarcha nostro Ignatio, & in suis Socijs, eorum affectus ad se trahendo, ut vota sua ipsa teste, ipsa Præside Deo offerrent, seque totos ipsius auspicijs Divinæ consecrarent Majestati, excitavit, totque virtutum, Divinæque Gratiæ ornamentis decoravit, effecitque dilectione Dei, & proximi quam arctissimâ atq; flagrantissimâ, Malo Punico quam simillimam. Hujus enim grana & intima inter se unione, & verecundo ardentique rubore, nostrorum hominum mutuam, verecundâ cum pudicitiâ sociatam indicant charitatem; quam à primis Ordinis hujus incunabilis pro signo, ac tessera Instituti nostri peculari accepimus, memores Pronunciati illius Archistrategi nostri Iesu: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis.* Quam charitatem tam eximiam inter nos agnoscens gravissimus ille Theologus Ruardus Tapper, dum Lovanij Adriani, ab Adriano solemnem professionem exciperet egregium Societatis nostræ testimonium edidit, ut scribit Orlandinus lib. 11. Hist. n. 43. Thesi enim posita: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, &c.* Prius Latinè ante sacrum, mox verò post sacrum, ut frequentissimæ multitudini serviret, vernaculâ linguâ, studio, sensuque animi maximo: *In lege,* inquit, *veteri carnalibus rudibusq; Iudæis mandatum fuit: Diliges proximum tuum sicut teipsum; hoc verò novo Christi mandato, ut S. Cyrillus exponit, jubenter Discipuli diligere proximum supra seipsos; nempè sicut Christus dilexit nos. Idq; est quod hæc sancta, & nova IESV Societas studet, hoc eius filijs propositum est; ex hoc novo Christi mandato nihil charitate fraterna prius habere, sui nullam rationem ducere, seipsos exinanire, totos se ad DEI honorem, & salutem proximorum effundere, quemvis laborem, quodvis discrimen subire, deniq; vitam ipsam pro Christo, & animarum salute contemnere. Novus, inauditusq; charitatis modus, quem Christus Dominus transiturus de hoc mundo ad Patrem commendavit suis. Hoc igitur novum mandatum pro fundamento, & radice sancta hæc Societas habet. Qui enim ei se mancipant, non uni cuipiam, ut alia Religiosa familia, charitatis officio sese dedicant, sed planè omnibus ad quacunq; quascunq; terrarum in oras mittantur. Quod quidem adeo præstans, & sanctum est, ut omnem superare intelligentiam videatur; mirumq; non sit, si hæc S. Societas cognoscatur à paucis. Quæ merito planè Sanctissimo IESV Nomine appellatur, non ut quidam perversè dicunt, quasi alij sint de Societate Diaboli, sed quia Dominum IESVM, ejusq; Apostolos, præstantissimo modo sectatur, &c.* quæ ibidem videri possunt. Quo profectò tam luculento testimonio Vir hic pijssimus posteritati contestatum esse voluit, minimam hanc Societatem, ob arctissimam ad Deum, proximosq; dilectionem, Malum quoddam esse Punicum in Ecclesiæ, Divinâ plane manu consitum Viridario, esseque Virgineæ Bonitatis largissimè sese mortalibus, ad cooperandum eorum saluti communicantis præstantissimum effectum, atque diffusionem. Quare pijssimæ huic Matri nostræ, tanquam tanti boni Auctrici nos sedulo in dies singulos commendare atque committere eidemq; gratos esse oportet. Hæc enim una Mater nos, ut c. 4. ait Burghesius noster, Filio conciliare maximè potest, & dignos Iesu Societate perficere; hujus ope, patrocinioque nitendum singulis, quo præcipuè nititur Societas universa

Societas Iesv Malo Punico similis in charitate.

Ruardi Tapper opinio de charitate Societatis

Societas Iesv diligit proximos supra seipsam.

B. V. nos Filio reconciliat, & dignos Iesv Soc. perficit.

universa; ejus se Paradisiacam quamdam Emissionem, sicut & Ecclesia universa, post Christum, esse recognoscens.

57. Vnde hujus Virginei Paradisi easdem illas contemplans emissiones, seu fructus Ioan. Card. Halg. ait, illis fœcunditatem Horti Ecclesiæ demonstrari. *Quæ emissiones, & productiones Virginis*, inquit ille, *dicuntur Paradisus, quo designatur Ecclesia; uti per arbores, atq; herbas aromaticas Fideles, eorumq; merita, ac virtutes.* Primis denique unguentis, vult denotari Sacramenta, quæ ex incarnationis mysterio in utero sacratissimæ Virginis peracto, emissa fuisse, DEIPARÂ, ad ea instituenda, quadam ratione cooperante, visa sunt. Concludit denique Halgrinus per fructus malorum Punicorum, in quibus sub uno cortice multa grana clauduntur, *fructus Collegiorum, seu Congregationum quales sunt Religiosi Ordines in Ecclesia figurari.* Quibus preciosissimis, atq; pulcherrimis arboribus, ac fructibus eadem militans Ecclesia, ope Virginis exornata, ipsa DEI Mater cœlestem quendam Paradisum plantasse, ac repræsentasse in terris visa est.

Ecclesia est Paradisus, Arbores & Herbę aromaticæ sunt fideles.

Malū Punicum figurat Collegia, & Congregationes Ecclesiæ.

58. Qua in re DEIPARA Virgo, more sibi consueto dilectissimum suum imitata fuisse videtur Filium, cui in mundum ad redimendum genus humanum adventanti, dixit æternus Pater, uti testatur Isai. 51. *Posui verba mea in ore tuo, & in umbrâ manus meæ protexi te, ut plantes cœlos, & fundes terram, & dicas ad Sion: Populus meus es tu.* Vbi Hebræus paulo aliter legit: *Vt plantes cœlos, eosq; fundes, in terra.* Quemadmodum ergo æterni Patris Filius potentissimis suæ prædicationis sanctissimæ verbis, Apostolorum, Discipulorumque animos, admirabili quadam Metamorphosi, in cœlos transmutavit, eosque in hac sancta Ecclesiæ suæ terra plantavit, ut non modo arborum, verum etiam cœlorum ministerio fungerentur: Sic Virgo gloriosissima, *verbo fidei*, ut loquitur Nyssenus, *Plantavit Paradisum malorum Punicorum, cedrorum, reliquarumq; arborum, in hoc mundo*, dum post Filij in cœlum abitum moraretur in terra, effecta Magistra Apostolorum, & Doctrix Evangelistarum, uti fusè probatum trac. de sap. B. V. Qua de re Beatus Ildephonsus serm. 5. de Assumpt. hæc consignata reliquit: *Apostolorum conventui, nobili contubernio semper adhærebat sanctissima Virgo, cum illis semper habitabat, seseq; Dominicis aspectibus præsentari frequenter gaudebat. Eam verò optimam partem, quam Maria Magdalena in specie, & figurâ ferebat, DEI Genitrix iure, & verè firmissimè retinebat, & cum Apostolis, de humanis Christi actibus, ut veriùs, ac specialiùs cognoscebat, sic veriùs, ac specialiùs conferebat, ut ab ea discerent, qualiter arcanum tanti mysterij & ipsi crederent, & lucidius alijs enarrarent, & cum oportunum fuisset sine omni ambiguitate scriptis mundo transmitterent.*

Christus cęlos plātavit in terra dum vocavit Apostolos

B. V. ad imitationem Filij plantavit cœlum, sive Paradisum in terra, erudiendo Apostolos qui Paradisi quidam erant.

Apostolorū Convētui semper adhærebat B. V. velut Magistra.

59. Neque verò mirum cuipiam videri debet, si viros Apostolicos cœlo, ac Paradiso conferamus. Id enim fecêre SS. Patrum non pauci. Audite D. Augustinum in Psal. 122. *Habitat in cœlo Deus; & cœlum Dei sunt omnes animæ iustæ, & sanctæ. Nam & Apostoli quamvis in terra essent carne, cœlum erant, quia in illis DEVS semper sedens, per totum ambulabat, & habitavit in eis Christus per fidem, sicut inquit Apostolus.* Idem S. Doctor, prædicationem, ac miracula considerans Apostolorum tract. in Psal. 101. serm. 2. eisdem cœlis eos contulit: *Per cœlos*, inquit, *non importunè intelligimus Sanctos Dei, in quibus manens Deus, intonuit præceptis, coruscavit miraculis, imbrificavit terram sapientiâ veritatis, cœli enim enarraverunt gloriam Dei.* Vnde serm. 1. de Apostolis hæc verba explicans Psalmi: *Cœli*, inquit, *sunt sancti narrantes gloriam Dei, à terra suspensi, Deum portantes, in præceptis tonantes, sapientiâ coruscantes.* Tandem tract. in Psal. 96. tradens modum, quo quivis cœlum fieri posset, dum adhuc vivit in terra: *Tu*, inquit, *si vis, cœlum eris, purga de corde tuo terram: si terrenas concupiscentias non habueris, & non frustra responderis, sursum te habere cor, cœlum eris, carnem portas, & corde iam cœlum es.* Audite D. Gregor. Magnum lib. 30. Mor. c. 12. *Cœlum Ecclesia vocatur electorum, quæ ad interna sublimia, dum per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultûs premit, atq; intra se DEO quoddam silentium facit.*

Viri Apostolici sunt cœli.

Quomodo homo fieri possit Cœlum.

60. Audite D. Bernard. qui ser. 27. in Cant. verba illa expēdens Sponsæ: Cāt. 1. *Formosa sum sicut pelles Salomonis*; postquam eas pelles dixisset cœlum; siquidem per Psalmistam dicitur: *Extendens cœlum sicut pellem*; addit; *Nunc intueamini gloriam eius, quæ cœlo se cōparat, & illi, cœlo quod tantò est gloriosius, quantò Diviniùs. Nec immeritò usurpat inde similitudinem, unde originem ducit. Nam si propter corpus, quod de terra habet Cedar se assimilat, cur non & propter animam, quæ de cœlo est, cœlo æquè similem se esse glorie-*

Pelles Salomonis Cœlum sunt.

Anima formosa sicut cœlum.

glorietur, præsertim cum vita testetur originem, testetur natura dignitatem, & patria?

Nec animatis hiscé cœlis, solem, lunam, stellas, reliquaque ornamenta deesse vult Bernardus, siquidem postquam dixisset: *Ego puto omnem sanctam animam, non modo cœlestem esse propter originem, sed & cœlum ipsum posse non immeritò appellari propter imitationem. Et tunc liquido ostendit, quia verè origo ipsius de cœlo, cum conversatio illius in cœlis est;* subjunxit: *Est ergo cœlum sancta aliqua anima, habens solem, intellectum; lunam, fidem; astra, virtutes. Vel certè sol justitia, zelus aut fervens charitas; & luna continentia. Quomodo enim claritas luna, non nisi à sole est, sic absq; charitate seu justitiâ continentia meritum nullum est. Porrò stellas dixisse virtutes, non me pœnitet considerantem congruentiam similitudinis. Quomodo nempe stella in nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, qua sæpe in prosperis non apparet, eminet in adversis. Ergo virtus est sydus, & homo virtutum, cœlum.* Hæc & plura alia ibidem mellifluus Doctor, ex quibus clarè inferre licet, verissimum esse Regij Prophetæ vaticinium: *Verbo Domini cœli firmati sunt;* imò plantati, & fundati in terra; similiterque verum esse, assertum Nysseni, qui ex ore Virginis prodire Paradisum malorum punicorum docuit, siquidem animæ sanctæ in cœlum quoddam, atque adeò in Paradisum, Virgineo fidei verbo, potentissimum illud dilectissimi sui filij æmulando verbum, transmutantur.

Anima quævis cœlestis est propter originem.

Mystici Cœli. 1. Animæ Sol est intellectus & Charitas; Luna, fides, & cõtinentia; astra virtutes.

Virtutes velut stellæ in nocte adversitatũ magis emicãt

61. Tanta porrò Virgineæ hujus Bonitatis est diffusio, ut non modo verborum suorum energiâ plantet cœlos & Paradisum in terra, toti mundo immensæ quodammodo Bonitatis suæ declarando diffusionem, verum etiam bonum invocando Spiritum, cujus bonitatis Imago fuit expressissima, aromaticas, rationalesque quasdam plantas movet ad aromatum, quæ in se continent diffusionem, ut ita quo ejus Bonitas pertingere non valet, pertingat Divina, cujus illa virtutem semper dum in vivis degeret, imitari conata fuit; Vnde S. Gregor. Nyss. Hom. 10 in Cant. hujus Reginæ expendens orationem illam ad Spiritum S. directam: *Surge Aquilo, & veni Auster perfla hortum meum & fluant aromata: Rectè,* inquit, *sua authoritate Aquilonem expellit, nempe spiritum malum, qui mollem naturam animarum, instar aquæ concrescere facit, & duram reddit, accersit autem ventum meridianum, qui est calidus, & semper lucidus, per quem fluit torrens deliciarum; adeo ut violento, ac vehementi suo spiritu, ut audivimus factum in cœnaculo Discipulis in plantas illas incidens animatas, moveat DEI plantationem ad aromatum productionem, efficiatq;, ut per os fluat odorifera prophetia, & salutaria fidei dogmata, generibus linguarum omnium absq; impedimento bonum documentorum odorē effundens. Sic centum viginti Discipuli, qui plantantur in domo DEI, flatu huius Austri doctrinam, qua per linguas traditur, fecerunt efflorescere. Quare vult hac Regina Hortum suum nempe Ecclesiam, qua arboribus animatis scatet etiam perflari, ut eis fluant aromata. siquidem Propheta ait; Flabit spiritus eius, & fluent aqua. Sponsa autem Regiis ornata divitijs, fluenta ad majorem amplitudinem, ac magnificentiam transmutat, facitq; aromatum fluvios ex horti arboribus, vi spiritus effluere. Quo fit ut per hoc discamus veteris testamenti a novo differentiam, siquidem fluvius Propheticus impletus fuit aquis; Evangelicus verò aromatibꝰ.*

B.V. communicat suam bonitatem, ac perfectionem, bonũ invocãdo Spiritum.

Maria orat Spiritum S. ut perflet Hortum Ecclesiæ.

B.V. Hortũ Ecclesiæ per Spiritũ S. perflari desiderat, ut arbores animatæ fluant aromatis.

Quod sanè S. Doctor luculentis Sanctorum declarat exemplis, præcipuè Divi Apostoli Pauli, quem jam diximus bonitate, ac oratione Virginis, pro eo deprecantis conversum, in arboremque, fluvium quendam aromaticum profundentem transmutatum: *Talis fluvius, inquiens, aromatum, ex horto Ecclesia fluens, per spiritum, erat magnus Paulus cuius fluentum erat, Christi bonus odor. Talis fuit Ioannes, Lucas, Matthaus, Marcus, alijque horti sponsa nobiles Planta, qui lucido hoc Austro meridiano perflati sunt, fontes aromatum scatere facientes bonum Evangelij odorem.*

S. Paulus ope Virginis cõversus, in Arborem fluvium aromaticum profundẽtẽ evasit.

SS. Ioannes, Lucas, Mattheꝰ, Marcus & S. Ioannes Bapt. Arbores, fluvium aromaticum fundentes

62. Talis fuit Ioan. Bapt. de quo ad vocem præsentiamq; Deiparæ exultante, ac spiritu Divinissimo repleto, omniq; originarij peccati maculâ perpurgato, Seraph. Bonaventuram audiamus cap. 5. Medit. Vitæ Christi, *Vide,* inquit, Sanctus Doctor, *quanta virtus sit in verbis Domina, quia ad eius pronunciationem confertur Spiritus S. Sic enim abundanter ipsa erat plena, ut eius meritis ipse Spiritus Sanctus etiam alios repl...* Audiamus & Divum Gregorium Thaumaturgum serm. 2. de Annunc. qui cum Filio Matrem complexus, Virgineæ vocis vim, ac energiam ita deprædicavit: *Vox MARIÆ efficax fuit, & Spiritu Sancto replevit Elisabeth; ac veluti ex perenni quodam fonte, instrumento lingua flumen charismatum per prophetiam cognata sua transfudit, pedibusq; infantis in utero colligatis saltum & exultationem suppedita-*

Vox Mariæ quam efficax.

vit, quod sanè miraculosi tripudij, ac gaudij symbolum extitit. O miram verborum Deiparæ vim, atque energiam, tanta, tamq; preciosa Spiritus Divinissimi charismata Orbi, unico quasi nutu, labiorumque suorum motu: *Veni Auster*, communicantis. Quamvis Card. Halgr. verba illa (ex quibus etiam mira Virginis elucescit Bonitas, ac dignitas) transferat ad Filium mandantem Spiritui S. ut Matrem, omnigenâ bonorum suorum, charismatumque abundantiâ repleat, quò ipsa, utpote indolis optimæ, reliquis Ecclesiæ membris, eadem transfundere valeat: *Tu autem Auster, id est, inspiratio Sancti Spiritus*, inquit ille, *perfla Hortum meum, id est, Matri meæ perseveranter insuffla gratiarum abundantiam, ut ab ipsa abundanter, & indeficienter defluant ad infirmos beneficiorum remedia.*

Filius desiderat ut SpiritusS. Hortum perflet Sãctiss. Matris.

63. Eandem Deipara benefaciendi, seseque omnibus Ecclesiæ statibus communicandi propensissimam agnovit voluntatem idem pijssimus Cardinalis in illis verbis Sponsæ, quæ non contenta Spiritum S. pro Ecclesiæ diversis ordinibus studiosè, deprecari, atque invitare, invitavit & Filium amanterque Cant. 7. petijt. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas; videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica; ibi dabo tibi ubera mea.* Quæ verba charitatis in homines plenissima expēdēs Halgrinus: *In his verbis ostendit Mater solicitudinem*, inquit, *quam gerit pro Ecclesia, qua ratione solicitet Filium ut eam visitet, eiusq; profectus videat, quatenus quod minus, & imperfectum est, visitando compleat.* Dicit ergo: *Veni Dilecte mi egrediamur & ingrediamur in agrum, visitemus illos qui sunt in agro, & vomere prædicationis humanorum cordium terram proscindunt. Veni dilecte mi commoremur in villis, facientes mansionem apud illos, qui habitantes in unum per dilectionem uno iure vivunt, quales sunt Religiosi, à mundanarum curarum strepitu semoti. Surgamus mane ad vineas plantandas in fide, videamus si vinea floruit per boni operis exordium, si flores fructus parturiant per boni exordij complemētum. Videamus si floruerunt mala Punica, quorum flos ruber, desiderium imitandi Passionem Dominicam demonstrat in viris fidelibus, qui per illas arbores designantur. Et subdit Domina: Ibi dabo tibi ubera mea, ut gustes interpellationes meas pro Ecclesia, quæ procedunt de uberibus meis, quæ ipsius pietatem & misericordiam designant.* Hæc Card.

B.V. Filiū & Spiritū S. ad excolendas animas invitavit.

B.V. invitat Filium ad visitandos Religiosos.

64. Neque verò Virgo gloriosissima, atque ter optima, contenta omnino videtur, si beneficentiam, ac bonitatem suam effusissimam mortalibus communicet ore suo sacrosancto, communicet largissimis manibus; communicat & ipsis suis illis misericordiæ, ac pietatis plenissimis oculis. Atque in primis quod majus donari potest hominibus donum, ac beneficium, quam puritatis, ac castitatis, quo mortales vitâ carnali, ac sensuali privati quodammodo vivunt solam vitam spiritus? Et hoc ipso tam eximio beneficio nos afficit Deipara, B. Amadeo teste, qui ut supra memoratum est, eam ideo Basilisco, seu Regulo, ob vim oculorum, ac energiam, sensualem vitam in hominibus interimentem contulit. Mira omnino sunt, quæ sancti Patres; ac Theologi de Virgineorum oculorum vi, ac virtute, litteris consignarunt. Halgrin⁹ eos Capreæ oculis acutissimis, miserias nostras penetrantibus comparavit. Exponens enim verba illa Cant. 4. *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli Capreæ gemelli, qui pascuntur in in lilijs donec aspiret dies, & inclinentur umbræ. Duo*, inquit, *ubera Beatæ Virginis, de quibus velut lac piæ subventionis dulcedo sugitur, sunt affectus pietatis, & misericordiæ, quæ velut Capreæ, acuto lumine considerant, quis, & quantâ indigeat ope, & per huiusmodi considerationem discurrunt, perq; festinantem subventionem accurrunt velociter, ut hinnuli, qui pulchra varietate solent esse distincti, ad varios subuentionum eius modos denotandos. Dicuntur gemelli, id est, sociales, ac consimiles, quia valdè sibi sunt similia, & quasi uno ex fonte prodeuntia misericordiæ, & pietatis beneficia. Hæc B. Virginis ubera lac suum propinare totâ hac præsenti vitâ non cessant, donec videlicet aspiret dies, id est, donec veniat dies illa, quæ ad corpora, de puluere reformata spirabit spiritum vitæ, & vitam gloriæ, & donec inclinentur & deficiant umbræ præsentis miseriæ.* Hæc Halgrinus.

M. oculorum vis mira.

MariæOculi sunt Oculi Basilisci carnalem vitam interimentes.

Mariæ Oculi sunt Capreæ quibus miserias nostras penetrat.

Maria festinat ad miserijs nostris subveniendū.

B. V. lac consolationum, ac beneficiorum suorū totâ hac præsenti vitâ propinare nobis non cessat.

65. Angelicus Doctor de eisdem oculis, ac Dei Parentis Pulchritudine in 3. sent. D. 3. q. 1. art. 2. q. 1. ad 4. pulchritudo B. Virginis, ait, intuentes ad castitatem excitabat. S. Bonaventura autem in 3. D. 3. ar. 2. q. 3. nonnullorum Hebræorum affirmavit testimonio, Deiparam quantumvis speculum omnigenæ pulchritudinis, ac venustatis extitisset, à nullo unquam, Virorum concupisci potuisse. *Aspectu enim suo*, ut doctissimus

M. oculi ad castitatem excitabant.

B.V. quantumvis pulcherrima, à nullo tamen concupisci potuit.

B. V. aspectu suo côcupiscêtiæ faces, ceu gelido quodam rore extinguebat.

ctissimus Alexander de Ales 3. P. suæ Theologiæ q. 9. memb. 2. asseveravit, *concupiscentiæ faces, ceu rore illo Divino, qui innocuos illos pueros in fornace Babylonica conservavit illæsos, extinguebat.* Quare Sanctus Ambrosius Virgines ad imitationem exhortans Deiparæ, libro illo quem de earundem institutione conscripsit, cap. 7. præclarè asseruit Divam Virginem, ijs, quos invisebat donum puritatis impertiri consuevisse: *Cuius*, inquit, *tanta erat gratia, ut non solùm in se Virginitatis gratiam servaret, sed etiam ijs, quos viseret integritatis insigne conferret.* Quod exemplo Præcursoris confirmat: *Visitavit Ioannē Baptistam, nec immeritò mansit integer corpore, quem tribus mensibus oleo quodam suæ præsentiæ, & integritatis unguento Domini Mater exercuit.*

In B. V. mira Virginitatis gratia, quæ se etiam alijs communicabat.

B. V. S. Ioā. Bapt. Virginitatis insigne donum contulit.

M. oculi similes oculis Filij.

66. Quâ etiam in re Virgo gloriosissima Filium dilectissimum imitata fuisse videtur, qui vel solo suo conspectu Divinissimo peccatorum animos immutabat, & conferendo gratiam, velut quidam increatus Sol, luce, caloreque vivifico, mortales perfundens, ad sese eorum animos rapiebat. Id quod luculentissimè cernimus in Matthæo publicano, amore terrenorum immerso, quem D. Hieronymus lib. 1. in Matth. non modò verbis Salvatoris, verùm etiam totius vultus Majestate, ac splendore in Virum Apostolicum transmutatum fuisse affirmavit: *Certè fulgor ipse*, inquiens, *ac Maiestas Divinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat ex primo ad se, videntes trahere poterat aspectu.* Quod & exemplo Magnetis, & succini confirmavit: *Si enim in Magnete lapide*, inquit, *& succinis hac vis esse dicitur, ut annulos, & stipulas, & festucas sibi copulent; quantò magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos vocabat?*

Christus tamquam Magnes & Succinum ad se trahabat peccatores.

67. Cùm igitur Mater Dei sanctissima Filio suo, & mentis, & corporis pulchritudine extiterit quam simillima, quid mirum eam vim illam, atque energiam oculorum fuisse sortitam, cùm in illum penitus fuerit transformata? Vnde S. Gregorius Nyssen. Hom. 4. in Cant. 1. verba illa expendens Sponsi, juxta septuaginta Interpp. versionem. *Ecce tu pulchra & propinqua mea; Ecce tu pulchra es, oculi tui Columbæ;* ait, animam, quò magis supremæ illi, atque increatæ appropinquat Pulchritudini, eò reddi pulchriorem, & in speculum quoddam primariæ illius, atque exemplaris pulchritudinis transformari: *Homo enim verè speculo est similis*, ait Sanctus Antistes, *formas ex suarum liberarum actionum accipiens simulachris, Si enim aurum viderit, aurum repræsentat, eundemq; materiæ splendorem præfert.* Cùm ergo Sponsa magis semper, ac magis gratiarum, virtutumque incrementis Sponso facta fuerit propinquior, & in se, veluti speculo aurum illud purissimum Divinitatis Filij sui expresserit, non solùm iterato ejus laudat pulchritudinem, verùm etiam oculis columbæ comparat. Quia nimirum sicut columbæ oculus faciem eam intuentis, veluti in speculo repræsentat: Sic Virgo Deipara pulchritudini illi æternæ intimè appropinquans, eandem in se, ut in pupilla oculorum columbæ expressit; ex quo geminata illa pulchritudinis ipsius laus emanavit, *Quia in Sponsi formam oculos intendens, Sponsum*, inquit Nyssenus, *habebat in oculis.* Sponsum verè, atque adeò oculos ipsos Sponsi Sponsa hæc habebat in oculis, eorumque vim, energiamque mirificè repræsentabant. Si enim Sponsi cœlestis oculi, juxta Vaticinium Iacob Gen. 49. v. 12. Pulchriores sunt vino; & Virginis nostræ oculi erunt vino pulchriores, ac potentiores. Ac proinde quemadmodum juxta Oseam cap. 4. v. 12. *Vinum & ebrietas auferunt cor;* auferent sine dubio & nobis hi pudicissimi Deiparæ oculi cor carnale, terrenisque cupiditatibus æstuans, dabuntque cor spirituale, Divino amore, cœlestibusque desiderijs flagrantissimum; salutarem quoque nobis, sapientissimamque quandam inducent amentiam, ut stulti propter Christum habeamur, & quasi hujus Mundi purgamenta, omniūq; peripsema reputemur.

B. V. Filio mentis & corporis pulchritudine similis.

B. V. quò magis supremæ Pulchritudini appropinquauit eò facta pulchrior.

Oculi nostri sunt quædam specula, quæ objecta conspecta in se exprimunt.

B. V. æternæ Pulchritudini unita eam in se velut oculi pupilla repræsentavit.

B. V. cœlestem Sponsum habebat in oculis.

Oculi B. V. inebriant, & cor carnale auferunt.

68. Quod si autem secundùm eundem Nyssenum per Columbam Spiritum Sanctum intelligamus, magis adhuc Virgineorum oculorum vis elucescet. Ita enim Virgineos oculos, Spiritui S. quam simillimos fuisse intelligemus. Quemadmodum enim Spiritus hic Divinissimus septem sua dona communicat, *ubi vult spirat, & universum terrarum Orbem implens, subtilis est, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, atq; acutus omnem habens virtutem, omnia prospiciens*, ut ait Salomon Sap. 7. sic sacratissimi Deiparæ oculi, eadem septem dona, & gratias quodammodo spirare videntur,

M. oculi Columbæ similes, id est, Spiritui Sancto

Spiritus S. laudes.

penetrant omnia, benefaciunt omnibus, humanissimi, atque benignissimi sunt, omnesque virtutes, ac gratias liberalissimè communicant, & benignissimè prospicientes, atque circumspicientes omnia, vi quâdam admirabili, creaturas omnes, ad agnitionem, atque amorem sui pertrahere consueverunt Creatoris: adeò ut Ecclesiastes quidam non vulgaris ausus fuerit Deiparam cuidam Indiæ Monti, magneticis lapidibus conferto, comparare; De quo Ludovicus Vives commentarijs in librum 21. S. Augustini de Civitate Dei, cap. 4. asserit, si quando naves vel ferro onustæ, vel clavis ferreis compaginatæ illac prætervehuntur. nullâ ratione inchoatam navigationem peragere posse, (adeò Magnetis vis, illo Monte reclusa, eas ad sese trahit) proinde naves, quæ mare illud navigant, ligneis dumtaxat clavis compingi consuevisse. Quapropter oculi isti Virginei jure meritissimo, ob tam eximiam virtutem attractivam humanorum affectuum Divinitus illis inditam, Magnetes cordium essent appellandi.

Oculi B. V. penetrant omnia, benefaciunt omnibus.

Oculis B. V. vi quâdam Divinâ Spiritus S. præditi, omnes ad se rapiebant

M. Mons lapidibus magneticis plenus

Mons Indiæ plenus magnete naves detinet.

Oculi B. V. gemini Magnetes

69. Oculi denique Virginis nostræ gloriosissimæ columbæ simillimi dici possunt, ob simplicitatem, animique candorem, egregiamque in genus humanum mansuetudinem, facilitatem, atque indulgentiam, inque omnes mirificam commiserationem, atque amorem, cujus Columbæ symbolum esse à Poëtis decantantur. Porrò Amorem hunc, pietatem, ac commiserationem, ipso suo colore, Deiparæ oculi enunciare videbantur; feruntur enim fuisse coloris Cæsij, seu Oleagini, cùm fuerit prædita, oculis, ut loquitur Niceph. lib. 2. Hist. Eccle. cap. 23. *Acribus subflavis, & tanquam oleæ colore pupillas habentibus.*

Columbæ sunt symbola amoris.

M. Oculi Cæsij, seu Oleagini.

Ad significandum Deiparam esse Olivam illam speciosam in campis, quæ semper vernantibus, ac virentibus folijs, pacem cum Deo nobis affert, oleum misericordiæ, & lætitiæ fundit.

De quibus sanè illud jure merito dici potest, quod S. Gregorius Nyssenus Hom. 9. in Cant. de Oliva enunciavit: *Habet Oliua,* (idem dixerim ego de oculis Deiparæ) *quod fiat lucis materia, recreet lassitudinem, relaxet laborem, caput exhilaret, & ad certamina opem ferat.* De hac oculorum Virgineorum luce præclarè sanè insinuasse videtur S. Epiphanius & Nicephorus, cùm dixerunt *eam fuisse oculis acribus;* Divinâ nimirum, ac potenti quâdam luce radiantibus. Vnde Callistratus Occasionis venustatem, velut cujuspiam Virginis pulcherrimæ describens, ait, *eius oculos gratissimâ quâdam face ruboris fuisse accensos.* Aristenetus etiam Epist. 1. speciosissimam illam suam describens Virginem: *Oculi magni,* inquit, *flagrantes & puro lumine suffecti, in quibus nigrum pupillæ lactei circuli vicino candori circumfusum, ex ipsâ colorum pugnâ, temperiem pulchritudinis facit, excitatq; gratiam; in qua Gratias insidentes cuivis adorare promptum est.* Quod sanè elogium sacratissimæ huic Virginum Virgini longè aptiùs accommodari potest; cujus cum membrorum omnium symetriam, aptitudinem, ac proportionem descripsisset Niceph. loco citato concludit denique: *Et ut paucis dicam, in rebus omnibus multa divinitus inerat Gratia.* Verè enim in oculis præsertim Deiparæ insidere videbantur Gratiæ cœlestes. Solo enim aspectu suo, cùm innumerabilium bonorum omnium copiâ eas communicabat mortalibus, adeò, ut jure merito cum Platonicis visionem hanc Virginis, per extramissionem radiorum visualium quodammodo fieri affirmare possimus. Cùm Virgo Beata fœlicissimo suo aspectu, & lucem mentibus, & calorem affectibus, velut quidam Sol Divinus suorum radiorum potentissimâ emissione communicaverit.

Oliuæ virtus.

Occasionis oculi gratissimo rubore accensi.

Gratiæ in oculis cujusdã Virginis.

In oculis Mariæ insidere videbantur Gratiæ.

B. V. visio per extramissionẽ radiorum fieri videbatur.

70. Agnovit Virginei intuitus potentiam hanc, ac energiam Seraphicus Bonaventura Psal. 22. dum pientissimam hanc Dei Matrem sic alloquitur: *Benedicti sunt DEI Genitrix oculi tui splendidissimi, quos dignaris misericorditer convertere super nos peccatores. Benedictum sit lumen, & splendor faciei tuæ, benedicta sit gratia vultus tui.* Ejusdem Virginei vultus, oculorumque contra tentationes omnes energiam idem S. Doctor declaravit Psal. 2. dum mortales omnes ad ejus refugium, velut ad asylum invitat: *Accedite ad eam in tentationibus vestris, & stabiliet vos serenitas vultus eius.* Psalmo verò 26. conversus ad Deiparam, ejusque oculorum lucem sibi affulgescere desiderans, exclamat: *Domina illuminatio mea, sit splendor faciei tuæ, & serenitas tua gratia refulgeat menti meæ; ne avertas faciem tuam à me, quia speciem, & decorem tuum, à iuventute mea concupiui.*

M. oculi benedicendi.

B.V. serenitas vultus stabilit nos in Divino servitio.

B.V. Illuminatio nostra.

71. Horum Virgineorum oculorum

rum

rum, velut fontium; è quibus bona omnia in genus dimanant humanum, gravissimus ille Parisinus Theologus Martinus de Magistris admiratus vim, ac energiam, Virginemq; verbis illis obsecrans: *Eia ergo Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte*; in eorundem oculorum pulcherrima excurrit elogia: *Illos*, inquiens, *converte, quorum perspecta, & apud omnes Orbis angulos publicata miseratio est: Illos in quos se miseri omnes devovent, quos expetunt sibi; advocant, obsecrant, obtestantur. Illos, quorum intuitus, miseriæ curatio est: Illos, qui & calamitates non prospicere & prospectam calamitatem non excutere non possunt. Sunt misericordes oculi, qui pietatis munus, ad certas regiones & loca, ad certa momenta temporum alligârunt. Illos ergo petimus, quorum non locus, non tempus, non ætas, non precandi frequentiâ circumscribit officia. Illos igitur misericordes oculos ad nos converte, ut unus idemq; tua pietatis intuitus, & indulgentiam inferat, & auferat miseriam*; Addiderim ego, ejusque loco bonorum omnium copiam, atque exuberantiam, utpotè talis, tantæque Reginæ (quæ summi Boni Genitrix extitit) intuitus, largiatur.

Oculorũ Deiparæ V. laudes.

B.V. oculorum intuitus miseriæ curatio est.

Oculis B. V. nec ad locũ, nec tempus, nec etiam sunt alligati.

72. Illud porrò mirandum, illud obstupescendum, quod hæc Virgo gloriosissima, ac optima bonitatem hanc suam, ejusque tam effusam communicationem in universum Orbem diffundere non contenta, eandem cum proprio lacte in Filium, velut pulcherrimam quandam indolem transfundere quodammodo visa fuerit, ut illam postea in nos diffunderet, nobisque suæ pietatis viscera ostenderet. Quod pervenustè Cardinalis insinuavit Halgrinus, qui verba illa vel Filij, vel Angelorum ad Dεiparam: *Meliora sunt ubera tua vino*; interpretans; *Meliora*, inquit, *id est, potentioris, & uberioris efficaciæ sunt ubera Beatæ Virginis, quam vinum. Vinum enim inebriare potest hominem, ut præteritarum sit immemor iniuriarum, & sit facilis ad condonandum. Ubera verò Virginis DEUM quasi inebriârunt; nam postquam de Matris uberibus lac bibit, ac si cum lactis dulcedine dulcedinem bibisset misericordiæ, proiecit ab oculis peccata nostra post tergum, & factus est largus ad dandam peccatorum veniam, largus ad dandam gratiam, & operum iustitiam.* O quã verè idem Sponsus Virgineæ huj⁹ pietatis, ac Bonitatis admiratus pulchritudinem, ac energiã exclamavit Cant. 4.

B.V. bonã indolem suam cum lacte in proprium Filium transfundere visa est.

Dei Filius bonitatẽ, ac misericordiam cum lacte Materno imbibit.

B.V. ubera Dei Fiũm quasi inebriarunt, ut in jutiarum oblivisceretur.

Quam pulchra sunt mammæ tuæ Soror mea, Sponsa! pulchriora sunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata! Quid enim pulchriùs in oculis peccatoris afflicti, ait Halgrinus, *quàm pietas, & misericordia, quæ in uberibus Virginis designantur. Hæc ubera pulchriora sunt peccatoribus, quàm austeritas severitatis, quæ signatur in vino. Unguenta B. Virginis sunt charismatum spiritualium confectiones (ut sunt eius Bonitas, & Pietas, Charitas, ac Misericordia) quæ nos fragrantiâ suâ delectant, & odoris delectatione ad cursum boni operis invitant. Horum unguentorum odor, fragrantia, potentiâ suâ omnia excedit aromata. Hæc enim unguenta maioris sunt fragrantiæ apud Dominum, maioris potentiæ contra Diabolum, magis ædificant homines per exemplum, quam reliquorum omnium virtutes Sanctorum, per aromata designata.* Sic ille.

Pietas & Misericordia duo ubera B.V.

73. Sentiunt Virgineorum aromatum, nempè bonitatis, pietatis, ac misericordiæ fragrantiam, omnes ejus cultui, ac venerationi addicti clientuli, viventes, morientes, imò & mortui, dum illam piè, ac devotè invocantes præsentissimum ejus patrocinium mirè potens contra Cacodæmonem, ipsamque mortem esse experiuntur. Varia passim ad hoc contestandum nobis occurrunt exempla, sed breviter aliqua attigisse sufficiat. Quid memorem puellam illam Coloniensem? de qua Pater Cyprianus de S. Maria, in Thesauro Carmelit. cap. 15. quæ Tartarei hostis sive fascinatione, sive possessione ita exagitabatur; ut ferreis catenis esset coërcenda? Varia adhibita amuleta, ac remedia, ad ...lum illum, importunumque hospitem exturbandum, sed in omnibus oleum, operaque perdita, donec Virgo DEIpara manum suam, pro innata sibi bonitate, pietateque apposuit. Itaque Mater hujus puellæ ad DEI Matris Servos, ac familiares Carmelitas recurrit. Mox mittitur ex ipsorum cœtu quispiam, qui Scapulare, B.V. insignitum Imagine secum defert, accedit ad puellam; mox illa in angulum lectuli, totis artubus contremiscens, flammantibusque oculis furibunda se proripit. Pater procumbit in genua, & ad misericordiæ Matrem omnibus pietatis, bonitatisque unguentis, aromatisque plenissimam, præmissa humili deprecatione, sacrum illum, Icone Virginis velut clypeo adversus ignea nequissimi

Scapularis vis in Dæmonibus abigendis.

quissimi Satanæ tela communitum Habitum promit, eodemque Puellam afflictissimam induit. Illicò magnâ omnium circumstantium admiratione misera illa ab omni Dœmonis exagitatione liberata, sibi redditur, ac conquiescit. Verùm cùm sive negligentiâ, sive maligni Veteratoris astu iterum, ac tertio sacro illo pignore fuisset privata, rursusque eisdem inferijs, furijsque malignissimi hospitis esset impetita, idem Pater Puellam iterum, atque iterum sacro illo Habitu, velut inexpugnabili Panopliâ obarmat. Sensit ex Templo Virgineæ Iconis potenitam vires suas omnes infringentem stygius hostis; unde in posterùm ab omni puellæ infestatione desistere coactus est.

74. Sensit Virgineæ Bonitatis, pietatisque vim, fragrantiamque, à morte planè præservantem homo ille facinorosus, de quo ibidem P. Cyprianus facit mentionem, qui cùm ob varia flagitia Cremonæ Anno 1628. in carcere fuisset detrutus, mortique, laqueo præfocandus adjudicatus, cùm totius anteactæ vitæ peccata, apud Virum Religiosum Ordinis Carmelitani, exomologesi, magno cum dolore expiasset, tandem, ut securiùs ad mortem obeundam pergeret sacro illo Habitu, Imagine Marianâ decorato, tamquam loricâ armari postulavit. Hoc ille indutus, ac munitus morti ipsi protegente Deiparâ, evasit inexpugnabilis. Cùm enim Carnifex duplici, eoque novo resti, eum de patibulo suspendisset, mirum dictu, uterque funis rumpitur, lapidibusque, ex alto cadens, illisus, illæsus omninò, cum omnium adstantium stupore mansit. Quæritur undique quidnam subsit causæ? Respondit ille, ingenuè se Virginis protectione, sacro nempè B. Mariæ de Monte Carmelo Scapulari antequam ad mortem proficisceretur communijsse, eoque tempore, quoad patibulum trahebatur eamdem Virginem Patronam, ut sibi Salus in præsenti foret discrimine enixè deprecatum. Atque ita Divinitus ostensum fuit, verissimam fuisse promissionem à Deipara B. Simoni Stock factam, sacrum nempè Scapulare salutem esse in periculis.

Quidam patrocinio B.V. à laqueo eripitur.

Sacrum Scapulare est salus i periculis.

75. Sensit Virgineæ Bonitatis, pietatisque, ceù unguenti preciosissimi fragrantiam, moriens quidam Frater ex nostris rei Domesticæ Adjutor, Rainerus Haccius nomine, qui cũ Coloniæ admissus esset ad Societatem, dũ Treviros ad Tyrocinium proficiscitur, vix unius diei itinere confecto, in morbum incidit, quo repente ita fractus est, ut ultra progredi omninò non posset, cùmque ad casam quandam rusticam divertisset, & nil ibidem ad restaurandas vires idoneum reperisset, invalescente morbo de salute, vitâque desperans, ad Beatissimam Dei Matrem, quam præcipuo semper studio coluerat, tanquam ad sacram Anchoram sub mediam noctem confugit. Nec suâ frustratus est fiduciâ. Adfuit enim illi repente, specie & forma augustissimæ Matronæ maximâ circumfusa luce pia misericordiæ Mater, ac collaudato ejus Societatem ingrediendi desiderio, Treviros ad destinatam aliquando metam perventurum prædicit, ibique inter Societatis Iesu filios, ad meliorem vitam emigraturum. Hoc visu recreatus, simulque animatus, partim Angelo, ut ipse dicebat impellente, partim duobus vitæ comitibus, quos ejusdem propositi Socios habebat adjuvantibus, tandem ad domum Probationis incredibili gaudio attigit. Vbi cùm à Superiore, mox advocato Medico nil prætermitteretur, quo refocillari æger, reficique posset, videretque Patres de valetugine ipsius solicitos: *Frustra*, inquit, *istu. Iam enim de vita hic finienda præmonuit me DEI Parens; aderit illa breui unà cum Filio, Angelisq; ad immortales sedes me deportatura.* Itaque sæpius exomologesi facta, Sacramentisque omnibus ritè communitus duodecimo post ingressum die mira Spiritus suavitate, atque alacritate *Alleluia* concinens, omniumque animos ad grates Deo reddendas permovens, beatam animam Deo reddidit. Burghesius in Soc. Virg. sacra cap. 31.

B. V. Rainero moribundo apparet, eiq; fœlicem obitũ prædicit.

76. Neque verò solùm morientes Bonitatis, pietatisque Marianæ suavissimam sentiunt fragrantiam, sed etiam mortui, qui ultricibus, ac Purgatorijs illis ignibus expiantur. De quibus nos varijs in locis partim jã tractavim⁹, partim tractaturi sumus. His mirum quantum, optima nostra, pijssimaque favet, ac patrocinatur Deipara, præsertim ijs qui dum in hac peregrinatione degerent, ejus Sodalicijs nomen dedere, eamque virtutum ipsius, ac præsertim puritatis imitatione, varijsque pietatis exercitationi-

B. V. animas in Purgatorio detentas, liberat.

tionibus eam coluere. Eximium sanè Virgineæ charitatis in hujusmodi suos Sodales, præsertim eos, qui Sodalitati illi B. V. de Monte Carmelo, quæ sacrum illum Habitũ, B. V. insignitũ Imagine gestare cõsuevit, nomẽ dedere extat monimentũ. His enim omnib⁹ ex hac vita piè, & absq; peccati lethalis cõscientia decedentibus, legesq; huic sacro cœtui præscriptas observantibus, indulto Pontificio, primo ab ipsorum obitu die Sabbati à piacularibus illis Purgatorij flammis obtinuit liberationem. Quæ Virginis gratia cum plurimis esse consueverit admirationi, quæ ignorantiæ, ut plurimum solet esse filia, libet altius paulo hujus privilegij adeo singularis breviter hic initia repetere. Vbi Clemẽs V. ex hac vita decessit, vacante Sede, variæ supplicationes factæ, ut Dominus de bono, ac zelante animarum Pastore Ecclesiæ suæ providere dignaretur. Inter hos fuit Didacus Cardinalis Cartucensis, Episcopus Portuensis, qui postmodum in Pontificem electus, Ioannes XXII. dictus est. Hic igitur pro sua in Deiparam pietate, ac fiducia, multis cum lacrymis, ac gemitibus postulabat, ut apud dilectissimum suum Filium intercederet, quo Ecclesia S. idoneum ejusdẽ Filij Vicarium solicitumq; Pastorem, tandem post tot calamitates, ac perturbationes, impiorum hæreticorumque furore suscitatas, nancisceretur. Oranti mox adfuit Virgo beatissima, eumque benignè hiscé verbis allocuta fuisse perhibetur: *Agnosco tuum in me affectum, animiq; propensionẽ. Ad supremam sedem te provehabam; sed vide ut cum ad illum Apostolicæ dignitatis apicem pertigeris, meis Filijs Carmelitis Eliæ successoribus favores raros, & eximios præstes. His privilegium aliquod speciale concedas (sic enim Filij mei voluntas est) quo notum facias, eos omnes, qui Sacri Ordinis mei de Monte Carmelo fuerint, vel pietatis ergo eius Sodalitati adscribentur, fore ut post eorum transitum meis continuis intercessionibus, piisq; suffragiis, ac meritis adiutum, quatenus primo post suum obitum Sabbato, à pœnis Purgatorii liberentur, & sic ad beatitudinem, ac gloriam cœlestem transferantur.* Obtemperavit Virgini Didacus & VI. Pontif. sui Anno Bullum, quã vocavit Sabbatinam condidit, quam postea Alex. V. transcripsit in suam, quæ incipit: *Vniversis & singulis &c.* Illius porrò Bullæ exemplar Genuæ in hodiernum usque diem asservatur. Eandem postea Bullum Clem: VII. Greg. XIII. Pius V. confirmavere. Tandem in ejusdem Bullæ favorem Paulus V. hujusmodi Decretum edidit: *Patribus Carmelitanis permittatur prædicare quod populus Christianus possit piè credere de adjutorio animarum Fratrum, & Confratrum Sodalitatis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, videlicet Beatissimam Virginem animas Fratrum, & Confratrum, in charitate recedentium, qui in vita Habitum gestaverint, & castitatem pro suo statu coluerint, officiumq; parvum recitaverint, & si recitare nescierint, Ecclesiæ ieiunia observaverint, & feria 4. & Sabbato à carnibus abstinuerint, nisi ubi in ijs diebus Nativitatis Domini Festum inciderit, suis intercessionibus continuis, piysq; suffragiys & meritis, ac speciali protectione, post earum transitum, & præcipuè in die Sabbati, qui dies ab Ecclesia eidem Beatissimæ Virgini dicatus est adiuturam.* Hæc Christi Vicarius, quibus quid luculentiûs?

B. V. primo die Sabbati post mortem liberat ex Purgatorio scapulare piè gestãtes.

Didaco Cardinali Cartucẽsi apparet B. V.

Ioanni XXII. Põti. B. V. mãdat ut cõdat Bullã Sabbatinã

Bulla Sabbatina ab aliis Pont. cõfirmata.

Paulus V. Bullam Sabb. confirmat.

77. Et verò quid mirum hanc gratiam concessam à Domino fuisse Virgini, cui alias ut ipsa canit: *Fecit magna qui potens est, & sanctum nomen eius?* Quid quæso tam dilectæ Matri tam amans Filius denegare potest? Accedit enim ad illum ut Domina, non Ancilla; Maternoque jure non rogare sed jubere videtur, utpote eum, qui olim erat subditus ipsi. Eum qui legem de honoranda Matre plane sacrosanctam sancivit. Accedit quod ipsa Virgo per se potentissima sit, utpote cui data à Filio potestas in cœlo & in terra; estque præterea in genus humanum benevolentissima, ut verè dixerit S. Bern. ser. 1. de Assumpt. quod illi *nec facultas deesse possit nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est. Deniq; Mater est Vnigeniti Filij DEI. Nihil enim sic potest potestatis eius, seu pietatis magnitudinem commendare, nisi forte aut non creditur DEI Filius honorare Matrem, aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transijsse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex DEO est charitas novem mensibus requievit.* Cum igitur à Filio amplissimam acceperit potestatem, propensissimáque sit in nos omnes voluntate, quis dubitare poterit peculiaribus suis servis, & amicis, quales sunt Sodales Carmelitani hujusmodi gratiam communicasse, ut primo à morte illorum die Sabbati, qui illi sacer est secum illos ab ultricibus illis ereptos Purgatorij flammis, tanquam dilectissimos filios habere velit in gloria?

B. V. à Filio data potestas liberandi animas ex Purgatorio.

Legi-

78. Legimus certè apud B. Petrum Damiani, apud Ioannem Gersonem Cancellarium Parisiensem, apud Dionysium Richelium & alios, DEI param certis quibusdam diebus, ipsius scilicet in cœlos Assumptioni, suo item Natali, Nativitati etiam, & Resurrectioni Domini sacris, descendere ad loca illa Purgatorij, magna cum charitatis significatione, & inde animas, licet non tam arcto Sodaliciorum fœdere sibi adstrictas secum ad cœlos, nec quicquam Tartareis illis hostibus frementibus deducere: quid facturam obsecro arbitrabimur, ijs qui ipsius, in hiscé Congregationibus assiduâ Sacramentorum frequentatione vitæ puritatem, aliasque virtutes, ejus habitu & Imagine Virgineâ insigniti, æmulari totius vitæ decursu sunt conati?

B. V. certis festis liberat potissimum animas ex Purgatorio.

79. Quare P. Ioannes Burghesius noster in Soc. IESV Virgini sacra cap. 31. docuit cultum peculiarem, ac venerationem Virginis DEIparæ medium aptissimum esse vel ad omnino evadendas, vel imminuendas Purgantis ignis atrocissimas illas pœnas esse cõsuevisse, quod & insignibus nostrorum Patrum confirmat exemplis: *Sunt*, inquit ille, *qui à morte pœnas expurgatorias non sine causa vehementer expauescant: sed quantum ad eas imminuendas vel avertendas vim habeat cultus Deiparæ, sæpe nostros admonebat qui Præfectum agebat Spiritus Conimbricæ Annos ipsos 28. Vir sanctissimus Virginiq; addictissimus P. Hieronymus Cauallius, de cuius virtute copiosius Annales. B. Virginem, aiebat, non tantum criminibus veniam, sed & Purgatorij ignis pœnas deprecari, idq; sibi ab eadem dictum sanctè adstruebat.* Patri certe Michaeli à Fontibus Valentino, de quo Aragoniæ literæ Annuæ 1606. cùm in India ille laborum incommodis consternatus aliquando jaceret clementissima Virgo visendam se, maximo fulgore circumamicta præbuit; & postquam bono animo esse jussisset, eum pœnas Purgatorij non daturum, sed recta in cœlum, Beatorumq; domicilium concessurum promisit. quo ille promisso, ac viso sic est exhilaratus, & confirmatus, ut nullas non ærumnas æquissimo, atque hilarissimo tolerarer animo. De eodem Patre quidam inter S. Francisci Patres nudipedes sanctitate clarissimus, cùm super B. Ignatij sanctimoniâ legitimè requisitus ab Antistite, testimonium diceret, asseveravit, ejus animam à corpore digressum, obvios habuisse in primis DEIparam, Apostolorum Principem, S. Ioannem, B. deniq; Ignatium. Gestabat veneranda DEI Mater suis manibus Coronam, qua mox beatam illam animã honoris ergo donavit.

Devotio erga B V. medium idoneum liberandi se à Purgatorio.

P. Michaeli à Fontibus B. V. promittit evasionem Purgatorij.

B. V. P. Michaelem è vita migrantem Coronâ donavit.

80. Hæc porrò Virginis benignitas, qua suorum clientulorum animas Purgatorij ignis ergastulis diutiùs detineri non permittit; etiam in eo eluxit quod aliquando suos amicos, ut pro miseris illis communem Dominum deprecarentur, admonuerit. Admonitionem hanc audijt Ioannes Ximenius Soc. nostræ in opere domestico Adjutor Vir cultui DEIparæ addictissimus, qui cum vice quadam coram ipsius Icone, pœnas eorum, qui Purgatorijs flammis cruciantur mente revolueret, eisque intimè, animitusque compateretur, audire meruit vocem ab imagine: *Et tu quoq; eorum memineris.* Ad quam ipse promptè respondit: *Id vero præstabo Domina.* Quare in posterum earum animarum amore omnia merita sua ijs applicuit Kal. B. V. 24. Febr.

B. V. Ioannem Ximenium monet, vt pro animabus Purgatorij oret.

Idem omnia sua merita animabus Purgatorij applicuit.

81. Eadem pietate charitateque tacti fuere complures Viri sanctissimi, inter quos S. Odilo Abbas Cluniacensis, de quo B. Petrus Card. Damiani in ejus vita scribit, eum peculiari affectu hujusmodi animas prosequi fuisse solitum, Dœmonesq; lamentatos, quod eis prædam eriperet. Cum enim aliquando quidam peregrinus Aquitanus Hierosolymis rediens, ad quemdam Eremitam tempestate jactatus in Sicilia, casu incidisset, hæc ab ipso audivit: *Sunt, vicina nobis loca, ex quibus grauissima flammarum furentium euomuntur incendia, in quibus etiã locis animæ reproborum diuersa luunt pro meritorum qualitate tormenta. Ad quorum semper exaggeranda supplicia innumerabiles sunt Dæmones deputati, qui intolerabiles eorum pœnas quotidie renouant, & eos ad rediuiua supplicia indesinenter instaurant. Quos tamen ego frequenter audiui querulis lamentationibus ejulantes, quod orationibus & eleemosynis aduersus eos confœderabiliter concertantium frequenter ex eorum manibus eriperentur animæ damnatorũ (scilicet ad tempus ut ibi purgentur) Inter cætera, de Cluniacensium cœtu, eorumq; Abbate per maximam querimoniam faciunt, quia sæpius per eos sui juris vernaculos perdunt: Quamobrem per terribile Dei Nomen obtestor, ut sanctis Fratribus illis hæc quæ tibi dixi fideliter referas, & ex nostra quoq; parte illis denuncies, ut eleemosynis, & orationibus*

S. Odilonis erga animas Purgatorij charitas.

Dæmones contra S. Odilonẽ lamentantur quod illis animas è Purgatorio eripiat.

bus magis, ac magis insistant hoc maximè intuitu, ut de manibus Dæmonum eos, qui ab illis cruciantur, educant, quatenus de quotidianis eorum rapinis luctus inferatur humani generis inimico, & gaudium multiplicetur in cœlo. Itaq; homo ille aliquanto post regressus in patriã quidquid ex illa relatione didicerat B. Patri, & S. Congregationi narrat. Tunc Venerabilis Pater Odilo per omnia Monasteria sua constituit generale decretum, ut sicut primo die mensis Novemb. iuxta universalis Ecclesiæ regulam omnium Sanctorum solemnitas agitur, ita sequenti die in Psalmis & Eleemosynis, & præcipuè Missarum solemniis omnium in Christo quiescentium memoria celebretur.

S. Odilo Abbas Benedictum VIII. Pöt. à Purgat. liberavit.

Addit deniq; in particulari, quanã ratione idem S. Odilo Benedictum VIII. Summum Pontif. à quo specialiter dum in vivis ageret fuerat dilect⁹, è pœnis Purgatorij ignis eripuerit, & tandem pulcher, ac serenus aspectu, ut loquitur B. Damianus, ac solemni quodam nitore conspicuus, magno candidatorum agmine stipatus eum adierit, & ad genua ipsius procidens, caput, gratias agendo coram eo flexerit, &c.

B. Christinæ amor erga animas Purgatorij.

82. Eadem pietate commiseratione que erga Purgatorij animas B. Christina vulgo Mirabilis dicta, cum è vivis sublata ab Angelis ad locum tenebrosum, horrendumque ubi animæ cruciabantur esset deducta, & intellexisset eum Carcerem esse Purgatorium; tandé corã Christo præsentata fuit, qui ei dedit optionem, ut vel Beatitudine jam frueretur, vel resumpto corpore per opera pœnitentiæ satisfaceret pro animabus illis visis in in Purgatorio. Elegit pro insigni sua charitate corpus resumere, quo resumpto passa scribitur plane incredibilia. Proijciebat se nunc in ardentes fornaces, nunc in ignem, nunc in grandes cacabos bullienti aqua plenos: nunc sub aquis gelu constrictis multos dies continuos hærebat, nunc in mortuorum ingrediebatur sepulchra, ibique diu jacebat; nunc in patibulis inter latrones dies aliquot dependebat, &c. in quibus tantos sentiebat dolores, ut aliquando altissimè inclamaret, & parturientis instar ejularet, sed tamen illæsa semper, & ad novos dolores integra, ex igne, & incendijs emergebat.

83. Quid de eadem commiseratione, ac pietate in miseras hascé adeo horribiliter excruciatas animulas B. Francisci Borgiæ III. Societatis nostræ Generalis, dicam? (domestica enim, ac recentiora hoc in genere minimè desiderantur exempla) De hoc Ribadenera li. 4. c. 4. n. 33. vitæ ipsius ita scribit: *Summa illi animarum cura, quæ corporibus soluta purgante igne crimina expiant: ut etiam tum Dux Gandiæ assiduè pro illis orarit, & Liturgias, remq; Divinam fieri curarit. Cuius officij nomine sæpè illi animas reduces apparuisse, gratiasq; egisse narrant; promisisse etiam se vicissim pro illo in beatorum sedibus DEVM precaturas.*

84. Quid memorem P. Ioannem Rebellium Virum & literis, & orationis mortificationisque studio clarum. Hunc P. Philippus Alegambe in Bibliotheca scriptorum Societatis IESV scribit: Animarum Purgatorij assiduum fuisse Auxiliatorem, Dominicæ Passionis perpetuum mediatorem, Beatissimæ Virginis MARIÆ addictissimum Servum; in hujus ille patrocinio aquiescebat, in eaque colenda, laudibus ejus prædicandis multus erat. Vnde populos maximè hortabatur, ut pijs precibus, jejunijs, atque eleemosynis animas è Purgatorio liberarent; Christi Salvatoris Crucifixi memoriam perpetuò retinerent, & ad sacratissimam Virginem tanquã ad portum, sive aspirante, sive reflante Fortuna confugerent. Vbicumque locorum poterat Sodalitates piorum hominum ad hæc tria præstanda instituit, & legibus informavit. Itaque ejus operâ, pietas, orationis studium, & in DEIparam devotio in Lusitania mirificè ꝑpagata est.

P. Ioannes Rebellius animarum Purgatorij amator.

Ad tria homines hortabatur ad medit. Passionis Christi, ad colendam B. V. ad juvandas animas Purgat.

85. Quid de Paulo Hoffeo Germaniæ Apostolo dicam? de hoc idem Scriptor: Sæpe demortuorum animæ ad cubiculi fores auxiliũ ab eo flagitarunt.

86. Quid demum Iacobum Rhem Virum famâ, & opinione sanctitatis notissimum commemorem, qui tanto amore in pios Purgatorij ferebatur Manes, ut magna cum fiducia ad ipsum opis implorandæ gratiâ recurrerent. De illo sic idem Auctor: *Sæpe ad precandum provocatus est à pijs Manibus, quos expurgatorius ignis castigat, tanto vehementiùs illis urgentibus, quo subsidio præsentiore egebant.*

P. Iacobũ Rhem animæ Purgatorij ut eas juvaret orabãt

87. Quod si ergo hi Viri sancti tanto cum pietatis, ac commiserationis affectu animas piacularibus illis ignibus cruciatas ut ab eis eriperentur, prosecuti sunt; quid nobis sanctam sanctorum omnium Reginam ipsam Optimam Optimi, Maximique DEI Matrem, Matrem

ipsius misericordiæ, cujus viscera semel quidem misericordiâ fœta, nunquam tamen effœta sunt, facturam arbitramur, pro suis devotis servis, clientulis, amicis, filijsque ipsi tam fideliter tanta cum animi puritate, in hiscé Sodalicijs ipsius, quale est inter cetera Carmelitanū hoc, de quo hactenus, deserviunt? Fecit certè hactenus, & in posterum faciet, pro infinita illa propemodum, quâ pollet pietate, ac charitate super omnem humanam, Angelicamque naturam, charitate inquam illa, quam sanè nulla creata mens capere, nulla lingua effari valet. Libuit hæc paulo diffusius explicare, ut ij, qui contra Sodalitium hoc sacri Scapularis in Venerabili Carmelitano Ordine erectam, Privilegiumque illud Sabbatinum liberius obloqui consueverunt, ad cor revertatur, & res adeò pias, adeo rationi consonas, à tot summis Pontificibus confirmatas dente theonino arrodere, Momique sublato supercilio carpere, in posterum erubescant. Iam tandem ad institutum nostrum revertamur.

88. Neque verò ex bonorum duntaxat diffusione, quæ universo orbi vivis, morientibus, mortuis, Purgatorijsque ergastulis detentis Maria communicat, illam magnum quoddam Bonum totius hujus universi esse intelligimus; verùm etiam ex eo, quod ejus amore, velut fine, universorum permotus Creator, hanc orbis Machinam architectatus est. (Siquidem Finis, & Bonum idem sunt.) Cum enim suprema illa Dei Majestas, infinitâ suâ prævidisset sapientiâ, ante hujus Vniversi molitionem, Protoplastos in tam detestandum inobedientiæ scelus aliquando prolapsuros, statuerat omnino à mundi molitione desistere. Verùm ubi Divinissimæ ipsius occurrit mēti Mariam Virginem Vnigeniti sui Matrē, ingentium bonorum fontem, mortalibus evasuram, tantamque Deo, Cœlitibusque omnibus gloriam parituram, Virgine hac sacrosanctâ, velut fine, ac ingenti bono pellectus, cogitationes illas antiquas, ac fideles de mundi creatione prosequi dignatus est, atque ita Amore Mariæ, ceu fine, Dei voluntatem, sui allectatione movente, Mundus hic cum omnibus creaturis, in eo comprehensis creatus est.

Maria magnum est quoddam Bonum, eo quod ejus intuitu veluti fine Deus orbem fabricarit.

Amore Mariæ ceu fine mundus conditus est.

89. Quod secretum Propheta Hierem. cap. 33. pulcherrimo quodam patefecit ænigmate: *Si irritum*, inquiens, *potest fieri pactum meum, cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies, ac nox in tempore suo, & pactum meum irritum esse poterit cum David*: Quæ verba Rabbenus Heccados Galatino teste lib. 7 cap. 2. sic ex Hebræo textu legit: *Nisi pactum meum esset, diem, ac noctem leges cœlo, & terra non posuissem*. Vbi notat Galatinus duo hæc Nomina Iesvs, & Maria ratione arithmetica ascendere ad numerum Berith, quod nomen significat Pactum: Atque ita verborum eorum: *Nisi pactum meum esset, diem, ac noctem, leges cœlo & terra non posuissem, sensus est: Nisi amore mei IESV, & MARIÆ diem, ac noctem, leges cœlo, & terra non posuissem*. Id est, Mundum minimè creassem. Cum enim Berith, id est, Pactum, numerum contineat 612. eundemque contineant etiam sacrosancta Iesv, & Mariæ Nomina Hebraicè conscripta, ut videre licet apud eundem Galatinum, qui eo loci Hebraicè legerit, atque arithmeticè; Berith; leget quoq; consectariè Iesv, & Mariæ nomina, intelligetque amore Iesv, & Mariæ, tanquam fine, & bono ad sese Deum allicientе, mundum hunc fuisse conditum. Quod & Rabbi Ankelos confirmavit, exponens illud Gen. 1. *In principio Deus creavit cœlum, & terram*. In glossa enim Chaldaica legit ille: *Propter sapientiam DEVS creavit cœlum, & terram*. Hoc est, *amore intemeratæ Virginis, quæ est mundi Sapientia creavit DEVS cœlum, & terram*.

Berith Hebraicè significat Pactū, quod arithmeticè lectum, Iesvm, & Mariam continet.

Iesvs & Maria finis creationis totius mūdi.

Maria Mundi totius sapientia.

Hoc idem intellexerit fortassis Regius Propheta David, quando Psal. 23. orbem terrarum fundatum super Maria fuisse cecinit. Cum etiam Beatus Albertus Magnus, in eo Geneseos loco: *Congregationes aquarum vocavit MARIA*; Mariam Dei Matrem, ob gratiarum omnium in ea factam congregationem, quoddam immensum charismatum omnium mare effectam intellexerit.

Maria Congregatio omniū aquarum sive gratiarū, mare dicta.

90. Quod si bonum, & finis convertuntur, & inter se reciprocantur; Et Bonum est, juxta Philosophū 1. Ethic. c. 1. *quod omnia appetunt*; Cum Devs ipse ter optimus Maximus in mundi creatione Mariam Virginem, tanquam Finem appetierit, insigne sanè quoddam Bonum eandem esse, censendum est. Hanc ob causam fortassis Propheta Regius Psalmum 40. qui totus ex Verbi incarnati, ejusque Sanctissimæ Matris constat laudibus, dum eam velut Reginam à dextris suis, in vestitu deaurato circumdatam

datam varietate astantem introducit, hanc, inquam, ob causam Psalmum illum inscripsit: *In finem;* quod eâ, velut fine, seù bono, Divinam voluntatem allectante, hæc Mundi machina fabricata sit. Quare quod Divus Ambrosius in ejusdem Psalmi titulum ad Filij Dei honorem meditatus est sapientissimè, jure sanè merito ad ejusdem sanctissimæ Matris gloriam, paucis immutatis transferre possumus. Reddens enim causam, cur titulus ille; *In finem;* ei Psalmo præfigatur: *Quia*, inquit, *ipse Christus finis est spei nostra, ad ipsum studia nostra dirigimus, ad ipsum vota nostra conferimus; quia ipse est plenitudo, ipse consummatio universorum, ipse omnium Summa virtutum.* Idem ad gloriam Matris Dei repetamus & nos; siquidem in finem, in Virginem etiam Deiparam Psalmus ille contexitur, quia ipsa Virgo verè finis est spei nostræ; ad ipsam studia nostra dirigimus, ad ipsam vota nostra conferimus; quia post Filium est plenitudo, ipsa consummatio universorum, ipsa omnium Summa virtutum.

Christus finis spei nostræ.

M. finis spei nostræ.

91. Vnde quemadmodum Dei Filius universo Orbi fuit desiderabilis, adeò, ut de eo Mater dixerit in persona Sponsæ: *Totus desiderabilis.* Cant. 5. seù ut legit Theodoretus: *Totus desiderium.* Hieronymus: *Totus concupiscentia:* Hebræus: *Totus desideria:* sic Mater ejus dignissima ob carnis, naturæque unitatem, morumque similitudinem, tota desiderabilis, tota sanctè concupiscibilis, atque appetibilis, quin imò ipsa concupiscentia atque humani generis desideria nuncupari potest. Cùm enim Christum cunctæ gentes desiderarent (cũ fuerit ille desiderat' cunctis gentib', quibus revelata fuit Verbi Incarnatio) consequenter sanè desiderata, atque ardentissimis affectibus expetita fuerit ejus Virgo Parens, præsertim verò à Populi Israëlitici Patriarchis, ac Prophetis, necesse est. Vnde Candinalis Ioannes Halgrinus verba illa Canticorum expendens: *Qua est ista, qua progreditur quasi Aurora consurgens, &c.* Hanc Auroram ait B. Virginem esse à Patribus antiquis in tenebris, & umbra mortis sedentibus, ardentissimis desiderijs in persona Iacob cum Angelo colluctantis exoptatam. *Vtramq; generationem*, inquit Halgrinus, *Christi, & Beata Virginis uno verbo conclusit Dominus, dum per Auroram significauit Beatam Virginem, qua de tenebris Synagoga exorta, Christum peperit verum Solem. Hac est Aurora illa de qua Angelus ad Iacob: Dimitte me, iam enim ascendit Aurora.* Gen. 23. v. 26. *Per Iacob siquidem luctantem cum Angelo, Sancti Patres designantur, qui luctantes cum Domino precibus, & lachrymis extorquere, & obtinere à Domino Filij sui, Incarnationem tantâ instantiâ, velut victoriâ quâdam nitebantur. Sed eorum catui respondetur a Domino: Dimmitte me, iam enim ascendit Aurora; Ac si diceret: cesset iam instantia vestri luctaminis, quia iam ascendit Aurora, iam lux nascitur, videlicet B. Virgo, qua vobis verum Solem paritura est.* Ac proinde quemadmodum desiderabilis Sol est (dulce enim est oculis videre Solem, ait Sapiens) sic & ejus Mater Aurora pulcherrima.

Christus & Maria toti desiderabiles.

M. tota sanctè cõcupiscibilis, atque appetibilis.

B. V. Aurora, quã veteres Patres in tenebris umbræ mortis sedentes desiderabãt.

M. summoopere desiderabant antiqui Patres.

92. Desiderabilis videbatur etiam Virgo Maria Regio Psalti, quando eam sub Bethleemiticæ cisternæ typo, ejusdẽ aquis sitim ardentem, sedare cupiens, exclamavit: *O si quis mihi daret potum aqua de cisterna, qua est in Bethleem iuxta portam!* 2. Reg. 23. Vnde ut ostenderet se, non cisternæ illius materialis, sed hujus Virgineæ aquam salientem in vitam æternam appetivisse, allatam aquam noluit bibere, *sed libauit eam Domino*, ut ait Spiritus S. n. 16. Quâ de re præclarè more suo Divus Ambrosius Apol. 1. de David c. 7. *Quod si*, inquiens, *altius velis spectare, & introspicere Mysterium, sitiebat David, non aquam de lacu, qui est in Bethleem, sed oriundum de Virgine Christum, Spiritu prævidebat. Volebat ergo bibere non aquam fluminis, sed potum gratia spiritualis, ostendens illum se sitire fontem aternum, non qui periculis quareretur alienis, sed qui pericula aliena depelleret.* Clariùs hoc Mysterium ad Divam Virginem applicuit Sophronius Patriarcha Constantinopolitanus orat. 1. de Nativit. Domini. *David*, inquiens, *cùm aliquando coërceretur spiritual i siti, arens, ardensq; salutarem aquam, ex cisterna, qua erat in Bethleem bibere desiderabat: aqua autem quam mysticè ille expetebat, & viua erat, & omnes qui ex ea bibebant Divinâ virtute viuos efficiebat. Cisterna sanctissimam Virginem designabat, qua & uterum gestura, & DEVM paritura erat.* Quis igitur cùm audit Davidẽ aquas Bethleemiticę cisternæ anhelantem, non intelligat Virginẽ, illam, inquam, cisternam, quâ Fons aquæ salientis in vitam æternam continebatur, fuisse ab illo appetitam, ac desidera-

M. à Davide desiderata sub symbolo cisternæ Bethleem.

M. Cisterna Bethleemitica, ipsius Aqua Christus.

deratam, ac proinde Bonum quoddam singulariter appetendum atque concupiscendum Deiparam esse. Cùm igitur gloriosissima Virgo Deipara finis sit, quo allectus universorum Conditor Deus, pulcherrimam hanc Mundi totius molem architectatus est; & finis semper boni habeat rationem, utpotè qui bonitate suâ allicit voluntatem ad amorem, sequitur profectò jure merito optimam hanc Dei ter Optimi, terque Maximi Matrem, ingens quodam atque immensum totius humani generis esse Bonum, cùm Deus ipse, qui summum, æternumque Bonum est, eandem appetere non fuerit dedignatus.

93. Virgineæ hujus Bonitatis undequaque sese diffundentis, præclarissimum suprà citatus Cardinal. Halgrinus, suis super Cantica commentarijs celebravit, sive testimonium, sive elogium. Cùm enim introduxisset cum Filio dilectissimo loquentē Matrem Cant 1. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne incipiam vagari post greges, &c.* dixissetque Deiparam sciscitatam fuisse ex Filio, quinam sint ejus electi, quos pascit pane vitæ, & intellectûs, & potat aquâ Sapientiæ salutaris, in quorum mentibus cubat, & requiescit, quo eisdem electis Maternæ solicitudinem custodiæ possit impendere, ne vagari cogatur post greges, qui ad ejus ovile minimè spectant, cùm, inquam, hæc loquentem introduxisset Virginem, introducit tandem Matri respondentem Filium: Nullo modo Bonitatem ejus adeò profusam, ad solos duntaxat arctari, oportere bonos, ac justos, verùm ad omnes etiam peccatores extendi. Proinde verba illa Sponsi: *Si ignoras te, ò pulcherrima mulierum*; legenda: *An ignoras*; ostendendo quæstionem illam, locum in Deipara non habere, eò quod Mater sit, non modò ijs, qui sunt in grege, verùm etiam ijs, qui de grege non sunt, eandemque etiam præcisis à vite palmitibus prodesse valere, ac debere; neque solùm justis conservare gratiam, sed & reis veniam promereri. Quare verba illa: *An ignoras te*; proferenda cum pondere, seu emphasi docet idem Halgrinus, perinde, ac si dicat Sponsus; *An ignoras te, quod sis Stella Maris, quæ non solùm benè merentes dirigis, sed etiam errantes, ac devios reducis ad portum salutis. An ignoras te, quod sis Mediatrix DEI, & hominum, ut peccatores discordantes à Filio tuo, reducas ad concordiam? an ignoras, quod propter pulchritudinem tuam sit vox tua dulcis, & mihi desiderabilis, & preces tuæ validæ? Quare sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & ideò quidem dulcis, quia facies tua est decora.* His igitur auditis, subnectit Cardinal. *ac intellectis pleniùs, Mater ex paucis verbis Filij multa colligens, ac intelligens, quod non tantùm justis, sed peccatoribus, non ovibus quæ sunt in ovili, sed etiam errantibus suam debeat operam, statim pro eis preces assumit, ad Filium, dicens: Egredere & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum: Quasi dicat; Docuisti me Fili, iam tandem non ignoro me Stellam Maris, & erroneanum ovium Reconciliatricem, & quia in hoc à te sum edocta, supplico tibi Fili charissime, egredere de claustris seueritatis ad latitudinem misericordiæ, & abi post vestigia gregum, ut oues fugitiuas & erroneas in humeris tuis, ad ouile reportes, aZimisq; sinceritatis & veritatis pascas peccatores, qui sunt hædi, & immundicia filij, per culpam, sed tamen tui sunt per naturam.* Porrò ut Deipara Bonitatis suæ majorem adhuc in humanum genus ostendat effusionem, rogat Filium pro impijs etiam Hæreticorum gregibus, quos per hædos intelligit, qui sunt juxta tabernacula Sanctorum Pastorum; *Quia licet eos*, ait Halgrinus, *impediat falsitatis mixtura, ne sint in tabernaculis Ecclesiæ, tamen non omninò longè sunt à tabernaculis, quia retinent aliquid de Doctrinâ Veritatis.* Hæc ferè Halgrinus.

94. Quæ cùm ita se habebant, intelligere possumus sat perspicuè, quo amore, cultu, ac veneratione tanta Mater digna sit, quæ tot, tantorumque bonorum nobis perennis quidam fons atq; origo extitit. Si enim Bonum naturâ suâ amabile, atque appetibile est, hæc profectò summi illius, æternique Boni Mater, summo, æternoque amore, honore, ac laudibus erat dignissima; cùm præsertim Bonum illud, quo à Deo tam liberaliter locupletata fuit, non sibi soli reservârit, verùm ad instar fontis illius Paradisiaci terram universam liberalissimè, ac copiosissimè irrigavit. Ad condignos honores porrò, laudesque tantæ, tamque beneficæ Matris celebrandas, ob tot, tamque innumera beneficentiæ ipsius in humanum genus monimenta, nullius creaturæ, ne quidem Angelicæ, & ex supremo Seraphinorum Choro evocatæ lingua potest esse sufficiens.

Intelle-

M. bonitatem suam pietatéq; exhibet non donis solùm, sed & peccatoribus.

M. Bonitas extendit se ad omnes etiam peccatores.

M. hædi, id est, peccatores pascendi, & gubernandi cõmissi.

B.V. Stella maris, quæ errantes, ac devios ad portum salutis reducit.

M. preces ad Filium pro peccatoribus reducendis.

B.V. amanda, ac colenda, ob suam bonitatem.

95. Intellexit tantæ Matris dignitatē S. Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 39. cùm apud se infinitam bonorum omnium hujus Virginis sanctissimæ, atque optimæ profusionem meditans, in illa erupit verba: *Quæ lingua tam vocalis, quæ pro eius dignitate hymnos personet? siquidem per eam bonis magnis affecti sumus, quo laudum flore debitam illi plectemus coronam? Ex ipsa enim Flos Iesse germinavit, genusq; nostrum gloriâ, & honore coronauit. Quæ digna satis in eam munera conferemus, cùm infra eius dignitatem sunt mundana omnia? Nam si de alijs Sanctis Paulus asserit; quibus dignus erat Mundus; quid dicemus de DEIpara, quæ tanto super omnes resplenduit Martyres, quantò Stellas præfulgurat Sol?*

M. laudes ineffabiles, ob eis bonitatē.

Infra B.V. dignitatē Mundus est, & Mūdana omnia; unde ei dignus Mundus non fuit.

96. Claudo cum eodem Sancto Antistite orationem, omnes ad mutuam benevolentiam, ac beneficentiam, tantæ tamq; amantis, beneficęq; Matris exēplo cohortando, quæ cum bonis omnibus Divinitus fuerit locupletata, eadem ipsa toti humano generi liberalissimè, hominum amore inflammata, profudit.

Sed verba S. Antistitis audiamus, qui cùm ad finem orationis illius dixisset: *Cum multa nobis bona, quæ nullius oratio possit assequi, Deipara operâ nobis contingant, eam benè merenti vicem rependamus, quæ in nos reciprocetur;* subjunxit tandem exquirendo quam vicem ei rependere debeamus? sibique respondit: *Charitatem mutuam, quæ legis est plenitudo.*

B.V. Bonitas nos mutuam reddere Charitatē docet.

S. Bonaventura quoque Psal. 33. nos ad eandem æmulandam Charitatem, Bonitatem, reliquasque Virginis virtutes invitat: *Sumite exemplum conversationis, eiusq; æmulamini studia charitatis & humilitatis illius.* Verissimè enim Sanctus pronunciavit Augustinus ser. de Nativ. B. V. *Hæc Virgo mox, ut in Mundum per generationis humanæ lineam venit, omnis boni virtute perfectè resplenduit. DEVS enim,* ut ait Divus Bernard. *omnium bonorum plenitudinem posuit in Maria, ut si quid salutis, si quid spei in nobis est, per eam noverimus redundare.*

Charitas B. V. imitanda.

97. Vt verò adhuc gratiores optimæ, ac sanctissimæ huic Virgini evadamus, ejusque tam effusæ Bonitatis gratiarum rivuli in nos assiduè, secundèque fluant, Charitati castitatē, & cordis, animique puritatem, reliquaque ejusdem virtutum decora, Divinissimamque illam, atque absolutissimam interioris hominis perfectionem, atque ipsius vitæ sanctissimę imitationem, unà cum grata, jugique ejusdem DEI Matris memoria sociemus. Sic enim omninò futurum est, ut nunquam ejusdem Bonitatis, ac beneficentiæ in nos largissimus fons exarescat, imò verò majùs in dies singulos assumet incrementum, & instar uberrimi illius Fluvij, impetu suo, ac redundantiâ DEI Civitatem lætificantis, perenniter undequaque exuberabit. Sapientissimè enim à Divo Ioanne Damasceno Orat. 2. de dormitu DEIparæ, dictum est; Gratiam vel solius ipsius sacratissimi sepulchri perennem esse, nec ei quicquam detrahi posse: Vimque Divinam locis minimè circumscribi, nec Matris DEI beneficia in solo monumento commorari. *Nam si solo,* inquit ille, *sepulchro definirentur, perpauci omnino dono huiusmodi fruerentur. At qui illud ipsum in omnes omninò Orbis fines sese diffundit.* Tandem ad submovendos omnes Divinæ gratiæ obices qui potissimum, vitia, morumque dissimilitudo esse consueverunt, hæc attexit: *Proinde curemus, ut mentem, memoriamq; nostram Genitricis DEI promptuarium efficiamus. Quonam autem modo id assequemur? Et Virgo ipsa est, & Virginum amans: pura est, & purorum amans; quo circa si & corporis, & animi castitatem colamus, ipsius gratiam adipiscemur. Lutum siquidem illa omne fugit, cœnosasq; affectiones auersatur: Ingluviem execratur, fœdissimæ fornicationis vitijs infesta est; eiusdemq; impuras, sceleratasq; cogitationes, non secus, ac viperarum fœtus abhorret. Sermones fœdos, scurrilesq;, nec non cantus, ac meretricia unguenta detestatur. Iræ tumorem odit: inhumanitatem, ac invidiam, simultatesq; minimè admittit: Inanem gloriam vanis laboribus sese frangentem respuit; superbiæ, fastui, animo planè hostili resistit. Iniuriarum memoriam, tanquam salutis hostem odio prosequitur. Vitium deniq; omne, velut lethale venenum execratur. His verò contrarijs omninò delectatur. (contraria enim contrariorum medicamenta sunt) Ieiunio, ac Parsimoniâ, Psalmorumq; cantu gaudet. Cum puritate, Virginitate, ac pudicitiâ pulchrè illi conuenit, sempiternamq; cum illis pacem colit, illas ipsas humanè, ac comiter exosculatur. Pacem, animiq; lenitatem complectitur; charitatem, misericordiam, atq; humilitatem, tanquam alumnas suas ulnis, amplexuq; fouet. Atq; ut rem breviter perstringam, vitio quolibet offenditur, ac discruciatur, quâlibet autem virtute, ut notâ suâ peculiari, lætatur, tripudiat. Quare si vitia prompto, alacriq;*

Quid agēdum imitatori B.V.

Gratia Sepulchri B. Virgin. est perennis.

M. beneficia nullis locis circumscribuntur.

Curandū ut mens & memoria nostra B. V. promptuarium efficiatur.

M. vitia detestatur maximè fornicationis.

Cogitationes, ac sermones turpes, tāquam viperarum fœtus abhorret.

B.V. Superbiæ alijsq; vitijs animo planè hostili resistit.

B.V. omne vitiū, ceù lethale venenum execratur.

Virtutes quas B.V. amet?

alacriq; animo enitemur, si virtutes omni studio, amoreq; complectamur, easq; socias habeamus, frequens ipsa ad famulos suos veniet, secumq; bonorum omnium agmen trahet, (utpotè summi Boni Mater) Christumq; Filium suum, omninmq; Regem, ac Dominum in cordibus nostris habitantem assumet. Hæc S. Damascenus luculenter, ac verissimè.

M. amat in nobis suorum morum similitudinem.


Quæ sanè hujusmodi sunt, ut ea si quis rectâ rationis expendat trutinâ, aptissima sint ad animos nostros, ad peculiarem, ac ferventissimam Virginis hujus optimæ, omnium bonorum Matris, ejusdemque absolutissimæ perfectionis imitationem, syncerum cultum, ac venerationem permovendos. Verissimè enim pronunciavit Philosophus: Similitudo Mater est amoris, & amor vicissim similitudinis. Hinc Poëta ille:

Scilicet ingenijs aliqua est concordia junctis,
Et seruat studij fœdera, quisq; sui:
Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem;
Rectorem dubia nauta puppis amat.

Vnde sicut nemo sanæ mentis est, qui nón cupiat amari à Virgine; sic nemo reperiri debet qui ejus vitæ sanctimoniam, perfectionemque pro modulo suo non æmuletur. Quam sanè si, uti par est, imitati & dignè, pièque fuerimus venerati, Bonitatem ejus effusissimam, largâ ipsius gratiarum communicatione, mihi credite, experiemur, adeò, ut quivis ejus clientulus animitus dicere possit cum Sapiente, uti suprà memoravimus: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Sap. 7: 11.

MEDITATIO XVII.

I.



Onsidera anima mea infinitam quandam Deiparę Virginis Bonitatem esse, quod summum illud, immensumq; Bonum, Filium nempè Dei utero suo Virgineo, obumbrante eam Spiritu illo Divinissimo, qui ipsissima est Bonitas, circumdederit. Vnde nihil mirandum. si in ipsam Divinę Bonitatis naturam Virginem transiisse quodammodo videam.

O Virgo sanctissima, quid homo apud te se inventurum non speret, quæ Fontem totius Boni in te complexa es? Verè Fons es hortorum, Puteus aquarum viventium illarum, nempè Filij, & Spiritus Sancti, quæ de cælorum Libano ad generis humani irrigandam sterilitatem, ingenti amoris impetu, in te defluxerunt. O si cor meum, ò si animam meam, quæ est velut terra sine aqua tibi, hiscé tuis copiosis gratiarum aquis irriges, ut virtutum flores, bonorumque operum fructûs germinare valeat!

Effunde, effunde Domina pijssima aquas copiosissimas pietatis tuæ in me, omnesque te benedicentes, tibique devotos, ut tuæ tam eximiæ pietatis odore illecti currant post te, gratiâque tuâ copiosè infundantur. Verè enim, *ò Domina, Odor tuus,* ut tuus devotus Bonaventura loquitur in Cant. trium Puer. *Odor,* inquam, *tuus, sicut agri pleni, cui benedixit Dominus, qui in benedicentes te redundat, irrigans omnia intima eorum. Verè misericordia tua Domina rigat Vniversum.*

2. Considera Bonitatem hanc Deiparæ ad imitationem illius Divinæ, esse diffusivam, atque communicativam, ita, ut bona illa sibi Divinitus communicata, copiosissimè, plenisque manibus, ore, oculisque communicet mortalibus universis. Quod tibi retribuemus Mater Dei altissimi, pro tam larga, insigni, & undequaque toto terrarum Orbe diffusa in nos bonitate, ac pietate? Laudent te, laudent creaturæ omnes, visibiles simul, & invisibiles. Laudent te cœlum & terra, & universa, quæ eorum ambitu continentur. O si affectu illo ardentissimo tui Seraphini Bonaventuræ, tibi devotissimi exclamare possem: *Honorificate illam cœli, & terra, quia summus Artifex hanc mirabiliter coronavit: Date illi omnes creaturæ laudem, & stupendam eius misericordiam extollite gratulaneer.* Psal. 75. *Populi gentium exquirite prudentiam eius, & investigate thesauros misericordiæ illius. Sentite de illa in bonitate, & simplicitate cordis exquirite illam.* Psal. 84.

O si tuæ hujus effusissimæ Bonitatis, beneficiorumque tuorum in me indignissimum collatorum, quibus me tibi tantopere, ab ineunte ætate in omni vita obstrinxisti memor, canere possem, cum eodem tuo Seraphino gratitudinis ergo: Psal 34. *Anima mea in te lætabitur, & in tuis beneficijs devotus exaltabo. Gratiâ & dulcedine tuâ pleni sunt cœli & terra; undiq; beneficijs tuis irretisti nos semper. Quocunq; enim pergimus occurrit nobis diffusio uteri tui Virginalis.* Quare obsecramus te Virgo sanctissima, ac benignissima, per ipsam hanc benignitatem, effusissi-

fissimamque bonitatem tuam, quâ corda nostra irretisti; per Virgineum illum tuum partum, quo tantum, tamque immensum, infinitumque Bonum mundo communicasti, ut largissimos tuæ bonitatis, ac pietatis fontes in mortalium omnium animos derives, quo largifluis hiscé tuis irrigati fontibus fœcundi, ad bonorum operum reddendos fructus efficiantur. Aperi, aperi largissimas illas manus tuas, ò Domina, ò bonorum DEI Thesauraria, aperi, inquam, & imple omne animal, imple totum mundum tua benedictione. Ecce tibi nos inclinamus, quàm humillimè, ecce tibi nos prosternimus summi æterniq; Boni Mater sanctissima, *quia summo devotionis affectu*, ut tuus loquitur Bernardus serm. de Nativ. *te honorari voluit is, qui totius Boni plenitudinem posuit in te.* Aperi oculos tuos pijssimos, & vide miserias, ac calamitates nostras, quibus undique circumvallamur, eorundemque oculorum luce cordium nostrorum tenebras pelle, eaque splendoribus cœlestibus irradia. Et quia non solùm largissimis illis tuis manibus, benignissimisque tuis oculis, verùmetiam ore tuo sacrosancto tot, tantaque bona in humanum genus, Ecclesiamque universam conferre consuevisti, ut tuus devotus agnovit Gregorius Nyssenus, te corde, animoque demississimo obsecramus, ut Divinum, de more tuo æmulata Verbum, per quod facta sunt omnia, edicas præcipiasque: Fiat lux; quo verus Lucifer Christus IESVS oriatur in cordibus nostris, luceque miserationum suarum perfusos, omnium cœlestium bonorum ubertate nos, tuâ intercessione repleat, ac locupletet, tenerrimumque affectum tui suavissimi Nominis, amoremque instillet, ejusdemque Nominis, quod Illuminatricem sonat, tantâ luce perfundat, ut te post eundem tuum Filium dilectissimum, unicè summâ dilectione complectamur, tuæq; immensæ propemodum Bonitatis effusionem in nobis ipsis assiduè experiamur, teque gratitudinis memores, & hic in hac vita dum versamur, & altera æviternum laudemus. Quare liceat mihi cum tuo Dionysio li. 1. de Præcon. & Digni. B. V. ar. 9. te alloqui: *Verbum mihi ad te, ò incomparabilisq; DEI formisq; MARIA. Effundam instar aquæ cor meum ante conspectum tuum, Domina; laudabo, & exaltabo te amabilis, & decora Puella; confitebor Nomini tuo pudicissima Turtur, Columba castissima. Lætabor, & exultabo in te singularis, & celeberrima DEI Sponsa. Mirabor, & contemplabor te honestissima MARIA. Diligibilis mihi es, semperq; desiderabilis es ò MARIA, quia Bonitate plena es; cuius ab initio vitæ, ope destitutus non sum, quæ adolescentulo adhuc, & inter bonum malumq; nondum discernere valenti Nominis tui contulisti affectum. Amabilis enim es, ò Domina, quam DEUS dilexit, cuius speciem concupivit. In qua aliud prorsus quàm benignitatem, atque dulcedinem, quàm misericordiam, & mititatem, quam charitatem, atq; honestatem invenire nequeo. quæ tota pulchra es, nec mentis, nec carnis maculam habens, decus mulierum, & gloria, hominum honor, atq; lætitia, spes nostra, & Advocata, quæ Angelicas mentes puritate superas, quæ super cœlestes illos, simplicesq; spiritus sanctitate præcellis, miserorum miseratrix præcipua, amatrix ardentissima.* Ama nos igitur amore, ut tuus loquitur Damianus, invincibili, qui nullis nostris peccatis, aut sceleribus expugnari possit, nosque ita amando, ineffabilem tuam bonitatem, largâ gratiarum tuarum diffusione, communica; ut tibi dicere unusquisque clientulorum tuorum jure possit, cùm tuo Seraphino Psalm. 118. Bonitatem fecisti cum servo tuo Domina secundum verbum tuum,

AMEN.

AVE MARIA.



DISCVR-



DISCVRSVS XVIII.

In DEIPARA Virgine Bonum Honestum Vtile, Delectabile reperiri.

Imago Bonitatis illius. Sap. 7.

1.



Summa DEI Bonitas sua vi omnes allicere deberet

TAnta est DEIparæ Virginis cum DEO similitudo, ac conformitas, ut quemadmodum in eo omnis boni ratio, tã honesti, quàm utilis, & delectabilis reperitur; ita sanè & in Virgine, quæ ipsius Divinæ Bonitatis pulcherrima atque expressissima est Imago; ut mirum prorsus videatur, quinam fiat, quod mortales omnes hujusmodi bonorum alias appetentes; DEI, Deiparæque castissimis amoris flammis non exardescant. Quare doctissimus simul, ac pijssimus Vir Ioannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, petitionem illam ardentissimam trutinans Sponsæ: *Osculetur me osculo oris sui*, jure miratur, cur nomen Sponsi non expresserit; totumque amori Sponsæ adscribit ardentissimo, utpote quæ vehementissimis charitatis ita æstuaret incendijs, ut existimaret consequenter omnes homines eisdem charitatis flammis exarsisse: Vide raptam, inquit ille, vide exultantem extra se Sponsam. Ipsa petit Osculum, nec explicit cujus. Cur ita? Reputat enim illud omnes intelligere, quod solùm cogitat, quod unicum desiderat, quod totum cor occupat, sicut illa philocapta de Domino: Si tu sustulisti eũ, inquit, dicito mihi. Hæc Gersõ.

Amor B. V. erga Sponsum quam ardens?

Religiosissimus quoque Cardin. Robertus, Bellar. in Psal. 114. Verbum; Dilexi; attentius considerans: *Anima ardens*, inquit, *desiderio Domini, absolutè dicit: Dilexi, & non explicat quem; quoniam existimat omnes alios similiter amare rem unde cunq; amabilem, ac proinde scire, quem dicere velit;* Quod B. Mariæ Magdalenæ supra jam memorato declarat exemplo, quæ nomen Dilecti subticuit; *Quia putabat*, inquit, *omnes amare quem ipsa amabat, & solicitos de illo esse, de quo ipsa solicita erat. Et verè cum omnia bonum appetant, & in solo DEO sit omnis ratio boni, & absit ab eo omnis ratio mali, quia, ut ait B. Ioannes, DEVS lux est, & tenebræ in eo non sunt ulla; deberent homines solum DEVM absolutè amare; & cum audiunt Dilexi, intelligere deberent dilectionem summi Boni significari.* Hæc Bellar. cujus doctrina ad Virginis Sacratissimæ castos amores, (cum in ea omnis boni ratio, post DEVM reperiatur.) jure meritissimo aptari potest; siquidem ipsa de personâ suâ apertè prædicat, ac in Domino gloriatur; In se omnem gratiam, seu bona hujuscé vitæ, seu peregrinationis, in se omnem gratiam veræ, ac æternæ vitæ, atque adeò bona cœlestis patriæ, virtutumque omnium reperiri: *In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis,* Eccl. 24.

B.V. semper de DEO quem amabat cogitavit.

DEVS semper cogitandus & amandus ut is, in quo est omnis ratio boni.

2. Et ne suorum bonorum tenax admodum, ac parca videatur, prosequitur declaratque liberalem munificumque suum in mortales omnes genium: *Transite*, inquiens, *ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Vnde Seraphicus Doctor Bonaventura in DEI Matre plurimas boni rationes inveniens, easque integro Psalmo enarrans, ejus casto amore succensum se esse statim initio Psalmi 114. profitetur; *Dilexi*, inquiens, *Matrem DEI Domini mei, & lux miserationum eius infulsit mihi. Circumdederunt me dolores mortis, & visitatio MARIÆ lætificavit me. Dolorem, & periculum incurri, & recreatus sum gratiâ ipsius. Nomen eius, & memoriale illius sit in medio cordis nostri, &*

Maria diligenda in qua post DEVM omnis ratio boni est reposita.

stri, & non nocebit nobis ictus malignantis. Convertere anima mea, in laudem ipsius, & inveniet refrigerium in novissimis tuis. Quæ bona omnia, aliaque innumera, per manus sacratissimas hujus Virginis purissimæ à Deo ter optimo Maximo mortalibus communicari cognoscens S. Bernardus, suos ad ejusdem peculiarem cultum, amorem, ac reverentiam hortabatur: ser. de Aquæ ductu. *Totis*, inquiens, *medullis cordium, totis præcordiorum affectibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui nos totum habere voluit per MARIAM.* S. Irenæus denique lib. 3. cont. Hær. c. 38. ait, eam universo generi humano causam salutis, (ò quanti, ò quam eximij, quam honesti, quam utilis, quam delectabilis boni) *factam esse*; ut proinde jure merito dicere possimus triplex hoc bonum in Deipara perfectissimum reperiri; cum præsertim Angelicus Doctor sapientissimè docuerit in 1. D. cit. q. 5. ar. 6. *Bonum non solũ humanum, sed absolutè, cum sit appetitivi motus terminus, diuidi in Honestum, Vtile, Delectabile*; ac proinde, cum Deipara à S. Gregorio Nazian: *humani generis Bonum*; à sapientissimo Idiota; *Omne bonum* appelletur, consequitur sanè eam Bonum Honestum, Vtile, ac Delectabile, toti mundo semper extitisse.

B. V. toti mũdo causa salutis extitit.

3. Hanc ob causam crediderim eam *Fontem Hortorum puteum aquarum viventium, qua fluunt impetu de Libano* à Sponso fuisse vocitatam Cant. 4. Hinc Hugo de S. Vict. To. 1. cap. 51. in Psalmos docet fontium nomine summum Bonum, idque maximè desiderabile significari. Quod innuit David Psalm. 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Summum autem Bonum*, inquit ille, *ideò plurali numero Fontium exprimitur, quia licet in se unum sit, omnium tamen origo bonorum in ipso continetur. Vivus Fons, quia vivificat; vivus Fons, quia indeficiens perseverat.* Quemadmodum igitur Devs ter Opt. Max. ut ostendatur summum Bonum, per fontes, per aquas, quæ sese longè lateque diffundunt, omnibusque communicant repræsentatur: Sic proportione quadam Sponsus Virginem Beatissimam ipsius summi Boni Parentem dignissimã, Fontem hortorum, puteum aquarum viventium ideo prædicavit, ut eam post Devm summum nostrum Bonum, ac fontem boni Honesti, fontem boni Vtilis, fontem denique boni Delectabilis esse ostenderet. Vnde Psalmista Seraphicus Psal. 41. Virginem horum bonorum Fontem agnoscens, fontibus aquarum, quemadmodum Hugo Victorinus Devm ipsum, eam contulit, quos quantoperè desiderarit, ac sitierit, ita illi concinendo, ad ipsamque anhelando, amoris abreptus æstu, patefecit: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita ad amorem tuum anhelat anima mea. Quia tu es Genitrix vitæ meæ, & altrix reperatoris mei. Quia tu es lactatrix Salvatoris animæ meæ, initium, & finis totius salutis meæ. Accendatur amore tuo tepor meus.*

Summum Bonum, quia omne bonũ continet, Fontium nomine appellatur.

B. V. fontibus aquarum collata, quia fontes bonorum omnium repræsentat.

4. Bonum honestum verè est pudicissima hæc, atque honestissima Virgo.

Si enim in sententia M. Tullij, Honestas idẽ est, quod virtus; Et D. August: teste lib. 22. de Civ. c. 19. est ipsa pulchritudo intelligibilis, quæ, ut alibi diximus, ex opinione Stoicorum, & Socratis, in sapientiâ; ex opinione Platonis, in Prudentiâ & temperantiâ; ex aliorum denique sensu, consistit in motum quadam eleganti compositione, atque aptitudine, quæ in humanâ conversatione affabilitate, negotiorumque tractandorum dexteritate elucescit. Si denique honestas nil est aliud, ut vult D. Tho. 22. q. 145. ar. 2. quam, *spiritualis decor*. Quem articulo tertio explicans: *Honestum dicitur*, inquit, *secundum quod aliquid habet quandam excellentiam, honore dignam, propter spiritualem pulchritudinem*, quæ D. Aug. teste Epist. 85. ad Consentium in virtute consistit; *Quid aliud est*, inquit, *justitia in nobis, vel qualibet virtus, quâ rectè, sapienterq́; vivitur, quam interioris hominis pulchritudo?* Si, inquam, in his Honestas consistit, quæ unquam Creatura à primis mundi incunabulis, ad hæc usque tempora, adeò perfecta, adeo numeris omnibus absoluta, in hac spirituali animi pulchritudine, ac decore, in hac intelligibili venustate, in sapientiâ, prudentiâ, temperantiâ, in moribus denique, in vitæ actionibus omnibus extitit, quam Virgo Deipara?

Quid sit bonũ Honestum?

Honestas est ipsa Pulchritudo Intelligibilis.

Honestas est spiritualis pulchritudo.

Honestas in virtute consistit.

Virtus quælibet est interioris hominis pulchritudo.

5. Hanc Honestatis pulchritudinem demiratus S. Hieronymus libro Original. dum illam à creaturarum nulla repræsentari posse adverteret, exclamavit: *Quid dicemus de te ò Virgo serenissima, pulcherrima inter omnes mulieres? Si solem te dixerimus, splendidior es. Si rosam, floridior es. Si lilium, candidior es; si cinnamomum, si balsamum, si omnes species aromatis, odore tuo pra-*

Mariæ pulchritudini nulla Creatura comparabilis.

præcellis, quia priuilegia scilicet dignitatis tibi à DEO concessa, non solum hominibus, sed etiam Angelis admiranda sunt.

Idem sanctus Doctor ser. de Assumpt. ait omnes Cœlites circumdedisse Virginem, ejusque virtutum admiratos venustatem, utpote quæ erat *speciosa illa Columba ascendens desuper riuos aquarum, cuius inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis; quam sicut dies verni circumdabant flores rosarum & lilia conuallium: Nunc verè circumdant eam flores rosarum*, inquit, *indesinenter eius admirantes pulchritudinem inter filias Hierusalem, in qua posuit Rex thronum suum, quia concupiuit eius speciem & decorem: Fuit enim plena charitate, & dilectione, iccirco sequitur post eam purpuratorum exercitus, & candidatorum grex. Quam si diligentius aspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris, gloriaq; quod ex ea non resplendeat. Et ideo bene circumdant eam flores rosarum, & lilia conuallium, ut virtutes virtutibus fulciantur, & formositas decore castitatis augeatur. Nam omnis splendor, & gloria quanto illustratur fulgore suo sublimius, tanto apparet præstantior claritate quorumlibet subiectorum, & eximior prædicatur. Sic & B. DEI Genitrix, cuius plantatio est velut rosa in Hiericho specialius refulsit; & candor Virginitatis splendidius emicuit, cum circumdata officio charitatis submittitur illi sanctorum claritas, ut eius amplius splendor, & gloria commendetur, quæ super Angelorum choros elevata iam beata prædicatur & beatissima.*

Omnis virtutis pulchritudo resplēdet in Maria.

Hæc Hieron. de Virgineæ virtutis, ac Honestatis claritate, qua reliquorum sanctorum splendorem pene obfuscare visa est.

6. Eamdem Honestatem hanc demiratus D. Ambr. lib. 2. de Virgin. exclamavit attonitus: *Quanta in una Virgine species virtutum emicant? secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obsequium. Quid exequar ciborum parsimoniam, officiorũ redundantiam: alterum ultra naturam superfuisse? alterum pene ipsi naturæ defuisse. Illic nulla intermissa tempora, hic congeminati ieiunio dies. Et si quando reficiendi successit voluntas, cibus plerumq; obuius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit. Et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat. De cæteris eius virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum, corde humilis, verbis grauis, animo prudens; loquendi parcior, legendi studiosior, intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed DEUM quærere.* Hæc & plura alia Ambr. quæ ubi recensuisset, insignem hanc morum honestatem, animique pulchritudinem tantam fuisse ait, ut in ipso corpore, ac vultu Virginis, velut speculo emicuerit. *Nihil torvum*, inquiens, *in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum; non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species, simulachrum fuerit mentis, figura probitatis.* Hanc tam insignem morum honestatem, modestiamque Virginis toto ore oculisq; spirantem Iacobus Bidermannus noster veneratus, ita li. 1. Epig. 49. cecinit:

Virtutum varietas in B.V.

In B.V. dū quiesceba Corpus, vigilabat animus.

Pingeret ipsa suos si iussa Modestia vultus,
Virginis hæc nostræ pingeret ora sibi.
Hinc puto Cœlicolis est tanta Modestia, possunt
Illam de vultu discere Virgo tuo.

B.V. adeo honesta, ac modesta, ut ipsa Modestia videretur.

7. Hiscé similes commemorat virtutes, miram honestatem morumque compositionem spirantes S. Ioan. Damasc. orat. de Nativ. Virg. sanè elegantissimè, dum Virgunculam recens natã, sic alloquitur, ejusque sensus omnes, ac membra sanctificata miratur! *Cupiditatem omnem*, inquiens, *ad id solum quod expetendum, & amandum est, intentam habes: iram verò adversus peccatum duntaxat illiusq; parentem. Appetitus tuus in hoc situs est, ut divinis sermonibus nutriaris, his sagineris. Sanctam omnem, & cum animæ utilitate coniunctam cogitationem habes; contra verò supervacaneam, & animo exitiosam antequam gustes, eiicis. Oculi semper ad Dominum, perenne & inaccessum lumen intuentes, aures divinum sermonem audiunt, ac spiritus cithara oblectantur, per quos Verbum carnem assumpturum ingressum; nares unguentorum sponsi odore deliniuntur. Porrò labia tibi sunt Dominum laudantia, ipsiusq; labris adhærentia; lingua, & fauces, DEI verba discernentes: cor purum, ac labis expers: venter in quo habitavit is, qui nullo loco capitur; lactis ubera, quæ puerum IESUM aluerunt: manus DEUM gestantes; genua thronus Cherubinis sublimior, pedes DEI lege, tanquam lucerna deducti; tota deniq; spiritus thalamus es, gratiarum pelagus.*

In B. V. sensus omnes, ac membra sanctificata.

In B. V. omnes passiones domitæ atq; ordinatæ.

B. V. gratiarum Pelagus.

8. Ob hujusmodi virtutes pulcherrimas, quæ in Deiparæ vita refulserunt, affectuumque omnium tam in mirificam consonantiam, crediderim Ioañem Gersonem, Cancellarem Parisien. serm. de

Conc.

Concept. B. V. dixisse à virtutibus ipsis quodammodo efformatam fuisse Virginem: *Virtutes fecerunt, atq; formârunt*, inquit ille, *corpus & animam Personæ Sanctæ.* Eandem ob causam existimârim, Virum quendam doctissimum, Virginisque studiosissimum asseruisse, DEI Matrem sanctissimam, habuisse semper ab optimâ Matre naturâ generosum quendam fomitem ad virtutem & quidem naturalem, qui non excesserit humanæ naturæ limites, ita ut virtus, ipsa Virginis natura videretur. Quod authoritate Card. Petri Damiani comprobavit, qui à naturâ ipsa Virgini misericordiam innatam insinuat: *Moueat te natura*, inquiens, *potentia moneat, quia quantò potentior, tantò misericordior esse debebis.* Idem probat auctoritate S. Bonaveut. qui eam, *Fomitem misericordiæ*, compellavit.

M. ab ipsa virtute fuit quasi efformata

M. à natura habuit virtutis fomitem.

9. Honestatem hanc porrò, spiritualemque animi pulchritudinem, quæ semper reluxit in DEIPARA, S. Gregorius Nyssen. Hom. 4. in Cant. ejus cum DEO vicinitati, atque unioni attribuisse videtur. Cùm enim juxta lectionem 70. Interp. verba illa Sponsi explicaret: *Ecce tu pulchra es propinqua mea, ecce tu pulchra es;* dixit, animam quò magis appropinquaret supremæ illi Pulchritudini, eò reddi pulchriorem, proinde paraphrasticè sic Sponsum Sponsæ loquentem intoducit. *A mali quidem societate recedens mihi appropinquasti, appropinquans autem primariæ, & exemplari Pulchritudini, ipsa quoq; pulchra es, velut quoddam speculum conformata meo characteri. Homo enim verè est speculo similis, formas ex suarum liberarum actionum, atq; electionum simulchris desumens. Quoniam ergo anima Verbo unita Solis circulum, & quasi sphœram in se suscipit, simulq; resplendet luce, quæ in ea apparet, propterea illi dicitur; Pulchra facta es, quæ meæ luci appropinquasti, communionem meæ Pulchritudinis, per appropinquationem hanc adipiscens.* Hæc Nyssen. Quid mirum igitur si Fonti totius boni Honesti unita Virgo, tantâ honestatis specie, ac decore refulserit? Quamobrem jure meritissimo S. Ildephonsus Archiepiscopus Tolet. ser. 3. de Assumptione, Virgines DEO sacras ad virtutem, perfectissimamque morum honestatem exhortans DEI Matrem, velut totius virtutis, honestatisque Speculum eis ob oculos proponit; *Quoniam*, inquiens, *Virginitas & Vita B. Mariæ speculum, & species fuit totius castitatis, integritas virtutum, decus pudicitiæ, Magisterium valdè eximium probitatis: in qua rogo videant Virginis, quid vitare, quid corrigere, quid tenere habeant Honestatis.* Eandem ob causam Divus Augustinus Virginem, pulcherrimâ illâ descripsit periphrasi: *Maria est Flos Paradisi, Gloria generis humani, Imago & Speculum puritatis, Exemplum & Regula honestatis.* Hinc S. Gregorius Thaumat. serm. 2. de Annunciatione; *Credentium Firmamentum, Piorum perfectum Exemplum*: S. verò Ambrosius, *Speculum castitatis, virtutum Normam, Magisterium probitatis*; pijssimus verò Idiota; *virtutum Exemplar Deiparam* appellavit. B. denique Ioan. Geom. Hym. 3. ob summam virtutum omnium, quæ in illa relucebant perfectionem, eam in hunc modum salutavit: *Aue Virgineum ex virtutibus ortum, virtutum exemplar viuidum; atq; eximium.*

M. Pulchritudo orta ex summa cum Verbo communicatione.

M. virtutis omnis Speculum

M. Exemplum & Regula honestatis

M. piorũ perfectum Exemplũ.

10. Verùm quid attinet aliorũ de Virginea Honestate testimonia prosequi? Ipsã Virginem Honestatẽ hanc suam deprædicantem, & longè, latèque ad instar pulcherrimæ arboris Terebinthi, vitisque sese toto terrarum Orbe, exempla suæ honestatis præbendo mortalibus, diffundentis audiamus: *Ego quasi Terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris, & gratiæ: Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructûs honoris, & honestatis.* Eccli. 24. Vitis verè similis illi quæ *impleuit terram; operuit montes umbra eius, & arbusta eius cedros DEI, extendit palmites suos usq; ad mare, & usq; ad flumen propagines suas.* Psal. 79.

M. Terebinthus ramos suæ honestatis expandẽs in toto Orbe.

11. Et licet hujus Honestatis suæ, velut Vitis pulcherima Virgo DEIPARA, toto Orbe terrarum ramos extenderit, extendit tamen potissimum in populo Israëlitico, velut typo, & figurâ populum Christianum referente; siquidem illum mirum in modum, honestum, honorandumque, ad ejus de turpi illa Ægyptiacâ, atque Sathanicâ servitute, ac tyramide ereptionem cooperando, velut antiqua illa Maria Soror Moysis, reddidit. Quare nos quoque jure merito illi concinere possumus illud Iudithæ encomiũ: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Quid enim sibi volebat aliud DEUS benignissimus illâ visione admirabili, quâ se in Rubo ardenti visendum Moysi exhibuit, eumque ex Rubo illo liberatorem, servitute oppressi, ac captivati sui populi instituit; quid, inquam,

B.V. populum Israëliticum honestavit

B.V. honorificentia populi Christiani

inquam, innuere volebat nobis aliud, quam, mediante Virgine, DEI, nostriq; amoris flammis accensâ, jugum tam acerbæ, atque ignominiosæ servitutis excussum, libertatem, honestatemque nobis partam esse? *Apparuitq;*, inquit sacer textus Exod. 3. *ei Dominus in flammâ ignis, de medio Rubi: Cui, ait, vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audivi propter duritiam eorum, qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius descendi, ut liberem eum, de manibus Ægyptiorum, veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum Filios Israel, de Ægypto.* Ad quam visionem allusisse visus S. Ioan. Damasc. Orat. 2. de Assumpt. cùm de Moyse loquens: *Per simulachrum quoddam,* inquit, *& umbram Mariæ (nempè rubum ardentem) tantus legislator, & Princeps creatus est.* Atque ita MARIA mediante, velut rubo quodam ardenti, non solum titulo Principis totius Israëlitici populi, ac DEI Pharaonisque nomine honestatus est Moyses, verùm etiam idem populus cum universâ Christianitate, de Sathanicâ tyrannide redemptus, Divinam quandam honestatem sortitus est, populique DEI, nomine decoratus.

Moyses p Rubum, quasi mediãteB.V. Princeps populi Israelitici cõstitutus

Moyses p RubũB.V. typũDeus Pharaonis creat9 est

Quare meritò hanc ob causam fortassis DEUS, Israëlem populum suum esse dixit: *Vidi afflictionem populi mei;* & Moyses Deut. 7. ideò populum peculiarem vocavit: *Te elegit Dominus DEUS tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.* Cujus appellationis causam luculentissimam reddidit Galat. lib. 7. de Arcan. Cat. Verit. cap. 11. ubi: *Tam ingens,* inquit ille, *tamq; immensus fuit ab æterno, DEI in Matrem Messiæ amor, ut propter eam Israeliticum populum sibi peculiarem fecerit, eò quod ex ipso proditura esset. Quod etiam Rabbi Heccados probavit auctoritate, dum ad sextam Antonini Consulis Romani respondit petitionem.*

Israel populus Dei peculiaris

Tandem ad finem capitis reddens rationem, cur populus ille, Electus appellaretur: *Rabbinus,* ait, *concedere oportere, nullam aliam ob causam Israeliticum populum à DEO electum, nisi propter proprietatem occultam, quæ illis insita erat; Hac autem fuit immaculata Mater Messiæ, ex eis processura, quemadmodum idem vetus eorum Doctor Rabbi Heccados asseruit.* Hæc Galat. Ex quibus facilè colligere licet, honestatem omnem, decus, atque dignitatem, illius DEI populi, tam turpi, duraque Tyrannide oppressi, à DEIpara Virgine, velut omnis honestatis fonte dimanasse.

Israël populus electus, ob Matrem Messiæ quæ ex illo erat proditura

12. Quod sanè Magnus ille Constantinus I. Christianitatis Imperator, intellexisse vis9 est. Ædificatâ enim Cõstantinopoli, novâ Româ, nil antiquiùs habuit, quam, ut eam per Episcopos, eò ad Encœnia celeberrima convocatos, quam solennisimè, gloriosissimæ huic cœlorum Reginæ dedicaret; ut testatur Zonnaras lib. 3. Annal. summam honestatem, ac gloriam longè, ac infinitis modis ampliorem urbem illam consecuturam existimans, hoc suo in Virginem obsequio, quam antiquam Romam, de tot nationum, populorumque reportatis triumphis, ac Trophæis.

Constantinopolis à Constantino Imp. Mariæ dedicata.

Hanc ob causam Henricus Secundus Romanorum Imperator se, suumque Imperium summæ cœlorum Imperatrici propensissimâ voluntate subjecit, atq; addixit. Hujus porrò tant9 Virginei honoris, gloriæque propagandæ fuit Zelus, ut mille templa omninò eidem erexerit, ut habetur in Kalend. DEIp. 14. Iulij. Quid Sanctum illum, atque Apostolicum Hungariæ Regem Stephanum commemorem? qui Regnum suum; *Familiam Mariæ;* appellavit; certò sibi persuadens, eo nomine Regnum Hungariæ mirificè honestandum atque decorandum.

Henricus Imper. se, suũq, imperiũB.V. dedicavit.

S. Stephanus Rex Hungariæ Regnum.

Eandem ob causam sine dubio Lusitani incognitum tot sæculis iter illud in Indiam, ipsamque Indiam gloriosissimæ Virgini, quæ velut Stella illius tempestuosi, indomitique Maris ad tutum portum salvos, incolumesque deduxerat, obtulerunt, ac consecrârunt, ut Author est Maffejus lib. 2. Hist.

13. Hinc varij Religiosorum instituti Ordines, ac Familiæ, quæ MARIÆ insignitæ titulo gloriantur. Qualis est Ordo Servorum B. MARIÆ in Italia potissimum florentissimus; qui titulus sanè Regnis, ac Imperijs jure meritissimo anteponendus est. Cùm B. Anselmus sapienter pronunciârit: *Servire Virgini, regnare est, & inter eius mancipia numerari plusquam Regnum.* Hinc P. Cherubinus Maria in Vita B. Philippi Benitij V. Generalis cap. 3. non ad septem Viros illos qui ex Congregatione illa Florentina laudantium B. V. ad serviendum DEI Matri Divinitus fuerant vocati, sed ad ipsam DEIparam Ordinis sui primordia, ac fundamenta transtulit. *Cæterum,* inquit ille, *ut nulli dubium esse debet hos Septem-*

Religiosi Ordines varij titulo Mariano honestati.

Ordo Servitarum à B. V. eo Nomine honestat9

ptemviros, velut septem à Divina Sapientia excisas columnas, ad ædificandã Matris suæ Domum fidelem electos esse: ita eos constat errore lapsos, qui vel istos septem, vel etiam B. Philippum Benitium primarios Conditores esse Ordinis Servorum existimârunt, cùm is honor ipsi DEIparæ Virgini, vel (ut tanta Maiestate dignius, reuerentiusq; loquamur) ipsi Ordini à tantâ Conditrice conveniat. Certè vocationes eorum clarissimè eminent, nil hosce Viros minus cogitasse, quàm de novo, novum aliquem Ordinem moliri: ut proinde Familia nostra, præter ipsam Matrem Christi agnoscere, neq; possit, neq; debeat, confirmantibus hoc ipsum literis Pontificijs, quibus nostrum Institutum approbatur. Ipsa enim illis septem Patribus apparuit Cœli Regina, augustâ, atq; aspectabili formâ, facie radiata, Angelorumq; comitatu stipata, suoq; imperio iussit sanctius, & sublimius vitæ institutum arripere, adscitis in eius gloriæ societatem, etiam alijs ad hoc vitæ institutum idoneis. Quæ omnia nobis clarè indicant, sanctum hunc Ordinem à Matre omnis honestatis mirificè fuisse honestatum, dum ad ipsius servitium, ejus imperio evocari, suorumque Servorum titulo insigniri meritus est.

B. V. Ord Servorum Fundatrix

14. Quare meritò de hac servitute Mariæ dicere possumus quod S. Chrysol. ser. 114. de servitute Christi, & justitiæ, in illa verba Apostoli: *Servi facti estis iustitiæ*, pronunciavit: *Hæc seruitus Fratres, non obligat, sed absoluit, non onerat, sed honorat, abstergit seruitutis maculam, non inurit. Quid hic rogo non Divinum est, ubi seruitus pellitur seruitute, ubi fugatur conditione, conditio, ubi mors morte moritur, ubi perditio, perditione sanatur, & ut breuiter dicatur, ubi tota aduersitas, ipsius aduersitatis mucrone prosternitur. Peccatum te ante mentiebatur liberum, quem tenebat miserandè captivum: nunc Gratia, imò & Mater gratiæ te vocat servum, quem ut verè faceret esse liberum, Dei ipsius adoptauit in Filium. Impleta est ergo Christi sententia, quâ dicit: Qui vult esse Dominus, sit servus. Beata est hæc seruitus, quæ dominationem generat sempiternam. Illa enim libertas fructum pœnæ, & confusionem nobis intulit non ferendam, sicut dicit Apostolus: Finis illorum mors est. Ecce quomodo manumittit, ecce quali præmio honorat illam Diabolus seruitutem, ut mors simul & vitam finiat, & inchoet pœnam. At qui Christo (addiderim ego, & ipsius Matri) deseruiunt, illusâ morte, cum stipendijs sanctitatis, perpetuam transferuntur ad vitam. Finis enim Christi non suscipit finem, quia non interficit hominem finis iste, sed perficit.* Hæc Chrysol. quæ sanè fidelibus B. V. Servis, qui in puritate vitæ, sanctitateque, ipsius præclarissimas virtutes æmulantes, illi fideliter, alacriterque famulari contendunt mirificam afferre possunt consolationem.

Servitutis Dei, & B. Virginis laudes.

Servitus B.V. dominationẽ sempiternam parit

15. Hoc etiam honestatis titulo gloriantur Carmelitani Religiosissimi Patres, quorum Familia, ut ante dictum est; Ordo B. MARIÆ à Monte Carmelo vocitari consuevit; ad cujus puritatem æmulandâ candidâ tunicâ, uti Servitæ nigrâ, ad mœrorẽ, doloremq; eiusdẽ Virginis, de Filij passione, ac morte declarandum, uti consueverunt. Gloriatur honestissimo hoc titulo Religio illa nomine; *Montis Virginis*, insignita. Gloriatur & illa dicta; *Ordo B. Virginis à Mercede*; quemadmodum & alia pulcherrimo, *Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ*, decorata. Gloriatur Ordo Olivetanus Virgineo hoc titulo honestatus, cujus ut animi puritatem sibi potissimum æmulandam meminisset, Imperio Virginis, Aretino Episcopo apparentis, habitu candido in ipsius Virgineæ puritatis memoriam, indui jussi sunt.

Religio Carmelitana, Ordo B. V.

16. Gloriatur denique præclarissimo hoc Honestatis titulo sacer Ordo ille Cisterciensis, qui totus quantus est ipsius Virginis cultui, servitioque est dedicatus, adeò, ut eorũ Templa omnia, Monasteriaque honori Reginæ cœlorum, venerationique consecrentur. Quos ut sibi Mater benignissima arctiùs devinciret, ipsa illos frequentiùs invisere, ipsa eis candidum habitum præscribere non est dedignata. Vnde in eorum Menologio 5. Aug. quo nive Montem Esquilinum Romæ, inusitato prodigio induit, eodem illo suos clientulos niveo amictu condecoravit. Sic enim ibi legimus: *Cistercij in Gallia descensio Beatissimæ Virginis in Cistercium, & miraculosa mutatio habitus, de nigro in album colorem.* Quantopere porrò pia hæc Familia cordi fuerit pientissimæ Matri, Ioannes Generalis Cistercij indicavit, ut videre est in Notis Menol. ubi ita loquitur: *Sæpius fulgidissimo cœli Civium stipata comitatu eos visitabat etiam visibiliter, consolabatur & docebat, adiuuabat, dirigebat. Ob hoc & ipsa sacra Ordinis Patrona, Domina, Protectrix, & Advocata nominatur. Sicut & Ordo ipse primus est omnium Ordinum, in Occidente videlicet. in eius honorem dedicatus, cuius habitum tradidisse fertur, cum tanta dignitatis auctoritate,*

Cistercieñsis Ordo nobilitat9 & honestatus à B. V.

B. V. Cisterciensib9 candidum habitum præscripsit.

B.V. favores erga Cistercienses.

Privilegiũ habitus Cisterciẽsium. *ctoritate, merito, ac virtute, ut Diabolus nullam habeat potestatem in aliquem, qui eo indutus moritur.* Sed ipsam Deiparam de hujuscé suæ Familiæ nobilitate, honestate, atque præstantia loquentem audiamus apud Cæsar. lib. 7. cap. 38. ubi cuidam illius Ordinis alumno dixisse legimus: *Sicut aurum reliqua metalla, ita cæteros Ordines tam dignitate, quàm sanctitate Ordo Cisterciensis præcellit. Illis iam ex magna parte fluentibus à me; iste speciali quâdam prærogatiua dilectionis non cessat fluere ad me.*

B.V. laudat Ordinem hunc

17. Longũ foret memorare, quæ de hujus sacrati Ordinis laudibus varij summi Pontifices, ut videre est in eorum Privilegijs, posteritati tradidere, quæ summam illius nobilitatem, honestatemque vel hoc titulo, quod honori Dei Matris consecratus est, ostendunt. Inter hos Gregorium X. audiamus: *In vestitu deaurato Ecclesia Sponsa Christi, quæ varietate circumdata, Sponso suo specioso, præ filijs hominum, invariabilis integritate fidei, & soliditate spei à dextris assistit Cisterciensium Ordo, Divinis mancipatus obsequijs, & inter Religiones cæteras gloriosæ Virgini singularitate devotionis, adscriptus, ex institutione primaria, & professorum ipsius, quantum ex alto conceditur, prosecutionis instantia rutilat charitate, candet castimoniâ, & pulchritudine conuersationis elucet. Huius Ordinis candidi Nazaræi dicti, videlicet Professores eiusdem sub arcta obseruantia districtione, viuentes in conspectu eorundem Regis Regum, & Reginæ cœlestis, phialas odoramentorum plenas in orationum assiduitate præsentant, beneplaci tis eorum per opera pietatis inseruiunt, & sic hospitalitatem obseruant, quod sibi pauperes, pauperibus diuites; illis munifici, sibi parci; laboribus non parcunt proprijs, sed victu in sui vultus sudore quæsito se tenui exhibent, illis ut subueniant abundanter.* Quid hoc testimonio summi Christi in terris Vicarij ad nobilitatem, honestatemque à Dei para mutuatam, confirmandam, audiri potest illustrius?

Grego. X. laudes in Ord. Cisterciensẽ

18. Honestavit & honoravit sanctam hanc Virgini dilectissimam Religionem, & Benedictus XII. *Fulgens*, inquit ille, *sicut Stella matutina in medio nebulæ sacer Cisterciensis Ordo in Ecclesia militanti strennè militat operibus & exemplis, feruidéq; satagit per sancta contemplationis applausum, & innocentis vitæ meritum, montana scandere cum Maria, seq; per exercitium laudabilium exactionum, & pensum piorum operum curiosum Marthæ satagentis officio conformare. Hic nempè Ordo in Divini cultus ministerio sedulus, ut sibi, & alijs proficiat ad salutem, in sacra lectione paginæ studiosus, ut ad perfectam excellentia superna cognitionem valeat pervenire, præstans, & promptus in operibus Charitatis, ut adimpleat legem Christi, à mari, usq; ad mare palmites suos meruit dilatare, quia gradualiter ad virtutum culmina patenter ascendit.*

Benedictꝰ XII. laudat Ordin. Cisterciensem.

19. Honestavit, honoravitque eundem Ordinem Clemens I. encomijs sane præclarissimis, quæ & ipsi Divæ Virgini, & Ecclesiæ Christi Sponsæ attribui consuevere, ut ita Religionem hanc velut Virginis charissimam Filiam, Ecclesiæq; nobilissimum membrum esse, toti orbi declararet. Sic igitur ille: *Ordo Cisterciensis est Fons Hortorum irriguus, cæteras rigans Religiones, & Ordines, ac in ipsos exemplis salutaribus scaturiens. Hic est fons amœnus, varietate virtutum, præclarus mundiciæ puritate, pietate patens, indeficiens sanctitate. Horum merito sic excrescere meruit, ut fontis nomen excedens, fluvius censeatur, cuius processus laudabilis de virtute in virtutem, ut Deum Deorum in Sion videat, gradientis uniuersalis Ecclesia lœtificat unitatem, in qua per meritorum evidentiam, clara lucis splendorem adeptus quasi stella matutina in medio nebulæ resplendet mundi huius, & in ea splendidos emittens radios instar solis, velut aqua ductus de Paradiso perveniens, in aquas redundat plurimas, hortum plantationum suarum, cœtus quidem claustralium, quos produxit, aquas irrigans gratiarum, & vino spiritualis lœtitiæ fructum inebrians partûs sui. Huius siquidem Ordini sacra Religio, à sua institutionis auspicijs quasi deserta, & invia, utpote paucis adhuc initiata cultoribus, tandem honoris, & honestatis fructus parturiens, ramos suos, ramos quidem honoris, & gratiæ quasi Terebinthus extendit germinans generationes, & progenies germinauit. Ea propter jubilat lœtabunda, & laudans exultat, jam in multitudine numerosa spectabilis, quæ olim quasi despicabilis in solitudine delitescebat.*

Clemẽs I. Ord. Cisterciensi elogia B.V. & Ecclesiæ attribuit.

20. Neque verò satis fuit benignissimæ Dei paræ suum hunc Ordinem & per se, & per Christi Vicarios complures honestare, honestare voluit, & per Principes, Reges, ac Imperatores sæculares. Vnus instar omnium sit nobis Fridericus III. Imperator Augustus Austriacæ Domus Sol fulgidissimus; qui ad Prælatos hujus Ordinis Cistercij congregatos scribere non dedignatus, inter alia his laudibus laudatissimus, pientissimusque Princeps Ordinem hunc sacrum coho-

Friderici Imperat. laudes in Ord. Cisterciensẽ

Friderici Imperat. laudes in Ord. Cisterciens.

cohonestavit. *Credimus, imo vero scimus, quod tanta est sanctitas huius reverendi Ordinis, tamq; est placens, tamq; suaue, & acceptabile holocaustum orationum vestrarum, quod DEO quotidie offertis sub carnis vestræ maceratione, & mortificatione, quod omne id, quod à Creatore nostro duxeritis petendum, cum pius ipse sit, & promptus ad benefaciendum, obtinebitis à miserationum suarum multitudine. Est etiam fides nostra non utiq; parua, quod hic mundus qui lubricus & immundus est, & in maligno positus, orationibus vestris sustentatur, & à facie illius tremendi Iudicis, cuius iram peccatis nostris accendimus, defensatur, avertendo ipsius, quam meremur indignationem. Cum igitur hoc firmissimè credamus, quod ab ipso Patre misericordiarum pijs orationibus vestris impetretis, quidquid ab eo in Nomine Vnigeniti Filij sui humiliter postulaveritis; Nos qui peccati pondere recognoscimus oppressos nos esse, omni humilitate, omni devotione ab universis vobis, ac singulis, qui in nomine Christi hic conuenistis petimus, & obsecramus omnium precum instantiâ, quatenus nos in Fraternitatem vestram recipientes, & in consortium sanctissimum orationum vestrarum nos colligentes, speciales Creatori nostro preces effundere dignemini.* Hæc Imperator, quibus sane ingenitam Austriacis omnibus in Religiosos omnes pietatem, posterorum suorum imitatione dignissimam, contestatus est.

Fridericus Imp. petit in fraternitatē Cisterciensium, & cōsortium orationum recipi.

21. Honestavit denique hunc Virgineæ Matris suæ Ordinem venerabilem ipse Christus, qui ipso die festo S. Bernardi B. Mechtildi, ut videre est lib. 3. Operum ipsius c. 5. rem sacram audienti, secumque Introitum Missæ: In medio Ecclesiæ aperuit Os ejus; expendenti, ac quærenti, quidnam esset illud Medium Ecclesiæ, respondit, Sanctam illam animam lumine cognitionis suæ illustrādo: *Medium Ecclesiæ est Ordo S. Bernardi sustentans Ecclesiam, velut columna, cui tota domus innititur. Quia ad universalem Ecclesiam, & ad omnes Ordines se quo ad aliquid tenet; ad Religiosos scilcet per bona conversationis instructionem, & informationem. Nam omnes alij ordines, hunc ordinem, in aliquo imitantur.* Quid quæso sublimiùs, quid dignius de hoc Mariano, ac verè Venerabili Ordine dici poterat? Quis igitur dubitet eum, uti & reliquos nimium quantum à Virgine nobilitatos, ac cohonestatos fuisse? ita ut tota hæc inclyta Religio, animitus, medullitusque in grati animi sui attestationem huic cælorum, totiusque Vniversi Reginæ potentissimæ, summa cordis gestientis lætitiâ acclamare jure merito possit: Tu honorificentia, tu Gloria, tu Lætitia populi nostri.

Christus laudat Ord. Cisterciensium.

22. Honestatem hanc, atq; honorificentiam à DEIPARA Virgine olim mundo communicandam intellexisse videtur Sapientum Coryphæus Salomon, quando castissimo ejus amore captus Sap. 7. memorabile dictum illud pronunciavit: *Super salutem, & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis Honestas per manus illius.* Vt autem se honestissimis moribus antequam depravaretur, beneficio potissimum hujus Virginis, (quæ olim de suâ oriunda erat stirpe) præditum fuisse ostenderet, paucis interiectis, subintulit: *Et honestatem illius non abscondo.* Vt denique in actionibus omnibus hujus sacratissimæ Virginis, insignem quandam atq; perfectissimam semper honestatis speciem effulsisse demonstraret cap. 8. addidit: *In operibus manuum illius honestas sine defectione.*

Per manꝰ Mariæ venit innumerabilis honestas.

Salomon per B. V. antequam esset depravatus, honestatus est.

23. Quamobrem nil omnino mirum nobis accidere debet, cum sanctissimum illum Episcopum Ildephonsum Capellanum DEIPARÆ, tanto affectu & gaudio tripudiantem, ac gloriantem de ejus servitio, seseque totum quantus erat ejus obsequio impendentē audimus. Noverat enim Sanctissimus ille Præsul, quam illustris honestatis splendor in ejus servitio, atque obsequio delitesceret. Vnde quid mirum si cœlitus immisso lumine illustratus, Virginisque castissimo amore succensus eandem alloquens exclamarit lib. de Virg. Mar. cap. 12. *O libertatis meæ nobilissimum titulum, ò nobilitatis gloria mea adstipulatio, insolubiliter gloriosa, æternitate confecta.* Tum ad Virginis conversus Filium, summam, cœlestemque quandam Honestatem, ac dignitatem in tantæ Matris servitio reclusam agnoscens, ut mirificum suum affectum, quo tantæ Reginæ serviendi seseque totum ejus obsequijs mancipandi teneretur, declararet, orat, atque obtestatur quam ardentissimè: hanc sibi fieri gratiam, quâ pari sedulitate Matri, ac ipso Filio famulari possit. *Hoc mihi præsta,* inquiens, *IESV Filij hominis: Ita serviam Matri tuæ, ut ex hac ipse me probes servisse tibi: ita hæc dominetur mihi, ut ex hoc noverint*

S. Ildephōsus servitio B. V. nobilitatꝰ

Maria libertatis, nobilitatis, ac gloriæ titulꝰ.

noverint me placuisse tibi: ita Dominium eius me teneat in sæculum, ut tu sis meus Dominus in æternum. Quam promptè servus huius Dominæ effici concupisco, quam fideliter servitutis huius jugo delector, quam plenè famulari huius imperiis opto, quam ardenter ab illius dominio dissociari non quæro, quam avidè ab ipsius famulatu nusquam abstrahi cupio; tam verè ipsi serviendi facultatem inveniam, tam verè illi serviens gratiam illius merear, tam verè in servitutem eius sine interruptione detinear; tam verè serviens gratiam merear, tùm verè nusquam ab æternitatis ipsius jucunditate disiungar. Hæc Ildephonsus. Qui sanè humillimæ servitutis suæ, tantæ Virgini debitæ, tot synonyma conglobando, ardentissimum ipsi semper, æternumque serviendi, obsequendique desiderium, ejusdemque servitutis incredibilem quandam honestatem luculentissimè declaravit.

S. Ildephō si ardens desideriū serviendi B. V.

24. Et vero si Princeps aliqua Persona, cujuscumque de infimâ plebe domum ingrediens, eam suâ præsentiâ honorare, ac cohonestare dicitur: quanto magis totius Vniversi Regina potentissima servulos sibi familiares, ac clientulos? Ostendit hoc sanè luculenter in magno illo Iacob Patriarcha, qui cum amore Rachelis; quæ Deiparæ figura extitit pulcherrima; vitam pastoriciam vilem admodum, & miserijs, ærumnisq; plenissimam, greges Laban annis 14. pascendo elegisset, atque transegisset, tanto cum labore, ut ipse fateretur Gen. 31. *Die, noctuq; æstu urebar, & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis;* adeo opulentus, adeo fœlix, fortunatusque, atque honoribus inclytus evasit, ut ex Dei ore audire meruerit, Gen. 28. *Dilataberis ad Occidentem & Orientem, Septentrionem, & Meridiem, & benedicentur in te, & in semine tuo cuncta tribus terræ. Et ero custos tuus quocunque perrexeris.* Tandem post tot ærumnas, laboresque post visam tutissimam in cœlos proficiscendi viam, scalam nempe Virgineam, cum Deo ipso luctari, ipsiq; prævalere, ab eodemque benedici meruit. Gen. 32. ipsomet Deo disertè asseverante: *Si contra DEVM fortis fuisti, quanto magis contra hominem prævalebis?* Quod autem hæc omnia auspicijs gloriosissimæ cœlorum Reginæ gesta fuerint, Salomonem audiamus Sap. 10: 10. *Hæc,* increatæ videlicet Sapientiæ Mater optima, *profugum iræ fratris Iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi Regnum DEI, & dedit illi scientiam Sanctorum? honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius. In fraude circumvenientium illum affuit illi, & honestum fecit illum.* Quæ enim major, illustriorque honestas contingere alicui unquam potuit, quam ex Pastore Principem fieri, tam innumerabilis, ingentisque à Deo electi, dilectique populi, omnes 4. orbis terræ partes olim occupaturi; cumque ipso Deo in arenam quodammodo colluctando descendere, deque ipso victoriam cum insigni benedictione, nominisque immutatione reportare?

Iacob quā tam honestatem per Mariam aquisivit.

Iacob per Mariam ex Pastore Princeps populi Israelis factus.

25. Experta denique est Vidua illa in Deiparam pientissima, per manus ejus plurimam honestatem venire, de qua scribitur in scala Cœli, quod cum duæ illi essent filiæ, specie formâque insignes, & adeo extremâ conflictarentur inopiâ, ut nec honestè in Templo comparere possent; eas tandem pia Mater ante Virginis stitit aram, manusque earum manibus Dei Matris conseruit, inque ejus protectionem, patrociniumque tradidit. Nec fiduciâ suâ frustrata est bona vidua. Dum enim Templo egreditur, adolescens, honestâ, liberaliq; specie ei crumenam auro refertam tradit, moxque disparet. Exhilarata Matrona, agnovit munus illud esse Deiparæ. Illico domum reversa de honestis vestimentis providet filiabus, ut Templum adire, patronæque suæ deservire in posterum possent. Cum ecce tibi non defuere malevoli, invidiâ tabescentes qui vestes illas, turpi quæstu aquisitas obmurmurabant, Virginumque famam proscindentes fœdissimis calumnijs easdem onerabant. In his angustijs constituta Mater, cum filiabus ad Dei Matrem tanquam ad Asylum recurrit. Nec irritæ ipsius cecidêre preces. Festo quodam solenni in publicâ concione ad quam infinita propemodum hominum concurrit multitudo, pientissima Dei Mater, missis Angelico ministerio binis è rosarum floribus contextis corollis, capitibus Virginum imponendis, honestatem, pudicitiamque earum ab omni calumniâ vindicavit, ostenditque revera innumerabilem honestatem per manus Virginis ipsius clientulis advenire.

B. V. charitate sua honestat Viduam ejusq; Filias.

Angelo iussu B. V. rosceis coronis Virginum pudicitiam testantur.

26. Satis, superque declaratum hactenus Virginem, ejusq; obsequium Bonum esse Honestum; superest ut eandem Bonum Vtile esse demonstremus; licet hoc

hoc ipso quod Virgo Beata Bonum honestum sit, sequatur necessario, eandem Bonum utile esse, cum ex nonnullorum sapientum sententia Bonum Honestum, ab Vtili nunquam sejunctum esse possit. Quod enim honestum non est, utilitatis speciem habere quidem poterit, utile tamen revera non erit. Vnde sapienter Periander; *Nunquam discedat utile à decoro, hoc enim ipso quod aliquid decorum, ac honestum est, utile etiam sit necesse est.* Alias bono Viro, ut ait M. Tull. 3. de offi: *nullo modo videri potest quicquam esse utile, quod non honestum sit.* Et quia Aristotel. libr. Rhetor. ad Alex. alia utilia esse dicit corporis, alia animi, alia rerum externarum; videamus quanam ratione hæc omnia bona utilia in Virgine optima veræ honestatis speculo reperiantur.

Omne Honestum est etiam Vtile.

Vtilitas triplex; animi, corporis, & rerum externarum.

Atque ut à postremis principium sumamus, idem Salomon qui innumerabilem honestatem per manus hujus Virginis aliquando de sua stirpe descensuræ se accepisse gloriabatur, prævidens in spiritu quanta bona utilia mortalibus Dei Mater esset allatura, ingenuè fatetur, se eam non modo Regno suo, verum Regnis omnibus hujus Mundi, Thronis, Diadematis, regijsque divitijs antetulisse, necnon aurum, lapides preciosissimos, opulentissimasque gazas flocci, naucique, ejus comparatione fecisse, certo sibi persuadens in honestate Virginea hæc omnia externa bona utilia, multo eminentiori modo contineri; nec unquam bonum honestum, à bono utili sejungi consuevisse. Hoc sibi volunt verba illa memoriâ æternâ dignissima, Sap. 7. *Præposui illam Regnis, & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem preciosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Concludit tandem eam locupletissimum quendam bonorum omnium Thesaurum mortalibus esse, quo locupletati homines, Dei amicitiam minimè dissuunt, uti facere temporales hi thesauri, per fas, nefasq; conquisiti, consueverunt; sed magis magisque stabiliunt, atque confirmant: Hæc enim Virgo verè *infinitus est Thesaurus hominibus, ut ait* ille, *quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ DEI.*

Salomon B.V. bonū Vtile esse agnovisse visus est.

In Maria Thesauri divitiarū sunt repositi.

Aurum, lapides preciosi & Regna cōparatione B.V. nihili ducenda.

27. Quare idem sapiens in Prou. cap. 3. beatum hominem illum, & in statu quodam bonorum omnium aggregatione perfecto constitutum deprædicat, qui optimam hanc Divinæ sapientiæ Matrem invenisset: *Beatus homo,* inquiens, *qui invenit sapientiam: melior est acquisitio eius negociatione argenti, & auri, primi & purissimi fructus eius: preciosior est cunctis opibus, & omnibus, quæ desiderantur huic non valent comparari. Longitudo dierum in dexterâ eius, & in sinistrâ illius divitiæ, & gloria.* Vnde S. Ioannes Damasc. orat. 2. de dormit. Beatæ Virginis, De Apostolis lectulo morientis Virginis astantibus loquens, benedictionem illam à Deiparâ in extremis constitutâ illis impertitam, *Amplissimam quandam hæreditatem,* appellavit; *Aderant,* inquit, Virginis devotissimus Doctor, *Verbi servi, ut pro eo, ac debebant ipsius etiam Matri ministraturi benedictionem, ex ipsa, non secus, ac amplissimam quandam, ac præstantissimam hæreditatem haurirent. Ecquis enim dubitet, quin ipsa benedictionis fons, ac bonorum omnium scaturigo sit?* Quare non immerito eadem Virgo Prou. 8. gloriatur se cum justis versari, ut eos ditet, ac bonis etiam temporalibus locupletet: *In vijs justitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij, ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam:* Vel ut legit Syrus: *Magnifico diligentes me, spem & horrea eorum impleo.* Chaldæus vertit: *Vt hæreditare faciam diligentes me annos multos, & cellaria eorum impleam.* Septuaginta Interpp. denique: *vt distribuam amantibus me substantiam, & thesauros eorum impleam bonis.* Ex his tam varijs sacrarum litterarum lectionibus facile colligitur, gloriosissimam Virginem bonis etiam temporalibus sui studiosos, ac devotos locupletare consuevisse, adeo ut non immerito Seraphicus Doctor Bonaventura in suo Psalterio cecinerit, ac rogaverit: *Recordare Domina pauperum, ac miserorum, & sustenta eos ope refrigerij sancti tui.* Quare jure S. Damasc. orat. 2. de dormit. Deiparæ cum sancto illo Sepulchro, in quo reconditum fuit sacratissimæ Virginis pignus, loquens, eam aurum, ingentes opes, ac thesaurum esse dixit: *Vbinam tandem minimè adulterinum illud Aurum est, quod Apostolorum manus in te condiderunt? Vbi inexhausta opes? ubi preciosus ille thesaurus, qui vitam suscepit?* Idem Virginem alloquens orat. 1. de Nativ. Virginis. *Per te,* inquit, *Regnum sacerdotij opibus auctum est.* S. vero Gregorius Nazian. ejus præsidium; *opum ingentem vim,* appellavit. Sic enim ille in Trag. de Christo

Amator cultorque Mariæ beatus est.

Mariæ benedictio amplissima Hæreditas.

Maria benedictionis fons & bonorum omnium scaturigo.

B. V. diligentium se thesauros, horrea, & cellaria replet.

Maria nostrum Aurum, opesque inexhaustæ.

MARIÆ præsidium est ingens opum vis.

de Christo patiente Virginem alloquens; *Vt tantam habens te Præsidem semper, velut ingentem opum vim, te tuum erga Filium mihi Patronam sentiam acceptissimam.*

28. Expertus est ingentem opum vim esse DEIPARAM miser ille miles apud Cæsarium, Lib 2. cap. 12. & alios, qui paupertate oppressus, malo Genio suadente cum Christum nefariè abjurasset, induci nunquam potuit, ut & Matrem ejus sanctissimam abnegaret. Vnde tanti sceleris exagitatus stimulis, Templum quoddam ingressus, ante aram Virginis prostratus, obortis ubertim lacrymis, crebris suspirijs, ac singultibus has voces iterabat: *Mater misericordiæ impetra mihi misericordiam, & indulgentiam peccatorum.* Contigit per idem tempus Virum quendam opulentum, in secreto quodam illius Templi angulo preces fundere, gemitusque, ac singultus miseri illius hominis audire. mox vocem secutus, ad aram DEIPARÆ processit. Hic, mirum dictu, vocem DEI Matris ad Filium loquentis audit: *Fons misericordiæ, qui dixisti: Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat, miserere huic peccatori.* Mox conspicatur Filium, à milite faciem avertentem, audit insuper vocem intonantem: *Quomodo huic faciam misericordiam, qui me DEVM esse pernegavit?* Cui benigna Mater subintulit: *Licet Fili miser hic à Diabolo deceptus peccaverit, memento tamen Fili, te promisisse, quod quâcunque horâ ingemuerit peccator non recordaberis iniquitatum eius. Parce ergò illi saltem propter me.* Tum ad Matrem conversus Filius, benignissimo suo vultu, voceque placidissima: *Dimissa sunt*, inquit, *illi omnia peccata.* Audita denique vox demissa cœlitus: *Surge, vade, & amplius noli peccare; quia merita Matris DEI te ad pœnitentiam adduxerunt.* Visis his omnibus auditisque, dives ille, accedit ad militem, studiosè rei totius, ab ovo perquirit seriem; intellectâ miseriâ, calamitateque hominis tanti mali origine, Matris DEI misericordiam, pietatemque demiratus, ipse quoque casum tam atrocem miseratus, pietatem illi impendendam censet. Vnicam itaq; quam habebat Filiam omnium facultatum, divitiarumque ex asse hæredem ei tradit in conjugem. Atque ita ope Virginis tot malis ereptus, tot bonis fortunæ locupletatus, cum se totum, tot beneficiorum memor, obsequio DEIPARÆ mancipasset, reipsâ didicit verissimum esse illud de hac Virgine pronunciatum Sapientis: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.

Maria militem pauperem, ac desperatū locupletat.

B V. pietas, ac cōmiseratio erga peccatores.

29. Neq; vero Virgo benignissimâ divitijs tantū inopiâ suorum clientulorum sublevat, verùmetiam omnia victui aç sustendæ vitæ necessaria, in maximis hujusmodi angustijs constitutis abundè suppeditat. Narrat rem planè memorabilem suis in literis Pater noster Rodericus Cabredus Provincialis in Regno Peruano, de Civitate, quam vocant Imperialem in Regno Chilensi. Obierat, magno rei Christianæ infortunio, plagæ Chilensis Regius Prætor; qua Indi occasione, adeo cristas erexerunt, ut de perdendis, & prorsus extinguendis Hispanis sedulo egerint. Itaque Civitatem, quæ Imperialis dicitur, unam ex 12. quas illa in regione possident Hispani, arctissima obsidione præmissa, unius anni spatio extrema quæque perpeti coegerunt. Et cum Chilenses Indi bellicosi naturâ, omnes urbis aditus occupassent, neq; spes esset nostris ulla subsidij, in cœlum suspicientes, DEIPARÆ Virgini sese commendarunt, in eamque spes omnes suas post DEVM collocarunt. Nec sua spe sunt frustrati. Brevi enim Mater pijssima tam piè invocata misit præsidium, obsessisque mirabili planè ratione providit. Minutarum enim avium vim ingentem, ut olim Coturnicum Israëlitis, idoneo pastui intra vallum misit, quibus illaqueatis, inediæ succurrêre. Nec hic V. substitit benignitas, ficedulas etiam non modo ad necessitatem, sed etiam ad deliciandum submisit, quare aucupio lautè atque abundè victitarunt. Cum verò Barbari omnia ad expugnandam civitatem attentassent, deditionemq; extorquere vellent, vicinumque fluvium avertissent, quo uno Cives siti succurrebant, eadem Misericordiæ Parens, intra muros unius putei, qui multis jam annis siccus erat, mirabili, & repentinâ aquarum affluentiâ Christianos illos sibi curæ esse ostendit. Nam cum sitis ardentissimæ remedia perquirerent, manantem puteum invenerunt, cujus inanitas nota erat omnibus. Ergo in illa Indorum sævitia, nostrorumque miseria, cunctis cisterna illa suffecit. Miraculi tum veritas, tum granditas clarior fuit, cum hoste, aversi fluvij, irritum esse consilium agnoscente, Christianis sine ejus usu, potuque

B.V. victui necessaria suppeditat.

Vrbs Imperialis à Barbaris obsessa, patrocinio B. V. ptegitur.

Avibus, & ficedulis à B. V. submissis obsessi victitant.

Aquam in sicco & planè exhausto jam à multis annis puteo scaturire facit.

potuque salvis, & in urbis defensione perstantibus, ideòque detortum flumen solito alveo sinente decurrere, quo fluxerat, cùm jam necessarius non erat, exhaustus est puteus, ad solitamque redijt siccitatem. Itaque Divina Parens & fami, & siti exorata subvenit, cibique & potionis quibus hominum vita continetur, per opportuna remedia, in tam urgenti necessitate comparavit.

Nec his favoribus contenta Deipara. Cùm obsessi finitimos Hispanos de tanto periculo certiores reddendos cogitarent, ut ad auxilium occurrerent, una reperta via est in tanta hostium Vrbem obsidentium multitudine, & vigilantiâ, si cymba fieret, ut in fluvium demissa vicinum, qui in mare dilabitur, ad proximam civitatem proficisceretur, & discriminis Hispanos admoveret.

B.V. de bitumine ad naviculam compingendã providet.

Itaque scapham ex dissolutis arcarum tabulis, arborumque fragmentis conficiunt. Deerat pix, quæ rimas, fissurasq; obturaret, nec aliud in promptu erat, quàm quod ex vini picatis utribus quisque radebat. Quidam verò memor se duos vini utres plenos, sub terram jam diu suffodisse, curriculo eam adit latebram, videtque vinum omne, in illud bituminis genus esse conversum, sine quo fatiscentibus navigijs, & aquam haurientibus tuto navigari non potest. Hâc ergo bituminis commoditate, & copia cymba illinitur, humerisque devecta, in flumen jacitur, sex vectoribus, & Virgine ducente, velut Elice & Cynosura propitia cursus incipitur, superatis tempestatum mille periculis jam ad Civitatem Valdiviam, quæ propinqua erat appulsuri, vento abrepti benefico, versus Conceptionis Vrbem prora dirigitur, vitatâ Valdiviâ, quæ hostili incendio illo ipso tempore conflagrabat, & incolæ hostili gladio corruebant. Quamobrem admoniti ij, qui in Vrbe, nomine conceptæ Virginis decorata morabantur de suorum imminenti exitio, mox terrestri itinere, quod mare clausum esset, ipso Vrbis Rectore Duce ad opem ferendam festinârunt. Decebat enim, ut quæ Virgini dicata Civitas esset, ei Vrbi foret auxilio, quæ sese Virginis tutelæ, patrocinioque commendârat.

En quot miracula, ac penè prodigia primitivæ Ecclesiæ quasi paria Virgo nostra, in utilitatem eorum, qui sese, Vrbemque illam Imperialem in tutelam ipsius dediderât, perpetravit; quam benignè, omnia necessaria ad vitam tolerandam suppeditando, à barbara hostium immanitate liberavit, Imperiumq; Christianorum stabilivit?

M. Sceptra, Coronasque distribuit.

30. Quod sanè minimè mirum nobis accidere debet. Nam quemadmodum Principatûs, Regna, Imperia, ac Monarchiæ hujus superum Reginæ manibus, insignes de hostibus victoriæ, ac triumphi, præclari item honores, ac gloriosi tituli, ingentes opes denique distribui consueverunt, ita & per eamdem conservantur? Audite illam apud Salomonem Prov. 8. gloriantem: *Per me Reges regnant, & legum Conditores, seù Principes,* ut Hebræus; seù; *Consiliarij,* ut Vatablus; *Gubernatores,* ut alij, *iusta decernunt siue iustitiam; Mecũ sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ, & iustitia; seù substantia antiqua, ut uertit Theodotion; seù opes antiquæ,* ut Syrus. Seù, *opes sublimes & validæ,* ut Rabbi Abenesra. R. Levi, *opes stabiles.* Aquila: *substantia cum pace.* Septuag. Interpret. *Possessio multorum.* Vatablus denique & Isid. Clarius: *opes duraturæ.* Quare præclarè Rupertus Tuitiensis Abbas asseruit; hujus cœlorum Reginæ, beneficio, atque auspicijs, plerosque Israëlitici populi Reges, ac Principes Regni gubernacula capessiivisse. *Si enim,* inquit ille, *uniuersam Mariæ Geneologiam, à Matthæo, & Luca descriptam contemplemur, ex Mariæ maioribus multi Reges, Dynastæ, Duces, ac Iudices fuerunt. Omnes autem illi per Virginem, Regnum & potestatem adepti sunt. Per illam,* inquam, *regnârunt.* Ideò enim illis Deus Regnum & potestatem detulit, quia ex eorum genere Virgo originem ductura erat, ex qua carnem ipse induere decreverat.

Reges populi Israelitici per M. regnârunt.

31. Idem sensus omnium Mundi Potentum esse videtur. Hinc videre est Orbis Principes, ac Dynastas, Reges, Imperatores, ac Monarchas gratitudinis memores, ob tanta à Diva Virgine, opum ingentium, ipsorumque Regnorum accepta beneficia, peculiari obsequio ipsi semper fuisse adstrictos, ac devotos. Testis est Leo I. Imperator à rerum præclarè gestarum gloriâ, Magnus cognominatus, qui ut scribit Nicephorus lib. 15. cap. 25. de Imperiali dignitate capescendâ, voce Deiparæ cœlitus admonitus, eidem pro egregiâ suâ in illam pietate, certo loco ad eadem designato, magnificentissimam

Leo Magnus Imp. per B.V. ad Imperium evectus.

ejus honori, gloriæque propagandæ Basilicam fabricavit.

M. Basilicã cõstruit idem Leo Imperat.

Quod beneficium Imperatori præstitum, quia illustrissimum Virgineæ beneficentiæ est testimoninm, libet illud totidem ferè Nicephori verbis referre: *De templo, inquit, sibi extruendo in loco, qui Fontis nomen habet, admonetur, ubi densæ & ingentes cupressi, pratum etiam teneris refertum floribus, quasi quidam Paradisus amœaus & pulcher. Fons insuper, pellucidâ & potabili aquâ tacitè scatens, qui cum diuturnitate temporis cœno fuisset obrutus, & vice quâdam in cæcum hominem, siti æstuantem incidisset Leo adhuc privatus, audiit vocem Deiparæ in hunc modum loquentis: Leo Imperator densum hunc, & umbrosum lucum ingressus, turbidam aquam hauri, eaq; sitim hominis ægri refice, & limum cœnosum manibus cape, quo cæci oculos inungas. Quæ verò sim, dudum hunc obtinens locum, eoq; me oblectans, mox scies. Tu fac ut ædem mihi sacram construas, in qua identidem verser, & suaviter deambulem, in qua etiam precantibus omnibus, locumq; hunc, cũ ardore, & fide certâ adeuntibus, optata præstem omnia. Neq; quicquam est prorsus, quod mihi adversetur, & non continuo potestati meæ cessurum sit, etiamsi Dæmon sit, aut morbus, qui omnem superat medicinæ curam, aut aliud quicquam, quod factura non sim, dummodo ritè, pièq; sit petitum. His verbis parens Leo, cœnum & undam ad cæcum parum id iam curantem, ut in quo spiritus iam extinctus esset, attulit, & oculos eius luto non secus, ac Servator illius à nativitate cæci liniuit, deinde etiam aquam præbuit oculos attrectanti.* Tandem cum admiratione concludit Nicephorus, ostendens quantum bonum, quamque utile sit Deipara; eandem alloquens: *Ecce autem Maiestas & magnificentia tua, ò DEI Genitrix, se exhibet, & misero illi aqua turbida & lutum, Siloë fit!* O bonitatem Virginis prorsus admirabilem, quæ Virum sui studiosum, ac devotum, Imperiali dignitate decorare minimè contenta, facultatem etiam mira, naturæque limites excedentia patrandi facinora largita est.

Nulla vis morbi quantũvis incurabilis B. V. obsistit.

B.V. aquâ turbidâ p Leonem cæcum illuminat.

32. Testis est Iustinianus Imperator, qui, ut idem ait Nicephorus cap. 26. circa finem, *maximam & pulcherrimam DEI Matri extruxit domum, eam gratiam pro beneficijs acceptis Virgini Matri referens.* Mira quoq; Ludovici Pij Caroli Magni Filij in B.V. eluxit pietas, qui in suo corde illi Templũ construens, ita ejus obsequio, ac cultui addictus fuit, ut ne venatum quidem proficisceretur, nisi sacram Virginis Iconem secum deferret, ut coram illa in media solitudine preces, majori cum pietatis sensu posset fundere.

Iustiniani Imperat. in B. V. pietas.

Ludovici Pij Caroli Magni Filij in M. Iconem pietas.

Testis est Ioan. Comnenus Imperator, qui cùm de Schytis, alijsque ferocissimis hostibus plurimas victorias gloriosissimè reportasset, cœlesti huic Imperatrici easdem, magnâ animi gratitudine, ac submissione acceptas tulit. Quare eidem gloriæ Constantinopoli diem festum, quem Pazzinacarum vocitabant, in rei gestæ monimentum ad perpetuam tantæ Virginis memoriam celebrandam instituit. Tum An. 1123. Triumphum celeberrimum, maximâ quâ fieri potuit pompâ, ob tot illustres, de infestissimis hostibns consecutas manubias, ac trophæa Virgini Deiparæ, ut unicæ suorum hostiam Victrici, ac Triumphatrici, apparauit. Quam Triumphalem pompam Niceta Choniates hiscé verbis descripsit. *Currus gemmis preciosissimis ornatus, à quatuor equis candidissimis trahebatur: habenas viris potentissimis moderandas, & cognatis suis currum curandum dedit. In curru DEI Genitricis Imaginem collocavit, ipse Crucem manu gestans, currum sequebatur, & S. Sophiæ templum ingressus, atq; in conspectu omnis populi ob successus gratijs DEO actis, in palatium abijt.* Testis est Ioannes Imperator Constant. cognomento Zimisces, qui ante Leonem An. 971. ob ingentem, Virginis præsidio de Barbaris reportatam victoriam consimilem Triumphum in ejus honorem apparasse memoratur.

Ioannes Comnenus suas Victorias M. acceptas referebat.

M. Imaginem Comnenus Imperator Curru triumphali vehi curat

Ioannis Zimiscis Imperat. in B. V. pietas.

33. Testis est Ludovicus Primus Hungariæ Rex, qui tantâ in Deiparam ardebat aharitate, ut ejus Iconem de collo suspensam semper circumgestaret. Hic cum validissimo Turcarum ab Imperatore Amurate, octuaginta millium armatorum conflato, ex Asia, ac Thracia, trajecto Hellesponto in Pannoniam, premeretur exercitu, consilij inops ad Virginem Cellensem confugit; per quietem Deipara spectabili formâ sese illi visendam exhibet, & suam illam Iconem, quæ juxta ejus appensa erat lectum, supra Regis deponit pectus; monet, signa cum hoste conferat, confligat, ab ejus se parte staturam, certamque victorium relaturum. Dictum, factum, stetit à parte Regis penè incruenta Victoria viginti armatorum millibus duntaxat pijssimus Rex, Virgineis auspicijs totum illum formidabilissimum exer-

Ludovici Primi Hũgariæ Regis in B.V. pietas.

Ad B.V. Cellensẽ à Turcarũ exercitu pressus cõfugit.

exercitũ penè ad internecionẽ cecidit, profligavit, ac penè delevit. Partâ Victoriâ cum triumphante exercitu Cellas proficiscitur, ensem, calcaria, propriam coronam cœli Reginæ, velut sacra anathemata defert; quæ in hodiernum usque diem peregrinis eo confluentibus visenda exhibentur; detulit & tabellam ipsam, quam ei DEI Mater gemmis, sanctorumque lypsanis, ipsis gemmis preciosioribus, exornatam pectori applicuerat. Denique in tanti beneficij, tamque gloriosæ victoriæ æternam memoriam, magnificentissimum, amplissimumque Templum cœlorum Reginæ Cellis construit, in cujus Propyleo lapidi incisa visitur totius rei gestæ historia; Vbi una quidem ex parte videre est DEI Parentem Angelis stipatã Ludovico parvam sui effigiem supra pectus in conflictu gestandam, porrigentem, quæ spectanda in ejus templi thesauro tabellæ cupreæ incisa proponi consuevit. Repræsentat Imago hæc Deiparam mœrentem, obque mortem Filij lacrymantem binis ex utroque latere stipatam Stellis, Lunæque semicirculum fronte supremâ gestantem, hac cum epigraphe:

Cellense Templum B.V. honori exstructum ob victoriam de Turcis reporratã à Ludovico Rege.

M. Luna, in Christo morte ecclipsata.

Luna pari sorte Christi fit pallida morte.

Quâ mysteriosâ Icone, Virgo Deipara mortalibus testatum esse voluit, se Stellam matutinam, ac vespertinam, Lunam itẽ quandã mysticam esse, quæ inter Solem Iustitiæ, terrenorumque hominum, eorundemque scelerum (DEI Filium in Crucem agentium) interpositione, mœroris, dolorisque tenebris fuerit ecclipsata; simulque tacitè monitum Regem esse voluit, Lunæ, Stellisque Mahometanis, suam Lunam, Stellasque ad gloriosam de hostibus victoriam indipiscendam, opponendas. Ex una, inquam, parte Imago hæc visebatur. Ex altera verò conflictus Regis cũ Amurathe Turcarũ tyrãno; victoria itẽ, ac gloriosissim⁹ Triumph⁹ Christianorũ, de tam cruentis hostib⁹ cernitur, unà cũ hac inscriptione:

Regina Cœli lætare,
Sancta MARIA succurre fœmineo sexui,
Audi nos, nam te Filius nihil negans honorat,
Salua nos IESV, pro quibus Virgo Mater te orat.
Anno Domini 1020. *inchoata est Ecclesia gloriosæ MARIÆ.*

34. Testis quoq; hujusmodi victoriarũ, patrocinio Deiparæ indeptarum, est Alphonsus Primus Portugalliæ Rex, qui Scalabim Mahumetanoram Vrbem munitissimam expugnaturus, cum viribus suis diffideret, excitus clarissimâ virtutum S. Bernardi Deiparæ Virginis devotissimi Filij, ejus proprio lacte nutriti, tunc in Gallia degentis famâ, ipsius opem implorare non dubitavit, ut ad Christiani nominis infestissimos hostes debellandos apud DEI Matrem pro se intercederet, victoriamque impetraret. Simulque votum concepit, promisitque, se Templum Deiparæ, ac Monasterium ipsius Ordinis, ejusdem obsequijs mancipato ædificaturum, amplissimisq; redditibus annuis locupletaturum Alcobatiæ, terramque illam omnem, ac regionem, quæ se ab illo loco extenderet, quæque oculis cerni posset, decurrentibus aquis in mare, assignaturum. Emisso voto hoc, Virginis devotissimus Bernardus, ejusque gloriæ amplificandæ cupidissimus, in tanto terrarum, locorumque intervallo de bono Regis animo Divinitus admonitus, sequenti nocte Regi Alphonso, apparuit, eique animum addidit, victoriam promisit, & ad sancti illius propositi, quo tanto studio ad honorem Deiparæ propagandum ferebatur, excitavit. Visione hâc animatus Rex illico ducentos 50. milites deligit, urbemque exiguâ illâ pugnatorum manu obsidet, expugnat, occupatq; cæsis quamplurimis hostibus, nullis verò ex suis desideratis. Dum porrò pugna hæc adversus Saracenos peragitur, extensis ad cœlum manibus, cum suis Bernardus, velut alter Moyses orationi intentus, DEUM, ejusque Matrem, ut victoriam pijssimo Regi largiretur, toto corde instantissimè precabatur. Instabat omninò hora noctis undecima, quâ Vir Sanctus, ac si magnâ quâpiam difficultate premeretur, sive gravi aliquo labore fatigaretur, sudore largo perfusus, anhelansque visus est; quò in agone totâ ferè nocte incredibili animi magnitudine in oratione, cum reliquis fratribus perseverans constanter perduravit. Tandem absolutis Laudibus, & Prima, in Capitulo vultu hilari, mirâq; perfusus lætitiâ, quæ toto ore, oculisq; emicabat, consedit, quidque eâ nocte à Rege devotissimo adversus Saracenos gestum esset, indicavit, sermonem suum cum Regio Psalte exorsus: *Benedictus Dominus DEVS meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Tum ad suos conversus: *Et quidem*, inquit,

Alphonsus Rex Portugalliæ S. Bernar. apud B.V. patrocinã te, de Saracenis obtinet victoriam.

quit, *Fratres licet ipsi sanguinem fuderint, hostes, lanceis, & gladijs confoderint, audaciam tamen, animum, ac fortitudinem ad similia patranda, à nobis habuerunt;* patrocinio videlicet Virginis Matris Reginæ cœlorum potentissimæ, quæ sese apud Filium interponens vires hostium, Diviniore virtute infregit, delumbavit, prostravitque. Semper enim sancto huic moris fuit in suis, sive ad DEUM Patrem, sive Filium deprecationibus, Patronam atq; Advocatam DEI Matrem interponere, ut passim in pijssimis ejus ingenij monimentis videre est; quod & Sanctus Pater noster Ignatius colloquijs ad DEUM in suis meditationibus mutuatus est.

Hâc igitur Virginis Patrocinio obtentâ victoriâ, Vrbeque Saracenorum expugnata, eodem in loco, in quo Alphonsus Votum DEO, Deiparæque emisit, in grati animi attestationem, æviternumque tam illustris victoriæ monimentum, Columnam lapideam erexit, eiq; inscriptionem hanc incidi curavit:

Liberalitas Regis Alphonsi in Cisterciensem Ordinem.

Hic Scalabim expugnaturus Alphonsus Primus Portugalliæ Rex votum Christo vouit, daturum se Ordini Cisterciensi cuncta, quæ oculis cernere posset, decurrentibus aquis in mare, si meritis D. P. Bernardi fretus Vrbē cepisset. Quod dum Pater Sanctus suis, suorumq; orationibus obtinet, Rex promissa adimplet. Surgit Alcobaciæ Regale Cœnobium, cuius Principatus hic initium. In oris maritimis terminum habet. Gesta sunt hæc omnia An. Domini M.C.XLVII. XIII. Idus Maij.

Tandem S. Pater pro novo illo extruendo Cœnobio aliquot è suis Viros religiosis virtutibus conspicuos, his cùm literis ad Regem Alphonsum destinat, eique futurum Regni sui statum, successorumque extinctionem, nec non Coronæ Regiæ ab eorum capite, si redditus illius Cœnobij aliquando dividerentur, divisionem. Libet hic tanti Patris Epistolam hanc integram, ad-scribere, ut Viri Principes res semel DEO, ejusque Matri, reliquisque Cœlitibus consecratas vereantur attringere, hoc præsertim calamitosissimo sæculo, quo nonnulli, parum fortassis synceri Catholici, ne dicam Lutheri labè infecti, Ecclesiasticorum bonis inhiare consueverunt. Sic igitur S. Pater mellitâ suâ eloquentiâ:

Christianissimo & Pio Alphonso Regi Portugallorum, Bernardus Clarævallis vocatus Abbas, modicum id quod est.

S. Bernar. ad Regem Alphonsū Epistola.

Benedictus DEVS, & Pater Domini nostri IESV Christi, Pater misericordiarum, & DEVS totius consolationis, qui consolatus est vos in tribulatione vestra, dum abstulit opprobrium Saracenorum à cervicibus nostris. Ceciderunt muri Iericho, cecidit Babylon magna, destruxit Dominus munitiones inimicorum suorum, & extulit cornu populi sui. Quod etiam antequam fieret rescivimus, revelante Spiritu, qui ubi vult spirat, absq; auditione vocis. Propter quod animas nostras afflximus, & tam parvitas mea, quàm reliqui Fratres mei coram Domino provoluti, decertantibus manibus vestris, robur, & fortitudinem postulabamus, & ex eo quod iniquitates nostræ vestram non impedieurunt fœlicitatem, summè lætati sumus. Resciuimus etiam ingentem pietatem, quâ commotus, votum de ædificando Cœnobio Altissimo deuouistis. Quapropter mittimus hos filios, quos lacte Doctrinæ ab incunabulis Religionis Christo nutrivimus, quatenus nosipsos Celsitudini vestræ commendantes, piam voti intentionem, ad debitam executionem perducant, illud condentes Monasterium; In cuius duratione, & integritate indelebile habebitis Elogium Regni vestri; & in Divisione reddituum, dividetur à uobis Corona vestra. Servet vos, & Illustrem Reginam Consortem Seruator cunctorum, & benedicat Prolem vestram, ut videatis filios filiorum vestrorum, gaudentes in possessionibus vestris. Hæc S.

Bona Ecclesiastica non sunt alienanda aut dividenda.

Ad calcem porrò hujus Propheticæ Epistolæ P. Chrysostomus Henriquez, ejusdem Ordinis Vir Religiosissimus in notis Menologij ad 20. diem Aug. hæc attexuit: *Quod autem dicit: In Divisione redditnum, dividetur à vobis Corona vestra, nostris temporibus evenit. Sebastiano enim in Affrica miserè extincto, Henricus Cardinalis Regnum obtinuit, qui partem redditu um Monasterij Aclobacensis Aulico cuidam assigna-*

S. Bernardi Vaticinium.

assignauit, & Rex breui, fato cessit, nullum hæredem relinquens; & Rex Hispaniarum Philippus II. in hæreditatem intrauit, extinctâ antiqua Lusitanorum Regum progenie. Sic ille.

35. Vt verò clarius pijssimi Regis Alphonsi in Virginem Deiparam, ejusq; Servos effusissimam liberalitatem, pietatemque in fundando illo Alcobaciensi Cœnobio perspiciamus, sciendum est, tam amplos illi assignatos fuisse redditus annuos, ut mille omninò Dei, ejusque Matris Servos facilè sustentare posset, qui nòn otio aut ignavia torpescebant, ut impij, maledicique Lutheri asseclæ Monachomastigæ blaterant, sed assiduo Creatoris sui, Virginisque laudandæ negotio, noctes, diesque in horas singulas, absque ulla interruptione occupabantur, ita, ut Templum illud Virginis, assiduis Divinæ Majestatis, ejusdemque Matris laudum præconijs resonans, cœlum quoddam jubilantium Angelorum Choris refertum, in terris repræsentare videretur.

Liberalitate Alphōsi Portugalliæ Regis mille Monachi alebantur.

36. Atque ut in tam sancto negotio nulla turbatio intervenirets, pulcherrimus quidam Ordo servabatur. Divisi enim per Decanos, primis post Matutinas laudes absolutas, è choro egredientibus, alij atque alij sibi vicissim succedebant: itaque fiebat ut Chorus ille nunquam vacaret, sed eleganti ordine, concinnitateq; servatâ, Patronam suam imitantes, quæ Dœmonibus, hæreticisq; eorum asseclis terribilis est, ut castrorum acies ordinata, perenni Dei ter Opt. Max. cœlique Reginæ laude jubilaret. Qua in re priscorum Monachorum in Ægypto, Thebaide, & Syria morem, atque instituta imitari visi sunt, qui in primitiva Ecclesia, ut auctor est Philo, Eusebius, Hieronymus, & Cassianus, in quaternas noctis vigilias distributi, ita Psalmodiæ vacabant, ut nulla pars noctis Psalmorum concentibus esset vacua. Idem exoriente, atque illucescente die factitabant, tantâ cum assiduitate, ut nullum prorsus horæ momentum Divinis laudibus expers abire permitterent. Qua de re consulendus Iacobus de Valentia, Episc. Christopolitanus in Cant. D. D. Ambrosij & Aug. qui explicans verba illa: Per singulos dies benedicimus te &c. multa de perennibus numquamque terminandis Dei laudibus, ob tot tantaque nobis ab ipso collata beneficia persolvendis, ad imitationem Regis Davidis, qui in summis Regni gubernandi occupationibus canebat: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo;* nec non Angelorum, qui *requiem, Sanctus* ineffabili voce concinendo, non habebant, commemorat. Quæ sane omnia confusionem, ruboremque Hæreticis, eorumque fautoribus frigidis Catholicis, Religiosorum bona ad instar Harpyarum diripere anhelantibus, ac stolidè mentientibus, eos vitam otiosam, desidem, atque ignavam ducere, indignos proinde, qui tam amplis redditibus gaudeant. Qua stulta persuasione profecto, summam suam produnt ignorantiam, clareque ostendunt, se ne finem quidem hominis, ob quem à Deo conditus est, cognoscere; qui sane alius non est, ut S. Patriarcha noster in fundamento spiritualium Exercitiorum tradit Ignatius, *quam DEI laus, & servitus, in qua homo perseverando, salutem æternam, beatitudinemq; consequitur.*

OrdoDeū laudantiū.

Antiquorum Monachorum Deū laudādi ritus.

37. Sed ad institutum nostrum redeamus, ne de Religiosorum Choro plura loquentes, extra Chorum saltasse videamur.

Missis igitur antiquis Virginis clementissimæ beneficijs, quibus Reges, ac Principes diversis temporibus, plurimas, ipsis de hostibus impetrando victorias, affecit; ad nova, nostrâ hac tempestate gesta accedamus exempla. Celeberrima in primis est Victoria illa, quam Ioannes Austriacus Caroli V. Aquilæ illius grandis magnarum alarum non degener pullus ad Echinadas Insulas, Anno 1571. die 7. Octobris, de Turcis navali prælio, auspicijs Deiparæ Virginis reportavit. Hic enim cum ad bellum hoc proficisceretur, Messanam tenuit, atque ut scribit P. Melchior Hincoffer in Defens. Epistolæ B. V. cap. 56. ad Ædem Patronæ Virginis Cathedralem, ad ipsam Virginis Aram, adeoque ad ipsum Religiosissimæ Epistolæ sacrarium, Virginisque ab ea nuncupatæ venerandam Imaginem, totius Ecclesiæ preces, quæ toto pene orbe Pij V. Pontificis jussu fundebantur figillatæ, Victoria spe omnium concepta, in cęlis, Virgine patrocinate decreta est.

Ioannis Austriaci in B. V. Messanēsē pietas.

Hic enim cum omnes Duces, ac milites, propositis amplissimis de Ecclesiæ thesauro depromptis indulgentijs; expiatisq; pœnitentiæ Sacramento peccatis, cœlesti Angelorum Pane illo, verè fortium, essent refecti; tanquam Leones

ignem

ignem spirantes, certâ Victoriæ spe, præsidio Virginis obtinendæ pleni, magnanimo illo Duce Austriaco, DEI Matri peculiari devotionis affectu dedito, in barbaros intrepidi irruerunt. Acceperat hic benedictione Pontificia, sed Patronæ Messanensium auspicijs sacratum Crucis Vexillum, ac renovatâ Constantini tesserâ: *In hoc Signo vince*: ad Epistolæ Virginalis Aram, ad quam mirificè afficiebatur, decretam in cœlis victoriam, ac velut in tabellam manu Virginis consignatam, in hunc puta sensum retulisse visus est: *MARIA Virgo Ancilla DEI humillima, Christi IESV Crucifixi Mater, Messanensium protectrix: Tibi, pugnaturisq; omnibus salutem, DEI Patris Omnipotentis benedictionem, Nostram protectionem, certissimam de hoste fidei victoriam, & ex ea Republicæ Christianæ fœlicitatem. Perge, vince, sospes, triumphaturus huc revertere.* Ita armis cœlestibus, præsidioque Virginis pientissimus Princeps communitus, ubi primum ad finus Corinthiaci maris fauces in conspectu venit hostilis classis, ingenti navium longarũ multitudine Xerxianâ pene mare obtegentis, nil penitus exterritus, sed spe victoriæ in militum animis renovata, Virginẽ Protectricem sub ipso exordio conflictus, signo per Classem dato solemniter consalutavit. De hoc ita Laurentius Surius in Comm. Hist. ad An. 15[illegible] *Cum jam manus*, inquit, *cum Turcis conserenda essent, tympanis, tubis, fistulis, alijsq; musicis instrumentis accensi militum Christianorum animi, alta voce DEVS omnipotens Trinus & Vnus invocatus, ipsa quoq; Sanctissima Christi Mater, ut quæ plurimum possit apud Filium reverenter salutata est.*

Accipit Vexillum Cruce signatum in Templo Cathedrali ab Episcopo ad cornu Altaris Epistolæ B.V.

Initio pugnæ cõtra Turcas DEVS & B. V. invocati.

Nec irritæ cecidere preces. Advota enim Christianorum aleam belli Virgo pientissima flexit, adversumque initio pugnæ ventum in hostium classem signaque convertit, fumum, flammam, telaq; ipsa in jaculantium ora retorsit; ostenditque revera DEI para, se eo in prælio pro Christianis depugnasse, quæ olim in mœnibus Messanensium consistens, hostium tela partim suis manibus excepit, ac fregit, partim in hostes, horrenda ipsorum strage, fulminavit. Vnde nil mirum hujus Virginis Bellonæ protectione, atq; auspicijs Victoriam à Christianis gloriosissimam plane stetisse; eâq; diẽ, hanc ob Causam à Pio V.B.V. de Victoria consecratam. Cum enim nostra Classis multo inferior Turcarum esset classe, atroxque prælium à sextâ hora, usq; ad vesperam magno utrimq; animorum ardore fuisset commissum, tandem classis nostra DEO, ejusque Matre favente triumphavit. Cecidere 30. millia Turcarum, 10. millia in nostrorum Potestatem devenere; triremibus 180. captis; 90. demersis. 15. millibus Christianis servitute liberatis; partâ ingenti præda, 116. majoribus tormentis, 256. minoribus hosti ereptis. Atque ut generosus hic Princeps Austriacus toti orbi contestatum relinqueret, se non militari sua arte, aut virtute, tam illustrem Victoriam, sed DEI Matris cœlorum Reginæ ope, invictâque Omnipotentiâ fretum reportasse, mox confecto prælio Messanam cum gloriosa Classe revectus, Barbarorum triremes. humiliatis antennis, in triumphum secum duxit, eorumdemque signa, depressis Lunis, in honorem, gloriamque Reginæ potentissimæ, quæ pulchra est ut Luna, raptavit, ac toto Siciliæ Regno, præsertim vero Messanâ applaudente, festoque bellicorum tormentorum fragore resonante in amphitheatralem illum pulcherrimumq; Messanensium portum est ingressus, & quasi in anathema sempiternum eidem suæ clementissimæ Patronæ obtulit, consecravit. Deinde proximo die illucescente ex prætoriâ triremi ipse Heros hic Austriacus exscẽdens, ductis secum præcipuis longo ordine coronatis belli Proceribus, Centurionibus, Ducibus, ac militibus victoriosis, solemnique institutâ totius Cleri, omnium Religionum, totius Senatus, universæ nobilitatis, ac civium, summorum denique, mediorum, infimorumque supplicatione, insigni pompa, ad Ædem Cathedralem Patronæ Virginis profectus est, & ad Aram ejusdem, unde victoriæ gloriosæ omen acceperat, ipse supplex, magnâ pietatis significatione adoravit, ac resonantibus Organis, varijsque musicis instrumentis, lætissimis, suavissimisque admixtis vocibus, dum Hymnus Divorum Ambrosij, atq; Augustini decantatur gratiam acceptam pro tam illustri reportata victoria tulit, ipsique spolia opima dedicavit.

Ventus Divinitus contra hostes mutatur.

Illustrem victoriam Austriacus auspicijs B.V. reportat.

Austriaci erga B. V. gratitudo.

Nec Principis huius egregia in Deiparâ hic stitit Austriacis omnibus innata pietas; mox ubi per negotia licuit Lauretum ad Ædem illam, in qua Verbum Caro factum est, iter, licet horridâ sævien-te hyeme

Ioannes Austriacus ex voto Lauretum ad B. V. gratias acturus proficiscitur.

te hyeme instituit. Voto enim sese obstrinxerat Virgini, si superstes ipse partæ de Barbaris victoriæ foret, sanctam ejus se Domum aditurum. Quam ubi de longè conspexit, venerabundus caput aperuit, ac DEI Matrem salutavit. Inde velut alienato à sui curâ ad cœlestis Reginæ venerationem animo, nunquam neque cœli, neque imbris inclementia compelli potuit, ut semel detectum operiret caput, adeo se, caputque suum B. V. devoverat, cujus præsidio se incolumem esse sibi persuadebat. Tandem postquam ad sacrosanctam illam Ædem pervenit, totius anteactæ vitæ noxis per exomologesin expiatis, grates ingentes egit DEI paræ, votumque persolutum sat effusa pecuniarum largitione cumulavit, comitesque & voce, & exemplo ad parem pietatis laudem accendit, ut scribit Tursellinus li. 4. Hist. Laur. c. 24.

Detecto capite visa Domo B.V. iter facit summa hyeme

Ibi noxas totius vitæ expiat.

38. Quid jam de fœlicis recordationis Ferdinandi II. semper Augusti eximia in DEIparam dicam pietate? Hic in primis huic gloriosissimæ cœlorum Reginæ, *per quam Reges regnant, per quam Principes imperant*, imperium omnino acceptum retulit. Noverat enim Anno 1619. DEIparam Ioanni Suicardo Archiepiscopo Moguntino Electori ita præsentem dixisse; *Constanter age Suicarde, noli timere, elige Ferdinandum.* Atque ita hic Austriacorũ verè Sol, candido quodammodo Virginis etiam calculo, in Imperatorem electus est. Huic quoque omnes illas suorum exercituum celeberrimas victorias, summæ totius Vniversi Imperatrici, tanquam omnium suarum copiarum Generalissimæ attribuebat. Vnde hostium vexilla penè innumera velut Trophæa ipsi statuere erat solitus; quibus sacram Domum Lauretanam Viennæ, pietate sua, Conjugisque Augustæ Eleonoræ constructam, undique uti videre est circumdedit, atque exornavit. Incredibilis sanè, à primis annis semper hujus religiosissimi Principis in Virginem pietas eluxit. Extat hujus præclarum Viennæ monimentum, Augustissimi nempe ipsius Nominis, manu propria duplex facta inscriptio in Albo Congregationis Procerum Austriacorũ. Et in prima quidem, qua Rex ita scripsit:

Ferdin. II. Imperat. in B. V. pietas.

Ferdin. II. suadente B.V. eligitur Imper.

B. V. suas victorias tanquam suæ Generalissimæ attribuit.

In Congregationis Viennensis Procerum Album Nomen suum inscribit.

Anno Domini 1618. die 7. Nov. Ferdinandus Hungariæ, Boemiæq; Rex, Archidux Austriæ, Sodalis Beatissimæ DEI Genitricis Virginis MARIÆ scripsit, sub cuius patrocinium se semper commendat.

In altera verò, qua Imperator hisce verbis *An: 1624. Ferdinandus II. Confrater Sodalitatis B. M. V. sub cujus præsidium se quam devotissimè commendat.*

39. Anno deinde 1634. cum in Domo Professa erecta esset Congregatio à R. P. Iacobo Curtio immaculatæ Conceptionis Beatiss: Virginis, cujus postea mihi data administratio, nil antiquius optimus Imperator habuit, quam ut & ipse, & ejus Augusta conjunx, ac omnes liberi, novelli hujus Sodalicij fundamenta, in ejus Album Nominibus propriâ manu exaratis cohonestarent. Sic igitur ille in ipso libri capite cum Augusta:

Ferdin. II. Congregationi immac. Conceptionis cum suis Nomẽ dat

Corona legitimè certantibus.

FERDINANDVS.

Erit Vnica mihi.

ELEONORA.

Consecutus est inde Ferdinandus III. hodie regnans paternæ pietatis hæres, cum Maria Augusta:

Pietate, & Iustitia.

FERDINANDVS.

In charitate, fide, & spe erit fortitudo mea.

MARIA.

Ac demum reliqui ex ordine Liberi.

Timore Domini.

LEOPOLDVS VVILHELMVS.

Tum duæ eius Sorores Ducissa Bavariæ, & Regina Poloniæ.

Fiat DEI voluntas.

MARIA ANNA.

Diligo DEVM.

CÆCILIA RENATA.

40. De ejus porrò in Virginẽ affectu P. Guilelm⁹ Lamormayni, qui ipsi, magnâ bonorum omnium laude fuit à confessionibus lib. de ejus Virtutibus cap. 8. multa in particulari præclarissima, æternaque memoria dignissima litteris mandavit: *Post DEVM*, inquit ille, *Virgini imprimis, terræ cœliq; Reginæ addictus fuit. Illi præcipuum non modo cultum, sed amorem etiam impendit. Vt Patronam, cliens reverebatur, ut Filius amabat Matrem, quotidianum ei certum precum pensum persolvit dum vixit. Nulla est in utraq; Austria, nulla in Hungaria, Boemiaq; Regnis, nulla in Styria, Carinthia, Carniolia Beatissimæ Virginis pia Sodalitas, in cuius Album nomen suum non retulerit, imò in cuius Album, eius exemplo Augusta coniunx, Rex, Regina, ac Liberi cæteri sua*

Ferdin. II. Imperator in omnibus fere Congregationibus Hũgariæ, Boemiæ, reliquarũq; suarum Provinciarũ inscribi tanquã Sodalis voluit.

sua quoq; nomina non inscripserint. Nihil magis optabat Cæsar pijssimus, quam ut ubiq; inter MARIÆ servos numeraretur. Vix unquam aliquid gravioris momenti sensit imminere quin concepto vel peregrinationis, vel donarij voto Virginis opem implorarit, & obtinuerit. Dixit aliquando, nihil se unquam à Beatissima Virgine petijsse, quod non impetrarit. Integros viginti annos bellis petitus, armorum suorum summam Præfecturam semper Virgini commisit. Huius imaginem in Regio vexillo, meliori omine, quam Aquilam jussit militi præferri, hanc non modo verbo, familiariq; sermone, sed datis ad Duces litteris mandatisq; Generalissimam nuncupavit: non secus ab exercitu voluit coli quam armorum Moderatricem; in eos qui minus reverenter eam habuerunt, egit ut in transfugas, & non solum divina, sed etiam militari lege reos. Hæc ille; Qui insuper addit, cum Cæsar intellexisset ex Italia, à suo milite Virginis templũ direptum fuisse, ac expilatum; illico sua manu ad supremum Tribunum litteras dedisse, ex quibus aliquam partem hic commemorare libuit ad perpetuam Ferdinandeæ in DEI Matrem pietatis memoriam: *Chare Comes, nosti quod gratias & victorias acceperim de manu DEI, per intercessionem sanctissimæ eius Matris Gereralissimæ meæ. Quod si verò milites mei non absisterent ab hiscé suis sceleribus, timendum est mutari posse gratiam in punitionem. Mando tibi igitur quam possum serio, ut super hanc rem diligentissimam inquisitionem instituas, & sontes severissimo exemplo castiges quovis respectu seposito.* Hactenus pijssimus Cæsar.

Mariam Ferdin. II. Imperator suis exercitibus Generalissimá præfecit.

41. Quid de Ferdinando III. ejus Filio jam regnante dicam? Nonne Virginis auspicijs Imperium ex voto à pijssimo Parente Deiparæ Cellensi Anno *1636.* nuncupato consecutus est? Vnde nihil ei fuit antiquius, quam ut quamprimum promissum Virgini persolveret. Quare in Regem Romanorum electo Filio, Augustam alloquens: *Meminerimus,* inquit, *magnæ Matri reddere quod vovimus: utriq; nostrum Cellas ire, si minus liceat, alterum ire certè necesse est.* Vt & factum ab Eleonora Imperatrice, absoluto luctus primo anno, quo statuam purissimo auro conflatam, quæ Ferdinandum II. genu flectentem, ac junctis manibus Deiparæ supplicantem referebat, in templo Cellensi obtulit, cum hac statuæ basi incisâ inscriptione:

Ferd. III. Imperatoris in B.V. pietas.

Auspicijs B.V. Cellensis idẽ Imp. electus.

Votũ Ferdinãdi II. B.V. Cellensi pro Ferdinando Filio oblatum.

Voti huius Beatæ Virgini Cellensi Ratisbonam iturus se reum fecit Anno 1636. quo item ex votis suis ibidem coronari in Romanorum Regem vidit Filium Ferdinandum III. oblatum Anno 1638.

Vt autem Ferdinandus III. eximiam suam in Deiparam ostenderet pietatem cum Anno 1625. ipso conceptæ Virginis die Vngariæ Rex inauguratus esset, missis ad Vrbanum VIII. Pont. Max. litteris, postulavit, exemplo pijss. Parentis Ferd. II. qui id quoq; desideravit, ut Virgo absq; peccati originalis macula concepta, S. Sedis Apost. publico decreto pnuntiaretur. Inumera alia recensere possem, Principum, Regum, ac Imperatorum exempla, qui gloriosissimæ Virginis patrocinio, sceptris, coronis, Regnis, ac Regionibus opulentissimis, ac florentissimis potiti, ab atrocissimorum hostium insidijs occultissimis liberati, verè experti re ipsa sunt, Deiparam ingens, quoddam Bonum, & bonum quidem utile esse consuevisse mortalibus. Vnde factum ut gratitudinis suæ, ac pietatis in Virginem præclarissima monimenta posteritati reliquerint.

Ferd. III. Imperator petit à Pontif. ut B. V. sine originalis peccati macula cõcepta declaretur.

42. Quid de bonis animi, quæ Deipara mundo communicare est solita dicam? Ingens, ac spaciosissimus hic orationi campus aperitur, multaque dicenda forent, quæ quia partim jam dicta, & decursu operis dicenda supersunt, calamum sisto. pauca quædam hic obiter perstrinxisse sufficiat. Inter animi præcipua bona, nil dubium quin sit charitas, & sincerus in Deum amor: Verè enim præclarè cecinit B. Alcuinus Caroli Magni Præceptor Poemate 179.

Maria bona animi uti sunt virtutes largitur.

Optimus est animus Christi vestitus amore.

Animæ vestis est Charitas Christi.

Siquidem ut canit S. Greg. Nazian. amoris hujus effectus præcipuus est, animam formosam, oculisque Divini Numinis, velut sponsam gratissimam reddere. Ait enim & verè:

Solus Dius amor formosum reddit amantem.

Divinus Amor animam pulchram reddit.

Amorem hunc aliasque virtutes innumeras instillat Beata Mater ijs, qui peculiari aliquo in illam pietatis feruntur studio, quemadmodum ipsa clarè fatetur: *Qui mane vigilant ad me, invenient me.* Licet enim omnibus pietatis suæ sinum Beata Mater amantissimè aperiat, aperit nihilominus majori quadam benignitate, ac facilitate ijs, qui mane hoc est in adolescentiæ aurora, ad colendam pietatem sese convertunt. Cum enim ætas illa, rasa quædam sit tabella, quicquid semel ei impressum seu inscriptum

B.V. adolescentib9 Divinum amorem instillat.

ptum fuerit, eradi in posterum erit difficillimum. Cum igitur Virgo, ut ipsa fatetur, Mater pulchræ dilectionis sit, eandem adolescentibus sui studiosis instillare consuevit, uti passim videre est in Sodalitijs Parthenicis, in quibus quamplurimis, assiduâ virtutum exercitatione, Sacramentorumque frequentiâ id assequi planè videntur, ut vitam innocuam, omnique labe puram, imo Angelicam, magno Christianæ Reipublicæ emolumento traducant.

Maria Mater pulchræ dilectionis quomodo sit?

43. Mater verè pulchræ dilectionis est Virgo, quia non solum genuit pulcherrimam illam Dilectionem, ac Amorem, Dei Filium nimirum, qui essentialiter amor est, verùmetiam, quia amando nos, divinum amorem, suis precibus, ac patrocinijs, in animis cordibusque mortalium progignit, nutrit, fovet, auget, suosque clientes, sibi similes efficit. *Amor enim*, ut ait Philosophus, *vel similes invenit, vel facit.* Vnde ut suos, Filio, sibique similes redderet, Divinum illum essentialemque Amorem Dei Filium, quem utero, sinu, ulnisque gestavit, non non contenta ejus duntaxat virtutem charitatis sibi devotis, compluribus alijs Dei donis speciatam, infudisse, essentialem ipsam suam charitatem, ac amorem fontem bonorum, gratiarumq; omnium liberalissimè impertita est. Ex horum numero fælicissimus sanè extitit B. Hermannus adolescens pudicissimus, cui cū quamplurimos eosque singularissimos favores exhibuisset Deipara, eumque aliquando Regali schemate exornata atque Angelico satellicio stipata visitasset, quemadmodum Laurentius Surius scribit 7. Apr. unus Angelorum apprehensâ Hermanni dexterâ, Iosephique ei indito nomine, eum Virgini sacratissimæ per hæc verba de præsenti desponsavit: *Hanc ego Virginem tibi trado Sponsam, sicut fuit olim sponsata Ioseph, ut nomen Sponsi pariter cum sponsâ accipias, & in posterum Ioseph vociteris.* Quo autem insignem suam in Hermannum benevolentiam magis, magisque declararet Virgo sanctissima, dilectissimam Filium suum, ipsum substātialem Amorem in ejus sinum ulnasque reponit. *Porta*, inquiens, *Filium meum, sicut à Sponso meo Ioseph portatus est in Ægyptum; ut sicut idem onus, ita etiam consimilem eius nominis honorem obtineas.* O amorem Virginis in homines incredibilem, humanis mentibus incomprehensibilem, linguis prorsus ineffabilem! Quis hujusmodi cœli castissimas non ambiat delicias, quis in eis emori, præ affectus teneritudine non concupiscat? Desideremus & nos sancti hujus Adolescentis exemplo castissimæ huic Virgini per sedula in ipsam pietatis obsequia, perque ardentem castumque amoris affectum, desponsari. Hoc enim fieri posse asserit Dionysius Carthus. ser. 5. de Conc. B. V. *Ex spirituali*, inquiens, *nostro cum gloriosissima cœli Regina connubio, fœcundemur & prolificemus, hoc est, ex intima dilectione ad eam procedamus in omnem actum, ei placentem. Qui etiam aliquid diligit, libenter agit, quod illi placet. Ideo si cœlestem hanc Sponsam diligimus, eius intuitu, atq; amore faciamus, quæ ei sunt placita.* Imo quisque, ut præclarè his attexuit doctissimus atque Religiosissimus Aloysius Novar. Vmbræ Virg. lib. 4. Excur. 14. *Repudiet omnia terrena, ne à spirituali hoc connubio repudietur. Arcetur ab his nuptijs, qui sanctos mores arcet; nubit vitijs.* Sic ille.

B. V. etiā Amorem substātialem ipsum suū, Deiq; Filium amicis suis aliquando donat.

B. Hermāno adolescēti B.V. per Angelum desponsata.

Hermāno B.V. Filiolum ulnis baiulandū tradit.

Exhortatio Dionysij Richelij ad castissimum cum B. V. connubiū jucunpū.

Amore B. V. omnia terrena, ac vitia repudianda.

44. Quid de S. Bernardino Senensi dicam? cujus tota adolescentia Virgineis hisce amoribus, ac cupedijs fuit deliciosissima. Hanc enim præ amoris teneritudine, identidem Amicam, & Amicam formosissimam appellare consueverat. Cujus se amore ardentissimo captū dictitabat. Vnde quotidie Iconem quandam Deiparæ elegantissimam supra portam Senarum depictam, flexis nudis genibus, fusisq; ardentissimis precibus mane, ac vesperi summa pietate venerabatur. Quare Consobrinæ suæ Tobiæ fœminæ lectissimæ, ac pijssimæ sciscitanti quænam tandem hęc ejus tam formosa Amica foret, cujus se amore captum fatebatur. Respondit his verbis, ut scribit Beatus Ioannes Capistranus, ejus vitæ auctor: *Philocaptus sum de B. Virgine DEI Genitrice MARIA, quam videre toto cordis affectu, eius amoris flammâ succensus, totis visceribus concupisco, quam mihi Sponsam castissimam desponsavi, in qua omnis mea spes stabilita, & firmata est. Illam summè diligo; illam quæro, illam semper vellem reverentiâ debitâ intueri. Sed cum hoc in præsenti sæculo obtinere non valeam, in mente mea omnino statui, ejus Imaginem quotidie visitare. Et talis est Amasia mea.*

S. Bernardini Senēsis amor in B.V. tenerrimus.

S. Bernardinus B.V. sibi in Spōsa delegit.

Quanto porro Virginis amore reliquo vitæ suæ decursu flagraverit Vir hic Seraph. declaravit idem B. Capist. qui, in Panegyricis B. Virginis encomijs ad po-

S. Bernardini Sen. inter concionandũ de B. V. laudibus facies veluti cujuspiã Seraphini ac cẽdebatur

Gratiæ à B.V.S.Bernardino præstitæ.

pulum habendis, tanto fervore accensum se vidisse testatur, ut *eius facies velut alterius Seraphin, ut ipse loquitur, solari irradiari fulgore videretur.* Alter verò ejusdem vitæ illustris scriptor cap. 7. se eum concionantem Senis die Beatæ Virginis Natali his verbis audisse, testatur: *Ego Frater Bernardinus semper fui devotus Beatæ Virgini; in die enim Nativitatis eius natus sum, eodem die baptizatus. Illo ipso die Monasticum habitum indui, itemq; professus sum Monachum, & summum sacrificium feci, eodem die cupio ex hac vita exire.*

B. Stanislaꝰ Kotsca Deiparã utMatrem dilexit.

45. Quid denique B. Stanislaum Kotscham, Societatis nostræ Tyronem, eximiæ in Dei Matrem pietatis illustre speculum commemorem? Huic ab infantiâ, adeo pius, tenerq; Virginei amoris cœlitus instillatus est affectus, *ut suam Matrem* in omni sermone appellaret, eo pietatis sensu, ut audientes ad pietatis amorem accenderet. Cum enim aliquando à Tyronum Magistro esset quæsitus; *Amaretné D. Virginem?* respondit vultu hilari: *Quidni? hæc enim est Mater mea.* Et verò quæ unquam Parens amantissima Filiũ uteri sui ijs complexa est officijs, quibus Maria Virgo Stanislaum? Illud omnino est memorabile. Dum è periculoso morbo æger decumberet, eum ipsa magnâ charitate invisit, solata est, cœlestibusque delicijs recreavit, utque majorem in Deum divinaque amorem ejus in pectore succenderet, ipsum essentialem Amorem, nempe ipsum Dei Filium, quem ulnis ipsa gestabat, in ejus lectulo collocavit. Ad ejus contactum fugit morbus, flammisque cœlicis planè inusitatis Stanislai cor exarsit, adeo, ut aliquando madenti spongiâ ad amoris Divini flammas pectore ipsius æstuantes temperandas opus fuerit. In tantum, tamque vehemens, ignis ille Divinus à Deipara in juvenis pectus infusus exarsit incendium. Cum enim hæc pijssima hominum Mater amet nos amore invincibili, ut S. Petrus Card. Dam. ser. I. de Nativ. loquitur, nulla sanè vi, noster in illam amor, si verus, ac genuinus sit, vinci, ac superari poterit. Verè enim aquæ multæ hanc extinguere charitatem minimè poterunt, nec flumina obruent illam. Denique ut suum hunc, in Stanislaum amorem velut sigillo obsignaret, monuit ut in Societatem Iesv ingrederetur; quo majora illi ipsius ardores, in dies singulos caperẽt incrementa.

B.V. in lectulum ægrotantis Stanislai Filiolum suum collocat.

Maria amat nos amore invincibili.

Maria monet Stanislaũ, ut in Societatẽ Iesv ingrediatur.

46. Quid denique de alijs animi bonis atq; utilitatibus spiritus à Deiparæ Bonitate humano generi liberalissimè communicatis dicam? Illud unicum dixisse sufficiat, eam nostræ libertatis assertricem, causam salutis, cœli januam, per quam nobis in æternam patriam securissimus est aditus, extitisse. Et quemadmodum prima Parens Eva omnium malorum, tam animi, quam corporis, quibus humanum genus assiduo conflictatur Iliadem invexit: Sic contra Virgo hæc optima, atque benignissima, abundantissimam bonorum omnium refertissimamq; nobis Cornu Copiam in Mundũ effudit; ut meritò Seraphicus Bonaventura Psal 44. orans ei cecinerit: *Per tuam sanctitatem peccata mea purgentur, per tuam integritatem mihi incorruptibilitas condonetur; Per tuam Virginitatem anima mea à Christo adamatur, eiusq; amoris vinculo sociatur. Per tuam fœcunditatem ego captivus sum redemptus, per tuum partum Virgineum, de morte perpetua sum ereptus, Per tuam prolem dignissimam perditus sum restitutus, & de exilio miseriæ in patriam beatitudinis sum reductus.* Idem S. Pater bonis, ac beneficijs Deiparæ universum orbem tam cœlestem, quam sublunarem, imò & Infernum refertum circumspiciens, admiratione plenus, Psal 45. dixit: *Beneficijs tuis plenus est mundus, superant cœlestia, penetrant & inferna; plenitudine gratiæ tuæ, quæ in Inferno erant se lætantur liberata. Obtentu fœcunditatis tuæ Virgineæ, quæ supra mundum sunt se gaudent restaurata. Per gloriosum tuæ Virginitatis sanctissimæ partum homines Angelorum fiunt socij, & Concives.*

Maria nobis omniũ bonorum, sicut Eva malorum causa fuit.

PerMariæ fœcunditatem homo captivus est redemptus, & de morte ereptꝰ.

Mariæ beneficij totus mundus est plenus.

47. Eandẽ ob causam gentes, ac nationes omnes ad deprædicandas summâ cum lætitiâ Deiparæ beneficentissimæ laudes, plurima eius encomia simul conglobans, invitat: *Omnes gentes plaudite manibus, psallite in iubilo Virgini gloriosæ, quoniam ipsa est porta vitæ. Ianua salutis, & via nostræ reconciliationis; spes pœnitentium, solamen lugentium, pax beata cordium, & salus.* Vnde Baptista Mantuanus lib. 2. Parth. in persona Elisabethæ, ejus laudes, beneficiaque deprædicans, eam Deboræ, Iudithæ, Estheræ libertatis Israëlitici populi assertricibus prætulit, inque ejus laudem, ob spiritualem potissimum Orbi assertam libertatem, cecinit:

Maria porta vitæ Ianua salutis, via reconciliationis, & spes pœnitentium.

MariaDeboræ, Iudithæ, Estheræ præferenda ob assertam mundo libertatem.

Tu genus instauras hominum, profugamq; paterno
Solvis ab exilio gentem, fortissima certè

Debora, bellatrixq́; potens, animosa Virago
Quæ Ducis Assyrij caput, atq; fluentia tabo
Colla secans, pauidos hostes dare terga coegit.
Ipsaq; Persarum quondam gratissima Regi,
Quæ genus ulta suum, summo dedit oscula sceptro
Clara fuit, multoq́; nitens resplenduit ostro.
Hæ summum meruere decus, laudemq; superbã.
Tu tamen has omnes superas; tu sæcula portans
Aurea, fœminei tollis conuitia sexus.
Iam Deus antiqua commissa piacula fraudis
Ponet, & irasci iam desinet æther.

M. Aurea reuexit sæcula.

48. Tandem DEIparam cum Euâ conferens venustissimis metris, utriusq; depingit antithesim, innumeraque animorum, per Virginem optimam Orbi parta bona decantat; eamdemque lacteis Paradisi fluminibus totum Mundum irrigantibus confert.

M. cum Eva collata quàm dissimilis.

Quam benè mortali Superum clementia morbo
Consuluit: Vulnus Virgo, medicamina Virgo
Contulit: illa necis dedit, hæ primordia vitæ:
Illa tulit belli causas, hæc Fœmina pacis:
Illa venenosa stygijs lactata Megæra
Vberibus, gelido conceptum pectore virus
Expuit in Natos, nigroq; afflata Colubro.
In genus omne suum, spumam eructauit Auerni,
Cuius odor postquam cælos, & tecta Tonantis
Attigit; extemplo valuas offensa patentes
Numina clauserunt, totusq; excanduit æther:
Ista salutari totam se proluit imbre
Nectarei fontis, vitalia pocula, dulces
Ambrosiæ succos plenis crateribus hausit,
Mellifluosq; bibens latices, quos magnus ab Hortis
Elias Eois mittit, se in flumina vertit
Lactea, quæ semper plenis currentia ripis
Omne solum lustrant.

M. DEI gratià, quasi fonte Nectareo pfusa.

Verè enim postquam Virgo gloriosissima DEI Filium sinu, suo purissimoq; utero complexa est, quasi Diuinum quoddam nectar, ambrosiamque, quibus ad æternam vitam nutriuntur Cœlites, ipsumque mellifluum Diuinæ gratiæ Flumen, Virgineo ventris cratere excepit, mirabilique quâdam metamorphosi in lacteum quendam Diuinæ gratiæ, ac misericordiæ fluvium, illi persimilem, qui de loco voluptatis, seù Paradisi egrediens, universum terrarum Orbem irrigauit, conversa est. De plenitudine enim ipsius gratiæ accepimus omnes. Quicquid enim gratiarum DEI Filius Mundo confert per manûs Maternas, omni acceptione dignissimas, velut aureum quendam aquæ ductum confert. Vnde prosequitur idem Poëta pijssimus cœlestem, æternumque Patrem, ubi Virginem in gratiarum fontem lacteum transformatam conspexit, cœlorum portas tot annorum myriadibus, adamanteis vectibus obseratas illicò mortalibus reserasse.

M. in lacteū Diuinæ misericordiæ fluviū quasi conversa.

Hæc ad spectacula versus
Ipse Pater, clausi limen reseravit Olympi.

49. En quanta animorum bona Virgo liberalissima mortalibus elargita est! Iure merito Rupertus Abbas lib. 4. in Cant. hujus Paradisiaci fluminis emissiones, seu in Orbem influxus considerans, expendensque verba illa Sponsi in ejus laudem pronunciata; Cant. 4. *Emissiones tuæ Paradisus malorum Punicorum, &c: Mirum*, inquit in persona ejus Filij, *quod cùm ita sis Hortus conclusus, ita fons signatus, nihilominus, imò multò ampliùs emittis omnia bona, quibus Mundus impleatur, & emissiones tuæ sint Paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus, &c. Quicquid enim gratiarum, quicquid virtutum, quicquid operationum cœlestium Mundus accepit, emissiones tuæ sunt, ut ibi erant priùs spina, & vepres, & carduus, lappa & tribulus, urtica & paliurus, uniuersitas nequitiarum, ibi sit cypressus cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & Cinnamomum, myrrha, & aloe, uniuersitas gratiarum, iuxta numeri septenarij Sacramentum.* Meritò hæc tanta Virginis DEIparæ præsertim spiritualia mortalibus impertita bona perpendens S. Ildephon. cap. 12. de Virginitate MARIÆ, in illa prorupit verba: *O salutis, ac vitæ simul, & gloriæ Premium, grandi opulentiâ magnum.* De his etiam beneficijs S. Ioannem Damascen. Orat. 2. de Assumpt. præclarissimè discurrentem audiamus: *Hæc inennarrabilem Diuinæ erga nos benevolentiæ abyssum in publicum deprompsit. Per hanc diuturnum illud bellum, quod nobis cum Creatore fuit, sublatum, atq; extinctum est. Per hanc nobis cum eo reconciliatio sancita, paxq;, & gratia donata est; unde Angeli unà cum hominibus choros agit nt, & qui ante ignominia notati fuimus, nunc Filij DEI effecti sumus. Ex eâ vitæ uvam collegimus. Ex eâ immortalitatis germen decerpsimus. Hæc bona omnia nobis conciliauit. In hac & DEVS Homo, & Homo DEVS factus est. Quò quid mirabiliùs? quid beatiùs. Hic equidem metu æstuo, ac contremisco.* Hæc ille, & verè.

Omnes gratiæ, quibus Mundus gaudet, sunt emissiones B. Virginis.

A MARIA provenit Mundo universitas gratiarum

Per Mariã diuturnũ bellum, quod nobis cum Creatore fuit, sublatum est.

50. Porrò inter omnia hæc spiritualia bona, utilitatesque, post Diuinissimum illud Incarnationis Beneficium, in utero Virginis peractum, quod Fons bonorum omnium nobis extitit, jure censuerim esse fœlicem ex hac vita ad alteram, in præsentia, ac protectione, Virginis DEIparæ profectionem. Beneficium hoc revera, ex ima Diuinæ Benevolentiæ abysso nobis, intercessione

B.V. bonã mortẽ ex ima Diuinæ benevolentiæ abysso depromit.

Virginis depromi consuevit. Quod beneficium sanè hujusmodi est, ut omnes suæ salutis amantes, ad peculiari cultu venerandam Dei Matrem inflammare debeat. Varia apud varios de hoc argumento passim posteritati mandata reperiuntur exempla; quorũ aliqua illustriora B. Alanus de Rupe Prædicatorũ Syd⁹ Par. 5. Psalt. commemorat. Inter reliqua cap. 58. meminit cujusdam Principis Alphonsi, qui uti divitijs plenus, ac locuples, ita vitijs omnibus fuit coopertus. Audierat hic S. Dominicum die Natali Christi mira de Rosario, deque patrocinio B. V. dicentem pro concione, ac inter reliqua eos, qui piè corollam, salutationibus Angelicis, velut rosulis contexerent, victoriam de suis hostibus obtenturos; quibus auditis decrevit pensum; illud devotionis quotidie Virgini persolvere; accersitoque, non ita multò post ad se D. Dominico, sciscitatus est, veranè ea essent, quæ illo die ad populum dixisset? Cui S. Pater: *Omnia vera sunt*, inquit, *quæ de virtute Psalterij Virginis Beatissimæ prædicaui. Et tu si ipsum orare volueris, & in illam Sodalitatem adscribi, experieris omnia, aliaq; multò ampliora.* Perrexit Princeps in illo pietatis Virgini persolvendo exercitio quam accuratissimè. Vertente anno, eodem die Nativitatis Dominicæ, dum in Templo de more Psalterium Virgini recitat, ab eaque gratiam, ac misericordiam ad sua detestanda, ac deploranda scelera humiliter flagitat, ecce tibi Virgo benignissima, Mater æquè gratiæ, ac misericordiæ Filiolum speciosum forma præ filijs hominum ulnis gestans, sese ei visendam exhibuit, eumque ita allocuta fuisse, perhibetur: *Alphonse, ecce toto Anno hoc mihi, Psalterio meo devotè persoluendo inseruijsti, adsum nunc ut te consoler. Ecce impetraui tibi à Filio meo quem in ulnis meis cernis remissionem omnium peccatorum. Potieris insuper omnibus illis gratijs, quas tibi Sponsus meus Dominicus pollicitus est, imò adhuc multò amplioribus, si tamen in seruitio meo perseueraueris. Accipe Rosarium hoc quod semper tecum deferens, nunquã aduersus te inimici tui prævalebunt.* Accepto igitur de manu Virginis miræ pulchritudinis Psalterio, totus lætitia gestiens, conjugi rem narrat ex ordine. Quæ cum oculis capta esset, incredula ijs, quæ à marito dicebantur, mentis etiam oculis orbata videbatur. Quare ut Alphonsus utrique conjugis consuleret cæcitati, Rosarium sibi à Virgine donatum illi porrigit, illudque oculis ejus applicat, ad cujus contactum mox visum recepit, & deinceps Virginem, peculiari affectu, recitatione præsertim Rosarij prosecuta est. Hiscé interea Virginis favoribus fretus Alphonsus adversus suos hostes dimicare cœpit, quos omnes sedibus suis, quas olim occupârant, exturbavit, brevique ejus nomen, insigni cum laude, ac gloria divulgatum est, adeò ut Reges, ac Principes, qui bella contra infideles gerebant certatim ab Alphonso tam fortunato opem implorarent, & cuicunque tandem adhæsit, victor evasit. Nullus Alphonsum, verba sunt B. Alani, in bello capere, nullus vulnerare, nullus denique adversus eum prævalere potuit. Semper enim ante initam pugnam Virginis gloriosæ Psalterium flexis genibus devotè persolvere consueverat. Quod S. exercitium etiã apud alios promotum voluit. Vnde nullum apud se servum esse passus est, qui quotidie Psalterium Virgini percurrere detrectabat. Hanc tam Divinam Psalterij agnoscens energiam, ac virtutem illud in clypeis, sigillis, vexillisque pingi, ac sculpi curavit.

B. V. cultus fœlicẽ ex hac vita exitum nobis parat.

Rosariũ B. V. impetrat victoriã de inimicis.

B. V. Alphonso Principi Rosarium donat.

Alphons⁹ Princeps Rosario uxori visũ restituit.

Alphons⁹ virtute Rosarij hostes suos debellat.

Alphons⁹ ante pugnã flexis genibus Rosarium recitat.

His pietatis exercitijs, Virginisque cultui intentus Alphonsus dum viveret, cœlo tandem maturus evasit. Itaque in morbum cùm incidisset, nil antiquiùs habuit, quàm ut peccata omnia, maximo cum dolore, generali confessione expiaret, seseque Sacramentis omnibus ritè communiret. Vbi optatum tempus in cœlum emigrandi adfuit, mox se B. V. unà cum Filio ante lectulum videndam exhibuit; qui, Confessario vidente animam Alphonsi quasi Columbam, nive candidiorem susceperunt, eamque in beatam illam Patriam collætantibus Choris Angelicis deduxerunt.

Christ⁹ & B. V. animam Alphonsi specie columbæ exceperunt, & in cœlum deduxerunt.

51. Idem B. Alanus eadem Par. 5. Psalterij cap. 43. alium fœlicem ex hac vita exitum hominis sceleratissimi, intercessione B. V. impetratum recenset. Fuit hic Baro Petrus nomine, S. Dominici degenter consanguineus. Hic aliquando curiositate magis, quàm pietate pertractus, ad Concionem S. Patris accurrit, quo rursus altero die adveniente, cùm eum Dominicus templum ingredientem vidisset, agnovissetque Divinitus, quantis sceleribus esset coopertus, roga-

Rosarium B. V. Petrum Baronẽ hominẽ impium ad vitam meliorem cõvertit.

rogavit tacitè apud se Dominum, ut animæ ejus fœditatem populo aperiret. Illicò visus est homo miserabilis à Cacodœmonibus ligatus, & adeò immaniter tractatus, ut omnes conclamarent, maximoque horrore perculsi, perinde atque Sathanam intuerētur, totis artubus contremiscerent. Cùm hæc videret Sanctus Pater, ut populus conquiesceret, misit Bertrandum Virum Religiosum, monuitque, ut illi B. V. illud Psalterium quod porrigebat, dono daret, eumque in primis ad pœnitentiam, tum ad recitationem devotam Rosarij hortaretur. Accepto Psalterio mox Petrus in alium Virum mutatus est.

Vis magna Rosarij B. V.

Nam adito S. Patre in pijs ejus se precibus humiliter commendavit, deinde ad ejus genua provolutus anteactæ vitæ scelera confessus est; cui ex B. V. revelatione in satisfactionem peccatorum quotidianam, quoad vixerit Psalterij impoſuit recitationem. Acceptavit ille hanc pœnitentiam ad modum suavem, (quid enim suaviùs salutatione purissimæ Virginis?) simulque in Album Sodalium Sacratissimi Rosarij nomen suum adscribi voluit manu propriâ.

Quod ubi obsequium Deiparæ præstitit, facies illa, quæ videbatur Diabolica, in Angelicam planè conversa est, cum omnium spectantium admiratione, qui eum simul etiam tribus pulcherrimis corollis, ob Psalterium Virgini, ternis quinquagenis constans, devotè persolutum, redimitum conspexere. Hic demum hoc tam insigni pietatis exercitio id consecutus est, ut uxore, & familiâ universâ ad colendam, ac frequenter Psalterio salutandam Deiparam instructâ, ab eadem de fine vitæ certiores fierent. Et ipse hâc suâ tam præclarâ in Virginem religione, morti jam vicinus, meritus est, ut inter manûs Christi, & Mariæ, ut loquitur Beatus Alanus, spiritum redderet, cum singulari adstantium, præsentiam Domini Iesu, & Virginis Mariæ intuentium, devotione. En quot, quantaque spiritualia bona, atque emolumenta sedulè gloriosissimæ Virginis, Salutationibus Angelicis ritè persolutis, exhibita veneratio; hominibus etiam facinorosis anteactam vitam detestantibus apportat. Et quid tandem suis innocentibus, dilectissimisque Filijs apportabit?

B. V. in mortis hora Petrū cum Filio invisit, & ad cœlum deducit.

Apportabit sanè longè maxima; obviabit enim eorum animabus de ergastulo corporis egredientibus quasi Mater honorificata, obuiabit illis sine dubio specie Apocalypticæ illius mulieris rutilanti amicta Sole, Stellis 12. coronata, Luna calceata, Tartarei Serpentis, qui eâ horâ vel maximè clientulis ipsius, ac filij insidiatur, caput cōterens, deque eo gloriosè triumphans. Illuminabit illorum mentes Divinæ cognitionis, fideique luce; accendet calore Divini amoris eorum voluntates, ut constantes ad extremum usq; vitæ suæ halitum in fide, & charitate Christi ab illa nunquam separandi perseverent.

52. Hac in Virginem Iustus Landspergius fretus fiduciâ, sperans ab ea se consecuturum bonum mortis, sæpiùs varijs in locis eam ardentissimè deprecatur, ut suâ præsentiâ, in ea hora discriminis plentissima, eum dignetur, animamque è corporis ergastulo egredientem suscipiat, & ad beatam illam patriam deducat. Sic igitur ille:

Iustus Lādsperg. orat B V. ut illi adsit in hora mortis.

Ad pedes Sanctitatis tuæ Imperatrix cœlorum confugio, per omnem gratiam, & gloriam, quam tibi Filius tuus contulit, supplico, ut non me derelinquas in mortis hora, sed assistas mihi tunc, & in omni angustia, & tentatione Protectrix, ac Liberatrix misericordissima.

In pharetra Divini Amoris lib. 2.

Impetra etiam mihi talem invenire gratiam apud Filium tuum, ut in hac præsenti vita tantam mihi det peccatorum meorum contritionem, ut plenam ante animæ meæ egressum percipiam culpæ & pœnæ remissionem propter mortem suam, & Sanctitatem tuam. O Domina mea amantissima, tuis sanctissimis intercedentibus meritis, fac me ita religiosè, & piè vivere, tam fideliter tuo Filio, tibiq; servire, tam ardenti, & intensâ Charitate DEVM & proximum diligere, ut nihil damnabile, vel purgabile habeam de hoc Mundo transiturus, sed in sanguine dilecti Filij totus, ac in vulneribus eius sacratissimis sepultus, preciosissimâq; eius morte vivificatus, & tuis meritis abundantissimè stipatus, nullas inimicorum pertimescam insidias, verùm cum gaudio ad te perduci, & in conspectu benedictissimi Filij tui latus præsentari, atq; sine fine tecum commorari merear; ubi incomprehensibilis illa lux oritur, quæ nunquam occidit; ubi ineffabilis pax colitur, quam nulla turbatio interrumpit, ubi fontana illa omnis boni Abyssus scaturit, quam nemo exhaurire sufficit; ubi Divina Maiestas æternâ requie omnia continet; Vbi Divina Veritas perenniter lucet; ubi Divina Charitas æternæ consolationis dulcedine semper rorat; ubi Beatissima Trinitas

tas semper viuit, & regnat per sæcula.

53. Quid tandem de corporis bonis ab optima hac Virgine provenientibus dicam? hæc licet in postremis habenda sint, tamen quia Divinæ Gloriæ subinda amplificandæ servire consueverunt, his etiam elargiendis Virgo minimè parca extitit. De his multa ex SS. Patribus, præsertim ex D. Basilio Selévciæ Episcopo, B. Amadeo, & alijs supra allata sunt testimonia, quibus Virginea pietas, in humanis corporibus tuendis, ac conservandis elucescit. Quare jure merito Cæsarius lib. 7. c. 25. æternâ memoriâ dignum literis mandavit Pronunciatum illud: *Medicinâ Beatæ Virginis nihil est efficacius, nihil est salubrius. Nec mirum ipsa Medicum genuit, ipsa Medicinam generis humani ex se produxit. Idq; probat ex illo Gen. 1. Germinet terra herbam virentem, asserens, terram esse Virginem, quæ ad instar terræ medicinalis germinauit Saluatorē. Eandem Virginem terram illam esse dixit Sapiens Eccl. 38. Altissimus de terrâ creauit medicinam, nempè Christum Medicum, & medicinam animis, corporibusq; salutarem.*

Medicina B. V. nil salubrius, ac efficacius, quia ipsa Medicū genuit.

M. Terra ex qua nobis progenita est Medicina.

Concludit tandem: *Quid mirum si apud ipsam sunt medicamenta sanitatum, quæ Hortus est aromatum?* Quod ipse nonnullis sanitatis in ejus templis recuperatæ confirmat exemplis, ijs præsertim quæ in Monte Pessulano contigerunt, in quo varijs infirmitatibus conflictati, pristinam sanitatem recuperabant. Vnde factum, ut cùm pauperes, alijque ad Medicos illius loci curandæ valetudinis gratiâ recurrerēt, Virgineæ gratiæ invidentiâ tacti, per ironiam dicerent: *Ite ad Ecclesiam S. Mariæ, deferte ei lumen, & recipietis sanitatem.* Quod ironicum eorum consilium cum sanctâ quâdam simplicitate exequerentur, mox opem Deiparę promptissimam experiebantur.

In Monte Pessulano Mariæ sacro, infirmitates variæ curatæ.

54. Quod si ejus nomini dicata, ac consecrata templa erant quædam apothecæ sanitatum; quid de ejus sacratissimo corpore, quid de vestibus, quid de ejusdem dicemus sepulchro? S. Ioannes Damasc. Orat. 2. de Dormit. Deiparæ post ejus, ex hac vitâ discessum hæc miracula ad corpusculi illius jam exanimis præsentiam contigisse narrat. *Tunc & morbi fugam capessebant, & Dæmonum caterua pellebantur, atq; ad subterraneas partes undiq; exigebantur. Hic surdis auditus, claudis pedum firmitas, restituebatur. Peccatoribus in fide accedentibus, syngrapha lacerabantur.* Idem Damasc. S. Virginis sepulchrum (quod ille jure merito sanctorum sepulchrorum post Domini sepulchrum sacratissimum vocitavit) ita de miraculis à se editis loquens per prosopopæjam introducit: *Nunc me circumdant Angeli, nunc Divina in me habitat gratia: ego evasi medicina officina ægrotantibus, ego fons perennis curationum; ego remedium contra Dæmones: ego ciuitas refugij omnibus ad me confugientibus.*

M. corpꝰ exanimè miracula patrabat varia.

M. Sepulchrum miraculosū.

Sepulchrū B.V. Medicinæ Officina ęgrotantibus, fons perennis curationū & remediū contra Dęmones

De veste autem Deiparæ veneranda, qnam illa, teste Nicephoro lib. 15. Hist. Eccl. cap. 24. ad Filium in cœlos migrans, Hebrææ cuidam Virgini, benevolentiæ suæ in illam pignus singulare reliquit, Leone imperante, Constantinopolim delata, ad illa usque tempora incorrumpta permansit, multaque miracula edidit; Cujus honori Leo Magnus ille Imperator Templum construxit, *in quo magnificè*, ut loquitur Nicephorus, *vestem illius consecrauit.*

55. Quid de ejusdem Virginis dicam Imaginibus? Notissima est Sozopolitana illa in Pisidiâ, de qua 11. Syn. Nicæna Act. 10: 4. testatur ex pictâ ejus manu unguentorum scaturiginem effluxisse. Celeberrima quoque S. Mariæ Majoris Imago illa, quæ constanti plurimorum sæculorum famâ à D. Luca, arte planè Divinâ depicta fuisse memoratur. Hâc lue fœdissimâ totâ Româ grassante, cùm à Divo Gregorio Pontifice verè Summo, ac Maximo, per Vrbem, magnâ totius populi supplicantis pompâ, ac veneratione deferetur, aër ille pestilens, ad conspectum Sacratæ Iconis cessit, & in salubrem mox conversus est. Cujus tam eximij, tamque expediti auxilij à Diva Virgine Vrbi impertiti causâ, cum omnes incredibili animi lætitiâ perfunderentur; Ecce Angelica vox cœlitus demissa, quâ Virgo gaudere jubebatur, ad omnium aures allabitur, omnesque stupore attonitos, tam suavi hâc melodiâ defigit:

M. Imagines miraculosæ.

Ex manu B.V. depictæ unguentorū Scaturigo effluxit.

Imago S. Mariæ majoris miraculosa cōtra pestē.

Regina cœli lætare, alleluia.
Quia quem meruisti portare, alleluia
Resurrexit sicut dixit alleluia.

Cui D. Gregorius Divino planè instinctu auream verè Coronidē imposuit: *Ora pro nobis DEVM alleluia.* Tandem cùm ad molem Adriani eâ supplicantis populi pompâ perventum esset, visus est Angelus super eam molem nudatum gladium vaginâ recondere, quo Divinâ ultio-

ultionem, ac luem cessasse significavit. De his Carolus Sigonius lib. 1. de Reg. Ital. An. 500. & 591. De eadem Divæ Virginis Icone rem planè memorabilem narrat Anastasius Bibliothecarius & Boron. To. 10. An. 847. Cum enim sub Leone Pontif. Opt. Max. in caverna quadam juxta Basilicam S. Luciæ Basiliscus delitesceret, pestiferoque suo halitu, atque aspectu plurimis perniciem inferret, S. Pontifex institutâ supplicatione solenni, ipso die B. Virginis in cœlos Assumptæ, & summâ pietate, ac pompâ ad eam cavernam sacratâ Icone Matris illius, quæ salutem mundo peperit deportatâ, teterrimam illam belluam fugavit, totique urbi salus, ac incolumitas cum omnium incredibili lætitiâ restituta est.

S. Mariæ Majoris Imago Basiliscũ, pestiferum aerem halitu inficientem fugavit.

56. Quid demum de Icone Deiparæ Cellensis in Styria, miraculis, mirisque beneficijs in genus humanum clarissimæ dicam? Libet illius hic paulo altius repetere exordia, quo magis loci illius religione, ac pietate lectores accendantur. Marquardus Carinthiæ Dux, pro ea, qua in Deum & S. Lampertum ferebatur devotione, Monasterium Divi Benedicti Ordini (quem verè antiquum, ac pulcherrimum sanctæ Ecclesię appellare possumus ornamentum) fundare decrevit in Styria, Anno 1906. quod ille agris sylvis, pratis, pagis longè, lateque patentibus, amplissimis demum redditibus, pro sua munificentia locupletavit. Inter bona hæc Monasterio assignata, non in postremis numeratur Vallis illa, in qua hodie Templum Divæ Virginis Cellensis visitur, quæ cum sat longo à Cœnobio S. Lamberti distet intervallo, opus fuit illuc ad bona illa administranda quempiam Oeconomum rei agrariæ, ac familiaris peritum transmittere. Eligitur igitur circa Annum 1269. quidam è Viris illis Religiosissimis, nõ minus œconomiæ peritus, quã in Deum, eiusdemq; Matrem pietate, affectuque singulari insignis. Hic cum in sua Cellula haberet suas divitias, ac delicias spiritus, Statuam scilicet Deiparæ, ulnis suis parvulum Iesum gestantem, eique pomum offerentem, cui vicissim Mater pyrum gratiosè refert, vix cubito altiorem, antequam mane, ac vesperi, ac sæpius de die preces fundere consueverat, nihil antiquius habuit, quam ut eam secum in vastam illam solitudinem, omni humano pene solatio carentem asportaret.

Imago B. V. Cellensis in Styria claret miraculis.

Monachus in solitudinem statuam B. V. secum asportat.

Dixerit fortassis intra se Vir hic in Dei Matrem pijssimus iter faciens, dulcemq; illam sarcinam, ac leve amoris onus bajulans cum Sapiente c. 8. Sap. Proposui hanc adducere mihi ad convivendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis, & tædij mei. Intrans in domum meã conquiescam cũ illa, non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium, & in amicitia illius delectato bona, sive, ut legit Græcus, Pulchra. Vbi ergo ad Vallem illam pervenit, locum idoneum construendæ sibi Cellulæ deligit, in eaque Oratorium, in quo Simulachrũ illud amabilissimæ Dei Matris collocet, extemplo concinat, ac cõstruit; itaque ex cella illa sibi Cœlum, ut Auctor Historiæ Cellensis scribit, fabricat. Hic ille die, noctuque ad Aram Virginis, functus suo jam officio, Psalmis, ac orationibus, rerumq; Divinarum commentationi, cum lacrymis, magnis cœli delibutus gaudijs, ac solatijs operam dabat, hic ille agricolas Christianæ fidei capitibus erudiebat, eorumque animos ad omnem pietatem, & peculiarem in Dei Matrem venerationem excitabat. Itaq; sensim sine sensu hujus Iconis sanctitatis fama varias longè lateq; regiones pervagata est, ostenditque revera universorum Dominus se in parvis Magnum Deum esse. Nam cum Anno 1284. Henricus Moraviæ Marchio una cum Agnete Conjuge, gravissimâ pene triennio, omniũ membrorum laboraret paralysi, nec ullum remedium in humana arte, atque industria superesset, ad Magnam illam totius Orbis Medici Parentem recurrit, opem quoque S. VVenceslai Moraviæ Tutelaris implorat. Clerus etiam pro sui Principis incolumitate, in supplicationem processit: obductum nubibus cœlum serenavit. Nec irritæ Marchionis, Cleri, subditorumque cecidere preces. Marchio post supplicationem illam placidè quietem captavit, in qua S. VVenceslaus sese ei visendum exhibuit: *Fac sis, inquiens, bono animo una cum tua Conjuge: sat diuturna ægritudine estis conflictati. Sani estote;* simulq; demandat, ut in Styriam ad Monachi Cellam, in qua Mater Gratiarum latitabat se conferat, eique pro concessa sanitatis gratia, gratias agat. Marchio gratus pro beneficio una

Monachus in solitudine sibi cellam, & oratorium pro statua B. V. construit.

Henricus Moraviæ Marchio cum Conjuge paralysi laborans opẽ B. V. implorat.

S. VVenceslaus Marchioni suadet per quietẽ ut Cellas proficiscatur.

cum conjuge mox, magna comitante suorum caterva iter arripit, & magnis itineribus mira perfusus lætitia ad invisendam misericordiæ Matrē, omnis boni Auctricem proficiscitur. Errantem subinde Angelus in viam comiter reducit, cujus rei testis stat lapis in hodiernum usque diem præ foribus Templi. Tandem ad Cellam Monachi, in qua Sospitatrix Virgo omnis boni post DEUM Fons, incredibilibus delibuti spiritus delicijs perveniunt. Ibi vota sua devotè, ac religiosè persolvunt, corda sua coram Virgine effundunt, seseque totos ejus obsequio, servitioque mancipant, bonaque omnia, ac gratias ab illa acceptas, in illam tanquam omnium bonorū Mare refundunt, ut iterum largiori gurgite in ipsos fluant, bonisque omnibus in posterum infundi mereantur. Iubet deniq; eo loci ubi erat Monachi Cella & oratoriū Virgini consecratū, suis sumptib⁹ Templū, gratitudinis memor ędificari.

Infinita alia ex omni antiquitate commemorari possent exempla, quæ Divam Virginem Bonū Utile in curandis varijs mortalium infirmitatibus esse contestantur.

MARIA morborū curationes aliquibus sanctis aliquando demandat

57. Illud solum commemorasse sufficiat, Virginem hanc gloriosissimam nō modo per seipsam innumera beneficia tàm animi quàm corporis, morborumq; incurabilium saluberrimam medicinam contulisse, verùmetiam sanctis aliquibus, licet nō invocata, hujusmodi curationes jure suo demādasse. Extat hac de re illustrissimum, memoriaque dignissimum exemplum in 2. Syn. Nycæna Act.4. quod Theodosius Diaconus ex libro Miraculorum S. Cosmæ, & Damiani totâ audiente Synodo, hiscé fere verbis recitavit.

Quidam fistulâ in coxa laborans, ope Mariæ sanatur.

Vir quispiam admodum mansuetus, fistulâ in junctura coxæ laborabat, eumq; multorum curationes frustra tentasset, medicorumq; novaculis Annis 15. esset scissus, exhaustus, & superatus malo, videns ulcus in dies quinq; foraminibus augeri, perq; unum eorum potum, cibumq; quandoq; reddi, desperatâ à medicis sanitate, amicorum consilio ad Templem S. Cosmæ, & Damiani ire decernit. Cui cum per somnium adstitissent dicentes: Adesdum ad nos, & sanaberis, hac eorum adhortatione confisus. Diuorum templum adit, quotidie ad eos supplicans quo possit à morbo liberari; cum autem multos dies preces frustra fudisset, nec quicquam quod solatio esse posset perciperet, ædem sacram egressus videt in porticus limine Imaginem Servatoris nostri positam, cui aspicta erat etiam S. Domina nostra DEIpara, Beatiq; viri Cosmus & Damianus. Obsecrationibus igitur rursus factis, amareq; multis horis illachrymans, rogat Sanctos, ut voti fiat compos. Ea nocte, per quietem vidit Sanctos viros DEI ad se venientes, & in eorum medio Virginem DEI Matrem ad illos dicentem: En hic est, suppetias illi quamprimum ferte. O benignitatem Virginis singularem, ò bonitatem, ac charitatem prorsus inexplicabilem! Adest miseris non invocata, suoque jure, ac imperio in Sanctos, utpote eorum Regina, ac Imperatrix ad succurrendum hominum miserijs utitur.

B.V. Sanctis Cosmæ & Damiano mandat ut infirmum sanent.

58. Quæ res sanè dum à me scribitur ipsa die SS. hiscé Medicis sacra, in qua minima Societas nostra, Sumi Pontificis auctoritate confirmata est, mirificè me affecit, in maximamque spem adduxit, fore ut tam DEIparæ Virginis, quæ hujus Religionis Auctrix est; quam horum sanctorum patrocinio, quos peculiari studio plurimis effusis precibus, oblatisque Missarum Sacrificijs quotannis 27. Sept. in tanti, tamque insignis beneficij recordationem, veneramur, in Divino servitio stabiles conservemur, & medelâ cœlesti, ab omnibus, præsertim animi ęgritudinibus, saltem gravioribus, præservemur. Cum enim Virgo DEIpara, nostra benignissima Mater sit, ac Patrona singularis, ad Societatem hanc tuendam, conservandamque mirè excubans, ac vigilans; totaque oculata sit, ad instar mysticorum illorum Ezechielis animalium, nil dubium quin ad nostras necessitates, infirmitatesque, ac miserias millenis quasi oculis intuendas, atq; innatâ sua bonitate tollendas, ultro cum hiscé Divis nostris Tutelaribus, Medicisque præstantissimis tanquam sacris jam memoratis animalibus ad conservandam incolumitatem totius hujuscé mystici nostri corporis assiduè excubantibus, etiam non rogata advolatura sit.

SS. Cosma & Damianus Patroni Societatis IESU.

B. V. ope etiam SS. Cosmæ & Damiani Societatē IESU conservat.

Qua de re audiendus Guilelmus Abbas apud Delrium in Cantica, qui postquam Viros sanctos, quales sunt hi Patroni nostri, sanctis illis pennatis, oculatisque animantibus *quæ in circuitu & intus plena sunt oculis, hoc est, piarum solicitudine curarum, quibus non solum sibi, sed & alijs invigilant*, contulisset; mox ut nos ab omnibus Tartarei hostis insidijs horum Sanctorum auxilio illæsos fore ostendat, subjunxit: *Quid frustra malignus, expandit rete ante*

B. V. cum SS. Cosma & Damiano mille oculis vigilat ad conservādam Societatem IESU.

te ante oculos eorum? undiq; sunt eorum oculi aperti, ideo frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Quis tam plenus oculis, quam Mater luminis? quis pari solicitudine sibi, ac alijs invigilauit, ac Mater pietatis?

Mariæ in adjuvádo promptitudo, adeo expedita, ut ante preces nobis ultro auxilium porrigat.

De hac gloriosissimæ Dei Genitricis in mortalium miserijs sublevandis promptitudine, ac vigilantia eleganter Bapt. Mantuanus lib. 1. Parthen.

Ante preces etiam, ne dum obsecrata fauorem Donat, & ad miseros Maternas explicat ulnas.

Denique ut Societati universæ pius hic in sanctos hoscé Patronas constaret affectus, ac pia gratitudo, Congregatio nostra Generalis VII. Canone 1. ita decrevit: 27 *Dies Sept. Divis Cosmæ & Damiano sacer in memoriam natæ confirmatæq; tunc primum Societatis, eâ à Nostris veneratione colendus erit, ut Patres Sacra omnia eo die peragenda, reliquiq; Rosarium, aliasq; preces, ac communionem sacram DEO pro tam fœlicibus initijs, prosperisq; successibus offerant.*

Quid Cóngreg. Generalis VII. in honoré Cosmæ & Damiani faciendum statuit.

59. Neq; verò hoc nostro sæculo incurabilium planè, atq; à Medicinæ peritis desperatorum morborum per misericordiæ Matré factæ desiderantur curationes. Celebre miraculum est illud, quod Ludovicus Granatensis lib. 6. de Symb. fidei p. 2. sect. 10. refert, faterurq; se vel hoc uno, si Ethnicus esset, Christiana sacra suscepturum fuisse. Erat igitur Olysippone nobilissima Virgo Catharina Thaidia, quæ, annum propè quartum decimum gravissimo paralysis morbo, doloribusque acutissimis laborabat adeo, ut eam ad portas mortis deduxerint. Ejus Nutrix cum in tanto periculo Dominam suam constitutam esse animadvertisset collacrymans ad Sacrosanctæ Virginis ædem, pro Catharina supplicabunda accurrit. Nec irritæ piæ hujus fœminæ cecidere preces. Exanimata enim, ac pene mortua Catharina revixit, meliusque habere cœpit. Cum porro medici optimi quique Vrbis paralysim curare irrito labore pergerent, Catharina ad communem omnium Dominam, supremique Medici Parentem recurrendum rata, cujus ope mortis faucibus esset erepta. Enimverò secum cogitabat, Mariæ Dei Genitricis beneficia imperfecta non esse, & quæ vitam dedisset, integram quoque valetudinem ejusdem beneficio, ac liberalitate venturam. Itaque ad Templum Virginis se deferri postulat. Vbi primum ædem sacram est ingressa, seseque ante Deiparæ Imaginem supplex, ac venerabunda prostravit, anum quandam à tergo audivit, ægroto filio salutem enixè deprecantem, opemque clementissimæ Cœlorum Reginæ intentâ supplicatione, magnisque gemitibus, & claritate vocis insolitâ implorantem. Quibus auditis Catharina, hinc suæ precationis sumit exordium: *Non equidem dubito*, inquiens, *quin mihi medicinam faceres Virgo sanctissima, si huius vetulæ mihi fides esset; oro supplex, ut qua remedium dare soles, modum etiam remedij adipiscendi concedas.* Hæc & alia, magna cum pietate, ac mentis ardore locuta, benignitate Virginis illico sanatur, molestissimaque illa paralysi, quæ corpus, magna ex parte contraxerat, liberatur. Tum Catharinam ingens admiratio, ac stupor alienat à sensibus. Deinde nemine sustentante surgit è terra, suisque ingressa pedibus per Templum magnâ frequentia populi refertum ingreditur, cunctis conclamantibus; *Miraculum, Miraculum.* Hæc cum audissent Monasterij Patres Deo, ejusque Matri Hymnum SS. Ambrosij & Augustini modulati sunt. Die postero Clerus omnis publica gratulatione, ac pompa miraculum celebrarunt, Catharina pedibus sacrum triumphum celebrante, quam constabat novem ipsos menses sine axillari baculo, & fulciente famula ne vestigium quidem facere potuisse; & tamen ita convaluit, ut dicere fuerit solita, sanitatem quam Maria sanctissima donaverat, ex calce, ac petra componi, cæmentoque durissimo; qua similitudine firmissimum sanationis esse genus de manu Virginis profectú ostédebat. Cuius argumentum est, inquit Granatensis, Catharinam nunc in Templis, à matutinæ lucis exordio, ad undecimam horam flexis genibus obdurare solitam, non sedere, non fatigari. Atque ut tanto beneficio nunquam esset hæc Virgo ingrata, quotannis ipso recuperatæ valetudinis die suis omnibus domesticis perinde, ac si dies festus foret, ferias indixit, Deiparæque benignitatem, quoad vixit devotè celebravit, tantumque, tamque singulare beneficium pleno ore deprædicavit.

Maria moribundam Virginem sanitati restituit.

M. à paralysi fœminá quandá liberat.

60. Infinita propemodum Virgineæ hujus charitatis in persanandis infirmis suppetunt exempla, quæ enarrare longum, & à nostro instituto alienum foret. Certè de me, dum his laboribus ad lau-

Auctor se à febri intercessione B.V. liberatum fatetur.

dem propagandam Virginis pro modulo meo insudo, ad ejusdem gloriam profiteri libet, me bis febri laborasse, moxq; aliquot Missæ Sacrificiorũ dicendorũ emisso voto Deiparæ, brevi tẽpore pristinæ valetudini, atq; harum lucubrationũ laboribus fuisse restitutum, occasionemque nactum Hymnum Virginis, à Seraphico Bonaventura concinnatum, gratitudinis ergo ipsi concinendi. *Te Matrem DEI laudamus, te Matrem Virginem profitemur, &c.*

B.V. ęgros in lectulis jacentes invisit.

61. Neq; verò hæc pientissima Mater morbos, innumerabilesque corporum ægritudines celerrimè curabat, verumetiam ardentissimæ charitatis suæ exstimulata affectu, ægros invisere, eorumque lectulis assistere dignabatur. Benignitatem hanc impendit, ut paulo ante diximus, B. Stanislao nostræ Societatis Tyroni. Impendit & devotæ cuidam viduæ, febribus acutissimis æstuanti, uti Iacobus Cardin. de Vitriaco lib. 2. cap. 3. narrat, visa siquidem, hæc benignissima cœli Regina à Beata Maria Oegniacensi ægrotantis hujus piæ viduæ lectulo assistere, & quasi *flabello quodam*, ut ipse loquitur, *caloris æstum, quo torquebatur, humanissimè temperare.* O quam aptè B. Albertus Tra. supermissus Virginem Beatissimam, *Vmbraculum infirmorum*, appellavit!

Maria umbraculum infirmorũ.

B. V. Religiosum Cisterciẽsem à lepra liberat.

62. Impendit deniq; cuidam Fratri Ordinis Cisterciensis, qui cum teterrima lepra esset infectus, & à reliquorum consortio segregatus, Cacodæmonis astu, ut se aquis præfocaret impellebatur, surrexerat miser jam è lectulo, tendebatque ad interitum, cùm ecce adest desperabundo misericordiæ Mater, SS. Virginibus Catharina, & Agnete comitantibus, eumq; in lectulum reponens blandè increpavit: Fili, inqens, noli relinquere disciplinam Domini, neque fatigeris, cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi Pater in Filio complacet sibi. Menol. Cisterciens. die 25. Ian. in Annotat. Quibus dictis, cor ejus mira lætitia consolationeque replevit, & ad Chorum psallentium Monachorum profecta, mirè se eorum cantu, quo Divinas laudes celebrabant, delectari præ se tulit.

63. Quid quod etiam laborantes, Dei amore, solatijs cœlestibus delinire Virgo benignissima; atque amabilissima consuevit? Testis est Cisterciensium Patrum Virgini gloriosæ addictissima familia. qui ut scribit Vincent. Belluacensis lib. 7. Hist. cap. 107. cum aliquando in frugibus demetendis, largo sudore diffluentes in summo latrantis Caniculæ ardore laborarent, visa fuit Dei Mater pijssima sudorem eorum abstergere, inque vas quoddam reponere. Cumque ex illa, eorum quispiam; Quænam esset quæsijsset? *Sum*, respondit, *MARIA, cuius es tu, & domus ista, & omnes, & omnia, quæ in hac domo, & ordine sunt. Visitavi hodie monachos meos in agro, sudoremq; eorum collegi mihi in vase isto, & hic odor optimus coram me, & Filio meo. dignè utiq; olim remunerandus præmio opportuno.*

Maria laborantes cõsolatur.

Mariæ in Cisterciẽsium Ordinẽ favores

O quam præclarè idem B. Albertus loco citato eandem Deiparam; *Quietem laborantium, & solatium operantium, vocitavit!*

Maria quies laborantiũ, & operantium solatium.

64. Dies me deficeret, si omnia illa, quæ in hominum utilitatem, ac emolumentum aliquando contulit Virgo Deipara enarrare attentarem. Beneficia hæc generalitet pervenustè descripsit Baptista Mantuanus Ord. Carmelitani decus; Heroico uti tantam Heroinam decebat, carmine lib. 1. Parth. quod hic attexere libuit, quo uno quasi intuitu innumera emolumenta, à Virgine optima, in humanum genus collata cernere liceat.

Mariæ varia beneficia corporalia.

Quot miseros pelagi nautas subtraxit ab undis?
Quot traiecta gravi seruauit pectora telo?
Pectora Paonias, quæ non valuere per artes
Restitui, nec opis nostræ poscentia quicquam
Quosq; etiam tetro squallentes carcere fractis
Ocyus obicibus, manicis resolvit ahenis?
Quot famis exhaustos macie vix ægra trahentes
Membra, datis cælo dapibus miserata reducit
Robur ad antiquum, viresq; refudit in artus?
Nec minus ingenti vitiorum mole sepultos,
Infixosq; luto, & toto, tellure iacentes
Corpore, Diuini lustrauit numinis aura?
Propterea totum surgentia templa per orbem
Illius immensam laudem, Regniq; perennis
Perpetuos fasces, & fine carentia iura.
In nostrumq; genus summum testantur amorem.

Templa in honorem B. V. passim extructa, ipsius in nos testantur amorem, ac beneficentiam.

Concludit tandẽ, asseritq; Virginẽ benignissimam omnium adversâ fortunâ jactatorum, atque humanis miserijs oppressorum, Asylum esse tutissimum.

Ipsa est adversis commune in rebus Asylum.

Maria cõmune in adversis Asylum.

Quid verius, quid copiosius ad comprobandum, Deiparam Virginem beatissimam, ingens quoddam bonum, Vtile, ac fructuosum mortalibus omnibus dici poterat?

65. Audiamus & S. Gregorium Thaumat. serm. 3. de Annunc. *Adest per*

Per Mariam adest nobis ægrotantibus Medicus.

per eam ægrotantibus Medicus; in tenebris sedentibus, Sol Iustitiæ; cunctis verò tempestate iactatis, anchora, portusq; tutissimus. His similia Virginem salutans B. Ephrem serm. de Beata Virgine protulit; *Aue portus tranquillissime, & à fluctibus, procellisq; agitatorum Liberatrix desideratissima. Aue periclitantium Opitulatrix. Aue iucunda libertas, & omnium Parens. Aue spes omnium proborum rebus aduersis afflictorum. Aue peccatorum refugium, atq; diuersorium.*

M. tempestate iactatis Anchora, portusque tutissimus.

Non minus eleganter, ac piè easdem utilitates tam animi quàm corporis, quas Deipara sui studiosis communicare consuevit, descripsit. S. Germanus Archiepiscopus Constant. Orat. de Præsent. B. Virginis, dum eam magno pietatis sensu sic est allocutus: *O Domina mea sola, quæ sola mihi ex DEO solatium, solæ æstus in me existentis, Divinus ros: Cordis mei exardescentis, gutta Divinitus fluentes; tenebricosæ animæ meæ, splendidissima lampas: Dubitationis meæ directio; debilitatis meæ potentia; nuditatis meæ, vestimentum: mendicitatis meæ diuitiæ: insanabilium vulnerum medicina; lachrymarum mearum abstersio; gemituum meorum cessatio; calamitatum mearum restauratio, dolorum meorum relaxatio; vinculorum meorum cessatio, salutis meæ spes. Ita ita Domina mea, refugium, vita, auxilium, armatura, exultatio, spes & robur meum. Da mihi Filij tui ineffabilibus, ac nunquam desituris, incomprehensisq; bonis frui in supercœlesti illa permansione.* Tandem potenti ejus, ut Dei Matris, patrocinio fretus, speransque se commodis illis, ac beneficiis omnibus fruiturum, concludit: *Habes, modò velis eius efficiendi, sat scio, utpote Mater Altissimi, facultatem. Vnde ea de causa petere audeo. Ne igitur expectatione meâ frauder Domina purissima, sed eius compos reddar, ò DEI Sponsa, quæ uniuersorum expectationem Dominum IESVM peperisti.* Hæc Germanus.

M. carnalis æstus Divinus Ros.

M. tenebricosæ animæ lampas splendidissima.

M. est nobis omnia

M. nobis est auxilium, armatura & robur.

S. Germani Patriarchæ Constãt. fiducia in B. V.

66. Claudat agmen denique Cæsarius, qui lib. 7. miraculorum cap. 1. de Matris Dei laudibus agens, brevissimo compendio plurima est complexus: *Ipsa est*, ait ille, *Orbis Conseruatrix, & tribulatorum Consolatrix, fida sibi famulantium Defensatrix: per ipsam peccatores illuminantur, desperati ad confessionem reparantur, apostatæ à DEO, per ipsam DEO mirabiliter conciliantur, iusti reuelationibus consolantur, nomen eius, & memoriale eius morbos sanat, Dæmones fugat, vincula soluit, timores pellit, tentationes compescit; per illam pusillanimes confortantur, torpentes excitantur, eiecti misericorditer reuocantur, diligentes se diligit, imò diligendo præuenit, & honorat, & contemnentes se quia iusta est, punit, & humiliat. Apud ipsam electuaria sunt confortatiua, unguẽta sanatiua. Nomen eius super mel dulce, & hæreditas eius super mel & fauum, morientibus assistit & mortuorum animas ad vitam perducit æternã.* Seraphicus etiam Bonaventura paucis, multa beneficia Virginis complexus est, dum Psal. 13. cecinit. *Tuo tactu lenissimo sanantur infirmi, tuo odore roseo mortui reuiuiscunt.* Expertus est Antonius Andrada noster manuum Deiparæ opem præsentissimam, cum acerbissimis doloribus excruciatus, ad eos leniendos ipsam invocauit; quam mox præsentem dicitur habuisse, ab eaque verba illa solatij plena acaepisse: *Iam Fili nihil tibi dolebit amplius*; & è vestigio dolor ille omnis in reliquam vitam abstersus est. P. Philip. Alegambe in Bibliotheca Script. Societ.

M. varia in homines beneficia.

Nomen & Memoriale B.V. morbos sanat, Dæmones fugat, vincula solvit.

TactuB.V. levissimo sanantur infirmi, & ejus odore mortui reviviscũt

67. Rem sanè in hoc genere memorabilem recenset Pater noster Anton. Franciscus Cardim in Relatione Provinciæ Iaponiæ ad Innocentium X. Summum Pontificem missa, ex qua benevolentissimam Deiparæ nostræ, in homines illos etiam barbaros colligere licet indolem. Accidit itaque, ut quidam Gentilis in gravem morbum incideret; hic uxorem Christi cultricem mox ad se advocat, rogatque ut de remedio aliquo prospiceret; mox illa magna cum devotione collo mariti B. Virginis Coronam imposuit, punctoque temporis Bonitatem expertus Virginis, pristinæ restitutus est sanitati. Postmodum spatio aliquo temporis interjecto, Gentilis hic uxori Coronam illam reddere volebat, quia verò quoties eamdem deponere attentauit, toties morbum denuò invalescere animadvertit, ad eam retinendam, quamvis invitus compulsus est. Die quâdam huic Ethnico ad Idolum suum Pagodem sese conferendi animus fuit, ut infirmitatis molestiâ liberaretur omnimodè, brachioque Coronâ circumdato ad Fanum se contulit, ubi Bonzio, qui curam ejusdem gerebat reperto, animi sui sensum exposuit. Bonzius illico ut ingrederetur ad Pagodem, rogat; uerum cùm inter loquendum Coronâ B. V. armatum conspexit, quid signum illud sibi vellet, obrogavit curiosiùs? Respondit Gentilis Christianorum esse Coronam, quæ ad illud usque

B. V. erga Barbaros etiã ægrotãtes benevolẽtia

Corona B. V. collo infirmi Iaponis injecta, morbũ depellit.

tempus sanitatis sibi certissimum extitit antidotum. Cui mox suadet Bonzius ut ad DEUM Christianorum, quorum signum præferebat, recurreret, utpotè potentiorem, siquidem Pagodes ipse hoc sibi luculentissimè contestatus est. Quibus auditis mirificè exhilaratus domum redijt, Baptismumque suscepit. Hujus rei gestæ fama regionem illam cùm esset peruagata tercenti triginta quinque sacro fonte abluti sunt, Virgineæ Coronæ miram vim atque, energiamque deprædicantes.

Ipsa Idola fatentur DEUM Christianorũ esse potẽtiorẽ.

68. Idem P. Cardim refert in oppido Tingoa repertam Anum quandam, quæ Christianorum Sacris initiata, eos in virtute, sanctitateque fecit progressûs, ut reliqui ejus singularem apud DEUM gratiam animadvertentes, in necessitatibus constituti, preces ejus deposcant, singularesque cœli favores, DEIque dona liberalissimè in se profluere experiantur. Atque ita ad illam tanquam ad Asylum quamplurimi confugiunt, votique compotes evadunt. Inter hos fuit Mater quæpiá, cui cùm Filiolus esset mortuus, nullum efficaciùs in humanis reperit antidotum, qua in sola hac Anu, (Annam potiùs pientissimam vocitaverim.) Hæc illicò ad Christum, ejusque Matrem, cujus Rosarij recitandi erat studiosissima recurrit, & Divinâ charitate inflammata procumbit in genua, tum aquâ lustrali modicè Infantem conspergit, acceptoque Rosario Beatissimam Virginem vitæ Auctricem, ac Parentem deprecatur. Vix Salutationem Angelicam inchoârat, cùm ecce tibi sese infans movere, & respirando flere ab omnibus visus est. Anus interea immota, & insensibilis flectebat, & licet bis, terúe vocata à circumstantibus inclamantibus, ad vitam Infantem redijsse, perstitit tamen à sensibus alienata. Paulò post sibi restituta in suavissima prorupit verba: *O bone IESV, quam suavis es;* acceptoque in ulnas infante Matri eum restituit, monendo, ut Baptismi eum sacro fonte tingeret, gratiasque referret DEO, ejusque Matri, cujus intercessione Infans vitæ beneficium accepisset. Ex quibus manifestum evadit, quanta, quamque effusa sit DEIparæ Bonitas, quam communicativa, quam deniq; amantissimũ ejus cor, atq; beneficum. Quamobrem sapientissimum æternæ Sapientiæ Christi IESU

Pia quędã vetula Iaponica puerum mortuum, recitando Rosarium B.V. resuscitat.

Consilium illud datum Beatæ Mechtildi Principi lectissimæ crediderim, quo ipsi suadebat: *Saluta Cor Virgineum meæ Matris, in affluentia omnium bonorum, quibus hominibus perutile fuit.* Lib. 1. Insinuation. Sanctarum.

69. Quid dicam tandem de Bono Delectabili, quod in DEIpara summâ cum perfectione, ac eminentia quadam post DEUM singulari, si quod aliud reperitur, utpotè quæ omnis suavitatis, ac veræ delectationis Fontem peperit, *Fontem,* inquam illum, *cujus impetus lætificat Civitatem DEI.* Hæc est Apis illa, de qua Sapiens Eccl. 11. *Brevis in volatilibus est Apis, & initium dulcoris habet Fructus illius.* Sic enim locum hunc de Virgine DEIpara Hugo Carensis, & noster Pater Cornelius à Lapide interpretatus est. Et meritò; Quemadmoodum enim Apis inter volatilia omnia summè brevis, summè parva est, habet tamen principatus dulcedinem, Fructus illius, ut legunt alij: Sic Virgo sanctissima licet in oculis suis fuerit pauperrima, atque despectissima; quia tamen Fructum ventris sui genorosi Mundo protulit (qui ad instar ætherei mellis initium omnis dulcedinis, ac consolationis Orbi extitit universo, principatumque quendam, inter creaturas omnes, quæ oblectationi esse consuevere mortalibus, obtinuit) maximo honore, veneratione, ac laude dignissima est. Proinde rectè præmisit Sapiens: *Non spernas hominem in visu suo.* Quia licet DEIpara tenuibus fortunæ bonis prædita, licet à filijs hujus sæculi despecta fuerit, licet multas à Iudæis persecutiones illatas exantlârit, licet nigra fuerit & fusca, sicut tabernacula Cedar in oculis sæculi, quia decoloravit eam Sol; formosa tamen fuit in oculis sui, DEIque Filij, sicut pelles Salomonis, sicut purissimi atq; stellantes cœli. Licet denique parva atque humillima in sua, Mundique existimatione, ad instar cujuspiam Apiculæ extiterit; attulit tamen nobis mel cœleste, quod mortalium omnium pectora Divinâ quâdam dulcedine delinivit.

M. Bonũ delectabile.

M. Apis Mel cœlestis dulcedinis, Christum generans.

M. nigra & fusca in oculis Mũdi huius, sicut tabernacula Cedar, formosa tamẽ fuit sicut stellantes cœli in oculis Dei.

70. Vnde S. Gregor. Thaum. ser. 2. de Ann. totus Virgineâ hâc delibutus dulcedine, in voces illas erupit: *Ave gratiâ plena, quæ super cœlestis lætitia vas es, atq; receptaculum. Ave gratiâ plena, nam per te gaudium omni dispensatur creaturæ, genusq; humanum antiquam humanitatem recuperat.*

M. Vas cœlestis lætitiæ.

superat. Ibidem asserit eiusdem Annunciationem gaudio, & exultatione totum terrarum Orbem replevisse. Eadem Virginis recreatus dulcedine, ejusdemque abreptus amoris ignibus B. Ephræm Syrus ser. de ejus laudibus; Deiparam cœli, terræque, hominum, Angelorumque delitias, ac oblectamentum agnoscens, multiplici, eâque elegantissimâ salutatione honoravit: *Aue*, inquiens, *Canticum Cherubin, ac Seraphin, & hymnodia Angelorum. Aue pax, gaudium, consolatio, & Salus Mundi. Aue humani generis lætitia. Aue terrigenarum omnium oblectamentum. Aue fons gratiæ, ac totius consolationis. Aue dulce conversorum solamen, atque præsidium. Aue gloria, & lætitia omnium Sacerdotum, & Solitariorum Solatium: Aue nostra Consolatrix, quæ mœrores sedasti, oppressorum molestias leniisti, cunctasque oppressiones sustulisti.*

M. Canticum Cherubin, & Seraphin, & Hymnodia Angel.

M. terrigenarum omnium Oblectamentum.

Quid de S. Ioanne Damasceno Virginis studiosissimo dicam? An non cœlestem hanc Deiparæ degustârat dulcedinem, quando eam familiarissimè alloquens, Medullitus dicebat: *Cum Gabriele Angelorum antesignano exclamemus: Aue gratia plena, gaude inexhaustum gaudij pelagus: gaude unica mœroris obliteratio: Gaude pharmacum, dolorem, omni pectore propulsans. Gaude Virgo, per quam mors submovetur, & vita importatur.* Quid de B. Ioanne Geometra dicam, qui Deiparam Hym. 1. *Mœrorum Medicinam*, nuncupavit? Quid de B. Germano Archiep. Constan. qui Orat. de Præsent. Beatæ Virginis, *eam omnium Patrocinium, omnium gaudium, ac plenam animi oblectationem*, appellavit, Quid de B. Petro Cardin. Damiano, qui postquam ser. 1. de Nativit. B. Virginis dixisset. *Fœlices Angelici Spiritûs, qui Beatæ Virginis habent præsentiam*; subjunxit: *Nos interim memoriam abundantiæ suauitatis eius eructamus? Si sic dulcis est memoria, quid est præsentia?* Et serm. de Annunciat. *Hæc est quæ vestris affectibus suauiter indulcescit, quia magna multitudo dulcedinis eius. Spiritus eius super mel dulcis, in qua dulcis Dominus cum omni sua dulcedine supervenit.* Sic Damianus.

M. inexhaustum gaudij Pelagus, unica mœroris obliteratio.

M. plena animi Oblectatio.

71. Dulcedinem hanc, suavitatemq; Virginis ejusdem attribuit pientissimæ misericordiæ Dionysius Richelius, quò magis ea oblectemur, eamque adamemus. Sic enim ille lib. 1. de Præcon. & Dignit. B. V. art. 25. eam alloquens, ait: *O Illustrissima, summaque Domina, nimis nobis amabilis es, ac suauis, & ut verum fatear, ipsoque DEO secundùm aliquid nobis dulcius sapis, quamvis non ex parte DEI, sed nostri id eveniat. Invenimus enim, ò Maria in DEO, Filioque tuo, ne dum misericordiæ viscera, sed iustitiæ quoque rigorem, iudiciariamque potestatem, quæ nil mali indiscussum, inultumque relinquit. Terribilis est in consilijs super filios hominum; incomprehensibilia sunt iudicia eius & investigabiles viæ ipsius. Et quis cognovit an amore dignus sit, an odio? Sed tu ò benedicta Maria, tu omnibus unicum Refrigerium es, & singulare Solatium, non solùm iustis, ac devotis, sed miseris quoque, ac desperatis prorsus diligibilis es, ac suauis. Tua enim viscera in suauitatem, dulcedinem, atque clementiam transformata videntur.* Hæc ille.

B. V. est nobis quodammodo DEO secundum aliquid suavior.

72. His Virgineis delibutus bonis, delectabilibus, ac delicijs S. Bonavent. jure merito quasi extra se positus Ps. 118. cecinit; *Suauitatum tuarum affluentia cor meum alienauit a me, & caro mea mirabiliter exultauit in te. Quam dulcia peccatoribus eloquia tua, Domina! supra omnem melodiam refectio tua dulcis ori meo?* Nonné verbis hiscé S. Doctor Virginem apiculam quandam esse, & fœminam illam optimam, quam Phocylides, & Philosophorum celeberrimus Simonides apiculâ generatam affirmavit, in Antologico Græcorum, Verbo Mulier. Cùm enim præmisisset fœminas aliquas, ex cœnosa, setigeráque sue, ob immunditiem; alias cane, ob maledicentiam; alias tellure, ob mentis quendam stuporem, atque imperitiam; alias dossuariâ asinâ, ob ignaviam, socordiamque; alias mustellâ, ob gulam, voracitatem, atque morositatem? alias equâ ob superbiam; alias simiâ ob turpitudinem, deformitatem, ac malitiam esse generatas; subjunxit tandem mulierem aliam apiculâ natam; quam nos gloriosissimam Virginem Deiparam totius fœminei sexus gloriam, mulierumque ornamentum jure merito dicere, ac prædicare possumus. De ea enim multò meliùs celebrari possunt, quæ Simonides de Muliere Apiculâ progenitâ memoriæ tradidit; *solam nimirum hanc nil reprehensione dignum habere; atque adeò sine Momo esse*, ut alibi fusius dictum est, *utpote in qua ne seuerissimus quidem ille Deorum censor Momus, nævum ullum reperire unquam potuisset. Huius Mulieris Virum fœlicem esse, eiusque operâ rem familiarem florere, plurimumque augeri; pulchram, celebremque eniti progeniem. Hanc inter omnes excellere mulieres, Divinâque gratiâ quâdam circum-*

Fœminarum generationes variæ.

MARIA Mulier Apiculâ nata.

In B.V. Momus nil habet quod reprehendat

circumdari. Talemq; optimam, prudentissimamq; à summo Ioue donatam esse. Quæ sanè omnia in gloriosissimam Dei Matrem, ejusque gloriam aptissimè prædicari possunt. Hæc enim est illa Apicula ex alia apiculâ nempè Anna, cujus vel nomen ipsum gratiam, mel, dulcedinemque sonat, generata, quæ verè, ut illi tribuit Virgilius habet partem Divinæ mentis, atque æthereos quosdam haustus. Vnde μέλιτταν à meditatione, exercitio, sedulitate aliqui voluere dictam.

Apis habet partē Divinæ mentis.

Apis Melitta Græcè dicitur à meditādo.

73. Quare Dionysius jam memoratus lib. 1. de Præcon. & Dignit. B. V. Art. 24. illud elogium bonæ Mulieris à Salomone Prov. 18. celebratum: *Mulier bona super omne donum, neq; est munus, quod ipsi aquari queat; beatus qui eam sortiri meruit:* Deiparæ attribuere non dubitavit, eamque inter res totius entis creati amabilissimam computavit: *Quid,* inquiens, *in uniuersitate conditi entis, decorâ, pudicâ, ac devota puella amabilius cogitari valet? quo namq; per sexum, naturamq; apparet decliuior, ac defectibilior, eò certissimè per virtutem & gratiam amabilior est, atque præstantior. Ideòq; si MARIAM dulcissimam casto, mundoq; corde videre affectas, omnes mulierum imperfectiones ab ea remoue, & oppositas ipsis virtutes eidem supervenienter largire. Cerne si vales mulierem fortem, atq; electam, castitate fragrantem, honestate incomparabilem, integritate inviolatam, ac stabilem, sapientiâ, ac scientiâ adornatam, mitem, humilem, corpore pulchram, menteq; sanctam. Quid hac desiderabilius. Nonnè congruum tibi, dignumq; videtur, quod speciem ipsius Fons omnis decoris superpulcher DEVS concupierit? Nempè quo fœmina his stipata virtutibus, his fulcita excellentiis, extitit secundùm naturam, vel sexum fragilior, aut carni propinquior, aut sensu mutabilior, eò utiq; Divinitus stabilior, Divinior, eminentiorq; effecta est.* Hæc Dionysius, quibus sanè luculenter ostendit, mulierum omnium perfectiones omnes, ac virtutes, honestatem, pudicitiam, morum suavitatem eminentissimè in Deipara reperiri, eamdemque esse absolutissimum gratiarum cœlestium compendium.

Modestæ, ac pudicæ puellæ laudes.

A B.V. omnes mulierum imperfectiones amovendæ.

74. Quod agnoscens S. Ioannes Damascenus Orat. de Nativ. Beatæ Virginis, Deiparæ sanctissimos Parentes Apes esse dixit, quæ aërei mellis cœlestia dona, ut canit Virgilius, protulissent, dulcedinemque suavissimam Mundo peperissent; alludens ad Ioelis Prophetiam cap. 3. *In illa die stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: Ioachim & Anna,* inquit, *tanquam spirituales montes Dulcedinem stillabunt.* Hâc lactis, mellisque dulcedine refici optabat Seraphicus Bonaventura, quando Psalm. 71. canebat: *Stilla nobis Domina gratiam uberum tuorum.* Quâ dulcedine inebriatus invitabat omnes ad eam laudandam, quo ejusdem consolationis dulcedine perfundi mereantur. Vnde Psal. 32. *Magnificate,* inquit, *Dominam mecum omnes, qui impinguati estis melle, & lacte recreationis eius.* Et Psal. 32. *Impendite illi Sacrificium laudis, & inebriemini ab uberibus dulcoris eius Suauissimus est fructus illius in ore, & in corde sapientis dulcescit.*

M. Parentes Apes, & Montes stillantes dulcedinē

Quare non immeritò dicitur à nonnullis esse terra illa promissionis, quæ mellis, lactisque largissimis rivulis redundabat, uti alibi ex S. Aug. ostensum.

M. terra lacte & melle redundans.

75. Ob hanc Divinam Virgini inditam dulcedinem S. Ambrosius eam Manna dulcissimm vocavit commentar. in Psal. 71. *Quin potiùs, inquiens, ipsam Mariam Manna dixerim, quæ est subtilis & splendida, suauis & Virgo, quæ velut cœlitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit, quem qui edere, ac manducare neglexerit vitam in semetipso habere non poterit.* Ob eandem hanc quam Virgo Beata in se continet dulcedinem, B. Ephræm de B. Virgine; *Vrnam pulcherrimam cœli manna gestantem,* appellavit. Et B. Laurentius Iustinianus ser. de Nativit. B. Virginis, *fœderis Arcam,* Dei manibus fabricatam, cœleste Manna, ipsum Dei Filium continens, appellavit: *An non,* inquiens, *Maria testamenti Arca verissima, DEI manibus fabricata, quæ auro vestita mundissimo, virtutum gemmis ornata, ac imputribilibus lignis spiritualiter facta, testamenti tabulas, frondentem Virgam, & suauissimum in se Manna continuit? Hæc omnia illi Christus, qui Virginalis pudicitiæ habitavit in utero. Ipse est suauissimum Manna de cœlo demissum, ad spiritualem refectionem, vitamq; iustorum.* Dulcissimum verè Manna, uti Filius, ob intimam cum eodem unionem, atque identitatem quandam fuit Virgo sanctissima. Si enim hoc Angelorum manibus conficiebatur: Et Virgo non Angelorum, sed ipsorum Creatoris, artificio planè admirabili efformata fuit, ut sæpiùs suprà commemoravimus, adeò, ut à Sanctis Patribus

M. Manna dulcissimū

M. Vrna aurea Manna côtinēs

M. testamenti Arca verissime Dei, manibus fabricata Manna, in se côtinēs suavissimū

Sicut Mâna Angelorum manibus erat confectū: sic B.V. ipsorum Creatoris.

Opus DEI singulare, vocitata sit. Si Manna erat minutum quid; *Apparuit in solitudine minutum in similitudinem pruinæ super terram*, ut ait Moyses Exo. 16. & Virgo Sanctissima ob profundissimam, quæ in ipsa resplendebat humilitatem, in sui opinione erat parvula, & minutum quid, ad instar stillæ roris antelucani, ad instar gelidissimæ pruinæ, ob Virginitatis puritatem, ac candorem. Si denique in manna omne delectamentum, & omnis saporis, quæcunque excogitari poterat, reperiebatur suavitas: & in DEI Matre purissima, creaturarum omnium deliciæ, veluti parvulo quodam Mundo, veluti animato Paradiso, compendio quodam admirabili contentæ inveniebantur. Vnde D. Hieron. & B. Card. Petrus Damiani eam *Paradisum voluptatis, quē DEVS omnibus gratiæ delicijs cumulauit: Hortum item in quo condita sunt omnium florum genera, & omnium ornamenta virtutum*, denominârunt. Quare præclarè Sanctus Thaumat. ser. de Annunciat. ingressum hujus Virginis in Elizabethæ domum considerans, omniumque bonorum, gaudiorumque exuberantiam, quam suâ præsentiâ intulerat: *Vbi*, inquit, *gratia plena aduenit, gaudio cuncta repleta sunt. Hæc est enim gratia plena, quæ sitientes perenni dulcedine satiat*, ut ait Epiph. lib. de laudibus Virginis. *Hæc est cuius distillatio dulcoris oblectat animas Sanctorum, & infusio charitatis eius super mel dulcissimum*, ut ei cantat ejus Seraphinus Psal 85. *Hæc est cuius dulcis est memoria super mel & fauum, & amor eius super omnia aromata*, Idem Ps. 57. Hæc est Domina illa suavissima, cui idem cecinit Psal. 133. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domina, quam præparasti diligentibus & sperantibus in te?*

MARIA Manna minutum ob humilitatem.

Maria Paradisus Voluptatis.

B. V. gratia plena, ubi in domum Elisabethæ est ingressa, gaudio cuncta repleta sunt.

B. V. gratia plena sitientes perennis fontis dulcedine satiat.

76. Quare nil mirum si Halgrinus Cardinalis dicat Christum in Virgine Sanctissima, velut in amœnissimo quodam Horto deliciatum, messuisse & collegisse varios virtutum flores, aromatumque odores, cùm dixit: *Veni in hortum meum Soror mea Sponsa*. Cant. 5. Quem locum expendens devotissimus Cardinalis, ita Christum loquentem, introducit: *Ego veni in Hortum, in similitudinem alicuius venientis in hortum suum, ut ibi post labores iucundetur, veni, inquam, ab illis, qui mihi præbent labores in iniquitatibus suis, veni, ut iucunder in meritis & virtutibus B. Virginis, in eis præsertim, quæ in eius vita tam activa, quam contemplativa, relucebant*.

Mariæ Vterus Hortus voluptatis, in quo DEI Filius deliciatus.

In Maria Dei Filius post labores quos & Angeli hominesq; exhibuerunt suis iniquitatibus jucundatus.

Vnde subjunxit sponsus: Comedi fauum meum cum melle meo. Mel enim eliquatum ait Halgrinus, *puræ contemplationis designat dulcedinem; fauus verò qui rudem ceram demonstrat extrinsecus, inq; suis cellulis mel occultat, activam vitam denotat, quæ licet in operibus rudis quodammodo appareat; per singulas tamen operum cellulas dulcedinem continet præmiorum. Bibi vinum meum cum lacte meo, tunc nimirum quando lac, de pectore Virgineo sugens, quasi vino quodam inebriatus atq; exhilaratus, ultionis in mortales oblitus sum*. Vt autem ostenderet Sponsus desiderare se, ut & alij hujusmodi Virgineis delicijs perfruantur, invitat Amicos omnes. *Comedite*, inquiens, *Amici, & bibite, & inebriamini charissimi*. Cujus invitationis hanc reddit causam Halgrinus. *Quia*, ait, *licet ipse quasdam habeat delicias in Virgine speciales, utpote qui eius prærogativas novit, quas mens nostra non capit: nihilominus tamen unusquisq; nostrum, secundum mensuram gratiæ, quam accepit à Domino, invenit in B. Virgine, quid comedat, quid bibat, invenit unde pascatur, & confirmetur in bono, invenit unde inebriari spiritualiter valeat; & quæ prius in mundo dilexerat jam de cætero nec ad memoriam reducat. Volens ergo Sponsus hujus Virginei Horti delicias hominibus esse communes; invitat omnes: O Amici comedite, & delectamini fructibus huius horti. Bibite & inebriamini de vino illius vineæ quam peperit Vitis illa, quæ dicit: Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*.

Postquam Dei Filius lac de pectore B. V. suxit, quasi vino inebriatus ultionis oblitus est.

Matris delicias Filius cum amicis optat esse comunes.

77. Horti hujus delicias plane cœlestes, fructusque dulcissimos, Paradisi fructibus quam simillimos contemplans Sponsus, admiransque canebat Cant. 4. *Hortus conclusus, Soror mea Sponsa, Hortus conclusus, Fons signatus. Emissiones tuæ Paradisus*. Quas Virginis expendens laudes S. Bruno Carthusiensium Patriarcha, Virginis cum universa sua familia devotissimus; *Virgo MARIA*, inquit, *fuit Hortus, in quo varij virtutum flores erant. Conclusus, quia undiq; Virginitate munitus. Est fons signatus, sigillo SS. Trinitatis*. Signatus inquam, non communi illo duntaxat, quo Protoplasti in creatione signati, naturalem, & supernaturalem DEI imaginem similitudinemq; referebant; Verumetiam illam longè nobiliorem, qua intimè per affectum charitatis ardentissimum, unita DEO, totque gratijs in Filij incarnatione præuenta, in Divinam quandam naturam meruit transformari, Personasque Divinissimas adeo

MARIA Fons signatus sigillo SS. Trinitatis.

eleganter, perfecteque, quantum humanæ naturæ assequi licitum est, exprimere, atque in se repræsentare, ut Divinæ Majestatis vivum quoddam simulachrum in terris, ut supra sæpius commemoratum, esse videretur. Vnde nil mirum Virginei hujus Horti, fontisque emissiones, id est, Fructus, esse Paradisum, hoc est, *delicias quibus delectatur DEVS*, ait S. Bruno, Quia hujus Virginis deliciæ Divinæ planè sunt, illisque quam simillimæ, quibus personæ illæ Divinissimæ, ex mutuâ contemplatione, ac fruitione, veluti jugi quodam deliciosissimoque convivio oblectantur.

B.V. deliciæ sunt Divinæ.

78. Vnde Venerabilis Dionysius Richelius lib. 1. de Præcon. & Dignit. B. V. Art. 12. cui cum hujusmodi titulum præfixisset: Quod deliciæ Dei sint esse in Maria, & vivere cum ea; mox addidit, eum, ut Gigantem exultasse, ac cucurrisse ab ipso summo cœlo, ut ejus purissimis delicijs oblectaretur. Tum apostrophe facta ad Virginem, sic eam alloquitur: *Quoniam, ô prælecta à DEO, Rex Regum & Dominus Dominantium tuum concupivit decorem, non mirum si cum exultatione, ac festinatione ad te descendit. Siquidem in momento, in ictu oculi, à summo cœlo in uterum tuum processit. Porro si deliciæ DEI sunt esse cum filijs hominum, non utiq; cum his qui caro sunt, in quibus spiritus eius non permanebit in æternum, eo quod caro sint; sed cum his, qui in spiritu, & veritate Patrem colunt, & adorant: Quanto magis tecum esse deliciæ eius credendæ sunt, in qua carnale nil extitit, quæ DEO unita fueras per fidem, transposita in ipsum per speciem, indissolubiterq; ei colligata, per charitatem. Deniq; mutuo se amantium conversatio delectabilis est. Porro quo amor fortior, eo visa hæc jucundior, sed quis mutuam illam Christi Matrisq; eius dilectionem, metiri aut concipere queat? Et ideo neq; quam deliciosus erat ipsorum convictus comprehendere quisque potest. At quis Sponsi, ac Sponsæ amoris unionem lætam, jucundamq; esse ignorat? Et MARIAM singularem esse Christi Sponsam quis nesciat? Singulariter igitur ipsorum coniunctio gaudiosa, ac deliciosa fuit. Amplius quis unici filij, amantissimæq; Matris, quorum alter alterum nunquam offendit, mutuam conversationem delectabilissimam esse non videat?* Hæc Dionysius de mirificis delicijs, planè Divinis, quibus Dei Filius cum amantissima Matre versando, in ejusque utero, velut horto voluptatis habitando perfruitus est. Quare nil minum mihi jam accidit, quod superius Halgrinus dixit Filium in Horto uteri Virginalis convivatum, fideles quoque omnes ad Divinissimum illud planeConvivium invitasse.

Christus Gigas â sumo cælo ad delicias Vteri Virginalis cucurrit.

Causæ variæ ob quas Dei Filius delectatus est in Maria.

Amoris cōjunctio inter Dei Matrem & Filium miras delicias pariebat.

79. Ad hoc Virginei Horti, cupedijs spiritus refertissimi convivium, non modo Dei Filius, verumetiam ipsa Sanctissima ejus Mater, tota cœlestibus delicijs affluens, ob resurrectionem gloriosissimam potissimum sui dilecti, nos invitat eisdem planè verbis; *Comedite, & bibite, & inebriamini Charissimi;* Cāt. 5. ut ea interpretatus est B. Amadeus; qui & ipse Virgineis delicijs recreatus eandem invitationem Deiparæ repetens Hom. 6. de laud. B. Virginis, addit; *Invito vos ad mensam Sapientiæ, & ad vini libamina, quæ miscuit vobis in Cratere calicis præclari: invito vos ad epulas Gloriosæ, ad convivium DEI Genitricis. Felix qui in tali positus convivio coram recumbentibus, in veste nuptiali fulgebit. Apponetur ei panis vitæ confirmans, replens, & satians, suavitate mirificâ. Et vinum lætitiæ, vinum procedens de genimine vitis, verè vinum resurrectionis expressum de ligno Dominicæ passionis. Hoc vinum Botrus ille protulit, qui ablatus de terra promissionis in vecte ligneo pependit. Edet præterea præfatus conuiua in stola prima, & annulo pacis occisum à Patre vitulum saginatum. Nec deerit edentis voluntati hinnulus cerua gratissimæ, & ceruus saliens de valle inferi in montem cœli. Dehinc percepto pisce qui ad littus Maris inuentus est super prunas, gustabit simul fauum mellis; sumensq; Canticum de Cantici Canticorum dicet in illa die: Comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo. Affluens itaque scilicet Virgo Beata delicijs uniuersis ita secum alios ad prandium inuitabat: Comedite Amici, & bibite, & inebriamini Charissimi.* Tandem ipse S. Antistes ad has deliciosissimas Virginis epulas rursus omnes invitans. *Et ego fratres ad hoc prandium vos inuito: Edite,* ait, *panem vitæ, vinum lætitiæ, bibite, inebriamini gaudio resurrectionis, ebrietas hæc summa sobrietas est, hæc mundi memoriam obliterat, & DEVM præsentem animo semper inculcat; hac ebrius quisq; cunctorum semper obliuiscitur, & solius Diuinæ charitatis semper recordatur. Hac igitur & vos inebriamini dilectissimi, cum DEI Genitrice inebriamini, & gaudete cum gaudente, qui cum lugente luxistis.* S. quoque Ioannes Damasc. orat. 3. de nativ. Virginis in Deipara clarè ostendit delicias mirificas, epularumque Paradisi quandam dulcedinem

Maria in Resurrectione Filij invitat omnes ad deliciosissimū Convivium.

In mensa B.V. bibitur vinum quod Botrus Cypri protulit.

B.V. affluens delicijs ad easdem participandas etiā alios invitat.

dinem reperiri. Dum enim ad Nativitatem gloriosissimæ Virginis celebrandam fideles hortatur, dixit se ad spirituales epulas, velut Christi apiculas omnes invitare; *Quarum*, inquit, *Auspex est DEI Genitrix, quæ convivas suos voluptatis torrente, qui Christus est, pascit; nullam proinde se ab hisce delicijs absentare eorum debere, qui præsertim earum bonum aliquando degustarunt. Regium enim*, ait, *ac Regina, ex Regio semine descendentis est istud Epulum.*

Nativitas B.V. Regium est Epulum, ad quod omnes invitamur.

80. Quo ex Virorum pientissimorum discursu colligitur, delicias, dulcedinemque, ac oblectationem omnem, quæ reperitur in DEIpara, ipsum ejus esse Vnigenitum, ac dulcissimum Filium, ob quem & ipsa dulcissima reddita est, Fructum, inquam, illum sui Virginei ventris sapidissimum, quem semper nobis magnâ liberalitate efferre videtur, quasi ulnis dependentem. Fructus hic, est Botrus ille terræ promissionis lacte, & melle manantis; Fructus hic, est Botrus Cypri in vineis Engaddi, est torrens voluptatis; Fructus hic est panis vitæ, & vitulus saginatus, est hinnulus, est cervus, est denique cibus omnis imaginabilis, omnem oblectationem, omnes delicias, cupediasque in sese complectens. Verbo, cùm Filius hic dilectissimus, Deus sit, omne bonum eundem esse necesse est; & consequenter etiam Beatissimam Virginem, quæ postquam audivit ab Angelo; *Dominus tecum*, ita in hoc summum Bonum, summamque Dulcedinem transformata est, ut idem cum Filio videretur; adeòque sicut reliquas proprietates, ac perfectiones, sapientiæ, pietatis, misericordiæ, ac bonitatis, ita quoque mellifluæ ejus dulcedinis, ac suavitatis, ob intimam cum dulcissimo Filio suo unionem participârit, ita, ut ipsa quodammodo Divina Dulcedo, bonorumque omnium, ac deliciarum affluentia videretur. Quare jure merito Ecclesia universa eam nostram Vitã, ac Dulcedinem nostram salutavit. Quam salutationem expendens B. Bern. serm. 1. in Salve Regina, ait, *Christum vitam, dulcedinem, ac spem nostrum omnium esse.* Et quia Mater idem quodammodo est cum Filio, & pars Filij, ut ait Philosophus: *Hac nobis est*, inquit, *methonomicè Sancta Sanctorum*, scilicet, *quæ & vitam hanc nobis peperit, & precibus infudit;* Infert inde. Quod cum Virgo DEI Filium (qui summum, ac delectabile Bonum est) pepererit, in idem Bonum delectabile quodammodo sit conversa. Sed verba ipsa melliflui Doctoris audiamus: *DEVS ergo omne Bonum est, & summum Bonum, etiam dulcedo, & dulcedinis genus generalissimum, omnem nimirum saporis suauitatem, ac dulcedinem in se complectens. Mel est, quod sugit Israel de Petra, oleumq; de saxo durissimo. Gaudium est, quod nemo tollit, osculum est, quod petiuit Sponsa: Osculetur me osculo oris sui: Interna suauitatis gustus, ac dulcedo est, & Manna absconditum. Thesaurus absconditus in agro; cui comparatum omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum; omne iucundum triste; omne preciosum, vile; sordidum omne quod desiderabile est in oculis amatorum Mundi fluentis. Nam preciosam Margaritam, datis omnibus terrenarum rerum delectamentis Sancta Sanctorum comparauit, & nobis in Filio suo præparauit, & præparat semper interuentu suo nobis orantibus oleum effusum dulcedinis huius. Non erit igitur abs re, sed valdè bonum si ipsam Reginam misericordia, Vitam & Dulcedinem nostram dicamus, qui minùs experti adhuc vita huius, ac dulcedinis sumus. Sed per ipsam speramus nos posse consequi, quicquid totius Bonitatis Factor dignatus fuerit gratia nobis impertiri.* Concludit tandem: *Vita est in integritate virtutum, Dulcedo est spiritualium gaudiorum, spes est æternorum. Omnia hæc Regina misericordiæ, Domina Mundi, Regina cœlorum contulit Mundo, Virgo Virginum, Sancta Sanctorum, Lumen cæcorum, iustorum gloria, peccatorum venia, desperatorum reparatio, deficientium Fortitudo, Salus Orbis, Speculum totius integritatis.* Hæc tanta bona, has spirituales contemplatus delicias, Divinãque in hac Virgine dulcedinem S. Ioannes Damascen. Orat. 2. de dorm. DEIparæ, eam Arbori cuidam pulcherrimæ cujus Fructus est dulcissimus, comparare non dubitavit: *Tu*, inquiens, *instar Pomi, inter ligna syluarum, & Fructus tuus in piorum faucibus dulcissimus.* Quia nimirum eos bonorum, gaudiorumque copia cumulare consuevit.

M. dulcedinẽ suam à Filio dulcissimo derivavit.

Quia DEus summum Bonum est cum MARIA, & ipsa summũ quasi & delectabile Bonum facta.

M. vita & dulcedo nostra.

M. in Filium, qui summum Bonum delectabile est conversa quodamodo.

B.V. Sancta Sanctorum, spretis omnibus rerum terrenarũ oblectamentis preciosã margaritã cœlestis dulcedinis nobis præparat.

M. dulcedo spiritualium gaudiorum, & spes est æternorũ.

M. Pomus dulcissima

81. Et licet Virgo sanctissima in Filium quasi transformata, semper Divina quædam Dulcedo, ac suavitas extiterit, nihilominus tunc fuit vel maximè, quando eum à mortuis redivivum amantissimè complexa est. Tunc enim velut Botrum Cypri in vineis Engaldi Dilectum amplexu constringens, vino cœlestis lætitiæ inebriata est. Tunc gloriosissima ejus, luce fulgentiorã, rosisque

M. in Resurrectione Filij conversa in cœleste Dulcedinem.

M. vulnus lateris Christi à mortuis resurgẽtis exosculãs, spiritũ de eius corde hausit lætitiæ.

que vernantibus fragrantiora exosculans vulnera, illud præsertim Divinissimi ejus pectoris, ac cordis, omni florum Vere, ac nectare, ambrosiâque suaviùs; per idem illud, suavissimus ille Filij Spiritus ardentissimo ejus corde erumpens, in Matrem immigrare visus est, eamque tantâ dulcedine, tantâ suavitate, tantâ denique gaudiorum ad instar torrentis inundantiam circumfudit copiâ, ut ipsa cœlestis quædam, ac Divina Christi dulcedo videretur.

B. V. resurgente Christo è tumulo mœroris resurrexisse visa est.

Quod sanè præclarè expressit S. Amadeus Hom. 6. de laudibus Virginis; *Surrexit*, inquiens, *Christus, & erexit animam Matris suæ. Iacebat illa velut in arctissimo quodam mœroris tumulo, donec Dominus iacuit in sepulchro. Illo verò resurgente, reuixit spiritus eius, & quasi de graui somno euigilans, Solem Iustitiæ, & radios resurgentis in luce matutina conspexit. Intuita est ortum surgentis Auroræ, & præcedentem in Filio futuram nostræ carnis resurrectionem. Pascebatur oculis in carne fulgida resurgentis, menteq; cernebat gloriam Diuinitatis, ut intus, & foris egrediens, & ingrediens, frueretur pascuis veræ, sempiternæq; fœlicitatis. Facta igitur extra se, suiq; oblita præ gaudio, adhæsit corde lætissimo Spiritum Patri, & conglutinata DEO, in illum tota efferebatur, in cuius amoris immensitate tota refundebatur. Domine in virtute tua lætata est valdè, & super salutare tuum exultauit vehementer, desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eam.* Addiderim ego; *prævenisti eam in benedictionibus dulcedinis tuæ, eamq; torrente voluptatis tuæ potasti, atq; ab ubertate domus tuæ inebriasti. Cùmq; in dulcissimo tuo quasi semimortua hæreret amplexu, vitamq; cordis tui amantissimi peteret, ut eâ in posterum viveret, tu liberaliter tribuisti ei, imò & longitudinem gloriosam dierum tuorum tecum in sæculum, & in sæculum sæculi.*

B. V. in Christi resurrectione præ gaudio extra se rapta, conglutinata est DEO.

B. V. in amplexu hærens resurgentis Filij vitã cordis ejus amantissimi postulabat.

82. Cùm ergo Virgo sanctissima, atque dulcissima, dilectissimo, suavissimoque Filio suo, velut Coronâ esset circumdata, vitâque dulcissimâ, ejus dulcissimi, ac melliflui cordis viveret, quis eam dubitet in Divinam quandam dulcedinem versam, eandemque ipsam cunctis vel de se cogitantibus, cùm omnium bonorum, gratiarumque copiâ communicasse? Quemadmodum enim cum prima nostra Mater Eva, & fructus ille vetitus, (quem per summum nefas gustare ausa fuit) menti occurrit nostræ, simul etiam ingens malorum atque amaritudinem Ilias (quæ velut è Pandoræ pyxide, ex ejus peccato originem traxit) occurrat, nosque grauissimo quodam mœrore circumfundat, necesse est: Sic cùm Virgo sanctissima memoriæ nostræ sese insinuat, insinuat quoque sese cum Matre dulcissimus Filius, benedictus ejus Virginei ventris Fructus, qui cùm dulcedo ipsa sit, & solatium, imò & idem substantialiter cum DEO illo, qui est DEUS totius consolationis, inexhaustus demum Fons, atque Oceanus bonorum, ac voluptatum omnium; mentes, animosque mortalium, cœlestium deliciarum, quâdam velut abysso immergit, verborumque suauitate, quibus deliciæ æternæ vitæ continentur, omnium hujus vitæ amaritudinum inducit oblivionem.

Sicut Euæ memoria nos mœrore, sic MARIÆ lætitia afficit.

83. Quare ipsa Virgo DEIpara hujuscé innatæ dulcedinis sibi probè conscia gloriabatur apud Siracidem Eccli. 24. *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum: memoria mea in generationes sæculorum.* Quæ verba ponderans supra memoratus Dionysius Richelius, lib. 3. de Præcon. & Dignitat. Beatæ Virginis ar. 23. cùm de dulcedine Mariani Nominis ageremus luculenter exposuit, ostenditque Virginem totam quanta est, ipsam esse dulcedinem suavissimam, suavitatemque dulcissimam.

M. Spiritu dulcis.

Idem Dionysius Art. 8. in Cant. Ipsa, inquit, DEIpara est Flos cujuslibet animæ devotæ eam amantis, cujus memoriam nunquam ingreditur sine fructu, & suæ dulcedinis diffusione.

B. V. est Flos suavis animæ devotæ.

Eodem Articulo ponderans verba illa Sponsæ Cant. 1. *Introduxit me Rex in cellam vinariam;* mirâ cœlestium deliciarum dulcedine docet Virginem fuisse inebriatam, in ipsumque vinum, ubertatem nempè Domus DEI absorptum: *O introduxit te, ò Beatissima Domina, nec solùm introduxit in cellam vinariam, sed & in ipsum Vinum, cui te totaliter intinxit, quia in abyssum diuitiarum, ac deliciarum suarum te prorsus immersit, omni benedictione te adimpleuit, & iucunditatibus te inebriauit frequenter, præsertim in annunciatione Angelica, in Conceptione Filij DEI, in Natiuitate eiusdem, & aliàs sæpè.* Cùm ergo tantâ dulcedine Diviná, jucunditateque fuerit delibuta, atque immersa DEIpara, quid mirum si eam etiam cum alijs, pro ingenita sibi benignitate communicaverit?

M. Deus in abyssũ suarum deliciarum immersit.

84. Liceat hic mihi illam ob hanc Divini-

M. Calliope nostra ob Cantꝰ dulcedinẽ

Divinitus illi insitam suavitatem, ac dulcedinem Musarum Reginæ Calliope Orphei Musices Præsidis Parenti, quæ à sua pulchritudine, seù bonitate, suavitateque vocis nomen invenit, comparare; Siquidem jam sæpiùs memoratus Amadeus Lausan. Episcopus Christum ejus Filium, Orpheo dulcedine cantus, saxa, feras, silvas, montes, ac flumina post se trahenti, conferre non dubitavit, Hom. 4. de laudib. B. Virginis. *Factus*, inquiens, *est DEI Filius, hominis Filius, ut in unitate personæ DEVS esset, & Homo, DEVS ex substantia Patris ante sæcula genitus, & Homo ex substantia Matris in sæcula natus, exultavit Gigas gemina substantia, modulatisq; vocibus, simulq; chordis suavissimis in citharâ corporis decantare, & in carnis organo, virtute Spiritus Sancti compacto, dulcissimos sonos edere, & ineffabili concordiâ resonare cœpit, adeò ut lapides suscitaret, ligna commoveret, feras traheret, homines abstractos à carne educeret, in sublime. Nam mirifica cantillena suavitate suscitavit de lapidibus Filios Abrahæ, & ligna sylvarum, id est, Gentium ad fidem commovit: Feras quoq;, id est, feros motus, & incultam barbariem moraliter composuit, & homines ab hominibus edoctos, in numerum Deorum instituit.* Sic ille. Si igitur Christus Virginis cœlorum Reginæ Filius, Orpheo, eo quod in Cruce à terra exaltatus, omnipotentiâ infinitâ, omnia ad se traxerit, conferri potuit: meritò quoque ejus Mater sanctissima, Parenti ipsius Calliopi, ob loquelæ, cantusque suavitatem, ac dulcedinem, quâ mortalium mentes in summam rapiebat admirationem, poterit comparari.

Christus Orpheus noster, peccatores cantu ad instar ferarũ ad se trahẽs.

Christus suo cantu suscitavit de lapidibus filios Abrahæ.

Christus feras, id est, Gentiles mansuefecit, & in numerum Deorum collocavit

85. An non Reginæ hujus cœlestis cantus dulcedine abreptus, & velut quodam funiculo attractus, ac ligatus videbatur Sponsus, quando ei amanter dixit Cant. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua Sponsa, & eloquium tuum dulce.* Seù ut legunt 70. Interpretes, *Funiculus coccineus labia tua.* Quæ verba considerans Rupertus, sic Virginem alloquitur: *Si vittam hujusmodi, seu funiculum habuisset Eva, si vinculo perfectionis, quod est dilectio, sese Creatori astrinxisset, paries inimicitiarum in medio non surrexisset. In labiis tuis confessio, & pulchritudo est, in labiis tuis sanctitas, & magnificentia est. Eva DEO fuit muta; tu autem magnificasti DEVM mente ardentissimâ, voce suavissimâ; Et hæc est vitta coccinea, quia Charitas fuit ignea, quâ benè cum eo ligata, sic DEO adhæsisti, ut unus cum eo Spiritus sis.*

M. & Evæ in loquendo antithesis.

M. labia coccinea ob ardentem in DEUM charitatem.

Hinc eloquium tuum dulce, quia ex abundantiâ cordis os loquitur dulcedinem, quæ abundat interiùs; sapit sermo, qui redundat exteriùs. Vbi pientissimus Abbas Virgineum extollit Canticum, quo cœlesti planè eloquentiâ, Divinam Omnipotentiam, Sapientiam, Bonitatem, ac Misericordiam, aliasque DEI perfectiones in hominum asserendâ libertate demonstratas celebravit. Quod sanè Canticum, quia dulcissimum, ac suavissimum est, jure merito S Bernardin. Senensis To 3. serm. 6. Davidico Psalterio decem chordarum, ob decem versiculos in eo contentos, veluti potentissimæ illi Orphei, post se saxa, ferasque trahenti lyræ comparavit. Cujus Divinum, dulcissimumque Canticum quam gratum Divinæ extiterit Majestati, verbis hisce Vir Seraphicus declaravit: *Quia Mater, & Regina Regni cœlorum erat, sola super omnes creaturas magis magnificat DEVM, quam omnes aliæ creaturæ cœlestes, vel terrestres.*

B.V. Canticũ Psalterium decem chordarum.

M. sola plùs magnificat DEUM, quàm omnes aliæ creaturæ.

86. Vt autem Sponsus se Virginei hujus sermonis, gratiâ, dulcedine, suavitateque mirificè delectari, ac detineri ostenderet, rursus ejus labiorum prosequitur laudes: *Favus distillans labia tua Sponsa, mel & lac sub linguâ tuâ.* In quæ verba idem Rupertus commentatus, sic Sponsum loquentem, sermonisque Virginei dulcedinem celebrantem, seque mel & lac illud quod est in Sponsa, esse affirmantem, dulcedinemque illam Divinam Matri tribuentem, introducit. *Parum est quod dixi suprà: Et eloquium tuum dulce, quia nimis parum est dulcedinem esse in colloquio, nisi dulce sit, & cor. Tu dulcis in ore, dulcis & in corde. Hoc est quod nunc dico, favus distillans labia tua; subiungens, mel & lac sub lingua tua, id est, in anima tua. Ibi tibimetipsi dulciter sapit favus eloquij tui, favus distillans, à labijs tuis, labijs gratiosis. Favus tuus ego sum, mel tuum, & lac tuum ego sum, quia DEVS tuus, & Filius tuus ego sum. Hoc tua sentit anima, hoc tua sonant labia. Aliud loqui non potes, quàm id, quod in pectore habes: Exabundantiâ cordis labia tua loquuntur.* Subjungit denique, labia Matris sanctissimæ tum vel maximæ mel stillasse, cum lactenti parvulo dulcissima, ac devotissima libavit oscula, *osculetur*, inquiens, *me osculo oris sui.* Idem sentit Hugo de S. Victore Tomo 2. serm. de Assumptione Beatæ Virginis, qui à Divino illo Incarnati Verbi ore, ac osculo Virgini inditam, ac innatam cœlestem

M. labia mel & lac distillabãt

M. labia mel stillarunt, quãdo parvulo dulcissima libauit oscula.

illam dulcedinem, ac suavitatem esse arbitratur: *Favus,* inquiens, *mel & ceram habet: Mel Divinitas est, cera Humanitas, Favus, Verbum Caro factum est in Virgine, ac si DEVS dicat: Ego expertus sum, quod laudo; Favus distillans labia tua: Ego deinctius tibi charitate, osculo oris mei labia tua pressi, simulq; dulcedinem infudi, & à dulci dulcedinem expressi. Valdè impressi dulcedinem, & verè expressi suavitatem, quando meum tuo, in te sociavi, & per tuum à te cum meo pariter & tuo exivi. Mea Divinitas mel erat, & tua Humanitas cera erat, & inde meipsum favum feci: Mel, & lac sub lingua tua, Verbum sub lingua tua, sub carne tua; quia Verbum sub lingua tua, & carne tuâ absconditum; mel & lac, DEVS, & Homo; mel Divinitas, lac Humanitas. Mel de cœli rore venit, quia Divina Natura super omnia est. Lac de carne exprimitur, quia Humanitas deorsum assumpta est.* Hæc Hugo.

Christus Parvulus Matrem deosculās, ipsi dulcedinem infudit.

87. Hanc Virginis melleam, lacteamque dicendi, loquendique facultatem agnovit ex varijs ipsius sermonibus D. Bonavent. in Spec. cap. 10. *Sicut,* inquiens, *Sponsa Spiritus S. MARIA formosissima fuit in conversatione, ita etiam dulcissima est in allocutione, sicut dicitur in Canticis: Favus distillans labia tua, Sponsa, mel & lac sub lingua tua. O quam melliflua verba sæpiùs distillaverunt dulcissima MARIÆ labia. Quæ etiam benè lac, & mel sub lingua habuit in duobus verbis, quæ Gabrieli respondit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Nonné etiam mel sub lingua habuit, quando mellifluum illud dulcedinis verbum respondit: Ecce Ancilla Domini fiat &c. De mellifluentia namq; huius melliflui verbi per totum Mundum melliflui facti sunt cœli. MARIA insuper mel sub lingua habuit, in mellifluis orationibus ad DEVM; lac verò sub lingua habuit in lacteis collocutionibus ad proximum. Eia ergo, quanti decoris, & quanti dulcoris est illa Sponsa summi Consolatoris, videlicet Spiritus Sancti!*

M. verbis melliflua.

M. ad DEum orationes mellifluæ.

Eandem loquendi suavitatem Nicephorus agnovit in Virgine lib. 2. Hist. cap. 23. ubi cum ejus Corporis sacratissimi partes omnes, vivis expressisset coloribus, ad labia ubi pervenit: *Labia,* inquit, *florida, & verborum suavitate plena.* S. Damascenus Oratione 1. de Nativitate Beatæ Virginis: *Sermo iucundus, ex suavi, seu leni anima proveniens.*

M. labia florida.

M. sermo iucundus, ex suavi & levi anima proveniens.

B. Amadeus denique Hom. 7. de laudibus Beatæ Virginis, non modò labia, loquelamque suavem, ac floridam, verùm etiam ipsam DEIparæ præsentiam Ver amœnissimum, Paradisum deliciosissimum existimavit: *MARIÆ,* inquiens, *præsentia gratam Veris temperiem exhibebat, & quo favens se verteret Paradisus erat.* Hanc crediderim ob causam B. Iustinianus lib. de Casto Connub. cap. 9. Virginem nectare, Cœlitum delicijs, dulciorem, omni harmoniâ delectabiliorem appellavit.

M. præsentia Veris téperies, ac Paradisus.

M. Nectare dulcior.

88. Divinam hanc DEIparæ dulcedinem expertus est B. Petrus Card. Damianus, quando serm. de Annunciatione, per Virginem hanc dulcissimam, ad fontem omnis dulcedinis, Triadem nempe beatissimam (cujus cœlestem quandam affinitatem est sortita) deduci exoptabat cum dixit: *Dulcis Dominus, Dulcis Domina mea, quia ille Deus meus, misericordia mea; hæc Domina mea misericordiæ porta. Ducat nos Mater ad Filium, Filia ad Patrem, Sponsa ad Sponsum benedictum.* An non Virgineam hanc dulcedinem expertus est S. Bern. quando Virginem alloquens: *Tu nunquam,* inquit, *sine dulcedine tibi insita Divinitus, memoria portas ingrederis.* An non eandem delibavit Seraphicus Bonau. quando illi fatebatur ingenuè Psal. 38. *Dulcore tuo liquefactum est cor meum, amore tuo inflammata sunt viscera mea.* & Psal. 75. *Dulcis est memoria eius super mel, & favum, & amor eius super omnia aromata.* An non Virgineâ hac dulcedine se recreari, atque exhilarari S. Ioann. Damasc. Orat. 1. de dormit. DEIparæ, vel ex solâ ejus jucundissimâ recordatione sentiebat, quando DEIparam alloquens: *Sufficit certè ijs,* ait, *qui tui memoriam piè usurpant preciosissimum memoriæ tuæ donum, quippe quæ eiusmodi lætitiam pariat quam nullus eripere possit. Quânam enim voluptate, quibus bonis non impletur, qui mentem suam sanctissima memoria tua promptuarium effecit?* An non Virgineam suavitatem degustârat celeberrimus ille, atque, ac pientissimus Doctor Martinus de Magistris, quando eam velut nostram Dulcedinem cum Ecclesia salutans, exclamavit: *O suavitas nostra: O Sanctissima collachrymantium Dulcedo. Tu Dulcedo nostra, cum languorem dissipas. Tu Dulcedo cum imbecille senium discutis. Tu Dulcedo, cum aridis nobis virorem instillas. Tu Dulcedo, cum adversos sanctitudini conatus cohibes. Tu Dulcedo, cum desideria nostra ratione metiris. Tu Dulcedo cum sublato virtutis labore quicquid agimus mirâ iucunditate respergis.*

M. dulcis Domina.

M. est dulcedo Divinitus insita.

M dulcis memoria super mel & favum.

Bonis omnibus repletur, qui mentem M. promptuarium effecit.

M. collacrymantium Dulcedo sanctissima.

89. Cœle-

89. Cœlestem hanc dulcedinem spirabant non modo Virginis verba, verùmetiam ejus aspectus spirabat ipse ejus suavissimus spiritus, spirabant mores, spirabant denique ejus actiones omnes. Vnde B. Amadeus Hom. 7. de laud. Virginis, ideo DEI Filium in cœlum abeuntem, Matrem, quæ ipsi alias super omnia extitit charissima, ac gratissima in terris reliquisse ait, quo primitiva Ecclesia ex absentia Sponsi dolorem, præsentiâ, jucundissimoque sanctissimæ Matris aspectu temperaret. *Mira*, inquit, devotissimus Antistes, *pietate primitiua Ecclesiæ prouisum est, ut quæ DEVM in carne hac præsentem jam minimè cerneret, Matrem eius visu jucundissimo recreata, videret. Quid enim tam jucundum, quid tam decorum, ac delectabile, quam Matrem Plasmatoris, & Redemptoris omnium videre! Nam si sepulchrum einsdem nostri Redemptoris, quod extat usq; hodie, ita visui desiderabile est; si lapis in quo requieuit stirps sancta Iesse, tanta est expetibilis celebritate, ut affectus, & animos cunctorum prouocet in se, & quadam pietatis arte trahat ad se omnia: quæ vel qualis erat DEI Genitricem cernere lætitia, dum eam Diuina pietas communi sorte degentem nobiscum concessit in terra. Beata gens, felix generatio, quæ tali spectaculo meruit illustrari; Beata planè in cuius medio credentis, & fruentis constitit Arbor producens fructum vitæ, veraq; lucis Genitrix effulsit.* Paucis verò interjectis Virgineam hanc dulcedinem vim quandam attractivam habuisse insinuat, populosque, ac nationes ad invisendam hanc cœlorum Reginam, ac Imperatricem concurrisse affirmat: *Quis*, inquiens, *non properaret, quis non curreret ab extremis terræ reuerendæ Maiestatis decus aspicere, & vultum omnimoda suauitate, imperialiq; dignitate, ac singulari præditum potestate, videre? Nihil enim inueniebatur illi simile in filijs, & filiabus Adæ, nihil tale in Prophetis, in Apostolis, aut Euangelistis. Nihil illi simile cœlum, & terra dedêre. Quis enim in nubibus æquabitur ei, aut similis foret Matri Domini inter Filios DEI?*

Maria à Christo in mundo relicta pro Ecclesiæ solatio.

Iucundum Matrem omnium Redéptoris in terris videre.

Sepulchrũ Christi ad se vidédum cunctorum affectus animosque provocat.

Dulcedo Mariæ vi quadam attractiva prædita fuit.

Ab ultimis terræ partibus Maria homines suavitate ad se trahebat.

Nil simile Mariæ in filijs, & filiabus Adę

90. Porrò ut S. Antistes ostenderet Virginis DEIparæ aspectum, ac præsentiam non modo suavitatem, ac Divinas quasdam delicias exspirare, verùmetiam cum eisdem quam plurima, Divinaque beneficia tam animi, quam corporis communicare solitam, addit: *Salutem namq; corporibus, & animis medelam afferebat, potens suscitare à morte carnis & animæ. Quis unquam ab ea æger vel tristis, aut cœlestium mysteriorum ignarus abijt? Quis non lætus & gaudens redijt ad propria impetrato à Matre Domini, quod voluit? His ergo tot tantisq; bonis exuberans Sponsa, Sponsi Mater unici, suauis & charissima in delicijs, ut fons Hortorum rationabilium, & puteus aquarum viuentium, & viuificantium, quæ fluunt impetu de Libano, à Monte Sion, usq; ad circumfusas atq; exteras nationes, pacis flumina, & gratiarum emanationes cœlica infusione deriuabat.*

A Maria nullus tristis abijt.

Mariæ in homines beneficia.

91. Virgineam hanc dulcedinem non solum in hac miseriarum valle degentes agnovere, ac concupiere mortales, verumetiam cœlites ipsi, vultus aliàs Divini contemplatione, ac fruitione, voluptatibus omnibus, sensum, intellectumque excedentibus affluentissimâ, æviternum felices, ac beati. Vnde S. Damasc. orat. 2. de Assumpt. pro Virgine hac dulcissimâ ex hac vitâ, ad fœliciorem proficiscente, tam cœli, quam terræ incolas, velut pro communibus Orbis utriusque delicijs, velut pro quapiam formosissimâ æquè, ac castissimâ Helenâ decertantes introducit: *Applaudebat*, inquit vir devotissimus, *uniuersus Sanctorum chorus DEIparæ, his verbis utens: Tu prædictiones nostras explenisti; tu expectatam nostram lætitiam produxisti: Per te mortis vinculis sumus soluti, veni ad nos, ô Domina, vitamq; ferens Thesaure. Veni ad nos cupientes, quæ cupiditatem nostram expleuisti. At verò non minus efficacibus verbis circumstantium Sanctorum, qui adhuc in corpore versabantur multitudo Virginem retrahebat, in hunc fere modum eam alloquens: Mane nobiscum ô nostra consolatio, unicumq; in terra oblectamentum, ne orphanos periclitantes deseras, ô humani, ac misericordis Mater Filij. Te laborum requiem, ac sudorum refrigerium habemus. Tibi enim & manere volenti potestas in promptu est, & abire constituenti nemo est, qui impedimentum afferat. Si abis, ô DEI Arca, una tecum nobis, qui ob Filium tuum, populus tuus sumus abire liceat. Tu sola nobis consolatio in terris relicta es. Te viuente simul viuere, te moriente simul mori beatum est. Nam nobis tua consuetudine orbatis, quæ tandem vita esse poterit?* Sic Damascenus.

Beatorum mortaliũque inter se certamen pro videnda DEIpara.

Maria Thesaurus vitã ferens.

Maria Vnicum in terra oblectamentũ.

Mariam laborũ requiem, & sudorũ refrigerium habemus.

Cũ Maria viuente vivere, cum moriente mori beatum est.

Quare præclarè Cæsarius lib. 7. cap. 1. de hoc jucundissimo Cœlitesque omnes ac terrigenas beante DEIparæ intuitu disseruit: *Sicut*, inquiens, *in creaturis uniuersis Matre Creatoris nihil est Sanctius, nil dignius, nil præcellentius: ita eius visione nulla sanctorum visio dignior, nulla jucundior, nulla eminen-*

eminentior. Cuius preces, ut quidam ait, vista; cuius Nomen tristia, cuius odor lilia, cuius vincunt labia Fauum in dulcedine. Super nucem sapida, super niuem candida, supra rosam roscida, supra Lunam lucida, veri solis lumine. Hæc Cæsar.

92. Neque verò spiritus ejus super mel dulcis est, ut ipsamet testatur ejusdemq; præsentia melleam, nectareamq; quandam stillabat dulcedinem, suavissimumque veris, diversorumque florum odorem exhalabat, verumetiam ipsum sacrosanctum ejus corpus, ob præstantiam temperamenti multo nobiliorem longè, quam extiterit Alexandri Magni: Vnde licet in sepulchro jaceret exanime nullam vidit corruptionem, imò ipsi illi sepulchro vestigia quædam Divinitatis impressa reliquisse videbatur, odorem nempe fragrantiamq; planè suavissimã, ac cœlestem. Quam S. Ioan. Damasc. contemplans Orat 1. de dormit. Deiparæ, admiratione attonitus exclamavit. *O sacrum miraculum, hoc est Monimentum illud Augustum, & adorandum, quod etiamnum Angeli, non sine magnâ reuerentiâ, & metu adstantes complectuntur, Dæmones pertimescunt, homines per fidem accurrunt honorantes, adorantes, oculis, ac labiis magnâ animi cupiditate exosculantes, uberrimamq; bonorum copiam haurientes. Quemadmodum enim si quis ingentis precij unguentum vestibus aut loco alicui infundat, suauitatis reliquiæ, sublato licet unguento remanent; pari quoq; ratione nunc Diuinum tuum, & sanctum, ac macula omnis prorsus expers diuinâq; fragrantiâ refertum corpus, corpus, inquam, seu fons ille gratiæ perennis, in sepulchro collocatum, ac deinde rursus ad præstantiorem, & sublimiorem Regionem abreptum, nequaquam ita sepultum est, ut honoris expers esset, verum tum diuinam fragrantiam, & gratiam ipsi contulit, tum sanationum, ac bonorum omnium fontem ijs, qui cum fide ad monumentum accedunt, reliquit.*

Corpus B. V mortuũ suavissimũ odorẽ exhalabat.

Sepulchri B.V. mirabiles effectus.

Sepulchrũ B.V. sanationum, & bonorum omnium fons.

Quamobrem idem S. Doctor Orat. 2. de Assumpt. Gloriosum hoc Virginis Sepulchrum ita loquens, gloriansque & gratias, beneficiaque sibi à Virgineo illo corpore collata enumerans introducit: *Neq; verò ex natura mea hanc gratiam possideo. Sepulchrum enim omne fœtore refertum est, mœrorisq; causa, ac delectationis hostis est. Verum preciosum unguentum accepi, ex quo mihi odoris suauitas impertita est. Tanta verò energiâ ac suauitate unguentum hoc praditum est, ut alicui vel leuiter admotum odorem nunquam deficientem inhalet. Diuina siquidem beneficia sine pœnitentia sunt. Deniq; lætitia fontem hospitio excepi, perennisq; ipsius scaturiginis diuitiis exuberaui.* Hæc per prosopopœiam in laudem Virgineæ suavitatis, ac gaudij, Mariæ Sepulchrum.

Sepulchrũ B. V. precioso unguento refertum.

Mariæ Corpus lętitiæ fons.

93. Quod si sacratissimum ejus corpus exanime, ac tumulus ipse tantarum voluptatum, bonorum, gaudiorumque mortalibus fons tam copiosus extitit, quanto majori voluptate, ac dulcedine Cœlites omnes perfudit, quando ascendens de mundi hujus deserto delicijs affluens, innixa, ac quodammodo in Dilectum suum dulcissimum transmutata in cœlos evolavit? Intellexit dulcedinem hanc à cœli civibus copiosissimè degustatam B. Ioannes Damasc. dum in Regali Throno à dextris Filij considentem Reginam hanc cœlorum contemplans eam alloquitur Orat. 1. de dormit. Deiparæ. *Ad Regium*, inquiens, *Filij tui Thronum peruenisti, clarè eum, ac latè aspiciens, & cum magnâ, ac inenarrabili quadam libertate adstans, Angelis, atq; omnibus mundo superioribus Virtutibus, arcana quadam omniq; dicendi facultate superior es lætitia; Patriarchis sempiterna Oblectatio: Prophetis perennis exultatio; Mundo, benedictio: Rebus omnibus sanctificatio; laborantibus requies: mœstis consolatio; ægrotantibus medicina: tempestate jactatis portus: peccantibus venia: ijs qui in mœrore versantur, blandum solatium: omnibus poscentibus promptum subsidium.*

Maria mirum gaudium, ac voluptatẽ cum corpore in cœlos assumpta cęlitibus peperit.

Maria Cęlitibus arcana quædam est lætitia, atque oblectatio, & exultatio.

Maria in mœrore versantibus blandum solatium.

94. Tandem ob tantæ tamq; Divinæ dulcedinis reliquorumque bonorum de corde vultuque Virgineo emanantium in omnes redundantem affluentiam, stupore attonitus exclamat: *O miraculum naturâ sanè præstantius! ò res summâ admiratione plenissimas!* His similia lætitiæ gaudiorumq; signa B. Amadeus Hom. 8. de laudibus Virginis commemorat, quæ sancti exultantes in gloria, ad tantæ Reginæ præsentiam jucundissimam, vultumque amabilissimum præ se tulerunt. *Gaudebant*, inquit ille, *Sancti videntes Gloriosam, quam in terris positi dilexerunt, vitâq; comite celeberrimâ laude eiusdem merita prosecuti sunt. Gaudebant, inquam, intuentes singulare illud Diadema, quod in die solemnitatis, ac lætitiæ, in die Assumptionis, & gloriæ, dilectissimæ Genitrici Christus impressit, memorans Diadema illud, quo eum ipsa in die desponsationis coronauerat. Currunt Virgines in odorem unguentorum eius, properantes ingredi cum ea ad nuptias, ut in cœlesti thalamo vero Sponso pereniter sociata, Maria præcinente nouum*

Gaudium Beatorum de Corona B.V. qua à Filio redimita fuit.

num canticum succinant. Deniq; omnis sexus & aetas, omnis ordo, & dignitas Beatissimam praedicabunt, & populus innumerabilis acclamabit ei in jubilo, meritis, & precibus ejus salvatus. In quorum numero nos esse contingat, ò clemens, ò pia, ò dulcis MARIA, ut cum dies erit irae, tribulationis & angustiae non pro reatu puniamur, sed per te digni ò Domina inveniamur misericordiâ.

93. Quare jure merito S. Ioannes Damascenus orat. 2. de Assumpt. Dei-param omnium laetantium habitationem, omnisque laetitiae causam esse pronunciavit. Quo loquendi modo, animatum quoddam Coelum Dei Genitricem esse innuit, in cujus adjutorio habitando, inque ejus fidelissima protectione, ac patrocinio commorando, coelum quoddam inhabitare nobis videmur: ubi sicut ex assidua Divini vultus contemplatione, ac fruitione, Angelica, atq; humana natura felicitatem, ac beatitudinem indepta, torrente voluptatis potata, ab ubertate domus Dei inebriatur, & perennibus incedens laetitijs, ac gaudijs Divinas laudes laeta decantat: Ita sanè hujus Virginis devoti clientes, in umbrâ alarum ejus, veluti coelesti quopiam domicilio habitantes, ejusque laudes, praeconia, merita, ac virtutum decora, celebrantes, tantis coeli delicijs, ac gaudijs identidem perfunduntur, ut visionis beatificae dulcedinem deliciasque, dum adhuc hujus mortalis vitae ergastulo detinentur, sibi degustare videantur.

Maria Coelū, in quo habitātes semper laetantur.

94. Testis est, ut alios innumeros praetermittam, ipse Dilectissimus ejus Filius, qui licet in sinu Patris, omnem creatum intellectum excedentibus perfrueretur delicijs, ac gaudijs, exultasse tamen à Regio Vate dicitur ad instar Gigantis, ad currendam viam à summo coelo egrediens, ut in sinum uterumque ejus purissimum, coelis ipsis deliciosiorem, ac capaciorem quamtocyus ingrederetur. Vnde B. Petrus Damiani Card. serm. de Annunc. Virginis, verba illa Geneseos cap. 2. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandam universam superficiem terrae:* Dei Filium fluvio Paradisi universam terram irriganti conferens, ita loquitur: *Fluvius iste,* inquit, *est DEVS meus IESVS, qui a duobus locis voluptatis egreditur ex utero Patris, ex utero Virginis. Quare Propheta Isa. 59. Dominus DEVS noster fluvius gloriosus exiliens in terram sitientem.*

In utero Mariae Dei Filius summam voluptatem reperit.

Christus fluvius Paradisi.

Tandem cum de utroque haec deliciosissimo sinu multa disseruisset: *Hic locum voluptatis*, ait, *Vterum MARIAE intelligo, in quo cumulavit omnes delicias deliciarum Dominus, de cujus delicijs Spiritus S. admiratorio sermone in amoris cantico sic eructat: Quae est ista, quae ascendit de deserto delicijs affluens.* Concludit denique disceptationem, hac verè aureâ coronide: *Non est locus voluptatis, nisi uterus Virginis;* Quo in loco Dei Filius, veluti amoenissimo Paradiso sese mirificè deliciatum declaravit, dum aeterni Patris imperio, ventre illo Virgineo extractum se apud Prophetam fatetur, ubi summis voluptatibus, humanum captum excedentibus perfruebatur.

Vterus B. V. Dei Filio locus voluptatis

95. Hinc D. Ambrosius serm. 28. Incarnatum Dei Filium sibi nescio, quam vim intulisse asserit, quâ compulsus, ex illo jucundissimo, Virginitateque floridissimo utero egressus est: Sinus, inquit ille, Christi, erat in Deo Patre Divinitas; in Maria Matre Virginitas, cujus sic tenebatur pulchritudine, sic irretiabatur amore, ut ni sibi inferret vim, ab illa exire nequiret. Sic Ambros. ore illo verè ambrosiam, nectarque distillante.

Dei Filius ut de Virginis utero egrederetur sibi vim quasi intulit.

Hinc Venerabilis Vbertinus Casalius Ord. Seraphici, qui floruit circa An. Domini 1305. lib. 1. Arb. vitae c. 6. ait *Deiparam Ferculum Salomonis dictam, quia varios gustus reperit DEI Filius in mēte Virginis.*

B.V. Ferculum Salomonis dicta quare?

96. Vnde nil mirum Divinum Pusionem illico utero illo Virgineo, delicijs omnibus refertissimo, egressum praesepi reclinatum vagijsse, amarissimeque lacrymatum, ut Sancta canit Ecclesia: *Vagit Infans inter arcta conditus praesepia.* Crediderim sanè vagijsse illum non modo, ut se verum hominem, miserâ nostrâ hac humanitate circumdatum, nostrorumque peccatorum, quibus humanum genus involutum cernebat, dolore se tangi ostenderet, verùmetiam, ut quam aegrè Dilectissimae Matris utero sese, vi quadam occultâ, aeterni nempe Patris imperio, avulsum fuisse fateretur. Licet enim is voluptatis locus ei fuerit obscurissimus, atque angustissimus, augustissimus tamen, imò, & amplissimus, suaque Majestate, ob tantae, tamq; praeclarae, virtutum omnium ornamentis decoratae Virginis, praestantiam, ac dignitatem dignissimus videbatur. Virtutum siquidem ipsius splendor illas uteri tenebras mirificè illustrabat, Charitatis

Vagijt Infans in praesepio quia Mariae uterū relinquere debuit.

Dei Filius ab utero Matris patris aeterni imperio avulsus

Dei Filio totus mundus respectu uteri Virginalis obscurus, & angustus videbatur

ejusdem amplissima illa latitudo, angustias dilatabat; ita ut & præsepe, & Bethlemitica illa spelunca, atque adeo Bethleem ipsa terra Iuda (quæ alias nequaquam minima est in Principibus Iuda ut ait S. Matt. 2.) quin & ipse orbis universus, arctus illi, atque angustus omnino, comparatione uteri illius Virginalis appareret: in quo tamen, quemadmodum cæteri hominum, ut experientiâ edocti volunt Medici, capite inter genua inserto, in globum quodammodo convolutus, servum se quempiam, in flagella, exporrectis humeris, paratum exhibens, novem mensium spatio, quasi obscuro reclusus carcere delituit. Cur igitur inde se violenter quodammodo avulsum, atque abstractum queritur? cur inter angustias præsepis deprehensus amarissimè vagiendo lamentatur? Quia nimirum amœnissimam lætantium habitationum Virgineam, cœlestibus delicijs, ac gaudijs dulcissimis redundantem, ipsis cœlis latiorem, Paradiso amœniorem, locum deniq; veræ, ac Divinæ planè voluptatis, omni prorsus dulcedine refertissimum, uterum, inquam, Sanctissimæ Matris purissimũ deserere compulsus est.

Dei Filius in utero Matris in quendam globum quasi convolutus ad instar servi delituit

97. Hascé Virginalis uteri delicias, quibus Dei Filius novem mensibus in eo commorando perfruitus est, & singulares præterea Deiparæ prærogativas, Divinissimaque munera, quibus in tam diuturnæ commorationis mercedem donari meruit, agnoscens venerabilis Dionysius Richelius lib. 1. de Præcon. & Dignit. B. V. cap. 28. in verba illa admiratione attonitus prorupit: *O præclarum uterum, in quo nobile illud pignus requievit. O dives MARIA, quæ incomparabile illud, & preciosissimum sæculi precium, cuius dignitati mundus totus comparari nequit, intra te clausum bajulasti, in cuius castis visceribus cœlestis Sponsus Infantulus effectus alebatur, & crescebat, atq; ad nascendi aptam ætatem peruenit. Quomodo, ò admiranda, & ineffabilis MARIA, nouem illis mensibus, mentem tuam DEVS fouisse, illuminando, inflammando, in se transformando, credendus est, cuius tu in te sic carnem alebas. Certissimè incomprehensibilis, tunc in te incomprehensibiliter prorsus agebat. Enimuerò qui in sinu Patris, summiq; Genitoris corde incommutabiliter perseuerat; qui Paterna mentis intelligibilis est dictio, plena Imago, perfectus splendor, & unica proles in medio uteri tui, tuus quoq; filius factus, requieuit. Quam insuper vehementem dulcedinis odorem, quantamq; clementiam, & charitatis affectionem quam ingentem, ex tam diuturna DEI in te mansione, viscera tua sortita sunt, ò benedicta MARIA! Certè si in manu quispiam odoriferum aliquid retentans, suauitatem hinc contrahit, atq; abiecto illo dulcedinis adhuc reliquias seruat: quanto magis ò Regina cœlestis, praelecta & amantissima unica DEI, te ex tanta eius in te habitatione, qui uniuersa est dulcedinis fontana origo, cujus proprium est misereri, & qui naturaliter bonus, ipsaq; essentialiter est Charitas, contraxisse odoris fragrantiam, pietatis exuberantiam, charitatisq; supereffluentiam credere par est? Optimè tibi ò MARIA competit illud: Cum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Cant. 1. Et illud: Sicut cinamomum, & balsum aromatizans odorem dedi. Quod si odorem suauitatis, holocausti nempe sanctimoniam odoratus est Dominus, quomodo non mundissima tua carnis, ut de spiritu hic sileam, castitatis fragrantissimum odorem odoratus putabitur? Odoratus est utiq;, & delectatus affectu mirifico. Et en cuius fortitudo est velut Rhinocerotis, à castissima Virgine capitur, atq; ut ita dicam, attrahitur, ac velut victus comprehenditur. Num. 22. Deniq; sic MARIÆ charitas DEVM in hanc mundi vallem traxit, sic eum affecit, ut merito illi Sponsus dixerit, Cant. 4. Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa. Quæ deniq; erat, ò beatissima vicissim tibi jucunditas, dum Christi corpus sacerrimum intra te crescere, moueri, atq; nutriri sensisti, dum fontem lætitiæ Regem gloriæ, Angelumq; pacis, in ipso tuo dulcissimo, mundissimoq; utero, ventris tui pignus, fructum, ac filium gerebas. Lætificabat sine dubio fluminis impetus, aulam domiciliumq; tuum, thalamum deniq; Regis, ac Sponsi.* Hæc Dionys. de mutuis inter Filium, & Matrem perceptis delicijs, quibus potissimum illis novem mensibus in purissimo illo utero commorando perfruiti sunt.

Vteri Virginalis laudes.

Christus in utero Matris eã illuminabat, & amore Divino inflamabat.

Dona, & gratiæ B. V. à filio in ejus utero commoranti donatæ.

Christus uniuersæ dulcedinis fontana origo dulcedinem Matri cõmunicavit

Mariæ virtutum odor gratior Deo quã holocaustorum

Dei Filius odore virtutũ B. V. captus tãquam Rhinoceros.

Christus fons lætitiæ lætificavit Matrem.

98. Quæ quidem deliciæ, sicut Divinæ, ac incomparabiles, ita prorsus omni creato intellectui sunt incomprehensibiles, omni linguæ inexplicabiles. Quod nobis declaravit pijssimus Halgrinus Card. qui verba illa exponens Sponsæ: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia;* paraphrasticè, ita in persona Virginis Beatissimæ loquitur: *Ego sum dilecto meo, ego singulariter, significanter, & antonomasticè: Et dilectus meus mihi, singulariter, significanter & antonomasticè.* Addit inde de singularibus, ac ineffabilibus hiscé delicijs; *Sed attende quod*

Mariæ deliciæ ineffabiles.

M. deliciæ ineffabiles

de quod ipsa non dixit, quid ipsa sit Dilecto, & quid sit ei Dilectus, quia istud quicquid est, tantum est, ut ad ipsum explicandū verba deficiant. *Miras tamen se Dilecto suo esse delicias, & Dilectum suum vicissim sibi, verbis sequentibus declarat: Qui pascitur,* inquiens, *inter Lilia; mea videlicet.* Nam ut addit Halgrinus: *Inter Lilia Virginis, & vitam, ipsiusq. munditiam carnis, ipse Christus pascitur, & præcipuè iucundatur.* Dicat igitur Sponsa Mater, & Virgo deliciosissima dicat: *Ego Dilecto meo in utero puritatis lilijs, ac sanctitatis circumvallato delitescenti deliciæ quidem sum, ac voluptas, sed mihi, ut verum fatear prorsus incomprehensibilis, prorsus ineffabilis. Dilectus vicissim meus, mihi est Dulcedo, mihi Voluptas, mihi deliciæ Paradisi, sed & hæ similiter, nec capi à me, nec explicari ulla ratione queunt.* Quis igitur Deiparam, Virginem negare audeat, Bonum esse delectabile, cum omnis dulcedinis, lætitiæ, ac deliciarum cœlestium Fons, Beatos omnes jucundissimo suo aspectu recreans, in ea tantopere delectatus, ac deliciatus fuerit, in eaque veluti verissimo desideriorum suorum centro conquieverit?

In Mariæ puritate Filius potissimum jucundatur.

Dilectus Filius fuit Matri voluptas, & deliciæ Paradisi.

99. Agnovere Deiparam Bonum esse delectabile, inexhaustumque lætitiæ, sanctissimarumque voluptatum, atque oblectationum omnium Fontem Viri illi pientissimi, ac nobilissimi S. Ioannis Hierosolymitani Equites Laudunenses, qui in Gallijs Templum magnificentissimum, quod Dominæ Nostræ de Lætitia nuncupantes, ad Virginis sanctissimæ perennandam gloriam dedicârunt. Hi enim quemadmodum Iacobus Bosius, & ex illo Kalendarium Marianum 8. Septemb. testatur, cùm sub annum 1134. in Ægyptum pervenissent, teterrimum planè, ac squallidissimum totius Cairi ergastulum, à Sultano Turcarum Tyranno per summum scelus detrusi sunt. Hic dum morantur à gloriosissima Virgine cœlesti luce, infinitâque beatissimorum Spirituum circumseptâ benignissimè invisuntur, atque exhilârantur, simulque pulcherrimo ipsius simulacro tanti solatij æviternum mnemosynon liberaliter donantur; Quod ipsi in Templo illo, reduces ad patrios lares reposuere, ut ad posteros quasi per manûs, ipsorum lætitiæ, ac gaudij, ope Virginis cœlitus, in tantis calamitatibus constitutis, communicati jucundissima memoria perveniret.

Templum B.V. de Lætitia qua occasione fabricatum.

B.V. captivis suam Imaginē donat.

100. Et licet Virgo nostra beatissima universo humano generi, ob tot, tantaque bona, quæ illi, mediante Filio, summo illo, æternoque Bono contulit, Bonum sit delectabile, est tamen specialiter ijs, qui sese ejus fidelissimo patrocinio, peculiari cultu, obsequioque mancipârunt. His enim non modò totius vitæ decursu semper est amabilis, semper delectabilis, verùm etiam in extrema illa, atque tremenda vitæ catastrophe, cùm ante Divinæ Iustitiæ formidandum Tribunal sunt profecturi. Tunc enim sese eis ut plurimum visendam exhibet, tantâque spiritus dulcedine, ac suavitate corda eorum permulcet, tantâ animos eorum lætitiâ perfundit, ut ora ipsorum jubilo cordis repleta, in cantûs suavissimos, ad instar olorum, vitæ candore, puritateque nivei, atque insignes erumpant. Mira sunt, quæ in hoc genere P. Chrysostomus Henriques in Menologio Cisterciensium de diversis, plurimisque Patribus Ordinis sui Venerabilis, (qui totus obsequijs, servitioque consecratus est Virginis) posteritati commendavit.

B. V. moribundis etiam est Bonum delectabile.

B.V. clientes læti canendo moriuntur.

Ad diem 30. Octob. narrat B. Raynerum jam moribundum tanto affectum gaudio ex visitatione Deiparæ Virginis, & S. Ioannis Baptistæ, ut summo mentis jubilo decantârit: *Laudem dicite DEO nostro, &c.* Cùm porrò circumstantes Monachi, ut tandem in cantando sileret, & compunctioni potiùs vacaret, admonerent, respondisse fertur: *DEVM meum, & Dominum meum, eiusq. Matrem cum Sanctis qui lætantur, magnoq. cum desiderio aduentum meum expectant, video, & mihi cantum interdicitis?*

B. Raynerus Cister. moribundus invisitur à B.V. & canendo moritur.

101. Ad diem 3. Febr. scribit B Petrum Monachum ubi vicinam sibi mortem prævidisset, hilari vultu, voce suavissimâ in laudem Virginis Matris canere cæpisse: *O intemerata &c.* & inter canendum exspirasse.

B. Petrus Cisterciē. moriens canit: O intemerata &c.

102. Ad diem 23. Decembris refert B. Ioannem Abbatem morti proximum suavissimè cecinisse Hymnum: *Te Deum laudamus;* quo expleto placido, serenoque vultu in Domino obdormijsse. Ferunt hunc præclarâ castimoniæ, puritatisque laude, ut purissimæ Virgini suæ, totiusque Ordinis Patronæ vestigia sequeretur, cùm à Cacodæmone, nescio cujus formosioris mulierculæ objectâ specie ad libidinem accenderetur, ignem, altero igne domans, sibique manum

B. Ioānes Abbas Cister. moribundus canit Te Deum.

num amburens, hostem fugasse.

103. Quid de B. Godefrido de Perona Priore Clarevallensi, qui Discipulus S. Bernardi extitit, dicam? Hic cùm sese propediem è vita migraturum sentiret, intra semetipsum exultare, & Psalmos, Hymnosque canere cœpit illi, qui eum ad se vocabat, ita ut omues circumstantes mirarentur, quod homo cum morte, quæ terribilium omnium terribilissimum est, colluctans suauiter caneret. Sed nimirum dulcis illa animi oblectatio, ac voluptas, quam Virgo ei instillaverat omnem mortis amaritudinem, formidinemque sustulerat, atque ita magnâ, & exterioris & interioris hominis exultatione, lætitiâ, ac jubilo spiritum suo reddidit Creatori, 15. Ian.

B. Godefridus Psalmos, Hymnosq; canendo moritur.

104. Quid de B. Placido à S. Mauro dicam, qui cum multis annis curam gessisset magnâ cum Charitate infirmorum, paucis ante obitum horis agonizans fratres adstantes ad Divinum Officium invitans, tanquam cygnus moriendo cecinit: *DEUS in adiutorium meum intende.* Decantato cum fratribus Officio, cùm allatum sacrum esset Viaticum, è lectulo repente prosiliens, genibus flexis Dominum suum magnâ pietate adoravit, dulcissimaque cum illo miscens colloquia, cœlesti illo cibo refectus in cœlos abijt. 15. Ian.

B. Placidus paulò ante mortem cum fratribus Officium decantavit.

105. Quid B. Christianum memorem? de quo etiam Cæsarius lib. 5. c. 6. & lib. 7. cap. 16. Hic cùm graviter ægrotaret, & àb infirmorum Præside, ut aliquid sumeret, rogaretur, respondisse fertur, septem jam dies elapsos esse, in quibus singulis visitatus fuit à Christo, & Beata Virgine, quorum visitatione tam dulciter se refectum ajebat, ut nullo cibi, vel potus teneretur appetitu, aut delectatione; adeò cœli bonis, delectationibus, ac delicijs anima ipsius, simul ac corpus fuerunt expleta. 4. Febr.

B. Christianus visitatione B. V. refectus omne cibū respuit

106. Quid denique B. Francum olim Militem strenuum, ac fortem, ex ijs qui Cruce signati in Terram sanctam militaturi adversus infideles proficiscebantur, postea Cisterciensis Ordinis Monachum religiosâ observantiâ, ac morum pietate insignē commemorem? Hic postquam in Villariensi Monasterio vitam sanctissimè exegisset, lethali morbo correptus, morti jam proximus, gaudio, fiduciâque vitæ æternæ consequendæ plenus, Canticum quoddam Fratribus inauditum cœpit suavissimè intonare, atque ita exultans, & laudans, utriusque militiæ stipendia accepturus, in cœlum evolavit. Hanc porrò ipsius in Christum fiduciam quidam ex illius Monasterij alumnis piè ita prosecutus est:

B. Francus moriturus Canticū Fratribus inauditū cecinit.

De Christi clementia valdè confidebat;
Nam sua pericula sæpè referebat,
Quæ pro Christo fuerat passus, & dicebat,
Quod sibi ex debito parcere debebat.
Nam pro nobis grauiter Christus flagellatus,
Fellis amarissimi poculo potatus,
Manûs fossas habuit, & perfossum latus,
Et in quinq; partibus fuit perforatus.
At ego pericula si vellem narrare,
Quæ pro Christo pertuli pergēs ultra mare
Cum paganos perfidos capi expugnare,
Christianam cupiens fidem propagare;
Verè possum dicere fui vulneratus
In bello sæpissimè, morti penè datus,
Inter hostes medios ferè trucidatus,
Fame, siti, frigore sæpè cruciatus.
Propter hæc pericula quæ valdè gaudentur,
Pro Christo sustinui, dico confidenter,
Quod eius dulcissima pietas libenter
Mihi debet parcere promptè, & clemēter.
Absit hoc à Domini dulci pietate,
Vt me suum Monachum à Societate
Sanctorum abijciat, qui in charitate,
Et in vera fidei vixi firmitate.
Ipse pius Dominus non damnationem
Hominis desiderans, sed saluationem,
Mihi reddet optimam retributionem,
Pro quo multam pertuli perturbationē.

B. Francus in DEUM fiducia.

Tandem de jucunda, hilarique, ac planè Cycnea ejus morte, hæc attexit:

Hic in sui obitus hora exultauit,
Et quædam dulcisona Cantica cantauit;
Et postquam ad ultimum canere cessavit,
Conridendo spiritum proprium efflauit.

Plura qui volet Menologium consulat: Hæc breviter commemorasse sufficiat.

107. Ad domestica veniamus. Bonum delectabile in morte expertus est DEIPARAM, cui in omni vita semper fuit addictissimus Adolescens ille planè Angelicus B. Aloysius Gonzaga noster, qui fœlici accepto nuncio de suo ad meliorem vitam transitu, mirâ perfusus lætitiâ Socium quendam compellans: *Nescisné,* inquit, *quam fœlix nuncius venerit, intra octauam diem mihi moriendum esse? Amabo te mecum una pro tam eximia in me beneficentia, Hymno Te DEUM laudamus recitando, DEO gratias age.* Et Hymno simul ab utroque pie admodum dicto, non ita

B. Aloysius in morte hilaritas.

multò

multò post alteri suo Condiscipulo, cubiculum ingredienti, exiliens gaudio: *Pater mi*, inquit, *lætantes imus, lætantes imus*. Quibus verbis tam effusâ hilaritate pronunciatis, certis gemitus exprimebantur. In posterum certis horis diurnis legi postulabat aut *Iubilum* Sancti Bernardi. Aut: *Ad perennis vitæ fontem*; aut Psalmum aliquem à se delectum, ut: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi in Domum Domini ibimus*: Aut: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEVS*; quibus pronunciandis summa exiliebat lætitia, & cor, caro, nec non & anima ejus exultabant in DEUM vivum.

108. Eadem lætitiâ exilivit in morte alter Adolescens noster pijssimus Ioannes Berchman. De quo in suo testimonio, quod de ejus præclara virtute dedit P. Cornelius à Lapide, ita loquitur: *Eximius fuit cultor B. V. cujus se Filium vocabat. In morte licet canendi imperitus, bellè cecinit: Monstra te esse Matrem, &c. Moriturus nullum mœroris, aut passionis alterius dedit signum, resignatus, patiens, serenus, hilaris, uti in vita. Paulò ante quam sumeret Viaticum, secretò rogatus à me, nunquid haberet quod angeret, vel affligeret animum? expansis manibus, & exporrecta fronte ridens asseruit: Nihil omnino. Cùm ei ingererem: IESVS meus, amor meus & omnia; hilarescens: Ita, ita*, inquit, *IESVS centrum cordis, DEVS cordis mei, & pars mea DEVS in æternum*. Sic P. Cornelius.

Ioannes Berchman moritur canendo.

109. Expertus denique est DEIparam in morte Bonum esse delectabile, P. Paulus Hoffeus Germaniæ Apostolus, de quo P. Philippus Alegambe in Bibliotheca Scriptorum Societ: IESU: *Cultu & pietate in B. V. fuit insignis; omnibus ipsis pervigilijs ieiunium religiosissimè seruauit. Et quem Senem non ullus facilè cantantem audijt, is ipse paucis ante mortem diebus Carmen de B. V. præter omnem morem concinuit. Tandem sæpiùs facta noxarum totius vitæ confessione, vltimisq; Sacramentis postulatis, & impetratis, à socijs omnibus orare veniam cæpit, rogans vellent esse in se eo animo, quo ipse in vniversos esset. Eosdem deinde ad liberaliter DEO seruiendum hortatus, seipsum abijciendo, omnes ad spem æternæ salutis erexit. Monuit deniq; eos qui deinceps adfuturi essent ægrotanti sermonis esse modicos, decresse se reliquum, quod superesset tempus cum DEO, Patronis suis, alijsq; Cælitibus transigere.*

P. Paulus Hoffeus paulò ante mortē cecinit Carmen B.V.

110. Ex quib⁹ omnibus hactenus commemoratis exemplis, luce meridianâ clariùs evadit, DEIparam Virginem beatissimam, non modò suis clientulis totius vitæ curriculo Bonum esse delectabile, eorumque animos cœlestibus delicijs demulcere consuevisse; verùm etiam in extremo illo, ac formidabili ex hac vita transitu, in ipso articulo mortis, cujus vel sola memoria, Siracide attestãte, amara est; ostendens reipsa suis servis, ac filijs cum morte colluctantibus, se Vitam, ac Dulcedinem esse, Divinis solatijs cor, animumque exsaturantem; ostendens denique se summum, maximumque nostrum post DEUM Bonum esse, non modò Honestum, & Vtile, verùm etiam Delectabile.

M. mortē amaram reddit dulcem.

111. Cùm igitur in MARIA summi Boni Matre sanctissima, omnis boni ratio, velut quodam compendio reclusa inveniatur; quis quæso tam omnis rationis, ac sensus expers reperietur, qui non eam summopere expetendam judicabit? cùm Bonum suapte natura sit appetibile, & Philosopho teste, Bonum nil aliud sit, quàm quod omnia appetũt? Vnde cùm DEIpara summum quasi quoddã Bonum sit, eò quod summum bonorum omnium Principium in se recluserit, sequitur sanè, post DEUM, eam summo desiderio expetendam, summo amore complectendam esse. Idque jure sanè meritissimo. Si enim Marcus Tullius lib. 1. de Offic. ad Filium de bono Honesto scribens: *Formam quidem ipsam*, inquit, *Marce Fili, & tanquam faciem Honesti vides, quæ si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret*. Quantò magis formosissima hæc Virginis Honestas, illud virtutum omnium Collegium, illud internæ, ac prorsus Divinæ pulchritudinis in ejus sanctissima anima delitescens Silentium, quod omni linguâ, etiam Angelicâ disertiùs, Divinitatem quandam in ea commorantem prædicabat; quantò, inquam, magis cœlestis amoris igniculos in animis nostris excitabit, nosque ad currendum in unguentorum ejus odorem (quem præclarissimæ ejus virtutes exhalant) exstimulabit? Si Lacones tanto Honestatis olim amore exarserunt, ut à Dijs suis, uti testatur Plutarchus, ea quæ honestissima sunt assiduis precibus flagitarent; Quâ ratione fieri poterit, ut nos in hanc omnis honestatis Matrem speciosissimam, omnisque virtutis, ac sanctimoniæ Speculum, quam

B.V. appetenda, quia Bonum omnes appetunt.

B.V. bona quia summũ bonorum omnium Principiũ in se continuit.

Honestas B.V. ac reliquæ virtutes, si oculis cernerentur, amorē in nobis excitarēt.

Lacones Honestatē à Dijs exposcebant.

quâ flagrantissimo non feramur affectu? O quam præclarè B. Albertus Magnus Tract. de Natura Animæ cap. 6. *Honestatem* (addiderim ego hanc potissimum Marianam) *propriâ suâ vi essentiali nos ad se trahere, atq; allicere, eamq; nos per se appetere*, pronunciavit.

112. Quodsi teste eodem M. Tullio 3. de offic. *Non potest utilitas ab honestate seiungi. Vnde pervertunt*, inquit, *homines fundamenta naturæ, cùm utilitatem ab honestate seiungunt. Omnes enim expetimus utilitatem, ad eamq; rapimur, nec facere aliter ullo modo possumus. Nam quis est qui utilia fugiat? aut quis potiùs est, quia ea non studiosissimè persequatur?* Si, inquam, honestas cum vera, germanaque utilitate, indissolubili quodam vinculo consociata est, & utraque Virgini innata quodammodo videtur; Quis Virginem non expetat, quis in ejus amorem, affectu ardentissimo non rapiatur, cùm intelligat tam largâ manu, tam innumera spiritualia æquè, ac temporalia bona, divitias, honores, dignitates, adeòque Principatûs, Regna, ac Imperia nobis per eam dari atq; impertiri? Quod si ut canit Poëta 2. de Ponto Eleg. 3.

Honestas cum vera utilitate cōsociata.

In B. V. Bonum Honestū, & Vtile est consociatum, illudq; suis largitur.

Vtiltas homines postposita honestate sæpè ad se trahit.

Vulgus amicitias utilitate probat;

nulloque honestatis habito respectu, in utilitatem solam (quæ tamen revera germana utilitas esse non potest) oculos semper intentos habere consuevit. Nam ut idem addit:

Cura quid expediat prior est, quā quid sit Honestum,
Et cum fortunā, statq; caditq; fides,
Ipse decor rectis, factis si præmia desint,
Non monet, & gratis pœnitet esse probum.
Nil nisi quod prodest charum est. en detrahe menti
Spem fructus auida, nemo petendus erit.

Si, inquam, Vtilitas sola hominibus tam chara est, ut amicitias solâ utilitate metiantur; Quomodo non chara nobis sit Virgo Deipara, quomodo amicitiam ejus non summis desiderijs expetendam censebimus, cùm ex ea tanta, tamque inexplicabilia in genus humanum æquè animi, ac corporis, in hodiernum usque diem, etiamsi cœlum petierit, redundent emolumenta? Quæ probè S. Ioannes Damascenus agnoscens Orat. 1. de dormit. B. Virginis, eam in cœlis degentem, sic alloquitur: *Tu uberrima benedictionis scaturigo, quæ nobis bonorum omnium causa, & parens extitisti, etiamsi ad breue aliquod temporis spatium corporeo modo, morte obtegeris, tamen immensi luminis, & immortalis vitæ, ac veræ beatitudinis*

M. etiam ob utilitates, quas nobis cōmunicat, expetēda.

M. uberrima benedictionis Scaturigo

puros & inexhaustos latices, gratiæ flumina, sanationum fontes, ac perennem nobis benedictionem effundis. Hæc Damascen. de utilitate, quam Virgo, à terris etiam absens, clientulis suis elargiri consuevit.

113. Si denique Bonum Delectabile suapte natura ad se mortalium corda atque affectûs, velut aureis quibusdam Herculis catenis pertrahit: *Trahit enim sua quemq; voluptas;* Cur quæso hæc Virginea voluptas, Divinaque Dulcedo, imò aurea cœlestis Mannæ Vrna, ut eam vocat Damascen. Orat. 2. de Dormit. Beatæ Virginis, cur, inquam, mentes, animosque nostros non devinciet, cur non innatæ sibi charitatis vinculis ad se trahet, atque pelliciet, adeòque voluntatem nostram afficiet, ut quodlibet Bonum delectabile, quod honesto conjunctum non sit, ipsius intuitu aversemur?

B. V. tanquam Bonum Delectabile nostros ad se affectûs trahit.

M. Vrna aurea cœleste Manna continens.

114. Cùm igitur in Virgine hac sacratissima summi illius Boni Parente omnis ratio boni post Deum reperiatur, ac proinde omnis honesta delectatio, quæ sola prosecutione, amoreque digna est, summopere profecto hæc nobis tantorum bonorum Parens erit diligenda. Verissimè enim suprà memoratus Venerabilis Dionysius lib. 1. de Præcon. & & Dignit. B. V, art. 21. pronunciavit: *Naturæ lex, & ipsa recta dictat ratio, ut hoc quisquam amet, per quod perficitur, & Bonitatem, variaq; beneficia sortitur. Porrò quo plura suscipit, eo ardentiorem illius amorem habere æquum est. Iam cerne, quæ per MARIAM bona humanum genus adeptum est, si verè agnoscere cupis, quæ, quantaq; Charitate nobis amanda sit.* Tum varia Virginis nobis communicata commemorat beneficia planè Divina, utilitatibus præsertim spiritualibus refertissima, quæ mirum in modum nostrum ad illam trahere possunt affectum. In quibus primum numerat hominis recreationem, sive reparationem, quæ rectè considerata, mortalium omnium animos ad se trahat & captivet, necesse est. *Quid enim*, inquit ille, *prodesset per DEI Verbum creari, aut esse, si per MARIÆ Filium non reparari contingeret, & benè esse? Mallem fateor, ò Domina, per Patris Verbum non esse creatus, quàm creatus, per tuum Filium non esse reparatus, atq; renatus. Per MARIAM itaq; ab immortali morte liberor, & ad amissam cœlestem, æternamq; beatitudinem reducor. Omnis in ea Salus per MARIAM initiata, perq; Mariæ Filium*

B. V. varia beneficia nobis donauit, ob quæ illam amare tenemur.

Per Mariā recreati, ac reparati mortales.

Per Mariã ab immortali morte liberamur

Filium consummata est. Deniq; per Mariam humana Natura, quæ olim omni vilitati, ac miseriæ subiacuit, incomparabilem honorem, præstantissimam, Deiformemq; dignitatem sortita est. quippe per quam super omnem Angelicam altitudinem, super omnẽ verbo creaturã, usq; ad Hypostaticam Verbi unionem exaltata est. Non est deniq; in quo hominem Angelus despiciat, aut, uti in præcedentibus sæculis, se ab ipso adorari permittat, dum in eo, qui omnino solus adorandus est, non suã natura, sed nostra substantiæ formam cernit ac veneratur. Tandem conversus ad Virginem ob tot bona, ab ipsa accepta gratitudinis memor sic illam alloquitur: *O Domina excelsa, quam tibi hominum genus obligatum est, quantum te diligere atq; honorare tenetur? Præterea hoc ab exordio singulare, & pro excellenti gloria impertitum est quoniam ad DEI sui imaginem, & similitudinem formatus est. Si enim creaturæ perfectio est, Creatori utcumq; assimilari, magna prorsus sublimitas erit, ad illius quoq; imaginem, similitudinemq; produci; quæ tamen imitatiua, non naturalis est; Quod autem homini cum DEO ampliorem similitudinem præstat, eum vehementiùs perficit, ac plus exaltat. Sed tu, ô Mater pulchræ dilectionis, DEVM nostrum nobis secundum speciem, naturæq; veritatem similem peperisti, per te DEVS noster, frater noster est effectus; per te Iudex mundi hominum se conuersationi Societatiq; commiscuit, atq; aptauit. Per te cunctis mundi Entibus DEO similiores facti sumus, & ipse uniuersorum Dominus, unus ex nobis fieri dignatus est. Te ergo nimium ô MARIA diligere obligamur, quæ etiam Dominum, & Saluatorem nostrum in utero, ô Beatissima fouisti, natum lactasti, & nostra apud eum fidelissima es Aduocata. Te enim inter se, & nos Iudex sæculi Mediatricem statuit.* Hactenus Dionysius, qui sanè pulcherrima, eaque efficacissima nobis proposuit motiua, rationumque momenta, quibus voluntas nostra, ad Optimam hanc DEI tantorumque bonorum Matrem amandam impellatur. Quæ cum amabilissima, & ipsa per se, & ipsa ejus beneficia dulcissima, ac delectabilissima sint, corda nostra omnino ad eam complectendam, diligendamque rapiantur necesse est.

Hominis cum DEO similitudo eum perficit, & exaltat.

B.V. Deũ secundum nostrã speciem similẽ genuit, totumque genus humanũ perfecit atq; exaltavit.

115. Quod si Bonum delectabile, naturâ sua, quietam hominis voluntatem, atque appetitum reddit. (Delectabile enim dicitur, inquit, Doctor Angelicus. 22. q. 145. ar. 3. in quantum quietat appetitum, facitque ut nullam aliam delectationem concupiscat) quænam, DEVS immortalis alia, post DEI visionem beatificam delectatio esse poterit, quæ adeo hominis voluntatem expleat, quietamque velut in centro suo commorantem reddat, præterquam summi DEI Parentis optimæ Dulcedo Divinissima, ac suavitas? Quamobrem ejus dulcissimus Filius sanctæ Catharinæ Senensi, ac Brigittæ in dulcissimæ Matris suæ laudem aliquando dixit: *Mater mea est esca dulcissima, quâ homines ad me traho.*

Maria bonum Delectabile quietans appetitũ.

Quod sanè arcanâ illâ suâ, summâque facit sapientiâ, ad opera Diaboli destruenda. Verissimè enim S. Basilius pronunciavit, *homines à Diabolo capi voluptate, perinde atq; à Piscatore, pisces.* Quid mirum igitur si Virginea hac atq; Divina voluptate, ac Dulcedine DEI Filius hominum penè omnium corda, animosque capiat?

Maria à Deo nobis data velut esca dulcissima qua capiuntur homines.

Diabolus homines capit voluptate ut piscator pisces.

116. Quæ cum ita se habeant, quis erit adeo vecors, adeo emotæ mentis, qui Virginem hanc gloriosissimam summi illius æternique Boni Parentem optimam, in qua DEVS Bonum omne Honestum, Vtile, Delectabile, velut absolutissimâ quadam conclusit epitome, eamq; Mare quoddam immensum Bonorum omnium, dum novem mensibus, supervenienté insuper sanctissimo illo spiritu, qui ipsissima est DEI Bonitas, ac boni omni pelagus, in ipsius delitescere voluit utero; quis, inquam, adeo à ratione alienus fuerit, qui MARIAM Virginem sanctissimam, sibi non summo studio, summoque affectu post DEVM expetendam, atque amplectendam arbitretur?

117. Hoc bono Delectabi DEIparæ Virginis illectus, inque castissimum ejus amorem accensus Venerabilis Iustus Landspergius, Carthusianæ familiæ jubar, eademque hac ejus dulcedine, ac suavitate, magis magisque delectari, & amore capi, & in vita, & in morte perfrui desiderans, ita illam, affectu sane ardentissimo deprecabatur. Threno. 18. lib. ult. *Eia ô dulcis, & delectabilis Virgo, Mater totius misericordiæ vulnera cor meum, tui amore devotissimo, ut totus tui amore ardeam, & langueam, tua dulcedine totus absorbear, & cum omni humilitate, reverentia, obedientia, cæterarumq; virtutum ornatu fideliter noctu, diuq; te opitulante seruiam, quo in omni necessitate mea, & mortis articulo, pietate, curâ, & protectione tuâ maternâ dignus fiã.* Et quia agnoscebat Vir pijssimus, quod cum amore hoc spirituali, amor carnalis

Iusti Lãdspergij desiderium amandi B.V.

lis consistere non valeat, rogare pergit, ut eum in ipso mactet, ac conficiat, quo solus DEI, ejusq; amor in ipsius corde locum inveniat, illudque totum quantum possideat: *Exerce itaq;*, inquit ille, *in me credulitatem nunc misericordissimam, sanctissimum odium, gratissimam, & exoptatam vindictam, ut propter Filium tuum à me occisum, etiã me occidas, & syncerissimo tui in me amore succenso, exuras quidquid in me est carnale, mundanum, & à DEO extraneum. Interfice in me universas passiones, & concupiscentias malas, omnem proprietatem sensus, & intellectus, cunctaq; vitiorum monstra, ut mihi ipsi, & mundo totus mortuus, purgato affectu, ac illuminato intellectu, DEO vivens stabiliter inhæream, per rectissimam in omnibus voluntatis conformationem, ita ut nunquam ab illa in posterum discrepare valeam. Vt sic tandem post fœlicem actam vitam tuâ me dirigente & adiuvante materna benignitate, tua mellíflua dulcedinis præsentiâ, tuaq; pietatis exuberantiâ in hora illa mea mortis horribili, frui merear; quæ me contra omnem tentationem confortet, ab omnibus inimicis liberet, ab omnibus peccatis excuset, & animam egredientem tuis, & benedicti filij tui manibus, ac meritis statim ad gratiosum DEI conspectum perducat.* Hæc ille, quibus sane clarè ostendit, quantâ fiduciâ, amoreq; Virgineæ hujuscé dulcissimæ, utilissimæ, ac honestissimæ Bonitatis caperetur. Qui profecto tã pius, ac sanctus affectus in cordibus etiam nostris, ardentissimis desiderijs excitandus, ac fovendus esset, cum attentissima simul meditatione Marianæ charitatis, qua illa pro ingenita sibi pijssima indole, Bonitatem hanc suã, velut abyssum profundissimam in omnes diffundere assidue cogitat atque concupiscit.

Petendũ à B. V. ut cõtra nos sit crudelis in vetere homine mactando, siquidem illius nos Filiũ peccando cru cifiximus.

Rogat B. V. ut illũ in morte, sua dulcedine, ac præsentiâ recreet.

118. O quã sapienter sapiẽtissimus Siracides, ut nos ad magis expetendam illam allíceret, de ingenti hac ejus edixit Bonitate, Eccl. 24 *A Mari; id est, præ mari, abundavit cogitatio illius, & consilium illius ab abysso magnâ*, hoc est, *præ abysso*. Quasi dicere voluisset; cogitationes Virginis DEI paræ Sanctissimas, consiliaque sapientissima, de sua bonitate, ac benignitate nobis assiduè impendendâ, ac communicandâ, ad instar Maris, atque magnæ cujuspiam abyssi, in amantissimo illo Virginis pectore abundasse, atq; exundasse, fuisseque humanis mentibus impenetrabiles. Facilius enim, ut ait Richard. à S. Laurentio lib. 2. de lau. Virginis. p. 2. posset Mare exhauriri, quam Mariæ Bonitas perfectè cogitari.

Solicitudo B. V. de bonitate sua cum hominib9 communicanda.

Mariæ Bonitas ad instar maris inexhausta, & impenetrabilis.

119. Cum igitur humanæ mentes tam imẽsam Virginis Bonitatem penetrare nequeant, summâ quâ par est, animi demissione, nos ipsi totos offerentes, ac devouentes, ad ejus implorandam benignitatem, ut illam in nos diffundat, deq; suis cœlestibus nobiscum bonis, quæ vera bona sunt comunicet, accurramus. Exclamemus cum S. Damasc. orat. prima de dormit. DEIparæ, exclamemus inquam medullitus: Tibi nos Domina hodie assistimus, ò Domina, atque iterum Domina DEI Genitrix & Virgo, tibi animam, corpus, totos denique nos dicantes, ac consecrantes commendamus. Tu bona Domina boni Verbi Parens utinam nos respicias, utinam res nostras arbitrio tuo regas, ac modereris. Sic ille.

M. Bona Domina boni Verbi Mater.

120. Imaginemur nobis DEIparæ Bonitatem effusissimam, Fluuium illum Liburnorum Timauum esse in miseriarũ nostrarum mare amarissimum, tribus quasi oribus, siue riuis ijsque uberrimis boni honesti, utilis, ac delectabilis prorumpere. Imaginemur eandem Virgineam Bonitatem Nilum quendam esse fertilissimum, huic mundi Ægypto bona omnia non modo corporis, verumetiam animi suppeditantem. Imaginemur deniq; Reginam hanc optimam, ac Maximam, Reginam verè misericordiæ benefaciendi cupidissimum nobis idemtidem dicere, quod olim Vespasianus auctus Imperio dum lustraret Ægyptum populis illis dixisse memoratur à Philostrato in Vita Apollonij Thyanæi lib. 5. cap. 10. *Haurite à me, tanquam à Nilo.* Nimirum DEIpara post Incarnati Verbi cum Natura humana in thalamo ipsius uteri Virginalis celebratum Connubiũ, omni bonitate exundans quidam Nilus evasit, omnibus mortalibus sese longè lateque diffundens, omniaque nobis bona copiosissime communicans. Vnde B. Laurent. Iustin. Patriarchæ Venetorum serm. de Epiphan. de Incarnationis augustissimo in Virgine peracto loquens Mysterio præclarè edixit: *Cæterum si Divina Bonitatis communicatio, ac spiritualis dulcedinis abyssus exquiritur, ubi quasi abundantius degustatur, quam in hoc Sacrosancto Divina Humanaq; Natura Connubio?* Quamobrem dum Virginem nos ad se invitantem, deque suis nobiscum bonis communicare desiderantem audimus: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à genera-*

M. instar Timaui tribus rivis bonorũ in mare mundi influens.

M. Nilus.

Vespasiani Imp. benignitas.

generationibus implemini. Eccli. 24. ad illam tanquam ad largissimum omnis boni fontem, omnibus patentem auidissimi accurramus, & sitim illam ardentissimam bona habendi nobis innatam, restinguamus. Verè enim illa, quod de Manuele Comneno Græcorum Imperatore olim dicebatur: *Est Mare magnificentia, abyssus misericordia, morum suauitate, cogressuq; facilis, sed Regia virtute inimitabilis.*

Manuelis Comneni Imperat. facilitas.

MEDITATIO XVIII.

1.



Ontemplare anima mea Divinam illam effusissimamquè S. Spiritus Bonitatem, postquam sese in uterum infudit Virgineum, DEI Filio summo illi, æternoque Bono dignissimum præparaturus domicilium, tantum, tamque eximium DEIparam evasisse Bonum, vt post DEVM in ea omnis omnino ratio boni Honesti, utilis, delectabilis, reperiretur. O anima mea quid in hoc mundo circumspicis? quid per creaturas, bona hæc caduca quærens, tam solicitè evagaris? quid inutili labore consumeris? Verum bonum quæris? quære DEIparam, quære illius clientelam, quære assiduum cultum. Ager est DEIpara, In quo bonorum omnium thesauri reconditi delitescunt. Agrum hunc Virgineum, cultu honoris seduli, eximiæque venerationis colito, bonorum omnium messem copiosissimam colliges. Invenies siquidem illico cum ipsa benedictum ejus ventris fructum dulcissimum, bonum IESVM, summum Bonum neque enim Virgo Mater sine IESV, nec IESVS sine Virgine Matre esse vult, ob indissolubilem illum qui inter illos est amoris nexum.

Inventa hac Virgine purissima, atquè honestissima, invenisti veram Honestatem, invenisti virtutum omnium collegium, invenisti spiritualem, ac internam Pulchritudinem, quam si conspicere, aut mente comprehendere liceret, ingenti sanè castissimi amoris flammâ exardescceres.

2. O Virgo sanctissima, Virgo purissima, Virgo sanctitatis omnis, ac Honestatis speculum, quis mihi tribuat, ut te assiduè præ oculis habeam, tuamque honestatem Virgineam, internamque animi pulchritudinem (quæ sacrosancto illo suo arcanoque silentio piorum animas ad sui amorem allicit) quis inquam mihi tribuat, ut illam assiduè contempler, & contemplando animæ meæ fœditatem abstergam, tuique purissimo amore accendar?

Scio Virgo benedicta te subinde avertere vultum à me, teque favorem tuum subtrahere, quia animæ meæ deformitatem, ac fœditatem vides, vides peccata mea, quæ merito abhorres & detestaris. Verum quia te etiam Matrem esse pietatis, Matrem misericordiæ novi, rogo & obsecro, ne avertas faciem tuam à me, faciem, inquam, illam, quâ totam cœlestem exhilaras Hierusalem, faciem, inquam, illam cujus pulchritudinem Angelicæ Hierarchiæ admirantur. Quia verè ut tibi tuus canit Seraphinus Psal. 60. *Pulchra es, & clara, ut luna plenissima, & tanquam sol refulget sacer aspectus tuus. Revertere proinde revertere ad nos, ò Mundum cum DEO pacificans Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.* Cant. 6. ostende nobis tuam, sole sereniorem faciem, mentisque tenebras potentissimæ lucis ruæ radijs illustra, ut virtutum, Honestatisque tuæ decorem intuentes ejusdem amore inardescamus.

3. Et quia cœca est mortalium cupiditas, omnia ut plurimum utilitate metitur, quod utilitatem, vel saltem ejusdem speciem præsefert ardentissimè concupiscit, & contraria aversatur; Vt nos ad ardentiorem tui amorem allicceres, quamplurima etiam bona utilia tam fortunæ, quam corporis, animique, seruis tibi dilectis largâ manu elargiri pro innatâ tibi benignitate, consuevisti; Quis ergo tibi, ò Domina benignissima, famulari non expetat? quis tuum patrocinium non ambiat? quis se tuo servitio totum penitus non mancipet? siquidem tibi devotos clientulos tot, tantisque bonis locupletas? Per te verè plerique Reges regnant, per te Principes imperant, Manu tuâ liberalissimâ sceptra, Regiaque Diademata cum ingéntibus divitijs, cum gloria, honorumque titulis, Regali planè magnificentiâ distribuuntur.

4. Per te corporibus sanitas atque incolumitas, cœcis visus, claudis gressus, surdis, auditus, vita mortuis restituitur. Tu deniqueut tibi devotus loquitur Damascenus orat. 2. de Assumpt.

Maria sanationum pelagus, & beneficiorum Abyssus.

es sanationum pelagus, atq; huiusmodi beneficiorum abyssus profundissima, Miraculorumq; officina. Tu ò Gloriosissima, ut tuus amator castissimus, ait, Amadeus Hom. 7. *Ades omnibus de cœlo, ac prece potentissimâ propellis omne quod nociuum est, conferens omne quod bonum est, cunctis ex corde roganti-bus te, munime præsentis vitæ tribuis, & futuræ.*

Quid autem de bonis internis, quibus animum nostrum locupletare consuevisti, dicam? hæc omnia per te nobis, quasi bonorum suorum Thesaurariam Dominus elargitur; per te gratiæ suæ Paradisiacos fontes, tanquam aquæ ductum in hominum corda animosque transfundit. Omnia enim hujusmodi gratiarum dona, nos per te dilectissimus Filius tuus habere voluit, ut te velut Matrem dilectissimam, debito amore, ac reverentiâ prosequeretur, majoremque tibi apud mortales omnes honorem deferret, eximiamque tibi existimationem conciliaret. Tu denique, ut tuus devotissimus, ait, Idiota. Prol. contemplat. *donis spiritualibus ditas seruientes tibi, illosq; potentissimè protegis, à triplici aduersario Mundo, carne, & Diabolo. Quia salus nostra in manibus tuis est. Tu post Filium tuum es uniuersæ Creaturæ Domina, inq; futuro sæculo glorificabis seruientes tibi, qui te honorificauerint in præsenti. Omnes enim gratias, quibuscunq; fuisti exornata, ò Virgo gratiosissima, non tantum propter te habuisti,* ut idem loquitur cap. 6 Contempl. *Sed & propter nos, ut multipliciter adiuuares nos. Et ideo adiuuas in vita præsenti, tam bonos, quam malos; bonos quidem, eosdem in gratiâ conseruando, unde de te canimus: MARIA Mater gratiæ, Mater Misericordiæ. Adiuuas etiam in morte, ab insidijs Diaboli protegendo, ideo subditur: Tu nos ab hoste protege. Adiuuas quoq; post mortem, animas suscipiendo, easq; in cœlum deducendo, & ideo subinfertur: Et horâ mortis suscipe. Adiuuas tribulatos, dando eis potientiam; tentatos, dando eis victoriam; & in DEI amore famelicos, dando eis refectionem æternam.* Quis ergo te ò Virgo optima, atque sanctissima Bonum ingens, bonum utile, tot infinita, ac multiplicia tam fortunæ, quam corporis, animique, in sese complectens bona esse neget? Quis in te affectu non rapiatur, siquidem cœci mortales utilitatem tantoperè expetunt, adeoque ad eam feruntur, ut sibi ab ipsa persequenda temperare vix possint? O cœli mundique lampas luculentissima, illucesce menti meæ, ut bona tanta tamque præstantia, ex te velut è perenni quodam Paradisi fonte in humanum genus jugiter emanantia, agnoscens, amore vehementissimo in te rapiar, te castissimè concupiscam, & in te post DEUM, velut in centro cor meum conquiescat. Da mihi Virgo desideratissima, cum tuo Bonaventura devotissimo, tibi medullitus identidem canere Psal. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita ad amorem tuum anhelat anima mea. Tu enim Genitrix es vita mea, initium & finis totius salutis meæ.*

Omnes gratię donatæ B.V. etiã propter nos ei datæ sunt, ut illas nobilcum communicaret.

5. Nec in te Virgo desideratissima atque dulcissima bonum delectabile desideratur. Tu Apicula Virginea, quæ in cœlos assidua contemplatione subvecta ex tribus illis Divinarum Personarum æternum vernantibus Floribus mel Divinæ Dulcedinis, ac suavitatis, aliarumque perfectionum suxisti, ut illud humano generi, pro tibi congenitâ charitate instillares, nostrasque amaritudines temperares. Tu enim es Paradisus voluptatis amœnissimus. Tu Vrna aurea dulcissimum in te manna continens. Tu arbor vitę dulcissimum, vivificantemque fructum proferens. Tu fertilissima Engaddi vinea, Botrum Cypri, seu floritionis, ob suavissimum ejus virtutum odorem, germinans, Botrum, inquam, ex quo vinum veræ cœlestisque lætitiæ cor hominis lętificans, amoreque Divino inebrians, toti mundo assiduè profluit. O quam præclarè tui honoris zelantissimus Damascenus orat. 1. de Natiu. Virginis, te velut *vineam uberrimam ex Anna pullulare, uuamq; suauissimam, nectar mortalibus in vitam æternam fundentem protulisse asseruerauit. Tu sancta illa terra promissionis lacte & melle manans. Quia ex te dulcissimus ille Virginei ventris tui fructus, quo mel Diuinitatis, ac humanitatis lac dulcissimum continebatur modo planè incomprehensibili decerptus est.* Hic est illius tuæ innatæ dulcedinis, ac suavitatis Auctor. Hic spiritum, animumque tuum super mel dulcem (ipse Dulcedo suavitasque Paradisi ineffabilis, uteri tui purissimi domicilio novem mensibus requiescens) reddidit, hic in fauum distillantem, labia tua commutavit; Hic mel & lac sub linguam tuam indidit. Huic tu amore confidentissimo innixa, tantis delicijs affluxisti, ut ipse eas demiratus, adeo sibi complacuerit (suarum participationem eas esse intelligens) ut exclamarit Cât. 7.

Quam

Quam pulchra, & quam decora es charissima in delicijs! Hic sicut reliquarum suarum virtutum odore te afflavit adeo, ut Ver quoddam floridissimum, ac formosissimus Annus videreris; sic quoque suavitate dulcedineque suâ totam te ita perfudit, ut ipsa Divina Dulcedo, ipsa cœlestis Beatorum Civium voluptas, voluptatisque torrens, quo illi potantur, mirificisque gaudijs exultantes recreantur, videreris.

Salve igitur Beatorum, cunctorumque mortalium Dulcedo, salve gaudiorum voluptatis torrens longè, lateque toto orbe terrarum exundans salue. Cum ergo Virgo dulcissima, atque beatissima tanta, tamque Divina dulcedine, voluptate, delicijsque tota affluas, cumque infelices mortales voluptate tantopere trahantur, atque capiantur, qui fit, quod meum hoc cor, tuâ hac castisimâ liquidissimâque, omnem sensum, intellectumque superante voluptate, ac dulcedine non trahatur, inque tuum purissimum amorem minimè rapiatur? *cum gratia, ac dulcedine tuâ pleni sint cœli, & terra, & undiq; beneficijs tuis irretieris nos semper; quocunq; enim pergimus, occurrit nobis diffusio dulcissima uteri tui Virginalis;* ut tibi canit pijsimus Bonaventura Psal. 34.

6. Quid igitur causæ est, quo minùs dulcedine, suavitateque tuâ, velut quibusdam retiaculis circumdatus, hâc tuâ voluptate non capior? quid est quod in te affectu non rapior, & à terrenarum voluptatum gustu non deficio? Agnosco Virgo sanctissima me cupiditatibus terrenis astrictum adeò detineri, ut ab illis avelli, neutiquam per me (tanta est Protoplastornm scelere vulneratæ naturæ nostræ imbecillitas) & assurgere ad te non possim.

Proinde obtestor te per dulcissimum illum ventris tui Virginei Fructum Iesvm, verissimas Paradisi, imò & totius Orbis delicias, obtestor te, inquam, cum tibi devotissimo Idiota, rurs⁹ c. 1. Conté. *Trahe me post te, ò benedicta Virgo MARIA, trahe me post te, ut curram in odorem unguentorum tuorum. Trahe me post te, quia retinet me peccatorum ponderositas. Trahe me post te, quia me colligat carnalis concupiscentia voluptas. Tua enim unguenta fragrantissima, ac suauissima sunt, omnem terrenarum voluptatum suauitatem superantia;* hæ enim aliud non sunt quàm allia, quam cepæ quibus miseri mortales dum vescuntur non dulcedinem, non suavitatem, sed amarissimas degustant lacrymas.

7. Curramus igitur Anima mea, ut nos, has Virginis voluptates, ac delicias expertus invitat Bonaventura Psal. 34. *Curramus*, inquam, *nobilemq; hanc, ac dulcifluam Virginem salutemus, ut in eius Dulcedinis gremio in æterna illa beatitate, in statu illo omnium bonorum aggregatione perfecto tandem conquiescamus.* Verè enim sub Deo summa nostra Gloria, summum nostrum Gaudium in beata illa patria est Deiparam videre, ipsiusque bonis, ac gaudijs, quibus plenissima est, oblectari. In illa tunc verè summum nostrum, atque adeò omne Bonum post Devm reperiemus, in eaque tota nostra anima cum suis memoriæ, intellectûs, & voluntatis potentijs, sensûsque omnes nostri corporis, mirificè afficientur. Redundabunt specialiter gloriosi illi Solarium ipsius radiorum, quibus amicta est, splendores in animas illas, quæ se ipsius in hac vita obsequijs studiosissimè mancipantes, in contemplandis sanctissimæ ipsius vitæ mysterijs, actionibusque Heroicis sese occupârunt, eâdeq; ipsius uberiori luce coruscabit intellectus, & illâ ceu lumine gloriæ ad côprehendenda Divina roborabitur. Voluntas quoque eorum, qui ipsam ardentiùs dilexere, ejusque ferventiùs vestigijs, virtutes ipsius æmulando institerunt, Solis Iustitiæ quo amicta est calore, imò Charitatis suavissimis incendijs ad Devm trinum, & unum summum creaturæ rationalis Bonum amandum exardescet. Sequetur illa tanquam Virgo, Virginum omnium gloriosissima Regina proximè Agnum, immaculatum quocumq; ierit, coronâ immortalitatis, omni fine carente, Stellisq; in perpetuas æternitates fulgentibus redimita, & Luna calceata, speciosis gressibus per Paradisi amœnissima viridaria, cantans Canticum illud suum novum Psalterium decacordum, exspatiabitur. O quantis delicijs beatorum ipsius clientulorum præsertim, oculi pascentur, ejus faciem Divinâ quâdam pulchritudine, ac Majestate radiantem intuentes! In hujus tam Divinæ venustatis contemplatione, continere sese omnino non poterût, quin admiratione pleni, in ejus celeberrima laudum præconia erumpant. Vnde de cœlestis Sion habitatoribus Angelis in Canticis concinitur. *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædi-*

In cœlo summum nostrum gaudium, & omnium sensuum oblectatio est videre B. V.

cauerunt, & Reginæ laudauerunt eam. Et ipsemet Filius, à quo pulchritudinē illam omnem mutuata est, tantam demiratus gratiam eidem applaudet. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum, oculi omnium gratiarum.* O qualibus delicijs demulcebitur auditus, ejus laudes ab Angelis decantatas, Nomenque illud dulcissimum MARIÆ toto cœlo celeberrimum, exaltatum ab omni creatura audiendo? O quanta odorum suavitate complebitur odoratus, virtutum ejus Divinam planè fragrantiam persentiscens? Cùm enim tota Virgo quanta est, ex ipsis virtutibus sit composita, atque adeò ipsius etiam corpus, quod est quoddam vestimentum animæ, Virtutes ipsæ fabricârint, evaseritque Virgula quædam fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniversi pulveris pigmentarij; & vestimentorum ejus odor sit super omnia aromata, necesse sanè fuit cœlestis illius patriæ cives mirificâ cœlestium gratiarum fragrantia super omnem humanū captum recreari.

O quali sapore beatorum civium gustus pascetur, cùm vocem eius dulcem super mel, & lac suaviorem, ad instar favi mella distillantis audient! Dicent sine dubio tantæ suavitatis identidem degustandæ desiderio: Sonet vox tua in auribus nostris, vox enim tua dulcis. Favus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua. O quæ habitas in hortis cœlestis Hierusalem, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. O quantis denique cupedijs totus homo, animo, & corpore, sensibus omnibus ac membris purissimè oblectabitur, cœli Reginam tantâ gloria, tantâ pulchritudine, gratiarumque varietate decoratam, tot dotibus corporis immortalitatis, claritatis, subtilitatis, & agilitatis exornatam, omnibusque bonis, ac delicijs redundantem contemplando? Et licet Virgo hæc beatissima nos bonis suis, ac gaudijs omnibus sit affatim expletura, nunquam tamen hæ cœlestes deliciæ, quemadmodum hæ terrenæ fastidium in animis nostris parient, sed novam semper quandam exacuēt auiditatem, uti ipsa testatur: *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt adhuc sitient.* dicemusq; identidem: *Quam magna dulcedinis tua Domina, quā abscondisti timentibus te!* Exclamabimus tunc verè, ipsius laude, ac gloriâ magis ac magis cupiditatem nostram explere cupientes, dicemusque illi animitus cum Seraphico ipsius Psalmista Psal. 46 *Te decet Hymnus Domina nostrà in Sion, laus & iubilatio in Hierusalem. Benedictionem omnium gentium dedit tibi Dominus; laudem & gloriam ante conspectum populorum. Benedixit te Dominus in misericordia sua, & Thronum tuum constituit super Ordines Angelorum. Gratiam & decorem posuit in labijs tuis, & pallio gloriæ induit Corpus tuū. Coronam radiantem posuit in capite tuo, & virtutum monilibus te decenter ornavit.*

Cùm igitur, ò Domina, tantâ gratiâ, ac gloriâ, tot cœli delicijs, ac bonis universorum Dominus animā tuam expleverit, converte quæso ad nos egenos, ac pauperes, tot, tantisque miserijs, ac ærumnis circumvallatos vultum tuum benignissimum, illos tuos misericordes oculos, miseriasque nostras, bonitatis tuæ largissimâ communicatione tolle. Solare exilij nostri mœrores, ac lacrymas, cœlestibus illis tuis, quibus tantopere redundas voluptatibus, ac gaudijs; ut sicut superna triumphans illa Hierusalem Mater nostra te gloriam suam, lætitiam & honorificentiam suam experitur; sic & hæc nostra Militans de tuis incomprehensis, atq; ineffabilibus bonis aliquantulum participans; quo tibi medullitus dicere valeat: *Tu Gloria Hierusalem, tu Lætitia Israël, tu Honorificentia populi nostri.* Amen.

SALVE REGINA.




DISCVR-



DISCVRSVS XIX.

Quod DEIPARA Virgo sit bona, ac prospera Christianorum Fortuna.

Beatus homo qui invenit sapientiam. Melior est acquisitio eius negotiatione auri, & argenti, preciosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non possunt comparari. Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ, & gloria. Prov. 3.



1. REGIUS Propheta David Psalm. 144. cùm declarare vellet mortalibus, in quo tandem vera Beatitudo, Fœlicitas, prosperaque Fortuna consisteret, præmisit stolidam Amatorum hujus Mundi opinionem, qui Fœlicitatem in numerosa, ac venustâ prole, in plenis horreis, in cellarijs, seù promptuarijs, tritico, vinoque refertis in copiosis ovium, armentorumque gregibus, in rerum denique omnium temporalium affluentiâ, omnisque adversitatis atque infortunij carentia constituebant: *Beatum*, inquiens, *dixerunt populum cui hæc sunt.* Tum suam, Sapientumque DEUM timentium mox attexens sententiam: *Beatus*, ait, *populus*, *cuius Dominus DEUS eius.* Ac si clariùs dicere voluisset; hujus miseræ vitæ fœlicitas, sita non est in honoribus, in magna Nominis umbra, in magna annonæ ubertate, in delitijs, ac voluptatibus, proinde ij qui hiscé affluunt beati, fœliceésq; nullo modo dicendi sunt: Sed illi potiùs, qui DEUM possident, & ab illo possidentur, dum ipsi fideliter deserviunt, ejusque obsequio se totos mancipant. Idem dicere voluisse, visus est ejus Filius Salomon, suâ illâ initio memoratâ sententiâ, illũ nimirum verè fœlicem, fortunatumque esse, qui post DEUM invenit, æternæ Sapientiæ Matrem dignissimam, cujus inventio, atque acquisitio, divitijs, ac thesauris, honoribus, ac dignitatibus, reliquisque Fortunæ bonis jure merito anteponenda est, utpotè, quæ bonorum omnium Fontem in se fuit complexa. Vnde non immeritò sapientissimus Pater Idiota in Prologo Contemp. Beatæ Virginis sapientissimè: *Inuentâ MARIA, inuenitur omne bonum.* Addiditque rationem. *Ipsa enim diligentes se diligit, & seruientibus sibi servit.* Veris enim, sincerisque suis servis DEIPARA etiam temporalium bonorum copiam liberalissimè suppeditare consuevit, adeò, ut non tam Fortunæ, quàm DEIPARæ bona sint appellanda. Addo ipsam Virginem beatissimam, bonam, prosperamque generis humani post DEUM Fortunam prædicandam esse.

Mundi amatores in rebus terrenis prosperã Fortunam constituũt

Fœlicitas vera in quo consistat.

Fœlix ille qui invenit æternæ Sapientiæ Matrem MARIAM.

B. V. est nobis omne Bonum

B.V. est post DEũ prospera humani generis Fortuna.

2. Ex quibus facilè colligimus, quantopere Seneca Philoso. hallucinatus sit, qui lib. de Beata Vita c.4. Beatitudinẽ in alijs ferè omnibus quàm in DEO, ejusq; Matre collocare visus est: Varias enim beatitatis definitiones adferens, docere videtur, hominem potiùs in se, quàm in DEO beatum esse posse: *Summum Bonum est*, inquit ille, *animus fortuita despiciens*, *virtute lætus. Aut: Invicta vis animi, perita rerum, placida in actu, cum humanitate multa, & conuersantium curâ. Libet & ita definire, ut beatũ dicamus hominem eũ, cui nullum bonum, malumq; sit, nisi bonus, malusq; animus; honesti cultor, virtute contentus, quem nec extollant fortuita,*

Quid sit Beatitudo

Variæ Beatitatis definitiones.

tuita, nec frangant; qui nullum maius bonum, eò quod sibi ipse dare potest, noverit; cui vera voluptas erit, voluptatum contemptio. Deniq; quid prohibet nos beatam vitam dicere, liberum animum, & erectum, & interritum, ac stabilem, extra metum, extra cupiditatem positum? cui unum bonum, Honestas, unum malum, turpitudo. Hunc ita fundatum necesse est velit, nolit, sequatur hilaritas continua, & lætitia alta, atq; ex alto veniens, ut quæ suis gaudeat, nec maiora domesticis cupiat. Quibus sanè verbis ostendit, quam modicam, aut penè nullam de Christianorum summo Bono, bonorum omnium, omnisque veræ fœlicitatis inexhausto Fonte, æviternâque beatitate cognitionem habuerit.

Absq; gratia DEI nulla vera esse potest Beatitudo

Qui enim fieri potest, ut animus verè, ac serio fortuita despiciat, & virtute lætus sit, qui ipsum Dominum virtutum, ac consectariè ipsam fortitudinē fortuite despicientē, non possidet? Qui fieri etiam potest, ut quispiam eâ invictâ vi animi rerum perita, placida in actu, multa cum humanitate prædita polleat, qui Christo, ejusque caret gratia, quem de Cruce pendentem complexus Paulus invictam suam animi vim, rerumque Divinarum peritiam, Sapientiamque esse contestans, adversa omnia ad secum decertandū ꝓvocans, generosè clamabat: *Qui nos separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus enim sum, quod neq; mors, neq; vita poterit me separare à Charitate DEI, &c.*

Nulla vera Fortitudo & Sapientia absq; gratia Christi

Qui fieri potest, ut homo ille bonum animum habeat, honesti cultorem, virtute contentum, cum Deo summo Bono destitutus sit, à quo & bonus animus, honesti, virtutisque cultor, voluptatis contemptor trahit originem? Qui fieri denique potest, ut quis liberum animum, & erectum, interritum, ac stabilem, extra metum, extra cupiditatem positum habeat, cui sit unum bonum, honestas, unum malum turpitudo, qui Deo, ejusq; destitutus est gratia, quę sola berum à peccato, quod vera est Cacodæmonis, turpissimaque servitus, quæ item sola ad cœlestia erectum, contra omnes Tartareorum hostium phalanges imperterritum, adeòque stabilem reddit, ut si fractus illabatur Orbis, impavidum feriant ruinæ. Hujusmodi verè solum, in Deo, velut firmâ petra fundatum necesse est, velit nolit sequatur hilaritas continua, & lætitia alta, atque ex alto veniens. Verissimè enim pronūciavit Esaias c. 48 *Non est pax impijs, dicit Dominus. Vermis eorū nunquā morietur, nec ignis extinguetur.* Isa. 66. Et Apost. Rom. 14:17. *Non est Regnum DEI esca & potus, sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu S.* qui donum illud gaudij quod exuperat omnem sensum, pro innata sibi bonitate animis illis communicare consuevit, qui fœlicitatem Mundi frivolam, aliaque inconstantis Fortunæ ludibria aspernantes, æternæ Beatitatis cupedias, dum adhuc hoc corporis detinentur ergastulo, Deum summum Bonum, ejusque Mātrem ardentissimè diligentes, in eisque rationem omnis boni invenientes delibare, eosdemque loco suæ bonæ, prosperæque Fortunæ reponere soliti sunt.

Nullus gratiâ Dei carens, habet veram honestatē.

3. Repudiatis igitur his, alijsque Mundi hujus amatorum deliramentis, fœlicitatem suam, & bonam, prosperamque Fortunam in alijs omnibus, prçterquam in Deum summum Bonum, ejusque dilectissimam Matrem collocantium, videamus quidnam tandem, hæc dicatur Fortuna, cujus in potestate bona hæc temporalia esse existimantur? Variæ apud Veteres de illa fuêre, eæque stolidissimę opiniones. Plerique Deam, Deorum, Dearumque omnium maximam, hominum vitam, actionesque gubernantem; divitias, honores, ac dignitates, nullo proborum, improborumque habito discrimine distribuentem esse censuerunt. Proinde pingi erat solita Schemate mulieris cœcæ sphæram cœlestem, capite: pedibus, talaria: humeris alas; alterâ manu navis gubernaculum, alterâ cornucopiam gestantis, globoque volubili, ad ejus volubilitatem, inconstantiamque denotandam. Quare Apelles cum eam sedentem pinxisset, rogatus causam, sapienter respondit, ut ait Stob. ser. 120. *quia loco stare non posset;* unde antiquitus Vortuna, ut testatur Pierius lib. 6. Hierogl. fuit vocitata, quod ima summis, summa imis commisceret, ac verteret. Hinc Ovid. 2. de Ponto. & lib. 5. de Tristibus.

Quid sit Fortuna?

Fortunæ Simulacrū quale?

Fortuna ab antiqs Vortuna dicta, quod verteret, ac inverteret omnia.

Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo firma, tenaxq; loco.
Sed modo læta manet, vult' modo sumit acerbos:
Et tantum constans in levitate sua est.

Fortuna inconstās, ac varia.

Et Ausonius Gallus:

Fortuna nunquam sistit in eodem statu,
Semper movetur, variat & mutat vices,
Et summa in ima vertit, ac versa erigit.

Audien-

Audiendus hic Manilius:

Nec in cunctis seruat Fortuna tenorem:
Vsq; adeò permixta fluit, nec permanet usquam,
Amisitq; fidem variando cuncta per Orbem.

Agnovit Fortunam globo insistentem volubili S. Gregor. Nazien. in Epist. quâdam cùm dixit: *Quæ sit rerum nostrarum conditio vides; & quomodo rota quadam humanorum negotiorum cursu circumagatur, nunc his, nunc illis florentibus, ac marcentibus, dum neq; prosperitas, neq; aduersitas, ut aiunt, nobis constant, sed mutatur subitò & variatur; ut auris & literis aqua inscriptis magis fidere liceat, quam fœlicitati humanæ.*

Magis ventis & literis in aqua scriptis fidendum, quam Fælicitati hujus mundi

Idem agnovisse visus est Imperator Græcorum Fl. Philippicus Bardanes, cujus erat illud Symbolum: *Fortuna cito reposcit, quæ dedit.*

Simile quid cecidit Poëta Græcus Menander:

Fortuna quam res vana, quam volubilis!

4. Aliquando etiam eandem repræsentabant, novaculam manu tenentem, ad denotandam felicitatis abscissionem; & unâ quidem ex parte albam, alterâ nigram, ob prosperos, adversosque, ab illâ causatos inter mortales eventus.

Quare Palladas Græcus Author, mortalium vitam, Ludum Fortunæ, esse pronuntiavit.

Vita mortalium ludus Fortunæ.

Vita hominum Ludus Fortunæ est, & miser error
Inter pauperiem nauigat, inter opes.
Atq; pilæ in morem nunc hos ad sydera tollit
Elatos, & nunc Tartara ad ima iacit.

Eam ob causam ejus perversum genium varij, varijs Epithetis sugillare non sunt veriti. Idem Palladas vocavit improbam.

Fortuna à Pallada improba dicta.

Improba non nouit leges Fortuna, modumq;,
Sed semper quo fert impetus, illa ruit.
Illa odit plerumq; bonos, blanditur iniquis,
Et monstrat quæ sint robora stultitiæ.

Fortuna odit plerumq; bonos, fovet iniquos.

Ovid. dixit furibundam, totum Orbem, cæcis equis peragrantem, ac triumphantem Epist. ad Liviam.

Fortuna arbitrijs tempus dispensat ubiq;
Illa rapit juuenes, corripit illa senes.
Quaq; ruit, furibunda ruit, totumq; per Orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

Fortunæ proprietates variæ.

Aristoteles lib. 2. Rhetor. eandem insanam, ac brutam appellavit. Sabellius lib. de subitâ mutatione Fortunæ lib. 7. c. 8. Volucrem, cæcam, variamq;; nunc blandam, & indulgentem; nunc sævam, & infestam, fierique subitò ex Matre Novercam, & ex Noverca Matrem.

Fortuna cæca cæcis equis triumphans vehitur.

Fortuna insana & bruta.

Silius Italicus Brevem: *Breuis est magni Fortuna Fauoris.* Apulejus lib. 7. Metam. prorsus exoculatam.

Fortuna prorsus exoculata.

Epictetus denique apud Stob. serm. de virt. similem torrenti censuit: *Vita, inquiens, Fortunæ implicita, similis est torrenti. Est quippe turbulenta, & limo repleta, ingressu difficilis, violenta, obstrepera, & momentanea.*

Fortuna torrenti similis.

Plinius denique varias Fortunæ proprietates recēsens de ea ita loquitur: *Toto mundo, & locis omnibus, omnibusq; horis, omniumq; vocibus Fortuna sola inuocatur, & una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & conuicijs colitur, volubilisq;, à plerisq; vero cæca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumq; fautrix: huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola utramq; paginam facit; adeoq; obnoxia sumus Sortis, ut Sors ipsa pro DEO sit; qua DEVS probatur incerta.* Sic ille.

5. Sapientius alij Fortunam, Iovem ipsum esse arbitrati sunt, ut Theognis, qui ideo fortasse cecinit:

Fortuna est Ipse Iuppiter.

Iuppiter huc, illuc interdum pondera flectit
Nunc dat diuitias, nunc dat habere nihil.

Ad Christianismum proximè penè accessere illi, qui eam ipsam Deorum Providentiam senserunt. Quare præclarè Iuven. sat. 10.

Fortuna, est Deorũ Providentia.

Nullum Numen abest, si sit prudentia; sed te
Nos facimus Fortuna DEAM, *cœloq; locamus.*

Cũ enim imprudẽtes mortales varios fortuitos evẽtus in reb⁹ humanis adverterent, nec cogitarent eos omnes providentiâ, ac voluntate permissioneue Divinâ contingere, ad Fortunam recurrêre, eamque Deam, bonorum, malorumque temerariam, cæcamque distributricem effinxerunt. Cum revera eventuum hujusmodi tam casualium, quam fortuitorum ipse DEVS suprema omnium Causa sit, præter cujus intentionem, ac voluntatem, nullus eorum potest contingere; præclarè enim pronuntiavit Aristoteles lib. 2. mor. c. 9. *ibi minimum esse Fortunæ, ubi plurimum est mentis.* Cum igitur DEVS ter Opt. Max. totus mens ipsa sit, consequitur necessariò apud illum nihil esse Fortunæ. Quare D. Aug. lib. 4. de Civitate DEI c. 18. Ridet eos, qui faciunt Fortunam Deam bonam, & malam, *cum omnes Deos*, inquit ille, *utriusq; sexus, si & sexus habent, nonnisi bonos existimare debeamus. Hoc Plato dicit, hoc alij Philosophi, hoc excellentes Reip. Populorumq; Rectores. Quomodo ergò DEA Fortuna aliquando bona est, aliquando mala? an fortè quando mala est, Dea non est, sed in malignum Dæmonem repentè conuertitur?*

Apud Deũ nulla Fortuna est, quia totus mens, & intellectus est.

Ridendi, qui Fortunam Deã bonam, & malam faciunt.

Concludit tandem Fortunam hanc

cum

cum Iovi subdita sit, eamque ipse mittat, ad quem libuerit, Iovem ipsum colendum potius, quam Fortunam: *An*, inquiens, *& ipsam, quo voluerit Iuppiter, mittit? colatur ergò ipse solus. Non enim potest ei jubenti, & eam, quo voluerit mittenti Fortuna resistere.* Hinc Euripides in Electra, *Fortunam Deorum Ministram dixit.*

Quia Iuppiter Fortunā mittit ipse solus colendus fuerat Ethnicis.

Fortuna Deorum Ministra.

6. Quare sapientiores Imperatores Romanorum non tam Fortunam, quam ipsam DEI Providentiam, cujus beneficio se Imperij Gubernacula tenere intelligebant, coluêre. Vnde ut se illi gratos exhiberent, suis in nummismatis eam celebrarunt. In nummo Antonini Pij videre est simulacrum muliebre, quod stans, lævâ gubernaculum tenet: Dexterâ radium, quo præjacentem pilam, Orbem Terrarum denotantem versat, additâ Epigraphe, *Providentia Deorū.*

Sapientiores Imperatores Romani loco Fortunæ, DEI providentiam colere soliti.

In altero ejusdem Antonini nummo visitur eadem effigies cum Sphæra, & Cornucopia, præfixâ inscript: *Fœlicitas.* In Maximini demum nummismate eodem schemate repræsentatur; lævâ Cornucopiam, dexterâ radium tenens, pilamque versans cum Epig. *Providentia Augusti.*

Providentiæ Divinę simulacrū.

7. Atque hæ, innumeris alijs prætermissis, fuere antiquorum de Fortuna opiniones, ac commenta; quibus ut futilibus anicularum explosis fabulis, post DEI unius Trinique Providentiam, ac Voluntatem, cujus nutu reguntur universa, Fortunam prosperam, veramque Christianorum Felicitatem, à qua Fortunati, fœlices, ac beati verè dici possunt gloriosissimam Virginem esse DEiparam prædicamus. Ita primus crediderim Pater Didacus de Celada Societatis nostræ, eruditissimis suis in Iudith figuratam commentarijs censuit. Deinde P. Melchior Hincoffer, Soc. nostræ gravis Theologus, oratorque disertissimus in Defensione Epistolæ B. V. ad Messanenses cap. 57. ubi de Virgine loquens DEipara: *Hæc quippe est*, inquit, *non illa commentitia falsæ Divinitatis, sed verissima prorsusq; unica mortalium Diva Fortuna quā qui honorant, non erunt ignobiles, qui contemnunt, in miserijs non subsistent, quæ ad se confugientes, extollit in altum, negligentes relinquit in imo. Deniq; cui fecit magna qui potens est, ut ejus meritis deponeret potentes de sede, humiles exaltaret.* Et jure sanè merito Viri hi doctissimi Virginem beatissimam eo nomine decorarunt, siquidem ea penè omnia, quæ de prosperâ Fortunâ prædicātur, aptissimè Virgini huic conveniunt.

B. V. est prospera Christianorum Fortuna, ac Fœlicitas.

Ipsa globo terræ insistens vertice suo quodammodo sphæram cœlestem gestare, & caput inter nubila condere videtur. Tum quia in illa perfectiones Creaturarum, tam Mundi cœlestis, quam sublunaris longè eminentissimè continentur. Tum quia Virtutum, gratiarumque immensitate, divinæque Maternitatis amplissimâ dignitate, adeò sublimis extitit, postquam comprehendit eum, quem totus capere nequit Orbis, ut nec elementa, nec universa cœli, Terræque creatura eam complecti posse videatur.

In B. V. perfectiones omnes tam mūdi cœlestis, quam sublunaris.

8. Virginea hæc Christianorum Fortuna, nec cæca, nec exoculata est, imò verò multiocula, ut illam D. Epiphanius appellat. Et nos alibi pluribus ostendimus, quia miserias nostras & præsentes, & futuras, imò & præteritas, ne rursum ab illis invadamur, attentissimè circumspicit, suisq; precibus, patrocinijsque à nobis pientissimè amolitur. Alas pedibus, humerisque gestat, ut suam promptitudinem, ad nobis in nostris necessitatibus succurrendum ostendat, quæ tanta sanè esse consuevit, ut preces desideriaque nostra benignissimè antevertat, nosque velut Aquila illa grandis magnarum alarum ad instar pullorum adversus Tartareorum miluorum incursus protegit, atque defendit. Vnde illam Apostolus Ioannes, Aquilinis suis oculis, alis aquilæ cælitus, in hunc crediderim etiam finem, instructam contemplatus est, Apoc. 12.

B. V. Fortuna Multiocula, ut nobis provideat.

B.V. Fortuna Alata, ut opē suam celerem ostendat.

9. Alterâ manu gubernaculum etiā hæc Fortuna nostra beatissima gestat. Ipsa enim & clavus, & navis est nostra. Ipsa est Arca illa Noë mysteriosa, quā homines & jumenta salvantur, quâ procellosum hujus vitæ Oceanum in aquarum multarum, peccatorum videlicet diluvio, securi, illâ actionum nostrarum clavum sapientissimè moderante, transfretamus, beatumque, Patriæ cœlestis portum ingredimur. De hac longè melius cecinisset Orpheus, quam de suâ fabulosâ:

B. V. Gubernaculū nostrum & Navis est.

Ipsa regit variam mortalem Numine vitam.

Altera manu Cornucopiam gestat, cum ipsa cornu Amaltheæ à S. Gregorio Nysseno, appelletur; ob redundantem omnium bonorum, quam indies singulos liberalissimè in nos effundit copiam; uti Disc. 17. ostendimus. For-

B.V. est nostra Cornucopia.

Maria Fortuna Alba.

8. Fortuna hæc nostra est tota alba, tota Candida, nil habens admixtum nigredinis, tota blanda, tota suavis, ut meritò ita pulchram, venustamque contemplatus Sponsus, in monte Libano, qui candidatio interpretatur, eam ad se invitarit. Cant. 4. *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis: Pulchra es amica mea suavis, & decora sicut Ierusalem;* ad instar Civium supernæ illius Civitatis, cum illos, omnimodâ puritate, quam longissimè superarit. Præclarè enim sanctus asseveravit Anselmus decuisse Virginem tali puritate nitere, quâ major sub Deo nequit intelligi. Quare D. Hieron. serm. de Assumpt. invitationem illam Sponsi considerans pronunciavit: *Non immeritò de Libano venire jubetur, quia Libanus Candidatio interpretatur. Erat enim candidata B. V. multis meritorum virtutibus, & dealbata, nive candidior, Spiritus S. muneribus, simplicitatem columbæ in omnibus repræsentans. Quoniam quicquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum veritas, & gratia fuit, totum misericordia, & justitia, quæ de Cœlo prospexit.* Hæc Hieron.

Libanus Candidatio interpretatur.

B. V. Candidata multis meritorum virtutibus

Maria Fortuna, novaculâ nostras miserias abscindens.

9. Non gestat hæc manu novaculam, ad Felicitatem, cum ipsa verissima nostra sit Felicitas, sed ad miserias, quibus hæc nostra vita scatet, ac circumfluit, amputandas. Quod si ipsi varia, præter novaculam, armorum genera attribueris, quibus ad defendendos nos uti consuevit, non aberraveris: *Ipsa enim est Turris David, de qua mille clypei pendent, omnis armatura Fortium,* Cant. 4. Vnde aptius illud Orphei ei applicueris.

Maria Numen inexpugnabile

Fortuna est inexpugnabile Numen. Non ludit in mortalium vita, ut illudat, sed ut recreet, ac delitietur, cum Filijs hominum, oculisque ipsius Divinæ Majestatis jucundissimum exhibeat spectaculum. Vnde de hoc lusu ipsa Prover. 8. gloriabatur: *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar, per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in Orbe Terrarum, & delitiæ meæ esse cum filijs Hominum.*

Maria semper Mater nostra, nunquam Noverca.

10. Non est Fortuna hæc nostra nunc Noverca, nunc Mater, ut ajebat Sabellicus, semper enim, ac constanter Maternæ suæ effusissimæ in nos pietatis ostendit viscera; semper nos ad se confugientes sinu suo recipit, ac fovet, inq; nobis, imaginem Filij, nos per gratiam generando refigurat. Præclarè enim Rich. à S. Laur. lib. 2. de laud. Virg. Partic. 1. eam Matrem Christi dixit esse per Naturam, Matrem verò populi Christiani, per gratiam. *Quia,* ut idem ait lib. 6. *etsi carnaliter unicum genuit Filium, in eo tamen spiritualiter Mater effecta est magnæ multitudinis filiorum, quorum primogenitus est Christus, cuius imaginem, similitudinemq; pulcherrimam, in amicis, filijsq; suis reformat, ut eidem, utpotè pulcherrima, evadant quam simillimi, per gratiam, quam peccando amiserant, quod apparuit in Theophilo. Postquam enim reconciliatus est Filio, Matre mediante, sumptâ sacrosanctâ Communione facie resplenduit, ut Sol.* Sic ferè Richardus.

Maria Mater Christianorum per gratiã

Maria imaginem Filij in animis nostris refigurat.

Theophili facies ubi mediante Virgine, fuit conversus, refulsit ut Sol post communionem.

11. Matrem nostram veram, non Novercam agnovit Mariam B. Guer. Abbas ser. 1. de Assumpt. ubi sic loquitur: *Ipsa unica Virgo Mater, quæ se Patris Vnicum genuisse gloriatur, eumdem Vnicum suum in omnibus membris eius amplectitur, omnibusq; in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit Matrem se vocari non confunditur. Eva vetus illa non tam Mater, quam noverca, quæ filijs ante propinavit prajudicium mortis, quam initium lucis, dicta est quidem Mater cunctorum viventium: sed inuenta est verius interfectrix viventium, seu Genitrix morientium, cum suum generare nil aliud sit, quam mortem ingenerare. Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suũ, ista impleuit mysterium; quæ & ipsa sicut Ecclesia, cujus forma est, Mater est omnium ad vitam renascentium. Mater siquidem est vita, qua viuunt universi; quam dum ex se genuit, nimirum omnes, qui ex ea victuri sunt quodammodo regenerauit. Vnus generabatur, sed nos omnes regenerabamur, quia videlicet secundum rationem seminis, quo regeneratio fit, jam tunc in illo omnes eramus. Sicut enim in Ad m fuimus ab initio propter semen carnalis generationis: sic in Christo ante initium propter semen spiritualis regenerationis. Porro Beata Mater illa Christi, quia se Matrem Christianorum agnoscit ratione mysterij; curâ quoq; se Matrem eis præstat, & affectu pietatis. Neq; enim duratur ad filios, quasi non sint sui, cuius quidem viscera semel quidem fœta, sed nunquam effœta, nunquam desinunt fructum parturire pietatis. Benedictus siquidem Fructus ventris tui, gravidam te ò pia Mater inexhaustâ pietate reliquit, ex te quidem semel nascens, sed in te semper manens, & affluens, & horto concluso castitatis, fontem signatum charitis semper abundare faciens, qui licet signatus sit, foris tamen deriuatur, & in plateis aqua eius nobis diniduntur.* Hæc Guerr.

Maria Mater vocari non confunditur ab ijs, in quibus forma Filij eius enitescit.

M. est Mater omniũ ad vitam renascentium.

M. agnoscit se Matrem Christianorum cura & affectu pietatis.

12. Non est Fortuna hæc illa, de qua Philo-

Maria Fortuna excellens nō minuit, sed auget fælicitatē.

Philosophorum Princeps 7. Ethicorū ait, quod cum est super excellens, impediat Felicitatem. Cum enim Virgo nostra super omnes Creaturas, dotibus & naturæ, & gratiæ nimium quantum utpotè DEI universorum Domini, ac Iudicis Mater dignissima emineat, excellatque, tantum abest ut imminuat felicitatem, ut eam potius, cum ipsissima sit Felicitas augeat, amplificetque. Ipsaque de æterna beatitudine desperantium salus, atque ab ea deturbatorum protectio, ac patrona esse consueverit. Ipsa enim mundum innumeris calamitatibus oppressum, DEI Filium, sempiternam illam Angelorum Felicitatem pariendo felicitavit; in cœlumque, ad illam nunquam terminandā beatitudinē subvexit. Et pro eodē mundo ipsiusq; cœcis amatoribus, ijs etiam, qui ex hac vita absque peccatorum pœnitentia, mox damnandi decesserunt, etiam nunc intercedit, ut eos tanquam prægraves lapides ipsa artificiosa quædam Rota, siue troclea effecta quodammodo in supernę Ierusalem ædificium sublevet. Quare meritò illi Venātius Fortunatus cecinit:

M. troclea artificiosa

Felix quæ humano generi sub Tartara lapso
Ad Cœlos facta est sors, via, porta, Rota.

13. Hujus Virgineæ pietatis etiam hoc nostro sæculo, ut alia antiquiora missa faciamus, insigne planè ex literis Indiæ Orientalis nostrorum ad Generalem Societatis IESV datis Anno 1624. habemus exemplum. Mortua fuerat peste in quodam Burgo mulier christiana, quæ cum inde ferretur in sepulchrū, & illud nimis angustum foret, & nihilominus cadaver premeretur, ut intraret, audita est quædam vox quasi ingemiscens, & clamans: *Heu mihi.* Obstupure circumstantes omnes, mox linteum, quo cadaver erat obvolutum discindunt, inveniuntque mulierem viventem, quæ mox Confessarium ad sua expianda peccata postulavit. Reducta est ergo statim in ædes suas. Hac famâ excitus, loci illius Dominus cum illuc advenisset, curavit illico Patrem nostrum Casparum Ruitz, qui tunc non longè aberat advocari. Vbi advenit totam rei seriem à muliere discit. Ajebat illa se in mortis ipsius instanti ab Adolescente formâ, & splendore eleganti deductam fuisse ad thronum quendam magnificum, in quo Christus cum MARIA Matre sua, multis sanctis, Angelisque stipatus considebat.

Mulier Inda B. V. precibus ad corpus jussa est redire, ut peccata confiteretur.

Adfuit ibidem mox Cacodæmon, qui eam de omnibus ejus peccatis coram supremo Iudice gravissimè accusavit: Hic cum nec ipsa, nec ejus Custos Angelus quidquam respondere possent, ad Virginis DEI Matris confugere se coactam fuisse patrocinium, in tanto salutis discrimine, ut opem imploraret, fassa est. Extemplo ejus precibus, Virginis Matris pientissima commota sunt viscera; unde Mater Filio supplicavit, ut tempus pœnitendi, & peccata confitendi ei concederet; simulque certam quandam eleemosynam misericordiæ Mater Filio repræsentavit, quam mulier in ejus honorem paucos ante dies pauperi mendicanti, & à marito severiori, domo exturbato, magna cum pietate porrexerat. Quibus auditis sempiternus Iudex, Matris intercessione placatus, trium dierum spatium ad agendam pœnitentiam ipsi indulsit. Vt porro Divinæ satisfactum esset justitiæ, jussit Dœmonem multis verberibus eo tempore ipsam afficere, & postea animam corpori restitui. Narravit hæc omnia mulier suo confessario, dum generali exomologesi peccata sua, multis cum lacrymis ad pedes ejus exspiaret. Elapsis illis deinde trium dierum inducijs, quos illa cum Patre spiritualibus Colloquijs piè transegerat, sacro Viatico refecta, extremaque unctione ad luctam postremam munita, animam suā magna cum fiducia DEO Creatori suo reddidit, & ad æviternam illam fælicitatem Beatissimâ DEI para, vera Christianorum omnium, ipsorumque maximè peccatorum Fœlicitate, patrocinante profecta est.

A Dœmone Inda mulier verberatur post obitum.

14. Nec contenta est benignissima Virgo nostra apud supremum Iudicem dilectissimum suum Filium pro nobis peccatoribus in particulari Iudicio subinde intercedere, sæpe ipsa morientibus cum Christo, reliquisque sanctis in tanto, tamque horribili discrimine adest, trepidationemque omnem excutit, uti Discursu superiori ostensum est. Ita adesse dignata fuit B. M. Oegniacensi, dum Extremæ unctionis Sacramento muniretur. Testata est enim ipsa, Christum tunc sibi apparuisse ad pedes lectuli Crucem affigentem, tanquam vexillum suum in signum victoriæ, quam de Satana illa reportare debebat, utpote quæ sub Crucis Christi vexillo hic militarat; Testata quoque fuit se vidisse S. Petrum cum Aposto-

B. Mariæ Oegniacēsi Christus & B. V. cū sanctis Angelisq; morienti adsunt.

Apostolis cœli claves sibi ostendentem, quibus securum aditum ad Dei Regnum promittebat. Affluisse denique referebat Virginem Deiparam, Virginum choro circumdatam, indicibilique lætitiâ animam ejus perfudisse, ut hic jam illius nunquam terminandæ Fœlicitatis, Beatitatisq; delicias delibare videretur.

15. Horum tam insignium favorum à Virgine suis clientulis exhibitorum in hora mortis Iustus Landspergius Ordinis Carthusiani insigne Ornamentum, probè conscius, multis agebat cum Deipara, ijsque calentissimis precibus, ut ejus lectulo emigrantæ ex hoc corporis ergastulo animæ adesse dignaretur.

Oratio Iusti Lādspergij ad B. V. pro fœlici morte.

Sic igitur ille lib. 13. Theoria 12. *O benedicta, & pijssima inter mulieres, per Virginei cordis tui, mœrore pariter, ac dolore vulnerati compassionem, rogo te unica spes, & refugium miserorum, da ut fideliter nunc tibi, & Filio tuo assistam sub Cruce condolens, & pro posse meo eumdem imitari, eidemq; conformari contendam. Tu igitur ut pijssima Mater assiste mihi quoq; in omni tentatione, & aduersitate, præcipuè tamen in hora mortis meæ. Tunc ab omni peccato, ab omni periculo, ab omni malo pientissima Mater libera, & defende me. Ah pone super me hos oculos misericordiæ tuæ, quibus benedictum Fructum ventris tui adeò tristis, & afflicta vidisti patientem, & præserua me à laqueo inimici, & à consensu cuiuscunq; peccati. Nusquam cor meum introeat, nunquam inconscientia mea coram oculis DEI appareat, quod ipsi displicet. Dulcis MARIA, nihil in hora mortis hostis in me inveniat, quod accuset. Quod ut impetrare abs te valeam, fac etiam ò misericordissima DEI Mater, ut claui Passionis Filij tui, cor meum perfodiant, & salutaribus vulneribus contritionis, compassionis, & amoris me crucient, ut ex vehementi peccatorum displicentia lacrymis totus diffluam, & præ tui castissimi amoris vehementiâ à meipso deficiam. Ah utinam, ò pulcherrima Dulcedo, ò utinam suauissima Pulchritudo, Mater mea pijssima tantâ cum fidelitate, charitate, & compassione tibi sub Cruce assistam ut in illorum digneris me computare, quos arctissimo dilectionis vinculo cordi tuo misericordissimo tenes oppignoratos. Dulcis MARIA, fac ut nunc deuotus tibi semper assistam, ut tu in mortis meæ articulo, cum dulci Virginum comitiua mihi assistas, tua, tuiq; Filij merita pro me ponas, nec me deseras, donec animam meam plenè Filio tuo reconciliatam, plenèq; ipsius sanguine purgatam, egredientē absq; ullo impedimento in gaudiū Filij tui introducas.*

Idem rursus Theoria 17. eandem gratiam à Virgine benè moriendi implorat. *O Mater dulcissima, & singulare peccatorum refugium, ò mœstorum unicum solatium, Domina suauissima, potentissima & misericordissima, fac merear in extremis vitæ meæ tuâ gaudere mellifluâ præsentiâ, fac me gustare tunc, atq; experiri miserationum tuarum ubera; fac efficaciter me sentire magnitudinem, virtutem, ac potentiam misericordiæ tuæ, quæ contra omnem tentationem me confortet, ab omnibus inimicis meis me liberet, ab omnibus peccatis apud Filium me excuset, & animam meam egredientem propter passionem Vnigeniti tui, tuaq; merita, statim ad gaudia perducat æterna.* Hæc ille, quibus sanè luculenter ostendit Deiparam nobis in morte assistentem viam ad æternam fœlicitatem capessendam sternere.

Alia Oratio ejusdē ad B. V. pro fœlici morte.

16. Hanc eandem crediderim ob causam à sacris literis, Ecclesiæque Patribus cœli Scalam fuisse appellatam. Hinc S. Augustinus, ut reliquos sileam quos alibi recensui, de illa ita loquitur ser. 15. de Tempore: *Facta quippè est MARIA Scala cœlestis, quia per ipsam DEVS descendit ad terras, ut per ipsum homines ascendere mereantur ad cœlos. Ipsis enim licebit ascendere illuc, qui DEVM crediderint ad terras per MARIAM Virginem descendisse.*

M. Scala cœlestis.

17. Ad quod profectò indicandum prisca Christianorum pietas nonnullis Divæ Virginis Imaginibus præsertim Orientis, Scalas appingere consuevit, ut ostenderent, se firmâ spe niti, per Dei Matrem, ejusque intercessiones, ac patrocinia, tanquam per Scalam tuto ad æviternam beatitudinem evasuros. Talis est Effigies Deiparæ Messanensis, quæ, ut scribit P. Hincoffer noster ex Syria in Vrbem illam, singulari Virginis in Messanenses benevolentiâ, ac providentiâ, advecta, fœlicitatem eximiam Messanæ apportasse, spemque firmam cœlestis beatitudinis consequendæ eorum animis ingenerasse visa est. Quem singularem Virginis favorem, ut eò magis æstimemus, benevolentiamque ejusdem in Vrbem illam admiremur, fiduciamq; Virginei erga nos patrocinij concipiamus, libet paulò altiùs adventus hujus Iconis primordia repetere, ex eodem Auctore in Conjectatione Epistolæ Beatæ Virginis cap. 57. Ergo regnante in Sicilia Friderico II. Imperatore Suevo, dum is Messanæ moraretur, fortè navis

S. Maria de Scalis Messanensibus Divino nutu advecta.

appulit preciosis, opulẽtisq; onusta mercibus, sed Deiparæ Virginis Imagine, cui ad latus appictæ erant Scalæ, longè opulentior. Hanc vectores ex Civitate quadam Syriæ furto sublatam Messanam advexerunt. Distractis mercibus dum è portu solvunt, & vela dare ventis tentant, navis tanquam echeneide detenta, firma, immotaque in portu subsistit, & nautarum, aliorumque qui aderant, eamque propellere nitebantur, conatus omnes elusit. Nautæ pij furti conscij Imperatori, atque Archiepiscopo totius rei seriem recensent, ac detegunt. Illico re intellectâ indicitur solennis omnium Ordinum supplicatio ad littus maris, stratoque ad Navim ponte sublicio effertur honorificè sacra Deiparæ Imago, in littore locatur, eodemq; momento liberata navis, iter suum prosecuta est. At verò Imago sacrosancta novo prodigio rursus suo defixa pondere immota persistit. Inito tandem consilio decernitur, ut honorificè apparatis quadrigis imposita, uti olim Arca, quæ Virginis umbra extitit, sineretur abire quo liberet. Itaque sponte, absq; ductore ullo, nullis lacessitæ stimulis perexere, tandem ad radicem collis Ricciani, nullâ præeunte voce humanâ, occultiore dumtaxat vi quâdam retentæ gradum sistunt juxta sacrarum D. Benedicti Virginum Monasterium. Exinde locus ille ante S. Mariæ de Valle dictus, tunc à Scalis Nomen accepit, plurimisque Regum, Principumque donarijs auctus, eximijs miraculis, ac prodigijs coruscavit. Vrbi denique Messanensi sacratissima illa B. V. Imago de Scalis, prosperam, fœlicemque Fortunam nunquam ampliùs inde discessuram invexisse, æternamque, ac cœlestem beatitatem suis dilectis illis civibus promisisse visa est. Certè Scala illa, inquit idem Auctor, è superficiè terræ, in convexum usque cœli protensa, cui Deum imminentem Angelosque per eam descendentes, & ascendentes Iacob aspexerat, inter alia Deiparæ Virginis unicæ apud Deum Conciliatricis peccatorum, typus fuit, per quam scilicet nemini ascensus ad vitam non pateret, ejusdemq; ope cœlestis gratia, velut Angelorum ministerio deportata mortalibus adveniret. Itaque consequentibus temporibus, satis argumenti fuit Religioni Christianæ, quò latiùs ingresso in Orbem Nomine Mariæ, meritisque ejus apud Deum cognitis, sacræ ejus Effigiei inter fideles ubique divulgatæ, Scalam appingerent, ut id quidem apud Intelligentes veritas esset antiquæ significationis; apud simpliciores verò, velut character uncialis, unde præcipua Virginis merita in suam salutem derivanda continuè legerent, & agnoscerent. Sed non solùm Christianis, verùm etiam Gentilibus opportunum fuit ejuscé modi argumentum; unde ex Hieroglyphico velut apice Mysterium altiùs venerarentur, sensumque veritatis, & velut animum rei, non in cortice, sed in nucleo propiùs inspicerent. Quod itaque narrat Ælianus lib. 2. de varia Hist. à Pittaco Philosopho Mitylene Templis Scalam inductam, ad nullum alium usum, quàm ut esset dedicatum donum, adumbrans Fortunæ repentinos ascensûs, atq; descensûs, ut ex eo Symbolum Deæ Fortunæ in picturis esset, non solùm saxo volubili insistentis, verùm etiam Scalam in manu, vel juxtim habentis; eoque mysterio tacitè docerentur Deiparam Virginem Scalam esse ipsam diligentibus ad salutem, residibus verò & contemnentibus ad interitum. Hæc enim est non commentitia illa, sed vera, ac prospera Christianorum Fortuna, cui cùm Scalas appictas intuemur, imaginemur nobis illas illustrissima quædam esse ipsius nobilitatis, Omnipotentiæ, Regiæque ejusdem Majestatis insignia, quibus ipsius prærogativæ, excellentiæ, resque præclarè gestæ, atque adeò pijssima ipsius de animabus in cœlum provehendis, atque salvandis solicitudo, velut Symbolis, arcanisque notis nobis repræsentantur.

18. Hanc porrò Imaginem Virginis, sive prosperam Christianorum Fortunam, nos ad superna, ad æternam Fœlicitatem, velut Scalis evehentem, censet idem Autor esse unam ex illis, quas D. Lucas pinxit, & fortassis eam, quam cùm idem Evangelista pinxisset, & ad vivum expressam Deiparæ videndam exhibuisset, eamdemque Virgo esset intuita, gratiam formæ suæ immisit, ut loquitur Nicephorus lib. 15. cap. 14. Fuerit fortassis denique Imago illa, vel certè ab illa transumpta, quàm Pulcheria Augusta Antiochiâ delatam magnifico Templo, ὁδηγῶν, id est, viæ ducum appellabatur, honoravit; quam Nicephorus

Navis B. Virginis Imaginem vehens, è portu moveri neq't.

B. V. Imago suâ sponte sibi locum deligit.

B. V. de Scalis bonam Fortunam Messanam advexit.

B. V. de Scalis Scala Iacob.

In Tẽplis Pittacus Scalam induxit ad indicãdos Fortunæ ascensûs, & descensûs.

Scalę juxta Imaginem B. V. positæ omnipotẽtiæ ipsius sunt insignia.

B. V. de Scalis picta à S. Luca.

B. V. Imagini à S. Luca depictæ, gratiam formę suæ, eã intuita immisit.

phor. Gregoras lib. 9. Historiæ Hodegetriam dixit. Verè enim Virgo Deipara sicut Scala cœli à SS. Patribus, ita quoque Hodegetria viarum Dux jure merito appellari potest. Ipsa enim viarum omnium, quæ post Deum Duces sunt ad salutem, beatamque Fœlicitatem, via Princeps, ac Regia meritò dici potest, ejusdemque vocis accommodâ significatione Scala illa cœlestis, in quam omnes viæ desinere debent, & à quo Imago illa Messanensis Divæ Mariæ de Scalis nomen habet. Vnde ea Effigies Deiparæ, quæ olim Albæ, Regia Pannoniæ Civitate in sumptuoso illo Templo magnâ veneratione colebatur, fuerit Hodegetria fortassis, siquidem à Pannonijs, multis jam sæculis à Scalis Climagda, cùm Κλίμαξ, Scalam significet, fuit denominata.

B. V. Hodegetria dicta, quod sit via Regia, ducens ad salutem.

19. Vincentius denique Belluacensis lib. 23. Spec. Hist. cap. 147. ut hoc etiam hic obiter attexamus Deiparam Odegetriam appellatam censuit, quod duobus olim pia Mater apparens cœcis errantibus, eos ad suam Ecclesiam deduxerit, ac luce donaverit. Vnde factum ut duo, plerumque seniculi bajulantium instar in vulgatis hinc, inde visantur picturis. Sive igitur Odegetriam, sive à Scalis Virginem nostram Deiparam denominemus, intelligere facilè possumus eam non modò Messanensium, verùm etiam totius Christianitatis prosperam Fortunam esse, iter cœcis mortalibus in hac peregrinatione ad sempiternam Fœlicitatem præparantem, nosque suarum virtutum luce irradiantem, seseque Scalam exhibentem, quâ facillimè ad beatam patriam, tot, tantisque & locorum, & temporum intervallis dissitam conscendamus. Hanc ob causam B. Ioannes Geometra Hym. 1. Scalam Deiparam, sive prosperam Fortunam ad beatam vitam, cœlestemque beatitatem nos provehentem agnoscens, ita consalutavit:

B.V. Odegetria dicta, quod duobus cœcis iter ostenderit, eosq; luce donaverit.

Salue Scala polum penetrans, & sydera tangens
Quaq; DEVM nobis, nosq; DEO reparas.

M. Fortuna nostra, æternâ nos beans fœlicitate

20. Quare Odegetriam sive, ut vulgus loquitur, Itriam, sive cœlorum Scalam pius ille Poëta Christianus beatissimam Virginem cùm intelligeret, poëmate quodam hoc carmen intercalare identidem repetere non dubitavit:

Ibitur ad superos, iter hac monstrante Puellâ.
Nascere spes hominũ, decº atheris, horror Auerni

Hinc in Hymno quodam Beatæ Virginis Italico Intercalatio illa non injucunda iteratur:

Tu sei Scala del Ciel, tu Porta, è Via.

Vnde B. Petrus Cardinalis Damiani Homil. de Nativitate B. V. in primo sui exortu hominum salvandorum, ac verè fortunatorũ eam Scalã esse perspiciens, omnesque ad novum gaudium invitans: *Hodie*, inquit, *nata est Regina Mundi, Fenestra Cœli, Ianua Paradisi, Scala Cœlestis, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit, & homo qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit.*

M. Scala cœlestis.

21. Ex quibus omnibus facilè colligimus Virgineam hanc Fortunam quamtumvis superexcellens sit, ut de commentitia illa ajebat Aristoteles, non impedire, sed promovere nostram fœlicitatem non modò viventibus, sed & morituris, siquidem illa tanquam Odegetria, id est, viæ ad cœlum Dux, tanquam Cœli Scala, ad perennem Fœlicitatem, Beatitatemque nos provehit, & hic dum in hac peregrinatione versamur in rebus penè omnibus, fœlices nobis successûs subministrat. Varia in hoc genere Iosephus Bonfilius B. Mariæ recenset exempla, quæ quia privata sunt, prætermittimº. Beneficia aliqua publica in communem utilitatem redundantia commemorasse sufficiat.

Inter quæ P. Hincoffer reponit illud, quod cùm universa Messanensis Civitas Terræmotibus quateretur insolitis, jamque nutantium ædium fundamenta, ad hauriendam funeribus Vrbem vastis hiarent voraginibus, populi anxiè supplicantis religione toties circumlata sacrâ hâc Imagine de Scalis, formidinem omnem abactam, civesq; ab imminente calamitate fuisse, magnâ Deiparæ benignitate liberatos.

B. V. de Scalis terræmotus dispulit.

22. Eadem Beatissima Maria de Scalis, prosperam se esse Messanensibus Fortunam ostendit, cum furore Ariadeni Barbarossæ certissima vastitas Messanæ necdum ullis muris, præsidijsque munitæ (civibus fortissimis mœnium, propugnaculorumque vices obeuntibus) immineret, lustrandæ Civitati Imago illa sacrosancta circumducta luctibus, funeribusque florentissimæ Civitatis subvenit, eamque à Barbarica immanitate, velut compressa potentia, ipso Barbaro cœlesti viso perterrito, ac consternato, liberavit.

Circũlata per Vrbẽ B.V. Imago hostes exterret.

Rogerij de Lauria victoriæ auspicijs B. Virgin. de Scalis reportatæ

23. Bartholomæus Neocastro c. 76. Hist. narrat Rogerium de Lauria conclusum aliquando in portu Melitensi, quo tempestas adegerat Caroli Regis 20. rostratas, invocato *Nomine gloriosæ Virginis MARIÆ de Scalis 8. Iunij,* Indict. XII. in ipsis faucibus adortus, dévicit,& cæso Guilelmo Cornuto classis Præfecto, decem triremes, reliquis fugâ elapsis, sed penè laceris, ac exinanitis, in potestatem redegit, Messanamque in triumphum duxit. Addit idem Neocastro ante hunc conflictum, providentiâ Christi, qui mentes & injusta proposita hominum, rotâ volubili versat, inexcogitabilem ventum, ab ortu excitatum, & maris tranquillitate mutatâ, procellas insurrexisse rapidas, pontique varias tempestates, ob quas hosti necessariò in portum Melitensem declinandum fuit. Nec hic stitit Virginis de Scalis favor. Cùm rursus ob hanc Rogerij victoriam Carolus irritatus 40. triremium classem quamprimum parasset, ut ipsâ victoriâ velut ebrios Messanénses opprimeret, Rogerius majori celeritate usus 28. triremibus propè Neapolim 18. Iunij die Lunæ hosti occurrit, ac simulatâ primum fugâ, ubi Carolum in altum maré fidentiùs insequentem prolicuisset, conversa repente classe, paucis de æquitate belli præmissis, suos Messanenses seriò est ad confligendum cum hoste adhortatus, magnis militum animis, ac vocibus, *invocato Nomine gloriosæ Virginis MARIÆ de Scalis,* nec non D. Ioannis Baptistæ, cujus pervigilium agebatur, inauditâ á sæculis fœlicitate conflixit, hostium classem partim fudit, partim fugavit, ac inter decem triremes Prætoriam cum Rege, Regisque Gallorum, ac Neapolitanorum proceribus cœpit, Messanamque totius hostilis Regni robur captivum duxit.

Rogerij de Lauria in aggrediendo hoste mira celeritas.

24. Nec dum animus Caroli vindictæ cupidus conquieverat. Nam ex ducentis Navibus, 55. reparatis militum viribus, cùm legisset triremes, & 40. ex ipsis, reliquis penes se detentis, ad obsidendam, expugnandamque Barchinonam, Duce Ioanne Orco misisset, Rogerius Lauria, eductis celeriter ex portu Tarentino 36. triremibus, hostium classem prævertit, adjunctisque 12. alijs, quæ Raimundi Marquetti jussis parebant, post triduum universo Milite; *Nomen Virginis MARIÆ de Scalis,* invocante, festivoque clamore resonante magno animorum sensu, soluit in occursum hosti, qui jam ad Promontorium S. Philippi sub Solis occubitum advenerat, nec quidquã de Siculis subspicatus, obversis littori proris quiescebat. Inopinatè vero illis ingruentibus, iterumque *Nomen B. Virginis MARIÆ de Scalis* ingeminantibus, somno, metuque exangues, cadunt adversarij penè inulti, & inglorij, & victoriam Messanensibus concedunt propemodum incruentam.

Invocatâ B. V. de Scalis cõsequitur victoriam

Denique inter plures Ioannes de Orco, virtutem, Fortunamque Siculorum, infortunio suo, an ignavia contestatus est. Sed non morati victoriæ cursum isti, Rosam Civitatem, ubi reliquæ triremes 15. hærebant, adoriuntur, quatuor ex illis exurunt, cæteras capiunt, Rosam expugnant, denique adventantem Ducis Brabantiæ onerariam 12. galeis comitatam, quæ inter alia, stipendia quoque militum, & annonum vehebat, in suam potestatem redigunt. Eisdem denique *Virginis MARIÆ de Scalis* fortunatissimis auspicijs, idem Rogerius de Lauria, eam devotè invocando, victoriam de valida, ac numerosa Caroli classe pro Iacobo Aragonio depugnante, ad littora Surrentini Maris *Fœmina gravis aspectus eos captivante,* ut loquitur Neocastro; quæ alia certè non erat, quàm *Beata Virgo de Scalis,* à S. Luca, vultu ad gravitatem composito, plenoque majestatis depicta. Aliæ innumeræ res præclaræ gestæ gloriosi hujus Herois Rogerij celebrantur, quas ille, favente ac patrocinante *B. V. de Scalis,* cui semper fuit addictissimus, perpetravit, adeò ut hâc Virgineâ eum benignè suis favonijs afflante Fortunâ, in omnibus fœlix, fortunatusque evaserit. Quos ille favores esse DEI paræ non ingratus agnoscens, plurima Templa preciosis muneribus locupletata ipsi magnificis sumptibus in Regno Siciliæ ædificavit. *Inter quæ sanè,* ut idem Pater scribit Hincoffer, *censeri potest, insignis illa Platiensis civitatis in meditullio pene Regni Ædes MARIÆ dicata, quam post exactos Saracenos, pacemq; in Regno firmatam, illa Virginis Imagine, quam in Vexillo Pontificiâ Nicolai II. benedictione sacro missum acceperat, velut omnium ingentium victoriarum trophæis in unum congestis nobilitavit, Vt inde certissima religio manarit ad cgnos, Aninstam*

B. V. suo gravi aspectu, ac Majestate hostes terret.

Rogerius de Lauria Vexillum B.V. Imagine insignitum in ejus Templo collocat.

justam DEI Matrem, cuius auspicijs ea bella confecit Rogerius, suæ quoq; Ciuitati fore propitiam, nec duntaxat in bellicis pro Religione factionibus, verumetiam in priuatis ciuium, publicaq; rei necessitatibus, nec ipsi uni Ciuitati, sed cæteris quoq; longe locis dissitis salutarem. Quod cum hactenus non uno miraculo testatum pleriq; norunt, communem ferè, ac semper ratum Ciuitatibus vicinis, Platiensis Virgo fecit religionem ut quemadmodum Hodegetria Constantinopolitana, suum ad Messanenses detulisse censetur omen, ita suam Rogeriana Virgo Fortunam, & auspicium ad Platienses, sed majorem etiam in pace Vrbis, & agrorum fœlicitatem. Et vero credi potest id præstitisse Rogerium, ut quemadmodum Messanensibus, impulsu quorum Religiosum illud bellum susceperit, restituto Vexillo, Virginem quoq; Hodegetriam dono dedit: ita Platiensibus expeditione prosperè confecta, rebusq; pacatis, alterum illud vexillum, religione DEIparæ, vultuq; sacro insigne sua monimentum pietatis, & victoriam tesserâ auspicatò condonaret. Sic ille.

25. Quæ omnia luculenter ostendunt B. Virginem de Scalis Fortunā esse nostram prosperam, ac præsertim Messanensibus, eamque excellentissimam non imminuere, sed multo magis augere Fœlicitatem non modo æternam, sed & temporalem, posseque illos, Scalas hasce Virginis, velut Fortunæ suæ, protectionisque Marianæ Insignia super Auream Archadij Crucem, in rubenti areâ collocare; siquidem per hanc Virginem beatissimam, ac benevolentissimam de Scalis, velut Scuto bonæ voluntatis protecti, tā insigni fœlicitate beati, tantæque prosperitatis compotes facti sunt, ut dici possit id eis evenisse quodammodo, quod accidisse ferunt Veteres Fortunato illi Timotheo Atheniensi, quem ingeniosus quidam pictor dormientem Fortunamque penes, in ejus retia Vrbes (addiderim ego Victorias, honores, ac dignitates, ac demum bonorum omnium refertissimam Cornucopiam) impellentem pinxit. Vnde pijssimus Bernardinus Bustius Par. 12. Marial. ser. 1. clarè asseruit Deiparam gloriosissimam, ijs, qui salutationibus Angelicis, velut suavissimis rosulis, coronam illi contexerent, donare consuevisse ubertatem fructuum, divitiarum, honoris, ac gloriæ, adeò copiosè, ut dormiendo quodammodo locupletari viderentur. Quare jure meritò cū eruditissimo Cæsare Ripa Par. 1. Iconologiæ. Fortunam hanc, Fælicitatemque nostram eminentissimæ arbori insidentem, sceptraq;, ac coronas, torques aureos, galeros purpureos, tiarasq; Sacerdotales, infinita auri, argentiq; talenta decutientem suis cultoribus, ad ipsius liberalitatem repræsentandam possemus exprimere.

Possunt Messanenses ad sua Insignia Scalas B. V. addere.

Fortuna dormienti Timotheo Atheniēsi urbes in retia impellebat.

Cultores B.V. quasi dormiēdo locupletantur.

Imo ipsam Deiparā Arborē esse pulcherrimam, atq; altissimam cœlos ipsos vertice attingentem bonis omnibus, ceu uberrimis fructibus redundantem dicere possumus. Vnde S. Amadeus Hom. 8. *Feramus*, inquit, *animos in sublime, intuentes quod Virga elegantissima, orta de radice Iesse, ramorum suorum mirabili extensione, sese ubiq; terrarum expandit, ut desperatos filios Adæ, ab æstu, & turbine, & pluuia, umbra suâ desiderabili protegeret, fructuq; saluberrimo aleret esurientes. Sublimata igitur super omnia ligna Paradisi, & super altissimorum montium vertices exaltata, ipsos cœlos inæstimabili magnitudine penetravit.* Sic ille, de Virginea hac arbore tam copiosos fructus proferēte; quos omnes hæc Virgo, infinito suo illo in genus humanum amore exstimulante præstare consuevit.

B. V. Arbor altissima cœlos attingens nobisque varios bonorum fructus proferens.

26. Vnde rectè de hac æternæ sapientiæ Matre dici potest, quod Salomon de ipsa increata pronunciavit Sapientia, Iosepho Patriarchæ tot tantisque in sua adolescentia miserijs, infortunijs exercito, tantopere favente, ut ei Sceptrum, Coronam, Regnumq; amplissimum donaverit, ejusque Nominis gloriam, claritatemq; longe, lateq; amplificaverit, eumque fortunatissimum effecerit. Dicamus igitur & nos ad laudem bonæ hujus prosperæque bonorum omnium Fortunæ Virgineæ:

B.V. Iosephū è carcere ad Regnum promovit.

Hæc venditum Iustū non dereliquit; sed à peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum, donec offerret illi Sceptrum Regni, & potentiam adversus eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostendit, qui maculaverunt eum, & dedit illi claritatem æternam. Sap. 10: 13. Quæ omnia castissimo illi Iosepho Patriarchę, sibi puritate quā simillimo, summâ, utpote Mater pulchræ dilectionis exhibuit charitate. Quare quod Pierius li. 39 Hierogl. præstitisse refert Ægyrenses, Fortunæ nostræ jure merito, eodem in Templo associandus esset Amor. Tum ut eam Amoris impulsu, bona omnia mortalibus elargiri, tum ut Amorem nostrū, hac ratione in illam translatum esse fateremur. Tan-

Fortunæ associatus Amor.

Maria amoris impulsu nobis sua bona largitur.

B.V. non est Hedera, quæ complexa suo necat arbores.

27. Tantus porrò Virgineæ hujuscé Fortunæ est in nos Amor, ut non sit ad instar Hederæ, quod Plin. lib. 16. c. 35. de profana Gentilium blandiente dixit Fortuna, quæ complexu necat arbores. Hæc enim cum vera sit omnium viventium Mater, ut eam SS. Patres communiter appellant, & à nobis alibi sæpius ostensum, amore suo dum nos complectitur, dum nobis velut pia Mater arridet, ac blanditur, & præsentis vitæ commoda, & æternæ delitias, cum adhuc miserabili hoc corporis detinemur ergastulo, nos facit prælibare. Quare B. Ioann. Geometra Hymno Primo *DEIparam æterna vitæ, imò & ipsius summi boni Alumnam appellavit.*

Gaude mœrorum Medicina, oblivia fundens,
Æterna vitæ, summi & Alumna boni.

Maria gloriæ æternæ radix.

S. Epiphanius verò lib. de laud. B. V. vocat eam gloriæ æternæ radicem. Fallitur sanè quicunque ad vitam illam, interminabilemque gloriam cupit pervenire, si ab hac radice non haurit, fugitq; humorem gratiæ.

28. Non est Virgo DEIpara Fortuna illa, de qua dixit Aristoteles Eth. 8. quod quanto major est, tanto minus sit secura. Vnde Catharina Angliæ Regina Caroli V. Martertera fœmina sapientissima dicere erat solita. *Se quidem temperatam & mediam quandam Fortunam malle, quam vel asperrimam, vel lenissimam. Alterutra tamen optanda si esset, electuram citius tristissimam, quam blandissimam. Infœlicibus enim non deesse consolationem, fortunatissimis deesse mentem.* Spondanus ad Annum 1536. n. 1. Non inquam hæc locum habent in Virginea Fortuna nostra, quæ semper sibi constans est, semper fidis cultoribus suis eadem fronte inter prospera, adversaque Mater est blandissima.

Catharinę Angliæ Reginę de Fortuna pronũtiatum sapientissimũ.

Maria summa nostra Felicitas, ac securitas.

Cum enim hæc sum̃a nostra post DEVM, & in hac præsenti, & in futura vita sit Felicitas, summa etiam nostra, in quibuscunque tandem casibus, atque adversitatibus est securitas. Quare, securitatem hanc in Virgine agnoscens S. Aug. Solil. c. 12. confidenter illi dicebat: *Tu Mater pupillorum tuorum, audi ejulatum Filiorum tuorum, & extende alas tuas, ut fugiamus sub eas à facie inimici.* Expertus securitatem hanc mellifluus Bern. ser. 8. in Psalm. Qui habitat, ajebat: *Ad omnem tentationem, ad omnem tribulationem, ad omnem deniq; cujuscunq; necessitatem aperta est nobis Vrbs refugij, sinus Matris est expansus. Hoc refugium qui declinat, nihil mirum si effugere non mereatur.* Hinc Petrus Abbas Cellensis lib. de Panibus, cap. 21. ad Altare Atheniensium Misericordiæ dedicatum alludens fortassis: *Domina*, inquit, *Nostra Altare est de terra Sancta, quia refugium est miserorum.*

MARIA Vrbs refugij.

29. Et licet in omni Vita, B. V. nostra summa sit securitas, est nihil ominus in extrema illa vitæ periculosissima periodo, cum Tartarei hostes, omnes vires, furoremque suum, ac rabiem exerunt vel maximè, uti etiam paulo ante exemplis comprobavimus. Quare D. Bern. Senensis Tom. 3. serm. 11. ar. 3. c. 3. inter stellas duodecim Virgineæ illius Coronæ, decimam esse dixit: *In hora mortis subuentionem; Vndecimam Purgatorij Ignis refrigerationem; Duodecimam, in gloria cœlesti omnium lætificationem.* Quid obsecro hac securitate in omni vita nostra securius, quid lætius, quid beatius? Expertus fuit securitatem hanc in morte miser ille, qui ab hoste multis lethalibus vulneratibus confossus, in foveamque abjectus, humo, lapidibusque congestis obrutus, hanc Maris Stellam piè salutabat. Cum enim ad verba illa pervenisset: *Monstra te esse Matrem;* sensit ope Divæ Virginis Montis Serrati, se Divinitus nullo, neque terræ, neque aggestorum lapidum pondere gravari, unde lætus exsurgens tandem post dies aliquot sanitatem omnino recuperavit; ut testatur Anton. Balinghen in Kal. DEIp. 20. Aug.

Maria in morte nostra securitas.

Vna ex Stellis Coronæ B.V. est in hora mortis subventio.

Insigne miraculum B. V. de MonteSerrato.

30. Expertus est securitatem hanc in morte pijssimus adolescens ille, *Ordinis Cisterciensis*, non minus pietate in Virginem, quam genere nobilis B. Guilelmus, qui cum se à pueritia in illa sacra familia DEO, ejusque Matri devovisset, exacto Tyrocinio factaque professione, mox in gravem infirmitatem incidit, lætusque paulo post ad superos evolavit; consummatusque in brevi explevit tempora multa. Hic porro quanta, & in vita, & in morte securitate, ope, patrocinioque B. V. perfruitus sit, Divinitus B. Conrado, Priori eiusdem Ordinis patefactum est. Vidit enim illum in cœlis sub pallio gloriosissimæ Virginis clarâ luce radiantem, miraque lætitia tripudiantem. ex Menol. Cister. 26. Augusti.

Guilelmi adolescentis anima visa in cęlis sub pallio B. V.

31. Expertus est securitatem hanc sub patrocinio Virginis B. Henricus à Castris Prædicatorum Familiæ insigne jubar, qui tanta cum fiducia, ac securitate è vita decess-

decessit, ut cuidam percontanti: Num Purgatorij ignem præteriret intactus? magna cum humilitate responderit: *Beatissima Virgo in hora exitus mei animam meam suscipiet, & supra tercentas animas mecum è Purgatorij pœnis liberas educam.* Iustinus Michoviēsis in lit. B. V. Dis. 231. n. 250.

B. V. à pœnis Purgatorij liberat.

32. Quantâ porrò securitate sub præsidio, ac tutelæ gloriosissimæ Virginis Deiparæ Vniversus ipse Sacer Prædicatorum Ordo gaudeat breviter, sed luculenter Theodoricus de Apoldia c. 16. Vitæ S. Dominici declaravit: Huic Beatæ Dei Genitrici à Divina Majestate commissi sumus, sub hujus alis protegimur, hujus manu benedicimur, hujus gratiæ rore perfundimur, hujus intercessione dilatamur, conservamur, & salvi efficimur. Hæc est quæ B. Dominicum P. N. tanquam servum fidelissimum Filio obtulit, ei sæpe apparuit, illum blandè allocuta est, ei in extremis adfuit. Qua porrò securitate beatissima illa Sanctissimi Patriarchæ anima cœlos petierit, vidit in spiritu B. Gualla Brixiensis. Aspexit enim ea ipsa hora transitus discindi, ac reserari cœlum, indeq; geminas candidissimas, fulgidissimasque scalas submitti, quibus Christus ejusque Virgo Mater inniti videbantur: per scalas hascé innumeri Angelici spiritus tripudiantes animam S. Patris comitaturi descendebant. Inter geminas hascé scalas sedes erat ornatissima, ac preciosissima, in qua S. Patriarchæ anima mira circumfusa luce visebatur. Quæ à Christo & B. V. subductis in cœlum Scalis, concinentibusq; Angelis, magnâ totius curiæ cœlestis lætitia excepta est.

B. V. in Ordiné Prædicatorum benevolentia.

B. V. morienti S. Dominico adfuit.

33. Simili in morte securitate gavisus est ejusdem sancti Patris dilectus Filius B. Vlricus Frisacensis, qui cum de suo ad vitam meliorem transitu Divinitus sine dubio certior esset factus, rogavit Infirmorum Præfectum, ut diligenter everreret cōclave, ad futuras brevi quasdam personas admodum illustres, quæ se inviserent. Nec ita multo post advenere Patres, ut eum religiosis obsequijs de more in cœlum proficiscentem prosequerentur; cum ecce elevata manu, contenta, qua potuit voce exclamat: Secedite Patres, date locum advenienti magno hospiti Iesv Christo. Rursus altera manu protensa: Cedite quoque locum, inquit beatissimæ Dei Parenti. Tum rursus hilari vultu: Ingrediatur S. Ioan. Bapt. S. Paulus Apost. S. P. N. Dominicus. Tum paulum conquiescens, exclamat: Modo Ingreditur S. Agnes, S. Catharina, S. Agatha, aliosque cōplures sanctos Patronos suos fidelissimos, quos sine dubio dū viveret peculiari cultu prosecutus est, nominabat. Quid quæso hac morte securi⁹, in qua Salvator ipse, ipsa Dei Mater terribilis Dœmonibus, ut castrorū acies ordinata tot Cœlitum exercitibus stipata assistit?

B. Vlrico Christ⁹ & B. V. cum Sanctis morienti, adest.

Dicebat olim hic Salvator apud Zach. c. 2: 5. Ero mur⁹ ignis in circuitu ejus. Dicebat similiter & dilectissima ejus Mater Cant. 8. Ego Murus & ubera mea sicut Turris. Quæ verba Virginis, benignitate in mortales plenissima Hugo Card. de S. Charo, ejusdem Ord. insigne ornamentum diligentius expendens: B. V. murus est, inquit, stabilis & firmus nobis ad defensionem & munitionem datus. Murus inquam est per exemplum pudicitiæ & conversationis sanctæ. Murus est devotè eam venerantibus, strenuè imitantibus. Quis quæso gemino hoc muro adamantino, atque aheneo in morte circumvallatus, Turrique illa, de qua mille clypei pendent protectus, insidias Tartareorum hostium perhorrescat, quis non ex summa pace animi, mentisq; securitate dulciter conquiescat?

B. V. murus stabilis ad defensionem.

34. Eandem securitatem hanc à Deipara se habiturum in morte sperans Marcus Marulus Spalatensis Vir æquè pietate, ac prosapia nobilis, ac illustris, qui circa Annum Domini 1490. floruit, affectumque suum in Virginem varijs scriptis tam ligata, quam soluta oratione contestatus est. In carmine itaque illo Francisci Petrarchæ, ad B. V. quod Marulus elegiacis versibus reddidit, incipitque: *O præstans facie &c.* sic misericordiæ Matrem deprecatur:

Marci Maruli in morte erga B V. fiducia.

Iam quoniā teritur tempus mihi Diua supremū
Ne cessa rebus consuluisse meis.
Ecce dies nostri per plurima crimina lapsi,
Hei mihi quam celeri præteriere fuga!
Tam cito Threicio cornu volat acta sagitta;
Ventorum rapidus tam cito turbo volat.
Præteriere dies Mors nigris obstrepit alis
Et curuam falcem jam furibunda quatit.
Tu, rogo me tanto subtractum Virgo periclo
Dirige per vitæ jam melioris iter

Vita nostra volatica.

35. Non est bruta Fortuna nostra, ut illam suam appellavit Pacuvius, nec in illam cadit illud Curtij Historici lib. 3. *Etiam Naturam plerumq; corrumpit Fortuna*

Homines cum se permiscuêre Fortunæ, etiam Naturam dediscunt. Licet enim miseri mortales, bonorum profanæ Fortunæ affluentiâ, ut plurimum extra gyrum rationis evagantes, humanam naturam, ad Dei imaginem similitudinemque conditam vitiorum Sordibus comaculent, ac corrumpant, & velut Circeo epoto Cyatho, in belluas setigerosque sues, aliaque ferarum monstra, miserabili metamorphosi transformentur; illisque, ut Catharina Regina ajebat paulo ante, mens desit, illi tamen, qui se cultui sacrosanctæ hujus Fortunæ, patrocinioque addixêre, si perversis moribus ante corruperunt, ac depravarunt naturam, hominemque quodammodo exuerunt, ejus freti auxilio, carnis, mundiq; affectus belluinos exuunt; humanitatem, præclarissimarumque Virtutum habitus induunt, seseque ad omnem probitatem, animique moderationem, morumque gravitatem componunt, ita ut omnis virtutis speculum, ad correptionem hominum improborum evadant.

Mariæ cultores pravam Naturam dediscunt, ac deponunt.

Vere enim sicut Fortunam Euripides apud Stobæum serm. 88. dixit *esse speculum*, sic quoque fortunatos, cœlesti hac Fortunâ; ad quos quicunque respexerit, mirificos in omni virtute progressus faciat necesse est. Dicat igitur de nostra hac Fortuna Tragicus: *Sicut speculum admotum puellæ, faciem eius arguit, sic improbos homines Fortuna.* Cum enim Fortuna hæc Divina omnis virtutis, sanctimoniæ, puritatisque quoddam sit promptuariũ, ac thesaurus locupletissimus, & ipsam in se Divinæ Majestatis puritatem pulchritudinemque, ut & ipsius attributorum repræsentet, quicunque sanè illam sibi, ob oculos proposuerit, defectus, errores, imperfectionesque suas deprehendat, pristinamque hominis imaginem, similitudinemq; Divinæ conformem in se, assiduâ virtutum exercitatione restituat oportet.

Fortuna est speculum.

Maria omnis virtutis speculum.

36. Verè enim de Virgineo hoc speculo asseverare possumus, quod de his vulgaribus posteritati mandavit Seneca lib. 1. Natur. Quæst. c. 17. ac verè dicere Deiparam easdem ob causas tanquam Crystallum lucidissimum à Deo conditam, ob quas & hæc materialia specula à natura efformata sunt.

Cur à natura formata Specula?

Quorsum, inquit ille, *pertinuit hanc comparare materiam, excipiendarum imaginum potentem? Non in hoc scilicet, ut ad speculum barbam, faciemq; velleremus, aut ut faciem viri poliremus. In nulla re illa negotium luxuriæ concessit. Sed primum omnium, quia imbecilli oculi ad sustinendum cominus Solem, ignoraturi erant formam eius, hebetato illum lumine ostendit. Quamvis enim eum orientem, atq; occidentem contemplari liceat: tamen habit um ejus, ipsum quam verus est, non rubentis, sed candida luce fulgentis, nesciremus, nisi nobis in aliquo humore levior & adspici facilior occurreret. Præterea duorum syderum occursum, quo interpolari dies solet non videremus, nec scire possemus, quid esset, nisi liberius humi solis, lunæq; Imagines videremus. Inuenta sunt etiam specula, ut homo ipse se nosceret. Multa ex hoc consecuta, primo sui notitia, deinde ad quædam Consilium. Formosus ut vitaret infamiam: deformis ut sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset: Iuuenis ut flore ætatis admoneretur illud tempus esse discendi, & fortia audendi: Senex ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura nobis facultatem dedit nosmetipsos videndi. Fons cuiq; pellucidus aut laue saxum imaginem reddit:*

Specula facta à natura, ut in eis in primis solẽ, dein nos ipsos cognosceremus.

Inventa specula ut homo seipsũ agnosceret.

Nuper me in littore vidi
Cum placidum ventis staret mare.

Qualem fuisse cultum putas ad hoc speculum se comentium? Ætas illa simplicior, & fortuitis contenta, nondum in vitium beneficium detorquebat, nec inuentum Naturæ, in libidinem, luxumq; rapiebat. Primo faciem suam cuiq; casus ostendit; deinde cum insitus sui mortalibus amor dulcem aspectum formæ suæ faceret, sæpius ea despexere, in quibus prius effigies suas viderant. Hæc Seneca de causis ob quas à natura inventa sunt specula. Ob easdem dixerim ego Virginem Deiparam nobis datam esse rationes, ut in primis sempiternum justitiæ Solem, quem in suæ Majestatis, Divinitatisque Sphœra homo videre nequit, in hoc Virgineo, animatoq; speculo, hebetato quasi gloriæ ipsius lumine in assumpta carne intueremur. Neque vero Virgineum hoc speculum datum nobis divinitus est tantum, ut Creatorem nostrum in illo agnosceremus, verumetiam ut & nos ipsos, nostra vitia, ac nævos, virtutes quoque perspiceremus, monitumque illud Sapientis, *Nosce te ipsum;* quod è cœlo lapsum cecinit Iuvenalis impleremus. Verè enim aliquo modo dicere possumus de Virgine, quod Averroes de Aristotele pronunciavit: *Creditur quod iste homo fuerit Regula in Natura, quam Natura inuenit ad demonstrandam ultimam perfectionem*

Per B. V. Solem justitiæ, & nosipsos agnoscimus.

Aristoteles est Regula Naturæ.

nem in scientia totius Naturæ. Verè enim Virgo nostra fuit non modò Regula in Natura, sed & in Gratia, quam Natura & Gratia invenit ad ultimam suam perfectionem, in illa demonstrandam.

B.V. Regula Naturæ, & Gratiæ.

Tot enim donis tam Naturæ, quàm Gratiæ decorata fuit, ut extremum suæ potentiæ utraque exeruisse, in ea formanda, atque varijs virtutibus exornanda visa fuerit.

37. Quare tam formosis quàm deformibus, tam iuvenibus, quàm senibus, velut Regula bonorum morum, virtutúmque in illorum actionibus adhibenda est, ut ad eam vitam suam conformantes distortos, perversosque mores corrigére, ac rectificare valeant.

Hinc ut scribit Apulejus lib. de DEO suadere fuisse solitum Avicennam, *ijs quibus os distortum esset, ut in speculo frequentiùs sese intuerentur, quo oris ignominiam verborum honestate contegere niterentur.*

Iis qui oris sunt distorti specula inspicienda.

Hinc S. Ambrosius cum Virginibus DEIparam tanquam virtutum omnium Speculum, Regulamque ab oculos habendam, proposuisset, sapienter ad mores corrigendos suasit: *Hinc sumatis licet exempla viuendi, ubi tanquam in exemplari Magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendunt.* Hoc enim Speculum, si ullum in rerũ natura nos ãte nos statuit, nobisq; nostros nævos, defectúsque ostendit, inque DEI timore conservat, ne unquam à summo Bono, vanis hiscé inconstantis fortunæ ludibrijs decepti separemur. Vnde S. Gregorius Nyssenus Episcopus Hom. 2. in Cant. *Tutissima,* inquit, *nos ipsos conseruandi ratio est seipsum non ignorare.* Et rursᵘ paucis intercalatis: *Bonorum quæ sunt in nobis custodiendorum, est tutissima ratio, seipsum non ignorare, exactéq;, atq; accuratè se scire unumquemq; quid sit, & seipsum discernere ab ijs, quæ sunt circa se, ne imprudens alienum pro seipso custodiat. Qui enim aspicit ad vitam, quæ agitur in hoc mundo, & quæ hic sunt preciosa, existimat digna quæ custodiantur, nescit discernere proprium ab alieno. Nihil enim est nostrum eorum, quæ transeunt. Quomodo enim dominatum obtines in id, quod transit & fluit? Quod si quis separatur ab eo, quod stat, nempè DEO, omnino circumferatur cum eo, quod est instabile, necesse est. Et qui persequitur id, quod transit, & relinquit id quod est stabile, utroq; frustratur; ut qui alterum quidem dimittat, alterum autem non possit retinere. Tali dicitur: Si non cognoscis te, ò pulchra inter mulieres, egredere & pasce hœdos tuos. Hoc est, qui seipsum ignorauit, à grege omnium excidit, simul autem pascitur cum hœdis, quorum statio reiecta est ad sinistram, cùm bonus Pastor oves statuerit a dextris, hœdos autem à meliori sorte segregauit ad sinistrã.*

Cognitio sui quam utilis?

Tuta ratio in se dona DEI cõservãdi, est cognitio sui.

Qui se cõservare vult non transitorijs, sed DEO intendendũ.

Quâ segregatione quid quæso miserabilius, quid infœlicius? Quod tamen nobis omnino contingere necesse est, nisi nos ipsos cognoscamus, nisi jugiter in hoc Virgineæ Fortunæ nostræ Speculo, ex quo virtutum omnium resplendet forma, nos metipsos contemplemur. Agnitâ enim dignitate, nobilitateque hominis, virtutumque pulchritudine, DEO summo Bono, Domino virtutum, qui semper permanet, adhærebimᵘˢ, & à vanis fortunæ volubilis ludibrijs, Mundique illecebris, quæ velut flosculi evanescunt, abhorrebimus. Atq; ita animᵘˢ noster in DEO semp firmus, stabilisq; velut is qui supra firmam petram suũ fundavit ædificium consistet.

38. In Speculo Fortunæ semetipsum, in eoque virtutes omnes Cratinus Philosophus contemplari visus est, cùm exclamavit: *O si fortunatus fiam! aliam verò virtutem nullam desidero.* Idem sanè inspecto attentius Virgineo hoc omnis honestatis Speculo dicere potest quivis Christianus: O si fortunatus hâc verâ Christianorum Fortunâ fiam! O si Marianus, ejusque Clientulus evadam; aliam verò virtutem nullam desidero; quia sicut, teste Sapientissi- Patre Idiota; *Inuenta MARIA, invenitur omne bonum;* sic quoque invenitur omnium virtutum thesaurus. Quam veritatem agnoscens Chrysippus Hierosolim. Presbyter ser. de laude DEIparæ, jure merito illam salutavit: *Salue Radix omnium bonorum, per quam succus sanctitatis, & gratiæ in omnes transfunditur.* Agnovit virtutum, Bonorumq; omnium copiam in Virgine Angelicus Doctor, cum 3. P. quæst. 27. ar. 5. ad 1. gravissimè pronunciavit: *Virgo tantam obtinuit gratiæ plenitudinem, ut esset Auctori propinquissima, ita ut eum qui plenus est, omni gratiâ in se reciperet, & eum pariendo, gratiam quodammodo ad omnes derivaret.*

Habitâ MARIA, virtutes habemus omnes.

B.V. Radix omniũ bonorum, à qua succus gratiæ in omnes transfunditur.

B.V obtinuit plenitudinem gratiæ, ideò, ut esset Autori gratiæ propinquissima.

39. Quantâ porrò plenitudo gratiarum, ac virtutum omnium in Virgine extiterit, Regius Propheta David perspexisse oculis suis Propheticis visus est Psal. 47. v. 9. dum cecinit: *Secundùm Nomen tuum DEVS, sic & laus tua in fines*

bus terra, iustitiâ plena est dextera tua. Quasi diceret: quemadmodum Magnum est Nomen tuum, ô Vniversorum Domine, ac Creator, utpotè quod immensam tuam Essentiam, Divinitatemque declarat, sic quoque laus tua immensa est, atque infinita, quam nulla mens capere, nulla creata lingua valet eloqui, quia immensæ Divinitati tuæ deberet adæquari. Pari ratione sicut immensa est dextera tua, in qua sunt omnes fines terræ, atq; adeò Orbis universus, quam nec mille, imò nec infiniti Mundi complere possunt; sic sanè Iustitia tua, quâ hæc tua dextera plena esse memoratur. Et quænam tandem est hæc incircumscripta, in dextera Dei, tam ingens Iustitia? Audiamus Davidem Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Hæc Regina à dextris Filij est Deipara Virgo, omni Sanctitate, Iustitiâ, Gratiâ, virtuteque plenissima, quæ per antonomasiam ipsa Iustitia, ipsa Sanctitas, ipsa virtutum omnium Collectio appellari potest.

Dextera Dei immensa, in qua est Iustitia

B. V. per antonomasiam ipsa Iustitia dici potest quâ dextera Dei plena dicitur.

40. Siquidem Aristotele teste 5. Ethi. 1. juxta commune proverbium: *Iustitia in sese virtutes continet omnes.* Iustitia hæc Aurea vestis est Cœli Reginæ, circumdata virtutum omnium pulcherrimâ varietate, quas in se mirabili quodam compendio Virgo continet. Quemadmodum enim Iustitia virtus generalis est, omnium virtutum moralium Regina, eásque velut amplissimo Sinu, Regalique paludamento omnes in se complectitur; sic Virgo nostra Sacratissima, Cœli, Terræque Regina gloriosissima, virtutum omnium, tam Theologicarum, quam Cardinalium, ac moralium absolutissimum quoddam est compendium; adeò ut dicere possimus Deiparam ita se ad virtutes omnes, quæ vel in Angelicis Choris, vel Viris justis existunt habere, quemadmodum homo respectu perfectionum creaturarum omnium, quæ in Cœlis, Elementis, mixtis, plantis, arboribus, animantibus, Angelis, dispersæ reperiuntur, ob quarum in se collectionem admirabilem, parvus Mundus appellatus est.

Iustitia est aurea vestis Mariæ cœlorum Reginæ.

Maria virtutum omnium Compendium.

Homo ob perfectiones creaturarum omniũ in se collectas, parvus Mundus dictus est.

41. Quare audiendus hic B. Thomas de Villenova ser. 3. de Nativitate Beatæ Virginis: *Sicut in creatione Mundi in homine collecta est omnis Creatura, ideòq; dictus est Microcosmus: sic in reformatione Mundi in Virgine collecta est omnis Ecclesia, Sanctorumq; perfectio. Vnde Microcosmus Ecclesiæ dici potest; quidquid enim in quolibet Sancto fuit illustre, in illa fuit. In illa gratia Iob; mansuetudo Moysis; Fides Abrahæ; Castitas Iosephi; humilitas David; Sapientia Salomonis; Zelus Eliæ.* Sic iste de consummata, perfectissimaque justitia, ac sanctitate Deiparæ, Sanctorum omnium virtutes continente.

M. Microcosmus Ecclesiæ.

In Maria Sanctorũ virtutes omnes.

42. De hac sanè Cœlorum Regina potiori jure prædicari posset, id, quod Cassiodorus de quadam præstantissima Italiæ Regina celebravit lib. 11. variarum lectionum cap. 1. circa finem. *Hanc si parentum Cohors illa regalis aspiceret tanquam in speculo purissimo sua præconia mox videret. Enituit enim Amalus Fœlicitate; Ostrogotha, patientiâ; Athala, mansuetudine; Munitaírius, equitate; Vnimundus, Formâ; Thorissimus, castitate: Vnalamer, fide: Theudimer pietate, & patientiâ inclytus Pater. Cognoscerent hic profectò universi singillatim propria, fœliciter faterentur esse superata, quando unius præconium cum turba se iure non potest æquare virtutum.* Sic de Regina illa Cassiodorus; quæ longè veriùs de universi totius Regina hac nostra dicerentur. Hanc enim si totius suæ Gentis, inquit Doctissimus noster Pater Didacus Baeza, Regalis illa, & Prophetalis Cohors vellet aspicere, tanquam in speculo sua præconia mox videret. Enituit in ea Abraham Dei hospitio; Isaac incruento holocausto, Iacob, obsequio, Ioseph, Castitate, David Victorijs; Salomon, pace; Isaias contemplatione Seraphicâ; Rachel formâ. Cognoscerẽt in Maria universi veterum virtutum exercitus propria, & fœlices faterentur superata, quando unius Reginæ gloria, cum turba se potest Virtutum æquare.

Italiæ quędam Regina omnes antenatorum suorũ virtutes possidebat

B. V. omniũ avorum, proavorumq; suorum virtutes in se expressit.

Hinc eam ad Cœlos ascendentem adstupent Angeli Cantic. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi Aurora consurgens, pulchra, ut Luna, electa, ut Sol, Terribilis, ut Castrorum acies ordinata?* Res sanè stupore dignissima. Vna Fœmina ascendere cernitur, & in una illa, castrorum apparent acies? Qui fieri potest, ut una cum sit admirationem visarum acierum faciat? Equidem una erat, sed sic universas virtutum veterum formas referebat, ut singuli, qui pro Deo antiquitus militaverãt, apud illam viderentur stare, eorumq; virtutes, perfectionesque luculentissimè repræsentare, atque ita in illam verissimè cadit, illud Sap. 7: 27.

M. castrorum acies ordinata, quia in se Sanctorũ virtutes & potentiã repræsentat.

Et

Et cum sit una, omnia potest. Vna enim revera fœmina est Virgo Maria, verùm quia multorum, imò omnium, tam Angelorum, quàm hominum virtutes repræsentat, est omnipotens, est infinitus quidam Exercitus, est pulcherrima atq; inexpugnabilis castrorũ acies ordinata. Audiendus hic D. Hieronymus serm. de Assumpt. *Admiratur Spiritus S.* inquit, *Quia omnes de Ascensu huius Virginis admirantes facit, quod quasi noui diluculi, Aurora rutilans, ascensu suo resplendeat multis freta, & vallata Sanctorum agminibus. Vnde dicitur; terribilis ut Castrorum acies ordinata.*

M. unà cùm sit, omnia potest.

Vbi advertendum Reginam hanc admirationem non parere, dum ascendit multis freta, & vallata Sanctorum agminibus, hoc enim debebatur summæ Cœlorum Reginæ, ut omnes Cœli Cives, ac Proceres ei honoris gratiâ occurrerent, eamque ad Thronum Filij comitarentur, ac deducerent; sed illud erat quod omnem admirationem superat, quod non in seipsis, sed in una Maria, & suas, & omnium Angelorum, Sanctorumque perfectiones clarissimè expressas intuerentur; ipsaque ex se ordinatissimam instruere Sanctorum aciem videretur.

Angeli mirabantur in M. suas, reliquorumq; Sanctorũ virtutes expressas.

43. Agnovit hanc pulcherrimam virtutum omnium coordinationem in Virgine Cardinalis Damiani serm. de Assumpt. dum illam dixit Virgulam fumi, ex universis aromatis myrrhæ, & thuris, omnisque pulveris pigmentarij compositam. *Vniuersus*, inquit ille, *puluis pigmentarius in Virgine coniectus est, quia in ea virtutum conventus reuerendum sibi thalamum consecrauit; & si cæteris per partes Spiritus affluit, MARIÆ tamen tota plenitudo gratiæ supervenit.* Hæc Dam. Ex cujus verbis Virginem conventum, sacrumque Collegium Virtutum omnium vocitare possumus. De eisdem virtutibus pulveri pigmentario comparatis præclarè etiam D. Ildephonsus ser. de Assumpt. *Odoramenta virtutum spargebat, non qualiacunq; sed universi pulveris pigmentarij, ita ut in ea esset forma, non solùm Virginum, verùm etiam omnium Ecclesiarum DEI.* Atque adeò virtutum omnium, quæ in collectione, & communione Sanctorum resplendent.

In B. V. omnium virtutum est conventus.

44. Agnovit denique veritatem eandem Ioannes Gerson Cancellarius Parif. dum ser. de Nativit. B. Virginis, docuit eam per se constituere Hierarchiam, ac proinde omnium Angelorum, Sanctorumque virtutes, ac perfectiones eminenter in se complecti. *Habet enim Ordo Hierarchicus, secundùm Dionysium*, inquit ille, *ut inferiorum virtutes sint in superioribus, perfectiori modo reposita, quemadmodum Sapientia perfectior est Seraphin, quàm Cherubin. Est autem MARIA super Choros Angelorum per gratiam & gloriam sublimata. Erunt igitur in Virgine perfectiones creaturarum cæterarum, rationabilium, & irrationabilium, atq; Angelicarum eminenti quodam modo reperibiles. Et hoc quam latè pateat ad commendationem Virginis solerter intuenti perspicuum est, & per considerationem intranti campos amplissimos omnium virtutum, donorum, beatitudinum, fructuumq; Spiritus Sancti, & similium.* Hæc ille. Ex quibus inferimus Deiparam Deo esse proximam, omniumque Angelorum, Sanctorumque velut supremam Hierarchiam fuisse perfectiones modo longè eminentissimo complexam. Vocetur ergo Virgo beatissima ipsa in dextera Dei Iustitia virtutum omnium Regina, vocetur perfectionũ, gratiarumq; omniũ quæ in aliquo Sanctorum enituere, collectio.

B. V. Hierarchiam per se cõstituit.

B. V. inferiorum perfectiones in se complectitur.

Hinc suprà citatus Marcus Marulus Deiparam alloquens, in eaque Cœlitum omnium collectam Sanctimoniam demirans, aptè cecinit:

Te gentes populiq; omnes mirantur, & omnes,
Te pariter Divum turba verenda stupet.
Namq; tibi similis sacrarum nulla Dearum
Esse potest, primi sit licet illa chori.
Te casti mores, humilis mens, gestus honestus
Et semper sacro pectus amore flagrans
Effecere quidem dignam, quæ sola maneres
Perpetuum magni Numinis hospitium.

B. V. casti mores, ac virtutes Divini Numinis Hospitiũ effecerunt.

45. Hæc porrò Virginea Iustitia, tunc demum Dexteram illam Dei immensam implevit, tunc hæc Regina dexteræ Dei adstitit, cùm illam Dei, ipsiusque Filius in Cœlos cum anima, corporeque glorioso assumptam in eodem Throno, juxta se collocavit. Audiamus hic D. Anselmum Deiparæ studiosissimum lib. de Excell. Beatæ Virginis c. 8. Vbi Assumptione illius in Cœlum, universas creaturas nobilitatas, inq; æternam gloriam evectas asserens, sic eam alloquitur: *Quia igitur super omnes cœlos in dextera Domini DEI Filij sui benedicti exaltari dignè cognoverunt, eò etiam didicerunt se eidem DEO suo totum debere, quod sunt, quando ea, quæ inter illa, & de illis una tantam dignitatis eminentiam meruisti.* Hinc Sanctus Bernardinus Senensis Tom. 3. ser. 11. cap.

M. in cœlis ad dexteram Filij collocata.

cap. 1. *Gloriosa Virgo, & Mater in anima, simul & corpore glorificata, in Cœlos assumpta est, & ad Filij dexterâ collocata.* Art. verò 2. *Contemplare*, inquit, *DEI Matris altissimam sublimationem quia positus est Thronus Matri Regis; immediatissimâ Coniunctione, quia sedit ad dexteram eius.*

Hinc Guilelmus Abbas; *Si*, inquit, *nuncupatiuus ille Salomon ei quæ fuit Vria, eò quod esset Mater tamen honorem exhibuit, quantum putas intemeratæ Matri suæ, verus Salomon impendit honorem, cùm illam ad se de terris acciuit? dubitandum non est ipsam filialiter surrexisse in occursum eius, positumq; illi esse, ministrantibus Angelis, Thronum iuxta Thronum Filij; eamq; perpetuò sedere ad dexteram eius.* Audiamus & Richardum de S. Laurentio lib. 4. qui honorem illum contemplans à Salomone exhibitum Matri 3. Reg. 2. v 19. verbis illis excessum. *Surrexit Rex in occursum Bethsabee, adorauitq; eam, & sedit super Thronum suum, positusq; est Thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius;* ita pronunciavit: *Excellens est MARIA in singulari ad dexteram Filij consessu, sicut creditur in Throno gloriæ, ipsa enim designata est per Bethsabee Matrem Salomonis Christum signantis, cui de præcepto Filij positus est Thronus iuxta Thronum Regis, seditq; ad dexteram eius.*

Thronus B. V. iuxta Thronũ Filij in cœlis collocatus.

46. Audiamus deniq; B. Guerricum Abbatem, qui excellentiùs adhuc Deiparam à Filio honoratam videtur agnoscere, dum non solùm ad dexteram, verùm etiam in eodem Filij Throno residentem contemplatur; utq; mutuam Filij in Matrem, & Matris in Filium transformationem, amoris vi peractam intelligeremus, docet Deiparam, adeò unitam adhæsisse Filio, ut ipsius Thronus gloriæ effecta sit. Vnde verba illa esse Filij, Dei Matrem in cœlos invitantis, agnoscit: *Veni electa mea, & ponam in te Thronum meum. Non poterat*, inquit, *signantiùs, aut elegantiùs describi prærogatiua gloriæ eius, quàm ut Thronus DEI Regnantis esse diceretur. Nulli siquidem animæ tantâ plenitudine, aut familiaritate, copiam sui Diuina Maiestas videtur indulgere, sicut illa, in qua specialiter, præ cæteris residere delegerit. Promisit quidem Disciqulis in die iudicij sedes ad iudicandum. Promisit idem Agonotheta noster de cœlo spectans, & incitans decertantes,* Apoc. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedem mecum in Throno meo, sicut & ego vici, & sedi in Throno Patris mei. Matri verò, cuius longè differens est, meritum, nihilominus differens promittit præmium. Veni*, inquiens, *Dilecta mea, &c. Parum est ut iudicanti consedeas, nisi & ipsa mihi Sedes fias, ut Maiestatem regnantis eò fœliciùs, quo familiariùs in te contineas, & specialiùs præ cæteris incomprehensibilem comprehendas. Continuisti paruulum in gremio, continebis immensum in animo. Fuisti Diversorium peregrinatis, eris Palatium regnantis. Fuisti Tabernaculum pugnantis in Mundo, eris Solium triumphantis in Cœlo. Fuisti Thalamus Sponsi incarnati, eris Thronus Regis coronati.* Hactenus Guerricus, de Throno, in quo Dei Filius cum Matre sibi ad dexteram collocata consedit.

M. in proprio Filij Throno sedet.

B. V. ipsa Sedes facta Filio.

O verè immensam Dei infiniti dexterâm Iustitiâ hâc Virginali plenissimam; O Iustitiam, ac Sanctimoniam Virgineam, similiter immensam, atque infinitam, quæ immensam illam, infinitamque Dei ter Opt. Max. dexteram implere potuit. Fœlix ergo, Fortunatusque, ille omnino censendus est, qui Fortunam hanc propitiam sibi, in hac vita reddere studuerit, ei siquidem nulla unquam Virtus deesse poterit. Habebit enim infinitam illam, immensamque Iustitiam, virtutem pulcherrimam, virtutem generalissimam, virtutes omnes, summâ cum perfectione complectentem, atque ita sempiternæ illius fœlicitatis gaudia, dum adhuc hujus vitæ fragilis detinetur ergastulo, cùm gratiarum omnium copiosissimâ effusione delibabit; firmissimamqe spem habebit, se tandem in illa Beatorum sempiterna fœlicitate Matrem hanc suavissimam, in cœlis cum Filio regnantem, ad ipsius dexteram residentem, æviternum contemplaturum.

47. Interim dum hic vivit, confidat de Bonitate Virginis, confidat, inquam, se de infinita illa ipsius Iustitia, ac Sanctitate, de plenitudine gratiæ participaturum, si præsertim castissimo ipsius velut pudicissimæ Sponsæ amore cor ejus exardescat. Hanc porrò gratiarum communicationem, quam prôptè nobis Virgo exhibere desideret, suo illo cum Ioseph castissimo Sponsalitio, videtur ostendisse. Cùm Mulier, ut loquitur Apostolus, sicut sui corporis, ita & aliorum, quæ ad ipsam pertinent, potestatem non habeat, sed Vir. Atq; ita Virgo nostra sanctissima in Iosepho nobiscum omnia sua communicare, liberalissimè visa est. Vnde D. Damascenus Orat. 1. de Nativitate B. V. ait illam

M. suo Sponso Iosepho sua omnia & in illo nobis communicavit.

B.V. sibi soli nata non est.

illam sibi soli minimè natam fuisse. Sic enim eã alloquitur: *Vitam habebis naturâ præstantiorem, non tibi soli, nec enim tui causâ progenita es.* De hac cum Sponso gratiarũ suarum communicatione præclarè D. Bern. Sen. Tom. 3 serm. de S. Ios. ar. 2. c. 1. *Cum, inquit, Beatissima Virgo tot, ac tanta impetret peccatoribus, sceleratis hostibus sui Filij, quanta putas impetrasse charismata huic tam Amoroso, tam solicito, & postremo nutritio, Sponsoq; sui pudoris, castissimoq; Amatori? Ad hac cum omnia, quæ sunt Vxoris sint Viri, credo quod B. V. totum thesaurnm cordis sui, quẽ Ioseph recipere poterat, ei liberalissimè exhibebat.*

B.V. Spõso suo Ioseph totũ Thesaurũ cordis sui exhibuit.

48. Optat quis cum Virgine virtutum ipsius eximiarum habere communicationem, deque cordis ipsius purissimo thesauro, sanctimoniæ, puritatisque divitias, nunquam perituras participare, atque ita demum fœlix, fortunatusque evadere? castissimum cum illa à primis adolescentiæ annis connubium ineat, ipsius cultui, Patrocinio, amorique contendat esse quam addictissimus, ut verè dicere possit cum sapientum Sapientissimo, Sap. 8. v. 2. *Hanc amaui, & exquisiui à juuentute mea, & quæsiui mihi eam in Sponsam assumere, & Amator factus sum forma illius: proposui hanc adducere mihi ad conuiuendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis suis, & erit allocutio cogitationis, & tadij mei.*

Aliqui Fortunam suã in Stellis constituũt

49. Quod si quis cum Astrologis in stellis, horoscopis, eorumque benignis influxibus suam Fortunam, fœlicitatemque sitam esse putet, is sanè si pietatem in Virginem cordi suo radicatam à primis unguiculis experiatur, fœlix fortunatusque censendus erit. Adeò ut ei occinere possimus cum Papinio Statio:

O sidere dextro.
Edite, magna tibi superum indulgentia fauit.

Licet enim, ut judiciarij Astrologi ajunt, stellæ quædam mortem, aliæ vitam portendant, Virgo tamen nostra, cui consuetâ benignitate affulgere fuerit dignata, non nisi vitam, & vitam beatam, fœlicem, faustissimamque per mare periculosissimum hujus sæculi navigationem, inque beatæ patriæ portum ingressum prosperrimum portendit. Vnde Hesichius Presbyt. Hieros. ser. de laud. Deip. *Iste, inquit, denominat eam Matrem lucis; ille stellam vita.* Ipsa enim est Stella nostra, juxta nominis sui sacrosancti ethymologiam. Quid enim aliud Maria, quam ex communi Patrum sententia, Stellam Maris significat?

Maria Stella vitæ, fœlicitatem nobis annuncians.

50. Sic enim inter alios B. Petrus Damiani Card. Serm. de Epiphan. *MARIA Stella maris,* inquit interpretatur. *Mare hic mundus est, ut canit Dauid* Psal. 103. *Hac mare magnum, & spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus. Merito ergo Stella maris dicitur, quia ipsa tanquam sydus singulare refulsit in mundo; & cuius splendor illuminat mundum, & ex se radium illum emisit, qui illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum. Talis est Stella nostra, talis est Virgo MARIA, talis est Stella maris, quæ reliquit nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius, talis etiam debet esse anima nostra;* lucem nimirum ipsius Virtutum adinstar cujuspiam Stellæ, ejusdemque viuam spirantemque vitæ imaginem in se repræsentans.

Maria Stella Maris.

M. Stella, cujus lucẽ tanquam vestigia se qui oportet.

Audiamus Angelum Politianum Poëtam Christianum, qui Hym. 1. de B. V. sic modulatus est, eandẽ alloquens;

Tu Stella maris diceris,
Quæ nobis inter scopulos,
Inter obscuros turbines
Portum salutis indicas.

Simili eandem extollunt laude plerique sancti Patres, ut Disc. 7. ostendimus.

Audiendus hic quoque Marulus Spalatensis in elegia de B. V. supra citata, ubi sic de hac fælicissimi ominis Stella modulatus est:

Virgo potens lucis, tenebrarum nescia, nostra
Fluctibus in medijs sydus, & aura Ratis.
Aspice quam sæva feriant mea vela procella,
Concutiantq; meum quanta pericla caput.
Affer opem misero, lasso succurre clienti,
Auxilium tardet jam mora nulla tuum.

Et quia se in senium vergere, horæque mortis vicinum esse sentiabat, rogare pergit Dei param, ut sibi tanquam Stella propitia, benignissimâ sua luce tunc affulgescat. Se enim spem suam omnem in ipsam collocasse; Vnde ita prosequitur:

Marci Maruli Spalatensis spes in B. V.

Exigit hoc atas, albent mea tempora canis
Pallent ora, cutem ruga senilis arat.
Caligant oculi, patula surdescitis aures
Vix geritis tremuli dorsa repanda, pedes
Deniq; ad extremos aui peruenimus annos
Nec tamen auxilij spes mihi parua tui est.
Peccaui fateor, quis enim sine crimine viuit?
Sed rogo ut ipsa meis jam medeare malis.
Ne super his coluber possit ridere superbus,
Meq; tuam frustra poscere dicat opem.
Tanquã non semper promptũ tibi soluere vinctos
Aut non concessum justificare reos,

B.V. semper est promptũ solvere vinctos, & justificare reos,

Quin

Quin potius sis Virgo memor, quia culpa reorũ,
Te Matrem veri fecerit esse DEI.

Quæ sanè vel sola recordatio inducere debet Virginem, ut suis præsertim clientulis, tum in omni vita, tum in morte, tamquam propitium sydus affulgescat, eosque fœlices, beatosque efficiat.

Fœlix, qui sub Stella maris nascitur, & à pueritia ipsã amat.

51. Fœlix igitur planè quicunque sub hac Stellâ nascitur, ac vivit, oculos suos assiduè in illam intendens; experietur enim copiosos se hujus Divinissimi syderis influxus hausisse, candidamque Fortunam in ædes suas immigrasse.

Intueamur sub hac Stella natum Ioannem Baptistam. Quàm copiosis, DEVS immortalis, Divini hujus syderis influentijs infundi meruit? Quam fœlix, quàm fortunatus evasit? De hoc idem Card. Dam. loquens serm. 1. de S. Ioanne Bapt. *Fœlix homo*, inquit, *qui fœliciter Cœlorum perambulans officinas, cursu velocissimo sequitur Redemptorem, quem summa fœlicitatis immensitas largius irrorauit.* Et quam tandem summæ fœlicitatis immensitatem hanc esse arbitramur? Fœlicitas summa, ac immensa est Incarnatum Verbum, ejusque Parens sacratissima, quæ concepto, de Spiritu S. DEI Filio exsurrexit mox, abijtque in montana cum festinatione; & introivit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Sensit illicò Infans salutares benignosque Divinissimorum illorum Syderum aspectus Matris, & Filij ejus utero adhuc delitescentis, tantamque Fœlicitatis immensitatem dissimulare non valens, præter omnem naturæ ordinem lætitiâ admirabili exultans copiosissimis Spiritus S. charismatis perfundi meritus est.

S. Ioann. Bapt. nat9 sub Stella maris fœlix evasit.

S. Ioannẽ Bapt. summæ Fœlicitatis immensitas largius irroravit.

S. Ioann. Bap. benignos DEIparę velut Stellæ influxus expertus est.

51. Sensere plures alij etiam posterioribus sæculis Virginei, benignissimiq; hujusce syderis sibi affulgentẽ, fœlicitatemq; æviternã portendentem Radium, quẽ ego cũ jã citato Damiano, & S Bern. Hõ. 2. sup. Miss. dulcissimũ ipsius purissimi ventris Fructum, ipsum IESVM perfectissimam consummatamq; beatitatem Sanctorum omnium appello. Hos ego fœlices, hos verè beatos, ac fortunatos esse dico, quibus lucidissimum hunc Radium communicare, ostendere, eoque clientulis suis affulgescere etiam in præsentis vitæ statu non est dedignata. In horum hominum fortunatorum, ac fœlicissimorum numerum, merito nobis reponendus est, Sanctus ille Senex Simeon, qui de manibus Virginis Matris tanquam Stellæ fortunatissimæ accepit IESVM in ulnas suas, sentiensque se jam plene tanto bono habito, summa fœlicitatem adeptum, totus gaudio plenus exclamavit: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, Lumen ad revelationem gentium, &c.* Cujus sanè fœlicitatem in summi Boni tam arctis amplexibus agnoscens B. Guerricus, Abbas ser. 2. de Purif. de ardentissimo ejus amore, cœlique quibus perfruebatur delicijs ita pronunciavit. *Quid autem putamus Unctus iste* (Christus videlicet, quem tenebat in amplexibus) *qui ungit etiam quos non tangit, quomodo candidum, & sanctum pectus senis nostri perunxerit, cum suscipiens illum in ulnas suas, adstringeret eum uberibus suis, & gestiret includere, si posset in intimis cordis sui? Quid, inquam, putamus ille suavis & mitis, qualem insinuabat seipsum castissimo sinui pij senis, qualis illabebatur medullis, quam delectabilem & salubrem, imo quam omnino ineffabilem, se implicabat ossibus, inspirabat sensibus? Prorsus liquescebat Unctus in unctionem, quasi ad ignem resolutus ad amplectentis amorem, ut nimirum doceret Unctio, quia Unguentum exinanitum est nomen ejus.* Quo Vnguento sanè suavissimo pectus sancti senis delibutum, ita accensum est, ac recreatum, ut æternæ fœlicitatis gaudia jam hic degustare sibi videretur.

S. Simeon à B V. fœlicitatus accipiens IESVM in ulnas suas

O verè sydere dextro
Edite, magna tibi superum indulgentia favit.

52. Eadem fœlicitate fœlicitatus est B. Vir ille verè re & Nomine Fœlix Seraphici Cappucinorum, Ordinis illustre jubar, qui sub hoc Virgineo sydere fœlicissimo natus, ejusque influxibus mirè totius vitæ decursu afflatus, ac benignissimis ejus aspectibus assiduè visitatus esse videbatur. Vnde tanquam eam præsentem sibi cerneret etiam, dum victum pro fratribus emendicaret, Rosarium, continuè terens Virginem salutationibus Angelicis, absque intermissione venerebatur. In ejus honorem cantiones spirituales componebat; ei sacros dies, ac solennes miro animi animi sensu celebrabat; ac præsertim Virgineum ejus Partum, ad quem qua pietate colendum sese disponeret, & ad eamdem sæculares induceret vix dici potest. Pietate hac in Virginem, ejusq; Partum accensus solitus fuit, quot annis Præsepe in Choro Christo Domino erigere, ad quod ipse genibus nixus orans totus

B. Fœlix Capucin9 à B.V. fœlicitatus.

B. Fœlix Præsepe quot ãnis erigebat Infanti Iesulo.

totus in lacrymas solvi videbatur.

B. V. Coronam quam devotè dixerit.

Sæpius dum salutationibus Angelicis, velut Rosulis Coronā Deiparæ contexit, cogebatur tam gratum illud superis ministerium interrumpere, ob amoris vehementis, quo in Parvulum Iesvm, ejusq; Matrem Virginem ferebatur excessum. Die quadam cum immensum Dei amorem, quo impulsus in utero Virginis homo fieri, deque ea nasci dignatus est, contemplatur, tanto amoris æstuavit incendio, ut ad ardorem illum mitigandum Filium à Deipara sibi dari postularit, & impetrarit. Atque ita fœlicissimi hujus Syderis radio illustrari meruit, ut non illum ad pedes, uti olim Solem Darius, sed inter ulnas habuerit. Mox enim ejus ardentissimis desiderijs, ac suspirijs provocata ei sese visendam exhibuit, eiqué suavissimum suum Filiolum Iesvm, Cœlitum, humanique generis delicias amplectendum tradidit. Lucidissimo hoc calentiq; Virgineæ hujus Stellæ radio, tunc pectus nimirum Fœlicis adeo calefactum est, ut anima ejus amoris dulcedine liquefieret, totusque amoris vi, lacrymarumque ubertate resolvi videretur. Denique Beatus hic fortunatusq; sub hoc Virgineo Sydere Fœlix, ultimum suæ Fœlicitatis accepit complementum. Nam sub finem vitæ, ipsi apparens Deipara, velut sydus lucidissimum, benigno suo aspectu illum exhilaravit, simulque ad cœlestem Fœlicitatem invitavit. Kal. B. V. 18. Maij.

S. Fœlix ad æternā Fœlicitatem à B. V. invitatur.

53. Eadem Stella Virginea Radium suū mortales fœlicitantē communicavit varijs præsertim Virginibus Ordinis D. Dominici, easq; gratiæ suæ benignis influxibus beavit, ut videre est apud Iustinum Michou. Disc. 235. n. 184. Inter has jure censenda est B. Agnes de Monte Politiano, quæ in assumptæ ad cœlos Virginis die cū obnixè postulasset, ut sibi dilectissimū suum Filiolum, animæ sua Sponsum amplectendum, atque deosculandum exhiberet, annuit pijs ejus Virgo nostra desiderijs, eique Filiolum in ulnas tradidit, Quæ quibus incesserit lætitijs, quibus delibuta fuerit delicijs, quis pro dignitate explicet? Tandem cū castissimis ejus sat diu fruita Agnes fuisset amplexibus, & dulcis Puellus sinum repeteret Matris, ne totus sibi abiret, Crucē auream, quæ ad instar monilis puelli de collo pendebat, Agnes, pia violentia abstraxit, sibique in æternum ipsius erga se amoris mnemosynon, dum viveret, asseruauit. Quæ in hodiernum usque diem eo in Templo, in quo ejus corpus requiescit, ostenditur, ut videre est in Clementis VIII. Bulla Canonizat: ejusdem sanctæ.

B. Agnes de Monte Politiano à B. V. fœlicitata.

54. Quid de B. Lucia Narniensi dicam, quæ quinquennis in renella illa ætatula mira hujus Syderis perfusa luce, cum totā se Virginis, ejusque Filij mancipasset obsequijs, & salutationibus Angelicis serta utrique coram alabastrina eorum Icone in Templo D. Augustini contexeret, audivit aliquando ab illa statua Dei Genitricis vocem illam amabilissimam: *Visne Lucia Filiolum meum habere; tecumq; illum deferre?* Illa annuente & cupidissime expetente, alabastrinum illud simulachrum brachia protendit, & Filiolum plane vivum in Luciæ sinum deponit. Illa tanto thesauro, ac bobono beata, ac fœlicitata, ingenti animi lætitia, cordisque tripudiò domum Infantulum refert, eoque triduo omnino in suo cubiculo summis perfusa gaudijs, ac spiritus cupedijs, castissimis ejus hærens in amplexibus perfruitur: absoluto triduo, ubi donis, ac gratijs suis Sponsam suam beasset Puellus, prodigiosè sese Matri restituit, & Virgo quæ illo triduo, suo dulcissimo carere visa fuit pignore, rursus suas recepit delicias, veramque animæ suæ beatitatem.

B. Lucia Narniensis à B. V. fœlicitata.

55. Eadem fœlicitate Sydus hoc Virgineum, suum communicando radium, gratiarumque suarum influxum, beatam, fortunatamque reddidit B. Gertrudem, quæ in choro cum reliquis monialibus ante Imaginem Deiparæ constituta obnixè cum lacrymis postulabat sibi veniam suorum peccatorum à Filio, & tandem æviternam fœlicitatem impetrari. Dum his desiderijs æstuat, videt ecce parvulum Iesvm, qui in gremio Matris considebat protendentem expandentemque sensim ad se manus, verbisque illis dulcissimis affantem: *Soror Gertrudis en fidem meam tibi obstringo, te nunquam vel à me, vel à Matre mea deserendam. En jam ego propitius sum tibi, peccatisq; tuis, quæ ex hac die memoria tua excidant.* His auditis Gertrudis mirè exhilarata manum suam dexteram manui Salvatoris, stipulationem quodammodo ineundo inseruit. Quæ mox à reliquo infantuli prodigiosè avulsa corpore, in dextera Gertrudis ad promissionis, stipulationisq; jam factæ confirmationem hæsit, nec unquam ulla prorsus arte dein-

B. Gertrudis à B. V. fœlicitata.

Iesus stipulatā manu B. Gertrudi promissa confirmat.

ceps statuæ agglutinari potuit. Hanc se vidisse testatus est Conradus Zittardus, Prior Provincialis Teutoniæ, quæ in perpetuam Divinæ erga Gertrudem benevolentiæ, promissæque æternæ fœlicitatis signum in hodiernum usq; diem ibidem asseruatur.

56. Eodem Virgineo, afflata fuit Sydere, aspectu dignata, ejusdemq; fœlicitata Radio B. Sanctimonialis Benevenuta, quæ Natali Christi die, quo quasi ex Stella Virgine IESVS Infantulus processit, velut lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, cum ardentissimis Christum recens natum videndi, complectendique æstuaret desiderijs, mox benignissima DEI para sese ei ostendit, natumque suum dilectissimum in ejus sinum immisit, quæ eum ad horæ unius spacium arctè complexa, quantis cœli delicijs, ac gaudijs delibuta, ac fœlicitate fuerit, quæ mens capere, quæ lingua eloqui valeat?

B. Benevenuta à B. V. fœlicitata.

Simili fœlicitate. Virgineo hoc sydere afflatæ, dignæ fuere sacræ cõplures Virgines ejusdem sanctissimi Ordinis, inter quas idem P. Iustinus numerat Osannam Mantuanam, Eustachiam Ferrariensem Catharinam Ricciam, & Columbam Reatinam. Quæ omnes cum pietate erga DEIparam cordi suo radicatam infixamq; haberent, sub fœlicissimo dextetrimoque hoc ejus Sydere natæ fuisse visæ sunt. Vnde & hoc Divinissimo ejus radio, nempe dulcissimo Filio, omnis veræ fœlicitatis fonte irradiari, ac fælicitari dignæ habitæ sunt.

57. Sed ad Ioannẽ Baptistam genuinũ Virgineæ hujus Fælicitatis Pullum revertamur, quem illa perfectissimè sanè suis eximijs favoribus fortunatum reddidit.

Si enim fælices illi fortunatique olim censebantur Infantes, quos in lucem editos Deorum aliquis, Dearumvé de terra levasset: quàm felix fortunatusque erit Ioannes quem ipsa DEIpara de terrâ sublatum, Virgineo sinu complecti non est dedignata? Audiamus jam memoratum Cardin. Damia. ex quorundam piorum sententiâ loquentem eodem Serm. *Ipsa DEI Genitrix felicem puerum primum de terra leuauit, & cognata partum, omni prosecuta est seruitute. Quocunq; autem modo rei hujus veritas decernatur, illud pro certo certum est, quia non parum contulit Puero nascituro tam felix, & morosum intemerata Genitricis hospitium.* Sic ille.

B. V. Ioan. Bapt. natũ de terra levavit.

Idem refert Petrus Riga in M.S. comment. super Lucam, ubi ita canit:

Mansit ibi per tres menses sacra Virgo ministrans
Cognata, donec cœlitus illa parit.
Iustorum liber docet hoc, quod Sancta refertur
A terrâ Puerum Virgo leuasse prius.

Ex quibus sanè DEIparæ favoribus, colligere vel tunc licuit, Ioannem ex benigno hujus fælicissimi Syderis aspectu fortunatum fœlicissimumque evasurum.

Quod indicare nobis fortè voluit Virgo ipsa cum Prov. 8. v. 17. dixit: Meum est consilium & æquitas. Seu ut alij, teste Patre nostro Salazar legunt: *A me est consilium & Fortuna.* Fortunatus esse cupis? in Sydus hoc irretortos habeto oculos; illud, mihi crede, Auream Fortunam, Felicitatemque in domum tuam advolare faciet.

58. Si enim illis, qui sub Capricorni signo nascuntur, summa, si credimus Astronomis, portenditur Felicitas, ut testatur Pier. li. 59. Hieroglyph. (unde à Platonicis Deorum Porta, per quam animæ solutæ corpore, in cœlos ascendunt, est appellatum; & proinde in Augusti Cæsaris nummis, ad felicitatem ejusdem notandam visebatur) quæ tandem beata felicitas, prosperaque Fortuna continget illis, qui sub Virgineo hoc Sydere nati, totius suæ vitæ cursum benignissimâ ipsius perfusi luce, atq; influxu transigunt? An non fælici Sydere ortus dici potest S. Bernardinus Senensis, qui ipso die Natali DEIparæ sacro in hanc est editus lucem, uti ipse, pro concione testatus est, ipsa die baptizatus, ipso die Religiosam vitam inijt, ipsa Professionem edidit, ipsa Sacerdotio initiatus est. Et quia fortunatum se fuisse vitæ totius curriculo sub hoc Sydere agnoscebat, optabat etiam eodem die, sub tanti, tamque fælicis syderis benigno aspectu emori, ut per Virginem velut Deorum portam, vel cælorum Scalã, ad beatissimam illam fælicitatem valeret introire.

Capricornus Signũ fœlicitatis

S. Bernardinus Sen. natus die Nativitatis B. V. dextro sydere editus censendus est.

59. Sub hoc dextro, fælicique Sydere cœlo quoque natus fuit B. Thomas de Villanova Augustinianæ familiæ jubar præclarissimum, cum ei ipso die fœlicissimæ Nativitatis DEIparæ mori, ex prædictione ipsius Salvatoris contigit. Cum enim Vir hic sanctus, Archiepiscopus esset Valentinus, & nimium quantum affligeretur ob munus Episcopale, & sub onere illo, ut loquitur S. Bern. Angelicis humeris formidãdo, assidue gemeret, timeretq;, uti ajebat ipse, ne excluderetur numero Beatorum, quia fuisset de numero Præ-

B. Thomas de Villanova mortuus natali die B. V. fœliciter cœlo natus censetur.

ro Prælatorũ, & coram effigie Christi de Cruce pendentis prostratus deploraret, ubertim obortis labrymis sortem suam; dum preces has aliquando die ipso Purificatæ Virgini continuaret, & anxius salutem suam Domini misericordiæ cõmendaret, audivit vocem hanc Crucifixi Domini ore prolatam: *Æquo animo esto, in die Nativitatis Matris meæ venies ad me.* Promissionemque hanc adeo gratiosam, novo miraculo benignissimus Dominus confirmavit. Os enim Crucifixi loquentis, quod ante clausum fuerat, deinceps apertum mansit, & in hodiernum usq; diem visitur, dentibus tam perfectè apparentibus, ut optimi Sculptores negent ullo artificio simile quid fieri posse. Neque verò futuræ ipsius in cœlo fœlicitatis testimonium dedit Christus, dedere quoque ejus membra pauperes ipsi post ejus mortem. Funus enim ipsius octo millia, & quingenti omnino pauperes Patris sui mortem lugentes prosecuti sunt. Erat enim pauperum adeo amans, ut Eleemosynarij nomen acceperit. Quod si Eleemosyna ala dicitur, qua oratio nostra cum jejunio velut pennis in cœlum sublevatur, quis dubitet Sanctissimum virum hunc cœlesti Fœlicitate potitum, cujus animam, non modo intercessio Virginis Matris misericordiæ, (cujus natali die diem suum obijt, ut longè fœliciori æviternum viveret) verùm etiam tam ampla Eleemosynæ operaq; misericordiæ pauperibus exhibita in cœlum extulerunt.

B. Thomæ Crucifixus prædicit mortem in festo Nativit. B. V.

60. Eodem fœlici sydere cœlo natus censendus est magnus ille Franciscus Retza, Ordinis Prædicatorum, & Viennensis Academiæ decus, Doctorq; Theologus, de quo Discur. 8. plura recensuimus. De illo Ioannes Nider: Tam fuit, inquit, Deiparæ studiosus, ut neminem eo studiosiorem viderit, numquam dulce Nomen Mariæ ejus feriebat aures, quin statim Salutationem Angelicam recitaret. Idem faciebat ubi ipsius Iconem conspexisset, memor pij illius moniti:

Franciscus Retza moritur die Nat. B. V.

Virginis intactæ dum prateris ante figuram
Prætereundo caue, ne sileatur Aue.

B. V. Imago salutanda.

Hic demum 84. annos natus cum in commentatione rerum ad honorem B. V. spectantium assiduè colliquesceret, die Nativitatis ejus, inter suæ devotionis Mariana solemnia lætus exspiravit, concinens fœlici planè omine Canticum *Salve Regina.* Sperabat nimirum eo die, sub ejus faustissimo Sydere se nasciturum in cœlo, eamque se visurum in gloria, ipsiusque sicut & Filij misericordias æternum cantaturum, & ab illa vicissim benedictum fructum ventris suæ Iesvm sibi ostendendum, in quem omnes suas voluptates, ac delicias, honores, ac divitias jam pridem collocarat. Vnde Tomo 1. in Salve Regina magno pietatis affectu, cum petitionem illam ad Virginem: *Et IESVM benedictum Fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende;* secum expendisset, rogassetque, ut & in hoc, & post hoc exilium sibi Iesvm benedictum ostenderet: siquidem Spiritus S. omnes animas invitat ad eum videndum diademate Virgineæ ipsius carnis coronatum: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua, in die desponsationis, & lætitiæ cordis sui.* Cant. 3. Vbi inquam hæc præmisisset, adiunxit: Igitur ò tu clementissima Domina nobis in præsenti exilio ostende Iesvm in corona miseriæ, qua est à te coronatus, de illibata tuæ carnis substantia, tanquam de auro & margaritis preciosissimis ab Aurifabro Spiritum S. fabricata, & capiti ejus, id est, Divinitati, (quia caput Christi Devs) mirificè imposita, & adaptata. Ostende igitur nobis in exilio Iesvm, ut Salvatorem efficacissimum salvantem à languore noxio. Vt Doctorem sapientissimum dirigentem in erroris devio. Ostende ejus nitorem roseum, animantem nos in peccati prælio. Vt dulcorem intimum, dulcorantem nos in hujus vitæ absinthio. Vt oratorem & deprecatorem optimum, patrocinantem nobis in omni nostro negotio. Vt amatorem & amicum fidelissimum consolantem nos in huius plorationis ergastulo; & adjutorem fortissimum defendentem ab hostium impetu. Ostende Iesvm se nobis exhibentem ad salvandum extento brachio, & respicientem misericordiæ oculo. Ostende recipientem reum cum pacis osculo. Ostende compatientem misero populo. Ostende præcedentem nos virtutum exercitio. Ostende attrahentem gratiæ beneficio. Ostende relucentem in creaturæ speculo. Ostende conducentem nos in cœlum de præsenti sæculo: & hoc totum est in tuæ potestatis situm præsidio, quod tu Benignissima clementer attende, & modis his omnibus nobis

Oratio Francisci Retzæ ad B. V. ut sibi Filium ostendat.

Pius affectus Retzæ in Iesvm.

in hoc exilio IESVM ostende. Rogat deinde sibi à Virgine post hoc exilium, ut nostram perfectissimam Beatitudinem, securitate, & gaudio plenissimam, ostendi IESVM, in quo status verè invenitur, omnium bonorum aggregatione perfectus, qui mirum gaudium beatis omnibus, in omnes pariet æternitates.

Pars beatitudinis Sanctorũ, est securitas nũmquam illã amittendi

Et quia S. Anselmus lib. de similit. c. 71. Bonos ait post hanc vitam perfectum gaudium habituros, non solum quia partes omnes beatitudinis possessuri sunt, cum securitate illas nunquam amittendi, sed etiam ad cumulum suæ beatitudinis aliud gaudium habituros, unde magis gaudere possint, alterius videlicet beatitudinem, quam quisque, ut suum amabit: ideò rogat sibi Humanitatem Christi fratris nostri amantissimi, nec non decoram ejus faciem ostendi, quo plenissimo, atque exuberanti gaudio undequaque perfundatur. Si enim S. Anselmus de participatione gaudij aliorum Beatorum dixit: O quot & quanta gaudia quisque obtinebit, qui de tot & tantis beatitudinibus Sanctorum jubilabit; quid de beatitudine Sancti Sanctorum, & Sanctæ Sanctorum omnium Reginæ beatitudine gaudij percipiemus, quali demum de ipsius beatitudine DEI, quem supra nos ipsos amare tenemur, lætitiâ perfundemur? Gaudium erit nobis intus, & extra, gaudium sursum, atque deorsum, gaudium circum circa, ubique gaudium plenum. Dum igitur tanto affectu Vir hic pientissimus sibi à Deipara IESVM ostendi postulat, simul postulavit non modo Humanitatis, sed etiam Divinitatis ipsius beatificam faciem, imo & suam, gratiarum plenissimam ostendi. Cum enim B. V. sit Mitraton creatura illa apud Hebræos admirabilis, quam Principem facierũ vocant, quæ potestatem habet nos ad faciem Divinam contemplandam introducendi, dum hoc circa nos ministerio fungitur faciem suũ à nobis abscondere poterit. Atque ita certò sibi persuadebat Vir hic in Virginem pijssimus, dum adeò ferventer Virginem deprecabatur, se mediante illa, tanquam Stella propitia Fœlicitatem perfectissimam, æviternamq; indepturũ.

Beatitudinis cumulus, est gaudium de alteri9 fęlicitate, ut Christi & B. V. & ipsius etiã DEI.

O quam fœlices, fortunatique futuri sunt ij in ultima illa vitæ periodo, à qua æterna nostra Fœlicitas, aut Infœlicitas dependet, qui in Sydus hoc Divinissimum intendentes mentis oculum, animam in manus Creatoris sui exhalabunt? Aderit illis tunc pro innatâ sibi pietate Virgo clementissima, ipsa adversus infidelitatis tenebras, quas Tartarei illi ea hora offundere solent Tenebriones intellectui lucem porriget, illa hos in spem salutis eriget, illa charitatem ad DEVM super omnia amandum tanquam Mater pulchræ Dilectionis suggeret, per illamq; velut, per Deorum Portam, per quam omnes Sancti, qui cœlestis gratiæ beneficio Divinæ consortes Naturæ effecti, Dij quidam evaserunt, transeunt, ad sempiternam; illam cœlorum gloriam fœlicissimè in cœlos immigrabunt.

B.V. veluti sydus faustum illucescit morientibus.

B.V. Deorum Porta per quam electi trãseunt in vitam æternam.

62. Quamobrem jure merito pietatem in Virginem verissimam salutis tesseram, æternæque Fœlicitatis charactere m Sancti Patres vocitare consueverunt. Impossibile quippe propemodum videtur esse, illum, qui Deiparæ cultui est addictus, quique hujus Stellæ maris ductu navigat, æternæ salutis naufragiũ facere. Vnde jure merito D. Dionysius Areop. ad Apostolum Paulũ Magistrũ suum de Majestate hujus Virginis scribens, eam *Fœlicitatis Insigne* nominavit. *Fateor coram omnipotentia DEI & clementia Saluatoris, & gloria Majestatis Virginis Matris eius, quoniam cum à Ioanne vertice Euangelij ductus fui ad DEIformem præsentiam altissimæ Virginis, tantus me splendor circumfulsit exterius, & plenius irradiauit interius, ut nec corpus infœlix, neq; spiritus posset, tantæ Fœlicitatis Insigne sustinere. Quoniam nulla videri posset major gloria Beatorũ, quam Fœlicitas illa, quã ego infœlix nunc, tunc verò fœlicissimus degustaui.* Pietatem hanc in Virginẽ æternę Fœlicitatis charactere agnovit S. Bonav. Ps. 91. dum ita cecinit: *Qui aquirit gratiam MARIÆ, agnoscetur à ciuibus Paradisi, & qui habuerit characterem Nominis eius annotabitur in libro vitæ.* Et rursus Psal. 105. secretum hoc clarius manifestat ita concinendo: *Spes de gloria Paradisi in corde illius, qui devoto animo honorificauerit Mariam.* Atque ut Mysterium hoc, tantopere ad consequendam salutem conducibile pluribus innotescat, Psal. 45. convocat mortales omnes toto orbe dispersos, ad salutarem hanc percipiendam doctrinam, magnoque affectu exclamat: *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite, qui ingredi cupitis Regnum DEI: Virginem Mariam honorate, & invenietis vitam, & salutem perpetuam.* O fœlicem, & terque, quaterque beatum, ac fortunatũ illum,

Tessera Salutis devotio erga B. Virginẽ

Maria Fœlicitatis Insigne, ac character.

In Mariam pietas, est character prædestinationis.

illum, qui hujus fœlicissimæ Virginis nostræ charactere, ac signo est insignitus.

Character & Devotio erga B. V. est signum in bonum.

63. Characteré hunc, seu signum cordi suo insculptum habere forte desiderabat Rex David, cùm Psal. 85. orabat: *Salvum fac filium Ancillæ tuæ. Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu adiuvisti me, & consolatus es me.* Optat quispiam bonum hoc signum devotionis in DEIparam cordi, animoque suo insculptum habere? sit bonus, humilisque Filius Ancillæ Domini glorisissimæ Virginis MARIÆ, ejusque immaculatæ vitæ vestigijs insistat; Sentiet mihi credite præsentissimum DEI auxilium, consolationemque, cùm animam Creatori suo redditurus est. Characterem hunc porrò, tenerum, ac filialem in ipsam amoris affectum, synceramque dixerim pietatem, fidelissimumq; servitium, ac obsequium, cum ardentissimo ipsius eximias virtutes imitandi desiderio. Talis enim hujusmodi charactere, ac insignibus ostendit in se absolutissimum Virginis Dominium, quod vel per se solum miram in animam nostram importat Fœlicitatem. Quemadmodum enim cùm in propyleo alicujus palatij contemplamur insignia, mox ex illis in cognitionem ipsius Domini illud possidentis devenimus; ita cum charactere, ac insignibus Virginei cultûs aliquem decoratum advertimus, facilè colligimus hominem hujusmodi, possessionem esse DEIparæ, quæ possessum beare, ac fœlicitare, pro innata illi benignitate consuevit.

Character Anti-Christi est 666.

63. Et quemadmodum ille, qui Nominis AntiChristi fuerit insignitus charactere, tribus nempè senarijs, *666.* qui numerus est laboris, ærumnæ, atque extremæ calamitatis, ut inter reliquos docet Spinellus noster, notatque eum, qui illo fuerit inustus, æviternis Inferni ærumnis, calamitatibus, ac supplicijs trinæ planè dimensionis, nempè longis, in omnem æternitatem; latis, toto corpore & anima, omnibus membris; profundis ad ossa medullas, intimasque fibras penetrantibus mactandum, jam esse destinatum: Sic qui charactere Nominis Virg. MARIæ (quod tribus constat novenarijs *999.* numeris nêpè perfectissimis, trib⁹ scilicet ternarijs, ternas augustissimæ Trinitatis Personas, earumque perfectiones, puritatem item Angelicam in tres Hierarchias, novem Choris Angelorum constantes distributam repræsentans) fuerit decoratus, significat hujusmodi ad æternam, perfectissimamque Fœlicitatem, ac Beatitudinem ad videndum clarè DEUM trinum, & unum, ad Societatem Angelicorum Spirituum, ad perennam illam nullo unquam fine terminandam, quæ in solo DEO reperitur requiem jam esse prædestinatum.

Antichristi charactere signati æternū infœlices.

Charactere B. V. eiusq; pietate insigniti, æternum fœlices.

Præclarè siquidem S. Augustinus in suis Confessionibus: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Hinc videre est asseclas Lutheri, cujus nomen etiam, ut Florimundus Remundus observavit, tribus senarijs constat, religioso cultu DEI Matris proculcato, etiam in hac vita assiduis, ijsque infœlicissimis laboribus atteri, nunquam conquiescere, sed perpetuo ad instar maris effervescere, continuis turbis, tumultibus, ac bellis, omnia jura humana, ac Divina, atque adeò universum genus humanum evertentibus, oblectari. Non enim est pax impijs, dicit Dominus apud Isaiam cap. 48: v. 22.

Lutheri Nomen simile AntiChristi, tribus senarijs constans.

64. Neque verò prædestinationis ad æviternam requiem, fœlicitatemque est, dumtaxat character, Nomen Virginis, ejusdemque devotionem cordi impressam, radicatamque gestare, verùm etiam ipsius Angelicam Salutationem medullitus amare, eâdemque quam sæpissimè fieri potest, gloriosissimam DEI Matrem venerari. Quod ipsa B. Alano de Rupe Prædicatorum Ordinis, amore in DEIparam celeberrimo, manifestare non est dedignata, ut ipsemet Par 2. Psalt. cap. 11. testatur. Ibi enim fatetur aliquando Virginem sibi ita locutam fuisse: *Dulcis Sponse, secretum iam pandam tibi Divinæ Providentiæ. 1. scias, & securè intelligas, quod & sine mora alijs patefacias; quod signum probabile est, & propinquum æternæ damnationis, Horrere, & Attædiari, & Negligere Salutationem Angelicam, totius Mundi reparativam. 2. Habentibus verò devotionem ad hanc, Signum est Ordinationis, & Prædestinationis permagnum ad Gloriam. 3. Propterea qui tenet me in hac Salutatione, semper me teneat, donec ad me in Paradisum perveniat.* Quam porrò grata DEIparæ hæc Angelica Salutatio esse consueverit, ibidem additur, quod cùm præter illam Ordinariam, aliam quoque á se compositam recitaret Alanus, mirificè grata acciderit, eandemque approbaverit, ac commendaverit, eò quod toti-

Angelicâ Salutatione delectari, est signum Prædestinationis.

B.V. B. Alano revelat prædestinationis esse signum amare Salut. Angel.

totidem penè excellentias Deiparæ singulares, atque eximias, quot categorematicæ essent voces eâ continerentur, Formula autem illa erat hujusmodi: *Ave MARIA, ò misericordissima, pro nobis Virgo Mater DEI facta, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in Mulieribus, & benedictus Fructus ventris tui IESVS Christus, Homo verus, & verus DEVS, pro peccatoribus natus, passus, resuscitatus, & Sacramentis honoratus. Quem Virgo concepisti per Spiritum S. cum Gabrieli respondisti hoc verbum humillimum: Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum. Amen.*

B. Alani Salutatio ad B. V.

64. Quam verò efficax medium æternæ Fœlicitatis cõsequendæ sit Angelicæ Salutationis recitatio declarat idem B. Alan⁹ Par. 5. Psalt. varijs, ijsq; admirabilibus exemplis eximiã Divæ Virg. misericordiã, pietatemq; contestantibus; ac in primis c. 38. scribit fuisse quendam infamẽ Vsurarium nomine Iacobum, qui per fasq; nefasq; ingentibus comparatis divitijs, possessionibus, ac villis facilè cives omnes, imò & Comites nobilissimos illius Civitatis opibus superaret. Audivit hic aliquando S. Dominicum populum ad recitationem Sanctissimi Rosarij, venerandamque Virginem excitantem; cujus dicendi egregia permotus facultate, decrevit illud, & gestare palam omnibus, & simul recitare. Triennium jam omnino exegerat in pio illo devotionis erga Virginem, exercitio, nulla tamen adhuc facta morum conversione, cupiditate plura, ac plura habendi indies excœcatus. Contigit aliquando, ut templum quoddam ingrederetur, & ad altare Divæ Virginis accederet; cùm ecce tibi ab Imagine Deiparæ audit procedentem hanc vocem nimium quantum terribiliter, ac sæpiùs intonantem: *Iacobe, Iacobe, redde rationem mihi & Filio meo, sicut exigis districtè à tuis subditis etiam de minimis.* Hâc voce velut tonitruo consternatus Iacobus, profugit ex templo, timoreq; ac horrore plenus domum est reversus, recensitaque totius rei serie suis domesticis, & phantasiam esse dictitantibus, nulla secuta est emendatio, aut bonorum injustè possessorum restitutio. Pijssima tamen Virgo pro innata sibi benignitate eum non deserendum rata, potentiora tanto morbo remedia adhibere non destitit. Post biennium enim circiter, cùm iter ageret, Cacodæmones luporum, ursorum, aliarumq; sævissimarum ferarum specie equitantem invadunt, ex equo deturbant, multisque lethalibus plagis inflictis, audito tandem Nomine, quod invocârat Deiparæ, diffugiunt. Semianimis domum reportatur, & tandem curatus convalescit; cogitantem postea aliena restituere, cæcus amor conjugis, ac liberorum illũ à salutari proposito retardavit. Nec tamen Virgo miserabilem hunc hominem obduratum in malitia, avaritiæ, imò Idolorum mancipium, suâ ope destituendum, sed vehementiora adhibenda remedia ad virus, tot, tantorumque peccatorum evomendum censuit. Itaq; rursus cùm esset ingressus, iter gravissimâ coortâ tempestate, tonitruis, ac fulminibus horrificè reboantibus à Dæmonibus infœlix eques in aëra altissimè sex milliarium à terra spatio abripitur. Hic rursus in tantis periculis constitutus Mariæ devotè invocato Nomine emendationem promittit, & illico propria manu Virginis illæsus, profligatis Dæmonibus ad terram demittitur. Verum ipse periculo illo ereptus, uti ejus ferebat genius, promisis non stetit, imo facta exomologesi, injustè possessâ reticendo, scelerum suorum mensuram implere visus est. Tandem ad corrigendum perversissimum hunc hominem, cum timore incusso nulla emendatio sequeretur, censuit B. V. amore cum illo agendum esse. Itaq; pro ea, qua in humanum genus fertur charitate Deipara, omnem movit lapidẽ, ut eum benevolè ad sanam mentem reduceret, ac proinde ipsa vultu amabilissimo ei se visendam exhibens amanter sciscitata est, an resipiscere, an aliena restituere tandem decrevisset? eoque respondente se ad id faciendum animum non habere; suaviter rursus obrogavit illa, an restituere vellet, saltem si ipsa sua sponte illi daret, unde satisfaceret? Annuit ille; & ecce tibi brevi domum refertam divitijs, ac thesauris à cœlorum Regina conspexit; quibus ille rursus excœcatus, & scelerata cupiditate captus, ac captivatus, omnẽ cogitationem de restitutione facienda deposuit. Adfuit illi mox Deipara, gravique facta comminatione, ni restitueret, eum se, & omnibus bonis, & ipsa vita illico privaturam. Hiscẽ minis tandem Iacobus exterritus, bonis illis, ac divitijs, quibus eum locupletaverat Deipara, paupe-

Vsurarius Rosarium B.V. recitans, convertitur.

B. V. monet ut reddet vitæ suæ rationem.

Exemplũ B. V. Nomen pellit Dæmones.

A Dæmonibus in aëra eques abreptus invocato Nomine B. V. salvatur.

M. benignitas mira.

B. V. Iacobo suppeditat opes, ut faciat restitutionem.

pauperibus, quos sua fraudaverat cupiditate abundè satisfecit, remanentibus bonis proprijs, quibus ille pro animæ suæ salute liberaliter utebatur, efficiebatque ut honori, gloriæque Dei paræ deservirent. Qua ejus liberalitate permota Virgo, omnino se benevolentia superari passa non est, sed rursus ei se visendam exhibens indicavit diem horamque, qua ex hac vita illi esset migrandum, monuitque ut suæ domui bene disponeret, seseque susceptione Sacramentorum ad tantum iter aggrediendum præpararet. His itaque susceptis, piè moritur. Mox gravissima inter Cacodæmones, ac bonos Angelos coorta fuit circa ipsius animā disceptatio. Iamq; eam raptare, portisque Inferi cum ea appropinquare cœperant, cùm ecce Regina Mundi Cœlesti Majestate conspicua, iñumeris Angelis adest stipata Choris, inter quos primus extitit Archangelus Michaël cum gemina bilance. Iubet igitur Virgo gradum sistere, simulq; causam inquirit: Cur servum suū adeò malè tractarent; cum illi suum esse allegarēt, variaq; ejus scelera in medium afferrent, jussit ea à S. Michaële bilance examinari. Cùm autem præponderarent peccata, magno stygiorum illorum nebulonum tripudio, & Virgo Psalterium, ipsius toties honori recitatum, in alteram lancem ad modica illa bona opera, ab illo in vita facta conjecisset, inventus est plùs habens. Vnde addidit Virgo beata, quod majoris esset meriti, ac momenti ejus Psalterium omnibus reliquis ipsius pravis operibus. Quibus auditis Cacodæmones confusi, in rabiemque acti, ad instar fumi evanuerunt. Ipsa verò anima à gloriosa Virgine ad æterna gaudia, magno Civium supernorum gaudio deducta est; re ipsa experta Angelicas Salutationes piè Virgini recitatas, æviternam salutem, Fœlicitatemq;, etiā hominibus sceleratissimis verè pœnitentibus parere.

M. indicat Iacobo diem & horā mortis.

B. V. è manibus Dæmonum animam eripit.

Psalterij B. V. vis ad salutē comparandam.

65. Eamdem salutem Angelica Salutatio peperit Italo cuidam Comiti nomine Bartholomæo, ut idem scribit B. Alanus cap. 42. qui cum varijs sceleribus esset immersus, audivissetq; aliquando ad populum dicentem S. Dominicū, in semetipsum ingressus, agnovit nunquam se conscientiam suam per exomologesim ritè expiasse, ac proinde statuit ipsi Sancto Patri totam suam conscientiam aperire.

Audita ejus confessione injunxit ad veniam pro peccatis obtinendam in dies singulos in honorem Virginis recitationem Rosarij cum pia mysteriorum vitæ Passionis, ac Resurrectionis Christi meditatione. Amplectitur libenter consilium Comes, tantumque sancta hac salutandæ Virginis exercitatione intra annum profecit, ut Cacodæmonem sibi insidias machinantem, cujus ante tot perpetratis flagitijs turpissimum mancipium extitit, injecto in collum ejus Psalterio, velut adamantinâ quadam catena eum captivarit, pedibusque tanquam vilissimum vermem nec quicquam, horribili ululatu fremituque cuncta replentem protriverit. Mirificam hanc Psalterij in domando humani generis hoste vim, ac energiam cum Comes advertisset, haberetque Arcem quamdam suam, malorum geniorum spectris infestissimā, ac proinde redditam inhabitabilem, curavit cubiculorum omnium parietibus Rosaria una cum mysterijs vitæ, Passionis, ac Resurrectionis Christi appingi, quæ ubi Tartareæ illæ larvæ conspexissent, ita fuere conterritæ, ut protinus in fugam se dederent, nec deinceps unquam ad Arcem illam appropinquarent. His prodigijs animatus Comes nimium quantum sanctæ illi Rosarij piè recitandi exercitationi totum se dedidit. Vice quadam dum Virginem ita consalutat, vidit Angelum mirâ luce circumfusum Angelicas illas Salutationes à se numeratas excipientem, quæ in lapides 150. conversæ Rosarium confecere, quos cum ille cœlo, summo intulisset gaudio, Virginique Deiparæ obtulisset, videt illos in montes gemmeos commutatos, quibus illa Regium amplissimumque palatium in cœlis construebat, æviternamque illi mansionem apparabat. Quo tam insigni viso spectaculo, totum se sanctissimæ illi exercitationi Virginis salutandæ dedidit, ita ut assidue Rosarium manibus tereret, ac pene detereret, ut ita plures in æterna vita mansiones sibi construeret. Tandem appropinquante vitæ suæ fine, B. V. ipsum de imminente hora mortis certiorem, ubi lectulo ejus benignè adstitisset, fecit, qui postea magna cum pietate animam suo Creatori reddidit.

Rosarij vis contra Dæmones

Rosarium recitans eo Dæmonem captivat.

Salutationes Angelicæ à B. V. in montes gemmeos mutantur.

66. Ex quibus tam luculentis clarè perspicere possumus exemplis Angelicam Salutationem Deiparæ piè, ac reveren-

verenter sæpius ab hominibus oblatam admodum probabile illis reddere testimonium, quod ad æternam fœlicitatem sint prædestinati, siquidem tam mirabiles, ejus beneficio etiam hominum scelestissimorum videmus metamorphoses.

B.V. Imaginem diligere, eáq; gestare virtutes ipsius imitando signum est Salutis.

Quare ut toti pijssio hoc devotionis erga beatissimam Virginem charactere undique circumsignati simus, consultissimum est non modo illius Rosarium, verum etiam Imaginem de collo maximè suspensam, cordique appressam, uti gestantes sacrum Scapulare facere consueverunt, magno cum pietatis, amorisque affectu, virtutumqué ipsius imitandarum studio circumgestare, quo charactere hoc sempiternæ Fœlicitatis insigniti fœlices, ac verè fortunati evadamus.

S. Hedvigis B.V. Imaginem manu gestabat.

67. Hoc charactere decorata fuisse visa est S. Hedvigis, Ducissa Poloniæ, quæ DEIparæ Iconem manibus suis assiduè gestare erat solita. Hæc in Virginem tam insignis pietas, quantopere grata supremæ illi extiterit Majestati, raro miraculo contestata fuit, dum reliquo corpore in cineres redacto, tres illi digiti, quibus Effigiem Virginis tenebat, integri, incorruptique permanserunt.

S. Philippus Nerius Imagine B.V. pro sigillo usus.

68. Eodem hoc charactere Virgineo insignitus fuit S. Philippus Nerius, qui quod nomen suavissimum DEIparæ, velut sigillum cordi appressum haberet, ipsius quoque Imagine pro sigillo, suæq; Congregationis insignijs utebatur, existimans sine dubio sibi dictum à Virgine: *Pone me, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*. Cant. 8. Quam porro grata Virgini hæc ipsius extiterit pietas clarè varijs ei ostendit argumentis, maxime verò cum aliquando ægrotanti sese visendam exhibuit, & postea desperata à Medicis salute prope moribundus ad se in lectulo jacentem eam venire conspexit, ac illico integram valetudinem recepit. Ipse vero tanto affectus beneficio, mox toto corpore, nullo fultus adminiculo, & ad unius circiter cubiti altitudinem sublimis in aere elevatus, magno pietatis sensu clara voce, ubertimque manantibus præ gaudio lacrymis audientibus qui aderunt, in eas voces erupit. *O charissima mihi Virgo ad me venisti, ut me his doloribus liberares! Et quis sum ego, qui tuâ præsentiâ sum dignus?*

S. Philip. Nerius infirmus, ac moribūdus à B.V. invisitur, & sanatur.

69. Virgineo hoc Charactere insignitus plane fuit Ignatius Acevedus noster, quo & æviternam fœlicitatem, martyrio illustri, consecutus fuit; quando in Brasiliam cum Socijs ad immanissimarum illarum gentium conversionem profectus, proprij effusione sanguinis Catholicam Christi Religionem contestatus est. Hic cum socijs ubi in hæreticos piratas incidisset animo præsagiens eam diem sibi ultimam vitæ fore, Imaginem B. V. Româ allatam, ea forma, qua S. Lucas eam pinxit, manu tenēs sic forti animo postremū eos appellavit: *Hodie omnes fratres dilectissimi, ita mihi cor salit, vitâ migrabimus, Divinisq; in cœlo epulis perfruemur cum Christo, & B. V. cæterisq; cœlitibus. Præclarius certè nobiscum agetur, cœli, quam Brasiliæ portum tenentibus. Orationi itaq; intenti, ad mortem nos comparemus, quando hunc nobis postremum illuxisse diem credo.* Itaque cū Hæretici navim qua vehebatur Ignatius essent aggressi mox vulnus accepit in capite, ut fissum dissiliret, eo quod animum singulis adderet illos hortando, urgendo, ut pro Christo mortem animosè oppeterent. Interim dum immotus mortem operitur, tribus confossus lanceis vociferando, & B. V. Iconem arctè stringendo cadit: *Testes*, inquit, *appello mortales, & Angelos me pro fidei Catholicæ Romanæ professione occumbere, à qua ne latum quidem unguem resiliendum puto.* Sociosq; respiciens: *Filioli*, inquit, *mortem ne expavescite.* Imaginem porro DEIparæ ita fortiter strinxerat, ut hæretici manibus ejus eripere frustra conati sint, cum qua etiam in mare præceps actus, præclaro insignitus sempiternæ fœlicitatis charactere, navique tutissima vectus, beatitudinis cœlestis portum tenere visus est. In Vita Borg. li. 3. c. 10.

Ignatius Acevedus B.V. Imaginē manu tenens moritur.

Ignatij Acevedi in Imaginem B.V. affectus.

70. Tali Virgineo charactere notari voluit S. Casimirus Adolescens Angelicus Casimiri Iagellonij, Regis Poloniæ filius, qui cum pijssimum Hymnum in laudem Virginis, cujus effigiem amoremque corde ex culptum gerebat, panxisset, quo suam animam omni die ad laudes illi debitas persolvendas excitabat, morti proximus rogavit, ut Hymnus ille à se propria manu descriptus supra pectus collocaretur; quo pio desiderio contestari posteritati voluisse visus est se in vita, & in morte toto pectore laudes DEI Matris celebrare pro eo, quo eam amoris complectebatur affectu, exoptasse. Vnde cum An. 1604. ejus renovaretur sepulchrum Hymnus ille supra Sanctissimi iuvenis pectus illæsus repertus est;

S. Casimirus Charactere Fœlicitatis beatæ insignitus, dū Hymnum B.V. jubet secum sepeliri.

est; quo ita Parthenij Sodales hiscé in partibus ita delectari consueverunt, ut eum in dies singulos recitare, suasque votivas ad D. Virginis Templa supplicationes, ac peregrinationes illo exornare, in delicijs habeant.

P. Balthasaris Aluarez in Iconem B. V. pietas.

71. Tali deniq; charactere insignitus fuit P. Balthasar Alvarez Societatis nostræ Sydus, pietate in Deum, Virginemque clarissimum, qui eandem Deiparæ Iconem de collo suspensam gestabat assiduè, seseque illi sæpius de die commendabat, in eandemque velut suam Cynosuram oculos intendebat.

72. Neque verò solùm hoc Charactere insigniti æternam illam fœlicitatem, verum etiam temporalem, in adversitatibus, in angustijs, in persecutionibus, in bellorum turbinibus, quam plurimi in Virginem confidentes, consecuti sunt. Hinc Imperatores, Reges, ac Principes ad bellum profecturi Deiparam in labaris, in vexillis, in clypeis, & hastis, quo fortunati, ac fœlices evaderent, circumgestarunt; eique res, tam domi, quàm militiæ fœliciter gestas, gratitudinis memores, acceptas retulere.

Ioannes Comnenus B.V. Imaginem curru triumphali vexit.

Sic Ioannes Comnenus Orientis Imperator, hujus Divinæ Fœlicitatis decoratus insignibus, cùm de Scythis gloriosissimum Triumphum retulisset in currum triumphalem Imaginem Deiparæ, velut sibi faventem Fortunam imponens Constantinopolim, summa pompa ingressus, jucundissimum toti Vrbi, suæ in Virginem pietatis, ac religionis edidit spectaculum. Sic Ferdinandus II. fœlicissimæ recordationis Imperator Augustissimus, cùm gloriosissimam hanc Cœli Reginam suorum exercituum Generalissimam elegisset, ejus effigiem in Vexillo primario pereleganter expressam, omine longè fœliciori, quam olim Romani Aquilam, præferri jussit.

Ferdinandus II. B. V. effigiem in vexillo expressit.

Sic Pribislaus Daniæ Rex, cùm in Clypeo Imaginem Virginis circumferret, semper fœlix, fortunatusque in bellis victoriam reportabat, ut scribit Bzovius Anno 1290. Quare merito Marcus Marulus Spalatensis, Deiparam in hujusmodi discriminibus Scutum quoddam adamantinum, planè inexpugnabile ad instar illius Ajacis agnoscens, bellè cecinit:

Pribislaus Rex Daniæ in Clypeo B. V. imaginem tulit.

O fidum miseris, atq; impenetrabile Scutum
Contra Fortunæ tela, minasq; necis.

B.V. Scutum impenetrabile.

Sic denique Maximilianus Bavariæ Dux Serenissimus, pietateque, ac Religione in Deum, ejusque Matrem, toto Orbe celeberrimus, Anno Salutis 1619. ad domandos, subjugandosque rebelles Bohemos cum suis copijs profectus, fœlicissimis gloriosissimæ hujus Virginis; quam in proprio Vexillo pingi, nummis aureis, argenteisque excudi, exprimique curavit; fœlicissimis auspicijs, impijssimum illum ex Hæreticorum fœce conflatum exercitum debellavit.

Maximilianus Dux Bavariæ auspiece B. V. Bohemos debellavit.

73. O quam meritò Deipara, Fortuna Obsequens, uti à Romanis dicebatur, ab his Principibus vocitari poterat, siquidē eorum arbitrio, voluntatiq; obsequi, atq; obsecundare, tã illustres concedendo victorias, visa est. Quam merito illam suis nūmis eo Fortunæ Schemate (quod IV: Antonini Pij Consulatu factum, dum una ex parte effigiem stantis Mulieris pulcherrimæ, dextrâ gubernaculo innixæ, sinistrâ Cornucopiam gestantis expressere, cum epigraphe ex altera nummi parte: *Cos. IV. Fortuna obsequens*; quo ipsius fœlix, fortunatusque Consulatus, semper illi obsequente, atque obsecundante Fortuna, denotabatur) quam, inquam, meritò hujusmodi schemate repræsentassent Virginem, cùm eam sibi tam mirificè faventem, obsequentemque experti fuerint. Quare meritò Cornucopiæ, Laureum addidissent ramum, ut olim victoriosi Imperatores consueverant, qui non contenti, nummis suis Obsequentis Fortunæ effigiem excudere, eam aureis etiam statuis repræsentatam in cubiculis, quo se gratos ei exhiberent, asservabant, ejusque honori aras, ac Templa dedicabant. Sed ad lineam.

Maria Fortuna Obsequēs

Antoninus Pius in suis Nummis Fortunam Obsequentē exsculpsit.

Imperatores Fortunā Statuis repræsentatam in cubiculis asservabāt

74. Si in sententia Theognidis Philosophi Fortuna est ipse Iuppiter, seu ipsa Iovis Voluntas, unde hanc ob causam Omnipotens dicebatur; quis dubitabit Deiparam, nostram Fortunam esse, siquidem uti sæpiùs ostensum, plenitudinis gratiæ, Divinissimarumque Virtutum, Filio quam simillimarum, beneficio, conformitate voluntatis suæ cum Divina, supremam in se Majestatem repræsentare, in Filium transformata quodammodo videbatur. Vnde hanc ob causam ipsa Divina Voluntas, à Patre æterno appellata est; utpotè, quæ per Filij Dei Incarnationem, unum quid, idemque cum illo effecta est. Accipite ipsa Divini oris verba: Isa. 62: 4.

Fortuna est ipse Iuppiter sive ejus Voluntas.

B. V. ipsa Dei Voluntas dicta est, ob conformationem voluntatis cum Divina.

Non vocaberis ultra derelicta, & terra tua non vocabitur ampliùs desolata, sed vocaberis: Voluntas mea in ea; quæ verba trutinans B. Guerr. Abb. ser. 1. de Assumptione, sic loquitur: *O MARIA, non vocaberis, ait Dominus, ultra derelicta, & terra tua non vocabitur ultra desolata, ut quia Virgo, ideò sis infœcunda; sed vocaberis; Voluntas mea: id est, Dilectus Filius meus in ea, quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. Habitabit enim Iuvenis in Virgine, & habitabit in te Filius tuus.* Sic Guer. ex inhabitatione Filij DEI in utero Virginis, ejusdem in voluntatem Filij transformationem comprobans. Idque jure merito.

MARIA p Incarnationem Filij DEI, in Divinam Voluntatem transformata.

75. Si enim Sophocles in Iove, asseruit; *in Iovis tantum hortis beatam Fœlicitatem coli;* Verè dicere & nos poterimus in Virgine hac nostra, quæ summi DEI Filij est Hortus conclusus, beatam Fortunam, æternamque Fœlicitatem, quæ ipse Filius est, reperiri. In ipsa enim DEUS Homo factus, & velut in horto amœnissimo deliciatus, suam illi Beatitatem, atque adeò Fœlicitatem, quantum humana natura capax esse poterat, communicavit, ipsamque in se, qui summa est Beatorum omnium Fœlicitas, quodammodo transformavit. Quare omnes prosperi, fœlicesque rerum in hoc Orbe terrarum successûs, sive publici, sive privati, qualia sunt virtutum incrementa, vitæ in meliùs mutationes, cœlestia intellectus lumina, ardentes voluntatis affectûs, ipsi, post DEUM Virgini attribuenda sunt. Feros illos, barbarosque hac in parte imitando Cafres, qui licet forent athei, immortalitatemque negarent animorum; impensè tamen Mosibum, seù Nasibum, ut vocant Arabes, id est, Fortunam venerantur; quam & suis majoribus fuisse, & sibi quoque ajunt esse propitiam, cùm faustè res cedunt, cùm gratiâ valent apud alios, cû prosperè negotia agunt, & lucrantur. Vnde si Antoninus Pius Imperator Deorum providentiæ fœlicem Imperij gubernationem attribuebat, nos post DEVM, uti dixi, MARIÆ Providentiæ adscribere, & lemma hoc non solùm nummismatis, sed ubique passim aureis literis exprimere possumus; *MARIÆ Providentia; MARIÆ Fœlicitati.*

M. Iovis Hortus, in quo Beata Fœlicitas colitur, id est, Filius.

M. post DEUM omnes prosperi rerũ successus attribuẽdi

Cafres colebant Fortunã, eò quod cogitarét per illam prosperè rescedere

M. providentiæ post DEũ fœlix Imperij gubernatio adscribenda.

76. Siquidem ipsa auxilij hujus, ac providentiæ, quo in Orbis præsertim, Regnorumque administratione præsto est Principibus, ac Monarchis, probè conscia apud Salomonem Prov. 8. v. 14. gloriatur: *Meum est consilium & æquitas: mea est prudentia & fortitudo: Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt; Per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Quasi vellet dicere: Consilia illa Principum prudentissima, justitiam illam, quâ tribuunt unicuique quod suum est, quâque eorum Solium stabilitur; fortitudinem, quâ Christiani Nominis hostibus resistunt fortiter, deque illis triumphant; regendi, imperandique, prosperitatem denique meis precibus & patrocinijs apud Filium impetro, atque efficio, ut Reges fœliciter, ac pacificè suos populos regant.

M. cõsilijs Regna gubernantur fœliciter.

77. Quare jure merito quivis Principum, qui ad Reipub. sedet gubernacula, cõsilio hujus Increatæ Sapientiæ Matris, sapientissimo debet aquiescere. *Ipsa est enim*, inquit Richardus à S. Laurentio lib. 2. de laud. Virg. part. 3. *Rebecca nostra, quæ dixit Filio suo Iacob.* Gen. 27. *Fili mi aquiesce consilijs meis. Vbi notandum, quod Rebecca Iacob, qui interpretatur luctator; & supplantator, appellavit Filium suum, non autem Esau; quia soli luctatores, & supplantatores vitiorum Filij sunt MARIÆ, & digni hæreditate ipsius, & soli tales MARIAM Matrem suam vocare possunt.* Inter reliqua porrò consilia, quæ Virgo Filijs suis dare consuevit, numerat in primis, ut quisque suam voluntatem Divinæ voluntati conformet, uti fecit Virgo, cùm dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat &c.* tum ut spretis terrenis appetat cœlestia. Docet insuper idem Richardus, debere nos Virgini reverentiam, *ne vel coram eius oculis aliquid indecens cogitare, desiderare, consentire, aut facere audeamus, ne misericordes illos oculos, qui ad iniquitatem respicere non possunt, à nobis avertat. Vnde Abacuc cap. 1. Filio & Matri dicit: Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Et Eccl. 42. Non præterit illam omnis cogitatus, & non abscondit se ab ea ullus sermo. Cavendum ergo, ne coram ea etiam cogitemus, ne dum faciamus turpia, noxia, vel iniqua. Perversæ enim cogitationes separant ab ea, & à Filio eius.* Sic ille. Quæ sanè consilia si Principes, ac Reges Christiani amplectantur, Fortunam Obsequentem sine dubio habituri sunt, Regionesque suas, ac Provincias prosperè, ac fœliciter cum rerum omnium abundantiâ moderaturi.

B.V. consilijs aquiescẽdum.

M. Filij sunt luctatores & supplantatores vitiorum.

Quanta MARIÆ reverẽtia debeatur.

B.V. pijs Principibus & Regibus in gubernatione est Obsequẽs Fortuna.

78. Nunquam enim Virgo hæc libe-

liberalitate, obsequijsque se superari paritur, sed sibi obsequentibus ipsa quoque se exhibet obsequiosam. Vnde prosequitur eodem capite: *Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me, invenient me.* Vtque revera se Fortunam prosperam, fœlicemque, non solùm in Regnorum moderandis gubernaculis Adjutricem; verùm etiam bonorum omnium quandam locuplentissimam sibi obsecundantibus se esse ostendat Cornucopiam; mox annectit: *Mecum sunt divitiæ, & gloria opes superbæ, & iustitia.* Seù ut legit Hebræus: *Opulentia, & gloria mecum est, substantia durabilis & iustitia.* Quæ verba non modò de divitijs, bonisque spiritualibus, verùm etiam de temporalibus intelligenda sunt. Revera enim suprema illa Majestas claves Deiparæ suorum thesaurorum cœlestium, & terrenorum videtur consignasse, ut de his disponat, illosque in quos libuerit liberaliter effundat, eo modo quo solent Viri quidam generosi, ut ait recens quidam, ac locuples Auctor apud P. Salazar, & uxorum amantes, eisdemque plurimum fidentes, pecuniæ claves, & tutelam illis committere, & quicquid domesticarum expensarum est illis tradere, ipsi verò alijs gravioribus muneribus vacant. Ad eundem modum Deus ter Opt. Max. Sanctissimæ Sponsæ suæ Mariæ tantundem tribuit, ac fidit, ut ipsi temporalium, ac spiritualium bonorum tutelam & claves dederit, adeò, ut quicquid horum bonorum in hac magna Mundi domo expenditur, id per Mariæ manûs recensitum transeat, illiusque arbitrio distribuatur.

M. diligentes se diligit.

M. claves thesaurorum cœlestium, & terrestriũ Devs consignavit.

79. Hinc D. Bonav. In spec. cap. 8. verba illa Gabrielis attentius expendens: *Dominus tecum;* ostendit in Deiparæ potestate bona omnia tam cœlestia, quàm terrestria constituta esse, siquidem Domino universorum erat sociata, cui canebat David: *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum & uniuersi, qui habitant in eo. Eiusdem Domini est cœlum quoq; & plenitudo eius: Tui enim Domine sunt cœli, & tua est terra, quia cœlum cœli Domino. Domini istius omnia sunt propria, cœlum, & terra, corporalia, & spiritualia, omnis natura, omnis gratia, omnis cœlestis gloria. Ecce Maria, quantus Dominus, quam ditissimus, quam opulentissimus Dominus est, qui tecum est. Et quia Dominus opulentissimus, opulentissimè est tecum, ideo tu opulentissima, siue ditissima secum, ita ut verè dici possit illud* Proverb. 31. *Multæ Filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es uniuersas.* Hæc Bonav.

In Maria sunt omnes opes cœli, & terræ, quã Devs, cujus sunt hæc omnia, fuit cum illa.

80. Quare jure merito Sapientum Antesignanus Salomon eam infinitum thesaurum appellavit: *Infinitus est thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ DEI,* Sap. 7. Quæ verba interpretans R ch. à S. Laur. lib. 4. ait, *inexhaustum esse thesaurum DEIparam hominibus rationis ductum sequentibus, quo qui utuntur, ejus consilia atq; exempla consectantes, omnia ad ejus gloriam honoremq; dirigentes, amici DEI facti sunt. Ipsa enim dicit cum Filio: qui diligit me, diligetur à Patre & Filio meo.* Et jure sanè, merito Thesaurus hic Virgineus bonorum omnium, vocatur *infinitus, inexhaustus & indeficiens;* quia, ut idem inquit Seraphicus Doctor, *Dominus uniuersalis, & indeficientissimus est cum Maria.* Vnde Moyses Ex. 15. *Dominus regnabit in æternum & ultra. & Psal. 201. Tu autem Domine in æternum permanes.* Tum apostrophe facta ad Virginem: *Ecce Maria,* inquit, *quantus Dominus est, quam indeficientissimus Dominus est, qui tecum est; & quia Dominus indeficientissimus, indeficientissimè est tecum, ideo & tu indeficientissimè es in æternum secum. Tu enim es Thronus ille indeficiens, thronus in æternum, Thronus Filij DEI, de quo Pater Ps. 88. Thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum; & verè in æternum. Vnde non solum verè dicimus. Tu autem Domine in æternum permanes: Sed etiam: Tu autem Domina in æternum permanes. Quid autem mirum, si MARIA ipsa in Filio suo permaneat in æternum, cum etiam beneficia Mariæ in seruis suis permaneant in æternum, &c.* Sic Bonav. Cum igitur æterna sit & indeficiens Maria, thesaurus quoque beneficiorum ejus æternus, indeficiẽs & inexhaustus, & consequẽter ejus Felicitas sit necesse est.

Maria infinitus & indeficiẽs Thesaurus, quia infinitus est cum illa Dominus.

Maria Thronus Filij Dei indeficiẽs, & æternus

Ac proinde verè dicere possumus de anima illa, cui semel obsequentem hæc Fortuna nostra sese exhibuit, quod de Vrbe Roma asseruit Plutarchus, Fortunam nempe Romanorum, trajecto Tiberi, positis alis, exutis talaribus, abjecta instabili, & vestigia fallente pilâ, ita Romam ingressam: hoc facto contestans, se ibi constanter permansuram, neque alio imposterum avolaturam, ac si re ipsa factoque Oraculum illud Latini Vatis pronunciasset:

Maria Fortuna constans, apud quẽ semel sedem fixit nunquam auolat.

His ego nec metas rerum nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.

 Vnde

Vnde eam ob causam Fortunam hanc nostram etiam sedentem depinxisset ingeniosus Apelles, non ad ejus instabilitatem, quasi loco stare nequiret, sed potius ad ipsius constantiam denotandam. nam apud quem semel sedem, domiciliumque beata hæc Fœlicitas fixit, nunquam inde dimoveri poterit. Est enim illa DEI sedes, de qua canebat David, Psal. 44. *Sedes tua DEVS in sæculum sæculi.*

Maria Fortuna sedés stabiliter.

Maria Dei Sedes æterna.

81. Thesaurum hunc porrò divitiarum beneficiorumque Divinorum interminabilem sibi concreditum, mirifica omnibus sibi devotis dispensat liberalitate. Audiamus hac de re jam memoratum Rich. à S. Laur. lib. 4. de laud. V. *De largitate & misericordia Mariæ congruè dici potest, quod cum ipsa sit summè dives, summè etiam liberalis, constat quoq; , quod summè larga & misericors est, implens illud Tobiæ Senioris consilium cap. 4. quomodo potueris, ita misericors esto: si multum tibi fuerit, abundanter tribue. Cum igitur Virgo DEIpara, gratia fuerit plena, & fons gratiarum omnium ipse uniuersorum Dominus cum illa fuerit, de plenitudine bonorum suorum nobiscum communicet oportet. Quod si juxta consilium Eccl. 35. consulentis: Da Altissimo secundum donatum eius. Si etiam Esther Regina viua DEIparæ figura habuit gratiam & misericordiam super omnes mulieres, debebit sane & ipsa dare secundùm gratiam & misericordiam, quam accepit à Filio, qui cum ascendens in altum dederit dona hominibus, MARIA quoq; vera unicaq; Filij imitatrix, ex quo ascendit in cœlum, dabit & ipsa dona hominibus, siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas, Regina cœlorum est, misericors est.* Sic ferè Richard.

Maria liberalis in DEI Thesauris dispensandis

Desiderat igitur quispiam Fortunam hanc cœlestem Obsequentem reperire? sit erga illam obsequiosus, obsecundet ejus consilijs, & exequatur illud, quod ipsa in nuptijs ministris præcepit: *Quodcunq; dixerit vobis facite;* Ioan. 2: 5. Christi præcepta ad unguem implendo, & nil dubitet, quin Fortunam hanc obsequentem habiturus sit. Sed ad alias Fortunæ proprietates gradum faciamus.

M. est Fortuna Obsequens & obsequitur ijs, qui ipsi obsequuntur & obediunt.

82. Si Euripides Fortunam Deorum, Iovisq; Ministram appellavit. Et quis unquam ipsi vero, summoq; DEO ita sedulo ministravit, uti Virgo nostra Sanctissima. Ipsius nimirum verba sunt illa: *In habitatione sancta coram ipso ministravi.* Eccli. 24. coram Filio nempe, ut interpretatur Richar. à S. Laur. lib. 2. Hæc porro ministeria Filio exhibita exponit lib. 4. ubi septem opera misericordiæ exhibuisse Virginem ostendit, singulariq; ministratione coram Filio DEI ministrasse affirmat: *Multi enim alij,* inquit, *& multæ aliæ susceperunt Christum in domibus suis uno die, vel duobus, tribusvé: Ipsa vero in propria domo uteri Virginalis, non tantum uno die, aut duobus, sed mensibus nouem. Alij pauerunt cibis communibus, & fortè dederunt ei aliquod indumentum. Ipsa verò de carne propria ipsi nudo, id est, puro DEO, carnis contulit Vestimentum, deq; lacte proprio ministrauit alimentum. Ideo Virgo Velleri Gedeonis comparatur, quia lanâ suâ, carne scilicet Virginea, vestiuit Agnum DEI. Vnde Filius ei dicere poterit in judicio: Nudus eram & cooperuisti me; Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me. Hospes eram, & collegisti me, in tabernaculo videlicet Vteri Virginalis. Esuriui, & dedisti mihi manducare. Vnde ait D. Hieronymus, quod labore manuum, acu, & colo acquirebat, unde Filium nutriebat. De his manibus loquebatur ipsa sine dubio in persona Sponsæ: Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. Et quæ tandem hæc lilia sunt inter quæ pascitur Sponsus? audiamus B. Bernardum: Manus Mariæ quædam lilia candidissima sunt. Sitiui, & dedisti mihi potum, lactis videlicet Virginei. Infirmus eram, & visitasti me, quod impletum est, quando Christus crucifigebatur, & ipsa stabat juxta Crucem contemplans eum percussum, attritumq; propter scelera nostra. In carcere eram, & venisti ad me, quando eum vidit sepulchro, velut obscuro recondi carcere. Vnde in persona ipsius loquebatur Ieremias,* Thren. 3. *In tenebrosis collocauit me, quasi mortuos sempiternos.* Hæc ferè Richardus.

Maria Fortuna Iovis Ministra, quia DEI Filio humanato ministravit.

Maria 7. opera misericordiæ Filio exhibuit.

83. De eisdem Virginis ministerijs DEI Filio impensis præclarè Guilelmus Abbas apud Delrium in Cant. dum elogium illud Sponsæ expenderet: *Vna est columba mea, perfecta mea, una est Matri suæ: electa Genitrici suæ:* Cant. 8. *Est*, inquit, *Maria unicè electa Genitrici suæ, singulariter electa ad ministerium redemptionis, & regenerationis gratia. Insigne quippè & singulare ministerium gratiæ Redemptrici exhibuit in eo, quod ipsum Redemptorem sibi, nobisq; pio lacte aluit, atq; ad annos maturitatis perduxit. quia ergo sola erat ad hoc Divinitus præordinata, & præparata, meritò dicitur una Matri suæ, & electa Genitrici suæ.*

M. singulariter electa ministerio redemptionis [illegible]

Quam porrò hæc bona, prosperaque Fortuna, ac Fœlicitas omnibus nobis & etiam antiquis Patribus grata amabilis & laudabilis exstiterit, idem Abbas mox

mox attexuit. *Cæterum propter hoc tam sacrum, & tam insigne ministerium, quo Divinæ circa Salutem nostram dispensationi, pro tempore pia Mater servivit, & antiquis Sanctis, qui futuram gratiam sagaci spiritu praevidebant, mirabilis, & laudabilis, desiderabilis, & venerabilis fuisse dignoscitur; unde sequitur: Viderunt eam Filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt.* Sic ille.

M. ob Ministerium Salutis nostræ nobis, & antiquis Patribus amabilis, & laudabilis.

84. Honorius deniq; Augustodunensis in Sigillo B. V. in Cant. similia ministeria, operaque misericordiæ à Virgine Christo impensa commemorat. *B. Virgo*, inquiens, *repræsentata per Magdalenam, & Martham, in Christo vitam Activam & Contemplativam exercuit. A pueritia namq; propter nos exulem, & in hoc mundo hospitem suscepit in uteri sui hospitium, gemmis virtutum conspicuum. Proprijs visceribus pavit esurientem; Super genua consolabatur flentem. Infirmum fovit balneis: nudum involvit pannis; vagientem fascijs cinxit: arridenti dulcia oscula fixit. Nimium erat solicita circa frequens ministerium fugiens à facie Herodis in Ægyptum, iterumq; rediens.* Hactenus Vir pijssimus de ministerijs à Virgine nostra Fœlicissima, ac Fortunatissima exhibitis, quibus se veri Iovis Ministram, nostramque fortunatissimam Fœlicitatem ostendit. Ministeria enim illa omnia, quæ dilectissimo suo exhibuit Filio, nobis tanquam ejus membris, & nostræ salutis gratia exhibuit, ut æternûm fortunati, Fœlicesq; evaderemus.

M. circa Christum ei ministrando, Vitam Activam, & contemplativam exercuit.

85. Præstitit nimirum Deipara longè alia ministeria in recreatione hominis summo Opifici Deo quodammodo, quā quæ nonnulli in ejusdem creatione Angelos præstitisse censent, ajunt enim illos adduxisse pulverem de limo, & corporis simulacrum efformasse, ita Pererius lib. 4. in Gen. c. 2. q. 2. Vnde jure merito tam insigne Deiparæ in recreando, ac reformando homine Creatori impensum ministerium Beatus Andreas Cretensis, Episcopus, Orat. 2. de Dormit. B. V. admirans exclamavit: *O novas remunerationes! ò Divinas permutationes! Produxit Natura liberum arbitrium spinis obsceptum: MARIA contra produxit eum, qui paternam voluntatem impleret. Peperit Natura ex inobedientia mortem voluntariam. Ipsa contra peperit eum, qui mortem sustulit per obedientiam. Sola enim sola præter Naturam fuit electa ad Naturam renouandam. Sola servivit Opifici universa Natura.*

Mariæ ministeria in hominis mundique reperatione Deo exhibita.

86. Quod si per Deos, Fideles Christi intelligamus, ut ipse eos appellare Ioan. 10. v. 35. non est dedignatus: *Ego dixi Dij estis: Si illos dixit Deos, ad quos sermo DEI factus est, & non potest solui scriptura, &c.* jure merito Deiparam Deorum Ministram appellabimus. Per illius enim manus, velut per aureum canalem donorum gratiarumq; omniū, sive temporalium, sive spiritualium fontes in genus humanum derivantur. Vnde mellifluus Bernardus Serm de Nat. B V. eam *Aqua ductum quendam, per quem gratiarum aqua in nos deriuata sunt, appellauit.* Postquam enim hæc, aliaque multa his similia edixisset: *Deriuatus est fons usq; ad nos, deriuata sunt aqua in plateis. Descendit per aquæ ductum vena illa cœlestis, non tamen fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiæ arentibus cordibus nostris infundens, alijs quidem plus, alijs verò minus. Plenus equidem aquæ ductus est, ut accipiant cæteri de plenitudine eius, sed non plenitudinem ipsam. Aquæ ductus enim hic plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens, nobis illum edidit, si non prout est, saltem prout capere poteramus. Tantus fuit hic aquæ ductus ut eius, summitas instar Scalæ Iacob cœlos tangeret, imo & transcenderet, ut viuidissimum illum aquarum, quæ super cœlos sunt, posset attingere Fontem.* Postquam, inquam, hæc sub obscurè præmisisset, tandem hiscé verbis planè mellifluis latitans aquæ ductus illius mysterium declaravit: *Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus MARIAM hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per MARIAM. Proinde, si quid Spei, si quid salutis, si quid gratiæ in nobis est, ab ea noverimus redundare.* Serm. deniq; in Salve Reg. *Per MARIAM*, inquit, *speramus nos posse consequi, quicquid totius bonitatis Auctor dignatus fuerit gratiæ nobis impertiri.* Idem attestatur D. Augustinus Serm. de Annunc. *Tu es Spes unica peccatorum, quia per te speramus veniam omnium delictorum, & in te nostrorum est expectatio præmiorum.*

M. Deis, id est, Christi fidelibus ministravit.

Maria Aquæ ductus per quem gratiarum aquæ ad homines derivātur.

M. totis medullis cordium, totis præcordiorū affectibus venerāda.

Omnia bona per M. nobis communicantur.

87. Agnovit Deiparam Christianorum Ministram, ut alios innumeros prætermittamus, S. Germanus Constantin. Patriarcha Orat. de Zona Virg. dum dixit: *Nullus est qui saluus fiat; nisi per te, ò Sanctissima; nullus est qui liberetur à malis, nisi per te ò purissima; nemo est cui donum concedatur, nisi per te ò castissima; nemo est cujus misereatur gratia, nisi per te ò honestissima.* Agnovit hoc Virginis erga humanum genus ministerium. S. Bonaventura

MARIA Christianorum Ministra.

Psal. 40. dum tam ardenti affectu supplicabat: *Per tuam Sanctitatem Domina peccata mea purgentur, per tuam integritatem mihi incorruptibilitas communicetur. Per tuam Virginitatem anima mea à Christo adamatur, & illi amoris vinculo sociatur. Per tuam fœcunditatem ego captivus sum redemptus, per tuum partum Virgineum de morte perpetua sum ereptus. Per tuam Prolem dignissimam perditus sum restitutus, & de exilio miseria in patriam beatitudinis sum reductus.*

Per M. omnia nostra peccata purgantur, & incorruptibilitas nobis communicatur.

87. Agnovit hanc bonorum omniũ per Virginem nobis factam ministrationem D. Bernard. Senensis To. 4. Serm. 5. c. 8. dum dignitatem quandam Filij in Matre deprehendit, per quam ipsi reddita est, quàm simillima. *Illa enim, quemadmodum Filius, producit & inspirat quodammodo nobis Spiritum; siquidem omnia ejusdem Spiritus S. dona, quibus vult, quando vult, quomodo & quantum vult, per manus Virginis administrantur. Ab instanti enim Incarnationis DEIpara jurisdictionem quandam, ut sic dicam, & auctoritatem, in omnem Spiritus S. temporalem processionem obtinuit: Hinc devotissimus Bernard. Nulla, ait, gratia venit de cœlo ad terram, nisi transeat per manus MARIÆ.* Sic ferè Pater Seraphicus. Idem ob eandem gratiarum in nos transfusionem, eam dicit esse collum Ecclesiæ, per quod à capite Christo gratiæ omnes ceu spiritus vitales in omnia membra transfunduntur, ut totum Ecclesiæ corpus animetur, suumque decorem, pulchritudinemque conservet, aptumque ad cœlestes functiones obeundas reddatur. Hinc D. Hieron. Ser. de Assump. *In Christo fuit plenitudo gratiæ, sicut in capite influente; in MARIA verò sicut in collo transeunte.*

In MARIA dignitas Filij elucescit.

Per Mariã nobis Spiritus S. communicatur.

M. Iurisdictioné in omnem Spiritus S. temporalem processionem obtinuit.

B. V. est Collum Ecclesiæ, per quod ejus membra nutriuntur.

Quam gloriosum porrò sit DEIparæ Virgini hoc gratiarum erga mortales omnes ministerium, idem Seraphicus ostendit Bernardinus, dum inter 12. Stellas quæ Virgineum, ac Sacrosanctum illũ ipsius coronant verticem, hanc *gratiarum dispensationem* numeravit; ne quis forte indignum DEI Matre, ministrare mortalibus, arbitraretur.

Gratiarũ dispensatio est Stella in Corona Mariæ.

88. Luna nimirum est Virgo DEIpara, quæ ut observarunt Astronomi, Solis, reliquorumque Planetarum influxus in se recipiens, eosdem in hæc inferiora derivat, ministratque benignissimè. Vnde Georgius Venetus Ordinis Seraphici præclarè dixit: *Ideo non abs re Luna assimilatur Mater illa omnium gratiarum plena, quæ ea, quæ à supernis fontibus, per diversos canales haurit, largitur quidem inferioribus pro recipientium dispositione.*

M. Luna est, quæ Planetarũ influx9 in se recipiens, eosdé in hæc derivat inferiora.

89. Neque verò DEIpara sese hominum Ministram in rebus spiritualibus, videlicet gratijs, donisque cœlestibus subministrandis exhibuit, exhibuit se quoque Ministram, in alijs etiam temporalibus ministerijs, ac servitijs; ut cum loco Beatricis illius, de qua scribit Cæsar. lib. 7. c. 35. ministravit. Hæc enim cum ex Monasterio profuga insidijs, blandicijsq; cujusdã impuri Clerici circumvẽta ad sæculũ redijsset, Virgo benignissima ut errorem hunc sibi alias addictissimæ clientulæ tegeret officium custodis Oratorij sive Sacrarij 15. annorum spatio magnâ cum laude obivit.

B. V. loco Monialis Custodis Sacrarij Officio fungitur.

90. De B. Raynero Chrysost. Henriquez in suo Menologio ad diem 30. Octob. narrat quod cùm studeret Parisijs, & nescio quo casu in aquas esset prolapsus, & jam jam vorticibus hauriendus, Beatissima Virgo; quam ille impensè ab ineunte ætate coluerat, opem ipsi tulit præsentissimam: brachijs enim suis illum complexa à submersione liberavit. Hic deinde tanti memor beneficij Ordinem Cistercensem, sciens esse dilectissimum DEIparæ est ingressus, in eoque adeò sanctè vixit, ut ipsa Virgo apud Filium intercessisse memoretur, quo moriens Purgatorium ignem posset evadere. Sic enim in Chronico Villariensi memoriæ de ipso proditum est: *Vidit DEI Genitricem ita Filio suo supplicantem: Mi Fili dilecte, Monachum istum diligentissimum famulum nostrum timentem DEVM, qui suo servitio & lacrymis peroptimè lavit, ac purgavit peccata sua, tibi commendo, & rogo, ut post hanc temporalem vitam possit sine aliqua Purgatorij pœna huc venire, & vitam æternam possidere. Ad quam dilectus Filius: Beata Mater, inquit, Virgoq; purissima, quoniam non me decet tibi aliquid denegare, quidquid petieris volo, ac concedo.*

MARIA Raynerũ aquis mox profocandum, proprijs mani b9 liberat.

B. Raynerus, intercessione B. V. à Purgatorio præservatus.

91. Nota est Virg. benignitas in adjuvanda S. Catharina Senensi panem pinsente. Nota ejusdem Charitas in sublevando B. Girarchino Cistercensi circa pistrini labores. Cùm enim Abbas eum ad pistrinum ire jussisset, ipse ante Imaginem DEIparę provolut9 in genua: *Domina mea charissima, inquit, præcipitur ut cum pistoribus laborem, tu autem scis me in ea arte esse planè rudem, tamen faciam quid præcipies.* Cui Imago: *Fac quod hucusq; feceras, &*

B. V. juvat S. Catharinã Sen. in pane pinsendo.

Itẽ B. Girarchinũ in pistrino.

rus, & ego pro te serviam in pistrino. Perexit in oratione ille more consueto, cui dies, noctesque operam dare fuit solitus, ejusque vices V.B. in persona, sine dubio cujuspiam Angeli supplevit.

92. Quid de ministerijs illis amoris planè Materni plenissimis dicam, quæ Virgo benignissima B. Hermanno cognomento Ioseph Sponso suo dilectissimo sæpiùs exhibuit, ut cùm scabiem, quâ caput ejus erat infectum, curavit, cum dolore gravissimo capitis laborantem sanavit, cum dentes, qui ipsi graviori quâdam prolapsione fuerunt excussi, proprijs manibus sedibus pristinis restituit, &c. videnda apud Surium 17. Apr.

B.V. benignitas exhibita B. Hermaño

93. Quid de B. Agatha à Cruce Virginis devotissima dicam? Refert de ipsa P. Iustinus Michoviensis Dis. 231. in Litan. quod cum ex editiori quodam aggere sive monticulo ab una ex coætaneis esset protrusa, inter cadendum opem implorat Deiparæ; Mater Dei adjuva me, inquiens: & ecce tibi mox illi in præsentissimo vitæ periculo adest Dei Parens, proprijsque manibus eam excipiens, incolumem servavit. Eadem pientissima adolescentula, dum pauperi stipem elargiri cupit, & ad panem addere vult caseum, dum eum scindit, à Cacodœmone ex scamno deturbatur simulque digitum sibi præscindit. Miserta misericordiæ Mater vices misericordis Virginis in pauperes, illi se visendam exhibet, simulque præcisum digitum arte plane Divina manui ne minima quidem relicta cicatrice restituit, addita hac consolatione: *Filia mea Dæmonem ne exstimescas, quoties enim ille tibi nocere voluerit, Vnigenitus meus te periculo eripiet.* Patiebatur Agatha consobrinum quendam sibi admodum infestum, hic invidiâ stimulante eam ex edito quodam loco in subjacentes rupes, ac scopulos immanissimè deturbat, inter cadendum Agatha more suo auxilium inclamat MARIÆ, cui illico præsto fuit, eamque cadentem suis proprijs brachijs excepit, Angelicũ ministerium illi benignissimè impendere non dedignata, de quibus cantat David: Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.

B.V. benignitas exhibita B. Agathæ à Cruce.

94. Claudamus hæc Virginis beatissimæ erga mortales ministeria, memorabili Petri Caralti Ord. Prædicatorũ Socij Divi Vincentij, quod illi mira benignitate exhibere dignata est Dei Mater, ut idem scribit Iustinus. Professus hic fuerat aliquando ad Carthusiam in finibus Cataloniæ sitam, Scala cœli appellatam. vehebatur bonus Senex morbis attritus, annisque jam effætus, atque confectus mulâ. quam cum humani generis hostis objecto atroci spectro exterruisset, senem infœlici casu excussit è Sella, & è stapede pendentem capite deorsum terræ alliso, per multum viæ spatium concitatiori cursu, absque ulla prorsus læsione, supponente nimirũ benignissima Virgine ejus capiti ad instar pulvilli manum suam. Cognovit hoc Ioannes Fortius Carthusianus, qui eodem tempore, quo Caralto casus cõtigit, sacram Hostiam Deo litabat; Vnde Caralto paulo post Monasterium ingrediente, ac si præsens adstitisset rem ex ordine narravit: Bene veneris, inquiens, mi Caralte, optima tibi opitulatrix, sospitaque obtigit, quæ dum è stapede penderes, capiti tuo reliquoque corpori manus supposuit, ne saxa per quæ raptabaris vitam tibi eriperent.

M. benignitas in Petrum Caraltum

95. Alia sexcenta hujusmodi benignitatis Virgineæ suis amatoribus impensæ prætermitto, exempla Illud unicũ quod hoc nostro sæculo contigit commemorasse sufficiat. Anno 1576. Romæ contigit in Ædicula sacra Patrum Oratorij, ut tignum, cui totum tectum sacræ illius Ædiculæ incumbebat, altera ex parte totum extra murum, fulciente nemine staret, vidit S. Philippus Nerius in tanto periculo noctu Deiparam suis illud manibus (ò benignitatem admirandam Dei Matris) sustentantem, ex quo præsentissimam ejus opem, in tanto discrimine intellexit, statimque à fabris lignarijs, tectum ne sponte corruens, aliquem opprimeret, demoliendum curavit. Ex quibus omnibus facilè colligimus, Virgineam Fortunam nostram facilè dici posse Christianorum Deificatorum esse Ministram, siquidem tanta cum benignitate ipsis deservire, non dedignatur.

B. V. sustentat tignum, ne corruat Templi tectum.

96. Quod si antiquitus Fortuna Virili Schemate, ad ejus Fortitudinem, Magnanimitatemq; significandam repræsentabatur. (Vnde Plutarch. lib. de Fort. Roman. asseruit Ancum Martium novum delubrum substruxisse Virili For-

Fortuna Virili Schemate repræsentata fuit.

Fortunæ, eidemque dedicasse. Et Blondus lib. 1. de Roma triumph. scribit apud Nemorensem lacum Templum fuisse Fortunæ Virilis: Alibi Fortunæ etiam Barbatæ.) Cœlestem sanè Fortunam nostram Virilem omnino, fortemque, imò omnipotentem reperiemus. Hæc enim est secunda illa Eva, de qua Gen. 2. *Hæc vocabitur Virago, quia de Viro sumpta est.* Quæ verba ponderans Richardus à S. Laurentio lib. 6 de laudibus Virginis: *MARIA*, inquit, *fuit Virago, quia egit, seu fecit Virum suum. Unde Apostolus ad Galat. 4. Christum vocat factum ex Muliere. Sicut enim Eva dicta est Virago, quia de Viro sumpta est: sic MARIA Virago dicta est, quando ex magnitudine Fidei consensit, ut de sua Substantia fieret DEUS Homo: Ecce, inquiens, Ancilla Domini &c. Tum enim verè Virago extitit, Viriq; quodammodo personam gessit.*

MARIA Fortuna Virilis.

MARIA Virago, & secunda Eva.

97. Idê jam memoratus Richardus ait prophetice fortasse Viraginem appellatam fuisse Evam, eò quod alliciendo Virum ad peccandum, Virum actura, eiq; dominatura erat; simulque eodem hoc actu MARIAM adumbrasse visa est, quæ quatenus Mater Christo imperatura erat ut Filio, Virumq; quasi actura, dum illi fuit subditus, ut homo. Agnovit Virilem quandam in hac Virgine nostra potestatem in Filum B. Petrus Damiani Cardinalis serm. 1. de Nativitate Beatissimæ Virginis, dum eam sic alloquitur: *Nihil tibi impossibile est, cui possibile est desperatos in spem Beatitudinis relevare. Quomodo enim illa potestas tua potentia poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solùm rogans, sed imperans; Domina, non Ancilla.*

M. Virago, quia Virũ egit dum illi Filius subditus fuit.

B.V. nihil est impossibile.

In MARIA Virilis quædam potestas est respectu DEI.

98. Virago etiam extitit Virgo Beata, dum viriliter caput serpentis, de originali peccato triumphando, contrivit, effecta similis Iudithæ, quæ caput crudelissimi Holofernis plusquam Virili fortitudine amputavit, cui proinde acclamatum: *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificẽtia populi nostri quia fecisti viriliter, & confortatũ est cor tuũ.* Iudi. 15. *Multis etiam alijs modis*, inquit Richard. lib. 4. *egit viriliter, quod longum esset enarrare; sed maximè viriliter egit, & viriliter dilexit in Christi Passione, ita ut ad laudis eius titulum sufficiat, quod eius mentem tanta vis amoris accenderat, ut fugientibus Discipulis oblita sexus fragilis, ipsa cum lachrymis adstans Cruci, condolensq; morienti, animam suam pro Filio suo etsi non posuit, exposuit tamen. Viriles etiam fuit, quando Filium à Nativitate die quadragesimo præsentauit in Templo, ubi totus conveniebat Mundus, quasi volens totum Mundum in ipsius possessionem intromittere. Unde verè dici potest: Sic MARIA dilexit Mundum, peccatores videlicet in Mundo, ut Filium suum Unigenitum daret pro Salute Mundi.* Sic fere Richard.

MARIA Virago caput serpentis cõterendo.

MARIA quam miris modis Virilis extiterit.

99. Hæc Virago nimirum est Mulier illa, de qua Salomon Eccl. 7. *Virum de mille unum reperi, Mulierem ex omnibus non inveni*, huic scilicet similem. Licèt enim Sampson & David, Viri fortes, ac magnanimi extiterint, utpotè quorum alter mille, alter decem millia hostium trucidavit, ac proinde Christo Giganti fortissimo, in Mundi liberatione aliquâ ratione potuerint comparari; Mulier tamen nulla hactenus reperta fuit, quæ fortitudine, ac generositate animi ad redemptionem humani generis, Christo cooperaretur. Quæ cooperatio in eo potissimum consistit, quod eum Mundo ediderit, ut taceam quod eundem Sponte pro nostra Salute Patri obtulerit &c. Quæ sanè Virginis hujus cooperatio, adeò ad Salutem nostram fuerat necessaria, ut Card. B. Petrus Damian. serm. 2. de Nat. B. V. dixerit fuisse, absque illa impossibilem hominis redemptionem: *Sicut impossibile erat, ut humani generis redemptio fieret, nisi DEI Filius de Virgine nasceretur, ita etiam necessarium fuerat, ut Virgo, ex qua Verbum Caro fieret, nasceretur. Oportebat quippe priùs ædificari domum, in qua descendens cœlestis Rex habere dignaretur hospitium.* O quam singularis, quam fortis, quã Virilis hæc Virago extitit, quæ Divinũ illum, ac terribilem Unicornem Sinu uteri sui excipere digna fuit. *Mulier nimirum hæc est ex omnibus*, ut ait Rich. lib. 4. *bonis mulieribus collecta, Mulier hæc omnium bonarum mulierum universas bonitates, ac singulas, privilegiaq; omnia in se complectitur, incipiendo ab Eva, & descendendo per omnes bonas mulieres, de quibus in Biblijs fit mentio, usq; ad amictam Sole Mulierem. Ideò conquerebatur idem Sapiens Prov. 31. Mulierem fortem quis inveniet? Notatur hic*, inquit Rich. lib. 6. *Summa difficultas, quia nec alia sufficienter fortis potuit inveniri ad Mundum redimendum; nec alius quam Christus ipsam potuit invenire. Verè de ultimis finibus pretium eius.* Cùm enim ipsa primogenita fuerit Redemptoris, & ipse Christus

Mulier nulla B.V. similis in cooperatione humanæ salutis reperta.

MARIA ex omnibus bonis mulieribus collecta.

M. mulier fortis.

stus semetipsum pro Matre redimenda precium dederit, procul & de ultimis finibus, cœlorum videlicet, à quibus in Virginis uterum descendit, ejus pretium fuit; proinde ex magnitudine tam ingentis pretij, magnitudinem hujus licet deprehendere Viraginis, quæ adeo Tartareis hostib⁹, Virili sua fortitudine formidabilis extitit, ut ipsa sola adinstar exercitus benè ordinati multorum millium virorum, Inferos fecerit contremiscere. Vnde eam Virili hac sua fortitudine, ac magnanimitate ad bellum procedentem, & ad nostram redemptioné cooperantem contemplatus Salomon, terrore perculsus exclamavit: *Quæ est ista, quæ progreditur terribilis, ut castrorum acies ordinata?* O! quàm præclarè sæpe memoratus Rich. lib. 4. *Ipsa tantum Dæmonibus est terribilis, quantum Angelis & Sanctis extitit venerabilis, sicut, inquam, tota acies Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, Confessorum, ac Virginem, omniumq; qui ordinatè contra Diabolum pugnarunt. Quia enim omnium Sanctorum privilegia habet in se congesta, ideo ita terribilis est Dæmonibus, sicut universa Sanctorum omnium collectio.*

Precium Mariæ de ultimis finibus petitum, fuit Christus.

Ex tam ingenti precio Mariæ dignitas cognoscitur.

Maria terribilis Dæmonibus, sicut tota Sanctorũ Vniversitas.

100. Virilẽ hanc potentiam in Deum ipsum quodamodo exercet in hodiernũ usq; diem Virago hæc gloriosissima. Nã ut Ord. Seraphici Bernardinus Bustius loquitur Par. 12. Mari. Serm. 2. de Coron. B. V. *Ipsa super omnes creaturas est potentissima: Licet enim omnes Sancti in cœlo potentes sint apud DEVM ob merita, tamen ipsa omnes excedit in potentia. Est enim Mater cœlestis Imperatoris, habens merita apud ipsum penè infinita. Plus enim gloriosa Virgo sola promerita est, quam omnes Sancti simul, unde consecutivè cunctis est apud DEVM potentior. Hinc ipsa: In Hierusalem,* inquit, *potestas mea; super omnes videlicet Sanctos.*

Maria meritis super omnes sanctos potétissima.

Tum ut nos Vir pijssimus ad confidendum de hac Deiparæ Viraginis nostræ potentia excitet, hæc attexit: *Sed quid tanta MARIÆ potentia nobis prodesset, si illa de nobis nil curaret? Sed ò Christiane bona nova tibi annuncio. Sicut MARIA apud DEVM omnibus Sanctis est potentior, ita pro nobis apud DEVM diligentius intercedit, ac ferventius. Ideoq; ò peccator, ne te desperationis Barathro demergi sinas, sed confidenter ad potentissimam hanc, clementissimamq; Advocatam recurre. Ipsa tibi succurret sine dubio, quia potest. Si enim potuit DEVM facere hominem; & Creatorem Creaturam; infinitum, finibilem; impassibilem, mortalem; immensum, parvulum; æternum, temporalem; invisibilem, & incorporeum, visibilem & corporeum; Divinamq; Majestatem sub forma servi, blanditijs suis, eximijsq; virtutibus de cœlo in terram detrahere; multo majori facilitate poterit nos de terra ad cœlum pertrahere.*

B. V. respectu DEI Potentia.

Tandemque concludit: *O igitur Regina nostra Serenissima, quia subest tibi cum volueris posse,* Sap. 12: 18. *Posse enim tuum, ac potentia, quæ idem est cum tua voluntate, tibi subest, ac obtemperat, & misereris omnium, quia omnia potes, nostri quoq; miserere, &c.*

101. Quod si Fœlicitatem veram, esse dicebat Iamblicus apud Stob. Serm. 101. cum Deo, quoad fieri potest, similitudinem; quæ perfectione, simplicitate, puritate, & ab humana vita separatione comparatur; quis dubitabit Deiparam verissimam esse Fœlicitatem, utpote, qua tam Divinæ essentiæ, quam Personarum, & attributorum omnium, omnipotentiæ, sapientiæ, Bonitatis, misericordiæ, ac reliquorum lucidissimum extitit speculum? Vnde quicunque fœlix, ac beatus esse desiderat, hujus fœlicissimæ Virginis vestigijs insistat, virtutes æmuletur; animumque vitijs, cupiditatibusque expurget, ut purum tersumque speculum, in quo Divinæ Majestatis imago similitudoque resplendeat, evadat. Hanc semper præ oculis habeat, ejus Virgineam puritatem, sanctimoniamque, virtutesque reliquas contempletur, atque imitetur, illam amore castissimo, ut Matrem, ac Sponsam complectatur, ut Dominam, ac Reginam sedulò colat, ac veneretur, absolutissimam, mihi credite, perfectioné, & consecutivè Fœlicitatem consequetur.

Fœlicitas vera est cum Deo similitudo

Maria Fœlicitas nostra verissima, quia in illa Dei Imago resplenduit.

102. Audiat illã D. Hier. Ser. de Assum. ad Paulã, & Eustoch. exhortationẽ: *Iccirco dilectissima amate quã colitis, & colite quã amatis, quia tunc verè eã colitis & amatis, si imitari velitis toto corde quam laudatis. Hæc namq; vita nobis de cœlo fluxit, quam professæ estis, supra usum naturæ hæc vita est, quam tenetis, de cœlo venit Sponsus, quem sequi una cum Matre debetis. Nec immerito vivendi usum de cœlo quæsiistis, quæ vobis de cœlo Sponsum petiistis. Ideo vestra conversatio in cœlis sit semper, quoniam Verbum DEI quod amatis, non nisi in sinu Patris invenitur. Licet igitur ubiq; totus sit, & non longè ab unoquoq; nostrum, tamen non nisi casto hauritur pectore. Vnguentum exinanitum est Nomen eius, propterea adolescentulæ diligite animo, quod pro vobis effusum est. Habetis namq; Sponsæ Virgines, Sponsum*

Maria colenda, & imitanda.

In Maria velut speculo resulget forma virtutis.

Virginem, Virginitatis & castitatis amatorem, qui Matrem Virginem ideo elegit, ut ipsa omnibus esset exemplum castitatis, in qua velut speculo refulget forma virtutis. Habetis igitur in ea magisteria probitatis expressa, quid primũ eligere, quid respuere, quid sequi debeatis. Ergo primum discendi incitamentum, nobilitas est Magistri, deinde merces laboris optimi, fructusq; beatitudinis. Quid igitur nobilius Matre Domini? quid splendidius ea, quam splendor elegit paterna gloria? quid castius ea, quæ corpus Christi sine contagione corporis generavit? Hactenus S. Doctor.

Quæ sanè si reipsa exequamur, & ad imitandam Virginem accendamur, laboris hujus optimi mercedem, Divinam similitudinem in primis adipiscemur, deinde beatitudinis, ac fœlicitatis æternæ, dum adhuc in hujus miseri corporis ergastulo versamur gaudia prælibabimus.

Veræ fœlicitatis fructus, est perpetua lætitia.

103. Verissimè enim, ac sapientissimè censuit Diogenes apud Stob. Ser 101. *Veræ Fœlicitatis Fructũ esse, ut semper lætemur, nec unquã quocunq; loco aut tempore tristitiã afficiamur, sed ut mens, animusq; in perpetua tranquillitate, atq; hilaritate conquiescat.* Quæ sanè nulla humaua Fœlicitas parere cõsuevit. Sola hæc Virginea Fœlicitas, hæc Fortuna nostra optima, post Devm, qui ultima est hominis Beatitudo, hæc omnia suis clientulis, sedulisque æmulatoribus impertitur. Vnde Ecclesia Sancta, hujus sanctæ Fœlicitatis gaudia, liquidissimasque experta voluptates jucundè concinit: *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te Sancta DEI Genitrix.* Delibare visus fuit hujus Divinæ Fœlicitatis delicias Rupertus Abbas, cum lib. 1. in Cant. exclamavit: *O! beata MARIA, inundatio gaudij, vis amoris, torrens voluptatis.* Delibarat Fœlicitatis hujus gaudia S. Bonav. Psal. 17. cum eam piè rogabat: *Stilla nobis Domina gratiam uberum tuorum, & manante lacte dulcedinis tuæ, refice viscera puerorum tuorum.* Et Psal. 44. *Eructavit cor meum, Domina, verbum bonum, cum rore tuo mellifluo fuit dulcoratum.* Vnde mœstis optimum dedit consilium Ps. 116. *Qui tristatur in corde suo clamet ad Dominam, & dulcoranti gratia ejus stillicidio inebriabitur.* Delibarat Andreas Hierosolimit. cum eã Ser. de Annunc. *Organũ lætitiæ vocitavit.*

Maria Fœlicitas, ac Fortuna nostra verum nobis parit gaudium.

Maria inundatio gaudij, torrens voluptatis.

Maria Organum lætitiæ.

104. Virgo hæc Sacratissima deniq; veram se Fœlicitatem, Beatitudinemque generis humani agnoscens, vaticinata fuit, mortales omnes ejus fœlicitatem participantes olim eam beatam deprædicaturos, dum canebat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* quod vaticinium expendens Ioann. Gerson Trac. 4. in Magnif. Adjectivum illud Antomasticè Dei paræ convenire, pronunciavit: Enunciasse videtur, inquiens, Prophetico spiritu Verbigena, &c. Beata verè, imo ipsa nostra post Devm prima Beatitudo, quam quis ubi per affectum amoris in hac etiã vita possederit, beatus, ac fortunatus extiterit.

Maria Beata Antonomasticè.

Cum igitur fœlicitatem beatitudinemque omnem, quæ imaginari humana mente potest, Deipara etiam dum hujus corporis detineretur ergastulo consecuta sit, consultissimum sanè est omnibus, qui vera fœlicitate, beatitudineque potiri desiderant, in dies singulos Virgineam hanc nostram Fœlicitatem salutare, eique benè precari. ita enim futurum est, ut & ipsa nobis fœlicitatem omnem, prosperitatemque, ac gaudium adprecetur & simul impertiatur.

105. Memorabile est planè, qđ B. Petrus Card. Damiani lib. 3. Epis. 10. ad quendam Archiepiscopum scribens recenset, relatum sibi à Reinaldo Episcopo Cumano, fuisse Religiosum quempiam Monachũ, qui quotidie dũ ante Altare B. M. V. transiret, illam percurrebat antiphonã: *Gaude DEI Genitrix Virgo Immaculata. Gaude, quæ ab Angelo gaudium suscepisti. Gaude quæ genuisti æterni luminis claritatem. Gaude Mater. Gaude Sancta DEI Genitrix Virgo. Tu sola Mater innupta. Te laudat omnis factura. Genitrix lucis intercede pro nobis.*

Salutatio Virginis utilissima, & gratissima.

Hæc dum die quadam piè iterasset, audivit vocem dulcissimã ab altari procedentem. *Gaudium mihi annunciasti, gaudium tibi eueniet.* Quod licet Deipara pro innata sibi benignitate semper suis clientulis, ac filijs communicare consuevit, communicat tamen vel maximè in tremendo illo mortis articulo, eosque serenissima vultus sui luce exhilarare assolet; quod evenisse scribit idem Cardinalis lib. 2. Epis. 14. Marino uterino suo Fratri, qui cum ad extrema pervenisset, adfuit illi, seseque benignissimè visendam exhibuit magno illius gaudio Virgo Deipara. *Die quadam* inquit ille, *illucescente diluculo repente cœpit, quasi alicui adventanti gratulabundus agglisćere, jucundanter hilarescere, festivaq; serenitate vultus alacriter assultare, mox & in verba prorumpens magno impetu animadvertit in adstantes:* Levate,

Maria gaudium sibi cuidã annunciati, gaudium ipsi pollicetur.

Marinum B. V. luce suæ præsentiæ ægrotantẽ exhilarat.

Leuate, inquiens, leuate, ac Dominæ meæ reuerenter assurgite. Tum ad Virginem conversus aiebat. Et quid est Domina mea, Regina cœli & terræ, quia visitare dignata es pauperculum seruum tuum? Benedic me Domina mea, & ne patiaris in tenebris ire, cui lucem tantâ præsentia contulisti. Disparente Deipara conversus ad Fratrem: *Heu, heu,* inquit, *Frater, quam ignaros, quam imperitos, atq; irreverentes habemus, & sine disciplina domesticos! Venit Regina Mundi, & hi assurgere neglexerunt. Venit Mater Imperatoris æterni, & eius præsentiam ignobilem reputârunt. Firmiter, & absq; ulla ambiguitate cognoscite, quoniam Angelicis comitata Choris Beata Redemptoris nostri me Mater invisit, hilaritatem mihi sereni vultus ostendit, benedixit me, & protinus abijt.* En ut Vir hic pijssimus, quia in vita Virginem piè coluit, in morte, ejus sanctissimâ præsentiâ exhilarari meruit. Neque verò aliud expectare debuit à Virgine, utpotè cui tanto pietatis affectu dum viveret deservivit, seseque ejus obsequijs totum mancipavit. Refert enim idem Cardinalis ejus Frater, Virum hunc tanto in Virginem ferri solitum affectu, *ut ei se in seruile mancipium ante ipsius altare, nudato dorso, corrigiâ quâ cingebatur, collo innexâ tradiderit, moxq; se quasi malum seruum coram Domina sua fecerit verberibus affici. Sub flagellorum ictibus Deiparam humillimè ita deprecabatur: Domina mea gloriosa, Virginalis mundiciæ Speculum, omniumq; Norma virtutum, quam ego miser, & infœlix offendi per obscænam carnis meæ putredinem, & eam, cuius tu Mater & auctor es, violaui mei corporis castitatem. Nunc itaq; quod solum remedij superest, me tibi famulum trado, tuæq; ditionis imperio substrati cordis colla submitto. Flecte rebellem, suscipe contumacem, nec tua pietas respuat delinquentem, cuius intemerata Virginitas peperit veræ pietatis Auctorem. Per istud ergo munusculum seruitutis meæ tibi nunc offero censum, & amodo, ac deinceps quoad vixerò, certi canonis appendam annuale tributum.* Pensum hunc porrò pecuniarium ordinariè quotannis in altari solitus fuit deponere ad suam, Cœlorum Reginæ contestandam fidelissimam servitutem. O quam fœlix, fortunatusque Viri hujus ex hac vita fuit exitus, quam liberaliter Cœlorum Regina modicum illud ipsius in se compensavit obsequium, quam fœliciter hoc mancipium in Filiorum Dei ascitum est libertatem! *O moriatur anima mea morte iustorum, & fiant novissima mea horum similia. O fœlicitatem, ò Beatitatem plenissimam!*

Ritus sese in Mancipium Deiparæ offerendi.

Marini se Deiparæ mancipantis oratio.

106. Quæsitus olim Antistenes quidnam apud homines esset beatissimum? Christianam planè, cœlestique Sapientia plenissimam pronunciavit sententiam, teste Laërtio lib. 6. c. 1. cùm respondit: *Fœlicem mori.* Non absimile Fridericus III. Imperator cognomento Pacificus, ut scribit Spondanus ad Annum Christi 1493. cuidam sciscitanti, quid homini optimum posset contingere, edidit oraculum, cùm dixit: *Fœlix ex hac vita exitus.* Sententia planè pietate Austriacâ dignissima. Et verò Princeps hic Fœlicitatem hanc non obscuris argumentis videtur indeptus, ut idem asserit Spondanus. Siquidem Sacramentis omnibus, quæ vasa sunt gratiæ, & hæc semem Fœlicitatis æternæ, munitus, ex hac vita decessit. Princeps sanè in Deum, ejusque Matrem pijssimus, qui cum 25. circiter esset Annorum, profectus Hierosolymam, loca sancta, in quibus celebriora, tam Christi, quàm B. V. peracta sunt mysteria, invisit, religioseque veneratus est. In hujus suæ planè insignis religionis præmium, mox ut in Austriam est reversus, maximo Electorum consensu ad Imperium evectus est. In quo ita omnes devoti, pijq; Christiani, uti scribit Petrus Messias, partes implevit, ut toti Imperio, ob insignem probitatem, morumque integritatem, ac prudentiam esset in amoribus, & admiratione. Fertur totius vitæ suæ decursu, non nisi bis jurasse. Semel Aquisgrani, dum in Imperatorem est coronatus, & rursus cùm Romæ à summo Pontifice Imperij confirmationem accepit. Longum foret, & à nostro proposito alienum, alias ipsius virtutes, Christianæque pietatis opera recensere, quibus & tam fœlicem illam 53. annorum vitam in Imperio, & fœliciorem ex hac vita exitum consecutus est. Quam Fœlicitatem, prosperamque Fortunam, patrocinio Virginis Deiparæ potissimum indipisci visus est. In eam siquidem singulari pietatis ferebatur affectu, atque ut fœlicem ex hac vita consequeretur exitum, in honorem Deiparæ eum diem, quæ triumphalem ipsius in cœlos præcedit Assumptionem, pane duntaxat, & aqua contentus transigebat, ut scribit Cuspinianus. Porrò qui sibi parcus & austerus, ut loquitur Ioannes Bonifacius noster lib. 2. de Hist. B. V. c. 8. Christo liberalis fuit. Multa quippe

Mortalibus beatissimum Fœlicem mori.

Friderici III. Imp. Symbolum.

Frid. Imp. proficiscitur Hierosolymam ad visenda loca sancta.

Redux ob pietatem eligitur in Imperat.

Nunquam juravit, nisi bis.

Templum B. V. extraxit Neostadij

Fridericus Imperat. in vigilia Assumpt. B. V. in pane & aqua jejunat.

Monasteria fundavit, annuisque fructibus stabilita reliquit. Templa quoque honori Deiparæ consecravit; Quod nobis sacra ædes Patrum Cisterciensium magnificis sumptibus ædificata Neostadij in Austria contestatur: quemadmodum & altera Græcij Metropoli Styriæ, longè magnificentioribus expensis exstructa. Quæ postea Collegio Societatis nostræ, Caroli Archiducis fœlicis recordationis, munificentiâ cessit.

Aliud Templum Græcij.

107. Videtur Princeps hic alterius Friderici Imperatoris Austriaci, cognométo Pulchri sententiam æmulatus, qui pro communi Symbolo uti consueverat: *Morte beatâ, nil beatius.* In hoc sapienter quidam lucit:

Symbolū Friderici II. Imper. Austriaci.

Qui credit nil morte beatius, esse beatâ
Ille sapit: mortem vita beata manet.

Accinit huic Symbolo Cœlius Calcagninus:

Vt tibi mors fœlix contingat, viuere disce:
Vt fœlix possis viuere, disce mori.

Et Ovidius:

Viue pius; moriêre pius.

Vivendū piè & maximè B.V. ut moriamur piè.

Quem imitatus eruditus quidam, non ineleganti Epigrammate cecinit

Vna est viuendi, ac moriendi Regula rectè:
Vt moriare piè, viuere disce piè.

Quare sapienter pius quidam Vir:

Fac ea, quæ moriens facta fuisse velis.

108. Et verè qui post Deum pius vivit in Virgine, piè quoque, ac fœliciter morietur, siquidem ad præsentiam ipsius Divinæ Fœlicitatis, prosperæque Christianorum Fortunæ, ipsius Virginis Deiparæ, uti in jam commemorato patuit exemplo, extremum suæ vitæ spiritum, in ejus manûs exhalat. Hujusmodi enim de æterna gloria erit securissimus; cùm hoc sine dubio Virgo benignissima, atque optima optimæ illius Partis, quam sibi elegit, à se in æternum non auferendæ, portionem liberalissimè communicabit. Cùm enim ingentem quandam omnibus Sanctis, Angelisque excellentiorem fuerit sortita gratiam, consequens sanè fuit ingentem simul, super omnem creaturam consecutam esse gloriam, & gloriam quidem singularem, dum contemplatur Filium, non modò ut Deum, verùm etiam ut hominem carne suâ, velut Regio paludamento, velut Coronâ pulcherrimâ circumdatum. Quæ gloria nulli creaturæ à Deo communicari potest, uti nec Divina Maternitas, cùm unius Dei, unica duntaxat possit esse Mater, ut testatur Dionys. Carthus. Licet enim essentialis gloria, visioque beatifica donari possit alicui tanta, quanta fuit in Deipara, nulli tamen concedi potest, videre Deum, Diademate carnis propriæ coronatum. Vnde SS. Angeli, beatas illas animas ad Dei Filium, Virgineâ, gloriosâque carne vestitum, velut ad singulare Spectaculum contemplandum evocantes, Cant. 3. dicebant: *Egredimini Filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater sua.* Quæ verba expendens B. Guerricus Abbas ser. 4. de Assumpt docet omnino gloriam hanc solius Virginis esse singularem, atque incomparabilem, videre Deum propriæ suæ carnis Diademate coronatum. *Vacate,* inquiens *& videte, quoniam IESVS est DEVS. Visio prorsus ineffabilis gaudij, summæq; delectationis omnibus qui diligunt IESVM, sed præ omnibus illi, quæ genuit IESVM. Cui sicut singulariter excepta est gratia DEVM generandi, sic & prærogatiua gloriandi in eo quem genuit. Omnino singularis atq; incomparabilis gloria Virginis Matris, videre DEVM Regem omnium in Diademate carnis, quâ coronauit eum; ut & DEVM agnoscat, & adoret in corpore proprio, & corpus proprium glorificatum videat in DEO.* Hanc optimam partem Maria elegerat, quæ non ablata, sed perfecta est nunc in cœlis, ut nimirum cum suis clientulis aliquā ejus partem quoad fieri potest, communicare valeat.

M. gloria singularis nulli communicabilis videre Deum carne propria vestitum.

Humanitas nostra est Corona Filij Dei.

109. Vnde ipsa Cant. 2. gloriabatur: *Dilectus meus mihi*, singulariter scilicet se videndum exhibet, & non alteri, quæ Mater Dei non sit; gloria enim hæc mea est incommunicabilis. Audiamus Guilel. Abbatem in Persona Deiparæ sic loquentem; *Nulli tantum contulit, quantum mihi; Ego Dilecto meo ex carne mea dedi carnis Substantiam, & Dilectus meus mihi refudit singulerem inter homines gloriam. Quid enim insigniùs, præclariusúe conferre mihi potuit, quàm ut Mater Verbi fierem, & hoc tam excellenter, ut non tantùm de me, sed & à me in usum redemptionis humanæ carnem sumere dignaretur. Et hoc ipsum ad quantam gloriam mihi tempore suo reuelandum.* Sic ille de gloria illa Virgini propria, singulari, & cum alijs incommunicabili. Audiamus jam B. Cardinal. Damiani ser. 1. de Nat. Virg. de gloria quam alijs etiā impertiri Virgo nostra consuevit.

M. Dilectus Filius singulariter se videndum exhibet

Vbi

Vbi postquam insinuasset illam Beatorum cupientium videre DEiparam, esse vocem: *Reuertere Sulamitis, ut intueamur te*: addidit: *Summa enim gloria est post DEVM videre te, adhærere tibi, & in tuæ protectionis munimine demorari.* Fœlix igitur, qui Virgineæ huic Fœlicitati sociatus, ex hac vita decedit. Tantæ enim Fœlicitatis & Gloriæ suæ, quam in cœlis possidet, faciet esse participem.

Summa gloria post Deũ est videre B. V.

110. Optat quispiam ita fœlix, fortunatusque emori, optat de Virgineæ hujus Fœlicitatis Gloriâ, ac Beatitudine participare, & benedictum ventris ejus Fructum sibi post hoc exilium ostendi? Eam ut fidelissimam Patronam, ut dilectissimam Matrem colat, ac veneretur; illi totius vitæ suæ committat navim, ac gubernacula: diriget illa, implebitque cœlestibus vela favonijs, & velut Stella maris lucidissima iter diriget, inque portum æternæ Patriæ deducet. Interim non pigeat veterum Romanorum Cæsarum morem imitari, qui auream Fortunam in cubiculis suis, cornucopia instructam gubernaculoque innitentem asservabant, ac venerabantur, quo eam propitiam in gubernatione Reipublicæ, Imperijque moderatione, & in rerum omnium copiâ subministranda liberalem invenirent. Veneremur & nos Fœlicitatem hanc nostram, Fortunam hanc nostram verè bonam, ac prosperam, illius manibus sanctissimis vitæ nostræ gubernacula, habenasque moderandas tradamus, impetrabit illa intercessionibus suis, ac precibus fœlicem, prosperumque nobis totius hujus vitæ decursum, bonorumque omnium, ac præsertim spiritualium affluentiam, tandemque nos ad sempiternam Fœlicitatem perducet.

Imperatores Aureã Fortunam suis in cubiculis asservabãt.

111. Faciendum nobis omnino quod Magnus ille Hungariæ Rex Ludovicus I. fecisse memoratur, qui semper, uti alibi diximus, ad lectuli caput D. Virginis Patronæ suæ auro argento gemmis, sacrisq; Sanctorũ lypsanis exornatã Imaginem appendebat, ut & matutinis, vespertinisq; horis se, suaque omnia ipsi offerret, ac commendaret, ut ipsa velut prosperâ Fortuna auspice, res, negotiaq; ipsius fęlices eventûs sortirentur, ut contigit in atroci illo cum Amurathe Turcarum Tyranno dimicatione.

Ludovici I. Hung. Regis in Imaginẽ B. V. pietas.

Idẽ faciendũ suasit Venerab. P. Iustus Landspergius Ordinis Carthusiani Ornamentũ cuidam sui suo Tyroni Epist. 26. *Charissime Fili*, inquiens, *hortor, moneoq; te quam possum studiosius, ut Imaginem B. M. iuxta Cellam, siue in Cella tua nunquam sine reverentia prætereas. Saluta eam cuius est Imago, & dic:*

Salutandã semper ad ingressum cubiculi B. V.

Salue dulcis & formosa
Mater DEI gloriosa,
Adopta me in Filium.

Interim feruentissimo desiderio optes, à te quidquid illius oculis displicet, auferri, quicquid placet per eam tibi apud DEVM impetrari. Veneratione sedula sis B. M. deuotus, quia Sanctissimi omnes leguntur, & ex Scriptis suis cognoscuntur ea singulari affectione dilexisse. Innumeri peccatores per eam conversi sunt, atq; ad Christum reducti, quotidieq; reducuntur omnes, qui ad B. MARIAM accedere non trepidant, utpotè clementissimam, omnibusq; benignissimam. Tum alia in Epistola nempè 33. præscribit decem petitiones, quæ à B. V. coram ejus Imagine postulandæ sunt, quas si nobis impetraverit, fœlices Fortunati, ac beati evademus: *Elige*, inquit ille, *certum tempus, quo ante Beatissimam Virginem DEI Matrem electissimam, nobilissimam, Dominam gloriosissimam, Cœli Reginam, atq; tuam unicam amabilissimam post Christum consolationem te prosternas humiliter. Ora ipsam per omnia beneficia, quæ etiam humano generi per ipsam contulit. Pete, inquam, ab ipsa, ut dignetur te in suam curam, in custodiam Maternam, in gratiam, & in amorem suum suscipere, perpetuoq; fovere, regere, & perducere in omne beneplacitum DEI Filij sui. Pete item ab ipsa, ut tibi sui amorem ardentissimum, castissimum, fidelissimum, ac perpetuum impetret; teq; faciat de illorum numero, qui illi præcipuè, ac singulariter sunt devoti, qui illi seruiunt, ipsam amant, venerantur, imitantur perfectissimè. Postula denique, ut impetret tibi fœlicem mortem, ut scilicet per eius merita, & maximè Christi Filij eius purgatus ab omni culpa, & pœna peccati, post hanc vitam temporalem, sine dilatione recipiaris, eius gratiâ, & interventione ad æternam.*

Quid à B. V. petendum potissimum.

Vt porrò vitam hanc, fœlicitatemque æternam, gaudijs omnibus exundantem tanto facilius quis sortiri mereatur suadet idem Vir Virginis studiosissimus, Epis. 14. admodum consultum esse, ad cujuslibet horæ sonum DEiparam, Angelica salutatione venerari in unius ex illis gaudijs, quibus olim in terris, & modo in cœlis perfruitur memoriam, ac venerationem. Sic enim futurum est, ut cujus

Singulis horis salutanda B. V. recolendo aliquod ipsius gaudium.

In Maria velut speculo refulget forma virtutis.

Virginem, Virginitatis & castitatis amatorem, qui Matrem Virginem ideo elegit, ut ipsa omnibus esset exemplum castitatis, in qua velut speculo refulget forma virtutis. Habetis igitur in ea magisteria probitatis expressa, quid primũ eligere, quid respuere, quid sequi debeatis. Ergo primum discendi incitamentum, nobilitas est Magistri, deinde merces laboris optimi, fructusq; beatitudinis. Quid igitur nobilius Matre Domini? quid splendidius ea, quam splendor elegit paterna gloria? quid castius ea, qua corpus Christi sine contagione corporis generavit? Hactenus S. Doctor.

Quæ sanè si reipsa exequamur, & ad imitandam Virginem accendamur, laboris hujus optimi mercedem, Divinam similitudinem in primis adipiscemur, deinde beatitudinis, ac fœlicitatis æternæ, dum adhuc in hujus miseri corporis ergastulo versamur gaudia prælibabimus.

Veræ fœlicitatis fructus, est perpetua lætitia.

103. Verissimè enim, ac sapientissimè censuit Diogenes apud Stob. Ser 101. *Vera Fœlicitatis Fructũ esse, ut semper latemur, nec unquã quocunq; loco aut tempore tristitiã afficiamur, sed ut mens, animusq; in perpetua tranquillitate, atq; hilaritate conquiescat.* Quæ sanè nulla humana Fœlicitas parere cõsuevit.

MariaFœlicitas, ac Fortuna nostra verum nobis parit gaudium.

Sola hæc Virginea Fœlicitas, hæc Fortuna nostra optima, post Devm, qui ultima est hominis Beatitudo, hæc omnia suis clientulis, sedulisque æmulatoribus impertitur. Vnde Ecclesia Sancta, hujus sanctæ Fœlicitatis gaudia, liquidissimasque experta voluptates jucundè concinit: *Sicut latantium omnium nostrum habitatio est in te Sancta DEI Genitrix.* Delibare visus fuit hujus Divinæ Fœlicitatis delicias Rupertus Abbas, cum lib. 1. in Cant. exclamavit: *O! beata MARIA, inundatio gaudij, vis amoris, torrens voluptatis.*

Maria inundatio gaudij, torrens voluptatis.

Delibarat Fœlicitatis hujus gaudia S. Bonav. Psal. 17. cum eam piè rogabat: *Stilla nobis Domina gratiam uberum tuorum, & manante lacte dulcedinis tua, refice viscera puerorum tuorum.* Et Psal. 44. *Eructavit cor meum, Domina, verbum bonum, cum rore tuo mellifluo fuit dulcoratum.* Vnde mœstis optimum dedit consilium Ps. 116. *Qui tristatur in corde suo clamet ad Dominam, & dulcoranti gratia ejus stillicidio inebriabitur.*

MariaOrganum lætitiæ.

Delibarat Andreas Hierosolimit. cum eã Ser. de Annunc. *Organũ latitia vocitavit.*

104. Virgo hæc Sacratissima deniq; veram se Fœlicitatem, Beatitudinemque generis humani agnoscens, vaticinata fuit, mortales omnes ejus fœlicitatem participantes olim eam beatam deprædicaturos, dum canebat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* quod vaticinium expendens Ioann. Gerson Trac. 4. in Magnif. Adjectivum illud Antomasticè Deiparæ convenire pronunciavit: Enunciasse videtur, inquiens, Prophetico spiritu Verbigena, &c. Beata verè, imo ipsa nostra post Devm prima Beatitudo, quam quis ubi per affectum amoris in hac etiã vita possederit, beatus, ac fortunatus extiterit.

Maria Beata Antonomasticè.

Cum igitur fœlicitatem beatitudinemque omnem, quæ imaginari humana mente potest, Deipara etiam dum hujus corporis detineretur ergastulo consecuta sit, consultissimum sanè est omnibus, qui vera fœlicitate, beatitudineque potiri desiderant, in dies singulos Virgineam hanc nostram Fœlicitatem salutare, eique benè precari. ita enim futurum est, ut & ipsa nobis fœlicitatem omnem, prosperitatemque, ac gaudium adprecetur & simul impertiatur.

105. Memorabile est planè, q̃ B. Petrus Card. Damiani lib. 3. Epis. 10. ad quendam Archiepiscopum scribens recenset, relatum sibi à Reinaldo Episcopo Cumano, fuisse Religiosum quempiam Monachũ, qui quotidie dũ ante Altare B. M. V. transiret, illam percurrebat antiphonã: *Gaude DEI Genitrix Virgo Immaculata. Gaude, qua ab Angelo gaudium suscepisti. Gaude qua genuisti aterni luminis claritatem. Gaude Mater. Gaude Sancta DEI Genitrix Virgo. Tu sola Mater innupta. Te laudat omnis factura. Genitrix lucis intercede pro nobis.*

Salutatio Virginis utilissima, & gratissima.

Hæc dum die quadam piè iterasset, audivit vocem dulcissimã ab altari procedentem. *Gaudium mihi annunciasti, gaudium tibi eueniet.* Quod licet Deipara pro innata sibi benignitate semper suis clientulis, ac filijs communicare consuevit, communicat tamen vel maximè in tremendo illo mortis articulo, eosque serenissima vultus sui luce exhilarare assolet; quod evenisse scribit idem Cardinalis lib. 2. Epis. 14. Marino uterino suo Fratri, qui cum ad extrema pervenisset, adfuit illi, seseque benignissimè visendam exhibuit magno illius gaudio Virgo Deipara. *Die quadam* inquit ille, *illucescente diluculo repente cœpit, quasi alicui adventanti gratulabundus agglisere, jucundanter hilarescere, festivaq; serenitate vultus alacriter assultare, mox & in verba prorumpens magno impetu animadvertit in adstantes:*

Maria gaudium sibi cuidã annunciati, gaudium ipsi pollicetur.

Marinum B. V. luce suæ præsentiæ ægrotantẽ exhilarat.

Levate,

Levate, inquiens, levate, ac Dominæ meæ reverenter assurgite. Tum ad Virginem conversus aiebat. Et quid est Domina mea, Regina cœli & terræ, quia visitare dignata es pauperculum servum tuum? Benedic me Domina mea, & ne patiaris in tenebris ire, cui lucem tantâ præsentia contulisti. Disparente Deipara conversus ad Fratrem: *Heu, heu,* inquit, *Frater, quam ignaros, quam imperitos, atq; irreverentes habemus, & sine disciplina domesticos! Venit Regina Mundi, & hi assurgere neglexerunt. Venit Mater Imperatoris æterni, & eius præsentiam ignobilem reputârunt. Firmiter, & absq; ulla ambiguitate cognoscite, quoniam Angelicis comitata Choris Beata Redemptoris nostri me Mater invisit, hilaritatem mihi sereni vultus ostendit, benedixit me, & protinus abiit.* En ut Vir hic pijssimus, quia in vita Virginem piè coluit, in morte, ejus sanctissimâ præsentiâ exhilarari meruit. Neque verò aliud expectare debuit à Virgine, utpotè cui tanto pietatis affectu dum viveret deservivit, seseque ejus obsequijs totum mancipavit. Refert enim idem Cardinalis ejus Frater, Virum hunc tanto in Virginem ferri solitum affectu, *ut ei se in servile mancipium ante ipsius altare, nudato dorso, corrigiâ quâ cingebatur, collo innexâ tradiderit, moxq; se quasi malum servum coram Domina sua fecerit verberibus affici. Sub flagellorum ictibus Deiparam humillimè ita deprecabatur: Domina mea gloriosa, Virginalis mundiciæ Speculum, omniumq; Norma virtutum, quam ego miser, & infœlix offendi per obscœnam carnis meæ putredinem, & eam, cuius tu Mater & auctor es, violavi mei corporis castitatem. Nunc itaq; quod solum remedij superest, me tibi famulum trado, tuæq; ditionis imperio substrati cordis colla submitto. Flecte rebellem, suscipe contumacem, nec tua pietas respuat delinquentem, cuius intemerata Virginitas peperit verâ pietatis Auctorem. Per istud ergo munusculum servitutis meæ tibi nunc offero censum, & amodo, ac deinceps quoad vixero, certi canonis appendam annuale tributum.* Pensum hunc porrò pecuniarium ordinariè quotannis in altari solitus fuit deponere ad suam, Cœlorum Reginæ contestandam fidelissimam servitutem. O quam fœlix, fortunatusque Viri hujus ex hac vita fuit exitus, quam liberaliter Cœlorum Regina modicum illud ipsius in se compensavit obsequium, quam fœliciter hoc mancipium in Filiorum Dei ascitum est libertatem! *O moriatur anima mea morte iustorum, & fiant novissima mea horum similia. O fœlicitatem, ò Beatitatem plenissimam!*

Ritus sese in Mancipium Deiparę offerendi.

Marini se Deiparæ mancipantis oratio.

106. Quæsitus olim Antistenes quidnam apud homines esset beatissimum? Christianam planè, cœlestique Sapientia plenissimam pronunciavit sententiam, teste Laërtio lib. 6. c. 1. cùm respondit: *Fœlicem mori.* Non absimile Fridericus III. Imperator cognomento Pacificus, ut scribit Spondanus ad Annum Christi 1493. cuidam sciscitanti, quid homini optimum posset contingere, edidit oraculum, cùm dixit: *Fœlix ex hac vita exitus.* Sententia planè pietate Austriacâ dignissima. Et verò Princeps hic Fœlicitatem hanc non obscuris argumentis videtur indeptus, ut idem asserit Spondanus. Siquidem Sacramentis omnibus, quæ vasa sunt gratiæ, & hæc semem Fœlicitatis æternæ, munitus, ex hac vita decessit. Princeps sanè in Deum, ejusque Matrem pijssimus, qui cum 25. circiter esset Annorum, profectus Hierosolymam, loca sancta, in quibus celebriora, tam Christi, quàm B. V. peracta sunt mysteria, invisit, religioseque veneratus est. In hujus suæ planè insignis religionis præmium, mox ut in Austriam est reversus, maximo Electorum consensu ad Imperium evectus est. In quo ita omnes devoti, pijq; Christiani, uti scribit Petrus Messias, partes implevit, ut toti Imperio, ob insignem probitatem, morumque integritatem, ac prudentiam esset in amoribus, & admiratione. Fertur totius vitæ suæ decursu, non nisi bis jurasse. Semel Aquisgrani, dum in Imperatorem est coronatus, & rursus cùm Romæ à summo Pontifice Imperij confirmationem accepit. Longum foret, & à nostro proposito alienum, alias ipsius virtutes, Christianæque pietatis opera recensere, quibus & tam fœlicem illam 53. annorum vitam in Imperio, & fœliciorem ex hac vita exitum consecutus est. Quam Fœlicitatem, prosperamque Fortunam, patrocinio Virginis Deiparæ potissimum indipisci visus est. In eam siquidem singulari pietatis ferebatur affectu, atque ut fœlicem ex hac vita consequeretur exitum, in honorem Deiparæ eum diem, quæ triumphalem ipsius in cœlos præcedit Assumptionem, pane duntaxat, & aqua contentus transigebat, ut scribit Cuspinianus. Porrò qui sibi parcus & austerus, ut loquitur Ioannes Bonifacius noster lib. 2. de Hist. B.V. c. 8. Christo liberalis fuit. Multa quippe

Mortalibus beatissimum nempe Fœlicem mori.

Friderici III. Imp. Symbolum.

Frid. Imp. proficiscitur Hierosolymam ad visenda loca sancta.

Redux ob pietatem eligitur in Imperat.

Nunquam juravit, nisi bis.

Templum B. V. extraxit Neostadij

Fridericus Imperat. in vigilia Assumpt. B.V. in pane & aqua jejunat.

Monasteria fundavit, annuísque fructibus stabilita reliquit. Templa quoque honori DEI paræ consecravit; Quod nobis sacra ædes Patrum Cisterciensium magnificis sumptibus ædificata Neostadij in Austria contestatur: quemadmodum & altera Græcij Metropoli Styriæ, longè magnificentioribus expensis exstructa. Quæ postea Collegio Societatis nostræ, Caroli Archiducis fœlicis recordationis, munificentiâ cessit.

Aliud Templum Græcij.

107. Videtur Princeps hic alterius Friderici Imperatoris Austriaci, cognométo Pulchri sententiam æmulatus, qui pro communi Symbolo uti consueverat: *Morte beatâ, nil beatiùs.* In hoc sapienter quidam lusit:

Symbolũ Friderici II. Imper. Austriaci.

Qui credit nil morte beatiùs, esse beatâ
Ille sapit: mortem vita beata manet.

Accinit huic Symbolo Cœlius Calcagninus:

Vt tibi mors fœlix contingat, viuere disce:
Vt fœlix possis viuere, disce mori.

Et Ovidius:

Viue pius; moriêre pius.

Vivendũ piè & maximè B.V. ut moriamur piè.

Quem imitatus eruditus quidam, non ineleganti Epigrammate cecinit

Vna est viuendi, ac moriendi Regula rectè:
Vt moriare piè, viuere disce piè.

Quare sapienter pius quidam Vir:

Fac ea, quæ moriens facta fuisse velis.

108. Et verè qui post DEUM pius vivit in Virgine, piè quoque, ac fœliciter morietur, siquidem ad præsentiam ipsius Divinæ Fœlicitatis, prosperæque Christianorum Fortunæ, ipsius Virginis DEI paræ, uti in jam commemorato patuit exemplo, extremum suæ vitæ spiritum, in ejus manûs exhalat. Hujusmodi enim de æterna gloria erit securissimus; cùm hoc sine dubio Virgo benignissima, atque optima optimæ illius Partis, quam sibi elegit, à se in æternum non auferendæ, portionem liberalissimè communicabit.

Cùm enim ingentem quandam omnibus Sanctis, Angelisque excellentiorem fuerit sortita gratiam, consequens sanè fuit ingentem simul, super omnem creaturam consecutam esse gloriam, & gloriam quidem singularem, dum contemplatur Filium, non modò ut DEUM, verùm etiam ut hominem carne suâ, velut Regio paludamento, velut Coronâ pulcherrimâ circumdatum. Quæ gloria nulli creaturæ à DEO communicari potest, uti nec Divina Maternitas, cùm unius DEI, unica duntaxat possit esse Mater, ut testatur Dionys. Carthus.

M. gloria singularis nulli communicabilis videre DEUM carne propria vestitum.

Licet enim essentialis gloria, visioque beatifica donari possit alicui tanta, quanta fuit in DEIpara, nulli tamen concedi potest, videre DEUM, Diademate carnis propriæ coronatum. Vnde SS. Angeli, beatas illas animas ad DEI Filium, Virgineâ, gloriosâque carne vestitum, velut ad singulare Spectaculum contemplandum evocantes, Cant. 3. dicebant: *Egredimini Filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater sua.* Quæ verba expendens B. Guerricus Abbas ser. 4. de Assumpt docet omnino gloriam hanc solius Virginis esse singularem, atque incomparabilem, videre DEUM propriæ suæ carnis Diademate coronatum. *Vacate*, inquiens *& videte, quoniam IESVS est DEVS. Visio prorsus ineffabilis gaudij, summaq; delectationis omnibus qui diligunt IESVM, sed præ omnibus illi, quæ genuit IESVM. Cui sicut singulariter excepta est gratia DEVM generandi, sic & prærogatiua gloriandi in eo quem genuit. Omnino singularis atq; incomparabilis gloria Virginis Matris, videre DEVM Regem omnium in Diademate carnis, quâ coronauit eum; ut & DEVM agnoscat, & adoret in corpore proprio, & corpus proprium glorificatum videat in DEO.* Hanc optimam partem MARIA elegerat, quæ non ablata, sed perfecta est nunc in cœlis, ut nimirum cum suis clientulis aliquã ejus partem quoad fieri potest, communicare valeat.

Humanitas nostra est Corona Filij DEI.

109. Vnde ipsa Cant. 2. gloriabatur: *Dilectus meus mihi*, singulariter scilicet se videndum exhibet, & non alteri, quæ Mater DEI non sit; gloria enim hæc mea est incommunicabilis. Audiamus Guilel. Abbatem in Persona DEI paræ sic loquentem; *Nulli tantum contulit, quantum mihi; Ego Dilecto meo ex carne mea dedi carnis Substantiam, & Dilectus meus mihi refudit singulerem inter homines gloriam. Quid enim insigniùs, præclariusúe conferre mihi potuit, quam ut Mater Verbi fierem, & hoc tam excellenter, ut non tantùm de me, sed & à me in usum redemptionis humanæ carnem sumere dignaretur. Et hoc ipsum ad quantam gloriam mihi tempore suo reuelandum.* Sic ille de gloria illa Virgini propria, singulari, & cum alijs incommunicabili.

M. Dilectus Filius singulariter se videndum exhibet

Audiamus jam B. Cardinal. Damiani ser. 1. de Nat. Virg. de gloria quam alijs etiã impertiri Virgo nostra consuevit.

Vbi

Summa gloria post Deũ est videre B. V.

Vbi postquam insinuasset illam Beatorum cupientium videre Deiparam, esse vocem: *Reuertere Sulamitis, ut intueamur te*: addidit: *Summa enim gloria est post DEVM videre te, adhærere tibi, & in tuæ protectionis munimine domorari.* Fœlix igitur, qui Virgineæ huic Fœlicitati sociatus, ex hac vita decedit. Tantæ enim Fœlicitatis & Gloriæ suæ, quam in cœlis possidet, faciet esse participem.

Imperatores Aureã Fortunam suis in cubiculis asservabãt.

110. Optat quispiam ita fœlix, fortunatusque emori, optat de Virgineæ hujus Fœlicitatis Gloriâ, ac Beatitudine participare, & benedictum ventris ejus Fructum sibi post hoc exilium ostendi? Eam ut fidelissimam Patronam, ut dilectissimam Matrem colat, ac veneretur; illi totius vitæ suæ committat navim, ac gubernacula: diriget illa, implebitque cœlestibus vela favonijs, & velut Stella maris lucidissima iter diriget, inque portum æternæ Patriæ deducet. Interim non pigeat veterum Romanorum Cæsarum morem imitari, qui auream Fortunam in cubiculis suis, cornucopia instructam, gubernaculoque innitentem asservabant, ac venerabantur, quo eam propitiam in gubernatione Reipublicæ, Imperijque moderatione, & in rerum omnium copiâ subministranda liberalem invenirent. Veneremur & nos Fœlicitatem hanc nostram, Fortunam hanc nostram verè bonam, ac prosperam, illius manibus sanctissimis vitæ nostræ gubernacula, habenasque moderandas tradamus, impetrabit illa intercessionibus suis, ac precibus fœlicem, prosperumque nobis totius hujus vitæ decursum, bonorumque omnium, ac præsertim spiritualium affluentiam, tandemque nos ad sempiternam Fœlicitatem perducet.

Ludovici I. Hung. Regis in Imaginẽ B. V. pietas.

111. Faciendum nobis omnino quod Magnus ille Hungariæ Rex Ludovicus I. fecisse memoratur, qui semper, uti alibi diximus, ad lectuli caput D. Virginis Patronæ suæ auro argento gemmis, sacrisq; Sanctorũ lypsanis exornatã Imaginem appendebat, ut & matutinis, vespertinisq; horis se, suaque omnia ipsi offerret, ac commendaret, ut ipsa velut prosperâ Fortuna auspice, res, negotiaq; ipsius fęlices eventûs sortirentur, ut contigit in atroci illo cum Amurathe Turcarum Tyranno dimicatione.

Idẽ faciendũ suasit Venerab. P. Iustus Landspergius Ordinis Carthusiani Ornamentũ cuidam sui suo Tyroni Epist. 26. *Charissime Fili*, inquiens, *hortor, moneoq; te quam possum studiosiùs, ut Imaginem B. M. iuxta Cellam, siue in Cella tua nunquam sine reverentia prætereas. Saluta eam cuius est Imago, & dic:*

Salutandã semper ad ingressum cubiculi B. V.

Salue dulcis & formosa
Mater DEI gloriosa,
Adopta me in Filium.

Interim ferventissimo desiderio optes, à te quidquid illius oculis displicet, auferri; quicquid placet per eam tibi apud DEVM impetrari. Veneratione sedula sis B. M. deuotus, quia Sanctissimi omnes leguntur, & ex Scriptis suis cognoscũtur eã singulari affectione dilexisse. Innumeri peccatores per eam conversi sunt, atq; ad Christum reducti, quotidieq; reducuntur omnes, qui ad B. MARIAM accedere non trepidant, utpote clementissimam, omnibusq; benignissimam. Tum alia in Epistola nempè 33. præscribit decem petitiones, quæ à B. V. coram ejus Imagine postulandæ sunt, quas si nobis impetraverit, fœlices Fortunati, ac beati evademus: *Elige*, inquit ille, *certum tempus, quo ante Beatissimam Virginem DEI Matrem electissimam, nobilissimam, Dominam gloriosissimam, Cœli Reginam, atq; tuam unicam amabilissimam post Christum consolationem te prosternas humiliter. Ora ipsam per omnia beneficia, quæ etiam humano generi per ipsam contulit. Pete, inquam, ab ipsa, ut dignetur te in suam curam, in custodiam Maternam, in gratiam, & in amorem suum suscipere, perpetuoq; fovere, regere, & perducere in omne beneplacitum DEI Filij sui. Pete item ab ipsa, ut tibi sui amorem ardentissimum, castissimum, fidelissimum, ac perpetuum impetret; teq; faciat de illorum numero, qui illi præcipuè, ac singulariter sunt devoti, qui illi seruiunt, ipsam amant, venerantur, imitantur perfectissimè. Postula denique, ut impetret tibi fœlicem mortem, ut scilicet per eius merita, & maximè Christi Filij eius purgatus ab omni culpa, & pœna peccati, post hanc vitam temporalem, sine dilatione recipiàris, eius gratiâ, & interventione ad æternam.*

Quid à B. V. petendum potissimum.

Vt porrò vitam hanc, fœlicitatemque æternam, gaudijs omnibus exundantem tanto facilius quis sortiri mereatur suadet idem Vir Virginis studiosissimus, Epis. 14. admodum consultum esse, ad cujuslibet horæ sonum Deiparam, Angelica salutatione venerari in unius ex illis gaudijs, quibus olim in terris, & modo in cœlis perfruitur memoriam, ac venerationem. Sic enim futurum est, ut cujus

Singulis horis salutanda B. V. recolendo aliquod ipsius gaudium.

cujus tam dulcia gaudia memoramus, ipsa quoque in postrema illa admodum terribili vitæ catastrophe, gaudijs nunquam terminandæ fœlicitatis nos perfundat. Hymnum de hiscé gaudijs vide apud eundem Epis. 12.

B.V. Imago in Oratorio, vel alio honesto, ornatoq; loco reponẽda.

112. Idem consilium de Icone Virginis nostræ gloriosissimæ domi religiosè in suo cubili asservanda, summoque quoad fieri potest studio veneranda ad instar Fortunæ, quam uti diximus Romani Imperatores in suis palatijs tantis honoribus prosecuti sunt, dat P. Franciscus della Croix Vir honoris gloriæq; Marianæ propagandæ amantissimus in Hort. Animæ Areola 1. cap. 4. *Primo curandum est,* inquit, *cultori Parthenio, ut in Oratorio suo, vel in alio loco nitido, ornato, maximè conspicuo B. V. Imaginem reuerenter deponat.* Vnde S. Carolus Boromæus Cardin. peculiari Synodali constitutione sancivit, mandavitq; ut totâ suâ Diœcesi supra omnes Parochialium Templorum portas Imago Deiparæ erigeretur, insinuans tacitè illam esse verissimam, ac fœlicissimam cœli Portam, per quam omnes ad æviternam illam Beatitatem electi, ejus patrocinijs, ac intercessionibus freti transituri sunt.

Ad fores Templorum Imaginẽ B. V. S. Carolus Boromæus collocari jussit.

Monere denique voluisse visus est Antistes sanctissimus illo super fores Templi Virgineæ Iconis situ, ut qui Deum pro abstergendis peccatorum maculis, pro miserijs sublevandis accedunt, sibi per intercessionem, patrociniumque Virginis transeandum, accessumque ad Deum tanquam per Principem illam facierum, de qua alibi, parandum; Cùm enim ipsa pro nobis tanquam Mater benignissima diligentissimè excubet, & omnes ærumnas, pericula, ac miserias, quibus in hac vita conflictamur clarissimè, in Verbo intueatur, continere se non poterit, quin in tantâ constituta fœlicitate nostris miserijs compatiatur, propensissimâque Charitate ad nobis subveniendum sit solicita.

Cur suprà fores Tẽplorum S. Carolus Boromæus Imaginẽ B. V. voluerit collocari?

113. De pia hac Reginæ cœlorum erga nos solicitudine præclarè S. Amadeus Lausan. Episcopus Hom. 7. qui gloriosissimam illius in cęlos profectionem contemplans, ejusq; patrocinij, ac intercessionis apud Filium vim, potentiamque agnoscens, ut nos ad piam erga illam fiduciam habendam excitaret, hæc memoriæ commendavit: *Elevata Gloriosa cum vocibus exultationis, & laudis, prima post DEVM super omnes Cœligenas in sede gloriæ collocatur. Ibi resumpta Carnis substantia; neq; enim credi fas est, corpus eius vidisse corruptionem; & duplici stola induta, DEVM & hominem in utraq; natura, quantò cæteris clariùs, tantò ardentiùs uniuersis, mentis & carnis oculis contemplatur. Exinde humano generi charitate inenarrabili condescendens, & illos misericordissimos oculos, quibus cœlum illustratur, ad nos convertens, communem pro clero, populo, & utroq; sexu. pro vivis quoque, ac defunctis, leuat orationem. Adest hunc nobis de cœlo hac Gloriosissima, & prece potentissimâ propellens omne quod nocivum, & conferens omne quod bonum est, cunctis ex corde rogantibus se Munimen præsentis vitæ tribuit & futuræ. Memor quippè quo fructu effecta est Mater Redemptoris, libentissimè suscipit cuiuslibet precatoris, & pro uniuerso reatu pœnitentium, apud proprium Filium intercedit. Sanè obtinebit quod volet Parens charissima, per cuius castissima viscera Verbum DEI venit ad nos, orbis piacula, veterisq; delicti cautionem sanguine proprio lavaturus.* Impossibile enim est, ut agnoscens Virgo fœlicissima, se propter humanam naturam, ac peccatores præcipuè, adeò in sublimi Fœlicitatis apice collocatam, illorum obliviscatur, & de eadem cum illis non communicet. Hoc nimirum S. Anselmo lib. de Excell. Virg. cap. 12. planè impossibile videbatur. Vnde ipsam alloquens, dicebat confidenter: *Cogita quæso, & recogita apud te, quia non ad damnandum, sed ad saluandum peccatores Conditor noster ex te factus est Homo. Cur igitur non iuuabis nos peccatores, quando propter nos in tantam celsitudinem es leuata, ut te Dominam habeat, & veneretur omnis pariter creatura. An ideò iterum pereamus, ampliùs non curabis, quia quicquid de nobis miseris ultra eveniat, gloriæ tuæ iactura nulla inde proveniet! Quid quæso proderit nobis tua gloriosa & fœlix exaltatio? Vt ergo Filium tuum totius Mundi Saluatorem, & te eius Reconciliatricem esse veraciter sentiamus, eo nos propensiori studio iuua, precamur, & foue, quo in fœcibus Mundi natos, & alitos, potiori leuamine prospicis indigere.* Idem hoc B. Petro Card. Dam. ser. 1. de Nat. fieri minimè posse videbatur; quare apostrophe ad illam facta: *Revertere Sulamitis,* inquit, *per naturam, ut intueamur te. Numquid quia ita Deificata, ideo nostræ humanitatis oblita es? Nequaquam Domina. Scis, in quo discrimine nos reliqueris, ubi jaceant, quantum delinquant serui tui? non enim conuenit tanta misericordia tantam miseriam*

M. clarè videt in Verbo miserias hominum.

M. misericordissimis oculis cœlum illustratur.

M. in cęlo pro vivis, ac defunctis deprecatur.

B.V. obligata est peccatoribus, ad eos iuvandos, quia propter illos Mater Dei facta.

M. licet sit tantopere Deificata, nõ est tamen nostri oblita.

riam

B.V. naturâ sua pia & misericors erga nos.

riam oblivisci, quia etsi subtrahit gloria, renovat Natura. Non enim ita memoraris justitiæ DEI solius, ut misericordiam non habeas, neq; ita es impassibilis, ut sis incompassibilis. Naturam nostram habes non aliam, & justum est ut de rore tantæ pietatis diffusius infundamur. Cum igitur Virgo nostra fœlicissima. & ipsa humani generis Fortuna, ac Fœlicitas pijssima, ac benignissima sit in homines omnes, quantumvis peccatores, utpote propter quos ad tantam evecta est est fœlicitatem, nil nobis sanè dubitandum quin eam semper, si seduli ejus cultores extiterimus, in omnibus actionibus nostris, ac negotijs, & demum in tremenda mortis hora, propitiam admodum, benevolentissimamque in nos simus experturi.

114. Sperabat devotissimus Marcus Marulus, & in vita, & in morte hanc Virginis benevolentiam favoremque se obtenturum, proinde prolixè eum in finem ingenium, vires, universamque vitam, ipsius servitio mancipaturum se promittebat, dummodo ipsius favoribus, velut Divinæ Fortunæ favonijs, universa ejus vita regeretur; dum magna pietate illi ita concinebat:

Oratio Marci Maruli ad B. V. pro fœlici morte

Si mihi forte tua dabit alta potentia dextrâ
Fortuna, ut cursu prosperiore fruar:
Ingenium, linguam, calamum, suspiria, fletum,
Cor, curas omnes Virgo dicabo tibi.
Ergo magis tutâ timidam statione carinam
Siste, diu validis illa feritur aquis.
Adventat suprema dies; discrimine parvo
A gelido duræ limite mortis abest.
Sic properant anni, fugit ætas, tempora semper
Præpetibus pennis irrequieta volant.
Interea stimulis mea mens agitatur amaris
Conscia delicti, justitiæq; memor.
At tu Diva omnes vincens pietate, fideq;
Quascunq; ætherei continet aura poli
Me commendatum Mater mitissima Nato
Redde tuo: precibus annuet ille tuis.
Ut quem credentes hominemq; Deumq; fatemur
Hic fœlix adsit, propitiusq; mihi.
Et cum finis erit cœlestia limina pandat
Egredienti animæ, Spirituiq; meo.

Sic ille magno in Virginem amoris canebat affectu, ac fiducia; quæ cuilibet sanè de propria salute, uti par est, solicito imitanda est, curandumque ut omnes tam animi, quam corporis vires, ac facultates, dum hic peregrinamur hujus gloriosissimæ cœlorum Reginæ cultui, venerationi, servitioq; maximo cum amore mancipentur, donec tandem beatam illam nullo unquam fine terminandam fœlicitatem consequamur.

115. O si tantis, tamque castis Divinissimæ hujus Fortunæ nostræ exæstuaremus amoribus, quantis, quamque turpibus Ethnicus ille Adolescens nobilis in marmoreum suæ fictitiæ Fortunæ simulacrum ad insaniam usque exarsit incendijs. Viderat ille Statuam bonæ, prosperæq; Fortunæ ad Prytaneum, quã ita ardenter deperijt, ut quemadmodũ scribit Ælianus lib. 9. variarum Hist. c. 31. *Sæpè in complexum eius se, tanquam viventis insinuans, oscula daret, prorsus imaginarius, & amens amator. Nam libidine statuæ inflammatus, atq; inde raptus in furorem, œstroq; percitus propter cupiditatem, in Senatum venit, enixèq; rogauit, ut eam sibi liceret, ut cumq; magno emere. At cùm, Senatu absurdam petitionem repudiante, nihil proficeret; multis redimitâ tænijs, & coronis Imagine coronatâ, oblato Sacrificio, ipsaq; precioso vestitu exornata, profusis innumerabilibus lacrymis, ipse sibi mortem consciuit.* Sic ille.

Ethnici Adolescẽtis insanus amor in statuam Fortunæ.

116. At verò nos longè alijs, nẽpè puris, ac Divinis in prosperam hanc nostram nos verè beantem Fortunam accendamur flammis; amemus illam animitus, amplectamur medullitus. Nec amor hic noster in extrinsecis quibusdam consistat signis; verùm in ipsius solidissimarum virtutum, puritatis, charitatis, castimoniæ, humilitatis, assiduæ mortificationis, aliorumque animi ipsius ornamẽtorum fundetur æmulatione. Sic enim verè fœlices, verèque beati censebimur; quemadmodum Lysandar Lacedæmoniorum Dux Cyrum Persarum Regem arbitratus est; qui postquam ipsius amœnissimum hortum esset ingressus, proceritatemque arborum, & directos in quincuncem ordines, eaque omnia hoc modo à Cyro ipso dimensa, atque descripta esse animadverteret: tum intuens ille ejus purpuram, & nitore corporis, ornatumque Persicum, multo auro, multisque gemmis, dixisse tandem fertur: *Rectè te Cyre beatum ferunt, quoniam Virtuti tua Fortuna coniuncta est.* At verò longè fœliciores, beatioresque dicemur nos, non ob purpuram, nitoremque corporis, non ob auri, multarumque gemmarum ornatum; sed ob memoratas illas Fortunæ nostræ virtutes, quas si syncerissimo in ipsam amori sociabimus, fortunati sanè, ac fœlices, beatique etiam, dum in hac vita degimus,

Cyrus Beatus dictus, quod ejus Virtuti Fortuna esset coniuncta.

mus, evademus; ut testatur Seneca Philosophus lib. de Beata Vita cap. 16. Postquam enim conclusisset: *Ergo in virtute posita est vera Fœlicitas;* mox de mirificis ejus effectibus, hæc attexuit: *Quid hæc tibi suadebit? Ne quid aut bonum, aut malum existimes, quod nec virtute, nec malitiâ continget. Deinde ut sis immobilis contra malum ex bono, ut qua fas est, DEUM effingas. Quid tibi pro hac expeditione promittitur? Ingentia, & æqua Divinis. Nihil cogêris, nullo indigebis, liber eris, tutus, indemnis, nihil frustra tentabis, nihil prohibeberis. Omnia tibi ex sententia cedent, nihil adversum accidet contra opinionem, ac voluntatem. Quid ergo? Virtus ad vivendum beatè sufficit, perfecta illa, ac Divina? Quid ni sufficiat? Imò superfluit. Quid enim deesse potest extra desiderium omnium posito? Quid extrinsecus opus est ei, qui omnia sua in se collegit? Sed ei qui ad virtutem tendit, etiamsi multum processit, opus est tamen aliqua Fortunæ indulgentiâ adhuc inter humana luctanti, dum nondum illum exsolvit, & omne vinculum mortale. Quid ergo interest? Quod alij alligati sunt, alij adstricti, alij districti quoq. Hic qui ad superiora progressus est, & se altiùs extulit, laxam catenam trahit, nondum liber, iam tamen pro libero.* Hæc ille de admirandis, ac penè Divinis Virtutis effectibus.

Vera Fœlicitas in virtute posita.

Miri virtutis effectus.

Virtus vera ad beatè vivendū sufficit.

117. Quod si Moralem virtutem dumtaxat, nulli veræ fidei nixam fundamento, tantâ vi, atque energia pollere censuit hic Philosophus, ut homo inter adversa æquè, ac prospera sit inconcussus, & unâ, eademque facie in omnibus, quæ contingere possunt mortalibus consistat, beatitatemque quandam superefluentem, atque adeò ingentia, Divinis æquiparanda consequatur, imò & in DEUM quemdam quodammodo effingatur; Quantò magis solida Virtus Deiparæ, moribus nostris, quoad fieri potest expressa, erit potetior, ut hic benè, beatèque vivamus, & in quosdam mortales DEOS, dum adhuc hanc vitam trahimus, transformemur. Neque verò Virgineæ, atque Obsequentis Fortunæ nostræ destituemur indulgentia, dum adhuc hic inter humana, corporis hac onusti sarcinâ, & quasi accincti catenâ, luctamur; aderit illa mihi credite, sponte suâ, pro congenita sibi benignitate, nobisque se Matrem indulgentissimam exhibebit. Illa enim est de qua Salomon Sap. 6: v. 14. *Preoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Quoniam dignos se, ipsa circumit quærens, & in vijs ostendit se illis hilariter, & in omni providentiâ occurrit illis.* Quid quæso hâc indulgentiâ Fortunæ nostræ amabiliùs, quid suaviùs? Confert denique nobis ad omnis, quem in hac miseriarum valle desiderare possemus, beatitatis cumulum, ut corporis hâc onerosam catenam, quâ infœlices Mundi amatores non nulli alligati, nonnulli adstricti, alij denique districti graviſſimè tenentur, laxam post nos trahamus; & licet non ex toto liberi, tamen pro liberis in libertatem filiorum DEI accitis censeamur, donec tandem hâc mortalitatis diffractâ catenâ, ex inchoata hac Beatitudine, ac Fœlicitate, indulgentiâ, ac pietate Diviniſſimæ Fortunæ nostræ, ad consummatam illam, ac nunquam terminandam evolemus.

Virtutes, patrocinio B. V. obtentæ hominem inter prospera & adversa reddunt incōcussū.

B.V. facilitas, ac indulgentia.

B.V. beneficio laxā quandam corporis hujus nostri catenam post nos trahimus.

MEDITATIO XIX.

I.



CUm fœlicitatem tuam, ejusq; unde orta est principium contemplor, Virgo beatiſſima, atque gloriosiſſima, adeo mihi hæc humana fœlicitas, ac beatitudo sive divitijs, sive honoribus, sive voluptatibus constans verè fallax, atque adulterina sordescit, ut eam cane pejus angue abhorream, ac detester, teque animitus, medullitusque amem, atque amplectar, tanquam veram hominis fœlicitatem, prosperamque omnium Christianorum Fortunam desideratiſſimam. Tu enim verè fœlix es, ut tibi sancta Mater canit Ecclesia Sacra Virgo MARIA, & omni laude digniſſima, quia ex te ortus est Sol justitiæ Christus DEUS noster. Ipse tibi, ò Domina dilectus Filius Christus, cum Beatorum Spirituum Sanctorumque omnium in cœlo degentium æviterna sit Fœlicitas, Fœlicitatem omnē quamcunque humana mens, vel Angelica excogitare unquam potest, tunc contulit potiſſimum, cum de sinu Patris descendens, in Virginalis tui uteri domicilium, virtutibus omnibus florentiſſimum venit, in eoque novem mensibus commorari, summa animi sui voluptate, ac gaudio non est dedignatus. Ex hoc tempore verè te beatam, ac fœlicem dicunt omnes generationes, quia ipsa increata Fœlicitas, ac Beatitas se tibi ita

Fœlix est B. V. quia summam nostram Fœlicitatem Christum utero gestavit.

ita univit, ut te in se transformaret, atq; ita ipsa beata cœli Fœlicitas, in hoc mũdo, inter infœlices mortales tot miserijs peccatorum, veteris Adæ prævaricatione, pressos, esse videreris. In te enim vera, ac genuina, non fallax, aut umbratica reperitur fœlicitas illa, quæ sita est in honoribus; siquidem tibi eminentissimam Divinæ Maternitatis contulit dignitatem, ad quam capessendam, innumeris alijs honoribus, gratijs, ac privilegijs pene infinitis, ceu prævijs dispositionibus, ut tuus sensit Bernardinus, te præparavit, ut Templum ipsius Divinæ gloriæ, ac Majestatis evaderes. Ex hoc tempore vel maximè miris, ijsque Divinis honoribus aucta Dominium, ac Monarchiam orbis es indepta, dignaque effecta, ut tibi post Filium omne curvetur genu, cœlestium, terrestrium, & Infernorum; teque veram suam Reginam mortales omnes agnoscentes, præcipua post DEUM adoratione venerentur. Hinc Potentatus mundi hujus, viginti quatuor seniorum exemplo, tibi sceptra, coronasque submittunt, syncerè agnoscentes regnandi fœlicitatem omnem, ex te esse, cum ipsamet fateare: *Per me Reges regnant, per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Hinc tibi tanquam prosperæ ipsorum Fortunæ tot ab illis erectæ statuæ; hinc sumptu magnifico tot ædificata Templa, hinc tot decretæ triumphorum pompæ. Quibus sanè honoribus prosperam, fœlicemque suorum statuum, ac Regnorum gubernationem tibi acceptam ingenuè referre visi sunt, certò sibi persuadentes à te, tanquam æternæ Fœlicitatis Matre dignissima, omnem in rebus etiam humanis prosperitatem, suam originem deduxisse.

In B.V. fœlicitas est, quæ reperitur in honoribꝰ, quia est Mater Dei

2. In te quoque ô Virgo sacratissima, ac fœlicissima illa reperitur fœlicitas, quæ in voluptatibus, non quidem bruti sensus sita est, quas tantoperè spurcissimi illi Epicurei consectebantur, sed illis interioris hominis, quæ veræ rationalis creaturæ sunt deliciæ. Postquam enim Fluvius ille increatæ Sapientiæ, ex sinu Patris, velut loco voluptatis est egressus, teque velut terram Paradisiacam suis deliciosissimis gratiarum fluentis irrigavit, conversa es in terram quandam promissionis, lacte, ac melle manantem, omnes nos, sensusque humani corporis honestissimè oblectans. Tu enim oculis nostris lux es solis pulcherrima, tu humanæ Naturæ venustas, ac pulchritudo. Tu auribus organum lætitiæ. Tu gustui favus distillans, tu Manna dulcissimum, omnem saporis in se continens suavitatem. Tu olfactus flos rosarum in diebus vernis, tu flos campi, tu lilium convallium. Tu preciosissimorum areola aromatum à cœlesti consita pigmentario odoratissimis fruticibus, totamque cœlestem Hierusalem Divina quadam reples fragrantia. Tu nobis Flora amœnissima, Veris ipsius gratam suavissimamque afflans temperiem. Tu Agna mansuetissima, quæ Agnum illum, qui tollit peccata mundi, vellere mollissimo humanitatis nostræ contexisti. In te denique sunt deliciæ omnes cœli, ac terræ, velut quodam compendio comprehensæ. Unde animæ sanctæ te tot delicijs affluentem cõsiderantes beatissimam prædicaverunt, teque summis laudibus tanquam bonum quoddam, omni ex parte perfectum, omnem boni delectabilis, utilis, atque honesti complectens rationem, extulerunt.

Fœlicitas, quæ reperitur in honestis voluptatibꝰ est in B.V.

3. Quid tandem de illa fœlicitate, quæ in divitijs, opinione vulgi, sita est, dicam? Hæc certè tibi etiam nullo modo defuit. Licet enim in externis Fortunæ bonis fueris pauperrima, in internis tamen fuisti locupletissima. Verissimè enim de te, tuorum arcanorum probè conscius, utpote consanguineus pronunciavit Salomon: *Multa filiæ congregaverunt divitias, tu tamen supergressa es universas,* tunc vel maximè, cum Rex virtutum in te inhabitans, Humanitatem ex tuis purissimis sanguinibus coalitam assumpsit, sibique eam vinculo hypostaticæ unionis, quæ epilogus quidam, ac thesaurus gratiarum, omniumque cœli opum est locupletissimus, sociavit. Quomodo enim fieri potuit, ut non evaderes locupletissima, cum ille, in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ, & scientiæ DEI absconditi, in te domicilium suum fixit? Ex hoc verè tempore facta es Virgo beatissima Thesaurus infinitus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ DEI, quæ mare quoddam infinitum, Oceanusque imensus bonorum omnium est.

B.V. fœlix in virtutũ divitijs.

4. Quare fœlices, ter beati, ac verè Fortunati sunt omnes, & præcipuè Reges, ac Principes, qui se peculiari pietate cultui, servitioque tuo manciparunt, ac de-

Fortunati sunt Reges ac Principes & alij omnes qui colũt B.V.

ac devoverunt. Experiuntur enim te Fortunam quandam cœlestem, ac Divinam, non volaticam, non cæcam, non feram, ac trucem, non nigram, non variam, aut inconstantem, qualis humana hæc esse consuevit, sed stabilem, candidam, ac blandam, lætissimis, ac benignissimis oculis mortalium necessitates, ac miserias contuentem, nosque in hac peregrinatione, luce faciei suæ amabilissimæ exhilarantem, lucidissimisque justitiæ solis, quibus amicta es radijs, ceu vestibus cuncta irradiantem. Experiuntur te velut Cornucopiam quandam honores, honestas delicias, ac divitias, omniaque bonorum genera affatim suppeditantem, suæque vitæ, imperijq; gubernacula, mira dexteritate, ac prosperitate gubernantem. Vnde nil mirum si te velut Auream quandam Fortunam peculiari pietate, ac devotione venerentur, Divinosque tibi velut Deæ cuipiam potentissimæ honores decernant, seque tuos fidelissimos, ac devotissimos servos profiteantur. In horum clientulorum tuorum numerum admitte me Virgo sacratissima, meque ab amore mundanæ fœlicitatis omnibusque mundi carnisque illecebris abstrahe, & in corde meo altissimas in te pietatis, ac devotionis, velut in uno ex electis tuis, mitte radices. Tu mea esto prima, ac potissima post Devm fœlicitas, ac beatitudo; Tu honor & gloria mea; tu voluptas, ac deliciæ meæ; tu divitiæ, ac thesaurus meus, tu mihi bonorum omnium exuberantissima Cornucopia. Tu denique præclarissimum meæ fœlicitatis insigne, ac character. Imprimere quæso, pro tua pietate, imis cordis meis visceribus, ut te medullitus amem, ac venerer, laudem honoremque tuum, totis viribus, ubique pro posse amplificem, quo præmium vitæ æternæ, una cum ijs, qui te elucidant, consequi valeam.

5. Adsis mihi in omnibus vitæ meæ actionibus; semper & ubique oculis meis obversare, animum ad virtutes consequendas, ad vincendas inimicorum insidias, ac tentationes, suggerendo. Verè enim ut tuus ait Damianus; *summa gloria, ac fœlicitas est te videre, adhærere tibi, & in protectionis tuæ munimine commorari.* Tibi totius vitæ meæ moderanda trado gubernacula? Tibi postremam illam vitæ meæ commendo clausulam. Experiar, ò Virgo benignissima per piéntissima illa misericordiæ te obsecro obtestorque viscera, quæ æterni Patris portavere Filium, experiar, inquam, in illo tremendo mortis articulo, te meam obsequentem, propitiamq; Fortunam, ac fœlicitatem, mihi impetrando gratiam moriendi fœliciter. Tu mihi in puncto illo periculosissimo ad instar propitiæ Maris stellæ affulgesce, tenebrasque infidelitatis, quas Tenebrio ille Tartareus eo potissimum instanti mentibus fidelium consuevit offundere discute. Tu ad instar Elices, ac Cynosuræ navim ad portum salutis dirige. Tu velut benigna, ac prospera Fortuna pietatis tuæ Favonijs vela nostra imple, ut tandem ad littus æternæ, beatæque patriæ, salvâ nave, ac mercibus pervenientes, te tanquam verâ unicâq; post Devm Fœlicitate, ac Beatitate nostrâ, æternum in cœlis perfruamur.

Summa fœlicitas videre B.V.

Interim ut hoc à tua effusissima misericordia, ac clementia facilius impetremus cum tuo fidelissimo servo Iusto Landspergio; *Ad pedes clementissimæ Sanctitatis prostrati, rogamus te ò misericordissima, pijssima & benignissima DEI Genitrix, Mater misericordiarum & gratiæ, esto nunc memor ò Virgo sublimis excellentissimæ dignitatis tuæ, qua propter peccatores DEI Mater, cœli porta Arca fœderis, Arca diluuij, Ciuitas refugij, Templum S. Spiritus, & misericordiæ Regina facta es. Suscipe igitur nos omnes peccatores, & desolatos. Infunde nobis pijssima tui amorem castissimum, atq; ferventissimum, omnesq; virtutes sanctissimæ vitæ tuæ, potissimè autem humilitatem, mititatem, castitatem, charitatem, & obedientiam. Impetra nobis ò dulcissima Virgo fœlicem mortem, cujus alias vel sola memoria amara est aliquibus, & adsta nobis tunc & in omni necessitate, ac tentatione fidelissima Protectrix. Impetra nobis etiam, ut in hac vita in IESV Christi Filij tui passionibus meritis, ac miserationibus, mereamur ab omnibus peccatis, & pœnis expiari, quo in morte liberi, de hoc corpore mox transeamus ad requiem sempiternam.*

AMEN.

AVE MARIA.


DISCVR-



DISCURSUS XX.

Quod Virgo DEIPARA Spiritum Sanctum, qua Donum Personale est, repræsentet.

Omne datum optimum, & omne Donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Iacob. 1. cap.



1. Cum Virgo DEI Mater Sanctissima, ob eximium quo in DEUM ter Optimum Maximum, à primo Conceptionis suæ instanti amorem exarsit, ipse DEI Amor, ipsa Charitas, ipse quodammodo Spiritus Sanctus in terris visa sit, jure sanè meritò, eandem etiam DEI Donum quoddam, quemadmodum & Spiritum Sanctum nuncupare possumus, & debemus. Amor enim, ut Angelicus affirmat Doctor 1. P. q. 38. ar. 2. *primi Doni rationem habet, per quod omnia dona gratuita donantur.* Quemadmodum ergo Pater, & Filius, mutuo amore sese, ac creaturas omnes possibiles complectentes, spirant Spiritum S. qui ipse substantialis Amor, & Donum est: Sic eædem Personæ illæ Divinissimæ humanum genus ardentissimo amore prosequentes, Virgineum hunc quodammodo Amorem spirare, Donumque hoc Cœleste, ex puro Amore Mundo impertiri videntur.

Amor est primum Donum.

MARIA Donum Divinum à Personis Divinis nobis missum.

Et sicut fatendum est Incarnationem seu Missionem Verbi, ex Divina, admirabilique in homines benevolentiâ contigisse, (verissimè enim ipsa Veritas pronunciavit: Ioan. 3. *Sic DEUS dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret*) sic DEiparæ immaculatam Conceptionem, ipsumque in hunc Orbem illius exortum, ex eodem prorsus Amore, velut Donum preciosissimum, velut de fonte rivulum, velut datum optimum, & perfectum processisse existimandum est. Cùm Incarnatio Verbi sine Virgine, in cujus purissimo utero peracta est, intelligi minimè possit.

2. Quod si præterea *Donum est datio seu ratio quædam, irredibilis*, secundùm Philosophum, *id est, quod non datur intentione retributionis, importatq; gratuitam donationem, quâ aliquid alicui damus, eò quod ei bonum volumus*, ut ait idem S. Doctor, cùm Virgo sacratissima gratis, ex puroque DEI in genus humanum amore, absque ullo prorsus retributionis intuitu (cùm DEUS noster is Dominus sit, cui cecinit David: *Quoniam bonorum meorum non eges*) ex puraque in homines benevolentia, eosdemque salvandi desiderio, Mundo donata sit, consequens sanè est, eam Donum quoddam excellentissimum, ac Divinum, illique DEI Dono personali quam simillimum esse.

Donum est datio irredibilis, quod non datur intentione retributionis.

Quod si denique omne quod optimum, ac perfectum est, datum & Donum est de sursum descendens à Patre luminum; cùm Virgo optima, & Fons bonorum omnium, tam cum honestate, quàm cum utilitate, ac delectatione cōjunctorum sit; sitq; etiam per dilectissima, nihilq; ei vel naturæ, vel gratiæ (cùm gratiâ plena sit) Donorum desit, quis eam Donum quoddam optimū, ac perfectissimum, à liberalissimo illo, atque amantissimo luminum Patre, gratiæ suæ splendoribus Mundū perfundere desiderante, hominibus impertitā inficiabitur?

M. Donū & datum optimum à Patre luminum ad Mundum illustrandum.

3. Hanc ob causam meritò nonnulli

nulli Sanctorum Patrum Donum, Munus; Donarium, à Divina Bonitate Orbi donatum vocitârunt. Audite S. Ioannem Damascen. Orat. I. de Dormit. Deiparæ, ubi eam vocat; *Munus omnium DEI donorum præstantissimum, simul ac charissimum.*

MARIA Munus omnium DEI donorum præstantissimum.

Audite eundem Orat. I. de Nativ. Virginis, ubi ejus sanctissimos alloquens Parentes: *O par beatum Ioachim & Anna*, inquit, *vobis omnis creatura obstricta est, per vos enim Donum, omnium donorum excellentissimum Creatori obtulit, nempè castam Matrem, quæ sola Creatore digna erat.*

Hinc B. Amadeus Lausanensis Episcopus Hom. 6. eam *Cæleste Munus*, appellavit. Hinc Sanctissimi ejus Parentes eandem Dei Donum agnoscentes, quò non modò eorum sterilitas, verùm etiam Orbis universus summum Solatium consequebatur, polliciti sunt eam ipsam Deo, à quo donata fuerat, velut Donarium consecrare, ut unde tantarum gratiarum processerat Fluvius, illuc reverteretur, quo iterum largiori benedictionum cœlestium copia, in humanum genus emanaret. Audite S. Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, qui Orat. de Præsent. Beatæ Virginis, S. Annam voto se his verbis obstringentem introducit: *Adiungo insuper me Donum Domino omnino oblaturam, fœtum, quem mihi dedisset, ut esset, maneretq; in Templo sancto suo, tanquam Donarium, Munusq; preciosissimum, mihi ab ipso datum perfectorum donorum liberalissimo Datore.* Tum eandem Annam gaudio exilientem, atque ita gloriantem introducit: *Congratulimini mihi omnes, quia hodie Mater & Deductrix sum declarata Filiæ meæ, non ad terrenum aliquem Regem, sed cœlesti Regi eam tanquam debitum offero, ac dedico.* Idem S. Antistes paucis interpositis, Beatam Annam, Zachariæ Sacerdoti summo Filiolam suam, velut Donum Dei gratissimum offerentem, in templo hiscé verbis sistit: *Accipe, ò DEI Vates, à DEO mihi datam filiam, accipe, atq; introducens planta ipsam in omni sanctificatione in DEO dicatum habitaculum.* Tandem ipse Zacharias Virginem sacratissimam, maximum, inusitatum, ac nunquam visum Dei, cœlo delapsum agnoscens Donum, eam in Sancta Sanctorum hiscé verbis invitat; *Ingredere huc plenitudo mea Prophetiæ. Huc ades perfectio Divinarum ordinationum. Huc ades splendor in tenebris iacentium; huc ades maximè DEI novum Donum. Huc ades Domina mortalium omnium.* Idem Vir in Virginem pientissimus, eandem Puellam ex promissione, eamque triennem ad tertium usque templi velum, tanquam Donum omni reprehensione vacans oblatam, perhibuit.

M. ex voto in Téplo velut preciosissimũ Donum oblata.

3. Audiamus denique & D. Bernardum, qui ser. I. de Assumpt. Virginis, MARIAM Donum præstantissimum esse dixit, à Deo mortalibus concessum; additque Mundum istum gratiarum hunc copiosissimum Rivulum, ad Fontem, cœlo, unde defluxerat remisisse, ut impetu majori, copiosiorique abundantia iterum flueret: *Aduocatam*, iquit ille, *præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater misericordiæ, simpliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. Preciosum hodie Munus terra nostra direxit in cœlum, ut dando, & accipiendo, fœlici amicitiarum fœdere, copulentur humana Divinis; terrena cœlestibus; ima summis. Illo enim ascendit fructus terræ sublimis, unde data optima, & dona perfecta descendunt. Ascendens ergo in altum Virgo Beata, dabit ipsa quoq; dona hominibus.* Subjungensque hujusce Virgineæ liberalitatis rationem, insinuat Donum illam quoddam esse Divinissimum, quo omne genus boni, summum nempè Bonum, quod Deus est, donorumque omnium, tam naturalium, quàm naturæ limites excedentium genera concluderentur, ob excellentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem. Ejus enim intuitu Dilectissimus ipsius Filius ob auctoritatem Maternam liberalissimè gratiarum munera elargitur. *Quidni daret?* dona videlicet; ait mellifluus Doctor, *siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est. Denique Mater est Vnigeniti Filij DEI. Nihil enim potest potestatis eius, seu pietatis magnitudinem commendare, nisi forte aut non creditur DEI Filius honorare Matrem, aut dubitare quis potest in affectum charitatis transijsse MARIÆ viscera, in quibus ipsa, quæ ex DEO est charitas, novem mensibus corporaliter requieuit.*

M. Munus preciosũ.

4. Quò ex Sanctissimi Viri discursu colligimus Deiparam Virginem, & qua Donum est à sempiterno illo luminum Patre in terras desursum missam, & qua à mortalibus cœlo cum grati animi significatione remittitur, Munus esse in sese omnium munerum, quæ effusissima illa Dei omnipotentis continere potest dexte-

dextera, complectens genera, adeòque summo illi, personalique Amori, ac Dono, sanctissimo nempè Spiritui, bona, donaque omnia in sese (utpotè summa Bonitas) complectenti, quam simillimam. Quod sanè & toti Mundo bonorum spiritualium extremâ egestate laboranti, & DEI ipsius oculis debuit esse, ob Divinissimam ejus præstantiam quam gratissimum; tantum siquidem in Dono illo sibi complacuit, tantam animi voluptatem reperit, ut superbire sibi quodammodo videretur.

5. Vnde Donum hoc eximium, atq; Divinum, imò donorum, gratiarumque omnium absolutissimam quandam epitomem, contemplans, sibique in tam præstanti opere complacens eidem Virgini suavi quâdam animi teneritudine dicebat, Cant 6: 4. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*; Seu, uti legit Rabbi Salomon: *Quia ipsi me superbire fecerunt*; quiquid enim Creaturæ omnes tam cœlestes, quàm terrestres gratiæ, pulchritudinis, aut bonitatis habuere, illud omne DEI Filius ad Matrem exornandam contulit. Adeò, ut de ea dicere verè potuerit Isaias (utpotè quæ fuit terra deserta, omnibusq; peccatis invia, ac solitudo omnibus terrenis affectibus destituta) *Lætabitur deserta, & invia, exultabit solitudo, ac florebit, sicut lilium.* Quid ita? *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron.* Isa. 35. Quasi diceret: ex omnibus excelsissimis sanctorum montibus, sive cœlestibus, uti est Libanus candidissimus, cœlestem denotans puritatem; sive terrestribus, uti est Carmelus, & Saron, montes nimirum fertilissimi, amœnissimi, floridissimi, qui DEI Amicorum in hac vita adhuc degentium sanctimoniæ florem, fœlicitatem, ac amœnitatem designant, ex omnibus, inquam, hiscé montibus, quicquid pulchrum, quicquid decorum, quidquid venustum, amœnumque, in illorum eminentissima extitit sanctimonia, id totum in præparatum illum montem Domus Domini elevatum super verticem montium, & collium, in DEIparam, inquam, Virginem universorum Conditor, plenâ, quod ajunt, manu congessit. Atque ita factum, ut Sancto Sanctorum dilectissimo suo Filio persimilis videretur, adeò ut quicunque illam intueretur, Filium ipsum; (qui Gloria & Decor, Splendorque Patris dicitur) sibi se contemplari arbitraretur. Quare subdit Propheta; *Ipsi viderunt gloriam Domini, & decorem DEI nostri.*

Deus in M. condenda sibi superbire visus est.

M. Sancto Sanctorũ Filio suo persimilis

6. Vnde evenit, ut Sanctissimi ejus Parentes Donum hoc gratissimum fore Divinæ Majestati agnoscentes, eam quam primum, velut quasdam florum, fructuumque primitias ipsi devoverint, ac consecrârint; mirificamque apud DEVM ex tanta liberalitate gratiam inierint. Idque sanè jure meritissimo. Si enim apud Hispanos in hodiernum usque diem laudabilis inolevit mos, ut quicunque fructuum, cujuscunque speciei primitias in Vrbem aliquam intulerint, hujusmodi gratia donantur, ut unius saltem anni spatio pendendi tributi onere liberaretur: Si etiam Auri fodinarum inventores apud eosdem populos easdem Regi offerentes amplissimis gratijs, earundemque fodinarum parte aliquâ donantur; Quibus DEUS immortalis, cœli favoribus, privilegijsque Sanctissimos Virginis hujus Parentes dignos fuisse censendum est, qui præcocem hunc sui ventris Fructum dulcissimum, ac sapidissimum, Fructum hunc terræ sublimem, tam hilari, liberalique animo Divinæ obtulerunt Majestati? Quibus cœli divitijs à supremo cœlorum Rege locupletatos arbitramur, qui hanc preciosissimam Auri fodinam in proprij corporis agro inventam, eidem promptissimâ voluntate possidendam jure perpetuo tradiderũt? Auri fodina est verè Virgo DEIpara, in ejus siquidem utero inventus est Magnus ille Thesaurus, prorsus inæstimabilis DEI Filius, cujus caput est aurum optimum, in quo præterea sunt omnes thesauri; scientiæ, ac Sapientiæ DEI absconditi. Fodina verè lapidis preciosissimi omne prorsus precium excedentis est Virgo DEIpara, sic enim eam Hesichius Presbyter Hierolymit. ser. 2. de Beata Virgine appellat; *Alius*, inquiens, *eam cognominat fodinam, unde prodit Lapis totam terram tegens à nullo incisus. Alius, thesaurum locupletantem.*

Hispanorum privilegia concessa illis qui primi fructuum primicias in urbem aliquam inferunt.

Hispani auri fodinarum inventores privilegijs efficiunt.

M. florum omnium rationabilium primitiæ DEO gratæ.

M. fodina auri, lapidisq; preciosi nempè Filij DEI.

7. Donum hoc preciosum, tam charum, gratumque Domino, crediderim fuisse adumbratum in muneribus preciosissimis, aureis, atque argenteis, quæ 12. Principes populi Israëlitici in Tabernaculo fœderis, quod Templum Hierosolymitanum referebat, 12. continuis

Oblatio SS Ioach. & Ann figurata in Donis 12. Principum Israelis.

tinuis diebus magnâ solennitate obtulerunt. Inter quæ dona, ut reliqua missa faciamus, dicitur Num. 7. singulos obtulisse Acetabulum argenteum, & simul Phialam argenteam, & Mortatiolum aureum plenum incenso, quæ omnia & singula typi fuere gloriosissimæ Virginis nostræ, argento, auroque purioris, atque in oculis Dei longè quovis theatro preciosioris. Erat verè B. V. Acetabulum argenteum. Vbi observandam quod Hebræus utatur voce quæ Scutelam; apud 70. Interpp. verò paropsidem, significat. Verè B. V. argentea Scutela, ac paropsis quædam Regia quodammodo extitit, in qua fercula sapidissima, ac gratissima ipsius virtutum Dominus degustabat, ijsdemque mirificè oblectabatur. Vnde, uti suprà meminimus, ab Vbertino Casalio Viro Religiosissimo, hanc ob causam Ferculum Salomonis appellata est. Idque jure meritissimo, quemadmodum enim mediantibus Scutellis, varia fercula Mensis inferuntur: sic mediante Deiparâ non modò ipsis suavissimæ, dulcissimæque virtutes superni Regis inferuntur lautissimo convivio, verùm etiam aliorum, maximè verò dilectissimorum ejus clientum, quæ licet ex se viles admodum, & nullius gratiæ, vel precij forent, tamen mediante Virgine argento omni, auroque puriori, evadunt omnes gratissimæ, acceptissimæ. Vnde S. Bernardus ser. de Nat. B. V. docet omnia per Virginem Deo offerenda, si oblationem nostram tantæ Majestatis oculis gratam exhiberé desideramus.

B. V. Regia Paropsis pro ferculis mensæ cœlesti inferendis.

Res quæcunq; per M. oblatæ, Deo gratæ.

Cæterum quidquid illud est, quod offerre paras, MARIÆ commendare memento, ut eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit. Neq; enim impotens erat DEVS, & sine hoc aquæ ductu infundere gratiam, prout vellet sed tibi vehiculum voluit providere. Fortè enim manus tuæ aut sanguine plenæ, aut infestæ muneribus, quod non eas ab omni munere excussisti. Ideóq; modicum istud, quod offerre desideras, gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis MARIÆ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsum. Sic ille.

8. Erat quoque Virgo nostra Phiala argentea. Si enim hæc vas quoddam parvulum est, ac concavum nobilioribus convivijs ad apponenda mensæ bellaria, ut sunt fructus, alijq; cibi saccaro conditi, notum, intelligemus facilè Phialam hujusmodi fuisse Deiparam, quæ sicut primæ mensæ ferculis importandis convivio Cœlestis Regis fuit idonea, ita quoque & secundæ, quæ esse consuevere delicatiora, ac dulciora. Quam ob causam à superno Sponso in ea sibi mirificè complacente, ac deliciante celebratum crediderim ejus pulchetrimum illud elogium Cant. 7: 6. *Quam pulchra es, & quam decora Charissima in delicijs.* Quod elogium expendens Guilelmus Abbas, eò Virginitatem, Fœcunditatemque Deiparæ deprædicatam esse sensit, quæ revera Phiala argentea per candorem, puritatemque Virginitatis, argento designatam; & simul dulcissimis, benedicto scilicet ventris sui Fructu Iesu, saccaro, nectare, ambrosiâque omni dulciore plena, per fœcunditatem nobis extitit; ac proinde verè charissima, & dulcissima in hiscé Filij Dei cum genere humano delicijs, non modò Sponso, sed & nobis fuit. *Quam pulchra es in Virginitate fœcunda, & quam decora, in fœcunditate Virginea!* inquit Guilel. *Non est simplex Virginitas tua, sed fœcunda: Non simplex fœcunditas tua, sed Virginea; & propterea non simpliciter dicitur: Pulchra es, & decora; sed quam pulchra & decora. Et non tantùm Chara, sed & Charissima in delicijs dicitur, per quod in suis delicijs DEO insignitur placuisse monstratur.*

B. V. Phiala argentea ad bellaria mensæ cœlesti inferenda

B. V. Phiala argentea plena dulcissimis fructibus, per Virginitatem & fœcunditem nobis fuit.

9. Porrò harum deliciarum, quibus & ipsa, & suprema illa Majestas fruebatur, tota causa ipse dulcis Iesus, ipse benedictus ejus ventris unicus Fructus, omni cœlesti suavitate, cupedijsque conditus, fuit. Vnde ita prosequitur: *Tales deliciæ etiam in hac vita mortali decebant Matrem vitæ, Matrem Maiestatis. Si quæris de delicijs istis quales? dico quod Maternæ quædam deliciæ erant, sed Virgini Matri singulares; nulli Virgini, vel Matri ante eam, nulli post eam datum est experiri delicias illas. Maternæ deliciæ erant, Matris super prole gaudentis. Quantis putas illa Maternæ suauitatis affluebat delicijs, cùm ei ad conceptum Virtus Altissimi obumbrauit, dum corporatum DEVM in utero gestaret, dum nouo partu æternum lumen, in luce sæculi funderet? Mulier ait Veritas cum parit, tristitiam habet. At non ita Mulier, quæ sine dolore peperit, quia intacta concepit. In quantis agebat sanctæ iucunditatis delicijs, cum DEVM Verbum Maternis amplexibus stringeret, & sacra illi oscula Materni oris imprimeret; cum illum qui in cœlo de se pascebat*

B. V. deliciæ Maternæ, ac singulares nemini concessæ, nec concedendæ.

B. V. summæ deliciæ in lactando, & osculando Filio.

debat Angelos, maternis uberibus aleret, & cætera materna pietatis officia pro tempore ministraret? Deniq; in his omnibus Divini mysterij, & sui privilegii non ignara, optimè noverat, se esse Matrem Majestatis, & hoc nosse singulares, & juges illi deliciæ erant. Concludit denique DEIPARAM licet fuerit ex se ob Virginitatem, & fœcunditatem DEO grata gratiorem tamē ob profundissimam, qua se coram DEO abijciebat, evasisse humilitatem. *Verum in his tam magnis delicijs, non agebat remissius,* inquit ille, *aut sapiebat elatius; in hac inquam fœlicitate singulari, pia Mater non alta sapiebat, sed humilibus semper consentiebat, & quanto magis de Divina semper circa se dispensatione gaudebat, tanto minus cæteros aspernandos ducebat, quia potius quantum in se erat, parturiebat omnes visceribus pietatis, pro eo quod singulari munere Mater existeret Majestatis. Quia ergo humilitatem semper ad DEUM, proximumq; servando, de Divinorum insignibus munerum, non in se, sed in Domino gloriabatur, proculdubio Largitori muneris tanto amplius placuit, quanto & propensius, ex conscientia Divina circa se largitionis, in delicijs sanctæ gratulationis fuit.* Hæc Guilelmus de Humilitate B. V. qua se infra omnes mortales, tot donis Fœcunditatis Virginitatis, alijsque innumeris exornata, abijciebat, unde liquet Donum ejus, ipsiusq; simul sanctissimorum Parentum etiam hac ex causa fuisse supremo Numini quam acceptissimum.

M. noverat se Matrem esse summæ Majestatis, quod summas illi delicias pariebat.

B. V. Humilitas in se offerenda DEO.

10. Quod si per Phialam, exuberantem doctrinam cum S. Gregorio Magno Hom. 6. in Evang. intelligamus, jure merito Virgo nostra nuncupatur Phiala, quæ, ut alibi Disc. 13. de Sap. DEIP. fusè ostendimus fuit doctrix Doctorum, Magistra Magistrorum, cujus os Apostoli, reliquique Domini Discipuli tanquam Spiritus S. Oraculum consulebant, ut de hac ampla Divinæ Sapientiæ Phiala Divinæ Sapientiæ aquis potarentur atque implerentur.

Phiala exuberantē doctrinam notat.

11. Fuit denique Virgo beatissima Mortariolum aureum, quod quisque ex illis 12. Principibus Israëlitis obtulit appenpens decem siclos plenum incenso. Mortariolum porrò hoc aureum significat, ut ex Hebræo textu colligitur, parvam Phialam ad asservandum incensum. Verè Parva Phiala aurea, plena incenso in hac sui oblatione fuit DEIPARA. Parva quidem, quia triennis semetipsam DEO obtulit; parva ob jam memoratam profundissimam humilitatem, qua licet magna in oculis DEI foret, utpote ad Divinæ Maternitatis dignitatem evecta, parva tamen in oculis suis extitit, dum se Ancillam Domini nominavit. Aurea, quia cœlesti sapientia, & charitate plena sese Divino Numini totam dedicavit; Plena incenso denique fuit, quia orationi, ac contemplationi assiduè intenta, amorisque Divini igne succensa, gratissimum, ad instar incensi sive thuris odorem supernæ exhalabat Majestati; qui sanè adeo copiosus extitit, ut in omnia virtutum ejus vestimenta redundaret, easdemqque virtutes odore hoc suavi conspersas gratiores reddiderit. Virtutes enim orationi, ac contemplationi sociatæ, cœlesti Sponso, reliquisque Cœlitibus mirificè arrident. Unde hac consociatione delectatus, ajebat Sponsæ, Cant. 4: 11. *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Easdem orationes Virginis v. 10. suavissimis comparare visus est unguentis, omnibus aromatis suavius redolentibus: *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Sive ut legêre 70. Interpp. *Et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata.* Imbutæ enim Virginis virtutes orationis suavitate, totius Arabiæ, Sabæ, & Panchaiæ odotamenta superare fragrantiâ sua videbantur. Odorum ejus ex virtutibus emanantium vim, atque energiam undequaque ad cœlos usque sese diffundentem, Inferosq; penetrantem pulchrè descripsit S. Amadus Lausanensis Episc. Homel. 2. qui ubi elogium illud commemorasset Sponsi: *Asserunt,* inquit, *odore thuris Dæmones effugari, lacrymas excitari, DEUM lacrymis mediantibus placari. Ego verò libenter dixerim, odore virtutum sanctæ MARIÆ Angelos tenebrarum effugari, & quodam valido turbine huc, illucq; raptari, ut in eis impleatur, quod dictum est: Fiant tanquam pulvis ante faciem venti. Odor iste mortuos in peccatis excitat, mente debiles roborat, bonos excitat ad meliora, meliores ad optima. Bonus odor, qui Regem in accubitu suo, per Virginem provocavit, ut ad nos veniens, nostra reciperet, sua daret, constituens nobiscum amicitias, lege immobili, pace sempiterna. Sic igitur fragrantia vestimentorum S. MARIÆ hostes fugat, bonos invitat, DEUM placat.* Hæc ille.

MARIA Phiala parva cur dicitur?

M. Parva Phiala plena orationis, ac contemplationis incenso.

B.V. virtutibus orationes sociando, gratiores reddebat.

Vestimenta B. V. sunt virtutes.

Odor virtutum B. V. Dæmones fugat.

12. Cælius verò Pannonius Ord. S. Pauli primi Eremitæ illustre jubar Comment. M. S. in Cantica idem illud explicans

nulli Sanctorum Patrum Donum, Munus; Donarium, à Divina Bonitate Orbi donatum vocitârunt. Audite S. Ioannem Damascen. Orat. 1. de Dormit. Deiparæ, ubi eam vocat; *Munus omnium DEI donorum præstantissimum, simul ac charissimum.*

MARIA Munus omnium Dei donorum præstantissimum.

Audite eundem Orat. 1. de Nativ. Virginis, ubi ejus sanctissimos alloquens Parentes: *O par beatum Ioachim & Anna*, inquit, *vobis omnis creatura obstricta est, per vos enim Donum, omnium donorum excellentissimum Creatori obtulit, nempè castam Matrem, quæ sola Creatore digna erat.*

Hinc B. Amadeus Lausanensis Episcopus Hom. 6. eam *Cæleste Munus*, appellavit. Hinc Sanctissimi ejus Parentes eandem Dei Donum agnoscentes, quò non modò eorum sterilitas, verùm etiam Orbis universus summum Solatium consequebatur, polliciti sunt eam ipsam Deo, à quo donata fuerat, velut Donarium consecrare, ut unde tantarum gratiarum processerat Fluvius, illuc reverteretur, quo iterum largiori benedictionum cœlestium copia, in humanum genus emanaret. Audite S. Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, qui Orat. de Præsent. Beatæ Virginis, S. Annam voto se his verbis obstringentem introducit: *Adiungo insuper me Donum Domino omnino oblaturam, fœtum, quem mihi dedisset, ut esset, maneretq; in Templo Sancto suo, tanquam Donarium, Munusq; preciosissimum, mihi ab ipso datum perfectorum donorum liberalissimo Datore.* Tum eandem Annam gaudio exilientem, atque ita gloriantem introducit: *Congratulimini mihi omnes, quia hodie Mater & Deductrix sum declarata Filia mea, non ad terrenum aliquem Regem, sed cœlesti Regi eam tanquam debitum offero, ac dedico.* Idem S. Antistes paucis interpositis, Beatam Annam, Zachariæ Sacerdoti summo Filiolam suam, velut Donum Dei gratissimum offerentem, in templo hiscé verbis sistit: *Accipe, ò DEI Vates, à DEO mihi datam filiam, accipe, atq; introducens planta ipsam in omni sanctificatione in DEO dicatum habitaculum.* Tandem ipse Zacharias Virginem sacratissimam, maximum, inusitatum, ac nunquam visum Dei, cœlo delapsum agnoscens Donum, eam in Sancta Sanctorum hiscé verbis invitat; *Ingredere huc plenitudo mea Prophetia. Huc ades perfectio Divinarum ordinationum. Huc ades splendor in tenebris iacentium; huc ades maximè DEI novum Donum. Huc ades Domina mortalium omnium.* Idem Vir in Virginem pientissimus, eandem Puellam ex promissione, eamque triennem ad tertium usque templi velum, tanquam Donum omni reprehensione vacans oblatam, perhibuit.

M. ex voto in Téplo velut preciosissimũ Donum oblata.

3. Audiamus denique & D. Bernardum, qui ser. 1. de Assumpt. Virginis, MARIAM Donum præstantissimum esse dixit, à Deo mortalibus concessum; additque Mundum istum gratiarum hunc copiosissimum Rivulum, ad Fontem, cœlo, unde defluxerat remisisse, ut impetu majori, copiosiorique abundantia iterum flueret: *Aduocatam*, iquit ille, *præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater misericordiæ, simpliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. Preciosum hodie Munus terra nostra direxit in cœlum, ut dando, & accipiendo, fœlici amicitiarum fœdere, copulentur humana Divinis; terrena cælestibus; ima summis. Illo enim ascendit fructus terræ sublimis, unde data optima, & dona perfecta descendunt. Ascendens ergo in altum Virgo Beata, dabit ipsa quoq; dona hominibus.* Subjungensque hujusce Virginez liberalitatis rationem, insinuat Donum illam quoddam esse Divinissimum, quo omne genus boni, summum nempè Bonum, quod Deus est, donorumque omnium, tam naturalium, quàm naturæ limites excedentium genera concluderentur, ob excellentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem. Ejus enim intuitu Dilectissimus ipsius Filius ob auctoritatem Maternam liberalissimè gratiarum munera elargitur. *Quidni daret?* dona videlicet; ait mellifluus Doctor, *siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est. Denique Mater est Vnigeniti Filij DEI. Nihil enim potest potestatis eius, seu pietatis magnitudinem commendare, nisi fortè aut non creditur DEI Filius honorare Matrem, aut dubitare quis potest in affectum charitatis transijsse MARIÆ viscera, in quibus ipsa, quæ ex DEO est charitas, novem mensibus corporaliter requieuit.*

M. Munus preciosũ.

4. Quò ex Sanctissimi Viri discursu colligimus Deiparam Virginem, & qua Donum est à sempiterno illo luminum Patre in terras desursum missam, & qua à mortalibus cœlo cum grati animi significatione remittitur, Munus esse in sese omnium munerum, quæ effusissima illa Dei omnipotentis continere potest

dexte-

dextera, complectens genera, adeòque ſummo illi, perſonalique Amori, ac Dono, ſanctiſſimo nempè Spiritui, bona, donaque omnia in ſeſe (utpotè ſumma Bonitas) complectenti, quam ſimillimam. Quod ſanè & toti Mundo bonorum ſpiritualium extremâ egeſtate laboranti, & DEI ipſius oculis debuit eſſe, ob Diviniſſimam ejus præſtantiam quam gratiſſimum; tantum ſiquidem in Dono illo ſibi complacuit, tantam animi voluptatem reperit, ut ſuperbire ſibi quodammodo videretur.

5. Vnde Donum hoc eximium, atq; Divinum, imò donorum, gratiarumque omnium abſolutiſſimam quandam epitomem, contemplans, ſibique in tam præſtanti opere complacens eidem Virgini ſuavi quâdam animi teneritudine dicebat, Cant 6: 4. *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt*; Seu, uti legit Rabbi Salomon: *Quia ipſi me ſuperbire fecerunt*; quiquid enim Creaturæ omnes tam cœleſtes, quàm terreſtres gratiæ, pulchritudinis, aut bonitatis habuere, illud omne DEI Filius ad Matrem exornandam contulit. Adeò, ut de ea dicere verè potuerit Iſaias (utpotè quæ fuit terra deſerta, omnibuſq; peccatis invia, ac ſolitudo omnibus terrenis affectibus deſtituta) *Lætabitur deſerta, & invia, exultabit ſolitudo, ac florebit, ſicut lilium.* Quid ita? *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron.* Iſa. 35. Quaſi diceret: ex omnibus excelſiſſimis ſanctorum montibus, ſive cœleſtibus, uti eſt Libanus candidiſſimus, cœleſtem denotans puritatem; ſive terreſtribus, uti eſt Carmelus, & Saron, montes nimirum fertiliſſimi, amœniſſimi, floridiſſimi, qui DEI Amicorum in hac vita adhuc degentium ſanctimoniæ florem, fœlicitatem, ac amœnitatem deſignant, ex omnibus, inquam, hiſcé montibus, quicquid pulchrum, quicquid decorum, quidquid venuſtum, amœnumque, in illorum eminentiſſima extitit ſanctimonia, id totum in præparatum illum montem Domus Domini elevatum ſuper verticem montium, & collium, in DEIparam, inquam, Virginem univerſorum Conditor, plenâ, quod ajunt, manu congeſſit. Atque ita factum, ut Sancto Sanctorum dilectiſſimo ſuo Filio perſimilis videretur, adeò ut quicunque illam intueretur, Filium ipſum; (qui Gloria & Decor, Splendorque Patris dicitur) ſibi ſe contemplari arbitraretur. Quare ſubdit Propheta; *Ipſi viderunt gloriam Domini, & decorem DEI noſtri.*

Deus in M. condenda ſibi ſuperbire viſus eſt.

M. Sancto Sanctorũ Filio ſuo perſimilis

6. Vnde evenit, ut Sanctiſſimi ejus Parentes Donum hoc gratiſſimum fore Divinæ Majeſtati agnoſcentes, eam, quam primum, velut quaſdam florum, fructuumque primitias ipſi devoverint, ac conſecrârint; mirificamque apud DEUM ex tanta liberalitate gratiam inierint. Idque ſanè jure meritiſſimo. Si enim apud Hiſpanos in hodiernum uſque diem laudabilis inolevit mos, ut quicunque fructuum, cujuſcunque ſpeciei primitias in Vrbem aliquam intulerint, hujuſmodi gratia donantur, ut unius ſaltem anni ſpatio pendendi tributi onere liberaretur: Si etiam Auri fodinarum inventores apud eoſdem populos eaſdem Regi offerentes ampliſſimis gratijs, earundemque fodinarum parte aliquâ donantur; Quibus DEUS immortalis, cœli favoribus, privilegijſque Sanctiſſimos Virginis hujus Parentes dignos fuiſſe cenſendum eſt, qui præcocem hunc ſui ventris Fructum dulciſſimum, ac ſapidiſſimum, Fructum hunc terræ ſublimem, tam hilari, liberalique animo Divinæ obtulerunt Majeſtati? Quibus cœli divitijs à ſupremo cœlorum Rege locupletatos arbitramur, qui hanc precioſiſſimam Auri fodinam in proprij corporis agro inventam, eidem promptiſſimâ voluntate poſſidendam jure perpetuo tradiderũt? Auri fodina eſt verè Virgo DEIpara, in ejus ſiquidem utero inventus eſt Magnus ille Theſaurus, prorſus inæſtimabilis DEI Filius, cujus caput eſt aurum optimum, in quo præterea ſunt omnes theſauri; ſcientiæ, ac Sapientiæ DEI abſconditi. Fodina verè lapidis precioſiſſimi omne prorſus precium excedentis eſt Virgo DEIpara, ſic enim eam Heſichius Presbyter Hierolymit. ſer. 2. de Beata Virgine appellat; *Alius*, inquiens, *eam cognominat fodinam, unde prodit Lapis totam terram tegens à nullo inciſus. Alius, theſaurum locupletantem.*

Hiſpanorum privilegia conceſſa illis qui primi fructuum primicias in urbem aliquam inferunt.

Hiſpani auri fodinarum inventores privilegijs efficiunt.

M. florum omnium rationabilium primitiæ DEO gratæ.

M. fodina auri, lapidiſq; precioſi nempè Filij DEI.

7. Donum hoc precioſum, tam charum, gratumque Domino, crediderim fuiſſe adumbratum in muneribus precioſiſſimis, aureis, atque argenteis, quæ 12. Principes populi Iſraëlitici in Tabernaculo fœderis, quod Templum Hieroſolymitanum referebat, 12. con-

Oblatio SS. Ioach. & Ann. figurata in Donis 12. Principum Iſraelis.

tinuis diebus magnâ solennitate obtulerunt. Inter quæ dona, ut reliqua missa faciamus, dicitur Num. 7. singulos obtulisse Acetabulum argenteum, & simul Phialam argenteam, & Mortatiolum aureum plenum incenso, quæ omnia & singula typi fuere gloriosissimæ Virginis nostræ, argento, auroque purioris, atque in oculis Dei longè quovis theatro preciosioris. Erat verè B. V. Acetabulum argenteum. Vbi observandam quod Hebræus utatur voce quæ Scutelam; apud 70. Interpp. verò paropsidem, significat. Verè B. V. argentea Scutela, ac paropsis quædam Regia quodammodo extitit, in qua fercula sapidissima, ac gratissima ipsius virtutum Dominus degustabat, ijsdemque mirificè oblectabatur. Vnde, uti suprà meminimus, ab Vbertino Casalio Viro Religiosissimo, hanc ob causam Ferculum Salomonis appellata est. Idque jure meritissimo, quemadmodum enim mediantibus Scutellis, varia fercula Mensis inferuntur, sic mediante Deiparâ non modò ipsis suavissimæ, dulcissimæque virtutes superni Regis inferuntur lautissimo convivio, verùm etiam aliorum, maximè verò dilectissimorum ejus clientum, quæ licet ex se viles admodum, & nullius gratiæ, vel precij forent, tamen mediante Virgine argento omni, auroque puriori, evadunt omnes gratissimæ, acceptissimæ. Vnde S. Bernardus ser. de Nat. B. V. docet omnia per Virginem Deo offerenda, si oblationem nostram tantæ Majestatis oculis gratam exhiberé desideramus.

B. V. Regia Paropsis pro ferculis mensæ cœlesti inferendis.

Res quæcunq; per M. oblatæ, Deo gratæ.

Cæterum quidquid illud est, quod offerre paras, MARIÆ commendare memento, ut eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit. Neq; enim impotens erat DEVS, & sine hoc aquæ ductu infundere gratiam, prout vellet sed tibi vehiculum voluit providere. Fortè enim manus tua aut sanguine plena, aut infesta muneribus, quod non eas ab omni munere excussisti. Ideòq; modicum istud, quod offerre desideras, gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis MARIÆ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsum. Sic ille.

8. Erat quoque Virgo nostra Phialu argentea. Si enim hæc vas quoddam parvulum est, ac concavum nobilioribus convivijs ad apponenda mensæ bellaria, ut sunt fructûs, alijq; cibi saccaro conditi, notum, intelligemus facilè Phialam hujusmodi fuisse Deiparam, quæ sicut primæ mensæ ferculis importandis convivio Cœlestis Regis fuit idonea, ita quoque & secundæ, quæ esse consuevere delicatiora, ac dulciora. Quam ob causam à superno Sponso in ea sibi mirificè complacente, ac deliciante celebratum crediderim ejus pulchetrimum illud elogium Cant. 7:6. *Quam pulchra es, & quam decora Charissima in delicijs.* Quod elogium expendens Guilelmus Abbas, eò Virginitatem, Fœcunditatemque Deiparæ deprædicatam esse sensit, quæ revera Phiala argentea per candorem, puritatemque Virginitatis, argento designatam; & simul dulcissimis, benedicto scilicet ventris sui Fructu Iesu, saccaro, nectare, ambrosiâque omni dulciore plena, per fœcunditatem nobis extitit; ac proinde verè charissima, & dulcissima in hiscé Filij Dei cum genere humano delicijs, non modò Sponso, sed & nobis fuit. *Quam pulchra es in Virginitate fœcunda, & quam decora, in fœcunditate Virginea!* inquit Guilel. *Non est simplex Virginitas tua, sed fœcunda: Non simplex fœcunditas tua, sed Virginea; & propterea non simpliciter dicitur: Pulchra es, & decora; sed quam pulchra & decora. Et non tantùm Chara, sed & Charissima in delicijs dicitur, per quod in suis delicijs DEO insignitur placuisse monstratur.*

B.V. Phiala argentea ad bellaria mensæ cœlesti inferenda

B.V. Phiala argentea plena dulcissimi fructibus, per Virginitatem & fœcunditem nobis fuit.

9. Porrò harum deliciarum, quibus & ipsa, & suprema illa Majestas fruebatur, tota causa ipse dulcis Iesus, ipse benedictus ejus ventris unicus Fructus, omni cœlesti suavitate, cupedijsque conditus, fuit. Vnde ita prosequitur: *Tales deliciæ etiam in hac vita mortali decebant Matrem vitæ, Matrem Maiestatis. Si quæris de delicijs istis quales? dico quod Maternæ quædam deliciæ erant, sed Virgini Matri singulares; nulli Virgini, vel Matri ante eam, nulli post eam datum est experiri delicias illas. Maternæ deliciæ erant, Matris super prole gaudentis. Quantis putas illa Materna suauitatis affluebat delicijs, cùm ei ad conceptum Virtus Altissimi obumbrauit, dum corporatum DEVM in utero gestaret, dum nouo partu æternum lumen, in luce sæculi funderet? Mulier ait Veritas cum parit, tristitiam habet. At non ita Mulier, quæ sine dolore peperit, quia intacta concepit. In quantis agebat sanctæ iucunditatis delicijs, cum DEVM Verbum Maternis amplexibus stringeret, & sacra illi oscula Materni oris imprimeret; cum illum qui in cœlo de se pascebat*

B.V. deliciæ Maternæ, ac singulares nemini concessæ, nec concedendæ.

B.V. summæ deliciæ in lactando, & osculando Filio.

debat Angelos, maternis uberibus aleret, & cætera materna pietatis officia pro tempore ministraret? Deniq; in his omnibus Divini mysterij, & sui privilegii non ignara, optimè noverat, se esse Matrem Majestatis, & hoc nosse singulares, & juges illi deliciæ erant.

M. noverat se Matrem esse summæ Majestatis, quod summas illi delicias pariebat.

Concludit denique Deiparam licet fuerit ex se ob Virginitatem, & fœcunditatem Deo grata gratiorem tamē ob profundissimam, qua se coram Deo abijciebat, evasisse humilitatem. *Verum in his tam magnis delicijs, non agebat remissius,* inquit ille, *aut sapiebat elatius; in hac inquam fœlicitate singulari, pia Mater non alta sapiebat, sed humilibus semper consentiebat, & quanto magis de Divina semper circa se dispensatione gaudebat, tanto minus cæteros aspernandos ducebat, quia potius quantum in se erat, parturiebat omnes visceribus pietatis, pro eo quod singulari munere Mater existeret Majestatis. Quia ergo humilitatem semper ad DEUM, proximumq; servando, de Divinorum insignibus munerum, non in se, sed in Domino gloriabatur, proculdubio Largitori muneris tanto amplius placuit, quanto & propensius, ex conscientia Divina circa se largitionis, in delicijs sanctæ gratulationis fuit.* Hæc Guilelmus de Humilitate B. V. qua se infra omnes mortales, tot donis Fœcunditatis Virginitatis, alijsque innumeris exornata, abijciebat, unde liquet Donum ejus, ipsiusq; simul sanctissimorum Parentum etiam hac ex causa fuisse supremo Nomini quam acceptissimum.

B. V. Humilitas in se offerenda Deo.

10. Quod si per Phialam, exuberantem doctrinam cum S. Gregorio Magno Hom. 6. in Evang. intelligamus, jure merito Virgo nostra nuncupatur Phiala, quæ, ut alibi Disc. 13. de Sap. Deip. fusè ostendimus fuit doctrix Doctorum, Magistra Magistrorum, cujus os Apostoli, reliquique Domini Discipuli tanquam Spiritus S. Oraculum consulebant, ut de hac ampla Divinæ Sapientiæ Phiala Divinæ Sapientiæ aquis potarentur atque implerentur.

Phiala exuberantē doctrinam notat.

11. Fuit denique Virgo beatissima Mortariolum aureum, quod quisque ex illis 12. Principibus Israëlitis obtulit appenpens decem siclos plenum incenso. Mortariolum porrò hoc aureum significat, ut ex Hebræo textu colligitur, parvam Phialam ad asservandum incensum. Verè Parva Phiala aurea, plena incenso in hac sui oblatione fuit Deipara. Parva quidem, quia triennis semetipsam Deo obtulit; parva ob jam memoratam profundissimam humilitatem, qua licet magna in oculis Dei foret, utpote ad Divinæ Maternitatis dignitatem evecta, parva tamen in oculis suis extitit, dum se Ancillam Domini nominavit. Aurea, quia cœlesti sapientia, & charitate plena sese Divino Numini totam dedicavit; Plena incenso denique fuit, quia orationi, ac contemplationi assiduè intenta, amorisque Divini igne succensa, gratissimum, ad instar incensi sive thuris odorem supernæ exhalabat Majestati; qui sanè adeo copiosus extitit, ut in omnia virtutum ejus vestimenta redundaret, easdemque virtutes odore hoc suavi conspersas gratiores reddiderit. Virtutes enim orationi, ac contemplationi sociatæ, cœlesti Sponso, reliquisque Cœlitibus mirificè arrident. Unde hac consociatione delectatus, ajebat Sponsæ, Cant. 4: 11. *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Easdem orationes Virginis v. 10. suavissimis comparare visus est unguentis, omnibus aromatis suavius redolentibus: *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Sive ut legêre 70. Interpp. *Et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata.* Imbutæ enim Virginis virtutes orationis suavitate, totius Arabiæ, Sabæ, & Panchaiæ odotamenta superare fragrantiâ sua videbantur. Odorum ejus ex virtutibus emanantium vim, atque energiam undequaque ad cœlos usque sese diffundentem, Inferosq; penetrantem pulchrè descripsit S. Amadus Lausanensis Episc. Homel. 2. qui ubi elogium illud commemorasset Sponsi: *Asserunt,* inquit, *odore thuris Dæmones effugari, lacrymas excitari, DEUM lacrymis mediantibus placari. Ego verò libenter dixerim, odore virtutum sanctæ MARIÆ Angelos tenebrarum effugari, & quodam valido turbine huc, illucq; raptari, ut in eis impleatur, quod dictum est: Fiant tanquam pulvis ante faciem venti. Odor iste mortuos in peccatis excitat, mente debiles roborat, bonos excitat ad meliora, meliores ad optima. Bonus odor, qui Regem in accubitu suo, per Virginem provocavit, ut ad nos veniens, nostra reciperet, sua daret, constituens nobiscum amicitias, lege immobili, pace sempiterna. Sic igitur fragrantia vestimentorum S. MARIÆ hostes fugat, bonos invitat, DEUM placat.* Hæc ille.

MARIA Phiala parva cur dicitur?

M. Parva Phiala plena orationis, ac cōtemplationis incenso.

B. V. virtutibus orationes sociando, gratiores reddebat.

Vestimenta B. V. sunt virtutes.

Odor virtutum B. V. Dæmones fugat.

12. Cælius verò Pannonius Ord. S. Pauli primi Eremitæ illustre jubar Comment. M. S. in Cantica idem illud explicans

cans elogium censet vestimenta odorifera Sponsæ esse primam innocentiam cum virtutum omnium spiraminibus, quibus fides gaudet, easque tenet. Thuris autem nomine orationes intelligit, secundum Prophetam orantem: *Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Rursus vestimenta Sponsæ ex Sententia S. Greg. 2. Moral. c. 38. ait esse opera, atque etiam corpora nostra: *Si*, inquit, *nos apud DEVM opera nostra, quasi vestimenta non tegerent, nequaquam voce Angelica diceretur: Beatus, qui vigilat, & qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus. Porro putantur vestimenta & ipsa corpora esse, juxta quod scriptum est: Hi sunt qui non coinquinaverunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt, Apoc. 3. Dicat ergo: Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris, id est, placens Sacrificium DEO, secundum quod Apostolus hortatur: Obsecro vos per misericordiam DEI, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, DEO placentem; ut magis rationabili sacrificio, atq; spirituali, quã carnali colere DEVM studeatis, quoniam Spiritus est DEVS, Rom. 12. Ioan. 4.* Hæc Cœlius; ex quibus colligimus DEIPARAM verè Phialam fuisse auream, plenam incenso orationis, & ab ipsis quidem teneris annis, in qua adeo excelluit, ut ne inter dormiendum ab ea cessaret, sed dormiente corpore, animus ad DEVM in rerum Divinarum contemplatione vigilaret, ut docuit Ambros.

Vestimenta interioris hominis sunt opera bona.

13. Vnde & ipsa de hac sua in contemplandis Divinis supernaturali plane nemini puræ creaturæ concessa vigilantia dicebat: Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quæ Virginis oratio, ac contemplatio, quia plane stupenda fuit, atque inffabilis, crediderim à Sponso sæpius celebratam, cum formæ, præsertim verò internæ venustatem collaudaret, Cant. 4. dicebat: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra, oculi tui columbarum, absq; eo quod intrinsecus latet.* Sive ut legunt 70. Int. *extra silentium, sive taciturnitatem tuam.* Quod porro silentium hoc Sponsæ, profundissimã ejus contemplationẽ, præsertim verò, cũ mens ejus ad videndũ clarè DEVM ad breve aliquod tempus in præsẽtis vitæ statu rapiebatur denotet colligere possumus ex Greg. Magno, qui lib. 21. Moral. c. 24. explicans silentium illud, quod scribit Ioan. Apoc. 8. factum in cœlo quasi media hora, ait quietem contemplationis denotare, *qua anima intra se tanquam in quodam cœlo surgentes cogitationum tumultus compescit, quoddamq; silentium DEO facit; quod quia in hac vita profectum, ac diuturnum esse non potest, iccirco quasi media hora factum dicitur.* Cum igitur Sponsus pulchritudinem collaudat Virginis, & intus latitantes virtutes, Silentium, taciturnitatemque vocitat, ut pote nimium quantum admirabiles, quas nulla creata mens capere, nulla valet lingua eloqui, qualis est inter reliquas, cœlestium quieta, attentaque, Divinæ charitati sociata contemplatio, intelligimus profectò illam inter virtutes omnes palmam obtinuisse, utpote quæ ipsi Incarnato Verbo ineffabilis quodammodo videretur. Intelligimus denique orationis, contemplationisque incenso Virgineam hanc Phialam ita plenam fuisse, ut Divini amoris accedente igne, quo cor ejus nimium quantum ardebat, odorem suavissimum, eumque adeo exuberantem aspirarit, ut in primam ejus Innocentiam, ac virtutes omnes, in operationes singulas, in corpus ipsum quod vestimentum est animæ, redundaret: adeo ut S. Areopagita Dionys. ad Magistrum suum Paulum scripserit, quod ubi ad DEIformem præsentiam Virginis accessit, quod tantus, tamque immensus Divinus splendor eam circumfulsit exterius, & plenius irradiarit interius, tanta etiam omnium odoramentorum superabundarit fragrantia, ut nec corpur, nec spiritus eam sustinere valuerit. Ac proinde jure dicimus, quod tota Virgo beata, velut Phiala aurea plena incenso, non solum toto corpore, quod Plutarchus ajebat de Alex. M. sed et operibus, ac virtutibus, suavissimum odorem coram oculis ipsius Divinæ Majestatis exhalarit, fueritque ipsi donum longè acceptius, quam fuerint illa 12. Principum Israëliticorum, Acetabulorum videlicet, argentearum Phialarum, aureorumque Mortariolorum incenso refertorum munera, quæ umbra dumtaxat, Divinissimi hujuscè Doni, quod SS. Ioachim, & Anna, & ipsa Virgo in Templo, in Sancta Sanctorum, semetipsam DEO toto animo, toto corpore, toto corde devotissimè consecrando, obtulit.

Silentium Sponsæ cõtẽplationẽ ejus denotat.

Silentium mediæ horæ in Apocalypsi quietem contemplationis notat.

M. luce Divinâ tota radiavit, suavissimumq; odorem adhuc dum viveret sparsit.

Dona Principum Israëlis significabãt corpus, animam & cor B. V.

14. Proinde jure dicere possumus Munera illa 12. Principum significasse ipsum corpus, animam, ac demum cor

Virginis, quæ omnia illa, tantâ cum pietate Domino à primis annis in Templo dedicavit. Et Acetabulum quidem argenteum, sive paropsidem adumbrasse corpus; Phialam verò argenteam, ejus animam; ac demum Mortariolum aureum, sive parvam Phialam plenam orationis, sanctorumque desideriorum incenso, cor ejus purissimum, totū aureâ, eademque preciosissima convestitum charitate significasse; quod quia legem Domini; quod etiam de reliquis sanctis canit David: Lex Dei ejus in corde ipsius; decem præceptis comprahensam, tanquam Arca fœderis continebat, rectè dicitur decem siclos appendere, ita ut quodlibet præceptum cordi illi Virgineo longè preciosissimo, cujus solius ponderator est Dominus, profundè exaratum, sicli pondus addidisse visum sit.

Cor B. V. aurea phiala plena odoramētis orationum.

15. Neque verò mirum alicui videri debet, à nobis cor Virginis parvæ aureæ Phialæ plenæ incenso fuisse collatum, cum etiam Phialæ illæ aureæ plenæ odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum; quas S. Ioann. Apoc. 5. scribit habuisse 24. Seniores, corda illorum denotasse scribant, Beda, Rupertus, Richardus de S. Victore, Hugo Cardin. de S. Charo, Dionys. Richelius, Blasius Viegas noster, & Glossa Interlinearis, quæ ait Phialas aureas esse lata corda etiam ad dilectionem inimicorum, suaviter redolentia. Aureas porrò ait Viegas noster rectè dici hujusmodi phialas, quia sancti sunt charitate preciosi, qui nimirum Vasa illa aurea in domo Dei, de quibus Apostolus 2. Timoth. 2. significant. Denique plenæ sunt odoramentorum, id est, orationum, quia Sanctorum est, gratias Deo agere pro collatis in omnes mortales beneficijs, & pro eorumdem salute continuè preces ad Deum fundere. Parva igitur Phiala aurea oblata à Principibus Israëliticis, plena incenso, cor est mundissimum Virginis, omni auro purius, cor, inquam aureum ita aurea charitate dilatatum, ut totum mundum, imò mille mundos capere, ac proinde potiori jure quam Paulus dicere valeat mortalibus universis: *Os nostrum ad vos patet, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est, tanquam filijs dico, dilatamini & vos*, 2. Cor. 6. Vt ostendatur autem nobis, qua ratione latissima charitas Virginis totius orbis miserijs, ac necessitatibus subveniat, rectè dicitur cor, sive Phiala aurea Deipara fuisse plena incenso, sive odoramentis, ipsius orationes calentissimas ad Deum pro nobis fusas denotantibus. A primo enim immaculatæ ejus Conceptionis instanti cor illud humanæ salutis amantissimum, ardentissimis desiderijs hominum salvandorum exæstuans, assiduam fundebat pro illis ad instar gratissimi incensi orationem, ita ut tota ex hujusmodi suavissimis odoramentis composita, velut thymiama quodpiam esse videretur. Vnde hoc agnoscentes Angeli, eamque assiduè pro generis humani incolumitate deprecantem admirati, in aromaticam quandam Virgulam transformatam fuisse arbitrati sunt. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum quasi Virgula fumi; & aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarij*, Cant. 3. ubi per aromata, myrrham & thus, & universum pulverem pigmentarium, mortificatio, & oratio, innumeræque aliæ virtutes & gratiæ intelliguntur, quæ igne Divini amoris, proximiq; succensæ in corde Virginis, holocaustam illam pro hominum salute Deo gratissimum effecerunt in odorem suavitatis.

Aureæ Phialæ plenæ odoramētorū, sunt corda Virorū sanctorum.

Cor V. B. aureum propter charitatē.

Ab instanti conceptionis cor B. V. salutis humanæ amore arsit

M. Virgula fumi.

16. De hoc elogio audiendus S. Ildephonsus Arch. Tolet. Serm. 3. de Assumpt. *Quoniam in ascensu ejus multa flagrabant ornamenta virtutum, incendio Divini concremata amoris. Quæ ideo quasi Virgula fumi, quia ipsa est Virga illa de radice Iesse, quæ hodie ascendit. Gracilis quidem, & delicata, ex aromatibus universi pigmentarij pulveris, sed conflagrata incendio Charitatis. Et ideo bene in modum fumi Virgula ex aromatibus, quia facta est tota in holocaustum DEI quæ odoramentum virtutum spargebat de se usq; ad cœlos, & non qualiacunq;, sed universi pulveris pigmentarij. Vnde admiratio illa Angelica, non de Virginitate sola, quæ fuit singularis in MARIA, sed de immensitate gratiæ venit, quia universæ virtutes in ea respergebant ex incendio Diuini amoris suavitatem odoris.* Simili ratione interpretatus est verba illa Card. Halgrinus, ostendens insuper ascensum hujus virgulæ per desertum hujus mundi assiduum profectum de virtute in virtutem, donec videret Deum Deorum in Sion designare, atque adeo ipsius in genus humanum charitatis incrementum, quæ amantissimo ejus corde velut in aurea Phiala plena incenso exardescens, & ante Dei faciem pro nostra intercessione ascendens ipsum

B.V. ob assiduam orationem facta Virgula fumi aromatici, & Holocaustum cōcrematum igné Divini Amoris.

ipsum placat, totamque curiam cœlestem gratissimi odoris replet suavitate. De hac enim Virginea oratione ex aurea illius pijssimi cordis phiala procedente crediderim potissimum locutum fuisse Siracidem, Eccli. 35. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet non consolabitur, & non discedet, donec Altissimus aspiciat.*

Orationis B. V. humilitas.

17. Ex hactenus dictis clarè intelligimus Deiparam, oblationem donariorum, 12. illorum Israëlitici populi Principum imitando, seque ipsam toto corpore, toto animo, toto corde in holocaustum Divinæ Majestati, ex ardentissima charitate offerendo, ostendisse revera se non modo esse illam supremi omnium Principum, ac Regum terræ Principis, verumetiam horum suæ gentis clarissimorum, atq; liberalissimorum Principum Filiam, qui in textu Hebræo Nadibim vocantur à Nadab, quod Vltroneum, Spontaneum, Liberalem significat. Et talis Filia Nadab ultronea spontanea, liberalis, atque profusa fuit Virgo beatissima, quæ quidquid erat quid habebat, aut possidebat statim ultroneè in primis vitæ suæ annis promptissimè Domino dedicauit. Principum enim ea nobilissima est indoles, ut sint benefici, munifici, liberales, ac magnifici. Vnde Artaxerxes dictus Longimanus, quod alteram manum haberet longiorem, solitus erat dicere: *Magis Regium esse addere, quam detrahere.* Quia igitur Virgo nostra longas, largasque in donando semetipsam totam Deo manus habuit, jure merito filia Principis, filia Nadab, & ut ita dicam Longimana dici potest, ob donandi semetipsam Deo liberalitatem, ac promptitudinem, & omnibus benefaciendi propensissimam voluntatém.

B.V. Filia Principū, quia Principes in liberali sui Deo facta oblatione imitata est.

MagisRegium est dare, quā detrahere

18. Hujus promptos ad se totam Deo Creatori suo donandum voluntatis actus contemplatus Sponsus, mirificè eādem admiratus est, cum dixit: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis Filia Principis?* Vbi paulo aliter & ad rem nostram aptissimè legere 70. Interpp. *Speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis tuis, filia Nadab.* Vbi per gressus pulchros intelliguntur voluntatis affect⁹, qui sunt, Augustino teste, pedes animæ, quibus Virgo nostra in semetipsa quantocyus Creatori suo in Templo consecranda decurrebat, ostendens revera se Filiam Principis largi, ac munifici, se Filiam Nadab ultronei, spontanei, ac liberalis esse, dum in prima suæ ætatis aurora, imo in primo conceptionis suæ immaculatæ momento adhuc in utero Matris existens, ut graves sensere Theologi, emisso Virginitatis voto, nullo prævio exemplo, suadente nemine, sponte semetipsam in Donarium pulcherrimum supremo Numini consecravit. Qui sane ardentissimæ in Deum charitatis affectus, velut pulcherrimi gressus, jure merito cœlestem Sponsum in summam admirationem rapuere atque exclamare coegerunt: *Quam pulchri sunt gressus tui, &c.*

B.V. promptitudo voluntatis in semetipsa Deo offerenda, sunt gressus pulcherrimi.

B. V. cur dicitur Filia Nadab?

19. Quare B. Theodoretus Episcopus vocem illam; Nadab; profundius accuratiusq; discutiens, mysteriū in laudem Virginis sane elegantissimum reperit: *Vt hoc intelligamus*, inquit ille, *queramus quisnam sit Nadab. Fuit hic Aaron Filius 2. Paral. 24. qui cum ignem alienum in Tabernaculum DEI intulisset, vita finem accepit. Invenimus ergo & Domini Sponsam Divinum in Tabernaculum non ignem Legalem, sed quem ab ipso Sponso susceperat intulisse: Ignem, inquit veni mittere in terram, & quod volo nisi ut accendatur? Ignem hunc novum ex novo testamento in DEI Tabernaculum intulit Sponsa clamans. Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova. Merito igitur vocat illā Filiam Nadab, ut quæ igne novo sacrificium hominum obtulerit. Licet enim diverso consilio ignem communicarint, idem tamen ab utroq; factum est.* Merito igitur Virgo nostra tanta, tamque ardenti cum charitate semetipsam Creatori suo Donum æternum offerendo, Filia Principis, filia novi illius Nadab, qui ignem Divini amoris venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi, nuncupatur, quia uti dixi sponte, eodem illo charitatis igne succensa, Donum se æterno Principi obtulit, & eundem illum amoris Divini ignem toti mundo, ac præsertim optimis suis Parentibus Ioachimo, & Annæ comunicavit. Vnde factum, ut & illi Igne charitatis accensi, velut Nadabi spontanea, ac liberalis progenies, Filiolam hanc dulcissimam tanquam Donum acceptissimum Supremo Principi promptissima voluntate præsentarint, multisque parasangis dona illa 12. populi Israëlitici Principum superarint. Quod sane quam gratum Deo extiterit, quæ mens capere, quæ lingua exprimere sufficiet?

B.V. Ignē Divini Amoris intulit mundo, sicut Nadab profanū.

Ioachim, & Anna igne Divini amoris accensi B. V. ut Donum Deo obtulerunt.

20. Si enim, ut Divus testatur Damasc.

masc. orat. 2. de Dormit. Beatæ Virginis, Agricola quispiam Regi suo prætereunti, haustam manibus de proximo rivulo aquam gratitudinis ergo offerens, Regem in primis adeo admiratione cōmovit, ut ejus sapientiam extulerit laudibus, tum alacritatem illam animi, cum tam insigni benevolentia conjunctam, gratissimam sibi accidisse testatus est, ac demum quam plurima beneficia ei liberalissimè rependerit: Quantò magis summus ille Regum omnium Rex, Donum hoc gratiosissimum, gratissimūque; Fontē hunc Hortorū, puteum aquarum vivētium à sanctissimis hiscé progenitoribus Ioachim, & Anna, tam insigni grati animi significatione præsentatum hilari vultu acceptaverit?

Regi cuidam gratū mun⁹ fuit aqua ex proximo rivulo volis hausta.

Quo exemplo usus fuit Damasc. ad declarandum suarum laudum, quæ Deiparæ suis concionibus deferebat obsequia, longè fore gratiora, quam aquam illam volis haustam eidem illi Regi: *An non*, inquit, S. Doctor, *hæc verè bona Domina, ac solius boni DEI Mater, cujus indulgentia infinita est, quiq; duo minuta amplissimis etiam muneribus prætulit multo magis officium nostrum comprobabit, voluntatem nimirum, non facultatem nostram expendens? Certè comprobabit, debitumq; munus obeuntes excipiet, bonaq; omni exceptione majora, nobis rependet.* Iam si solæ sacratissimæ, ac divinissimæ hujus Virginis laudes ita Deo summo Orbis Monarchæ gratæ extiterunt, ut sibi verè persuadebat Damasc: quanto magis Maria ipsa, atque ipsiusmet tam eximiæ, donisque omnibus tam Naturæ, quam Gratiæ decoratæ Virginis Præsentatio?

Obsequia B. V. exhibita licet minima Deus cōpensat.

21. Quod si quis etiam media hyeme pulcherrimum quempiam florem, aut rosam, aut insolitum aliquem fructum Regi offerret, ut ait idem Sanctus orat. 2. de Dormit. Beatæ Virginis, non tam muneris vilitatem, quam novitatem Rex ille spectabit atque admirabitur, Agricolamque illum irremuneratum insigni aliquo munere abire nō permittet; Quantò magis Ioachim, & Annam, gratijs omnibus à Deo locupletatos fuisse censendum est, siquidem in nostra hac pene continua atque horridissima hujusce sæculi hyeme, Virgunculam hanc, velut rarum, fragrantissimumque flosculum, velut Rosam pulcherrimam, pervenustum veris anni formosissimi ornamentum, velut exquisitum denique sapidissimumque quempiam, ac extraordinarium, numquamque hactenus illi similem in terris visum Fructum, Conditori suo, incredibili animi alacritate obtulerunt?

Maria flos in medio hyemis hujus sæculi Deo præsentatus.

22. Ex quibus omnibus hactenus dictis facile colligere est sacratissimam Virginem insigne quoddam Dei Donum semper quidem, & in omni totius vitæ suæ decursu extitisse, sed tunc vel maximè, quando à Parentibus sanctissimis triennis, ac delicata Infantula in templo Divino conspectui fuit præsentata. Donum tunc verè eximium atq; excellentissimum extitit Virgo Deipara. Si enim ad hoc, ut Donum aliquod sit præstans, ac nobile, præter supra commemorata, requiritur, ut preciosum quid sit, ac dives; pulchrum; rarum, ac novū denique, ac inusitatum. Quæ sanè omnia in Virgine hac Divinæ Majestati præsentata in summo excellentiæ gradu est reperire. Donum hoc imprimis preciosum est, dives est, adeo ut de illo dixerit S. Germanus Patriarcha orat. cit. *Beatos esse omnes, qui de illa tanquam de re preciosissima aliquid participarunt.* Cum enim præmisisset: *Tu sola altissima DEIpara super omnem terram: Beatus revera ex viris Pater tuus, beata ex Mulieribus Mater tua, beata domus tua, beati noti tui, beati qui te viderunt, beati qui tua consuetudine usi fuerunt, beati qui tibi ministrarunt, beata loca, quæ calcasti, beatum Templum, ad quod adducta es, Beatus Zacharias, qui te ulnis excepit, beatus Ioseph, qui te sibi desponsavit, beatus lectus tuus, beatum sepulchrum tuum.* Cū inquam hæc præmisisset, reddit tandē rationem hujus tantæ, tamque insignis beatitudinis, ac fœlicitatis: *Tu enim* (Virginem alloquitur) *es precium preciorum, tu præmium præmiorum, tu exaltatio exaltationum.* Hujus Doni precium agnoscens S. Cyrillus Alexandrinus Hom. Cont. Nestorium insigni pietatis affectu exclamavit: *Sit tibi sancta DEI Mater laus. Tu enim es preciosa Margarita orbis terrarum.*

Maria Donum fuit Deo gratissimum maximè in Præsentatione facta in Templo.

Doni conditiones tres, id est, sit dives, pulchrū, rarum sive novum.

Maria res preciosissima.

Maria preciosa orbis margarita.

23. Ejusdem Doni precium agnoscens S. Damasc. orat. 1. de Nativ. Virginis. *Bonum thesaurum*, inquit, *qui nulla vi eripi potest Anna peperit mundo.*

Preciosum, ac verè dives Donum est Virgo, unde non immeritò rebus preciosissimis, uti auro, gemmis, rebusque ingentis precij solet comparari. Quid preciosius, quid opulentius olim fuit Arca fœderis Domini, quæ ideo tanto sem-

Maria rebus preciosissimis collata.

semper in precio, ac honore apud Israëliticum populum habita est, quod Virginem Dei param repræsentaret, ut ait Billius. Erat auro mundissimo intrinsecus, extrinsecusque vestita, coronâ aureâ coronata, vrnam auream cum Manna Angelicis manibus confecto continebat. Habebat desuper propitiatorium etiam aureum, supra quod duo Cherubin item aurei consistebant, versis vultibus in Propitiatorium, ut ait scriptura Exod. 25.

Maria Arca fœderis auro contecta.

En quam fuerit preciosa, quam dives vel sola hujuscé Virginis umbra, quæ quam ad vivum eam expresserit legendus est P. Antonius Spinellus cap. 5. n. 24. & Patres ab illo citati, qui passim vivam, veram, animatamque Arcam Deiparam extitisse testantur, ut S. Methodius, *qui animatam nostri Legislatoris Arcam*; Ephreem; *qui veram Arcam*, S. Epiphanius, *qui gloriæ spiritualis Arcam*; Andreas Cretensis; *Arcam supermundanam*; Damasc. denique, ut omittam reliquos, sacram & animatam Arcam Dei viventis nuncupavit. In Canticis verô Ecclesiasticis ita Virginem gloriosissimam alloquitur:

Tu cum sancta sis Arca
Sicut justus David testatur
Demonstrata es cœlis capacior
Tuum Creatorem gerens.
Laus ei qui in te habitavit.

Hujus Arcæ denique divitias, preciumque inæstimabile Laur. Iustin. serm. de Nativ. omnium elegantissimè descripsit: *An non*, inquiens, *MARIA testamenti Arca verissima, Divinis manibus fabricata, auro vestita mundissimo, virtutum gemmis ornata, ac imputribilibus lignis spiritualiter facta, testamenti tabulas, frondentem Virgam, suavissimumque in se manna continuit?*

M. Arca Divinis manibus fabricata.

24. Preciosa fuisse memoratur Exo. 25. Mensa panum propositionis, quæ de lignis setin preciosissimis compacta, auroq; purissimo convestita, coronaq; aurea atque aureola coronata fuit. Et hæc eadem Virginem nostram adumbravit. Vnde S. Damasc. orat. 2. de Dormit. Virginis, eam *Mensam animatam*, dixit: & orat. 1. *Mensa ex qua ille panis vitæ, ac cœlestis, ille nullis Agricolæ manibus excultus fructus corporeo modo pullulavit*; Et S. Epiphan. serm. de laud. Virginis, *Fidei Mensam intellectualem, quæ panem vitæ nobis suppeditavit.* Georgius Nicom. orat. de oblat. Virginis *Mensam, quæ portat vitam, in qua vita nostra panis propositus, Ambrosia panis eos, qui illius fuerunt participes.* Nil dicam de Candelabro aureo, nil de Altari Thymiamatis, quæ preciosissima cum fuerint, symbola pulcherrima Beatissimæ Virginis extitere, ejusque inæstimabile precium, virtutumque divitias, ob quas dives Donum dici potuit denotarunt.

Maria Mensa panum propositionis.

M. Mensa intellectualis panem vitæ suppeditans.

Maria Candelabrum aureum.

25. Quod si ingentes virtutum, cœlestiumq; gratiarũ, ac charismatũ divitias, quas Divinissima illa Munificentia, plenâ manu in illam veluti peculiarem suũ congessit thesaurũ consideremus, opulentissimam sanè eam fuisse præsertim in misericordia Deum imitando, qui dives in misericordia dicitur ab Apost. inveniem°. Quid de reliquis ejus virtutibus dicam? Nonné dives fuit in humilitate, cum ad Divinæ Maternitatis dignitatem evecta, Ancillam se vocavit? *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Nonné dives in Virginitate, cum Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo post partum illibata, obstupescente universa Naturâ, permanserit? Nonné dives in obedientia, cum voluntatem suam cum Divina conformans, promptissimè Angelo respondit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum?* Nonné dives in sapientia, in sanctitate, in justitia fuit, cum eam S. Damasc. orat. 1. de Dormit. Deiparæ, justitiæ fontem; sanctitatis, & veræ sapientiæ thesaurum appellet? Et Hugo Cardinalis de S. Charo doceat in Cant. quod B. V. eam ob causam Scholaribus sit lætitia Israëi, dans eis formam studendi, & legendi, ut attenti & solliciti sint intelligere, & opere complere quæ legunt. Vnde Luc. 1. de ea dicitur: Maria conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.

Maria virtutibus dives.

Maria justitiæ Fons

B.V. Scholaribus dat formam studendi.

In Maria Sapientiæ veræ, ac Sanctitatis Thesaurus.

Nonne dives in Dei proximique charitate, cum illa, quæ ipse Devs est charitas, ejus purissimo utero novem mensibus requievit?

26. Quod si Devs ter optimus Maximus in Incarnationis mysterio potissimum misericordiæ, pietatis, ac bonitatis suæ, reliquarumque perfectionum divitias, toti mundo ostentavit, ac quodammodo profudit, nonné Deiparam Virginem, in cujus castissimo utero tam excellens, Divinumque peractum fuit opus, ijsdem perfectionibus participasse, eisdemque copiosissimè cumulatã fuisse credendum est? Præclarè enim melli-

fluus

fluus pronunciavit Bernardus serm. de Aquæ ductu: *Cœlesti rore,* inquiens, *aream DEVS rigaturus, totum vellus priùs infudit: Redempturus humanum genus, universum precium contulit in MARIAM.* Subjungitque facti hujus præclarissimi causam; *quia sic voluit DEVS Matrem honorari: Altiùs,* inquit, *intueamini quanto devotionis affectu à nobis eam voluit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in MARIA; ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit delicijs affluens.*

27. Præclarè etiam D. Bonavent. in Spec. cap 8. explicans verba Archangeli; *Dominus tecum*, differuit, intulitque, ex eo quod Dominus universalis, est cum MARIA, & Dominus opulentissimus, proprietate Dominij cœli, & terræ, eorúq; quæ Orbis universi ambitu continentur, opulentissimam quoque fuisse MARIAM. *Domini,* inquit ille, *est terra, & plenitudo eius, imò etiam cœlum, & plenitudo eius. Tui enim Domine sunt cœli, & tua est terra, quia cœlum cœli Domino. Domini huius omnia sunt propria, cœlum & terra, corporalia & spiritualia, omnis natura, omnis gratia, omnis cœlestis gloria, omnia sunt Domini propria, Dominusq; ditissimus est, sicut etiam ait Apostolus; idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocant illum. Ecce MARIA quantus Dominus est, quam opulentissimus Dominus est, qui tecum est! Et quia Dominus opulentissimus opulentissimè est tecum, ideò tu es opulentissima sive ditissima secum, ita tu verè dici possit illud Proverb. 31. Multa Filiæ congregauerunt divitias, tu supergressa es universas. O quam dives est MARIA in gloria, quæ tam dives fuit in miseria, ò quam dives est in cœlo, quæ tam dives fuit in Mundo! O quam dives est in anima sua, quæ tam dives fuit in carne sua.* Vt etiam Bernardus exclamans, dicat: *O dives in omnes, & super omnes MARIA, de cuius substantia, modica pars assumpta, totius Mundi sufficit solvere delicta.*

Maria opulentissima, quia Dominus opulentissimus est cum illa.

28. Vnde nil mirum sapientum Coryphæum Salomonem, cùm quæreret fortem quampiam Heroinam, ac Amazonum virtute, fortitudineq; præditam mulierem, quæ ad eripiendam de Infernalium Potestatum manibus humanam Naturam, tot retro sæculis acerbissimo servitutis jugo oppressam, sufficiens esse videretur, nil mirum, inquam, eum in hanc mulierum, omnium fortissimam, & Giganteo planè robore exaggeratam iutendisse mentis oculum, & spiritu planè Prophetico, pronunciasse; *Procul & de ultimis finibus precium eius.* Viderat enim incompatabiles virtutum ejus divitias, ac opes amplissimas (quæ nervus belli à M. Tullio esse dicuntur) quas nemo dignè æstimare, etiamsi Angelicâ intelligendi vi, ac facultate foret præditus, reperiebatur idoneus, nisi ille, qui in eam tam innumeros, tamque Divinos, plenâ, quod ajunt, manu, thesauros dum in ejus utero carnem assumpsit, congesterat. Si enim Divinæ perfectiones atque attributa, quæ in illo inscrutabili Mysterio tam admirabiliter eluxerunt, nullâ vel humanâ, vel Angelicâ mente, comprehendi possunt, consequens sanè est nec Virginearum perfectionum divitias inæstimabiles, utpotè quæ maximam affinitatem cum Divinis habuere sufficienter cognosci potuisse.

M. Mulier fortis in homine de potestate Dæmonis eripiendo.

M. preciosissima, cujus preciū de cœlo est.

29. Vnde B. Iustinianus serm. de Epiph. *Inter præcipua, inquit, opera, quæ in temporis volubilitate Divina Maiestas condere dignata est, Verbi Incarnatio summum sortitur locum. In illo siquidem Mysterio Angelicis Spiritibus admiranda magnalia DEI continentur, innumerâ veneratione dignissimâ. Si enim DEI Patris omnipotentia consideretur, ibi profectò elucet, in utero nempè Virginis, ubi invincibilis est victus, inclinatus est summus, atq; placatus omnipotens. Si autem Sapientiæ Divinæ investigentur arcana, ubi oro perspicaciùs, quam in illo, in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ DEI absconditi contemplantur? Cæterum si Divinæ Bonitatis communicatio, ac spiritualis dulcedinis abyssus exquiritur, ubi quæso abundantiùs degustatur, quàm in hoc sacrosancto Divinæ, humanæq; Naturæ connubio; in quo paulò minùs ab Angelis minoratum est Verbum, & super omnem Angelicam dignitatem, atq; super omne quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, verùm etiam in futuro exaltatus est homo. Idem namq; est, qui elevatus est, & ipse qui minoratur. DEVS scilicet & homo in unitate personæ.*

Opus Incarnationis summum.

In Incarnatione Omnipotentia, Sapientia, & Bonitas DEI eluxit.

30. Quamobrem jure merito hoc humanæ salutis Opus, ad quod perficiendum concurrit hæc Virgo Beatissima; Opus, inquam, tot Divinis perfectionibus illustrissimum, atque preciosissimum S. Basil. Archiepiscopus Seleuciæ Orat. 39. creatis mentibus censuit prorsus incomprehensibile: *Quæ oratio,* inquiens, *impervium Conceptionis, quæ sine Viro contigit, pelagus ingredi valeat? quæ mens tam pura, tam perspicax, quæ invisibilia*

Incarnatio Verbi est Pelagꝰ imperviū.

ista contemplatur? Et hæc humanâ voce majora sunt, ac reuera Divini cuiusdam afflatus ultro aperientis harum quæstionum exitum, ope indigent. Quomodo Natura Verbi, quæ nullius opera facta est, nec mente capi potest, quæque cum nulla creatura communicari potest, inquam Cherubini reliquos Ordines supereminentes oculos defigere non audent, quomodo, inquam, hæc cum infirma & terrestri humanitatis natura lubens, in communionem venit? Hoc fuit Mysterium, quod in hodiernum usque diem Mysterium permanet, nec unquam Mysterium non erit. Tunc vidit Creatura, quod quod ante viderat nunquam, Filium Genitricis esse Patrem: Infantem, ætate Matrem superare, Infantem ætate antiquiorem. Hæc Bas.

Incarnatio Verbi humanæ menti incomprehensibilis.

31. O admirabile verè comercium hujuscé Virg. quæ suam purissimã carnem Divinitati sociando, precio quodam, si per se spectetur, levissimo, ac infimo, Cœlorum opes, ac thesauros ab omni æternitate congestos sibi comparavit. Licet & Virginea caro Deiparæ, tam excellenti Dei præventa gratia, quâ ad Dei Maternitatem disponebatur, fuerit etiam admodum preciosa, admodum dives; Ejus siquidem opes, divitiasque incomparabiles, vestis illa Sacerdotalis, bysso, purpura, cocco bistincto, auro, gemmisque rationalis decorata nobis penicillo quodam adumbratas ob oculos proposuit.

Agnovit hujuscé Regij vestimenti precium, ac opulentiã S. Bonav. cùm Ps. 23. ipsi cecinit: *Gloriam & decorẽ induisti, omnis lapis preciosus amictus & operimentum tuum.* Et Psal. 58. virtutum gemmis undique eam coruscantem cernens: *Aurum ait obryzum in ornamentis tuis, Sardius & Topacius in Diademate tuo: Iaspis & Amethistus in dextera tua, Berillus, & Chrysolitus in sinistra tua, Iacinthus & Achates in pectore tuo, carbunculi scintillantes in monilibus tuis, Saphyrus & Smaragdus in digitis tuis.* Quid quæso hoc ornatu ad videndum pulchriùs, quid ad Regiam dignitatem, pompamque ostentandam locupletiùs unquam toto terrarum Orbe visum fuit?

M. preciosissimis virtutum gemmis exornata, opulentissima.

32. Celebratur à Cedreno lib. 4. cap. 30. Donum illud inæstimabile, ac venustissimum. Mensa illa preciosissima simul atque nobilissima, quam Iustinianus Imperator magnificentissimo illi S. Sophiæ Templo pro sua in Deum religione, ac pietate dono dedit; quam sane si quis attentius consideret, pulcherrimum Virginis Deiparæ Symbolum esse dixerit, siquidem ipsa Mensa panum propositionis à SS. Patribus, uti supra ostendimus vocitatur. Opus enim erat, ut ait Cedrenus nulla imitatione æquandum. Constabat porro auro, argento, omnisque generis lapidibus, lignis, metallis, omnibusque rebus quas terra fert, mare, & universus Mundus. Ex omni materia speciosa plura, meliora, potiora collegerat; liquatisque ijs, quæ fluunt, sicca illis immiserat, atque in formam mensæ absolverat. Denique ita varium, ita venustum, ita locuples Opus illud Donumque extitit, ut contuentibus magnam admirationem, stuporemque inijceret. In orbem denique sacra hæc Mensa hanc habuisse memoratur Inscriptionem, Cæsareæ in Deum pietatis pulcherrimum monimentum: *Tua de tuis offerimus servi tui Christe, Iustinianus, & Theodora; ea tu propitius accipe, Fili DEI Verbum, qui nostri causa carnem assumpsisti, & Cruci affixus fuisti, nos in tua recta fide conserva. Et quam nobis commisisti Rempublicam, eam ad tuã gloriam auge, & tuere. intercedente Sancta DEIpara Virgine MARIA.*

Iustiniani Imperat. Mensa S. Sophiæ Templo donata preciosissima.

Mensa Iustiniani B.V. Symbolum.

Iustiniani & Theodoræ Aug. in Christũ pietas.

33. Celebratur à Scriptoribus Italicis Ioannis Galeazij, Vicecomitis profusa liberalitas, qua usus fuisse dicitur in Valentina sua ornanda filia, Regis Galliarum nuptura Filio. Siquidem fama est, datam ei Coronam auream lapillis preciosissimis, atque incomparabilibus distinctam, quæ mortalium oculos, animosque in summã raperet admirationẽ. Donavit ad hæc 326. prægrandes, magnitudinis insitatæ, precijque uniones in 14. torques distributas. Munus sane adeo dives, ac locuples, ut mare Erythræum, ora Piscaria unionum, margaritarumque piscatione celeberrima, nec non Indi, Arabesque ad unicam locupletandam fœminam exhausti depauperatique fuisse viderentur.

Dona preciosa quæ Ioan. Galeazeus Valentinæ Filiæ in Nuptijs dedit.

34. Extollitur etiam Nuptiale Convivium Galeazij II. Ducis Mediolanensis à Paulo Iovio, sumptuosissimum, vix non prodigâ munificentiâ celebratum in gratiam Violantæ suæ filiæ; in quo 30. phialas gemmis preciosissimis locupletes, donativum plane Regium convivis proposuit. Eisdem convivis, remotis mensis, dono dedit equos 70. nobilissimos, ac generosissimos, preciosissimis ephippijs, auro fulgentibus instructos, ac splendidissimè phalerato. Tandem ut hujus Convivij lautitiam, rerumque in

Opulentia Conviviũ Galeazij I I. Ducis Mediol. in Nuptijs Violantæ Filiæ exhibitum.

in eo propositarum ostenderet affluentiam Iovius, addit tantam ferculorum superfuisse copiam, ut alteri mensæ decem millia hominum accubuerint.

35. Ingentes sanè in donis hiscé verè Regijs profusæ sunt divitiæ, sed nullo modo, cum ijs quibus supremus Rex Donum hoc Virgineum locupletavit comparandæ, quibus collatæ umbræ planè sunt, nihil sunt. Dixisse sufficiat ad ornandum Donum hoc preciosissimum, ac planè Divinum, Orbem universum suæ pulchritudinis, ac venustatis flore quodammodo, gloriâque spoliatũ. Dixisse sufficiat gemmas illas, ac margaritas gratiarum quibus torques, ac Monilia Divinæ hujus Sponsæ exornata, ac locupletata sunt, de Thesauro Divinitatis, sicut & ejus Nomen augustissimum Maria, teste Petro Damiano, fuisse deprompta. Quod nobis Divinissimæ illæ Personæ hujus Virginis creatrices; quarum singulæ peculiaria munera cœlestium charismatum ipsi conferentes, eamque exornantes, Diviniorem quandam Pandoram toti Orbi admirandam effecere; clarè indicârunt, cùm Cant. 1. illi dixere: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Quæ Murenulæ, ut alibi exposuimus torques, monilia, atq; inaures, atque adeò mundum muliebrem indicant.

Ad ornandam B.V. orbis universis suo decore quasi spoliatus.

B.V. est Donum omnibus reliquis opulentius utpotè à SS. Trinitate exornatum.

36 Ad cognoscẽdas ergo Virginei hujuscé Doni opes, ac divitias, intellexisse sufficiat, ejus ornamenta, torques, monilia, gemmas, ac margaritas, ab Augustissima Triade, cujus ipsa dignissimum esse meruit Triclinium, fuisse collatas; quam nil modicum, nil vile; sed ingentia omnia, preciosissima omnia communicare, uti tantam condecebat Majestatem, oportebat. Quare in hac ornamentorum Divæ Virginis, & Heroinarum illarum comparatione, id dicere potiori jure possumus, quod Plinius in Trajani Imperatoris Panægyrico de ipsius rerum gestarum, cum alijs collata loquens gloria, pronunciavit: *Quanti tunc illi,* ingens, *quantus tu? Accidit quidẽ, ut corpora quamlibet ardua, & excelsa, procerioribus admota decrescant: item ut altissima dignitates collatione fastigij tui, quasi deprimantur, quantoq; propius ad magnitudinem tuam ascenderint, tanto etiam à sua descendisse videantur.* Nil verius si loquamur De Virgine nostra gloriosissima, qua nil grãdius, ut loquitur idem Petrus Damiani, ut pote quæ immensum illum Gigantem utero suo comprehendit, cui hujus mundi Heroinæ omnes, earumque dotes, ac ornamenta collata, quantumvis sublimia deprimuntur, & à sua magnitudine descendunt: ita ut verè dicere liceat ipsi: *Quanta tunc illa Heroina, quanta tu?* Tu immensissima Maria, ut inquit D. Bonaventura, cui illæ in divitijs spiritualibus collatæ, omnino Iro, Codroque pauperiores; in dignitatis eminentiâ, Locustæ, stilla roris antelucani, pulvis exiguus sunt, respectu hujus fœminæ de genere Giganteo. In divitijs ergo internis animæ nulla filiarum hominũ ulla prorsus ratione cũ B.V. conferenda est, quia licet multæ congregaverint divitias, uti supra ex S. Bonaventura ostendimus, hæc tamen sicut eminentiâ dignitatis, ut pote Mater Dei; sic opibus supergressa virtutum est omnino universas, proximèque ad divitias illas mentis Divinarum Personarum inenarrabiles accessisse visa est.

Divitiæ B.V. ineffabiles, quod à SS. Trinitate ei fuerint communicatæ.

Summæ dignitates collatione fastigij B.V. deprimuntur.

B.V. tanquam Gigantissæ Heroinæ omnes orbis collatæ, deprimuntur.

M. proximè ad divitias Divinitatis accessit.

37. Vnde si Deus Pater *dives in misericordia,* ab Apostolo uti supra dictum memoratur, *propter nimiam charitatem suã, qua dilexit nos,* dando Filium suum pro dilecti Mundi salute; dives sanè & Deipara consenda erit, quæ & Mater misericordiæ, ac Regina dicitur, & eundem Filium suum, ardentissimâ in nos exstimulata charitate vix natum, in præsepe collocavit, Patriq; pro totius mundi salute obtulit.

M. uti Pater æternus dives est in misericordia

Qua in re aliquid majus ad pietatis, amorisque sui in humanum genus declarandas divitias, in Circumcisione præsertim operata videtur. Nam, ut S. Hieron. attestatur lib. de vera circumcisione. Ipsa Divini decreti jam conscia, Parvulo Iesu, octavo ab ejus Nativitate vix elapso die, manibus suis benedictis in mundi redemptionem lapideo illo cultro piè sæviens, vulnus inflixit, ipsa in peccatorum totius orbis ablutionem sanguinem fudit. Verba S. Doctoris audite: *Christus octava die circumciditur à Matre, utiq; quasi homo, qui promissus fuerat ipsi Abrahæ.* Mellifluì item Bernardi, qui idem affirmavit Tract. de Planc. Virginis: *Virgo Christum genuit, lactavit, octava die circumcidit.* Et licet Patris æterni in genus humanum Amor Filium suum proprium nobis tradendo, sit Infinitus, utpote idem essentialiter cum Divina ejus essentia, nihilominus tamen Amor Deiparæ illum quodammodo excedere videtur, cum

M. amore nostri parvulo vulnus inflixit in Circũcisione.

M. Filium circumcidit, ut docuit Hier. & Bern.

cum ipsa proprium Filium tradere non contenta, manibus proprijs in illum piè sævierit, illi vulnus inflixerit, sanguinemque, quo mortalium quantocius acceleraretur redemptio, profuderit.

38 Quæ sanè res, æquâ cõsiderationis trutinâ ponderata omnes in summam merito rapere debet admirationem. Vnde facile crediderim sanctissimum Virginis Deiparæ Secretarium, ac Evangelistam Lucam factum hoc contemplantem, adeo mente hæsisse attonitum, ut eum verba deficerent, nihilque aliud enunciare, litterisq; suspensâ, trementique dexterâ consignare valuerit, quam principium, finemque duntaxat lamentabilis illius actionis, relicto medio (pia videlicer Matris verè admirabilis, cum Amore in Filium luctante sævitiâ, relicto, inquam, Matris dolore, ac cordis anxietate cum vagitibus, lacrymulisque Parvuli decertante) Quis hic verè inæstimabiles has Virgineæ pietatis divitias non obstupescat? siquidem Filium suum ad imitationem æterni Patris tradere non contenta, eundem, amore materno heroicè triumphato, ferire, ejusdem sanguinem è venis piâ crudelitate elicere, charitate in humanum genus extimulata, non dubitavit? Nonné ergo Munus hoc nobilissimum, & dignissimum verè preciosum, verè dives dicendum est, utpote quod tantas virtutum planè Divinarum opes (quæ ei ad Divinæ Maternitatis dignitatem adipiscendam iter strauere) in sese tanquam opulentissima officina, contineat.

S. Lucas breviter Christi circumcisionem exposuit, qa facto illo hæsit attonitus.

M. in circumcidendo Filio pia crudelitas.

39. Quare nil mirum à Divo Ioanne Damasc. orat. 1. de Nativ. B. Virginis dici, eam ob tantarum virtutũ divitias, super omnes res à Deo conditas exaltari. Sic enim ille Deiparam recens adhuc natam (in qua vix virtutum illarum primæ erant à supremo mundi Artifice deductæ lineæ) insigni pietatis sensu alloquitur: *Sanè res omnes conditas dignitate antecelluisti, ex te enim sola summus ille opifex partem assumpsit, hoc est massæ nostræ primitias. Caro ipsius ex carne tua, & sanguis ex sanguine tuo, & lac ex mammillis tuis suxit DEVS, ac labia tua, DEI labijs unita sunt.* Quarum gratiarum perculsus admiratione exclamat tandem: *O miracula mentis captum, atq; orationis facultatem excedentia! Te rerum omnium DEVS dignam prænoscens amauit, amatam prædestinavit, extremisq; temporibus in lucem produxit, DEIq; Matrem suiq; Filij, ac Verbi nutritiam effecit.*

MARIA cunctas creatura dignitate superávit.

Quis igitur Reginam hanc cœlestem hujusmodi virtutum præclarissimarum opibus, ac varietate, velut Regia cyclade circumdatam, atq; amictam, Donum verè opulentissimum, ac ditissimum, Divinæ Majestatis conspectibus in Templo à Ioachimo, & Anna præsentatum non arbitrabitur?

40. Neque verò solum Virgineum Donum hoc, dives, ac preciosum, verumetiam pulchrum extitit; sive enim ejus exteriorem formam (quæ nunquam cum ætate, ut in reliquis mortalibus cõsuevit, ad instar flosculorum, Vere prætereunte vel elanguit, vel emarcuit) sive interiorem animi ejus pulchritudinem, quæ in sanctitate consistit, spectemus, semper sibi constans, semper sibi similis, à primo suæ immaculatæ Conceptionis instanti extitit, adeoque excellens, atque eximia, nulla ut creata Venustas ei fuerit unquam comparanda. Vnde merito illi sæpius ingeminat sponsus: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra.* Cant. 1. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra!* Cant. 4. *Pulchra es amica mea, suavis & decora sicut Hierusalem.* Cant. 6.

M. Donũ pulcherrimum.

De utraque hac pulchritudine S. Bonaventura Psalm. 1. illi modulatus est: *Vniversas fœminas vincis pulchritudine carnis: superas Angelos, & Archangelos excellentiâ Sanctitatis.*

41. Vt ostendat denique cœlestis Sponsus in hac Virginum venustissima pulchritudinem, omni ex parte perfectam, omni peccati labè carentem, ac penè Divinam semper extitisse, summâ animi gestientis lætitiâ, ac complacentiâ ipsi acclamat Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quod elogium planè singulare Cœlius Pannonius sacri Ord S. Pauli Primi Eremitæ Vir & literis, & pietate in primis conspicuus Comment. M. S. in Cant. quæ habere licet ex Monasterio celeberrimo ejusdem Ord. Lypoglavæ in Croatia, à Ioanne Coruino magnificentiâ planè Regiâ fundato; elogium, inquam, hoc expendens Cælius, illud ad Ecclesiæ, tum B. V. laudes transtulit pervenustè, ostenditque tam Ecclesiam, cujus præcipuum membrum, post ejus caput, nempè Filium Virgo extitit, quã ipsam eandem Virginem Deiparam pulchritudine, interiori præsertim, omnibus numeris absolutissimâ præditam fuisse:

Cælius Pannonius defendit immaculatã Cõceptionem B. V.

M. præcipuum Ecclesiæ mẽbrũ, totâ Ecclesiâ nobilius.

Sic

Sic igitur ille: *Magnum hoc Canticum est, & decorum, plenum Maiestatis & refulgentiæ, cujus partes membratim per totum hoc caput, velut gemmantia nitent sydera. ut quam totam hic prædicat pulchram, deinde per partes admiretur, & commendet. Vbi illud in primis in considerationem revocandum arbitror, quod scribit D. Augustinus super eo verbo Genesis: Vidit DEVS cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. quia si unaquæq; res habet in genere suo mensuras proprias, numeros, & ordines: quanto magis omnia simul, & universitas ipsa, quæ istis singulis in unum collectis completur: Hinc Alexander Milesius, itemq; Greg. Nazianz. dixère; laudabilem quidem Mundum esse pro suis quibusvè speciebus, sed multo laudabiliorem, ex harmoniâ omnium; ideoq; rectè prosequitur D. August. Omnis enim pulchritudo laudabilior est in toto, quam in parte. Et major pulchritudo est totius corporis, quam nasi, aut oris, vel genarum. Pulchrior est item sermo compositus ex dictionibus & clausulis suis, quam sint ipsa verba, aut particulares sententiæ. Iucundiorq; est cantus ex omnibus vocibus, & consonantia multorum, quam unius tantummodo, quamvis sonoræ vocis. Sic Mundi universitas pulchrior, meliorq; est, quàm ipsius partes & membra. Ideò completa fabrica dictum est; quod omnia erant valdè bona, perfecta scilicet in suo Toto.* Hæc Cælius Pannonius. Quæ sanè omnia potiori jure de gloriosissima Virgine nostra, quam Mundum, hoc longe ampliorem, ac nobiliorem, utpote Archetypum, Cœlestem, ac Sublunarem pulcherrimè in se repræsentantem deprædicamus, dici posse videntur. Ipsa enim, & in partibus, & in toto plane venustate sua admirabili totum hoc post se relinquit Vniversum. cum totius pulchritudinis fonti, ut pote Mater ipsius electa sit vicinissima. Vnde prosequitur idem Cælius: *Et hæc quidem in suo esse. Modo, si vera docent sapientes, quod tantum res sunt bona, tantum deniq; pulchra, ut addunt Academici, quantum magis summum Ens, summum Donum, summum Pulchrum, à quo omnia bona, & pulchra, juxta eius participium. Hinc adstruunt Theologi nostri, Naturam humanam perfectiorem esse post lapsum, quam antea, quia Christo DEO unita, tanquã Regio monili ornata est, Divinoq; stemmate, & prosapiâ decorata, ex hac in Christo regeneratione, & majori communione cum DEO. Cum igitur tanto unumquodq; pulchrius est, & melius, quanto plus de summo Pulchro, & summo Bono participat, constat Ecclesiam (addiderim ego; & multo magis Dei Matrem, quæ in Christo est, imò in ipsum quodammodo transformata) omnes eius virtutes participat, pulcherrimum omnium, & optimum esse. Quæ à cœlis lapsa à DEO, describitur, habens charitatem DEI, pulchritudine admirabili, simili lapidi Iaspidi, qui virore visum delectat, specie crystallinâ, quæ etiam naturam Iaspidis, qui crassi coloris est, superat: ut non sit in ea nisi claritudo gratiæ, abstersâ densitate peccati, & tota pulchra sit, pulchritudine ducta ab uno Pulchro, à quo omnis pulchritudo, & sine quo pulchrum nihil. De quo (ut liceat prodere, inq; sacra prophana miscere) sciscitabatur Socrates ab Hippia Philosopho, autore Platone in Hipp. Maiore; qui cum artium multitudine prior omnibus, eloquentiâ, nulli secundus haberetur, dictus Omniscius, (ut tradidit Apuleius) interrogatus à Socrate: Quid esset Pulchrum, respondere non potuit, quippe cum omnis Philosophorum cognitio, dependent à sensibus. DEVS autem semotus sit ab omni sensu, dicente Apostolo: DEVM nemo vidit unquam, sed nec videre potest, qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, 1. Timoth. ult. quem solum homo Ethnicus, & Philosophus suspicabatur Pulchrum, ut res erat, cujus notio eum fugiebat, ideoq; mirum non est, si respondere nescierit. Nam ut Plato in Timeo ait; Opificem, Genitoremq; Vniversitatis tam difficile est invenire quam inventum dignè profari. Proinde cum Simonides quæreretur à Hierone Tyranno; Quid esset DEVS? poposcit ad deliberandum triduum, & hoc expleto, iterum triduum; & rursus triduum. Cumq; urgeretur à Tyranno, professus est, se tanto plus deficere, ab investigando, quanto plus investigaret. Quod si Pulchrum est, quod caret maculâ, in debita membrorum proportione, ac totius corporis compositione, vultu decenti, & oculis vinacibus, genis purpureis, & reliquis, quæ ad nitorem pertinent: Sponsa equidem pulchra Christo est, quia sine macula peccati, & tota corporis compositione æquabilis, in qua sunt ordines, de quibus meminit Apostolus: Quia quosdam quidem DEVS posuit in Ecclesia, primum Apostolos, 2. Prophetas, 3. Doctores, deinde virtutes, &c. 1 Cor. 12.* quæ partium proportio: invenitur quoque in Virgine, si attentius ejus virtutes considerentur, quibus illa quoddam quasi spirituale corpus, imò & benè ordinatum exercitum conficit. Quod si ipsarum virtutum facies penitiùs intueamur, coloris quoque suavitatem in hac pulchritudine, non erit quod desideremus.

Canticũ Canticorũ magnũ Canticũ plenũ Maiestatis.

Natura humanã ob unionẽ hypostaticam cum Verbo perfectior post lapsũ

B. V similis cœlesti Hierusalẽ habenti claritatẽ DEI.

Hippias Philosophus Omniscius.

Hippias quæsitus quid esset Pulchrũ, respondere nescivit.

DEVS solus Pulcher

Cognitio Dei quam difficilis.

42. Vt ostendat porrò Vir in Virgi-

 neni

nem pijssimus pulcherrimum Dei Donum fuisse Virginem, docet etiam illam totam pulchram, & absque ulla maculâ originalis etiam peccati, à primo purissimæ ipsius conceptionis instanti extitisse, venustateq; quadam, decoreq; admirabili, ac propemodum Divino exornatam, ac proinde Ecclesiâ longè formosiorem, cujus originale peccatum aquâ baptismatis deletur. Quod enim est Ecclesia Dei in particulari, hoc est & in universali. Sic igitur de immaculata, omni tam originalis, quam actualis peccati nævo carente Deiparæ venustate: *Porro celebratur hoc Canticum decantatissimum, & de DEIpara Virgine per appropriationem (addiderim ego sensu litera, & quidem primario) quæ ideo tota pulchra fuit, quia in ea nulla macula fuit, nec Originalis, nec actualis peccati, ut puriores Theologi cantant.*

Cœlius Pannonius asserit Immaculatã Conceptionem B.V.

Decuit quippe summè puram esse, quæ Candorem lucis æternæ, & speculum sine macula, conceptura, & intra viscera gestatura erat. quæ singulari gratiâ præservata fuit, ut non penetraret ad eam labes ista Connaturalis: quando corpus afflatu Spiritus consecratum, suscepit animam in plenitudine gratiæ creatam. Quod citra altercationem potuit Devs facere, & fecit; alioquin non tantum honorasset Pater Filium, si Matrem aliquando infamiæ malum subijsse passus esset. Quem alioqui summè honorificari voluit, atque iccirco hominem quoque fieri, ut tanquam Redemptor ab omnibus honorificaretur in cœlo, & in terra, & etiam apud Inferos, ut docet Apostolus Phil. 2. Sed decor quoque virtutum omnium illius pulchritudini accessit, quatenus nihil esset in ea non summè pulchrum summèque admirabile, ac denique summè amabile, ut puta, quæ toto cumulo virtutes omnes laudatissimè in se contineret. Hæc Cælius.

B.V. purissima fuit, quia Candorem lucis æternæ erat cõceptura

Si B. V. Cóceptio fuisset maculata, Pater non tantùm honorasset Filiũ,

43. Ejusdem Virginei Doni pulchritudinẽ omnis Genitalis maculæ expertem celebravit Pater Ioannes Posoniensis ejusdem sacri Ordinis Religiosus, qui vixit circa Annum Domini 1488. serm. M. S. de Concept. B. V. qui ubi idem illud Thema: Tota pulchra es, &c. proposuisset, ita sermonem illum auspicatur: Monet Apostolus Romanos c. 13. Hora est nos de somno surgere, id est, cæcitate & ignorantiâ, qua multi in hodiernum usque diem ita tenentur, ut nequaquam cognoscere possint, aut velint gloriosam V. Mariam à peccato Originali fuisse præservatam, eique omnem pulchritudinem gratiæ, cujus creatura capax esse potest, tanquam dilectissimæ Parenti communicatam negant. Qua sentiendi libertate, Divinæ Omnipotentiæ circumscribere videntur limites, cum tamen ipsa Virgo, omnes Divinæ Omnipotentiæ in se formanda, donisq; Naturæ, ac Gratiæ exornanda, exertas fuisse quodammodo vires fateatur, dum ita modulata est: Quia fecit mihi magna qui potens est. Si enim potuit Devs facere majora, quæ etiam fecit, procul dubio poterit & minora. Majus enim est materiam primam, atque adeo Vniversum, ex nihilo, ut & Angelicam naturam; eamque sine peccato, in omni justitia, & sanctitate creare; quod si facere hæc magna potuit, potuit etiam facere, quod minus est, præservare videlicet suam mellifluam Matrem ab originali peccato. Potuit idem Virginis Filius absque ullo addito, & sine rarefactione multiplicare quinque panes, & de costa Adæ formare Evam Matrem omnium viventium. Cur non potuit etiam suam dilectissimam Matrem ab omni macula imunem reddere? Si denique creare potuit formam ab alio dependentem, & per se stare potentem, qualis anima rationalis est, quæ semper, utpote pars, inclinat ad corpus ut Totum, & tamen per se stat in cœlis collocata. Cur igitur non potuit, & Matrem suam, quæ secundum ordinarium Naturæ cursum ad peccatum Originale contrahendum, utpote Adami filia, inclinata erat, peculiari suâ gratiâ præservare, ipsamque solam jubere, inter natos mulierum, sine omnis peccati macula per se stare? Hæc fere Pater hic erga Virginẽ devotissim⁹.

P. Ioãnes Posonien. Ord. S. Pauli Primi Erem. Imaculatã Concept. propugnat

B.V. ab originali macula præservata à Deo quia potens est.

44. Ex quibus omnibus mirifica, ac vix non Divina quædam Virgineæ Pulchritudinis, ac Puritatis, à prima sua origine excellentia enitescit. Vnde eam sæcula omnia, omnes Ecclesiæ penè Ordines, Pontifices Iulius II. Leo X. Alex. VI. & Xistus IV. & alij Prælati, etiam Reges, ac Principes; Inter quos jure adnumerandi sunt Primi duo Imperatores Austriaci Ferdinandi II. & III. Reges quoque Catholici Hispaniarum qui summis studijs à Sede Apostolica, ut in favorem Virginis hoc decerneretur, institerunt. Certè de Ferdinando II. P. Guilelmus Lamormayni qui ei pluri-

bus annis fuit à Confessionibus lib. de ipsius Virtut. cap. 7. ita posteritati ad perpetuam tanti Principis gloriam testatum reliquit: *Ardenter cum Romano Pontifice egit, ut Virginem sine originali macula fuisse conceptam, pronunciaret. Hoc idem officij à Ferdinando Filio, cum ipso Conceptæ Virginis die An. 1625. Vngariæ Rex inauguratus esset, factum esse magnopere gavisus est. Quandocunq; vel sua confessurus peccata formulam Ecclesiæ consuetam præmittebat, vel etiam alias recitabat, & DEO confitebatur, post DEUM, adiungebat:*

Beatissimæ & semper Immaculatæ Virgini.

45. Eandem Religiones etiã ferè omnes antiquissimæ, & Academiæ, pleræq; unanimi consensu, immaculatam pleno ore deprædicârunt. Quâ de re videndus Spondanus Episcopus Narbonensis in suis Annalibus ad Annū Christi 1494. Certè Alphonsus Rodriquez noster, Marthæ ministerijs addictus Frater, rerum Divinarum cognitione cœlitus ob singularem in Christum Dominum, ejusque Matrem, quos suos Amores, tenerrimo affectu appellare consueverat, illuminatus, ajebat, ut scribit Bourghesius in sua Societate Virgini consecrata cap. 10. hanc unam esse causam inter cæteras institutæ Societatis à Deo per B. Ignatium, ut immaculatam Conceptionem Deiparæ, omni cum doctrinæ, tum eloquentiæ copiâ tueretur, totoque Orbe, quo diffusa est dissemináret, atque evulgaret. Atque hoc tanto animi confirmabat ardore, tanta, Divini Spiritus vehementiâ, ut nihil unquam pari pronunciârit affectu. Neque de suo id se promere, atque asseverare; aut esse id à se excogitatum, sed haustum de cœlo, à Beatissima Matre se id accepisse, & didicisse, aiebat. Quamobrē ipse à 40. amplius annis ante obitum Officium ejusdem Conceptionis, quam ipse præcipuè colebat, & altiùs præcordijs impressam gerebat, piè quotidie recitabat, alijsque, ut idem recitarent, autor erat.

B.V. Conceptionē sine macula totus penè Mundus prædicat.

Alphonsus Rodriq;z sensit Societatē à Deo excitantem, ut Matris ei9 Concept. defēderēt.

46. Eumdem sensū m primi illi minimæ Societatis nostræ Decemviri habuisse visi sunt; dum omnes immaculatam Virginis Dei Parentis Conceptionem, suis ad populum sermonibus, ac concionibus, privatisque cum proximo spiritualibus colloquijs celebrabāt; Ad quod faciendum solenni juramento in Academia Parisiensi antequam Doctoratus Laureâ insignirentur, sese adstrinxerunt. Atque ut reliquos missos faciam brevitatis ergo, P. Iacobus Laynez in illo amplissimo totius Orbis theatro, Concilium intelligo Tridentinum, cùm de hoc Mysterio disceptaretur, & ab eo rogata esset sententia, primum infirmæ valetudinis usus excusatione, quod gravissimè quartanâ laboraret, non posse se quod maximè optabat, & argumenti dignitas exposceret, perorare; tamen pro eo, quo erga Deiparam pietatis ardore ferebatur, eâ corpori imbecillo sufficiente vires, tres ipsas dixit horas pro asserenda Virginis immaculatâ Conceptione, tot productis SS. Patrum appositis testimonijs tot exquisitis, summique ponderis rationibus, eâ sententiarum copiâ, & gravitate, ut summâ cum omnium approbatione permoverit gravissimos illos Concilij Patres ut in illud Sessionis 5. de originali peccato Decretum hæc referrent; *Declarat tamen hæc S. Synodus; non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur Beatam & immaculatam Virginem MARIAM DEI Genitricem, sed servandas Xysti IV. constitutiones.* Dixit autem Laynez firmis l.ter.bus, robur ipsi suppeditante Deiparâ, in exitu orationis, quam in principio valentior; cujus auxilio, ut à nonnullis fertur, in hujus suæ in illam pietatis præmium, ab eo tempore febri omninò in posterum liberatus est. Quam plurimi alij Societatis nostræ fuere Patres, qui pro suo in Deiparam affectu & scriptis, & concionibus immaculatam ejus Conceptionem, pro vocationis suæ munere deprædicârunt.

Soc. nostræ Primi X. Patres omnes Concept. B.V. defenderunt.

Laynes in Trident. pro illa tribus horis dixit, & quartanâ liberatus est.

47. Quid P. Petrum Ægidium memorem, de quo P. Philippus Alegambe lib. de Script. Societatis hæc memoriæ prodidit: *Divini cultus incrementum, quoquo poterat modo procurabat, sive domesticis suam navaret operam, sive alios Clericos sacris Ecclesiæ ritibus informaret. Nec minore curâ B. V. cultum, ac venerationem augebat. Eius certè pietati, ac diligentiæ debet Academia Barcinonensis Votum illud, quo se obstrinxit propugnandi semper, immaculati eius Conceptus prærogativam.*

Academia Barcinonēsis B.V. Concept. defendendā se voto obstringit

48. Quid de P. Ioanne Lorino Viro doctrinâ, ac virtutibus illustri dicam? quem Henricus Fitzsimon in Britannomachia

P. Ioannis Lorini zelus defendendæ Cōcept. B.V.

machia vocat alterum Longinum Cassium, legendi assiduitate spirantem quandam Bibliothecam, Ambulans Musæum, & inter Scriptores solertissimos, accuratissimum; quam ille solertiam ingenij, industriamque licet in omnibus suis lucubrationibus clarè ostendit, ostendit tamen vel maximè in honore immaculatæ Conceptionis DEIparæ Virginis amplificando, adeò ut idem Alegambe hæc posteriti de ipso mandare non dubitârit: *Colenda DEIparæ studium ingens, eiusq; in alijs excitandi cupido. Nihil omisit operæ, ut immaculatam eius Conceptionem Italia, Hispania, Galliaq; universa persuaderet; eoq; adnitente Dolana Academia sancivit, ne quis Laureâ Doctorali ornaretur, qui eam de Conceptione sententiam, dum nihil aliud definiret Ecclesia, propugnaturum se iuratus non promitteret.*

Academia Dolana voto se obstrinxit ad defendendam B.V. Concept.

49. Quid de P. Ioanne de Pineda? De eo certè inter alia idem Scriptor: *In Beatissimam Virginem tenerrimo fuit, ac filiali prorsus affectu, cuius honori quantum studuerit, vel Hispalis ipsa testis est, in eâ Celebratione quâ Conceptus eius immaculatus publicè ibi assertus est; meditabaturq; extremam lucubrationem de Nominibus Matris DEI conscribere, quâ laborum suorum periodum concludere, & sua in eam devotionis documentū exhibere.* Sic ille. Porrò sciēdū illam immaculati Virginis Conceptus Hispali eo tempore, summâ cum solennitate factā esse celebrationem, quo Paulus V. severissimo diplomate vetuit, ne ulli ampliùs vel scriptis, vel concionibus, vel disputationibus asserere liceret DEIparam in peccato originali fuisse conceptam. Quo accepto diplomate quantis lætitijs tota Hispania & Hispalis ipsa incesserit exprimi vix potest.

Ioañis de Pineda nostri zelus pro Concept. B.V.

Certùm est audita P. Pinedæ ornatissima Concione, Hispalenses opere Phrygio, telam preciosissimam adornasse, ut scribit Bourghesius in sua Societate Mariana cap. 21. suæ in Virginem Matrem sanctissimè conceptam, observantię monumentum perpetuum, in qua maximis charecteribus ex gemmis & adamantibus intexta erat hæc inscriptio: *Beatâ Virgo MARIA concepta est sine peccato.* Opus hoc adeò elegans, adeò preciosum fuit, ut 80. millibus ducatorum stetisse perhibeatur. Quam grata verò hæc summi Pontificis de immaculatæ suæ Matris puritate Christo Domino Splendori Paternæ gloriæ acciderit declaratio, vel inde elucescit, quod illustrissimo prodigio eam voluerit comprobare. Addit enim idem Bourghesius: Quo die Madritum Cursor Regius Pontificium diploma Pauli V. detulit, ubi ex equo descendisset, ferunt lampadem nocturnis tantùm horis coram Imagine Conceptæ purissimè Virginis accendi solitam medio foro, clarâ die, eo ipso quo Cursor appelleret momento, cunctis obstupescentibus, sponte ardere cœpisse, consumptoque exiguo quod à præteritâ nocte superérat oleo perdurasse flammam, ipsâ, quæ supposita erat aquâ ignis fomentum suppeditante. Ad quod exciti spectaculum proximâ nocte innumeri propè mortales convenêre, vigiliasque, stupore defixi produxêre. Quæ sanè miraculosa, ac prodigiosa lux toti Hispaniæ manifestare visa est, potuisse simulque voluisse dilectissimam Matrem suam universæ Creaturæ Dominum, longè clariori primigeniæ Sanctitatis luce in ipso immaculatæ ejus Conceptionis instanti, pro eâ quâ pollet in res omnes omnipotentia, radiare.

Cõceptio immaculata gemmis & adamantib9 scripta

Lampas ante Imaginem immaculatæ Concept. sponte accenditur, & aquâ vice olei arsit.

50. Quid memorem denique P. Iacobum Granadum genere Hispanum, patriâ Gaditanum Virum inter prima Societatis columina numerandum, doctrinâ, ac Sanctitate clarum, utpotè qui baptismi stolam, nullo crimine unquam defœdatam, excellentibus etiam virtutibus, Societatem ætatis suæ anno 14. ingressus exornavit. Hic certè, ut eodem libro testatur P. Alegambe adeò B. V. impensè secundùm Filium colebat, ut in ejus Rosarij recitatione à se abriperetur interdum, nec ad fores cubiculi audiret, nec ad se intrantem animadverteret. Immaculatam ejus Conceptionem & scripto luculenter libro, & verbo passim publicè, privatimque asseruit. Cujus etiam Officium quovis die Sabbati pro nostris recitandi facultatem in Boeticâ impetravit. Quibus obsequijs crediderim eum adeò sibi demeruisse DEIparam, ut illum insigni & doctrinæ, & Sanctitatis luce, utpotè quæ Illuminata & Illuminans vocitatur, perfuderit. Quare jure merito à quodam de subsellio Doctorum dictus est, acumine ingenij subtilis, gravitate Seraphicus, claritate Angelicus. Crediderim etiam hoc præclaro Conceptionis immaculatæ cultu id eum in primis fuisse

Iacobi Granadi affectus erga B. V. eiusque Concept.

In Rosario recitando alienatur à sensibus.

B. V. gratiâ gratus DEO pro beneficijs.

fuisse consecutum, ut mirificè Creatori suo pro acceptis gratus foret beneficijs. Vnde diei illius quâ Societatem ingressus est memoriam, quot annis dum vixit, ita celebravit, ut toto octiduo consuetæ orationi adderet semihoram coram Venerabili Eucharistia, aliaque pietatis officia multiplicaret. Paribus studijs excipiebat annum sui baptismi; nuncupationis item votorum, & initiationis Sacræ, quâ creatus est Sacerdos; ac demum professionis suæ solennis recursum. Quam pulcherrimam gratitudinis virtutem, docente didicisse visus est Deipara, quæ tot se Divinitus beneficijs cumulatam admirans dulcissimum illud laudis, quo Deum magnificavit Canticum, modulata est.

Iacobus Granadus sibi adversantes fovebat.

Ejusdem fortassis Magisterio didicerit singulari studio fovere eos, à quibus adversa patiebatur, ut passim apud alios constaret, non aliud ipsum sibi demerendi potentiùs, aut efficaciùs inventum esse. Denique hâc suâ in Deiparam, immaculatamque ejus Conceptionem pietate censuerim eum illo tam eximium affectum fuisse beneficio, ut mortis accepto nuncio ita exhilaratus sit, ut elatis in cœlum manibus diceret: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus;* ac tandem Sacramentis omnibus munitus, placidissimè moreretur; vultusque ei serenior vitâ functo esset, quam viventi.

Lætus moritur gratiâ B. V.

51. Horum ego, aliorumq; quamplurimorū insignium minimæ Societatis nostræ Virorum permotus exemplo, ac præsertim auctoritate Virginis Societatis nostræ primæ post Deum Auctricis; ac in primis Filij ejus voluntate compulsus, qui Ordinem hunc, ut paulò ante memoravimus, ad amplificandum honorem, gloriamque immaculatæ Conceptionis suæ benedictæ Matris erexit, libenter, animitusque, ubi fert occasio digredior, & in tanti Mysterij, tamque Divini; quo Salus Mundi, ac omnium nostrum instauratio inchoavit, laudum excurro, pro modulo meo, præconia, eaque dilucido, ut ijs habeam, quemadmodum ipsa promittit vitam æternam; deque illa interna animi ejus venustate, puritate, ac perfectione ex omnium Angelorum Hierarchijs, ex omnibus Beatorum Ordinibus, atque adeò ex creaturis omnibus collecta, ac decerpta aliquâ ratione, ipsâ communicante, participem, eique cum Seraphico ipsius Psalmista Psalm. 25. filiali confidentia possim dicere: *Domina dilexi decorem faciei tuæ, & veneratus sum sanctam Maiestatem tuam. Ne auertas faciem tuam à me, quia speciem & decorem tuum à inventute mea concupiui. Te amaui, & exquisiui Regina cœlorum, misericordiam, & gratiam tuam ne subtrahas à Servo tuo; sed pro ingenita tibi pietate illos misericordes oculos ad nos converte,* ut eos quoque cum eodem valeamus benedicere, eorumque velut clarissimorum syderum benignos experiendo influxus amanter dicere Psal. 22. *Benedicti sint oculi tui splendidissimi, quos digneris misericorditer convertere super nos peccatores. Benedictum sit lumen, & splendor faciei tuæ, benedicta sit gratia vultus tui. Psal. 40. Pulchra es, & clara, ut Luna plenissima, & tanquam Sol refulget sacer aspectus tuus. Splendor Solis super caput tuum, Lunaris pulchritudo sub pedibus tuis. Decor pulchritudinis tuæ corruptionem non videbit; & vultus tui gratia in perpetuum nō marcescet.*

B.V. Pulchritudo spiritualis amanda.

S. Bonau. affectus in B. V.

52. Iam tandem ad Virginei hujusce Doni pulchritudinem in se contemplandam revocemus orationem; quæ quanta, qualisue extiterit, vel ex hoc licet colligere, quod Dei Filius de utero, sinuque Patris, velut domicilio pulcherrimo, atque ornatissimo, Sanctorum purissimis splendoribus decorato descendere, in uterumque Virginis venire, inibique commorari, ejus loci pulchritudine, atque amœnitate captus, non dubitaverit. In sua enim decreverat æternitate Dei Filius Matrem sibi purissimam, pulcherrimamque, omnibus tam Naturæ, quàm Gratiæ dotibus decoratam eligere; unde ipsi mox conceptæ ea virtutum, gratiarumque contulit ornamenta, quæ tantæ Majestatis vivum, animatumque condecebant Domicilium.

M. Pulchritudinem adamavit Dei Filius cùm in ejus descendit uterū.

53. Atque ita ante ipsius etiam Incarnationē, tanto sanctitatis nitore refulsit Deipara, quanto post Deum nulli creaturæ decorari licuit. Hinc ipsa gloriabatur: *In me omnis gratia vitæ.* Ec. 24. Quasi diceret: Quicquid gratiæ in vita Angelica cujuscunque tandem Hierarchiæ; quicqstid gratiæ in vita humana, in statu Virginum, cœlibum, aut conjugatorum; quicquid gratiæ in statu Religiosorum: quicquid denique gratiæ, quicquid boni, & pulchri in vita ipsorum Beatorum, æternâ fœlicitate in

In Maria gratiæ omnes quæ reperiuntur vel in vita Angelica vel humana.

in cœlesti curia gaudentium reperitur, totum in me contulit, meque gloriosam quandam suam Divinæ Potentiæ, Sapientiæ, ac Bonitatis, Puritatis, ac Sanctitatis, reliquorumque attributorum, ac perfectionum Divinæ Majestatis, velut ostentationem, ac pompam effecit, quo dignum tantæ Majestatis redderet domicilium.

54. Quâ de re præclarè, ut assolet S. Anselmus lib. de Concept. Virginis cap. 18. *Quamvis*, inquit, *de mundissima Virgine Filius DEI verissimè conceptus sit, non tamen hoc eâ necessitate factum est, quasi de peccatrice parente iusta proles rationabiliter generari per huiusmodi propagationem nequiret. Sed quia decebat ut illius hominis Conceptio de Matre purissima fieret. Namque decens erat, ut eâ puritate, quâ maior sub DEO nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui DEVS Pater unicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat; ut naturaliter esset unus, idemque communis DEI Patris, & Virginis Filius, & quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem eligebat, & de qua Spiritus S. volebat & operaturus erat, ut conciperetur & nasceretur ille, de quo procedebat.* Vbi Vir devotissimus Virginis Beatissimæ, pulchritudinem, ac puritatem uteri Virginalis, cum utero æterni Patris quodammodo conferre visus est; perinde, ac si eâdem puritate, ac sanctimoniâ, eisdem gratijs, ac spiritualibus delicijs Paradisus uteri purissimi, quibus Paternus uterus circumflueret; ac perinde illi esse volupe in MARIÆ, atque in Patris sinu deliciari: tanta erat inter utrumque similitudo. Vnde sicut in utero Patris accepit figuram ipsius substantiæ, ejusdemque substantialem Imaginem, ac formam DEI: sic in utero purissimo existens Matris accepit formam hominis, in eum quodammodo vi amoris transformatus.

B.V. puritas qua maior sub DEO nequit intelligi.

Sinus Patris cum utero Matris Virg. collatus.

55. Hinc P. Franciscus de Retza Ordinis Prædicat. Tom. 1. in Salve Regina M. S. *Vterum hunc Virginalem ait esse formam cui Imago Patris æterni imprimitur, & ad quam Imago Patris æterni figuratur, & figurata cernitur.* Quod ille pervenustâ declaravit similitudine cucumeris, vel cucurbitæ, quam ut scribit Palladius lib. 3. de Agricultura, si prout est in vite sua, vase aliquo sive ligneo, sive lapideo sculpturam faciei humanæ habente, ligaveris, crescit sculpturâ illâ figurata cucurbita: *Sic revera*, inquit Retza, *Vas mundissimum est gloriosæ Virginis venter & uterus, naturali dispositione forma hominis expressivus. Vterus hic verè est Vas nobilissimum ab æterno dispositum ad DEI Filium suâ figurâ figurandum; de quo sic canit Ecclesia:*

B.V. Vterus est forma cui Imago Patris imprimitur.

Ab æterno Vas prævisum
Vas insigne, Vas excisum
Manu Sapientiæ.

B. V. Vas insigne Filij DEI.

In hoc humanæ similitudinis Vase, charitate fuit ligatus DEI Filius per Incarnationis Mysterium, qui est Imago DEI invisibilis; de quo dicitur Sap. 8. Quod sit Speculum sine macula DEI Maiestatis, & Imago Bonitatis illius. Hæc igitur Imago accepit formam, dum in forma hominis figuranda, mundissimum Virginis Ventrem benedictum subiens, sicut cera liquefacta accepit figuram secundùm sigillum sibi impressum. De quo dicitur Eccli. 17. Ad Imaginem suam creavit illum, & vestivit illum virtute. Quod licet verum sit de omni homine, tamen hoc specialiter intelligitur de Saluatore. Figura autem, in qua Imago est formata, est venter Virginis, in quo DEI Filius factu est speciosus forma præ filijs hominum. Vnde dicit Sponsa Cant. 2. Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus, lectulus noster floridus. Pulchritudine enim florum lectuli significatus est pulcher & decorus secundùm naturam hominis, semper tamen retinens secundùm DEVM pulchritudinem DEI Patris. Sic enim Imago Patris facta est ad Imaginem Matris, & Figura substantiæ Patris configurata est Imagini Matris. Et nos sicut dicit Apostolus 1. Cor. 17. priùs portauimus Imaginem terreni, scilicet Adæ, terrena diligendo, & deinde Imaginem cœlestis, scilicet Christi, Iustitiam, & veritatem sectando, ut ait Glossa. Christus autem è contra ab æterno, & priùs Imaginem cœlestis habuit, & Imaginem terrestris posteriùs in Ventre Virginis, terrenis Parentibus configuratus accepit, ut sic nos è terrena Imagine educeret ad cœlestem ipsius conformationem, & hoc est quod dicitur Rom. 8. Quos præscivit conformes fieri Imaginis Filij sui, hos & vocavit; & sic ipse DEI Filius quasi unus ex nobis factus est, formam servi accipiens humanæ figurationis. Vnde ipsi canit Ecclesia: Memento salutis Auctor, quod nostri quondam corporis ex illibata Virgine nascendo formam sumpseris. Et hic Venter est mensura, ad quam immensus commensuratur, & contrahitur. In cuius figura 4. Reg. 4. legitur: Quod Elisæus ut filium parvulum Sunamitidis mortuum suscitaret, os suum super os pueri, oculos super oculos, & manus super manus posuit, seque illi ut potuit confi-

Filius DEI Imago Patris factus est ad Imaginem Matris.

Vteris B. V. est mensura ad quam immensus commensuratur.

configuravit. Unde S. Bernar. de Virginis loquens utero: Ibi, inquit, Creator, Magnus Elisæus in mensurã suscitandi pueri sese contraxit. Ibi Dei Patris Verbum est abbreviatum, & ventre Virginis commensuratum, & ille quem totus orbis non capit, eius se visceribus castissimis coaptavit. De quo prophetice dictum est Rom. 9. Verbum abbreviatum faciet Dominus super terram. Et Isa. 10. dicitur: Consummationem, & abbreviationem faciet Dominus in medio terræ, id est, in utero Virginis. Et hoc est, quod dicit alter Propheta: Rex noster salutem operatus est in medio terræ, &c. Hæc ferè Franciscus Retza sanè pereleganter.

In B. V. Vtero Verbum, ad instar Elisæi se abbreviavit.

Ex quibus facile colligimus uteri Virginalis nobilitatem, atque præstantiam plane incomprehensibilem, atque ineffabilem, cujus, uti etiam humanæ similitudinis amore, Dei Filius æterni Patris Vterum quodammodo posthabuisse visus, illum novem mensibus, summa animi sui voluptate habitare, & in terris cum hominibus, humanam assumendo formam, conversari sibi complacuit.

56. Quod sanè ipsa Virgo sanctissima nobis insinuare videbatur, cum dixit: Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo Nardus mea dedit odorem suum.* Ac si apertè diceret: Dum summus ille Regum Rex, ac Dominus Dominantium, ille ipse summi Dei sapientissimus Filius, in deliciosissimo Paterni sinus accubitu, omnium oblectationum, ac voluptatum, omnium gaudiorum, ac bonorum, incomprehensibilium, circumfusus copia, velut amœnissimo Paradiso resideret, suavissimoque, ac Divino planè, qui Dei Majestatem deceret, frueretur odore, adeo nihilominus sibi in Horti mei conclusi, Virginalis, inquam, uteri, Patris æterni Vtero, ejus gratiâ, quam simillimo, complacuit amœnitate, ac odore, ut minimus Horti mei frutex, minima humilitatis meæ Nardus, eum suæ suavitatis odore ceperit, ac recrearit adeo, ut in Hortum meum quantocyus descendere, suas sibi cum filijs hominum ibidem habiturus delicias, quorum amore, quasi candidissima cera liquefactus, & in me quodammodo transfusus, humanam formam assumere non est dedignatus.

Mariæ humilitas velut nardus suavem odorẽ Dei Filio spiravit.

57. Quod si unicus isque minimus Horti Mariani humilitatis flosculus, tam gratum, jucundum, copiosum, inque cœlum ipsum, ad reconditum illum æterni Patris sinum pertingentem spiravit odorem, quid de reliquis virtutum ejus floribus, quid de rosa charitatis, quid de lilio Virginitatis, quid de verè solsequio obedientiæ, quid de Heroicarum virtutum arboribus Cypresso Religionis, oliva pietatis, ac misericordiæ, quid cedro, ac Libano magnanimitatis, ac fortitudinis, quid denique de Myrrha electa mortificationis, quam ipsa Virgo suavitatem odoris dedisse, ac exhalasse dixit, nobis cogitandum est? Tantus omnino, tamque suavis est hic Virginearum virtutum odor, ut Dei Filius per Incarnationem in uteri ipsius ingrediens Hortum, se ibi ejusdem amœnitate, ac delicijs ita detineri, atque concludi, ut inde quodammodo egredi, florum ipsius oblectatus, ac captus suavitate se non posse amplius fateatur. Vnde amanter de hac sui conclusione, suavique captivitate conqueri videbatur: Hortus conclusus soror mea sponsa, Hortus conclusus, Cant. 4. capite.

In Maria velut Horto conclusus Dei Filius, eâ oblectat9, quasi exire inde nõ valebat.

58. Dicamus igitur Doni hujus cœlestis Divinam quandam pulchritudinem esse, Vterumque Deiparæ, quo ad puritatem, ac sanctimonium, virtutumque cœlestium amœnitatem, cum æterni Patris sinu, uterove posse aliqua ratione comparari. Et meritò sanè. Quemadmodũ enim Pater cognitione comprehensiva suæ Divinæ essentiæ, omniumque creaturarum possibilium, præsertim verò Sanctorum, *quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui*, ut loquitur Apostolus Rom. 8. v. 29. velut sempiternus quidam, atque increatus Sol ad instar purissimæ lucis generat Filium, in splendoribus sanctorum (qui in eo sunt eminenter, hoc est longè nobiliori modo, quam sint vel aliquando futuri sunt in seipsis) undique, clarissimis circumfusus radijs: sic Virgo sacratissima eundem illum Dei Patris Filium, quà homo est, generans, ut eisdem planè sanctorum purissimis splendoribus (cum in Verbo, ac mente Divina idem prorsus sint) circumdetur, atq; Divina quadã, à Deo Patre (utpote dilectissima Filia) participatâ pulchritudine, refulgeat necesse est.

Vterus Virginalis similis sinui Patris æterni, Sanctis splendoribus circũdatus.

59. Pulchritudinem hanc, ac uteri Virginalis lumina, fulgoresque velut olim Moysi, per sacrarum litterarum quãdam rimulam insinuare nobis visus est, ipse cœlestis Virginis Sponsus, ac Filius plusquã Paradisiacam ejus Vteri expertus amœnitatem, cum dixit: Cant. 7. *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus lilijs.*

Vterus Virginis vallat9 lilijs, id est, sanctorũ virtutibus.

Quo

cans elogium censet vestimenta odorifera Sponsæ esse primam innocentiam cum virtutum omnium spiraminibus, quibus fides gaudet, easque tenet. Thuris autem nomine orationes intelligit, secundum Prophetam orantem: *Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Rursus vestimenta Sponsæ ex Sententia S. Greg. 2. Moral. c. 38. ait esse opera, atque etiam corpora nostra: *Si*, inquit, *nos apud DEUM opera nostra, quasi vestimenta non tegerent, nequaquam voce Angelica diceretur: Beatus, qui vigilat, & qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus. Porro putantur vestimenta & ipsa corpora esse, juxta quod scriptum est: Hi sunt qui non coinquinaverunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt, Apoc. 3. Dicat ergo: Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris, id est, placens Sacrificium DEO, secundum quod Apostolus hortatur: Obsecro vos per misericordiam DEI, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, DEO placentem; ut magis rationabili sacrificio, atq; spirituali, quã carnali colere DEUM studeatis, quoniam Spiritus est DEUS, Rom. 12. Ioan. 4.* Hæc Cœlius; ex quibus colligimus Deiparam verè Phialam fuisse auream, plenam incenso orationis, & ab ipsis quidem teneris annis, in qua adeo excelluit, ut ne inter dormiendum ab ea cessaret, sed dormiente corpore, animus ad Deum in rerum Divinarum contemplatione vigilaret, ut docuit Ambros.

Vestimenta interioris hominis sunt opera bona.

13. Vnde & ipsa de hac sua in contemplandis Divinis supernaturali plane nemini puræ creaturæ concessa vigilantia dicebat: Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quæ Virginis oratio, ac contemplatio, quia plane stupenda fuit, atque inffabilis, crediderim à Sponso sæpius celebratam, cum formæ, præsertim verò internæ venustatem collaudaret, Cant. 4. dicebat: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra, oculi tui columbarum, absq; eo quod intrinsecus latet.* Sive ut legunt 70. Int. *extra silentium, sive taciturnitatem tuam.* Quod porro silentium hoc Sponsæ, profundissimã ejus contemplationẽ, præsertim verò, cũ mens ejus ad videndũ clarè Deum ad breve aliquod tempus in præsẽtis vitæ statu rapiebatur denotet colligere possumus ex Greg. Magno, qui lib. 21. Moral. c. 24. explicans silentium illud, quod scribit Ioan. Apoc. 8. factum in cœlo quasi media hora, ait quietem contemplationis denotare, *qua anima intra se tanquam in quodam cœlo surgentes cogitationum tumultus compescit, quoddamq; silentium DEO facit; quod quia in hac vita profectum, ac diuturnum esse non potest, iccirco quasi media hora factum dicitur.* Cum igitur Sponsus pulchritudinem collaudat Virginis, & intus latitantes virtutes, Silentium, taciturnitatemque vocitat, ut pote nimium quantum admirabiles, quas nulla creata mens capere, nulla valet lingua eloqui, qualis est inter reliquas, cœlestium quieta, attentaque, Divinæ charitati sociata contemplatio, intelligimus profectò illam inter virtutes omnes palmam obtinuisse, utpote quæ ipsi Incarnato Verbo ineffabilis quodammodo videretur. Intelligimus denique orationis, contemplationisque incenso Virgineam hanc Phialam ita plenam fuisse, ut Divini amoris accedente igne, quo cor ejus nimium quantum ardebat, odorem suavissimum, eumque adeo exuberantem aspirarit, ut in primam ejus Innocentiam, ac virtutes omnes, in operationes singulas, in corpus ipsum quod vestimentum est animæ, redundaret: adeo ut S. Areopagita Dionys. ad Magistrum suum Paulum scripserit, quod ubi ad Deiformem præsentiam Virginis accessit, quod tantus, tamque immensus Divinus splendor eam circumfulsit exterius, & plenius irradiarit interius, tanta etiam omnium odoramentorum superabundarit fragrantia, ut nec corpur, nec spiritus eam sustinere valuerit. Ac proinde jure dicimus, quod tota Virgo beata, velut Phiala aurea plena incenso, non solum toto corpore, quod Plutarchus ajebat de Alex. M. sed et operibus, ac virtutibus, suavissimum odorem coram oculis ipsius Divinæ Majestatis exhalarit, fueritque ipsi donum longè acceptius, quam fuerint illa 12. Principum Israëliticorum, Acetabulorum videlicet, argentearum Phialarum, aureorumque Mortariolorum incenso refertorum munera, quæ umbra dumtaxat, Divinissimi hujuscẽ Doni, quod SS. Ioachim, & Anna, & ipsa Virgo in Templo, in Sancta Sanctorum, semetipsam Deo toto animo, toto corpore, toto corde devotissimè consecrando, obtulit.

Silentium Sponsæ cõtẽplationẽ ejus denotat.

Silentium mediæ horæ in Apocalypsi quietem contemplationis notat.

M. luce Divinâ tota radiavit, suavissimumq; odorem adhuc dum viveret sparsit.

Dona Principum Israelis significabãt corpus, animam & cor B. V.

14. Proinde jure dicere possumus Munera illa 12. Principum significasse ipsum corpus, animam, ac demum cor

Virgi-

Virginis, quæ omnia illa, tantâ cum pietate Domino à primis annis in Templo dedicavit. Et Acetabulum quidem argenteum, sive paropsidem adumbrasse corpus; Phialam verò argenteam, ejus animam; ac demum Mortariolum aureum, sive parvam Phialam plenam orationis, sanctorumque desideriorum incenso, cor ejus purissimum, totû aureâ, eademque preciosissima convestitum charitate significasse; quod quia legem Domini; quod etiam de reliquis sanctis canit David: Lex Dei ejus in corde ipsius; decem præceptis comprahensam, tanquam Arca fœderis continebat, rectè dicitur decem siclos appendere, ita ut quodlibet præceptum cordi illi Virgineo longè preciosissimo, cujus solius ponderator est Dominus, profundè exaratum, sicli pondus addidisse visum sit.

Cor B. V. aurea phiala plena odoramétis orationum.

15. Neque verò mirum alicui videri debet, à nobis cor Virginis parvæ aureæ Phialæ plenæ incenso fuisse collatum, cum etiam Phialæ illæ aureæ plenæ odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum; quas S. Ioann. Apoc. 5. scribit habuisse 24. Seniores, corda illorum denotasse scribant, Beda, Rupertus, Richardus de S. Victore, Hugo Card. de S. Charo, Dionys. Richelius, Blasius Viegas noster, & Glossa Interlinearis, quæ ait Phialas aureas esse lata corda etiam ad dilectionem inimicorum, suaviter redolentia. Aureas porrò ait Viegas noster rectè dici hujusmodi phialas, quia sancti sunt charitate preciosi, qui nimirum Vasa illa aurea in domo Dei, de quibus Apostolus 2. Timoth. 2. significant. Denique plenæ sunt odoramentorum, id est, orationum, quia Sanctorum est, gratias Deo agere pro collatis in omnes mortales beneficijs, & pro eorumdem salute continuè preces ad Deum fundere. Parva igitur Phiala aurea oblata à Principibus Israëliticis, plena incenso, cor est mundissimum Virginis, omni auro purius, cor, inquam aureum ita aurea charitate dilatatum, ut totum mundum, imò mille mundos capere, ac proinde potiori jure quam Paulus dicere valeat mortalibus universis: *Os nostrum ad vos patet, ò Corinthij, cor nostrum dilatatum est, tanquam filijs dico, dilatamini & vos*, 2. Cor. 6. Vt ostendatur autem nobis, qua ratione latissima charitas Virginis totius orbis miserijs, ac necessitatibus subveniat, rectè dicitur

Aureæ Phialæ plenæ odoramétorû, sunt corda Virorû sanctorum.

Cor V. B. aureum propter charitaté.

cor, sive Phiala aurea Deipara fuisse plena incenso, sive odoramentis, ipsius orationes calentissimas ad Deum pro nobis fusas denotantibus. A primo enim immaculatæ ejus Conceptionis instanti cor illud humanæ salutis amantissimum, ardentissimis desiderijs hominum salvandorum exæstuans, assiduam fundebat pro illis ad instar gratissimi incensi orationem, ita ut tota ex hujusmodi suavissimis odoramentis composita, velut thymiama quodpiam esse videretur. Vnde hoc agnoscentes Angeli, eamque assiduè pro generis humani incolumitate deprecantem admirati, in aromaticam quandam Virgulam transformatam fuisse arbitrati sunt. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum quasi Virgula fumi; & aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarij*, Cant. 3. ubi per aromata, myrrham & thus, & universum pulverem pigmentarium, mortificatio, & oratio, innumeræque aliæ virtutes & gratiæ intelliguntur, quæ igne Divini amoris, proximiq; succensæ in corde Virginis, holocaustam illam pro hominum salute Deo gratissimum effecerunt in odorem suavitatis.

Ab instanti conceptionis cor B. V. salutis humanæ amore arsit.

M. Virgula fumi.

16. De hoc elogio audiendus S. Ildephonsus Arch. Tolet. Serm. 3. de Assumpt. *Quoniam in ascensu ejus multa flagrabant ornamenta virtutum, incendio Divini concremata amoris. Quæ ideo quasi Virgula fumi, quia ipsa est Virga illa de radice Iesse, quæ hodie ascendit. Gracilis quidem, & delicata, ex aromatibus universi pigmentarij pulveris, sed conflagrata incendio Charitatis. Et ideo bene in modum fumi Virgula ex aromatibus, quia facta est tota in holocaustum DEI quæ odoramentum virtutum spargebat de se usq; ad cœlos, & non qualiacunq;, sed universi pulveris pigmentarij. Vnde admiratio illa Angelica, non de Virginitate sola, quæ fuit singularis in MARIA, sed de immensitate gratiæ venit, quia universæ virtutes in ea respergebant ex incendio Diuini amoris suavitatem odoris.* Simili ratione interpretatus est verba illa Card. Halgrinus, ostendens insuper ascensum hujus virgulæ per desertum hujus mundi assiduum profectum de virtute in virtutem, donec videret Deum Deorum in Sion designare, atque adeo ipsius in genus humanum charitatis incrementum, quæ amantissimo ejus corde velut in aurea Phiala plena incenso exardescens, & ante Dei faciem pro nostra intercessione ascendens

B.V. ob assiduam orationem facta Virgula fumi aromatici, & Holocaustum côcrematum igné Divini Amoris.

ipsum placat, totamque curiam cœlestem gratissimi odoris replet suavitate. De hac enim Virginea oratione ex aurea illius pijssimi cordis phiala procedente crediderim potissimum locutum fuisse Siracidem, Eccli. 35. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet non consolabitur, & non discedet, donec Altissimus aspiciat.*

Orationis B. V. humilitas.

17. Ex hactenus dictis clarè intelligimus Deiparam, oblationem donariorum, 12. illorum Israëlitici populi Principum imitando, seque ipsam toto corpore, toto animo, toto corde in holocaustum Divinæ Majestati, ex ardentissima charitate offerendo, ostendisse revera se non modo esse illam supremi omnium Principum, ac Regum terræ Principis, verumetiam horum suæ gentis clarissimorum, atq; liberalissimorum Principum Filiam, qui in textu Hebræo Nadibim vocantur à Nadab, quod Vltroneum, Spontaneum, Liberalem significat. Et talis Filia Nadab ultronea spontanea, liberalis, atque profusa fuit Virgo beatissima, quæ quidquid erat quid habebat, aut possidebat statim ultroneè in primis vitæ suæ annis promptissimè Domino dedicauit. Principum enim ea nobilissima est indoles, ut sint benefici, munifici, liberales, ac magnifici. Vnde Artaxerxes dictus Longimanus, quod alteram manum haberet longiorem, solitus erat dicere: *Magis Regium esse addere, quam detrahere.* Quia igitur Virgo nostra longas, largasque in donando semetipsam totam Deo manus habuit, jure merito filia Principis, filia Nadab, & ut ita dicam Longimana dici potest, ob donandi semetipsam Deo liberalitatem, ac promptitudinem, & omnibus benefaciendi propensissimam voluntatem.

B.V. Filia Principū, quia Principes in liberali sui Deo facta oblatione imitata est.

Magis Regium est dare, quā detrahere

18. Hujus promptos ad se totam Deo Creatori suo donandum voluntatis actus contemplatus Sponsus, mirificè eàdem admiratus est, cum dixit: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis Filia Principis?* Vbi paulo aliter & ad rem nostram aptissimè legere 70. Interpp. *Speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis tuis, filia Nadab.* Vbi per gressus pulchros intelliguntur voluntatis affect⁹, qui sunt, Augustino teste, pedes animæ, quibus Virgo nostra in semetipsa quantocyus Creatori suo in Templo consecranda decurrebat, ostendens revera se Filiam Principis largi, ac munifici, se Filiam Nadab ultronei, spontanei, ac liberalis esse, dum in prima suæ ætatis aurora, imo in primo conceptionis suæ immaculatæ momento adhuc in utero Matris existens, ut graves sensere Theologi, emisso Virginitatis voto, nullo prævio exemplo, suadente nemine, sponte semetipsam in Donarium pulcherrimum supremo Numini consecravit. Qui sane ardentissimæ in Deum charitatis affectus, velut pulcherrimi gressus, jure merito cœlestem Sponsum in summam admirationem rapuere atque exclamare coegerunt: *Quam pulchri sunt gressus tui, &c.*

B.V. promptitudo voluntatis in semetipsa Deo offerenda, sunt gressus pulcherrimi.

B. V. cur dicitur Filia Nadab?

19. Quare B. Theodoretus Episcopus vocem illam; Nadab; profundius accuratiusq; discutiens, mysteriū in laudem Virginis sane elegantissimum reperit: *Vt hoc intelligamus*, inquit ille, *quaeramus quisnam sit Nadab. Fuit hic Aaron Filius 2. Paral. 24. qui cum ignem alienum in Tabernaculum DEI intulisset, vita finem accepit. Invenimus ergo & Domini Sponsam Divinum in Tabernaculum non ignem Legalem, sed quem ab ipso Sponso susceperat intulisse: Ignem, inquit veni mittere in terram, & quod volo nisi ut accendatur? Ignem hunc novum ex novo testamento in DEI Tabernaculum intulit Sponsa clamans. Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova. Merito igitur vocat illā Filiam Nadab, ut quæ igne novo sacrificium hominum obtulerit. Licet enim diverso consilio ignem communicarint, idem tamen ab utroq; factum est.* Merito igitur Virgo nostra tanta, tamque ardenti cum charitate semetipsam Creatori suo Donum æternum offerendo, Filia Principis, filia novi illius Nadab, qui ignem Divini amoris venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi, nuncupatur, quia uti dixi sponte, eodem illo charitatis igne succensa, Donum se æterno Principi obtulit, & eundem illum amoris Divini ignem toti mundo, ac præsertim optimis suis Parentibus Ioachimo, & Annæ comunicavit. Vnde factum, ut & illi Igne charitatis accensi, velut Nadabi spontanea, ac liberalis progenies, Filiolam hanc dulcissimam tanquam Donum acceptissimum Supremo Principi promptissima voluntate præsentarint, multisque parasangis dona illa 12. populi Israëlitici Principum superarint. Quod sane quam gratum Deo extiterit, quæ mens capere, quæ lingua exprimere sufficiet?

B.V. Ignē Divini Amoris intulit mundo, sicut Nadab profanū.

Ioachim, & Anna igne Divini amoris accensi B. V. ut Donum Deo obtulerunt.

20. Si enim, ut Divus testatur Damasc.

masc. orat. 2. de Dormit. Beatæ Virginis, Agricola quispiam Regi suo prætereunti, haustam manibus de proximo rivulo aquam gratitudinis ergo offerens, Regem in primis adeo admiratione cōmovit, ut ejus sapientiam extulerit laudibus, tum alacritatem illam animi, cum tam insigni benevolentia conjunctam, gratissimam sibi accidisse testatus est; ac demum quam plurima beneficia ei liberalissimè rependerit: Quantò magis summus ille Regum omnium Rex, Donum hoc gratiosissimum, gratissimūque; Fontē hanc Hortorū, puteum aquarum vivētium à sanctissimis hiscé progenitoribus Ioachim, & Anna, tam insigni grati animi significatione præsentatum hilari vultu acceptaverit?

Regi cuidam gratū mumq fuit aqua ex proximo rivulo volis hausta.

Quo exemplo usus fuit Damasc. ad declarandum suarum laudum, quæ Deiparæ suis concionibus deferebat obsequia, lōngè fore gratiora, quam aquam illam volis haustam eidem illi Regi: *An non*, inquit, S. Doctor, *hæc verè bona Domina, ac solius boni DEI Mater, cujus indulgentia infinita est, quiq; duo minuta amplissimis etiam muneribus prætulit multo magis officium nostrum comprobabit, voluntatem nimirum, non facultatem nostram expendens? Certè comprobabit, debitumq; munus obeuntes excipiet, bonaq; omni exceptione majora, nobis rependet.* Iam si solæ sacratissimæ, ac divinissimæ hujus Virginis laudes ita Deo summo Orbis Monarchæ gratæ extiterunt, ut sibi verè persuadebat Damasc: quanto magis Maria ipsa, atque ipsiusmet tam eximiæ, donisque omnibus tam Naturæ, quam Gratiæ decoratæ Virginis Præsentatio?

Obsequia B. V. exhibita licet minima Deus cōpensat.

21. Quod si quis etiam media hyeme pulcherrimum quempiam florem, aut rosam, aut insolitum aliquem fructum Regi offerret, ut ait idem Sanctus orat. 2. de Dormit. Beatæ Virginis, non tam muneris vilitatem, quam novitatem Rex ille spectabit atque admirabitur, Agricolamque illum irremuneratum insigni aliquo munere abire nō permittet: Quantò magis Ioachim, & Annam, gratijs omnibus à Deo locupletatos fuisse censendum est, siquidem in nostra hac pene continua atque horridissima hujuscé sæculi hyeme, Virgunculam hanc, velut rarum, fragrantissimumque flosculum, velut Rosam pulcherrimam, pervenustum veris anni formosissimi ornamentum, velut exquisitum denique sapidissimumque quempiam, ac extraordinarium, numquamque hactenus illi similem in terris visum Fructum, Conditori suo, incredibili animi alacritate obtulerunt?

Maria flos in medio hyemis hujus sæculi Deo præsentatus.

22. Ex quibus omnibus hactenus dictis facile colligere est sacratissimam Virginem insigne quoddam Dei Donum semper quidem, & in omni totius vitæ suæ decursu extitisse, sed tunc vel maximè, quando à Parentibus sanctissimis triennis, ac delicata Infantula in templo Divino conspectui fuit præsentata. Donum tunc verè eximium atq; excellentissimum extitit Virgo Deipara. Si enim ad hoc, ut Donum aliquod sit præstans, ac nobile, præter supra commemorata, requiritur, ut preciosum quid sit, ac dives; pulchrum; rarum, ac novū denique, ac inusitatum. Quæ sanè omnia in Virgine hac Divinæ Majestati præsentata in summo excellentiæ gradu est reperire. Donum hoc imprimis preciosum est, dives est, adeo ut de illo dixerit S. Germanus Patriarcha orat. cit. *Beatos esse omnes, qui de illa tanquam de re preciosissima aliquid participarunt.* Cum enim præmisisset: *Tu sola altissima DEIpara super omnem terram: Beatus revera ex viris Pater tuus, beata ex Mulieribus Mater tua, beata domus tua, beati noti tui, beati qui te viderunt, beati qui tua consuetudine usi fuerunt, beati qui tibi ministrarunt, beata loca, quæ calcasti, beatum Templum, ad quod adducta es, Beatus Zacharias, qui te ulnis excepit, beatus Ioseph, qui te sibi desponsavit, beatus lectus tuus, beatum sepulchrum tuum.* Cū inquam hæc præmisisset, reddit tandē rationem hujus tantæ, tamque insignis beatitudinis, ac fœlicitatis: *Tu enim* (Virginem alloquitur) *es precium preciorum, tu præmium præmiorum, tu exaltatio exaltationum.* Hujus Doni precium agnoscens S. Cyrillus Alexandrinus Hom. Cont. Nestorium insigni pietatis affectu exclamavit: *Sit tibi sancta DEI Mater laus. Tu enim es preciosa Margarita orbis terrarum.*

Maria Donum fuit Deo gratissimum maximè in Præsentatione facta in Templo.

Doni conditiones tres, id est, sit dives, pulchrū, rarum sive novum.

Maria res preciosissima.

Maria preciosa orbis margarita.

23. Ejusdem Doni precium agnoscens S. Damasc. orat. 1. de Nativ. Virginis. *Bonum thesaurum*, inquit, *qui nulla vi eripi potest Anna peperit mundo.*

Preciosum, ac verè dives Donum est Virgo, unde non immeritò rebus preciosissimis, uti auro, gemmis, rebusque ingentis precij solet comparari. Quid preciosius, quid opulentius olim fuit Arca fœderis Domini, quæ ideo tanto sem-

Maria rebus preciosissimis collata.

semper in precio, ac honore apud Israëliticum populum habita est, quod Virginem Dei param repræsentaret, ut ait Billius. Erat auro mundissimo intrinsecus, extrinsecusque vestita, coronâ aureâ coronata, vrnam auream cum Manna Angelicis manibus confecto continebat. Habebat desuper propitiatorium etiam aureum, supra quod duo Cherubin item aurei consistebant, versis vultibus in Propitiatorium, ut ait scriptura Exod. 25.

Maria Arca fœderis auro contecta.

En quam fuerit preciosa, quam dives vel sola hujuscé Virginis umbra, quæ quam ad vivum eam expresserit legendus est P. Antonius Spinellus cap. 5. n. 24. & Patres ab illo citati, qui passim vivam, veram, animatamque Arcam Deiparam extitisse testantur, ut S. Methodius, *qui animatam nostri Legislatoris Arcam*; Ephreem; *qui veram Arcam*, S. Epiphanius, *qui gloriæ spiritualis Arcam*; Andreas Cretensis; *Arcam supermundanam*; Damasc. denique, ut omittam reliquos, sacram & animatam Arcam Dei viventis nuncupavit. In Canticis verò Ecclesiasticis ita Virginem gloriosissimam alloquitur:

Tu cum sancta sis Arca
Sicut justus David testatur
Demonstrata es cœlis capacior
Tuum Creatorem gerens.
Laus ei qui in te habitavit.

Hujus Arcæ denique divitias, preciumque inæstimabile Laur. Iustin. serm. de Nativ. omnium elegantissimè descripsit: *An non*, inquiens, *MARIA testamenti Arca verissima, Divinis manibus fabricata, auro vestita mundissimo, virtutum gēmis ornata, ac imputribilibus lignis spiritualiter facta, testamenti tabulas, frondentem Virgam, suavissimumq; in se manna continuit?*

M. Arca Divinis manibus fabricata.

24. Preciosa fuisse memoratur Exo. 25. Mensa panum propositionis, quæ de lignis setin preciosissimis compacta, auroq; purissimo convestita, coronaq; aurea atque aureola coronata fuit.

Et hæc eadem Virginem nostram adumbravit. Vnde S. Damasc. orat. 2. de Dormit. Virginis, eam *Mensam animatam*, dixit: & orat. 1. *Mensa ex qua ille panis vitæ, ac cœlestis, ille nullis Agricolæ manibus excultus fructus corporeo modo pullulavit;* Et S. Epiphan. serm. de laud. Virginis, *Fidei Mensam intellectualem, quæ panem vitæ nobis suppeditavit.* Georgius Nicom. orat. de oblat. Virginis *Mensam, quæ portat vitam, in qua vita nostra panis propositus, Ambrosia panis eos, qui illius fuerunt participes.*

MariaMēsa panum propositionis.

M. Mensa intellectualis panem vitæ suppeditans.

Nil dicam de Candelabro aureo, nil de Altari Thymiamatis, quæ preciosissima cum fuerint, symbola pulcherrima Beatissimæ Virginis extitere, ejusque inæstimabile precium, virtutumque divitias, ob quas dives Donum dici potuit denotarunt.

Maria Candelabrum aureum.

25. Quod si ingentes virtutum, cœlestiumq; gratiarū, ac charismatū divitias, quas Divinissima illa Munificentia, plenâ manu in illam veluti peculiarem suū congessit thesaurū consideremus, opulentissimam sanè eam fuisse præsertim in misericordia Deum imitando, qui dives in misericordia dicitur ab Apost. inveniem[9]. Quid de reliquis ejus virtutibus dicam? Nonné dives fuit in humilitate, cum ad Divinæ Maternitatis dignitatem evecta, Ancillam se vocavit? *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Nonné dives in Virginitate, cum Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo post partum illibata, obstupescente universa Naturâ, permanserit? Nonné dives in obedientia, cum voluntatem suam cum Divina conformans, promptissimè Angelo respondit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum?* Nonné dives in sapientia, in sanctitate, in justitia fuit, cum eam S. Damasc. orat. 1. de Dormit. Deiparæ, justitiæ fontem; sanctitatis, & veræ sapientiæ thesaurum appellet? Et Hugo Cardinalis de S. Charo doceat in Cant. quod B. V. eam ob causam Scholaribus sit lætitia Israëi, dans eis formam studendi, & legendi, ut attenti & solliciti sint intelligere, & opere complere quæ legunt. Vnde Luc. 1. de ea dicitur: Maria conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.

Maria virtutibus dives.

Maria justitiæ Fons

B.V. Scholaribꝰ dat formam studendi.

Nonne dives in Dei proximique charitate, cum illa, quæ ipse Devs est charitas, ejus purissimo utero novem mensibus requievit?

In Maria Sapientiæ veræ, ac Sanctitatis Thesaurus.

26. Quod si Devs ter optimus Maximus in Incarnationis mysterio potissimum misericordiæ, pietatis, ac bonitatis suæ, reliquarumque perfectionum divitias, toti mundo ostentavit, ac quodammodo profudit, nonné Deiparam Virginem, in cujus castissimo utero tam excellens, Divinumque peractum fuit opus, iisdem perfectionibus participasse, eisdemque copiosissimè cumulatā fuisse credendum est? Præclarè enim melli-

fluus

fluus pronunciavit Bernardus ſerm. de Aquæ ductu: *Cœleſti rore,* inquiens, *aream DEVS rigaturus, totum vellus prius infudit: Redempturus humanum genus, univerſum precium contulit in MARIAM.* Subjungitque facti hujus præclariſſimi cauſam; *quia ſic voluit DEVS Matrem honorari: Altius,* inquit, *intueamini quanto devotionis affectu à nobis eam voluit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in MARIA; ut proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare, quæ aſcendit delicijs affluens.*

27. Præclarè etiam D. Bonavent. In Spec. cap 8. explicans verba Archangeli; *Dominus tecum*, diſſeruit, intulitque, ex eo quod Dominus univerſalis, eſt cum Maria, & Dominus opulentiſſimus, proprietate Dominij cœli, & terræ, eorûq;, quæ Orbis univerſi ambitu continentur, opulentiſſimam quoque fuiſſe Mariam. *Domini,* inquit ille, *eſt terra, & plenitudo eius, imò etiam cœlum, & plenitudo eius. Tui enim Domine ſunt cœli, & tua eſt terra, quia cœlum cœli Domino. Domini huius omnia ſunt propria, cœlum & terra, corporalia & ſpiritualia, omnis natura, omnis gratia, omnis cœleſtis gloria, omnia ſunt Domini propria, Dominusq; ditiſſimus eſt, ſicut etiam ait Apoſtolus; idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocant illum. Ecce MARIA quantus Dominus eſt, quam opulentiſſimus Dominus eſt, qui tecum eſt! Et quia Dominus opulentiſſimus opulentiſſimè eſt tecum, ideò tu es opulentiſſima ſive ditiſſima ſecum, ita tu verè dici poſſit illud Proverb. 31. Multæ Filiæ congregauerunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas. O quam dives eſt MARIA in gloria, quæ tam dives fuit in miſeria, ò quam dives eſt in cœlo, quæ tam dives fuit in Mundo! O quam dives eſt in anima ſua, quæ tam dives fuit in carne ſua.* Vt etiam Bernardus exclamans, dicat: *O dives in omnes, & ſuper omnes MARIA, de cuius ſubſtantia, modica pars aſſumpta, totius Mundi ſufficit ſolvere delicta.*

Maria opulentiſſima, quia Dominus opulentiſſimus eſt cum illa.

28. Vnde nil mirum ſapientum Coryphæum Salomonem, cùm quæreret fortem quampiam Heroinam, ac Amazonum virtute, fortitudineq; præditam mulierem, quæ ad eripiendam de Infernalium Poteſtatum manibus humanam Naturam, tot retro ſæculis acerbiſſimo ſervitutis jugo oppreſſam, ſufficiens eſſe videretur, nil mirum, inquam, eum in hanc mulierum, omnium fortiſſimam, & Giganteo planè robore exaggeratam iutendiſſe mentis oculum, & ſpiritu planè Prophetico, pronunciaſſe: *Procul & de ultimis finibus precium eius.* Viderat enim incompatabiles virtutum ejus divitias, ac opes ampliſſimas (quæ nervus belli à M. Tullio eſſe dicuntur) quas nemo dignè æſtimare, etiamſi Angelicâ intelligendi vi, ac facultate foret præditus, reperiebatur idoneus, niſi ille, qui in eam tam innumeros, tamque Divinos, plenâ, quod ajunt, manu, theſauros dum in ejus utero carnem aſſumpſit, congeſſerat. Si enim Divinæ perfectiones atque attributa, quæ in illo inſcrutabili Myſterio tam admirabiliter eluxerunt, nullâ vel humanâ, vel Angelicâ mente, comprehendi poſſunt, conſequens ſanè eſt nec Virginearum perfectionum divitias inæſtimabiles, utpotè quæ maximam affinitatem cum Divinis habuere ſufficienter cognoſci potuiſſe.

M. Mulier fortis in homine de poteſtate Dæmonis eripiendo.

M. precioſiſſima, cujus preciû de cœlo eſt.

29. Vnde B. Iuſtinianus ſerm. de Epiph. *Inter præcipua,* inquit, *opera, quæ in temporis volubilitate Divina Maieſtas condere dignata eſt, Verbi Incarnatio ſummum ſortitur locum. In illo ſiquidem Myſterio Angelicis Spiritibus admiranda magnalia DEI continentur, innumerâ veneratione digniſſimâ. Si enim DEI Patris omnipotentia conſideretur, ibi profectò elucet, in utero nempè Virginis, ubi invincibilis eſt victus, inclinatus eſt ſummus, atq; placatus omnipotens. Si autem Sapientiæ Divinæ inveſtigentur arcana, ubi oro perſpicacius, quam in illo, in quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ & Scientiæ DEI abſconditi contemplantur? Cæterum ſi Divinæ Bonitatis communicatio, ac ſpiritualis dulcedinis abyſſus exquiritur, ubi quæſo abundantiùs deguſtatur, quàm in hoc ſacroſancto Divinæ, humanæq; Naturæ connubio; in quo paulò minùs ab Angelis minoratum eſt Verbum, & ſuper omnem Angelicam dignitatem, atq; ſuper omne quod nominatur, non ſolùm in hoc ſæculo, verùm etiam in futuro exaltatus eſt homo. Idem namq; eſt, qui elevatus eſt, & ipſe qui minoratur. DEVS ſcilicet & homo in unitate perſonæ.*

Opus Incarnationis ſummum.

In Incarnatione Omnipotentia, Sapientia, & Bonitas Dei eluxit.

30. Quamobrem jure merito hoc humanæ ſalutis Opus, ad quod perficiendum concurrit hæc Virgo Beatiſſima; Opus, inquam, tot Divinis perfectionibus illuſtriſſimum, atque precioſiſſimum S. Baſil. Archiepiſcopus Selevciæ Orat. 39. creatis mentibus cenſuit prorſus incomprehenſibile: *Quæ oratio,* inquiens, *impervium Conceptionis, quæ ſine Viro contigit, pelagus ingredi valeat? quæ mens tam pura, tam perſpicax, quæ inviſibilia*

Incarnatio Verbi eſt Pelagus impervium.

ista contempletur? Et hæc humanâ voce majora sunt, ac revera Divini cuiusdam afflatus ultro aperientis harum quæstionum exitum, ope indigent. Quomodo Natura Verbi, quæ nullius opera facta est, nec mente capi potest, quæq; cum nulla creatura communicari potest, inquam Cherubini reliquos Ordines supereminentes oculos defigere non audent, quomodo, inquam, hæc cum infirma & terrestri humanitatis natura lubens, in communionem venit? Hoc fuit Mysterium, quod in hodiernum usq; diem Mysterium permanet, nec unquam Mysterium non erit. Tunc vidit Creatura, quod quod ante viderat nunquam, Filium Genitricis esse Patrem: Infantem, ætate Matrem superare, Infantem ætate antiquiorem. Hæc Bas.

Incarnatio Verbi humanæ menti incomprehensibilis.

31. O admirabile verè comercium hujuscé Virg. quæ suam purissimâ carnem Divinitati sociando, precio quodam, si per se spectetur, levissimo, ac infimo, Cœlorum opes, ac thesauros ab omni æternitate congestos sibi comparavit. Licet & Virginea caro Deiparæ, tam excellenti Dei præventa gratia, quâ ad Dei Maternitatem disponebatur, fuerit etiam admodum preciosa, admodum dives; Ejus siquidem opes, divitiasque incomparabiles, vestis illa Sacerdotalis, bysso, purpura, cocco bistincto, auro, gemmisque rationalis decorata nobis penicillo quodam adumbratas ob oculos proposuit.

Agnovit hujuscé Regij vestimenti precium, ac opulentiâ S. Bonav. cùm Ps. 23. ipsi cecinit: *Gloriam & decorē induisti, omnis lapis preciosus amictus & operimentum tuum.* Et Psal. 58. virtutum gemmis undique eam coruscantem cernens: *Aurum ait obryzum in ornamentis tuis, Sardius & Topacius in Diademate tuo: Iaspis & Amethistus in dextera tua, Berillus, & Chrysolitus in sinistra tua, Iacinthus & Achates in pectore tuo, carbunculi scintillantes in monilibus tuis, Saphyrus & Smaragdus in digitis tuis.* Quid quæso hoc ornatu ad videndum pulchriùs, quid ad Regiam dignitatem, pompamque ostentandam locupletiùs unquam toto terrarum Orbe visum fuit?

M. preciosissimis virtutum gemmis exornata, opulentissima.

32. Celebratur à Cedreno lib. 4. cap. 30. Donum illud inæstimabile, ac venustissimum. Mensa illa preciosissima simul atque nobilissima, quam Iustinianus Imperator magnificentissimo illi S. Sophiæ Templo pro sua in Deum religione, ac pietate dono dedit; quam sane si quis attentius consideret, pulcherrimum Virginis Deiparæ Symbolum esse dixerit, siquidem ipsa Mensa panum propositionis à SS. Patribus, uti supra ostendimus vocitatur. Opus enim erat, ut ait Cedrenus nulla imitatione æquandum. Constabat porro auro, argento, omnisque generis lapidibus, lignis, metallis, omnibusque rebus quas terra fert, mare, & universus Mundus. Ex omni materia speciosa plura, meliora, potiora collegerat; liquatisque ijs, quæ fluunt, sicca illis immiserat, atque in formam mensæ absolverat. Denique ita varium, ita venustum, ita locuples Opus illud Donumque extitit, ut contuentibus magnam admirationem, stuporemque inijceret. In orbem denique sacra hæc Mensa hanc habuisse memoratur Inscriptionem, Cæsareæ in Deum pietatis pulcherrimum monimentum: *Tua de tuis offerimus servi tui Christe, Iustinianus, & Theodora; ea tu propitius accipe, Fili DEI Verbum, qui nostri causa carnem assumpsisti, & Cruci affixus fuisti, nos in tua recta fide conserva. Et quam nobis commisisti Rempublicam, eam ad tuā gloriam auge, & tuere. intercedente Sancta DEIpara Virgine MARIA.*

Iustiniani Imperat. Mensa S. Sophiæ Templo donata preciosissima.

Mensa Iustiniani B.V. Symbolum.

Iustiniani & Theodoræ Aug. in Christū pietas.

33. Celebratur à Scriptoribus Italicis Ioannis Galeazij, Vicecomitis profusa liberalitas, qua usus fuisse dicitur in Valentina sua ornanda filia, Regis Galliarum nuptura Filio. Siquidem fama est, datam ei Coronam auream lapillis preciosissimis, atque incomparabilibus distinctam, quæ mortalium oculos, animosque in summâ raperet admirationē. Donavit ad hæc 326. prægrandes, magnitudinis insitatæ, precijque uniones in 14. torques distributas. Munus sane adeo dives, ac locuples, ut mare Erythræum, ora Piscaria unionum, margaritarumque piscatione celeberrima, nec non Indi, Arabesque ad unicam locupletandam fœminam exhausti depauperatique fuisse viderentur.

Dona preciosa quæ Ioan. Galeazeus Valentinæ Filiæ in Nuptijs dedit.

34. Extollitur etiam Nuptiale Convivium Galeazij II. Ducis Mediolanensis à Paulo Iovio, sumptuosissimum, vix non prodigâ munificentiâ celebratum in gratiam Violantæ suæ filiæ; in quo 30. phialas gemmis preciosissimis locupletes, donativum plane Regium convivis proposuit. Eisdem convivis, remotis mensis, dono dedit equos 70. nobilissimos, ac generosissimos, preciosissimis ephippijs, auro fulgentibus instructos, ac splendidissimè phalerato. Tandem ut hujus Convivij lautitiam, rerumque

Opulentū Conviviū Galeazij II. Ducis Mediol. in Nuptijs Violantæ Filiæ exhibitum.

in

in eo propositarum ostenderet affluentiam Iovius, addit tantam ferculorum superfuisse copiam, ut alteri mensæ decem millia hominum accubuerint.

35. Ingentes sanè in donis hiscé verè Regijs profusæ sunt divitiæ, sed nullo modo, cum ijs quibus supremus Rex Donum hoc Virgineum locupletavit, comparandæ, quibus collatæ umbræ planè sunt, nihil sunt. Dixisse sufficiat ad ornandum Donum hoc preciosissimum, ac planè Divinum, Orbem universum suæ pulchritudinis, ac venustatis flore quodammodo, gloriâque spoliatū. Dixisse sufficiat gemmas illas, ac margaritas gratiarum quibus torques, ac Monilia Divinæ hujus Sponsæ exornata, ac locupletata sunt, de Thesauro Divinitatis, sicut & ejus Nomen augustissimum MARIA, teste Petro Damiano, fuisse deprompta. Quod nobis Divinissimæ illæ Personæ hujus Virginis creatrices; quarum singulæ peculiaria munera cœlestium charismatum ipsi conferentes, eamque exornantes, Diviniorem quandam Pandoram toti Orbi admirandam effecere; clarè indicârunt, cùm Cant. 1. illi dixere: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Quæ Murenulæ, ut alibi exposuimus torques, monilia, atq; inaures, atque adeò mundum muliebrem indicant.

Ad ornandam B.V. orbis universis suo decore quasi spoliatus.

B.V. est Donum omnibus reliquis opulentius utpotè à SS.Trinitate exornatum.

36 Ad cognoscēdas ergo Virginei hujuscé Doni opes, ac divitias, intellexisse sufficiat, ejus ornamenta, torques, monilia, gemmas, ac margaritas, ab Augustissima Triade, cujus ipsa dignissimum esse meruit Triclinium, fuisse collatas; quam nil modicum, nil vile; sed ingentia omnia, preciosissima omnia communicare, uti tantam condecebat Majestatem, oportebat. Quare in hac ornamentorum Divæ Virginis, & Heroinarum illarum comparatione, id dicere potiori jure possumus, quod Plinius in Trajani Imperatoris Panægyrico de ipsius rerum gestarum, cum alijs collata loquens gloria, pronunciavit: *Quanti tunc illi, inquens, quantus tu? Accidit quidē, ut corpora quamlibet ardua, & excelsa, procerioribus admota decrescant: item ut altissima dignitates collatione fastigij tui, quasi deprimantur, quantoq; propius ad magnitudinem tuam ascenderint, tanto etiam à sua descendisse videantur.* Nil verius si loquamur De Virgine nostra gloriosissima, qua nil grādius, ut loquitur idem Petrus Damiani, ut pote quæ immensum illum Gigantem utero suo comprehendit, cui hujus mundi Heroinæ omnes, earumque dotes, ac ornamenta collata, quantumvis sublimia deprimuntur, & à sua magnitudine descendunt: ita ut verè dicere liceat ipsi: *Quanta tunc illa Heroina, quanta tu?* Tu immensissima MARIA, ut inquit D. Bonaventura, cui illæ in divitijs spiritualibus collatæ, omnino Iro, Codroque pauperiores; in dignitatis eminentiâ, Locustæ, stilla roris antelucani, pulvis exiguus sunt, respectu hujus fœminæ de genere Giganteo. In divitijs ergo internis animæ nulla filiarum hominū ulla prorsus ratione cū B.V. conferenda est, quia licet multæ congregaverint divitias, uti supra ex S. Bonaventura ostendimus, hæc tamen sicut eminentiâ dignitatis, ut pote Mater DEI; sic opibus supergressa virtutum est omnino universas, proximèque ad divitias illas mentis Divinarum Personarum inenarrabiles accessisse visa est.

Divitiæ B. V. ineffabiles, quod à SS. Trinitate ei fuerint communicatæ.

Summæ dignitates collatione fastigij B. V. deprimuntur.

B. V. tanquam Gigantissæ Heroinæ omnes orbis collatæ, deprimuntur.

M. proximè ad divitias Divinitatis accessit.

37. Vnde si DEVS Pater *dives in misericordia*, ab Apostolo uti supra dictum memoratur, *propter nimiam charitatem suā, qua dilexit nos*, dando Filium suum pro dilecti Mundi salute; dives sanè & Deipara confenda erit, quæ & Mater misericordiæ, ac Regina dicitur, & eundem Filium suum, ardentissimâ in nos exstimulata charitate vix natum, in præsepe collocavit, Patriq; pro totius mundi salute obtulit.

M. uti Pater æternus dives est in misericordia

Qua in re aliquid majus ad pietatis, amorisque sui in humanum genus declarandas divitias, in Circumcisione præsertim operata videtur. Nam, ut S. Hieron. attestatur lib. de vera circumcisione. Ipsa Divini decreti jam conscia, Parvulo IESV, octavo ab ejus Nativitate vix elapso die, manibus suis benedictis in mundi redemptionem lapideo illo cultro piè sæviens, vulnus inflixit, ipsa in peccatorum totius orbis ablutionem sanguinem fudit. Verba S. Doctoris audite: *Christus octava die circumciditur à Matre, utiq; quasi homo, qui promissus fuerat ipsi Abrahæ.* Melliflui item Bernardi, qui idem affirmavit Tract. de Planc. Virginis: *Virgo Christum genuit, lactavit, octava die circumcidit.* Et licet Patris æterni in genus humanum Amor Filium suum proprium nobis tradendo, sit infinitus, utpote idem essentialiter cum Divina ejus essentia, nihilominus tamen Amor DEIparæ illum quodammodo excedere videtur, cum

M. amore nostri parvulo vulnus inflixit in Circūcisione.

M. Filium circumcidit, ut docuit Hier. & Bern.

cum ipsa proprium Filium tradere non contenta, manibus proprijs in illum piè sævierit, illi vulnus inflixerit, sanguinemque, quo mortalium quantocius acceletaretur redemptio, profuderit.

38 Quæ sanè res, æquâ cōsiderationis trutinâ ponderata omnes in summam merito rapere debet admirationem. Vnde facile crediderim sanctissimum Virginis DEIPARÆ Secretarium, ac Evangelistam Lucam factum hoc contemplantem, adeo mente hæsisse attonitum, ut eum verba deficerent, nihilque aliud enunciare, litterisq; suspensâ, trementique dexterâ consignare valuerit, quam principium, finemque duntaxat lamentabilis illius actionis, relicto medio (pia videlicet Matris verè admirabilis, cum Amore in Filium luctante sævitiâ, relicto, inquam, Matris dolore, ac cordis anxietate cum vagitibus, lacrymulisque Parvuli decertante) Quis hic verè inæstimabiles has Virgineæ pietatis divitias non obstupescat? siquidem Filium suum ad imitationem æterni Patris tradere non contenta, eundem, amore materno heroicè triumphato, ferire, ejusdem sanguinem è venis piâ crudelitate elicere, charitate in humanum genus extimulata, non dubitavit? Nonné ergo Munus hoc nobilissimum, & dignissimum verè preciosum, verè dives dicendum est, utpote quod tantas virtutum planè Divinarum opes (quæ ei ad Divinæ Maternitatis dignitatem adipiscendam iter strauere) in sese tanquam opulentissima officina, contineat.

S. Lucas breviter Christi circumcisionem exposuit, qa facto illo hæsit attonitus.

M. in circumcidendo Filia pia crudelitas.

39. Quare nil mirum à Divo Ioanne Damasc. orat. 1. de Nativ. B. Virginis dici, eam ob tantarum virtutū divitias, super omnes res à Deo conditas exaltari. Sic enim ille Deiparam recens adhuc natam (in qua vix virtutum illarum primæ erant à supremo mundi Artifice deductæ lineæ) insigni pietatis sensu alloquitur: *Sanè res omnes conditas dignitate antecelluisti, ex te enim sola summus ille opifex partem assumpsit, hoc est massa nostra primitias. Caro ipsius ex carne tua, & sanguis ex sanguine tuo, & lac ex mammillis tuis suxit DEVS, ac labia tua, DEI labijs unita sunt.* Quarum gratiarum perculsus admiratione exclamat tandem: *O miracula mentis captum, atq; orationis facultatem excedentia! Te rerum omnium DEVS dignam praenoscens amauit, amatam prædestinavit, extremisq; temporibus in lucem produxit, DEIq; Matrem suiq; Filij, ac Verbi nutritiam effecit.*

MARIA cunctas creatura dignitate superávit.

Quis igitur Reginam hanc cœlestem hujusmodi virtutum præclarissimarum opibus, ac varietate, velut Regia cyclade circumdatam, atq; amictam, Donum verè opulentissimum, ac ditissimum, Divinæ Majestatis conspectibus in Templo à Ioachimo, & Anna præsentatum non arbitrabitur?

40. Neque verò solum Virgineum Donum hoc, dives, ac preciosum, verumetiam pulchrum extitit; sive enim ejus exteriorem formam (quæ nunquam cum ætate, ut in reliquis mortalibus cōsuevit, ad instar flosculorum, Vere prætereunte vel elanguit, vel emarcuit) sive interiorem animi ejus pulchritudinem, quæ in sanctitate consistit, spectemus, semper sibi constans, semper sibi similis, à primo suæ immaculatæ Conceptionis instanti extitit, adeoque excellens, atque eximia, nulla ut creata Venustas ei fuerit unquam comparanda. Vnde merito illi sæpius ingeminat sponsus: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra.* Cant. 1. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra!* Cant. 4. *Pulchra es amica mea, suavis & decora sicut Hierusalem.* Cant. 6.

M. Donū pulcherrimum.

De utraque hac pulchritudine S. Bonaventura Psalm. 1. illi modulatus est: *Vniversas fœminas vincis pulchritudine carnis: superas Angelos, & Archangelos excellentiâ Sanctitatis.*

41. Vt ostendat denique cœlestis Sponsus in hac Virginum venustissima pulchritudinem, omni ex parte perfectam, omni peccati labè carentem, ac penè Divinam semper extitisse, summâ animi gestientis lætitiâ, ac complacentiâ ipsi acclamat Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quod elogium planè singulare Cœlius Pannonius sacri Ord. S. Pauli Primi Eremitæ Vir & literis, & pietate in primis conspicuus Comment. M. S. in Cant. quæ habere licut ex Monasterio celeberrimo ejusdem Ord. Lypoglavæ in Croatia, à Ioanne Coruino magnificentiâ planè Regiâ fundato; elogium, inquam, hoc expendens Cælius, illud ad Ecclesiæ, tum B. V. laudes transtulit pervenustè, ostenditque tam Ecclesiam, cujus præcipuum membrum, post ejus caput, nempè Filium Virgo extitit, quā ipsam eandem Virginem DEIPARAM pulchritudine, interiori præsertim, omnibus numeris absolutissimâ præditam fuisse:

Cælius Pānonius defendit immaculatā Cōceptionem B. V.

M. præcipuum Ecclesiæ mēbrū, totâ Ecclesiâ nobilius.

Sic

Sic igitur ille: *Magnum hoc Canticum est, & decorum, plenum Maiestatis & refulgentiæ, cujus partes membratim per totum hoc caput, velut gemmantia nitent sydera. ut quam totam hic prædicat pulchram, deinde per partes admiretur, & commendet. Vbi illud in primis in considerationem revocandum arbitror, quod scribit D. Augustinus super eo verbo Genesis: Vidit DEVS cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. quia si unaquaq; res habet in genere suo mensuras proprias, numeros, & ordines: quanto magis omnia simul, & universitas ipsa, quæ istis singulis in unum collectis completur: Hinc Alexander Milesius, itemq; Greg. Nazianz. dixêre; laudabilem quidem Mundum esse pro suis quibusvé speciebus, sed multo laudabiliorem, ex harmoniâ omnium; ideoq; rectè prosequitur D. August. Omnis enim pulchritudo laudabilior est in toto, quam in parte. Et major pulchritudo est totius corporis, quam nasi, aut oris, vel genarum. Pulchrior est item sermo compositus ex dictionibus & clausulis suis, quam sint ipsa verba, aut particulares sententiæ. Iucundiorq; est cantus ex omnibus vocibus, & consonantia multorum, quam unius tantummodo, quamvis sonoræ vocis. Sic Mundi universitas pulchrior, meliorq; est, quàm ipsius partes & membra. Ideò completa fabrica dictum est; quod omnia erant valdè bona, perfecta scilicet in suo Toto.* Hæc Cælius Pannonius. Quæ sanè omnia potiori jure de gloriosissima Virgine nostra, quam Mundum, hoc longe ampliorem, ac nobiliorem, utpote Archetypum, Cœlestem, ac Sublunarem pulcherrimè in se repræsentantem deprædicamus, dici posse videntur. Ipsa enim, & in partibus, & in toto plane venustate sua admirabili totum hoc post se relinquit Vniversum. cum totius pulchritudinis fonti, ut pote Mater ipsius electa sit vicinissima. Vnde prosequitur idem Cælius: *Et hæc quidem in suo esse. Modo, si vera docent sapientes, quod tantum res sunt bona, tantum deniq; pulchræ, ut addunt Academici, quantum magis summum Ens, summum Donum, summum Pulchrum, à quo omnia bona, & pulchra, juxta eius participium. Hinc adstruunt Theologi nostri, Naturam humanam perfectiorem esse post lapsum, quam antea, quia Christo DEO unitâ, tanquã Regio monili ornata est, Divinoq; stemmate, & prosapiâ decorata, ex hac in Christo regeneratione, & majori communione cum DEO. Cum igitur tanto unumquodq; pulchrius est, & melius, quanto plus de summo Pulchro, & summo Bono participat, constat Ecclesiam (addiderim ego; & multo magis Dei Matrem, quæ in Christo est, imò in ipsum quodammodo transformata) omnes eius virtutes participat, pulcherrimum omnium, & optimum esse. Quæ à cœlis lapsa à DEO, describitur, habens charitatem DEI, pulchritudine admirabili, simile lapidi Iaspidi, qui virore visum delectat, specie crystallinâ, quæ etiam naturam Iaspidis, qui crassi coloris est, superat: ut non sit in ea nisi claritudo gratiæ, abstersâ densitate peccati, & tota pulchra sit, pulchritudine ducta ab uno Pulchro, à quo omnis pulchritudo, & sine quo pulchrum nihil. De quo (ut liceat prodere, inq; sacra prophana miscere) sciscitabatur Socrates ab Hippia Philosopho, autore Platone in Hipp. Maiore; qui cum artium multitudine prior omnibus, eloquentiâ, nulli secundus habe-retur, dictus Omniscius, (ut tradidit Apuleius) interrogatus à Socrate: Quid esset Pulchrum, respondere non potuit, quippe cum omnis Philosophorum cognitio dependeat à sensibus. DEVS autem semotus sit ab omni sensu, dicente Apostolo: DEVM nemo vidit unquam, sed nec videre potest, qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, 1. Timoth. ult. quem solum homo Ethnicus, & Philosophus suspicabatur Pulchrum, ut res erat, cujus notio eum fugiebat, ideoq; mirum non est, si respondere nescierit. Nam ut Plato in Timeo ait; Opificem, Genitoremq; Vniversitatis tam difficile est invenire quam inventum dignè profari. Proinde cum Simonides quæreretur à Hierone Tyranno; Quid esset DEVS? poposcit ad deliberandum triduum, & hoc expleto, iterum triduum; & rursus triduum. Cumq; urgeretur à Tyranno, professus est, se tanto plus deficere, ab investigando, quanto plus investigaret. Quod si Pulchrum est, quod caret maculâ, in debita membrorum proportione, ac totius corporis compositione, vultu decenti, & oculis vivacibus, genis purpureis, & reliquis, quæ ad nitorem pertinent: Sponsa equidem pulchra Christo est, quia sine macula peccati, & tota corporis compositione æquabilis, in qua sunt ordines, de quibus meminit Apostolus: Quia quosdam quidem DEVS posuit in Ecclesia, primum Apostolos, 2. Prophetas, 3. Doctores, deinde virtutes, &c. 1 Cor. 12.* quæ partium proportio: invenitur quoque in Virgine, si attentius ejus virtutes considerentur, quibus illa quoddam quasi spirituale corpus, imò & benè ordinatum exercitum conficit. Quod si ipsarum virtutum facies penitius intueamur, coloris quoque suavitatem in hac pulchritudine, non erit quod desideremus.

Canticũ Canticorũ magnũ Canticũ plenũ Majestatis.

Natura humana ob unionẽ hypostaticam cum Verbo perfectior post lapsũ

B.V similis cœlesti Hierusalẽ habenti claritatẽ Dei.

Hippias Philosophus Omniscius.

Hippias quæsitus quid esset Pulchrũ, respondere nescivit.

Devs solus Pulcher

Cognitio Dei quam difficilis.

42. Vt ostendat porrò Vir in Virgi-

 nem

nem pijssimus pulcherrimum DEI Donum fuisse Virginem, docet etiam illam totam pulchram, & absque ulla maculâ originalis etiam peccati, à primo purissimæ ipsius conceptionis instanti extitisse, venustateq; quadam, decoreq; admirabili, ac propemodum Divino exornatam, ac proinde Ecclesiâ longè formosiorem, cujus originale peccatum aquâ baptismatis deletur. Quod enim est Ecclesia DEI in particulari, hoc est & in universali. Sic igitur de immaculata, omni tam originalis, quam actualis peccati nævo carente Deiparæ venustate: *Porro celebratur hoc Canticum decantatissimum, & de DEIpara Virgine per appropriationem (addiderim ego sensu litera, & quidem primario) quæ ideo tota pulchra fuit, quia in ea nulla macula fuit, nec Originalis, nec actualis peccati, ut puriores Theologi cantant.*

Cœlius Pannonius afferit Immaculatã Conceptionem B.V.

Decuit quippe summè puram esse, quæ Candorem lucis æternæ, & speculum sine macula, conceptura, & intra viscera gestatura erat. quæ singulari gratiâ præservata fuit, ut non penetraret ad eam labes ista Connaturalis: quando corpus afflatu Spiritus consecratum, suscepit animam in plenitudine gratiæ creatam. Quod citra altercationem potuit DEVS facere, & fecit; alioquin non tantum honorasset Pater Filium, si Matrem aliquando infamiæ malum subijsse passus esset. Quem alioqui summè honorificari voluit, atque iccirco hominem quoque fieri, ut tanquam Redemptor ab omnibus honorificaretur in cœlo, & in terra, & etiam apud Inferos, ut docet Apostolus Phil. 2. Sed decor quoque virtutum omnium illius pulchritudini accessit, quatenus nihil esset in ea non summè pulchrum summèque admirabile, ac denique summè amabile, ut puta, quæ toto cumulo virtutes omnes laudatissimè in se contineret. Hæc Cælius.

B.V. purissima fuit, quia Candorem lucis æternæ erat cõceptura

Si B. V. Cõceptio fuisset maculata, Pater non tantùm honorasset Filiũ,

43. Ejusdem Virginei Doni pulchritudinẽ omnis Genitalis maculæ expertem celebravit Pater Ioannes Posoniensis ejusdem sacri Ordinis Religiosus, qui vixit circa Annum Domini 1488. serm. M. S. de Concept. B. V. qui ubi idem illud Thema: Tota pulchra es, &c. proposuisset, ita sermonem illum auspicatur: Monet Apostolus Romanos c. 13. Hora est nos de somno surgere, id est, cœcitate & ignorantiâ, qua multi in hodiernum usque diem ita tenentur, ut nequaquam cognoscere possint, aut velint gloriosam V. MARIAM à peccato Originali fuisse præservatam, eique omnem pulchritudinem gratiæ, cujus creatura capax esse potest, tanquam dilectissimæ Parenti communicatam negant. Qua sentiendi libertate, Divinæ Omnipotentiæ circumscribere videntur limites, cum tamen ipsa Virgo, omnes Divinæ Omnipotentiæ in se formanda, donisq; Naturæ, ac Gratiæ exornanda, exertas fuisse quodammodo vires fateatur, dum ita modulata est: Quia fecit mihi magna qui potens est. Si enim potuit DEVS facere majora, quæ etiam fecit, procul dubio poterit & minora. Majus enim est materiam primam, atque adeo Universum, ex nihilo, ut & Angelicam naturam; eamque sine peccato, in omni justitia, & sanctitate creare; quod si facere hæc magna potuit, potuit etiam facere, quod minus est, præservare videlicet suam mellifluam Matrem ab originali peccato. Potuit idem Virginis Filius absque ullo addito, & sine rarefactione multiplicare quinque panes, & de costa Adæ formare Evam Matrem omnium viventium. Cur non potuit etiam suam dilectissimam Matrem ab omni macula imunem reddere? Si denique creare potuit formam ab alio dependentem, & per se stare potentem, qualis anima rationalis est, quæ semper, utpote pars, inclinat ad corpus ut Totum, & tamen per se stat in cęlis collocata. Cur igitur non potuit, & Matrem suam, quæ secundum ordinarium Naturæ cursum ad peccatum Originale contrahendum, utpote Adami filia, inclinata erat, peculiari suâ gratiâ præservare, ipsamque solam jubere, inter natos mulierum, sine omnis peccati macula per se stare? Hæc fere Pater hic erga Virginẽ devotissim⁹.

P. Ioãnes Posonien. Ord. S. Pauli Primi Erem. Imaculatã Concept. propugnat

B.V. ab originali macula præservata à DEO quia potens est.

44. Ex quibus omnibus mirifica, ac vix non Divina quædam Virgineæ Pulchritudinis, ac Puritatis, à prima sua origine excellentia enitescit. Vnde eam sæcula omnia, omnes Ecclesiæ penè Ordines, Pontifices Iulius II. Leo X. Alex. VI. & Xistus IV. & alij Prælati, etiam Reges, ac Principes; Inter quos jure adnumerandi sunt Primi duo Imperatores Austriaci Ferdinandi II. & III. Reges quoque Catholici Hispaniarum, qui summis studijs à Sede Apostolica, ut in favorem Virginis hoc decerneretur, institerunt. Certè de Ferdinando II. P. Guilelmus Lamormayni qui ei pluri-

bus annis fuit à Confessionibus lib. de ipsius Virtut. cap. 7. ita posteritati ad perpetuam tanti Principis gloriam testatum reliquit: *Ardenter cum Romano Pontifice egit, ut Virginem sine originali macula fuisse conceptam, pronunciaret. Hoc idem officij à Ferdinando Filio, cum ipso Concepta Virginis die An. 1625. Vngariæ Rex inauguratus esset, factum esse magnopere gavisus est. Quandocunq; vel sua confessurus peccata formulam Ecclesiæ consuetam præmittebat, vel etiam alias recitabat, & DEO confitebatur, post DEVM, adiungebat: Beatissima & semper Immaculatæ Virgini.*

B.V. Conceptioné sine macula totus penè Mundus prædicat.

45. Eandem Religiones etiã ferè omnes antiquissimæ, & Academiæ, pleræq; unanimi consensu, immaculatam pleno ore deprædicãrunt. Quâ de re videndus Spondanus Episcopus Narbonensis in suis Annalibus ad Annũ Christi 1494. Certè Alphonsus Rodriquez noster, Marthæ ministerijs addictus Frater, rerum Divinarum cognitione cœlitus ob singularem in Christum Dominum, ejusque Matrem, quos suos Amores, tenerrimo affectu appellare consueverat, illuminatus, ajebat, ut scribit Bourghesius in sua Societate Virgini consecrata cap. 10. hanc unam esse causam inter cæteras institutæ Societatis à DEO per B. Ignatium, ut immaculatam Conceptionem DEIparæ, omni cum doctrinæ, tum eloquentiæ copiâ tueretur, totoque Orbe, quo diffusa est disseminaret, atque evulgaret. Atque hoc tanto animi confirmabat ardore, tanta, Divini Spiritus vehementiâ, ut nihil unquam pari pronunciârit affectu. Neque de suo id se promere, atque asseverare; aut esse id à se excogitatum, sed haustum de cœlo, à Beatissima Matre se id accepisse, & didicisse, aiebat. Quamobrẽ ipse à 40. ampliùs annis ante obitum Officium ejusdem Conceptionis, quam ipse præcipuè colebat, & altiùs præcordijs impressam gerebat, piè quotidie recitabat, alijsque, ut idem recitarent, autor erat.

Alphonsus Rodriq;z sensit Societaté à DEO excitatem, ut Matris ei9 Concept. defenderét.

46. Eumdem sensũm primi illi minimæ Societatis nostræ Decemviri habuisse visi sunt; dum omnes immaculatam Virginis DEI Parentis Conceptionem, suis ad populum sermonibus, ac concionibus, privatisque cum proximo spiritualibus colloquijs celebrabât, Ad quod faciendum solenni juramento in Academia Parisiensi antequam Doctoratus Laureâ insignirentur, sese adstrinxerunt. Atque ut reliquos missos faciam brevitatis ergo, P. Iacobus Laynez in illo amplissimo totius Orbis theatro, Concilium intelligo Tridentinum, cùm de hoc Mysterio disceptaretur, & ab eo rogata esset sententia, primùm infirmæ valetudinis usus excusatione, quod gravissimè quartanâ laboraret, non posse se quod maximè optabat, & argumenti dignitas exposceret, perorare; tamen pro eo, quo erga DEIparam pietatis ardore ferebatur, eâ corpori imbecillo sufficiente vires, tres ipsas dixit horas pro asserenda Virginis immaculatâ Conceptione, tot productis SS. Patrum appositis testimonijs tot exquisitis, summique ponderis rationibus, eâ sententiarum copiâ, & gravitate, ut summâ cum omnium approbatione permoverit gravissimos illos Concilij Patres ut in illud Sessionis 5. de originali peccato Decretum hæc referrent; *Declarat tamen hæc S. Synodus; non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur Beatam & immaculatam Virginem MARIAM DEI Genitricem, sed servandas Xysti IV. constitutiones.* Dixit autem Laynez firmis lateribus, robur ipsi suppeditante DEIparâ, in exitu orationis, quam in principio valentior; cujus auxilio, ut à nonnullis fertur, in hujus suæ in illam pietatis præmium, ab eo tempore febri omninò in posterum liberatus est. Quam plurimi alij Societatis nostræ fuere Patres, qui pro suo in DEIparam affectu & scriptis, & concionibus immaculatam ejus Conceptionem, pro vocationis suæ munere deprædicârunt.

Soc. nostræ Primi X. Patres omnes Concept. B.V. defenderunt.

Laynes in Trident. pro illa tribus horis dixit, & quartanâ liberatus est.

47. Quid P. Petrum Ægidium memorem, de quo P. Philippus Alegambe lib. de Script. Societatis hæc memoriæ prodidit: *Divini cultus incrementum, quoquo poterat modo procurabat, sive domesticis suam navaret operam, sive alios Clericos sacris Ecclesiæ ritibus informaret. Nec minore curâ B. V. cultum, ac venerationem augebat. Eius certè pietati, ac diligentiæ debet Academia Barcinonensis Votum illud, quo se obstrinxit propugnandi semper, immaculati eius Conceptus prærogativam.*

Academia Barcinonẽsis B.V. Concept. defendendã se voto obstringit

48. Quid de P. Ioanne Lorino Viro doctrinâ, ac virtutibus illustri dicam? quem Henricus Fitzsimon in Britannomachia

P. Ioannis Lorini zelus defendendæ Cõcept. B.V.

machia vocat alterum Longinum Cassium, legendi assiduitate spirantem quandam Bibliothecam, Ambulans Musæum, & inter Scriptores solertissimos, accuratissimum; quam ille solertiam ingenij, industriamque licet in omnibus suis lucubrationibus clarè ostendit, ostendit tamen vel maximè in honore immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis amplificando, adeò ut idem Alegambe hæc posteriti de ipso mandare non dubitârit: *Colenda DEI para studium ingens, eiusq; in alijs excitandi cupido. Nihil omisit operæ, ut immaculatam eius Conceptionem Italia, Hispania, Galliaq; universa persuaderet; eoq; adnitente Dolana Academia sancivit, ne quis Laureâ Doctorali ornaretur, qui eam de Conceptione sententiam, dum nihil aliud definiret Ecclesia, propugnaturum se iuratus non promitteret.*

Academia Dolana voto se obstrinxit ad defendendam B.V. Concept.

49. Quid de P. Ioanne de Pineda? De eo certè inter alia idem Scriptor: *In Beatissimam Virginem tenerrimo fuit, ac filiali prorsus affectu, cuius honori quantum studuerit, vel Hispalis ipsa testis est, in eâ Celebratione quâ Conceptus eius immaculatus publicè ibi assertus est; meditabaturq; extremam lucubrationem de Nominibus Matris DEI conscribere, quâ laborum suorum periodum concludere, & sua in eam devotionis documentū exhibere.* Sic ille. Porrò sciēdū illam immaculati Virginis Conceptus Hispali eo tempore, summâ cum solennitate factā esse celebrationem, quo Paulus V. severissimo diplomate vetuit, ne ulli ampliùs vel scriptis, vel concionibus, vel disputationibus asserere liceret Deiparam in peccato originali fuisse conceptam. Quo accepto diplomate quantis lætitijs tota Hispania & Hispalis ipsa incesserit exprimi vix potest. Certum est audita P. Pinedæ ornatissima Concione, Hispalenses opere Phrygio, telam preciosissimam adornasse, ut scribit Bourghesius in sua Societate Mariana cap. 21. suæ in Virginem Matrem sanctissimè conceptam, observantiæ monumentum perpetuum, in qua maximis charecteribus ex gemmis & adamantibus intexta erat hæc inscriptio: *Beatâ Virgo MARIA concepta est sine peccato.* Opus hoc adeò elegans, adeò preciosum fuit, ut 80. millibus ducatorum stetisse perhibeatur. Quam grata verò hæc summi Pontificis de immaculatæ suæ Matris puritate Christo Domino Splendori Paternæ gloriæ acciderit declaratio, vel inde elucescit, quod illustrissimo prodigio eam voluerit comprobare. Addit enim idem Bourghesius: Quo die Madritum Cursor Regius Pontificium diploma Pauli V. detulit, ubi ex equo descendisset, ferunt lampadem nocturnis tantùm horis coram Imagine Conceptæ purissimè Virginis accendi solitam medio foro, clarâ die, eo ipso quo Cursor appelleret momento, cunctis obstupescentibus, spontè ardere cœpisse, consumptoque exiguo quod à præterita nocte supererat oleo perdurasse flammam, ipsâ, quæ supposita erat aquâ ignis fomentum suppeditante. Ad quod excìti spectaculum proximâ nocte innumeri propè mortales convenêre, vigiliasque, stupore defixi produxêre. Quæ sanè miraculosa, ac prodigiosa lux toti Hispaniæ manifestare visa est, potuisse simulque voluisse dilectissimam Matrem suam universæ Creaturæ Dominum, longè clariori primigeniæ Sanctitatis luce in ipso immaculatæ ejus Conceptionis instanti, pro eâ quâ pollet in res omnes omnipotentia, radiare.

Ioañis de Pineda nostri zelus pro Concept. B.V.

Cōceptio imaculata gemmis & adamantib9 scripta

Lampas ante Imaginem immaculatæ Concept. sponte accenditur, & aquâ vice olei arsit.

50. Quid memorem denique P. Iacobum Granadum genere Hispanum, patriâ Gaditanum Virum inter prima Societatis columina numerandum, doctrinâ, ac Sanctitate clarum, utpotè qui baptismi stolam, nullo crimine unquam defœdatam, excellentibus etiam virtutibus, Societatem ætatis suæ anno 14. ingressus exornavit. Hic certè, ut eodem libro testatur P. Alegambe adeò B. V. impensè secundùm Filium colebat, ut in ejus Rosarij recitatione à se abriperetur interdum, nec ad fores cubiculi audiret, nec ad se intrantem animadverteret. Immaculatam ejus Conceptionem & scripto luculenter libro, & verbo passim publicè, privatimque asseruit. Cujus etiam Officium quovis die Sabbati pro nostris recitandi facultatem in Boetica impetravit. Quibu obsequijs crediderim eum adeò sibi demeruisse Deiparam, ut illum insigni & doctrinæ, & Sanctitatis luce, utpotè quæ Illuminata & Illuminans vocitatur, perfuderit. Quare jure merito à quodam de subsellio Doctorum dictus est, acumine ingenij subtilis, gravitate Seraphicus, claritate Angelicus. Crediderim etiam hoc præclaro Conceptionis immaculatæ cultu id eum in primis fuisse

Iacobi Granadi affectus erga B.V. eiusque Concept.

In Rosario recitando alienatur à sensibus.

B.V. gratiâ gratus Deo pro beneficijs.

fuisse consecutum, ut mirificè Creatori suo pro acceptis gratus foret beneficijs. Vnde diei illius quâ Societatem ingressus est memoriam, quot annis dum vixit, ita celebravit, ut toto octiduo consuetæ orationi adderet semihoram coram Venerabili Eucharistia, aliaque pietatis officia multiplicaret. Paribus studijs excipiebat annum sui baptismi; nuncupationis item votorum, & initiationis Sacræ, quâ creatus est Sacerdos; ac demum professionis suæ solennis recursum. Quam pulcherrimam gratitudinis virtutem, docente didicisse visus est Deipara, quæ tot se Divinitus beneficijs cumulatam admirans dulcissimum illud laudis, quo Deum magnificavit Canticum, modulata est.

Iacobus Granadus sibi adversantes fovebat.

Ejusdem fortassis Magisterio didicerit singulari studio fovere eos, à quibus adversa patiebatur, ut passim apud alios constaret, non aliud ipsum sibi demerendi potentiùs, aut efficaciùs inventum esse. Denique hâc suâ in Deiparam, immaculatamque ejus Conceptionem pietate censuerim eum illo tam eximium affectum fuisse beneficio, ut mortis accepto nuncio ita exhilaratus sit, ut elatis in cœlum manibus diceret: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus;* ac tandem Sacramentis omnibus munitus, placidissimè moreretur; vultusque ei serenior vitâ functo esset, quam viventi.

Lætus moritur gratiâ B. V.

51. Horum ego, aliorumq; quamplurimorū insignium minimæ Societatis nostræ Virorum permotus exemplo, ac præsertim auctoritate Virginis Societatis nostræ primæ post Deum Auctricis; ac in primis Filij ejus voluntate compulsus, qui Ordinem hunc, ut paulò ante memoravimus, ad amplificandum honorem, gloriamque immaculatæ Conceptionis suæ benedictæ Matris erexit, libenter, animitusque, ubi fert occasio digredior, & in tanti Mysterij, tamque Divini; quo Salus Mundi, ac omnium nostrum instauratio inchoavit, laudum excurro, pro modulo meo, præconia, eaque dilucido, ut ijs habeam; quemadmodum ipsa promittit vitam æternam; deque illa interna animi ejus venustate, puritate, ac perfectione ex omnium Angelorum Hierarchijs, ex omnibus Beatorum Ordinibus, atque adeò ex creaturis omnibus collecta, ac decerpta aliquâ ratione, ipsâ communicante, participem, eique cum Seraphico ipsius Psalmista Psalm. 25. filiali confidentia possim dicere: *Domina dilexi decorem faciei tuæ, & veneratus sum sanctam Maiestatem tuam. Ne auertas faciem tuam à me, quia speciem & decorem tuum à iuventute mea concupiui. Te amaui, & exquisiui Regina cœlorum, misericordiam, & gratiam tuam ne subtrahas à Servo tuo; sed pro ingenita tibi pietate illos misericordes oculos ad nos converte*, ut eos quoque cum eodem valeamus benedicere, eorumque veluti clarissimorum syderum benignos experiendo influxus amanter dicere Psal. 22. *Benedicti sint oculi tui splendidissimi, quos digneris misericorditer convertere super nos peccatores. Benedictum sit lumen, & splendor faciei tuæ, benedicta sit gratia vultus tui. Psal.* 40. *Pulchra es, & clara, ut Luna plenissima, & tanquam Sol refulget sacer aspectus tuus. Splendor Solis super caput tuum, Lunaris pulchritudo sub pedibus tuis. Decor pulchritudinis tuæ corruptionem non videbit, & vultus tui gratia in perpetuum nō marcescet.*

B.V. Pulchritudo spiritualis amanda.

S. Bonau. affectus in B. V.

52. Iam tandem ad Virginei hujuscè Doni pulchritudinem in se contemplandam revocemus orationem; quæ quanta, qualisue extiterit, vel ex hoc licet colligere, quod Dei Filius de utero, sinuque Patris, velut domicilio pulchertimo, atque ornatissimo, Sanctorum purissimis splendoribus decorato descendere, in uterumque Virginis venire, inibique commorari, ejus loci pulchritudine, atque amœnitate captus, non dubitaverit. In sua enim decreverat æternitate Dei Filius Matrem sibi purissimam, pulcherrimamque, omnibus tam Naturæ, quàm Gratiæ dotibus decoratam eligere; unde ipsi mox conceptæ ea virtutum, gratiarumque contulit ornamenta, quæ tantæ Majestatis vivum; animatumque condecebant Domicilium.

M. Pulchritudinem adamavit Dei Filius cùm in ejus descendit uterū.

53. Atque ita ante ipsius etiam Incarnationē, tanto sanctitatis nitore refulsit Deipara, quanto post Deum nulli creaturæ decorari licuit. Hinc ipsa gloriabatur: *In me omnis gratia vitæ.* Ec. 24. Quasi diceret: Quicquid gratiæ in vita Angelica cujuscunque tandem Hierarchiæ; quicquid gratiæ in vita humana, in statu Virginum, cœlibum, aut conjugatorum; quicquid gratiæ in statu Religiosorum: quicquid denique gratiæ, quicquid boni, & pulchri in vita ipsorum Beatorum, æternâ fœlicitate in

In Maria gratiæ omnes quæ reperiuntur vel in vita Angelica vel humana.

in cœlesti curia gaudentium reperitur, totum in me contulit, meque gloriosam quandam suam Divinæ Potentiæ, Sapientiæ, ac Bonitatis, Puritatis, ac Sanctitatis, reliquorumque attributorum, ac perfectionum Divinæ Majestatis, velut ostentationem, ac pompam effecit, quo dignum tantæ Majestati redderet domicilium.

54. Quâ de re præclarè, ut assolet S. Anselmus lib. de Concept. Virginis cap. 18. *Quamvis*, inquit, *de mundissima Virgine Filius DEI verissimè conceptus sit, non tamen hoc eâ necessitate factum est, quasi de peccatrice parente iusta proles rationabiliter generari per huiusmodi propagationem nequiret. Sed quia decebat ut illius hominis Conceptio de Matre purissima fieret. Namq; decens erat, ut eâ puritate, quâ maior sub DEO nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui DEVS Pater unicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat; ut naturaliter esset unus, idemq; communis DEI Patris, & Virginis Filius, & quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem eligebat, & de qua Spiritus S. volebat & operaturus erat, ut conciperetur & nasceretur ille, de quo procedebat.* Vbi Vir devotissimus Virginis Beatissimæ, pulchritudinem, ac puritatem uteri Virginalis, cum utero æterni Patris quodammodo conferre visus est; perinde, ac si eâdem puritate, ac sanctimoniâ, eisdem gratijs, ac spiritualibus delicijs Paradisus uteri purissimi, quibus Paternus uterus circumflueret; ac perinde illi esse volupe in MARIÆ, atque in Patris sinu deliciari: tanta erat inter utrumque similitudo. Vnde sicut in utero Patris accepit figuram ipsius substantiæ, ejusdemque substantialem Imaginem, ac formam DEI: sic in utero purissimo existens Matris accepit formam hominis, in eum quodammodo vi amoris transformatus.

B.V. puritas qua maior sub DEO nequit intelligi.

Sinus Patris cum utero Matris Virg. collatus.

55. Hinc P. Franciscus de Retza Ordinis Prædicat. Tom 1. in Salve Regina M. S. *Vterum hunc Virginalem ait esse formam cui Imago Patris æterni imprimitur, & ad quam Imago Patris æterni figuratur, & figurata cernitur.* Quod ille pervenustâ declaravit similitudine cucumeris, vel cucurbitæ, quam ut scribit Palladius lib. 3. de Agricultura, si prout est in vite sua, vase aliquo sive ligneo, sive lapideo sculpturam faciei humanæ habente, ligaveris, crescit sculpturâ illâ figurata cucurbita: *Sic revera*, inquit Retza, *Vas mundissimum est gloriosæ Virginis venter & uterus, naturali dispositione forma hominis expressivus. Vterus hic verè est Vas nobilissimum ab æterno dispositum ad DEI Filium suâ figurâ figurandum; de quo sic canit Ecclesia:*

B.V. Vterus est forma cui Imago Patris imprimitur.

Ab æterno Vas prævisum
Vas insigne, Vas excisum
Manu Sapientiæ.

B. V. Vas insigne Filij DEI.

In hoc humanæ similitudinis Vase, charitate fuit ligatus DEI Filius per Incarnationis Mysterium, qui est Imago DEI invisibilis; de quo dicitur Sap. 8. Quod sit Speculum sine macula DEI Maiestatis, & Imago Bonitatis illius. Hæc igitur Imago accepit formam, dum in forma hominis figuranda, mundissimum Virginis Ventrem benedictum subiens, sicut cera liquefacta accepit figuram secundùm sigillum sibi impressum. De quo dicitur Eccli. 17. Ad Imaginem suam creavit illum, & vestivit illum virtute. Quod licet verum sit de omni homine, tamen hoc specialiter intelligitur de Salvatore. Figura autem, in qua Imago est formata, est venter Virginis, in quo DEI Filius factus est speciosus forma præ filijs hominum. Vnde dicit Sponsa Cant. 2. Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus, lectulus noster floridus. Pulchritudine enim florum lectuli significatus est pulcher & decorus secundùm naturam hominis, semper tamen retinens secundùm DEVM pulchritudinem DEI Patris. Sic enim Imago Patris facta est ad Imaginem Matris, & Figura substantiæ Patris configurata est Imagini Matris. Et nos sicut dicit Apostolus 1. Cor. 17. priùs portavimus Imaginem terreni, scilicet Adæ, terrena diligendo, & deinde Imaginem cœlestis, scilicet Christi, Iustitiam, & veritatem sectando, ut ait Glossa. Christus autem è contra ab æterno, & priùs Imaginem cœlestis habuit, & Imaginem terrestris posteriùs in Ventre Virginis, terrenis Parentibus configuratus accepit, ut sic nos è terrena Imagine educeret ad cœlestem ipsius conformationem, & hoc est quod dicitur Rom. 8. Quos præscivit conformes fieri Imaginis Filij sui, hos & vocavit; & sic ipse DEI Filius quasi unus ex nobis factus est, formam servi accipiens humanæ figurationis. Vnde ipsi canit Ecclesia: Memento salutis Auctor, quod nostri quondam corporis ex illibata Virgine nascendo formam sumpseris. Et hic Venter est mensura, ad quam immensus commensuratur, & contrahitur. In cuius figura 4. Reg. 4. legitur: Quod Elisæus ut filium parvulum Sunamitidis mortuum susciteret, os suum super os pueri, oculos super oculos, & manus super manus posuit, seq; illi ut potuit

Filius DEI Imago Patris factus est ad Imaginem Matris.

Vterus B. V. est mensura ad quam immensus commensuratur.

consi-

configuravit. Vnde S. Bernar. de Virginis loquens utero: Ibi, inquit, Creator, Magnus Elisæus in mensura suscitandi pueri sese contraxit. Ibi Dei Patris Verbum est abbreviatum, & ventre Virginis commensuratum, & ille quem totus orbis non capit, eius se visceribus castissimis coaptavit. De quo prophetice dictum est Rom. 9. Verbum abbreuiatum faciet Dominus super terram. Et Isa. 10. dicitur: Consummationem, & abbreuiationem faciet Dominus in medio terræ, id est. in utero Virginis. Et hoc est, quod dicit alter Propheta: Rex noster salutem operatus est in medio terræ, &c. Hæc ferè Franciscus Retza sanè perelegante.

In B. V. Vtero Verbum, ad instar Elisæi se abbreviavit.

Ex quibus facile colligimus uteri Virginalis nobilitatem, atque præstantiam plane incomprehensibilem, atque ineffabilem, cujus, uti etiam humanæ similitudinis amore, Dei Filius æterni Patris Vterum quodammodo posthabuisse visus, illum novem mensibus, summa animi sui voluptate habitare, & in terris cum hominibus, humanam assumendo formam, conversari sibi complacuit.

56. Quod sanè ipsa Virgo sanctissima nobis insinuare videbatur, cum dixit: Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo Nardus mea dedit odorem suum.* Ac si apertè diceret: Dum summus ille Regum Rex, ac Dominus Dominantium, ille ipse summi Dei sapientissimus Filius, in deliciosissimo Paterni sinus accubitu, omnium oblectationum, ac voluptatum, omnium gaudiorum, ac bonorum, incomprehensibilium, circumfusus copia, velut amœnissimo Paradiso resideret, suavissimoque, ac Divino planè, qui Dei Majestatem deceret, frueretur odore, adeo nihilominus sibi in Horti mei conclusi, Virginalis, inquam, uteri, Patris æterni Vtero, ejus gratiâ, quam simillimo, complacuit amœnitate, ac odore, ut minimus Horti mei frutex, minima humilitatis meæ Nardus, eum suæ suavitatis odore ceperit, ac recrearit adeo, ut in Hortum meum quantocyus descendere, suas sibi cum filijs hominum ibidem habiturus delicias, quorum amore, quasi candidissima cera liquefactus, & in me quodammodo transfusus, humanam formam assumere non est dedignatus.

Mariæ humilitas velut nardus suavem odorē Dei Filio spiravit.

57. Quod si unicus iste minimus Horti Mariani humilitatis flosculus, tam gratum, jucundum, copiosum, inque cœlum ipsum, ad reconditum illum æterni Patris sinum pertingentem spiravit odorem, quid de reliquis virtutum ejus floribus, quid de rosa charitatis, quid de lilio Virginitatis, quid de verè solsequio obedientiæ, quid de Heroicarum virtutum arboribus Cypresso Religionis, oliva pietatis, ac misericordiæ, quid cedro, ac Libano magnanimitatis, ac fortitudinis, quid denique de Myrrha electa mortificationis, quam ipsa Virgo suavitatem odoris dedisse, ac exhalasse dixit, nobis cogitandum est? Tantus omnino, tamque suavis est hic Virginearum virtutum odor, ut Dei Filius per Incarnationem in uteri ipsius ingrediens Hortum, se ibi ejusdem amœnitate, ac delitijs ita detineri, atque concludi, ut inde quodammodo egredi, florum ipsius oblectatus, ac captus suavitate se non posse amplius fateatur. Vnde amanter de hac sui conclusione, suavique captivitate conqueri videbatur: Hortus conclusus soror mea sponsa, Hortus conclusus, Cant. 4. capite.

In Maria velut Horto conclusus Dei Filius, eâ oblectatus, quasi exire inde nō valebat.

58. Dicamus igitur Doni hujus cœlestis Divinam quandam pulchritudinem esse, Vterumque Deiparæ, quo ad puritatem, ac sanctimonium, virtutumque cœlestium amœnitatem, cum æterni Patris sinu, uterove posse aliqua ratione comparari. Et merito sanè. Quemadmodū enim Pater cognitione comprehensiva suæ Divinæ essentiæ, omniumque creaturarum possibilium, præsertim verò Sanctorum, *quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui*, ut loquitur Apostolus Rom. 8. v. 29. velut sempiternus quidam, atque increatus Sol ad instar purissimæ lucis generat Filium, in splendoribus sanctorum (qui in eo sunt eminenter, hoc est longè nobiliori modo, quam sint vel aliquando futuri sunt in seipsis) undique, clarissimis circumfusus radijs: sic Virgo sacratissima eundem illum Dei Patris Filium, quâ homo est, generans, ut eisdem planè sanctorum purissimis splendoribus (cum in Verbo, ac mente Divina idem prorsus sint) circumdetur, atq; Divina quadā, à Deo Patre (utpote dilectissima Filia) participatā pulchritudine, refulgeat necesse est.

Vterus Virginalis similis sinui Patris æterni, Sanctis splendoribus circūdatus.

59. Pulchritudinem hanc, ac uteri Virginalis lumina, fulgoresque velut olim Moysi, per sacrarum litterarum quādam rimulam insinuare nobis visus est, ipse cœlestis Virginis Sponsus, ac Filius plusquā Paradisiacam ejus Vteri expertus amœnitatem, cum dixit: Cant. 7. *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus lilijs.*

Vterus Virginis vallatus lilijs, id est, sanctorū virtutibus.

Quo

Quo pulcherrimo sanè encomio licet Increata Sapientia, ex communi Patrum interpretatione fœcunditatem Virginitati inseparabiliter sociatam celebrare potissimum intenderit, intendit tamen, & Divinos illos Sanctorum, quibus decorata fuerat, nobis declarare splendores. Vnde Honorius in ea Verba Canticorum ait: *In ventre Virginis jacuisse Vnigenitum DEI incarnatum, qui est triticum, de quo conficitur panis fidelium; ipse est acervus, quia in eo cumulatur fidelium populus. Vallatus est lilijs, quia Christus stipatus est choris Virginum*, (addiderim ego virtutum, quæ in sanctorum omnium resplédent catervis) Per lilia enim non modo Virgines verumetiam quoslibet Sanctorum, imò & Angelorum ordines, eorundemque virtutes, apud Sanctos Patres intelligi, exploratissimum est.

Lilia sunt Angeli, & Sancti.

60. Vteri hujuscé Virginalis pulchritudinem, ac Regium quendam decorem venustissimè descripsit Sancta Brigitta lib. 5. Revell: ad finem interrogationis 10. *Venter tuus*, inquiens, *ò Beata Virgo fuit mundissimus, sicut ebur, & sicut locus ex virtuosis lapidibus splendidissimus, quia constantia conscientia tua nunquam tepuit, sed nec in tribulationibus potuit vitiari. Huius itaq; ventris, id est, fidei tua parietes, fuerunt quasi aurum fulgentissimum, in quibus virtutum tuarum fortitudo, prudentia item tua, justitia, & temperantia, cum perfecta perseverantia notatur. Quia ipsa tua virtutes omnes perfecta Divina fuerunt charitate.* Quis ig tur DEI Patris sempiternum Filium in hisce duobus pulcherrimis amœnissimisque contemplans Vteris, non clarè perspiciat, totum illum, lilijs circumvallati Vteri Virginalis, atque adeo totius Virginis decorem, ac venustatem, pulchritudinem quandam esse ab illius paterni Vteri pulchritudine, velut radium à sole, velut rivulum à fonte derivatam; nihilq; aliud, DEI Filium in utero Patris splendoribus sanctorum circumdatum, esse quam acervum tritici in ventre Matris Virginis, lilijs circũvallatũ; nihil deniq; aliud esse omnem illam admirandam Virginis pulchritudinem, quam illius æviternæ atque increatæ, perfectissimam quandam imitationem; per quam Divinæ illius pulchritudinis notitia, in mundum ad cœcos mortales illuminandos pervenit.

Laudes Vteri Virginalis.

Pulchritudo B. V. est illius æternæ imitatio.

61. Quod S. Ildephonsus Virginis amantissimus Antistes lib. de B. Virginitate capite 4. plurimis synonimis nobis inculcatum, mentique impressum esse voluit. *Ecce*, inquiens, *impleta est omnis terra, per hanc Virginem gloriâ DEI; cognoverunt omnes à parvo usq; ad magnũ, per hanc Virginem DEVM vivum. Viderunt omnes per hanc Virginem salutare. Rememorati sunt & conversi, per hanc Virginem ad Dominum universi fines terra. Adorant in conspectu Filij eius omnes Patria gentium, ipsius est Filij Regnum, & ipse DEVS dominabitur gentium. Cantant omnes ipsi Domino Filio eius Redemptionis sua Canticum novum, quia nascendo, de hac Virgine Magnalia fecit. Notum fecit per hanc Virginem salutare suum, & ante conspectum nostrum revelavit hanc justitiam suam*: Hoc est, omnis justitiæ, ac sanctitatis Ideam, ac formam, ad vivum repræsentantem dilectissimum verè matrizantem Filium. Vnde ob hanc sanctissimæ Parentis cum Nato similitudinem S. Gregorius Nazian. Trag. de Christo patiente, Virginem gloriantem atq; alloquentem Natum, perinde introducit, atque si eodem, quo ille modo, ex æterni Patris mente fuisset generata: *Simul & nata sum Patris tui, ut arbitror, ex mente summa.*

Per Mariã DEVS mundo vel maximè innotuit.

Maria ad instar Filij ex mẽte Patris æterni nata quodãmodo.

62. Quod sanctissimi Doctoris, si quis attentè expendat elogium, animadvertet sanè DEIparæ Virginis eximiam, ac Divinam planè, DEOque simillimam toti mundo enitescere pulchritudinem, cum per modum imaginis à DEO, uti eius æternus Filius procedere videatur. Hinc sacræ litteræ licet post cujusvis creaturæ efformationem, cuilibet suam laudem illam: *Et vidit DEVS quod esset bonum;* attribuerint; homini tamen qui dotibus omnibus tam Naturæ, quã Gratiæ fuerat pulcherrimè ipsis DEI manibus exornatus, nullum hujusmodi attexunt elogium, quod sufficientissimum videretur illud: *Creavit DEVS hominem ad imaginem suam, ad imaginem DEI creavit illum; masculum & fœminam creavit eos*, innuens repetitione illa; *creavit DEVS, & ad imaginem DEI creavit illum*; perfectiones omnes, rerumque omnium creaturarum pulchritudinem, quibus à DEO ter opt. max. exornatus erat, eminentissimè contineri. Ac si planè dicere clarius voluisset Moyses; scire cupitis præstantiam, ac pulchritudinem hominis, quibusvè Naturæ, & gratiæ decoratus fuit ornamentis, illud unicum duntaxat eius intelligite encomium: *Ad imaginem DEI creavit illum.* Eodem prorsus modo, si quis scire cupit, qualis, ac quanta sit

Homo hoc ipso, quod Imago est Dei, perfectiones omniũ creaturarum in se continet.

MARIÆ

MARIÆ pulchritudo atque perfectio, illud unicum quod ipsa de se prædicat expendat elogium; Ab initio seu principio rerum omnium DEO creata sum, & quasi ipsius DEI manibus non modo velut Eva ad Divinam imaginem repræsentandam formata, verumetiam ut ipsam DEI imaginem mundo ederem, Verbum æternum videlicet, quod est imago DEI invisibilis, ex utero meo Virgineo, Patrem æternum æmulata, producendo. Qua in Creatione crediderim sanè consultasse DEUM atque dixisse: *Faciamus MARIAM ad imaginem nostram*, hoc est, ad edendam imaginem nostram, ut & ipsa generationem nostram imitando, edat mundo imaginem nostram, hominum Salvatorem, qui est splendor meæ gloriæ, ac figura meæ substantiæ.

MARIA à DEO formata ut DEI ipsius Imaginem id est, Filium mundo ederet.

63. Hoc nimirum elogium est, quod nec Evæ nec ulli hominum, vel Angelorum attribui potest, ut nimirum creatus in hunc finem sit, quo DEI imaginem produceret, quæ cum in se summè perfecta sit, summè etiam perfectam hujus imaginis ipsam effectricem, ac Matrem esse necesse est. Quare præclarè S. Evangelista Matthæus perfectionum Deiparæ probè conscius, earundemque æquus æstimator, cum eas explorare se posse pro dignitate diffideret, Christi, Iosephique viri MARIÆ pertexendo genealogiam, addidit: *De qua natus est IESVS, qui vocatur Christus;* quasi diceret: Scire aves excellentiam perfectionũ MARIÆ, interioremq; eius pulchritudinem? Scito illam esse, quæ ad hoc DEI manibus Mater efformata est, ut ipsa postea vivum mundo ederet DEI Simulachrum, ac Imaginem, quæ perfectissima cum sit, utpote vera figura paternæ substantiæ, ipsa quoq; ejus Auctrix, ac Parens perfecta sit oportet. *Cum generatio sit origo viuentis à viuente coniunctio in similitudinem Naturæ*, ut loquuntur scholæ. Quapropter præclarè S. Anselmus: *De Virgine*, inquit, *dicere quod Mater DEI est, superat omne quod sub DEO dici potest.*

M. quod Mater DEI sit, summam sub DEO dignitatẽ adepta.

Hanc Virginis pulchritudinem Divinam ęmulantem insinuasse nobis visus est Origenes Adamantius Hõ. 1. ex varijs, cũ DEIparam alloquens, dixit: *Mater DEI, Domini, Regis, Plasmatoris, & creatoris cunctorum, Digna Digni, immaculata immaculati, Vna unius, Vnica Vnici.*

Quis igitur Donum hoc nobilissimum, pulcherrimum, atq; venustissimum esse; siquidem cum increata quodammodo Pulchritudine, DEIque Patris splendore, ac lucis æternæ candore decertare videtur; inficiari audebit?

64. Quid jam de novitate, ac raritate hujus Divinissimi Doni dicam? Hoc nempe novum illud est de quo Ieremias cap. 31. *Creauit Dominus novum super terram, Fœmina circumdabit virum.*

Maria Donum novũ ac rarissimum.

Verè novum, verè nunquam auditum quid simile in terra nostra, Quod fœmina, quod Virgo, conservato Virginitatis flore fructum ediderit, quod Virum perfecto intellectus usu præditum, velut quempiam Gigantem infantilibus membris, uterique Virginalis angustijs concluserit, atque circumdederit, quod virum fortem, ac in amore violentum (hoc enim Hebrea vox, Geber adsignificat) suo utero complecti, DEIque Filium (cujus immensitatem nulla potest continere creatura) humanitati nostræ, ex purissimis eius sanguinibus, visceribusq; compaginatæ sociatum, uteri sui purissimi angustijs ambire potuerit.

Maria Virgo tenellâ utero suo complexa Gigantem

Quare B. Guerricus Abbas Ignatiensis Serm. 1. de Nat. B. V. illam Novam Matrem appellavit: Nata est, inquiens, hodie nova Mater, quæ primæ Matris maledictionem dissolvit, ut per istam, benedictionẽ hæreditate possideant, qui per illam sub præjudicio maledicti æterni fuerant nati. Prorsus nova Mater, quæ novitatem attulit filijs inveteratis, vitiumque sanavit, tam ingenitæ, quam superadditæ vetustatis. Prorsus nova Mater, quæ tam novo miraculo parit, ut pariat, & Virgo sit, ipsumque pariat, qui omnia, Matremque ipsam inter omnia creavit.

Maria nova Mater.

65. Novitatem hanc D. Bernardus serm. 5. de Assumpt. tam inusitatam in Virgine tanto cum totius naturæ stupore peractam merito *Optimam partem quâ MARIÆ obtigit*, appellavit: *Vnum est*, inquiens, *in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem: Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore: optimam partem elegit sibi MARIA, optimam planè. Quia bona fœcunditas conjugalis, melior autem castitas Virginalis; prorsus autem optima est fœcunditas Virginea, seu fœcunda Virginitas. MARIÆ Privilegium est, non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea, singulare est, sed continuò etiam indelebile invenitur, ut sicut nemo assequi potest, sic nec eloqui quidẽ. Quod si & illud adiciatur. Cuius Mater? qua jam poterit lingua;*

Optima pars obtigit M. cum Virgo manens facta est DEI Mater.

gua, etiamsi Angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem, Matrem autem non cujuscumque, sed DEI? Duplex novitas, duplex prærogativa, duplex miraculum, sed dignè prorsus amplissimeque conveniens. Neque enim Filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter. Verumtamen non hoc tantum si diligenter attendas, sed cæteras quoque virtutes, singulares prorsus invenies in MARIA, quæ videbantur esse communes. Quæ enim vel Angelica puritas Virginitati illi audeat comparari, quæ digna Spiritus Sancti sacrarium fieri, & habitaculum Filij Dei? Si rerum precia de raritate pensamus, quæ in terris Angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est; Pergit similiter idem Sanctus, humilitatis novitatem cum tanta plenitudine gratiarum admirari. Item misericordiam, divinæ quodammodo æmulantem immensitatē &c.

Virginem nō decuit alium habere Filiū quā Deū.

66. Novitas ergo verè quædam singularis, novitas verè gratissima, inter novitates omnes, est DEIpara, ut merito de ea dici possit illud:

Est quoque cunctarum novitas gratissima rerū.

Maria est Novitas cūctis gratissima.

Novitas est Virgo in sua prædestinatione, qua ab æterno in mente Divina ordinata fuit, ut tenella Virguncula Infernales potestates debellaret, humanamque generationem, Sathanicæ servitutis oppressam jugo, eriperet.

Hæc enim est fortissima illa Heroina Bellatrix, ac Bellona Debora, per quam nova bella elegit Dominus, in quibus verè de cœlo pugnatum contra tartareum illum Sisaran, & stellæ in ordine suo steterunt, ut dicitur Iud. 5. Cœlum enim quoddam animatum cum sit DEIpara, ordinatis suis affectibus, ac virtutibus, velut lucidissimis sideribus facta hostibus inferni, velut castrorum acies ordinata terribilis, ac formidabilis, hac nova bellandi ratione, de toto Inferno triumphum gloriosissimum reportavit. Quis audivit unquam puellam quampiam antequam conciperetur antiquis *Patribus promissam cœlitus*, ut loquitur S. Bernardus serm. Signum Mag. *mysticis præfiguratam miraculis, oraculis prænunciatam Propheticis, quin etiam ab ipsis Sibyllis honorificè prædicatā?*

Cœlum est Maria virtutibus, ac ordinatis affectibus velut stellis exornatum.

Maria tota vita sua novitatē præ se tulit.

67. Novitas fuit in sua conceptione, qua ab originalis peccati macula sola inter puras creaturas præservata tantis Divinæ gratiæ, imo ipsius quodammodo Divinitatis decorata, refulsit ornamentis, ut animatum quoddam, ut jam sæpius dictum Divinæ Majestatis simulacrum videretur. Quis audivit unquam Puellam quampiam in primo suæ conceptionis instanti Monarchiam totius promeruisse atque obtinuisse Universi, uti Virginem hanc admirabilem indeptam testatur S. Bernardinus Senensis To. 1. ser. 61. ar. 1. c. 7?

Maria res nova in sua immaculata Cōceptione.

Novitas fuit quod adhuc maternis reclusa visceribus, accelerato, DEI singulari privilegio, rationis usu, Divinæ cognitionis radijs illuminata, Creatorem suum ardentissimo amore, super Seraphinos omnes dilexerit.

68. Novitas fuit in sua sanctissima Nativitate. Quis enim intellexit unquam Virgunculam quampiam mox natam, velut optatissimam, post nocturnas tenebras Auroram orbi illuxisse, gratiæ cœlestis rore, ac splendore terram visitando, & gaudium mortalibus ægris, atque adeo toti orbi annunciasse? Cum alias fœminarum in hanc lucem exortus mœrorem, ut plurimum parere consueverit. Vnde in die cujusque partus curiosè inquirendi mos inolevit: *Estne masculus, an fœmina?* Quis percepit unquam fœminæ cujuspiam ex sterilibus Parentibus Nativitatem per Angelum fuisse annunciatam? Cum enim DEI ter optimi Max. perfecta sint opera, quoties ex sterilibus sobolem per Angelos prænunciavit Genitoribus, toties masculum, admirabili nostra hac excepta Virgine, quæ ad aliquid perfectius, nempe ad Divinam destinabatur Maternitatem, adpromisit. Quis inaudijt unquam fœminam tam generosa stirpe semineque Patriarcharum, Prophetarum, Sacerdotum, ac Regum potentissimorum fuisse progeneratam?

M. in sua Nativitate est Novitas.

69. Novitas fuit in sua præsentatione, siquidem puella triennis mirâ celeritate, atque alacritate 15. illos gradus templi conscendit, sponteque perpetuis sese Divinæ Majestatis mancipavit obsequijs, emissoque Virginitatis voto, ad illa usque tempora inaudito, sacrarum DEO Virginum effecta est Primiceria.

Maria in sua Præsentatione est Novitas.

Novitas fuit quod in sancta sanctorum, quo nemini nisi summo Pontifici, idque semel in anno duntaxat ingredi erat licitum, habitaverit. Quem in sancta ingressum admirans idem S. Germanus Constantinop. *Vbi,* inquit, *non sæpe, sed semel in anno sacerdos ingrediens peragebat cultus mysticos, illuc Mater Domini, ut ibi perpetuo maneret a suis adducitur Parentibus, utque esset in sacris adytis gratia. Quis vidit aut*

Maria in Sancta Sanctorū habitavit.

aut quis audivit fœminam, quæ adduceretur in intima Sancta Sanctorum?

In Sancta Sanctorū Maria Angeli manu cibum capiebat.

70. Novitas fuit quod toto illo tempore, quo Sancta Sanctorum incoluit, cibo, Angelicâ manu porrecto, plurimis stipata Angelorum Choris victitaverit.

Quare non immeritò Georgius Nicomediensis Antistes vitam illam in templo à Virgine traductam, admirabilem vivendi rationem, nuncupavit. Orat. de præsent. Virginis. *Tu autem ò homo admirabilem vivendi rationem audiens Virginis, noli de ea dubitare, noli examinare oratione illâ, quæ non potest capere cogitatio; oportebat enim non in Sanctis Sanctorum tabernaculis, sed in ipso cœlo à prima ætate educari eam, quæ his conspecta est latior, & puritate antecelluit.*

M. Novitas fuit in sua desponsatione.

71. Novitas in sua castissima cum Ioseph desponsatione. Arida enim illa Sponsi Virga germinans, atque efflorescens, quid portendit aliud, quam Sponsalia, ac Matrimonium illud, novâ & hactenus inauditâ ratione contractum, modo quoque novo, ac inusitato, absq; ullo carnali complexu Florem, Fructumque ad instar arentis illius Virgæ producturum? Cujus Matrimonij puritatē castissima Palmarū connubia, aliquâ ratione repræsentant, ut To. 3. dicemus, cùm de Natura Palmæ tractabimus.

M. Novitas est in Annunciatione Angeli ad eā facta.

72. Novitas in sua Annunciatione, siquidem Cœlum novum, Terra nova, quod olim vidit Ioannes effecta est. In ea siquidem velut animato quopiam Cœlo Dei Filius verus Iustitiæ Sol refulsit. Ex illa veluti Terra ortus est Flos campi, & Lilium convallium, germinavitque Fructum toti Orbi gratissimum, ac dulcissimum Salvatorem.

De novo hoc signo, ac miraculo Eccles. cap. 36. *Innova signa, immuta mirabilia.* Quæ verba S. Bern. ser. 4. in Vigil. Nat. expendens clamat: *O nova miracula! conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore, mutata est in Virgine nostra maledictio Evæ, peperit enim Filium sine dolore, mutata est maledictio in benedictionem, sicut prædixit Gabriel. Benedicta tu in mulieribus, deniq; Mater est sine corruptione.* O verè Novitas inaudita!

M. Novitas fuit in partu.

73. Novitas in sanctissimo, ac purissimo suo partu, in quo altissimâ rerum Divinarum contemplatione abrepta, intactis Virginei Vteri claustris, Dei Filium, veluti purissimum Solis Radium crystallo Virginitatis suæ reclusum, novem mensibus, in Mundum postea inviolato pudore Virgineo, ad eundem gratiæ suæ splendoribus irradiandū effudit. Quam S. Gregor. Nyss. Orat. de Nativ. admiratus novitatem, in voces illas erupit: *O miraculum ingens, Virgo Mater fit, & Virgo permanet. Vides Opus novum naturæ? Eadem enim & Mater & Virgo est, ac neq; Virginitas partum prohibuit, neq; partus soluit Virginitatem.*

M. Novitas in circumcidendo Filio, eoq; in Templo præsentando.

74. Novitas in Filij sui circumcisione. Nunquam enim fuit auditum ad illa usque sæcula, nec in posterum audituri sunt mortales, Matrem quampiam circumcidisse Filium, ut ejus sanguis effusus, totius Mundi foret ablutio, ac medicina peccatorum.

75. Novitas fuit Virgo sacratissima in sua Purificatione. Quis enim inaudivit unquam Virginem quampiam Legi purificationis sese subjecisse? Quis audivit unquam Virginem ventris sui Fructum Deo pro Mundi Redemptione, ac Salute obtulisse, atque adeò Filium, velut Agnum immaculatum promptâ, hilarique voluntate æterno Patri in holocaustum super aram cordis sui quodammodo immolasse, atque consecrasse?

M. Novitas totius vitæ suæ decursu.

76. Novitas fuit totius vitæ suæ decursu, semper enim ab ipso Conceptionis instanti, intensiori, atque intensiori actu Divini amoris, absque ulla vel somni interruptione, merita meritis cumulando, operabatur, ad tantamq; Sanctitatis perfectionem pervenit, ut meritò S. Ignatius Martyr dixerit Epist. ad Ioan. Apost. *Sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria Matre IESV, Humana Natura, Natura Sanctitatis Angelicæ sociatur, illamq; esse (si fas est, inquit ille dicere) cœleste Prodigium & sacratissimum Spectaculum.* Eadem Epistola addit Virginem *fuisse omnium virtutum & gratiæ fœcundam. Quæ in afflictionibus est hilaris, in penurijs & indigentijs non querula, iniuriantibus grata; & modesta, in re læta. Miseris & afflictis condolet coafflicta, & subvenire non pigrescit. Contra vitiorum autem pestiferos conflictus in pugna fidei disceptans enitescit. Religionis & pœnitentiæ est Magistra, & omnium operum pietatis Ministra. Humilibus quidem est devota, & devotis devotiùs humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur.*

M. omnibus fœcunda virtutibus.

77. Quare meritò hujus Virginis novas, eximias, Divinasq; contemplans virtutes Rupertus Abbas lib. 4. in Cant. digitoq; in Deiparam intento admirabundus, clamat: *Ecce novus Paradisus, nova planta-*

M. novus Paradisus.

tiones. *Iste est Paradisus cœlestis. Istam terram suam benedixit, & ex ea cunctarum germina gratiarum, & cunctarum exemplaria virtutum produxit, ipsum quoq; Lignum vitæ Christum, DEVM & Hominem, Dominum cœlestis Paradisi.*

78. Eandem ob causam dixit opusc. 8. Doctor Angelicus, sanctos, ut plurimum proponi à DEO mortalibus in exemplum alicujus specialis virtutis; DEIparam verò velut exemplar virtutum omniũ; quod sanè novum, rarumq; in hominibus est. *Alij Sancti*, inquit ille, *specialia quædam opera exercuerunt, quia alius fuit humilis, alius castus, alius misericors, & ipsi dantur in exemplum specialium virtutum, sed Beata Virgo in exemplum omnium virtutum, quia in ea reperies exemplum humilitatis. Ecce Ancilla Domini, Castitatis, quoniam virum non cognosco, & omnium virtutum, ut satis patet.*

Maria virtutũ omnium Exemplar.

79. Novitas denique fuit ejus ex hac vita discessus. Quis enim intellexit unquam, mortalium aliquem, adeò semper intensiori, atque intensiori charitatis actu, absque ulla interruptione operatũ, adeò vehementibus in DEUM Charitatis exarsisse incendijs, ut Divini amoris vi, ac violentiâ vinculum illud tam fortè, atque amabile animæ, corporisq; dissolveretur? Quis mortale corpus terræ mandatum, ab omni corruptione liberum, redolensque suavissimorum aromatum, ac florum odore vidit unquam post Christum, animæ rursus uniri, atque in cœlestem Patriam infinitis Angelorum comitantibus myradibus assumi? Meritò D. Bernard. serm. 4. de Assumpt. asseruit ipsos cœlestis Curiæ Principes, in consideratione tantæ Novitatis clamasse non sine admiratione: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delicijs affluens, nec enim*, inquiunt ijdem Angeli, *pares inveniuntur deliciæ, vel in nobis, quos in Civitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ voluptatis, gloria potamur.*

MorsB.V. fuit Novitas.

80. Quare jure merito Sancti Patres novitates hascé cum infinitis alijs omnem naturæ ordinem excedentibus, ac miraculis contemplantes quasi extra se positi rerum tam Divinarum reverberati splendore, in summam rapiuntur admirationem. Audite S. Ioannem Damascenum Orat. 1. de Nativ. *O miraculum omnium miraculorum maximè novum, Mulier Seraphinis sublimior facta est. DEVS visus est paulò minùs ab Angelis minoratus. Sileat sapientissimus Salomon, nec iam quidpiam sub Sole novum esse affirmet.*

M. Mulier Seraphin. sublimior.

81. Audite S. Epiphanium, qui lib. de laud. Virginis, innumeras DEIparæ novitates planè ipsis cœlestibus admirabiles, pro magno illo, quo in eam semper ferebatur affectu, conglobans, insigni pietatis sensu exclamat: *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem induxisti. Stupendum enim est miraculum in cœlis; Mulier amicta Sole. Stupendum est miraculum in cœlis, Mulier gestans Lucem in ulnis. Stupendum miraculum in cœlis, alter Thronus Cherubicus. Stupendum miraculum in cœlis, Mulieris Filius, qui & ipsius & sæculorum est Pater. Stupendum miraculum in cœlis, Thalamus Virginis habens Filium DEI, DEVM Sponsum Christum. Stupendum miraculum in cœlis, Dominus Angelorum, Infans Virginis effectus est.*

M. suâ novitate Angelorum exercitus in stuporē adduxit.

82. Audite cœlesti planè melle redundantem S. Bernardi facundiam, qui verba illa jam memorata Ieremiæ; *Creavit Dominus novum super terram*, expendens serm. 2. super Miss. in eisque innumera nova, ac mirabilia rimans, atq; sagacissimè pervestigans mysteria, hæc pronunciavit: *Verto me ad conceptum, partumq; Virginalem, si fortè inter plurima nova, ac mira, quæ ibi profectò inspicit, qui diligenter inquirit etiam hanc, quam de Propheta protuli novitatem.* Tum varias hujusmodi, & quæ inter se planè pugnare videntur, recenset novitates, creatis intellectibus penitus incomprehensibiles. *Ibi agnoscitur*, inquit ille, *longitudo brevis; latitudo angusta; altitudo subdita; profunditas plana; Ibi agnoscitur lux non lucens; Verbum infans; Aqua sitiens, Panis esuriens, Videas si attendas Potentiam regi, Sapientiam instrui; virtutem sustentari; DEVM deniq; lactantem, sed Angelos reficientem; vagientem, sed miseros consolantem. Videas si attendas tristari lætitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minùs mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans; Et inter hæc novam Fœminam agnosce virum circumdantem, cùm MARIAM videas, Virum approbatum, à DEO IESVM suo utero circumplectentem. Vir igitur erat IESVS, necdum etiam natus, sed Sapientiâ non ætate, animi vigore, non viribus corporis, maturitate sensuum, non corpulentiâ membrorum.* Tandem concludit: *Vides quam stupendum sit hoc unum de Virgine, & in Virgine factum*

In Christo Infante longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana.

M. Virum circũdedit utero Virginali probatum à Deo.

factum miraculum, quod tot miracula prævenerunt, tot oracula præcesserunt.

83. Hinc jure merito nonnulli Patrum eam officinam Divinæ potentiæ, operationis, ac miraculorum esse dixerunt. S. Ioannem Damascenum audiamus, qui orat. 1. de Nativ. Virginis, Infantulam recens natam, ejusque mirabilia contemplatus, sic alloquitur: *O quot miraculorum, & cuiusmodi fœderum hæc Filiola, hic sterilitatis fœtus, officina extitit! Divinitatis nimirum, & humanitatis; passionis, & impassibilitatis, vitæ & mortis, ut scilicet in omnibus rebus id, quod inferiùs erat, à præstantiore vinceretur. O miraculorum miracula, & rerum admirandarum, res maximè admiranda;* Quas cum intellectu minimè penetrare posset, Deiparam *miraculorum* appellavit, *Abyssum*.

M. Miraculorum Officina.

Capellanus verò illius S. Ildephonsus lib. de Virginitate B. Mariæ cap. 11. Filij Dei in utero Virginis Conceptionem, *omni miraculo mirabiliorem, omni opere potentiorem, omni signo, ac prodigio augustiorem*, vocitavit.

84. Audiamus etiam Virginis hujus amantissimum Filium Bernardinum, qui Tomo 3. ser. 11. art. 2. cap. 3. Divinæ potentiæ operationes in Virgine attonito similis sic describit: *Spiritus Sanctus occurrit Virgini gloriosæ, eam recognoscens Fornacem sui amoris, & Officinam suæ stupendæ operationis, in qua, & de qua fabrefactum est corpus mundissimum Filio DEI. Ostenditq́ expressè suis electis Spiritus Sanctus, quod in hac Officina, & per ipsam fabrefecit, quicquid in gratia mirificum operatur; quodq́ in hac totum ignem operationis reclusit, quem unquam creaturæ rationali dare disposuit.* Vnde ob hujusmodi planè mirificas à Spiritu Divinissimo in Deipara perpetratas operationes Beatus Arnoldus Carnotensis Abbas, Tractatu de laudibus Virginis, *eam Spiritus Sancti*, nuncupavit, *Officinam*, uti S. Andreas Cretensis orat. in Salutat. Angelica, ob æterni Verbi in eadem Virginali Officina admiranda, simul, ac Divinissima designata facinora, *Verbi Officinam*, indigitavit.

M. Officina Divinę operationis.

M. Verbi, & Spiritus Sancti Officina.

85. Quare S. Hieron. serm. de Assumpt. ob hujusmodi ab Increato Verbo in utero Virgin. tā insignia perpetratā facinora, *Incarnationem, Novitatem quandā Novitates omnes transcendentem*, indigitavit. *Verè novum*, inquiens, *super terram, & omnium novitatum supereminens novitas virtutum, quando DEVS (quem ferre non potest Mundus, neq́ videre aliquis, ut vivere possit) sic ingressus est hospitium ventris, ut corporis claustrum nesciret, sicq́ gestatus, ut totus DEVS in eo esset, ut sic exivit inde, ut esset sicut Ezechiel fatetur; porta omninò clausa.*

Incarnatio Novitatum maxima.

86. Et sanè merito Mysterium hoc in Vtero Virginis peractum, novum, ac quodammodo prodigiosum nobis videri debet. Si enim à Babylonijs, ut habetur 2. Paral. 32. quod in Horologio Achaz Sol decem retrocessisset lineis, portentum appellatum est; Quomodò non novum, quomodo non prodigiosum nobis videatur, quod sempiternus ille Sol Iustitiæ super novem Angelorum Choros in gloria, & solio suæ Majestatis, tot retro sæculis, imò ab æterno residens, retrocesserit, atque reduxerit se; adeò, ut ex supremo Vniversorum Domino, in forma Dei existente, exinaniērit sese, formamque servi acceperit, & non modò fuerit paulò minùs ab Angelis minoratus, sed & infra omnes homines instar vilissimi terræ filij, ac vermiculi reputatus, ipso attestante Psal. 21. *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.*

M. Horologium Achaz.

87. In harum novitatum, ac prodigiorum contemplatione assiduè versans, secumque Dei hæc revolvens Magnalia, jure merito admiratione suspensus Martyr S. exclamavit Cyprianus ser. 3. de Nativitate: *O Domine, quam admirabile est Nomen tuum? Verè tu es DEVS qui facis mirabilia. Iam non Mundi huius staturam admiror, non stabilitatem terræ, cùm eam complectatur volubile firmamentum; non singulos dies, non Lunæ defectum, & incrementum; non Solem semper integrum, & laborem eius perpetuum; non temporum vicissitudines, in quibus quædam arent, quædam virent, & quæ mortua modo videntur, deinceps reviviscunt; Miror DEVM omnipotentem in Vtero Virginis, miror quomodo DEO caro adhæserit, quomodo incorporeus DEVS corporis nostri tegmentum induerit. Miror in hac dispensatione tanti dispendia temporis, & tam lentos processûs ad obedientiam Salvatoris. In brevi poterat parari negotium, & poterat tantus labor abbreviari, ad solum Christi Verbum, sicut factus Mundus & disposita omnia ad eius imperium. Sed elementario Mundo dignior est rationabilis homo, quod ex eo, quod in eius servitium facta sunt omnia, facilè creditur. In cæteris quocunq́ modo aliqua satisfaciunt rationes, hic solus me complectitur stupor, & cum Abacuc cano: Consideravi opera tua; & ex-*

Verbi Incarnatio magis admirabilis quàm Mundus totus.

Opera Dei stupenda & expavescenda.

& expavi. Miror jejunium, miror tentationes, miror omnipotentem in sepulchro iacentem, miror occisum & resurgentem. Hæc sunt nova mira quæ prædixit Ieremias. Hactenus Cyprianus.

Has admirabiles Virginis Deiparæ, à primis ejus incunabulis per longam sæculorum seriem, contemplatus Novitates S. Bonaventura, conversus ad eandem cecinit Psal. 43. *Domina, auribus nostris audivimus, & Patres nostri annunciaverunt nobis, quia ineffabilia sunt tua merita, & valdè stupenda mirabilia tua.*

88. Contemplati sumus hactenus nobilitatem & excellentiam Doni, ex ipsius Natura, quod dives, ac preciosum, quod pulchrum, novum, atque admirabile, adeò, ut creaturas omnes tam cœli, quàm terræ in summam rapuerit admirationem. Nunc ardentem amoris affectum, quo in semetipsa Deo offerenda, atque consecranda, inflammata fuit Deipara, (cùm ex hoc etiam doni præstantia æstimari consueverit) consideremus.

M. maximo amoris affectu se in Donum Domino consecravit.

Hunc porrò eximium, ac perfectissimum extitisse, vel inde facilè comprehendi potest, quod Virgo sanctissima probè novisset quanta se, suaque omnia Divinæ Majestati devovendi teneretur obligatione. Noverat enim à Deo ter Optimo Maximo habere se corpusculum illud tam aptè organizatum; noverat ab eodem principio habere se, aptam illam membrorum, ac totius corporis symmetriam, ac proportionem, nobilissimumque illud ad bene operandum, temperamentum. Noverat animam suam sanctissimam gratiæ Divinæ monilibus cœlitus decoratam, intellectum Divinæ Sapientiæ, ac cognitionis luminé illustratum, voluntatem Divino amore flagrantem; dotibus denique, ac ornamentis omnibus, quibus vel Angeli cujuscunque tandem Hierarchiæ, vel eminentissimâ sanctitate illustres mortales, aliquando excelluerunt, ad instar Sponsæ, omni Mundo muliebri exornatæ, se instructam noverat; ac proinde se tot, tantisq; donis Dei locupletatam undique circumspiciens, ne ingrati animi crimen incurreret, ad perennem illum omnium bonorum Fontem gratiarum suarum, donorumque refudit rivulos, quo indefectibilibus semper, in animum suum in posterum refluerent incrementis.

B. V. Dei in se beneficia expédebat.

B. V. pro Divinis beneficijs grata.

89. Venerat illi in mentem sine dubio Protoplastorum execrandum illud ingrati animi crimen, quando creati totius Universi Domini, ac Principes, gloriâ, & honore coronati, ac constituti super omnia opera manuum, tam munifici Domini, subjectisque eorum pedibus creaturis omnibus, nunquam tamen ullum grati animi vel minimum exhibuere signum. Quæ sanè ingratitudo evidentissimum videtur fuisse prognosticum, quam brevi tempore duratura foret, illa ipsorũ beatitudo, ac fœlicitas.

Protoplasti ob ingratitudinem à Dei gratia ceciderunt.

90. Hinc Rupertus Abbas lib. 2. in Gen. cap. 39. & Dei in Adamum beneficia expendens, & Adami in Deum ingratitudinem: *Hic tandem*, inquit, *animadvertendum est; quam pertinaciter homo primus, homo terrenus à Creatoris laude mutus perstitit, quam obstinatis labijs ab omni gratiarum actione abstinuit, & ingratum Domino silentium dedit. Formante DEO, & inspirante spiraculum vitæ, factus in animam viventem, non suspiravit spiraculo vitæ in Creatoris sui faciem, ut adoraret, & eum glorificaret, eiq; gratias ageret; Idem ab eodem Domino DEO positus in Paradiso voluptatis, nullas ei gratias egit, & taciturna ingratitudine, tantumt tamq; facilem deliciarum DEI locum, quasi rapinam arbitratus occupavit. Ecce nunc tertio Divinæ dignationis dono locupletatus, in eo quod fecit ei adiutorium simile sibi, ut crescere, & multiplicari posset, & de se uno propagata fœlici progenie terram viventium repleret. Tribus planè Divinæ munificentiæ dilatatus muneribus, tacet adhuc, & nihil quod laudem Domini resonet eloquitur; nec ullum dilectionis, vel gratiæ verbum in eius ore scriptura fuisse testatur. Qui ergo gratiam DEI non agnovit, non mirum quod ad hoc pertigit, ut peccaret, & ut peccatum suum non agnosceret; quia res vicina est. Eodem quippe intuitu, & suum malefactum & Divinum in se cognoscit homo beneficium.* Hactenus Rupertus de impijssima illa primi hominis ingratitudine tantorum malorum origine, adeòque repugnante fini illi, cujus gratiâ creatus fuerat homo.

Adamus tribus Divinis beneficijs affectus ingratus tacuit.

91. Quam enim ob causam constitutum à Deo in Paradiso primum hominem fuisse arbitramur, nisi, ut quemadmodum sacer textus loquitur; *Operaretur, & custodiret illum.* Genes. 2.

Operationis hujus variæ causæ adferri consueverunt; ad institutum nostrum illa potissimum conferre videtur, si dicamus ideò Adamum in Para-

Adam in Paradiso positus ut primitias illorū fructuū Deo offerret.

diso positum, ut operaretur, quo primos industriæ, laborisque sui fructus, ac primitias, in grati animi sui attestationem Domino consecraret: Vnde præceptum illud datum fuerit ideo: *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas.* Quia fortasse Devs arboris illius præstantissimæ primitias sibi reservari, ac offerri desiderabat. Quod quia facere recusavit, & se, & humanum genus universum, in acerbissimas conjecit ærumnas, ac calamitates. Hinc videmus, quia Cain primitias, ac meliora quæque Creatori offerre neglexit, ut obtulerat Abel, *respexisse quidem Dominum ad Abel, & ad munera eius; ad Cain verò, & ad munera eius, non respexisse,* ob rei oblatæ scilicet vilitatem, ac in offerendo tarditatem. Quia, ut ait scriptura; *Factum est post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ, munera Domino; cum Abel obtulerit, optima quæq; de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum,* Gen. 4.

Abel gratus Deo pro beneficiis Deo optima quæque obtulit.

92. Hinc Noë nil antiquius habuit, quam ut peracto universali cataclysmo, ob sibi, suisque atque adeo humano generi vitam conservatam, gratum se Creatori, ac Salvatori suo exhiberet.

Noë gratitudo erga Deum, Sacrificio contestata

Quamobrem ut Sacræ testantur litteræ Gen. 8. *Ædificauit Noë altare Domino, & tollens de cunctis animantibus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare;* quod gratiarum actionis sacrificium, quam gratum summæ illi acciderit Majestati, ostendit Moyses. *Odoratusq; est,* inquiens, *Dominus odorem suauitatis, & ait; nequaquam ultra terræ maledicam propter homines, non igitur ultra percutiam omnem animam viuentem, sicut feci.* Gen. 8.

En quanta, & quam larga benedictione, gratitudinem hanc Bonitas Divina compensavit. Cum contra Adami ingratitudinem, ob primos illos vetitæ Arboris sciētiæ boni, & mali, per summum nefas devoratos fructus, multiplici atque amarissima, eaque universali in totum genus humanum redundante maledictione mulctaverit. *Maledicta,* inquiens, *terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Gen. 3.

Adæ erga Devm ingratitudo maledictioné mundo invexit

93. Hæc ergo omnia, aliaq; quamplurima cum menti Virgineæ obversarentur, nihil ei magis in votis fuit, quam ut primos illos tenellæ suæ ætatulæ flores, ac fructus, atque adeo seipsam totam in sacrificium, ac holocaustum Divinæ devoveret Majestati. Quod sine dubio suaviorem longè quàm Noeti oblatio odorem exhalavit; unde eo beatissimæ recreatæ mentes admiratione suspensæ invicem sciscitabantur: Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut Virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & uniuersi pulueris pigmentarij?* Verè enim Virgo in templum, ex semetipsa Donum factura Deo, ascendens Virgula quædam fuit, ex varijs ijsque suavissimis virtutum aromatibus composita, igneque Divini amoris succensa; thymiama item fuit quod gratissimo suo odore Ecclesiam universam, æque militantem, ac triumphantem recreavit.

Maria semetipsā in Templo offerendo. gratiū Holocaustum quam Noë obtulit.

94. Hanc ob causam crediderim eā à nonnullis Cassiæ illi venustissimæ Iobi filiæ (ob virtutum fragrantiam sic dictæ) Reginæ item Sabæ, Salomoni quā plurima donaria, preciosissimaque aromata deferenti fuisse comparatam. In quorum aromatum laudem sacer textus 3. Reg. 10. *Dedit ergo Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas preciosas. Non sunt allata ultra aromata tam multa, quam ea quæ dedit Regina Saba, Regi Salomoni.* Sentit cœlestis sponsus horum aromatum fragrantiam, cum Divinam ejus pulchritudinem, amœnissimumque ipsius adolescentiæ ver in templo suo, velut Hortulū, seu Paradisū quépiā aromaticis fruticibus, floribusq; cōsitum est contemplatus. Vnde castissimo ejus amore quasi languescens Canticorum totum caput 4. in ejus laudibus insumpsit. Vbi inter reliqua elogia hæc habet: *Quam pulchra,* inquiens, *es amica mea, quam pulchra, oculi tui columbarum, absq; eo quod intrinsecus latet. Odor unguentorū suorū super omnia aromata. Favus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua.*

Maria ob virtutum odoré Cassiæ Iobi filiæ, & Reginæ Sabę similis.

Vt autem ostendat preciosissima spōsæ virtutum aromata, non intrinsecus in animo duntaxat reclusa latitare, verùm etiam foras erumpere, annectit. *Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus.* Ne quis verò adeo conclusum Hortulum hunc Virgineum arbitraretur, ut suavissimos suos odores sibi duntaxat asservare videretur, mox aromaticam ipsius, eamq; preciosissimam exponit fragrantiam: *Emissiones tuæ*

Para-

Paradisus malorum Punicorum cum Pomorum fructibus. Cypri cum Nardo, Nardus & crocus, fistula & cinnamomum cùm universis lignis Libani, myrrha & aloe, cum omnibus primis unguentis. Quæ virtutum unguenta, atque aromata, ut suaviorem in dies in Templo Dei exhalarent odorem, rogat sponsus Spiritum Sanctum, ut velut calentissimus Auster, animatum hunc Hortulum identidem perflet: *Veni Auster persla Hortum meum, & fluant aromata illius.*

95. Horum aromatum tam magna, tamq; diffusa in universum orbē est fragrātia, ut verissimè de ijs pronunciaverit Dionysius Carthusianus in Art. 4. Cant. *Tanta est suavitas virtutum Matris Dei, quod cuncta mundi odoramenta transcendit, imò totam perfundit Ecclesiam triumphantem. Insuper Ecclesia militans odore, & suauitate huius DEIparæ Virginis, Dominæ suæ recreatur, fouetur atq; exhilaratur.*

Odor virtutum B. V. totam perfundit Ecclesiā.

96. Admirabilem hujus Virgineæ oblationis fragrantiam Deo gratissimam suspexit cultui Dei paræ addictissimus Venerabilis Iustus Landspergius Theoria 10. & 11. dum castissimo in illam amore quasi extra se pesitus exclamauit: *O Puella pulcherrima, ò Virgo immaculatissima, quæ à Parentibus in Templum oblata Domino consecraris. Quis dignè queat æstimare, quanta deuotione temetipsam tunc DEO obtuleris, quanta humilitate commendaueris. O quantum hæc tua sanctissima, ac gratissima seruitutis professio DEO placuit! O quam odorifera hæc oblatio in summi DEI conspectu fuit! Nimirum redolens erat præ omnibus sacrificijs & holocaustis ab initio mundi oblatis. O quæ, & quanta cœlitus accepisti! quas gratias, quas supernas illustrationes, quos sublimes contemplationum excessus, spirituale Sabbatum, Diuinæ dulcedinis gustum, Angelorum familiare ministerium, & conscientiæ puræ tamquam Paradisi gaudium. Beati oculi qui te viderunt, utpote Puellam speciosissimam, & omnium oculis gratiosam, quam jure DEI Altissimi Filius adamaret, cujus speciem, & decorem speciosus formâ præ filijs hominum concupisceret. O pulcherrima mulierum, quæ formam vincis omnium illustrium. O Virgo singulariter mirabilis, & mirabilitèr singularis. O quam pulchra es Imperatrix cœlorum, quam scrutator renum probat, quam inspector cordiū laudat, quam diligit auctor pulchritudinis, cui testimonium perhibet Magister Veritatis, cuius decorem mirantur Angeli, cuius venustatem venerantur Sancti, cuius gloriam & benedictionem deuoti contemplantur, ante cuius conspectum humana mens lætatur, ante quam Sathan fugit, & Infernus contremiscit. Pulchra es, ò Domina mea, & macula non est in te.* Hæc ille de interna Virginis animi pulchritudine, ejusque virtutum suavissimis in cœlum usque diffusis, velut aromatum preciosissimorum odoribus.

B.V. oblatio redolentior omnibꝰ holocaustis in Templo oblatis, à mundi initio.

Ante B.V. Sathan fugit, & Infernus cōtremiscit.

97. Quod si Alexandri Magni adhuc puerili in ætate, in suis Dijs thure, atque aromatibus placandis, larga illa, atque profusa ab antiquis olim adeo celebrata est liberalitas, ut de ea Plutar. Par. 1. Moral. in Apopht. §. 36. hæc memoriæ tradiderit: *Diis adolenti liberalius, ac sæpe thus corripienti adstans Leonidas Pædagogus: sic,* inquit, *largiter tibi fili adolendum erit, ubi thuriferam Regionem in tuam redegeris potestatem: Alexander ea potitus per litteras eum sic compellauit: Talenta aliquot thuris & casiæ tibi mitto, ut me thuriferæ etiam Regionis Dominum factum sciens, sordidus erga Deos esse desinas:* si inquam hæc Macedonum Regis æternâ fuit memoriâ digna in Deos religio, ac magnificentia; quantò magis hujuscé nostræ potentissimæ terræ cœlique Reginæ, quæ se ipsam totam adinstar cujuspiam thymiamatis, ad instar Virgulæ ex universis preciosissimis aromatis cōpositæ, æterno Numini Donum, imò sacrificium, jugi Divini amoris igne concremandum, in templo consecravit?

Alexandri Magni liberalitas in thure Dijs adolendo.

Quis igitur Deiparam Donum preciosum, ac dives, quis pulchrum, quis novum, ac planè admirabile; Donum inquam, Personam ipsam Spiritus Sancti, ob supra memoratas rationes quodammodo repræsentans, esse pernegabit?

98. Quæ cum ita se habeant cum Virginis nostræ beatissimæ omnis vitæ actio sit nostra instructio, & D. Bonaventura nos moneat Psal. 32. *Sumite exemplum conuersationis eius, &, æmulamini studia charitatis & humilitatis eius;* Ponamus nobis ob oculos Virginem hanc gloriosissimam, ejusque exemplo nos totos in Donarium summo charitatis, atque humilitatis affectu Divino Numini offeramus, pientissimum illum, in Virginem æmulantes adolescentem, qui solicitus quod tandem munus Deiparæ offerret, interius vocem pijssimæ hujus Matris persensit sibi dicentis: *Fili præbe cor tuum mihi.* Mox ardentissimâ accensus cupiditate cor suum summæ Dei Parenti consecrandi, Cor argenteum perennis in Virgi-

Cor B. V. offerendū in donarium.

Quidam Adolescēs ad suum amorem in B. V. cōtestandum ei Cor argenteum donavit.

Virginem, castissimique amoris pignus efformandum, ipsiusq; Iconi appendendum curavit, cum hac epigraphe: *SanSanctissimæ DEI Genitrici devotorum Matri optime meritæ, devotus Filius honoris, atq; observantiæ monimentum.*

A parentibus Filij in pueritia bonis moribus imbuendi.

99. Erudiantur etiā parentes, præclarissimo hoc SS. Ioachimi & Anæ, Virgunculum hanc in Templo præsentantium, exemplo, liberos ab ineunte ætate pijs, sanctisq; moribus, timore DEI, reliquisq; virtutibus erudire. Præclarè enim ille.

Dum tener est natus generosos imbue mores.

Mores siquidem hujusmodi à teneris unguiculis imbibiti, in naturam quandam transmutari consueverunt; Nam verissimè cecinit Romanus Lyricé:

Quo semel est imbuta recens servabit odorem,
Testa diu.

Idem prorsus sensisse videtur Plutarchus, cum dixit; *sicut Infantium membra simul, ac nati sunt formari componiq; debent, ut recta minimeq; obliqua fiant, ita puerorum mores principio aptè, concinneq; fingere conveniet. Illa namq; novella ætas, ad fingendum facilis teneraq; est, difficilius autem, quæ dura sunt molliuntur.*

100. In ætate itaque tenera puerorum animi ad omnem virtutem, pietatemque efformandi sunt, ut jugum Divinorum mandatorum timoremque Domini à primis adolescentiæ annis ferre discant, exemplo Virginis. Verissimum est enim quod Spiritus S. per os Hieremiæ Thren. 3. docuit: *Bonum est viro cum portauerit jugum ab adolescentia sua. Sedebit Solitarius & tacebit, quia leuauit supra se;* quod vidimus revera fecisse totius vitæ decursu Virginem beatissimam, quæ optimam partem MARIÆ, cum elegisset vitam videlicet contemplativam, Divinis assiduè in hærendo, & in cœlis conversando, leuauit se supra se, ita ut & dormiendo, cor ejus assiduè cœlestia meditaretur, attentissimeque vigilaret, adeo, ut verè dixerit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cant. 5. Quare prima adolescentia, velut pulcherrimus Flosculus, Divinæ Majestati, exemplo hujus Divinæ Virgunculæ offerenda, atq; consecranda est. Audiendus hic Venerabilis Hugo de S. Vict. qui adolescentes pulchritudine florentes, ac vegetos ad serviendum DEO invitans ita loquitur: *In illa ætate, quando crines flauescunt, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo robur corpori subministrat, & ætas juuenilis longioris vitæ spatium repromittit. Quando viget ratio, vigent etiam corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus jucundior. Qui in hac ætate se domant, & DEO se sociant, præmium S. Ioannis Bapt. expectant. Tales enim offerunt Hostiam viuentem, DEO placentem, & immaculatam, non aure, non pede, non lingua carentem. Audiat hoc senum sera conuersio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur; oculi turbantur, breuiter ipsi in se per se deficiunt. Hi non offerunt Agnum immaculatum, sed (ut sic dicam) porcum cruentatum: Sicut enim porcus in immundicijs, sic senex jacuit in vitijs.* Sic ille.

B.V. à pueritia levavit se supra se.

Flos adolescentiæ DEO consecrandus

Pulchri Adolescētis descriptio.

101. Hinc Chrysost Hō. 9. in 1. Timot. 2. Summopere hortatur Parentes, ut filios à pueritia bonis, sanctisq; moribus instituant: *Audite,* inquiens, *ista parentes, & prorsus aspicite hujusmodi educationē magnorum præmiorum causam fore. Neq; enim parui meriti est indultos nobis à DEO liberos, ad ipsius exercere militiam, eiq; ab ipsis infantiæ pannis dedicare. Nam si huius educationis fundamenta jecerint, maximis afficiendi sunt præmijs, sicut si neglexerint grauissimis supplicijs;* quod probat exemplo Heli, qui filios suos asperius corrigere neglexit &c. Vnde mox hæc attexit: *Audite hæc Patres, vestrosq; filios in disciplina, & correptione Domini erudite, summâ cum diligentiâ. Est enim juuentus fera, plurimisq; indiget institutoribus, magistris, pædagogis asseclis, atq; nutritoribus. Votiq; res est, post adeo exactam diligentiam, eam continere posse, non secus enim quam equus quidam indomitus, vel fera bellua adolescentia est. Si igitur illi ab ipsis statim initijs, atq; à prima ætate leges optimas imponamus, minimum postea laborabimus, sed consuetudo ipsa virtutis, in legem transibit. Nihil eos agere permittamus ex ijs, quæ noxiè jucunda sunt, ante omnia illos in pudicitia, ac sobrietate seruemus, quippe huic inimica libido, omnium maximè hanc turbat ætatem. Ad hoc igitur vitium compescendum magnis nobis sudoribus, magnaq; intentione opus est. Admoneamus igitur illos corripiamus, terreamus, minasque intentemus,* &c. O si hac nostra tempestate Progenitores ita uti suadet Chrysostomus liberis suis piè in timore Domini educandis invigilarent, aliam sane Christianitatis faciem cerneremus.

Filios ad Christi exercere militiam magnum meritum.

Adolescētia equus indomitus & fera bellua.

Adolescētia in pudicitia & sobrietate custodienda.

102. O quam deploranda est nonnullorum progenitorum vecordia, qui cum alias filiorum amore cœci, ingentes divitias, opesque per fas & nefas accumulare studeant, in postremis tamen

Filiorum bona educatio à teneris anis inchoādā.

eorum bonam sanctamq; educationem videntur reponere.

In hos S. Greg. Nazian. in Carm. de Virginitate severissimè invehitur. *Quo tenditis homines? quo rei faciendæ omne impenditis studium? filiis quibus opes relinquatis vestras, curam per parvam?*

Parentum in educandis liberis vecordia.

Quamobrem rectè Crates Philosophorum sapientissimus, uti testatur Plutarchus lib. de educ. liberis: *Si licuisset*, inquit, *in altissimam Urbis partem conscendere, ut vociferarer: Quorsum ruitis homines, qui omne in comparandis pecuniis studium facitis; filiorum quibus eas relinquatis nullam curam suscipitis?*

103. Pari, imò graviori sensu rursus S. Chrysost. Hom. 60. in Matth. eandem parentum insectatus est amentiam: *Non sentimus*, inquiens, *hac vecordia servis nostris viliores nos reddere. Nam servos quidem, etsi non sui causâ, attamen nostrâ castigamus; liberis verò tantum providentia nequaquam tribuimus, sed quasi viliores mancipijs prætermittimus. Quid mancipijs dixi? cum vel pecudibus ipsis minoris fieri videantur? Maiorem equorum curam habemus, quam filiorum. Nam si asinis agaso nobis præficiendus est, non parùm vigilamus, ne dementem, aut temulentum, aut rei eius imperitum præficiamus: sin verò ad colendum filiorum ingenium sit nobis Pædagogus inveniendus, qui casu oblatus fuerit, eum recipimus, nec consideramus ullam artem hoc artificio sublimiorem reperiri. Quid enim maius, quam animis moderari? quam adolescentulorum mores fingere? Omni certè pictore, omni statuario, cœterisq; hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui Iuvenum animos fingere non ignoret.*

Pædagogi frugi filijs præficiēdi.

Hæc omnia ore verè aureo Chrysost. quæ si mortales attentè expenderent, curam certè in liberis ad omnem pietatem efformandis majorem impéderent.

104. In eundem sensum idem S. Doctor loco sup. citato mirum quantum eos progenitores insectetur, qui probam filiorum educationem negligunt, docetque eos ad instar thesauri preciosissimi conservandos, omnique diligentia à Stygijs furibus defendendos: *Magnum*, inquiens, *habemus, preciosumq; depositum filios, ingenti illos servemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus eripiat. At vero nunc contra penitus facimus. Nam ut fundus quidem sit optimus cuncta molimur, eumque fideli viro magno cum studio tradimus, & agasonem atque mulionem procuratoremq; ac dispensatorem, qui nobis magnâ benevolentiâ afficiatur, inquirimus: cæterum quod nobis charissimum omnium est, omnino negligimus, neq; curamus quo pacto filium nostrum fideli cuipiam viro permittamus, qui ipsius servare, ac tueri pudicitiam possit. Et certè nulla nobis possessio, nullus fundus aquè nobis charus, ac filius esse debet. quippe hac omnia filiis quæruntur. Igitur major nobis possessionum cura est, quam eorum, quorum illa gratiâ comparantur, quod profectò absurdissimum, atq; stolidissimum est. Exerceamus igitur ad virtutem, atque pietatem molles filiorum animos, cætera omnia secundo loco quæramus. Nam siquidem illi improbi fuerint, nihil eis pecunia proderunt, sin autem probi, nihil ex paupertate lædentur. Vis Filium relinquere divitem? Bonum illum, ac benignum esse doce. ita enim rem etiam familiarem auctiorem facere poterit. Quod si tenuis illi substantia fuerit nihil deteriori in loco fuerit, quàm hi qui plurima possident. Quod si malus ille fuerit, etiamsi infinitam illi substantiam relinquas, non illi custodem reliquisti, sed longè deteriori conditione fecisti, quam si ad extremam devenisset inopiam. Quippe filiis non ritè institutis, præstat pauperes esse quam divites. Paupertas enim vel invitos coercet, atq; intra virtutis limites continet. Opes vero ne volentes quidem pudicè, temperanterq; vivere sinunt, verum exorbitare faciunt, atq; pervertunt, malisq; innumeris subiugant.* Tum apostrophe ad Matres etiam factâ, eas docet, quanam ratione ad omnem pietatem, ac religionem filias instituant, uti sine dubio fecit S. Anna B. V. Mater: *Matres*, inquit ille, *filiarum vobis curam assumite: est ea cura vobis perfacilis. Curate solicitè ut domi jugiter sint. Ante omnia pias esse, ac religiosas docete, aspernari pecunias, exteriorisq; ornatus contemptrices esse. Eas si ita instituerítis, non ipsas modo servabitis, sed etiam earum maritos filios, ac nepotes. Quippe ex radice optima surculi prodeunt firmiores, ac semper in meliora proficiunt, horumq; omnium bonorum merces vobis retribuetur.* Quod & contigit B. Virginis, Ioachimo & Annæ Sanctissimis progenitoribus, qui sine dubio amplissimam in cœlis mercedem, ob hanc cœlestem Plantam, ob hanc pulchram, ac viridantem Olivam adeo sedulè excultam, & in domo Domini plantatam, ipsique velut preciosissimum Donum in Templo præsentatam, consecuti sunt.

Filijprobi magni thesauri.

Reprehēsio parentum educationem filiorũ negligentiũ.

Dives filius est quá bonus, ac benignus est.

Matres ut Filias instituere debent?

105. Denique ex hac Virginis sanctissimæ spontanea sui in Templo oblatio pulcherrimum exhibetur exemplum, ijs, qui ab adolescentia sese in aliqua bene ordi-

ne ordinata, arctaque disciplinâ florenti Religione Divinæ Majestati dedicarunt, ut quemadmodum ipsa regia oriunda stirpe, spretis omnibus mundi illecebris, totam sese Deo, toto corpore, cum omnibus membris, ac sensibus internis, ac externis; tota anima cum omnibus potentijs memoriæ, intellectus & voluntatis, absque ulla sui reservatione Divinæ Majestati in sacrificium & holocaustum consecravit, ita quoque ipsius insistentes vestigijs, curent se ejus sanctissimæ vitæ, moribusque conformare. Et quemadmodum illa recogitans identidem sese in sancta sanctorum habitare, ad majorem indies sanctimoniam adipiscendam excitabat; ita nouellus quoq; Christi Tyro Religionem locum illum esse cōsiderans de quo Dominus Moysi: *Solue calceamentum tuum de pedibus tuis. locus enim in quo stas terra sancta est,* Exod. 3. ex hac hujus loci sanctissimi consideratione, animet semetipsum, depositis animalibus, ac brutis rerum terrenarum affectionibus, quæ animæ nostræ infælicia calceamenta sunt, calceet se Iacyntho, cœlestibus nempe desiderijs, hisque calceatus magnis passibus in via Divini obsequij, in sanctitate, puritate, humilitate, paupertate, obedientia alijsque virtutibus, quæ in Virgine veluti lucidissimo speculo refulserunt, progrediatur.

B. V. in Templo præsentata Novitijs potissimum imitanda.

106. Hoc tam præclaro parvulæ Virginis proposito exemplo Venerabilis Iustus Landspergius Epistola 28. ad quendam Ordinis sui Novitium, ipso die Præsentatæ Virgini sacro Religionem ingressum, ad perfectionem, morumq;, ac virtutum Virginearum exstimulat æmulationem, totique Epistolæ fœlicem hâc præmittit adprecationem: *Charissimo Filio exui veterem hominem, cum actibus suis, & nouum induere, qui secundum DEUM creatus est.* Tum illo ex Psal. 44. præfixo Themate: *Offerentur Regi Virgines post eam proximè eius adducentur tibi,* ita prosequitur: *Legimus beatissimam Virginem MARIAM, cuius est hodie solemnis, festiuaq; dies oblatam à parentibus, seq; ipsam DEO obtulisse in templum, haud dubium, non aliam ob causam, nisi ut à Mundi strepitu à temporalium turbine segregata, DEO serviret devota, casto quoq;, ac puro corde illum amaret solum, eiq; continuè adhæreret. Vixit autem nullius rei temporalis curam habens aut administrans, utpote pauper spiritu, vixit sub obedientia Pontificis, vixit cum proposito perpetuo servandæ*

B.V. forma vitæ Religiosæ.

B.V. devotâ veneratione colenda.

Virginitatis, quamdiu ex DEO aliud non inberetur. Hanc tibi Fili opto, hortorq; quantopere possum, fieri Patronam, ac Matrem, quam veneratione devotâ colas, cui studia tua, honorumq; obsequia impendas, quam post Christum potissimè studeas imitari & diligere. Iccircò ab ea exordior, eam tibi, imò te illi commendans. Hæc namq; eius in Templum illatio, sive oblatio, desiderio huic certè tuo non parum arridet Fili charissime. Quid enim nunc aliud petis, quàm in Templum recipi, DEO offerri, DEO dedicari, quo renunciatis omnibus, quæ sæculi sint, ac relictis quibusq; negotijs, posthabitisq; curis unum hoc agas, quod tibi desiderio, ac cordi est, ut à cunctis, in quibus DEI honor non quæritur, sis abstractus, & uni optimo Bono DEO tuo vivas, ac vaces. Hic est enim situs Religionis, hic scopus & finis quem nunc quæris, si nobiscum habes syncerè vivendi propositum, quem semper ante oculos habere debes.

Novitijs potissimũ B. V. in Patronam & Matrem deligenda

107. Idem quoque Vir Religiosissimus, ut ostendat Deiparam Novitijs omnis virtutis esse Speculum, eam varijs ad Tyrones Epistolis seriò imitandam proponit, hortaturque, ut illam singulari quotidie veneratione prosequamur; si in Dei famulatu perseverare desiderant. Ac in primis Epistola 23. alterius cujusdam Novitij in colenda Dei Matre mirificè collaudat studium, monetque, ut ipsam tanquam omnis virtutis Magistram amet, atque observet, si in via Divini obsequij laqueos Diaboli evadere, si omnibus numeris absolutus Religiosus fieri, & ad finem ultimum, ad quem creari sumus, anhelat pervenire. Sic igitur ille:

Placent mihi permulta in te, quæ ideò laudo, ut tenaciùs illa custodias. Placet inter alia affectio feruens, & casta ad amorem DEI Genitricis Virginis MARIÆ. Hanc igitur Fili ut Dominam nostrã, & Magistram ames. Si enim pericula multa evadere, si vis tentationibus non succumbere, si in adversitatibus consolari. si tristitia inordinata cupis non obrui, si deniq; Christo desideras coniungi, venerare, ama, imitare castissimam, amabilissimam eius Matrem, dulcissimam, fidelissimam, gratiosissimam, potentissimam quoq;, & tui amantissimam, utpote humillimam, quæ neminẽ spernit; misericordissimam, quæ invocantem neminem derelinquit, & cui thesaurus Divinæ misericordiæ erogandi quoq; facultas, atq; peccatorum, ac præcipuè illam amantium, cura à DEO commissa est. Quam qui amaverit castus est, qui amplexatus fuerit mundus est, qui veneratus fuerit, devotus est, qui imitatus fuerit sanctus

Qui pericula & tentationes vult evadere colat B. V.

B. V. à Deo concessa facultas thesauros Divinæ misericordiæ erogandi.

sanctus est. Nemo illam amans, non est ob ea redamatus, nemo illi devotus perijt, nemo qui illam fuit imitatus, non est salvatus. Quot desperantes, quot obstinatos, quot flagitiosos, qui tamen spem atque refugium ad suum misericordissimum patrocinium habuerunt, ipsa ad pietatis sinum recipit, & quasi sibi relictos, utpotè quibus nulla spes alia, aut via ad conversionem veniendi persuaderi potuit, fovit, Filio reconciliavit, & ex Diaboli faucibus, atque adeò ipsâ voragine Inferni ereptos Paradiso cœlesti restituit. Hanc illi Filius gratiam donavit, hanc prærogativam, hoc officium ei commisit, ut qui amarent illam, ad pœnitentiam, qui devoti essent ad gratiam; qui imitarentur ad cœlestem perducerentur gloriam. Quapropter gratia magna est, & pro dono magno habendum est ad Beatissimam illam Virginum Devotionem habere, illam venerari, illi se committere, per illam spem suam in DEO ponere, ipsam imitari cupere.

Nemo B. V. devotus perijt.

Insignis B. V. prærogativa.

Magnum donum est B. V. devotio.

108. Idem rursus Epistola 10. ad Henricum Novitium, cupiens illum ad Virginearum virtutum imitationem excitare, pulcherrimum hoc illi præscribit documentum: *Quotiescunque intras Cellam tuam, primum omnium sit, ut B. MARIAM salutes humiliter, & flexis genibus, eamque pro Matre habeas, te illi committas, roges ut custodiat te ab omni malo, omni peccato, ac periculo, & dirigat, atque regat ad omne DEI perficiendum beneplacitum. Sæpiùs à DEO postula propter merita Matris, virtutes eiusdem, quibus emicans, singulariter placuit DEO, scilicet humilitatem, castitatem, charitatem, mititatem, obedientiam, patientiam. Has Beatæ Virginis virtutes sæpiùs Christo pro te offeras, tunc maximè cum te excessisse deprehenderis in harum aliqua. Nihilominus certo etiam tempore de die, in suppletionem & emendationem tuorum defectuum, Matris merita, ac virtutes offeras Christo.*

Cùm Cellam intramus flexis genibus B. V. salutanda.

109. Epistola 8. denique idem pijssimus Pater docet Novitium, quâ pietate, Missæ Sacrificio ministrare debeat, eandemque simul DEIparam colere. Ac inter cætera hæc præscribit: *Inter ministrandum, caput Matris DEI, serto roseo 50. salutationum venustes, interserens Filij eius Passionem, & varijs aspirationibus flammigeris, virtutes eiusdem in passione explicitas infundi tibi, pariterque ad imitationem sui animum tuum trahi à Christo flagites. Rediens ad Cellam, ad Imaginem B. MARIÆ, quæ ceu Custos iuxta fores tuæ Cellæ vigilat, paulisper subsiste; aut si festinato intrandum est, interea dum clavi reseras ostium, ora Matrem DEI, ut te quoque adoptet, possideatque in Filium, &c. Cellam ingressus semper ante ad orationem genua flectas, quam aliud quidquam facias. Salutationem igitur B. MARIÆ offerens, ora ut tibi impetret ea, quibus ipsa maximopere placuit SS. Trinitati, gratiam scilicet profundissimæ, ac perfectissimæ humilitatis, gratiam purissimæ castitatis, gratiam ardentissimæ charitatis, &c.* Hæc ille; quæ sanè saluberrima, fructuosissimaque spiritus documenta, si novelli Christi Tyrones amplectantur, pulcherrimam quandam Virginis in animis suis formam exprimente, ejusdemque præclarissimarum virtutum ideam repræsentâbunt, eritque unusquisque ipsorum pro modulo suo, ut & ipsa Virgo extitit, quasi *Oliva speciosa plantata in Domo Domini, quæ uberem fructum dabit in tempore suo.*

Inter ministradum Missæ Sacrificio Rosarium recitandũ

110. Quocirca suadendum omnibus hujusmodi Religiosis Tyronibus, ut ad tutissimum Virginis, à primis Religionis incunabulis, velut pulli sub alas ipsius protectionis confugiant, si à Tartareorum miluorum insidijs tuti esse desiderant; totam in eam sui profectus spem, & in Divino obsequio perseverantiæ collocent, identidemque secum recogitent, sub ejus alarum umbra, amplissimoque ipsius tutelæ Maternæ pallio, Regioque Paludamento mortales omnes, Principes, tam Ecclesiasticos, quam sæculares, Reges, Imperatores, summos deniq; medios, infimosque mirâ cum securitate delitescere. Quo schemate cum Religiosus Virginisq; devotissimus quidam Poeta noster eam fuisset contemplatus, viuam ipsius spirantemque quasi speciem hiscé versiculis, ceu viuis coloribus expressit, quos ob egregiam styli amœnitatem pietatemq; hic adscribere libuit:

M. sub suæ protectionis pallio Reges Principes mortales omnes cõtegit.

Virgo mihi auricomis stellarum, & solis amictu
Fulsit, Pathmæo fœmina visa Viro.
Alta coronatos collegerat Infula crines;
Infula non pretio, quam pietate minor.
Cætera quid memorẽ? frõs marmore planior albo:
Mixta rosis forma nix, nive mista rosa.
Stellæus ex oculis hinc, atque hinc Lucifer ibat;
Luciferi totidem nictus amantis erant.
Virginis è labris Aurora pulchra rubebat
Purpura, tam nullo Purpura digna loco.
Divite gemmabant alabastrina Colla monili,
Pectora torquatus præradiabat honor.
Flava per ambrosios scapularum efflorida colles
Cæsaries, humeris dulce fluebat onus;
Ex humeris, amplo sinuosa lacinia tractu,
Pandebat latum Matris utrimque latus.
Pallia dixissem, nisi Maiestate vetarer:
Palla fuit pompa splendidioris opus
Cyclada dixissem, sed & hoc quoque nomine fallam;

Patrocinij B. V. elegans descriptio

Palla

Sub protectionis Virgineæ pallio latet totus Mundus.

Palla suo claudit Regna, Ducesq; sinu.
Palla vagè explicitis operit, mare littora, Terras
Flexibus, in tegete hac Machina magna latet.
A Mundo hoc tegitur muliebri Mundus; Asylum
Veste sub hac, placidum plurimus Orbis habet.
Vidi hic Pontifices; vidi arrhâ, & murice claros,
Supplicuo Mystas procubuisse genu.
Hic Solia, hic magnos vidi cum Cæsare Reges:
Hic stricto horribiles ense latere Duces,
Infula, Clauus, acerra, Pedum, Diadema, Corona
Purpura, Lorica, malleus, occa, ligo.
Omnia cum Dominis cultoribus Instrumenta

M. Publica Orbis Porticus, ac Domus

Synthesin hanc Tectum constituere suum
Hac Domus, hoc Culmē cōmune, hac Porticus orbis,
Publica. Quis vestrum hanc Pallia iure vocet?
Astrorum pictura frequens variarat amictum:
Quis Vestem hanc Cœlum non magis esse putet?
Pallam omnem, & latè spatiantia flumina tela
Vna coercebat fibula: Gemma fuit.
Et puto Gemma fuit Carbunculus, arte notatus.
Aspicio, & sculptum; VIRGO PATRONA; lego.

Pallium B.V. Stellis distinctum.

111. Ad hanc ergo Patronam Virginem mortales quidem omnes, qui fallacis Mundi, carnis, ac Cacodæmonis insidias, assiduasque pugnas experiuntur, maximè vero horum certaminum inexperti Tyrones recurrant, sub ejus Regio hoc, amplissimoque totum Orbem obtegente paludamento sese abscondant, ut tuti à tam cruentis hostibus evadant. Ipsam Ducem in difficillima hac periculosissimaque ad cœlum via sequantur, ejusque humilitatis, obedientiæ, castitatis, paupertatis, patientiæ reliquarumque virtutum vestigijs insistant, si tutè in via Domini progredi concupiscunt. Quod si faciant benignissima Virgo nostra velut Mater amantissima eos per hascé salebrosas, lubricasque Religiosæ vitæ semitas securos quasi manu ducet.

M. in via Divini obsequij tanquam Dux sequenda.

112. Expertus olim est benignitatem hanc Virginis Bernardus Adolescens, filius ejus amantissimus, quem ipsa DEI Mater Manu prehensum specie Iuvenis pulcherrimi magna candidatorum comitata caterva ad S. Stephanum II. Abbatem Cistercij ad Tyrocinium deduxisse visa est. Cum enim in primis sacri hujus Ordinis initijs subinde vir ille Sanctus anxius hæreret, diffideretq; de ejusdem progressibus, dum die quadam cum lacrymis orationi vacaret, misericordiæ Mater ei sese visendam exhibuit, hisque dulcissimis verbis eum affata est: *Noli de cætero affligi, semper enim in conspectu meo fuerunt lacrymæ tuæ, pro quibus hos omnes quos vides, Ordini tuo obtinui, & reservaui, qui indies augebitur & dilatabitur. Inter cæteros verò hunc tibi commendatissimum esse volo, quia eum à multo tempore in peculiarem Filium mihi elegi.* Chrysost. Henriquez lib. 2. Fasc. SS. Cister. Dist. 26. c. 1.

S. Bernardus manu B.V. ad DEO serviendum deductus.

113. An non Tyro hic religiosissimus sub umbra Virgineæ manus, amplissimoque ipsius paludamento protectus, tutè & absque errore per vias rectas deductus est? Vnde quid mirum si tantos, tamque eximios in sanctioris vitæ instituto progressus fecerit, & purissimo DEI Matris lacte nutriri meritus fuerit? Hinc est, quod propriâ doctus experientiâ, simulque agnoscens, quod manu propriâ ipsum in Religiosæ vitæ via ita benignè deduxerit DEIpara, scriptum posteritati reliquerit. Hom. 2. super Missus. *Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis.* Ejusdē similiter patrocinij amplissimo protectus pallio, ejusque effusissimam in omnes charitatem expertus merito serm. de Verb. Apo. scripsit: *Quid ad MARIAM accedere trepidat humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est, omnibus offerens lac & lanam. Deniq; omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem se facit, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine eius accipiant uniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam, Filij Persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore eius.* Ad linum ergo Virginis Iuvenis ille qui exemplo Bernardi fervens Novitius esse cupit, confugiat, accendet illum Mulier hæc amicta Sole, inque via Divini obsequij Aquilinas illas suas illi addet alas, ut volet, & non deficiat, currat & non laboret, donec ad apicem perfectionis cū Parvula Virg. in Tēplo præsentata attingat.

M. deducente in hujus vitæ via, tuti ambulamus.

M. omnibus benefica.

MEDITATIO XX.

I.



Ontemplare anima mea Deiparam Virginem sanctissimam, Donum esse à DEO ter opt. Max. datum mortalibus inter omnia creata dona, ac munera præstantissimum. Sive enim ejus sacratissimam spectemus animam, charismatis

Spiritus Sancti, velut preciosissimis monilibus ornatam, sive corpus, quod velut Filij Dei domicilium augustissimum, omnium virtutum ornamentis decorari atque ditari meruit; sive Dei ipsius eximium amorem, quo Virgo humano generi, ad Divinam gratiam sibi conciliandam conceditur. Hæc omnia sanè hujusmodi sunt, quæ summam hujus Doni præstantiam, ac nobilitatem arguunt, nosque summæ illi, æternæque Majestati arctissimè devinciunt.

2. O charitas infinita! ò pietatis Dei nostri amantissima viscera, quibus Mundum, primæ Matris scelere perditum, invisere, nobisque Matrem verè vitâ immortali, ac Divinâ, viventium, Stellam hujus periculosi, ac tempestuosi maris; spei nostræ Anchoram, Portum Salutis, Asylum tutissimum, Civitatem munitam nostri refugij, Turrim denique tutissimam ad resistendum Tartareis inimicis donare non est dedignatus.

3. Agnosco Deus meus, agnosco effusissimum illum tuum in homines amorem (qui semper primi doni rationem habet) etiam in hoc Dono tam eximio, siquidem ex puro humanæ salutis amore Donum nobis hoc novum, preciosissimum, ac pulcherrimum impertitus es.

Amans enim hominum salutem, ejusdemque perdendæ innumera prævidens pericula, Protectricem potentissimam, Mulierem illam verè fortem, cujus precium procul, & de ultimis finibus est. Heroinam bellatricem denique nobis, solitâ tuâ pietate, ad salvandum nos de Infernaliũ hostiũ manibus submisisti.

4. Noveras Deus meus, arduam, ac difficilem è terris ad cœlos miseris mortalibus, è pulvere, lutoque concretis esse viam, ideò nobis de Scala hac securissima prospexisti.

5. Noveras Dœmonum vel miluorum rapacissimorum assiduas in homines insidias, ideò de Aquila hac, magnarum alarum, super pullos suos volitante & expandente alas suas, ideò de Gallina hac congregante pullos sub alas, plusquam paternâ pietate nobis providisti.

6. Noveras denique hominis naturam ad peccandum fragilem, ad tuum Numen offendendum, irritandumque proclivem, ideò effusissimâ pietate, ac bonitate Patronam ei, Mediatricem atque Advocatam tuæ Majestati gratissimam, atque acceptissimam instituisti, ut ipsa pro nobis apud te causam dicat, culpas excuset, & in tremendo illo judicio, ostensis tibi suis illis summæ pietatis, (pectore videlicet atque uberibus, quæ olim suxeras) monimentis ad commiserationem hominum flecteteris.

7. Quid tibi nos pro tanto munere reddemus, quæ grati animi signa, pro tam insigni beneficio demonstrabimus? quas laudes, uti par est, tibi decãtabimus, ac deferemus? Non alias sanè gratiores, ac Majestati tuæ acceptiores quam ipsam Virginem Matrem tuam dilectissimam (siquidem S. Ephræm eam Canticum Cherubin, ac Seraphin, Hymnodiamque Angelorum consalutat) quo gratiarum tuarum hic exuberans fluvius, illuc unde originem traxit refluens, rivis perennibus, incrementisque copiosioribus in nos æviternum fluat. Hæc Virgo nostrum tibi sit Munus acceptissimum, hæc nostræ gratiæ, hæc perpetuæ, immortalesque laudes. Ipsa enim est, quæ tua in genus humanum collata dona, ac beneficia præclarè decantare, ac magnificare Psalterio illo suo decachordo novit.

8. Quod Seraphicus famulus tuus Bonavent. probè sciens Psal. 62. amore tui, Virginisque exæstuans, canebat: *DEUS, DEUS meus, per Matrem tuam te glorificabo. Virginaliter enim te concepit, & sine angustia te parturivit.*

Glorificabo & ego te, per Matrem hanc tuam dilectissimam, quam nobis donando, ut Matrem viventium, vivificasti nos vita gratiæ tuæ, vitæque sempiternæ tecum cohæredes effecisti. Glorificabo te Deus meus per Matrem tuam, cujus fœmineâ imbecillitate, velut Muliere illâ forti, ac bellatrice ad Tartareas phalanges debellandas, ad potentiam tuæ Divinæ virtutis Mundo ostendendam, usus es, ut non glorietur in conspectu tuo omnis caro. Glorificabo te Deus meus per Matrem tuam in qua velut Civitate Refugij, ab iræ tuæ severitate, justitiæque rigore mortales abscondisti, ut invenirent gratiam in tempore opportuno.

Glorificabo te Deus meus, per Matrem tuam, in qua nobis *Turrim, de qua mille clypei pendent, omnisque armatura fortium* constituisti, ut ad illam recurrentes ab Infernalium inimicorum insidijs, ac invasionibus tuti, ejusque protectionis clypeis, ac panoplia muniti, atque in-

structi

structi de acerbissimis hostibus, mundo, carne, ac inferno gloriosam reportent victoriæ palmam, ac triumphum.

Glorificabo te Deus meus per Matrem tuam, in quâ nostrarum animarum salvandarum, in cœlumque pertrahendarum cupidus, Scalam nobis, per quam in supernam patriam facillimè conscendere valeremus, præparasti.

Glorificabo te DEVS meus per Matrem tuam, in qua nobis fidissimam Advocatam, atque Mediatricem in Curia tua cœlesti apud tuum Tribunal, ad iram tuam placandam, ad gratiam Divinam nobis conciliandam, ac demerendam; ad negotia denique nostræ Salutis pertractanda constituisti.

Glorificabo te denique Deus meus in Matre tua, in cujus manibus gratiæ tuæ imensos Thesauros mortalibus dispensandos effusissimâ liberalitate reposuisti, Thesaurariam tui Regni æviterni, opumque illarum cœlestium prorsus inexhaustarum Dispensatricem efficiens, quo facilè possent omnes comprehendere, te, donando nobis hoc tam novum, ac eximium, preciosum, ac incomparabile, pulcherrimum, rarissimumque Donum, donasse quoque omne illud, quod vel hominibus, vel supernis illis Spiritibus, post te potest unquam esse desiderabile, atque expetibile. Tibi proinde pro munere hoc tã insigni, gratijsq; iñumeris referto, tantâq; charitate, atque liberalitate Orbi universo impertito, perpetuas, æternasque gratias, quam maximas animi nostri complecti possunt angustiæ, tibi laudes, nullo unquam tempore terminandas rependimus. Laudent te omnes Angelorum, Sanctorumque Chori, tibique Divino tuo amore scintillantes, ac jubilantes, gratissimum illud assiduo concinant Trisagion. Tibi omnis creatura quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo decantet nullâ interposita requie: Benedictio & honor, & gloria & potestas in sæcula sæculorum, Amen. Apoc. 5.

9. Quid verò de te, tuisque laudibus dicam, ò Virgo, ò preciosissimum, ò gratissimum Dei Donum, singulari providentiâ concessum mortalibus? Tu ex puro Dei amore donata es nobis, eodéq; amore stimulante nobis te pro cõsueta tua benignitate donas, ubertimq; varijs, mirificisque modis cõmunicas. Quid ergo tibi rependemus?

Habemus imprimis in te Donum, omnia penè Dei munera, ac gratias complectens; dona igitur te nobis, & divites sumus satis. *Maior est enim charitas tua cunctis divitijs, & gratia tua super aurum & lapidem preciosum*, ut ait tuus Psalmista Psal. 107. Et quia ultro te offerre, ultrò te donare, & præ cordis nostri foribus assidere, ut tibi consanguineus loquitur Sapiens Sap. 6. copiam tuæ gratiæ factura, pro innata tibi charitate, consuevisti, me quoque tibi totum dono, ac offero, tibi cor, animumque meum devoveo, meus amplius esse nolo, sed tuus. Tu igitur quæ à castissimo illo tui Amatore, Raptrix cordium vocaris, rape hoc cor meum, rape hanc animam meam, Sinu tuo purissimo confove, emunda à peccatis, reple gratiâ, ac fervore charitatis, ut tibi, tuoque dilectissimo Filio sit semper quam acceptissima, quam devotissima.

10. Habemus in te ò Domina Protectricem, & in Dæmonis tentationibus, ac insidijs fidissimam Auxiliatricem. Rogamus igitur te quam humillimè cum tuo Seraphino Psal. 51. *Contere eum Domina pede virtutis tua, exurge & dissipa malitiam eius, Extingue potentiam eius, & virtutem eius redigie in favillam, ut viventes exultemus in nomine tuo, ac læto animo dicamus tibi laudem.*

Habemus in te Aquilã illam grandẽ magnarum alarum, habemus piam Matrẽ, pullos sub alis suis confoventem. Proinde cum eodem tuo devotissimo Servo tibi supplico Psal. 53. *Domina in nomine tuo salvum me fac, & ab iniustitijs meis libera me. Vt non noceat mihi calliditas inimici, sub umbra alarum tuarum protege me. O Domina mea adiuva me, gratiam tuam largire animæ meæ, Quoniam ex omni tribulatione liberabis me, & inimicos meos despiciet oculus meus.*

Maria Aquila alis suis nos protegens

11. Habemus in te Advocatam & Mediatricem clementissimam apud Filium; tuis igitur sanctissimis quam humillimè pedibus provolvimur, tibi supplicamus cum eodem Bonav. Psal. 35. *Inclina vultum DEI super nos, coge illum peccatoribus misereri. Domina in cœlo misericordia tua, & gratia tua diffusa est super terram. Potentia & virtus in brachio tuo, robur & fortitudo in dextera tua. Benedictum sit imperium tuum super cœlos, benedicta sit magnificentia tua super terram.*

Maria inclinat Dei vultum ad nos, cogitque eum peccatoribus misereri.

12. Habemus in te Dominam, ac Regi-

Reginam, rege igitur nos, rege animam, rege corpus; en omnia mea tuo subjicio dominio, ac potestati. Protestor ò Domina cum tuo Bernardo, & dico animitus, dico medullitus: *Sub tuo Regmine ò Domina volo de cætero militare. Me totaliter Dominationi tuæ committo, ut plenariè me regas, nihil meæ insipientiæ dimittens de mei regimine. Quicquid enim mihi dimiseris, noveris miserrimè destruendum. Sed cùm plenus sim miseria, à vertice, usq; ad pedum plantas, & putrefactus, horrorem, fœtoremq; gravem exhalem, quomodo dignaberis me regere tam nobilis Creatura? At quoniam Regina es misericordiæ, nos qui sumus miseri, sumus utiq; necessariò tuæ misericordiæ subditi. Vnde fit, ut multum sis solicita, de miseris, hos in tuos filios adoptasti, hos regere Domina voluisti. Nos ergo miseri tecum de cætero consolemur, tecum amodo Domina habitemus, te mentis visceribus amplectamur.*

13. Habemus in te Civitatem Refugij, habemus turrim munitissimam, de qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium. Nos igitur ò Mater gratiæ, ò Mater misericordiæ ab hoste protege, nos defende, nos armis tuæ potentiæ circumda, ne unquam Tartarei hostes nos expugnent, irrideant, & incaptivitatem redigant. Nonne cernis ut nobis die, noctuque insidientur, nonné cernis quanta rabie ad instar Leonum rugientium præparatorum ad escam nos assiduè impetant, & adeo impetant, ut respirandi nulla nobis permittatur facultas? Quare exaudi orationem meam, cum tuo Bonaventura tibi rursus supplicò Psal. 60. *super firmam petram stabilias mentem meam. Esto mihi Turris fortitudinis; me tuearis à facie crudelis vastatoris. Vt castrorum acies sis illi terribilis, & vivus corruat in profundum Inferni. Miserere mei Domina* (ejusdem servi tui verbis utor Psal. 15. quo facilius apud te gratiam inveniam & auxilium in tribulatione) *Miserere,* inquam, *mei Domina, quoniam conculcaverunt me hostes mei quotidie. Omnes cogitationes eorum in malum contra me. Excita furorem & memento belli, effunde super eos iram tuam, Innoua signa & immuta mirabilia, sentiamus auxilium brachij tui. Glorifica nomen tuum super nos, ut cognoscamus quoniam in sæculum misericordia tua.* Rogamus te iterum, atque iterum cum eodem tuo servo Psal 54. tibi canente: *Glorifica manum tuam & dexterum brachium tuum, ut prosternantur à nobis inimici nostri. Ad te clamamus Domina, ad te suspiramus: quia, ut tuus dilectus Filius Bernardus tibi loquitur; Vulnera sustinemus, plagas sentimus, quia inimicis undiq; circumdamur. Clamamus angustiati, miserijsq; infinitis oppressi. Clamamus cordis anxietate, doloris acerbitate, imò & erga te amoris immensitate. Quare ergo obdormis Domina? surge, adiuua nos. Clamamus ad te, ut nostram manifestemus necessitatem, quia clamare necessitas nos compellit. Citò, citò Domina subuenias clamanti, ne in manibus deficiam inimici. Curre, festina Domina, & nequissimum, infidelissimumq; seruum ad te clamantem parcendo adiuua, & eripe de manu & periculis tui hostis. Si aliud te allicere Domina non deberet, nisi quia tuus hostis audet nos tuos seruos inuadere fraudulenter, deberes ad nos quamtocius festinare. Curre, & libera nos Domina curre ad eorum superbiã reprimendam. Curre ne dicant ubi est eorum Domina, de cuius clementia confidebant.*

14. Habemus in te inexhaustum omnium cœlestium bonorum, ac gratiarum thesaurum; dita ergo Domina diligentes te, & cordis nostri thesauros reple. Novimus Domina te esse liberalissimam, novimus te opulentissimam, varijsque virtutum gemmis exornatam; novimus largissimis tuis manibus cœlestes opes esse reconditas, atque concreditas, teque habitâ, habere nos Donum omnium donorum ditissimum, opulentissimum, ac præstantissimum. Hoc nos, hoc Virgo beatissima, in hac adhuc vita degentes beat, dum ad æternam gloriam nos prædestinatos esse, certiores reddit; hoc nobis est sempiternæ beatitudinis pignus; hoc nos beatorum, in hac adhuc lacrymarum valle gaudia prælibare facit, omniumque bonorum spiritualium replet ubertate.

15. Habemus in te denique Virgo sacratissima dono, ac munere planè Divino, habemus, inquam, Scalam, cui nixa mortalis infirmitas, ac imbecillitas ad cœli patriam possit facile pervenire. Trahe igitur nos post te, ut in unguentorum tuorum, suavissimarum nempe virtutum odorem currentes, vestigijsque tuis, insistentes in cœlum, te Duce introducamur, atque sanctissimæ Trinitatis conspectibus æternùm contemplandis, aliquando præsentemur.

16. Interim ego me tibi totum præsento, do, dico, addico, resigno, atque devoveo, quemadmodũ tu teipsam Creatori tuo in Donarium æternum; tibique


bique cum tuo Iusto Landspergio famulo tibi devotissimo tuis pedibus provolutus clamo medullitus: *O clementissima V. M. ò pijssima desolatorum Mater, omnium consolatio, Regina misericordiæ, post Christum unica spes animæ meæ, ad te dulcissima confugio, ad benedictissima tua, ac Virginea pedum tuorum vestigia me totum, corpus & animam, velle, & posse, omnes necessitates, & euentus meos tibi resigno, tibi offero, ac commendo; & mihi ipsi omnibus modis renuncians totum me dono materna cura, ac custodia tua, eligens te hodie, ac in perpetuum in Matrem, ac Dominam meam. Itaq; per benedicta viscera misericordiæ tuæ, per pietatem & clementiam Virginei cordis tui, sub quo novem mensibus requieuit Filius tuus, obsecro te, noli me abijcere à misericordia tua, noli me spernere Virgo humillima propter innumera, ac enormia peccata mea, sed propter eum, qui pro me nudus expansis manibꝰ ante oculos tuos pepēdit me in Filiū accipe, non ponderans meam vilitatem, nec peccatorum meorum turpitudinem, sed Virginei pectoris tui clementissimam, indeficientemq; misericordiam. O tutissimum peccatorum refugium. O mulier virtutis & clementiæ. O puteus inexhausta pietatis, suscipe me tu cum S. Ioanne custode tuo, in Filium, dirige, & guberna me, protege, custodi, & libera me, ab omni peccato, ab omni malo, & ab omni quod tuo Filio displicet. Dono me tibi totum quantus sum, ò Donum nobilissimum atq; Divinissimum singulari ex DEI pietate mortalibus concessum; fac me, quæso de numero Filiorum tuorum, qui singulari privilegio cordi tuo profundius inscripti sunt, & qui magis sunt tibi devoti. Dulcissima Virgo imprime tui amorem castissimum ferventissimumq; cordi meo, & impetra mihi, ut vitæ tuæ virtutes, quibus placuisti DEO, castitatem videlicet, humilitatem, mititatem, charitatem, ac misericordiam, reliquasq; omnes ita imiter, ut Filio tuo, tibiq; semper totus perfectissimè placeam. Impetra mihi, ò Dulcissima fœlicem mortem, quo in passione, ac morte, sanguineq; Filij tui purgatus, totusq; reconciliatus, illico post mortem, vitam illam ex singulari DEI Filij tui misericordia recipiam æternam.*

Oratio qua nos offerimus B. Virgini.

B.V. rogāda pro fælici morte

AMEN.

AVE MARIA.






DISCVRSVS XXI.

Quod DEIPARA Virgo sanctitatem ipsius Spiritus Sancti in se repræsentet.

Et ædificavit sicut Vnicornium Sanctificium suum in terra. Psal. 77. v. 69.

I.



PRæclarè sanè imò divinè hiscé verbis Regius Propheta David Reginæ sanctissimæ de sua stirpe olim oriundæ, magnæ illius DEI Parentis sanctimoniam celebravit. Prævidens enim luce Spiritus Sancti irradiatus, eam in Templum, in sanctuarium, in sancta sanctorum, in ipsius denique Divinæ Majestatis domicilium sacrosanctum, ipsius DEI Omnipotentis ter opt. terque Max. manibus infinitâ sua sapientia ad excipiendum Divinum illum, potentissimumque Monocerotem, qui de sinu Patris in sinum purissimum immaculatæ Virginis erat descensurus, ædificandam, antro seu splæo Monocerotis mundissimo, eandem comparavit.

Maria Dei Sanctuarium, in quo DEI Filius velut Vnicornis habitavit.

Quæ Psalmistæ verba expendens Venerabilis Beda suis in Psal. 77. Commentarijs: *Ædificavit*, inquit, *Templum suum, ita mundum, sicut est habitaculum Vnicornium. Vnicornis enim est animal castissimum. Vnde etiam non capitur nisi per veras Virgines, quia ad eas venit, & caput in gremium earum imponit, ac obdormit; diciturq́ habere mundissimum habitaculum.* Addit P. Quirinus de Salazar in Defens. Immaculatæ Concept. cap. 26. num. 13. Vnicornium à spelæo seu cavea in qua degit omne venenatum animal, omnia virulenta, odore, atque halitu suo procul abigere, ac necare.

Vnicornis est Animal castissimũ.

Ex quo infert DEIparam Virginem ab omni prorsus labe, veneno, ac virulentia peccati, tam actualis quam originarij fuisse immunem, siquidē ipsius DEI sacrosanctis manibus, in sanctuarium seu domicilium tremendi illius, fortissimique Monocerotis (qui spiritu labiorum suorum interficiet impium, cuiquè, & de quo in suo Cantico canebat Moyses Deut. 39. *Cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usq́ ad extremum terræ*) ædificanda erat, ideoq; Sanctificium Vnicornis, quasi sanctum ædificium, ut ait Iacobus de Valentia, quod sibi uni DEI Filius construxit ad habitandum, appellata fuit.

Vis Monocerotis in cornibus mira.

2. Pater quoque Nicolaus Caussinus lib. 7. Hierogl. 82. ex Pomerio & Vincentio refert, quod ipsa etiam docet experientia Monocerotis cornu præsentissimum esse contra omném vim venenorum Alexipharmacum. Vnde in Africa, ubi propter infinitam serpentum multitudinem sæpe contingit pellucidos amnium liquores veneni tabe infuscari, Monoceros admirabili illa quam gerit in cornu virtute, aquas expurgat. Hujus igitur vestigia cætera animalia consectari solent, & ad fontem quidem anhela sistere, donec ille, intincto cornu labem aquarum eluerit, id ubi senserunt, deposito statim omni metu salutaribus lymphis sitim restinguunt. Quod sanè quam bellè immaculatæ Virginis nostræ Conceptioni quadret, nemo non videt. Cum enim illa fuerit Congregatio illa aquarum quam DEUS initio mundi vocavit: MARIA; cum sit etiam fons hortorum puteus aquarum viventium fluentiū cum impetu de Libano cœlorum, & Divinus ille Rhinoceros Virgineis hiscé

Monoceros suo cornu purgat aquas.

hiscé aquis quodammodo per Incarnationem sese totum immergere debuerit, potuit sanè omnipotentiæ suæ cornu Virginem ab omni, non modo originalis labis, verum etiam actualis cujuscumq; veneno præservare, utpote quæ increatæ illius Sanctitatis delecta erat in domicilium, ac Sanctuarium.

3. Qua ex consideratione admirabilis prorsus, incomprehensibilis, atque ineffabilis, soli Deo cognita deprahenditur Deiparæ sanctimonia, quam B. Patriarcha Laurentius Iustinianus serm. de Annunc. contemplans, nec mente sepire, aut verbis pro dignitate eloqui valens, jure merito, ita suam orsus est orationem: *Quoties intemerata Virginis MARIÆ prerogatiuam sanctitatis facundia humana conatur edicere (quoniam longè ab eius existit meritis) necesse est ut succumbat. Melius quippe silentio, quam locutione differitur, cum omnis laus eidem inferior sit. Quis ore huius Virginis gratiam sufficit enarrare? Ab ipsa namq; sui conceptione in benedictionibus est preuenta dulcedinis, atq; à damnationis aliena chirographo, prius sanctificata, quam nata. In ipso enim utero materno jam posita, super illam sanctificationis gratia effulsit, utpote ei, quæ electa erat ut pareret DEVM. Nouerat opus suum ille, qui fecerat, & quale futurum erat, certissimè agnoscebat. Hinc est quod Virginem ipsam tam largo imbre spiritus irrorauit. Erat planè sicut à carnis colluuione immunis, ita & ab omni peccati labe extranea. Degebat quidem in carne, conuersabatur supra carnem, carnisq; molestias nesciebat. Talis profectò erat ut nulli seruaretur usui, nisi Diuino. Quamobrem cum temporis plenitudo venisset, in quo Vniuersorum Conditor humanum genus redimere statuerat, hanc præ cæteris reperiens sanctiorem, sibi præcipuam delegit in sponsam, ipsam mente, ipsam corpore custodiuit intactam, ut esset de qua Verbum fieret caro, ac mulieris pudor per eam deleretur, ac culpa.* Hæc Iustinianus.

Mariæ laudes ineffabiles.

M. nulli usui serviebat nisi Divino.

4. Ejusdem Virginis perfectionem, ac sanctitatem S Germanus Archiep. Constant. orat. in Deipa. attentè considerans, eam rebus illis, quæ vel mente humana capi, vel lingua edici minimè possunt comparavit: *Si*, inquiens, *palmo metiri terram possumus, ac funiculo mare circumscribere, si cubitis cœlum continetur, & stellarum numerari copia potest, si guttæ pluuiæ, tellurisq; gleba, ventorumq; impetus, atq; arena comprehenduntur, certè facile quod præ manibus est argumentum comprahendi poterit, DEI nimirum Genitricis festus dies, atq; eius admiranda Virginis Perfectio.*

M. Sanctitas incomprehensibilis.

5. Hujus perfectionis atq; sanctimoniæ planè incomparabilis, B. Andreas Cretensis Hierosol. Episc. orat. de dormit. Virginis, perculsus admiratione, in illam erupit vocem *O Virgo Regina omnis humanæ Naturæ, quæ habes incomparabilem cum alijs appellationem, quæ solo DEO excepto es omnibus altior;* quibus sanè verbis tacitè insinuare voluisse visus est Deiparam sanctitate omnibus reliquis Sanctis, Angelicisque ipsis spiritibus post Deum esse longè sublimiorem. Vnde hanc ob causam Venerabilis Hugo de sancto Victore, eam Auroræ splendore sanctitatis suæ, reliqua astra, quæ ille veteris Testamenti Sanctos, cæcam ignorantiæ atque infidelitatis noctem illuminantes, esse dixit, comparavit. Sic enim ille in Instit. Monast. serm. 34. *B. V. MARIA Aurora fuit, quia & præcedentis temporis, quod quasi nox fuerat finis extitit & vera lucis gratiæ, solisq; justitiæ, qui ex ipsa progenitus est præventrix, & ante lucanum Sydus fuit. Totum namq; tempus quod ab Adam usq; ad eius ortum præcessit, quasi nox extitit; nox longa, obscura, frigida, otiosa, torpida, somniculosa, tacita, imo muta fuit. Nox absentia vera lucis, longa, diuturnitate temporis; obscura, tenebrositate infidelitatis; frigida, defectu charitatis; torpida ab exhibitione boni operis; somniculosa, obliuione beatitudinis; tacita à voce verè confessionis; muta à cantico Diuinæ laudis. Exceptis quippe paucis personis, qui præcedenti tempore populum illum antiquum de suis prauitatibus castigabant, mysteriaq; futuri Saluatoris, Ecclesiæq; more Gallorum, die, nocteq; præcinentium prænunciabant, totus penè mundus silentio somnoq; premebatur. Quædam tamen astra suis radijs tempus illud irradiabant; quia sancti Patriarchæ & Prophetæ, suis virtutibus ignorantiam populi illius illustrabant. Quorum radij, Aurorà apparente quodammodo offuscati sunt, quia in comparatione B. MARIÆ præcedentes Sancti paruam claritatem habuerunt. Quid enim fuit Innocentia Abel, Iustitia Noe, Fides Abrahæ, longanimitas Isaac, tolerantia Iacob, continentia Ioseph, mansuetudo Moysis, fortitudo Iosue, charitas Samuelis, humilitas David, zelus Eliæ, abstinentia Danielis, eximia Sanctitas B. Ioannis, aliorumq; virtutes sanctorum in comparatione B. Mariæ? Beata igitur V. M. vere aurora clarissima fuit, quæ suo magnifico jubare præcedentium Patrum claritatem minorauit.*

M. post Deum cũctis sublimior.

M. Auroræ splendore suæ Sanctitatis reliqua obfuscans sydera.

Sancti veteris Test. sydera in nocte lucentia.

Sancti in Comparatione B. V. parvã habent claritatem.

6. Hinc B. Dam. ser. de Assump. Virgines

hujuscé Sanctitatis splendorem non modò Stellis, sed & Lunæ, imò ipsi Soli reliquos cœlestes ignes penitus quasi obtenebranti, ac delenti, contulit: *Sic Virgo*, inquit ille, *inter animas Sanctorum, & Angelorum Choros supereminens, & cuncta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit. Quantumlibet alia Stella reluceant, Luna tamen & magnitudine praeminet, & splendore. Sic utramq; Naturam Virgo singularis exuperat, & immensitate gratia, & fulgore virtutum. Porrò etsi Luna minores Stellas obscurat, non tamen denitus occultat: Sol verò, cui Virgo comparatur lucidiùs incandescens, ita sibi Syderum & Luna rapit positionem, ut sint quasi non sint, & videri non possint: Similiter & Virga Iesse veri pravia luminis, in illa inaccessibili luce perlucens, sic utrorumq; spirituum hebetat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.*

Sicut Luna & Sol reliquas Stellas luce supat: sic B. V. Angelos & Sanctos sanctitate.

7. Vnde crediderim illos Seraphinos reliquorum beatissimornm Spirituum Principes, qui juxta Virgineum hoc, Solium, in quo Deus resedit trisagion concinentes, alis sibi ora, pedesq; obvelasse, quod Virgineæ Sanctitatis fulgor eorum oculos perstringere atque hebetare videretur. Hinc agnoscentes se illi nullâ ratione esse comparabiles, præ verecundiâ, ac reverentiâ, alis suam faciem, pedesque operiebant.

Seraphini visâ B. V. sanctitate faciem velant.

8. Neque verò mirum est Mariæ Sanctitatem cum creaturarum omnium etiam Angelicarum sanctimoniâ, ac perfectione minimè conferri posse, siquidem ipsius increatæ Sanctitatis Spiritus Divinissimi, qui per excellentiam Sanctus, & ipsa Sanctitas vocitatur, viva quædam atq; expressissima Imago extitit.

9. Et licet à primo Immaculatæ suæ Conceptionis instanti, omnibus Spiritus Sancti charismatis, donis, ac gratijs cœlestibus decorata, Divinam hanc Sanctitatem æmulata sit, in ipsa tamen æterni Verbi cum humana Natura, operâ Spiritus Sancti in ejus utero, per unionem hypostaticam, facta desponsatione, singulari quâdam ratione, tam Filij, quàm Spiritus Sancti Sanctiomoniam ob intimam cum utroque, omnis Sanctitatis Fonte, unionem imitata est. Præclarè enim Magnus Dionysius, de summo Bono loquens, ejusque effectibus lib. de Div. Nom. cap. 4. *Bonum*, inquit, *quibuscunq; se perfectè insinuaverit, perfecta facit, & mera, atq; integra bona; ita planè, ut nil vel minima labecula illis admiscentur, nil quod desiderari possit inveniatur.* Quâ sanè in rê absoluta perfectio, ac sanctitas consistit.

M. Sanctitatem Verbi, & ipsius Spiritus S. repræsentavit; maximè in Incarnat.

10. Vnde B. Guerricus Abbas Ignatiensis serm. 4. de Purific. B. V. postquam dixisset, Filias Sion, animas videlicet justorum, aliqua semper labecularum suarum purgatione, sive per rorem, sive per ignem indigere; unde eas etiam in hac vita Dominus clementer emundare consvevit; mox hæc attexit: *Sed longè clementiùs & mitiùs purificata est illa, quam beatam pradicant Filia Sion, cui scilicet dictum est: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Hac nempè superna virtutis obumbratio, vera fuit purificatio MARIÆ, non ista quæ quâdam mysticâ dispensatione tantum specietenus celebrata est. Hac planè fuit tota, ac vera Sanctificatio Matris, ac Filij. sicut & Angelus exposuit ei: Ideò, inquit, quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI. Antea namq; purificanda erat Natura mortalis, ut DEVM conciperet, non posteaquam concepisset, cùm Sanctum Sanctorum concepisse, summa Sanctificatio sit, & ea, utpote quâ Mater ipsius Sanctitatis effecta sit, nihil sanctiùs esse possit.* Concludit tandem: *Omnium sanè purgationum*, inquiens, *quibus conditio reparatur mortalis, hec Beata Purificatio Virginis mitissima, ac fœlicissima fuit, nec potest esse nobis nisi admirationi.* Hæc Abbas pijssimus de modo quo Divinus ille Spiritus summum, æternumque Bonum, ipsaque puritas, ac substantialis Sanctitas Deiparam purificavit, ac sanctificavit.

B.V. purissima, nullâ Purificatione indiguit.

M. Sanctû Sanctorû concipiêdo summam Sanctificationem acepta.

Increatum enim hoc, summumque Bonum, ita se in Virginem insinuavit, ut in ejus tā mente, quàm ventre habitaverit, perfectamque, puram, ex integro bonam, ac Sanctam reddiderit.

11. Vnde & ipse Filius ob sanctimoniam tam Matri, quàm Humanitati communicatam, per excellentiam Sanctus Sanctorum dictus est. Et ipse similiter Divinissimus Spiritus eadem de causa, Virginem suâ obumbrando virtute, idem Sancti nomen sortitus est, ut observavit Rupertus Abbas, cùm ante, ut plurimùm non nisi, Spiritus Dei, Spiritus Domini in sacrarum literarum monimentis nuncuparetur. Sic anim ille commentarijs in Matthæum verba illa cap. I. expendens. *Quod in ea natum est, de Spiritu S. est. Ante hac*, inquit, *Spiritus DEI, Spiritus Domini dicebatur, nec in toto veteri testamento invenies, Spiritus Sanctus. Ab hoc loco ferè primum sonuit, in auribus nostris hoc reverendum, & insigne vocabulum, proprium*

Christus Sanctus Sanctorû, quia Matrem, ac Humanitaté nostrâ sanctificavit.

SpiritusS. sic dictus; quia Mariam sanctificavit.

proprium, ac absolutum, Spiritus Sanctus. Vbi Angelus ad MARIAM; Spiritus Sanctus superveniet in te. Et ad Ioseph: Quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est. Quam ob causam? Nisi quia (quod cum magna reverentia cogitandum est) maximè ex hoc opere, quod in MARIA operatus est, claruit hic Spiritus Domini, quod verè Sanctus sit. Quasi hinc significetur Sanctitas Humanitatis Christi, tam eximia extitisse, ut non nisi ab ipsa Sanctitate Personali condi potuerit. *Et hinc incipiat Spiritus Divinus appellari Sanctus*, ex quo aperuit in terris illum totius Sanctitatis Fontem.

Divinus Spiritus in Incarnatione Verbi vocatus est Sanctꝰ

Licet enim & Pater, & Filius Sanctus sit, inquit idem Rupertus, *quia tamen tota Persona huius Operatio, non aliud nisi Sanctificatio est, ideò Sanctus, peculiari ratione Divinus hic Spiritus appellatus est. Sicut enim Pater omne quod factum est, per Filium fecit; sic omne quod sanctum est, per Spiritum suum sanctificavit. Quid enim est Spiritus eius nisi Amor eius? Et quomodo creatura quæcunq; rationalis aliter, nisi amando Creatorem, potuit unquam, vel potest sanctificari? Igitur quamvis & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater Sanctus, & Filius Sanctus sit, rectè tamen hæc sola Persona, Spiritus Sanctus debuit nuncupari, cuius operatio propria, creaturæ Sanctificatio est; sine quo nec Angelus sanctus, nec homo sanctus est; quem non habens Angelus, Diabolus est; quem non habens homo, Antichristus vel membrum Diaboli. Huius Sanctificationis Summam esse, nemo est qui nesciat, id quod in Beata MARIA natum est, imò & Principium eiusdem operationis, id est, Sanctificationis illa conceptio est. Deniq; ipsa est prima, in quam iste Spiritus illo cum Dato supervenit, propter quod & dicitur Spiritus S.* Hæc Rupertus.

Tota Spiritus S. operatio Sanctificatio est.

Nulla creatura nisi amando DEUM sanctificatur.

12. Et meritò sanè ob Sanctificationē Humanitatis, psiusq; Virginis Spiritus hic Sancti nomen sortitus est, qui priùs ob totius Trinitatis Sanctificationem à Seraphinis Sanctus prædicatus est. Unde S. Augustinus eundem Spiritum vocat, *Vnitatem, Charitatem, & Sanctitatem Patris & Filij.* Et 11. de Civ. cap. 24. *ait Spiritum esse tamquam sanctitatem consubstantialem amborum, scilicet Patris & Filij.*

Spiritus S. est Vnitas, Charitas, & Sanctitas Patris & Filij.

Cùm igitur gloriosissimæ Virginis Sanctitas à duplici omnis Sanctimoniæ, & perfectionis cujuscunque fonte, ac radice per intimam tam Filij, quàm Spiritus Sancti, cujus castissimus extitit Sponsus, nexum, originem sortiatur, facilè sanè erit intelligere, quam perfecta, quam absoluta, & Divinæ illi Sanctitati extiterit quam simillima.

13. Memorat P. Iustinus Michoviensis Ordinis Prædicatorum Vir eruditissimus To. 1. in Lit. Lauret. Dis. 138. n. 16. ex Ioanne Bapt. Fulgoso, in Pannonia juxta Sirmium Urbem repertam Vitem, cujus pampini ex auro purissimo erant quasi conflati. Hujus prodigij, cùm indagarent causam curiosius, Vitem illam, in Vena auri radicatam repererunt. Talis est nimirum Vitis nostra Virginea, quæ de se apertè prædicat Eccli 24. *Ego quasi Vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructûs honoris & honestatis;* Quæ cum radices suas in gemina illa auri purissimę Divinitatis Filij, & Spiritus Sancti defixas quodammodo habeat, tota Aurea, tota pura, ac Sancta ad instar increati illius Auri, omnem etiam Angelicam puritatem longè transcendens, sit necesse est.

Vitis aurea reptà in Pannonia.

M. Vitis aurea, in vena Auri Divinitatis radicata.

14. Quam ob causam S. Greg Thaum. ser. 2. de Annunc. Deiparam puritatis atque integritatis immaculatum simulachrum appellavit. *Et ideò*, inquit, *aspectum Angeli, sicut plures ex Prophetis non reformidauit, quoniam & affinitatem quandam & similitudinē vera Virginitas cū Angelis habet:*

M. puritatis immaculatum simulacrū.

Eodem sermone affirmat Naturam in Sanctificatione Virginei hujus Sacrarij stupore hæsisse attonitam: *Spiritus Sanctus*, inquiens, *in immaculatum Virginis Templum ingressus est, & sanctificata est mens eius simul cum membris; stetitq; Natura ex adverso cum stupore spectans Dominum Natura, præter Naturam, atq; adeò super Naturam rem admirabilē in corpore perpenetrantē.*

In Mariæ Sanctificatione Natura obstupuit.

15. Porrò ut nobis hæc Virginea Sanctitas Divinæ illius æmulatrix magis elucescat, quidnam Divina sit Sanctitas, necesse est, intelligamus.

Doctissimus simul, ac pijssimus Leonardus Lessius noster lib. 8. de perfectionibus Divinis cap. 1. Sanctitatem generaliter sic definivit: *Sanctitas est bonitas moralis, quæ generaliter nil est aliud, quàm perfectio morum in actu, vel habitu, quæ etiam in scripturis vocari iustitia solet;*

Quid sit Sanctitas?

Hanc bonitatem, seù perfectionem moralem, ait consistere in *Commensione cum lege æterna, secundùm quam operandum est.* Quemadmodum enim bonitas & perfectio naturalis alicujus creaturæ consistit in eo, quod sit suæ regulæ, atque ideæ commensurata, secundùm quam est facta; ita moralis perfectio, ac bonitas in commensione cum lege æterna,

Perfectio in quo cōsistat?

æterna, quæ mensura est omnis perfectionis, ac sanctitatis moralis, secundùm quam rationalem creaturam operari convenir. *Is enim*, inquit, *perfectus est, & sanctus, cuius affectûs & mores exactè congruunt legi æternæ.*

Quid Sanctus sit dicendus?

16. Porrò Divina Sanctitas longè diverso, ac eminentiori modo, ab humanà intelligenda est; nimirum illam esse in Deo non accidentaliter, sed substantialiter; nec eam extrinsecus advenire, sed intrinsecus ab ipsa Divina essentia, ut substantialem proprietatem dimanare; nec eam conformem legi æternæ esse, ut aliquid ab ea diversum, atque distinctum essentialiter, ut in humana sanctitate contingit, sed idem penitus substantialiter, diversum tamen quid secundùm nostrum concipiendi modum. Vnde Divina hæc perfectio & Sanctitas, consummata, numerisque omnibus absoluta sit oportet, utpotè substantialiter unita, ac conformis, imò æternæ *illi* Regulæ, ut Theologorum more loquar, identificata. Cùm enim major vel minor Sanctitas, ex majori vel minori cum Deo conjunctione desumatur, summam profectò Dei Sanctitatem atque perfectissimam esse oportet, siquidem Divinum illud Numen sibi ipsi, tum per naturam, tum per affectum amoris, maximè conjunctum est.

Quid sit Sanctitas Divina?

17. Ex qua Lessij doctrina Virginæ Sanctitatis perfectio non obscurè intelligitur. Cùm enim & mores, universamque vitam suam, à primis illis immaculatæ suæ Conceptionis exordijs, legi æternæ, primæ illi omnis perfectionis, ac Sanctitatis normæ, sese per amoris affectum in dies singulos magis, ac magis quam arctissimè Divinæ conjungendo Majestati, fuerit commensa, seseque deinde in Filij Dei Conceptione, sua illi viscera, sanguinemque ad formandam, ope, ac opera Spiritus Sancti, Humanitatem, cui uniendus erat, subministrando, non modò Dei Filio, verùm etiam ipsi Spiritui Sancto, uberrimis omnis omninò veræ Sanctimoniæ fontibus, modò humanæ linguæ ineffabili, copulaverit; quis dubitare audeat magnam hanc Dei Matrem ad eminentissimum Sanctitatis apicem evectam, ad Divinam illam Sanctitatem quam proxissimè accessisse, & in se Divinorum morum, nec non bonitatis, ac perfectionis Divinæ pulcherrimam quandam Imaginem expressisse, Incarnato Verbo quā simillimā?

M. Filio, ac SpirituiS. unita summam Sanctitatē nacta.

18. Quemadmodum enim Humanitas Christi non modò sanctificatur formaliter à gratia habituali, accipiendo primarios effectûs formales gratiæ habitualis, uti est spiritualis mundicia ab omni sorde peccati, & facultas rectè operandi absque defectu peccati; verùm etiam sanctificatur formaliter ab ipsa increata substantiali Sanctitate, Verbi videlicet ipsius Divinitate, ut solitâ suâ perspicuitate explicat P. Amicus Noster Tom. 7. D. 19. n. 97. & 99. ita proportione quādā dicere possumus Deiparam, non modò sanctificatam fuisse uniendo se per amoris affectum summo Bono, ejusque gratiam accidentalem participando, sed etiam Divinum Verbum, Sanctitatem illam substantialem purissimo suo utero, superveniente Spiritu S. & virtute Altissimi obumbrante, excipiendo.

M. Sanctitate accidentali, & substātiali sāctificata

19. De hac Virginis gloriosissimæ cum increata Sanctitate, in Verbi Incarnatione facta unione præclarè S. Bernardinus Senensis Apostolico suo stylo Tom. 2. ser. 6. flam. 2. *Summus*, inquit, *Mundi Imperator uxorem non habebat, & volens eam ducere, intellexit Virginem quandam esse pulcherrimam, sapientissimam, pudicam, humilem. Misit ad hanc Legatum Gabriëlem, ad exquirendum eius consensum, eâ consentienttiente perfectum est Matrimonium per verba de præsenti. Peracto hoc Matrimonio, tanta facta est inter eos unio, ut nunquam possint ampliùs à se invicem in æternum separari, quia facti sunt duo in carne una, & quos DEVS coniunxit, homo non separet. Sic fuit in Beata Virgine,* ait Seraphicus Pater, *quia per utriusq; consensum DEI & ipsius, facti sunt duo in carne una, & ipse DEI Filius assumpsit humanam carnem de carne ipsius Virginis gloriosæ.* Si igitur adeò Deipara fuit unita Verbo, ut idem quodammodo cum illo per carnis suæ Virgineæ communicationem extiterit, considerandum vobis reliquo, ad quam eximiam ex tantæ Sanctitatis conjunctione, sanctimoniæ perfectionem pervenerit.

Inter Verbum & Mariam sum̃a Vnio facta per Incarnationem.

20. Quod si ejusdem Virginis cum ipso Spiritu Sancto familiarissimam, castissimamque unionem, quâ tantum peractum est mysterium, spectemus, intelligemus sanè Mariam in ipsam hujus Divinissimi Spiritus sanctimoniam, admirabili quâdā metamorphosi transformatā.

Audia-

Audiamus B. Petrum Cardinalem Dam. serm. 11. qui verba illa expendens: *Ave gratia plena, Dominus tecum*; reddensque rationem cur Dominus dicatur cum MARIA; *Quia*, inquit, *à DEO electam, & praelectam totam eam rapturus erat sibi Spiritus Sanctus; qui cùm sit ignis, rapit sibi, in seq; rem raptam transmutat*. Hanc Sanctimoniæ Virginalis admiratus excellentiam, & Divinæ illius, eximiam quandam nulli creaturæ hactenus concessam participationem esse intelligens, jure merito B. Andreas Cretensis Episcop: Hierosol. DEI param omnis indefinitè omninò Sanctitatis thesaurum nuncupavit: *& Sancta*, inquiens, *& Sanctis Sanctior, & omnis Sanctitatis sanctissime Thesaure*.

M. à Spiritu S. velut igne in ipsum trāsmutata.

Timotheus verò Presbyter Hierosol. Orat. de Purific. B. V. Virginem appellat *Sanctissimam DEI Matrem, omni reprahensione, & noxâ maiorem*; vocat item *Virginem modis omnibus inculpatam, & Sacrosanctam*. Eandem ob causam, S. Ioan. Damasc. ora. 1. de Dormit. Deiparæ vocavit eam *Iustitiæ Fontem, ac Sanctitatis Thesaurum: Bonorum Donatricem, generis humani Ornamentum, omnis creaturæ Decus, ob quam verè beata effecta est*; per Sanctitatis, videlicet ipsius communicationem, quâ creatura rationalis prædita, veræ, æternæque beatitudinis gaudia adhuc in hac mortali degens vita prælibare videtur.

M. inculpata & Sacrosancta

21. Ob eximiam hanc Sanctitatem quam velut lucem pulcherrimam, etiam alijs communicabat Deipara, ipsius devotissimus Pelbartus Pannonius de Temisvar lib. 11. Stellarij P. 1. cap. 2. unam ex Stellis 12. quibus Sacrosanctus Reginæ cœlorum Vertex coronatur, esse dixit: *Singularem Sanctificationem*; quâ quatuor omninò vicibus sanctificata dicitur à Theologis. Et primò quidem in primo immaculatæ ipsius Conceptionis instanti in ipso Matris utero. Tum etiam cùm Spiritus S. supervenit in illam, & virtus Altissimi ipsi obumbravit, Deique Filium concepit. Sanctificata item fuit, & incomprehensibili quoque aucta sanctimoniâ, cùm novem mensibus augustissima Incarnati Verbi in utero ejus commorantis præsentia dignata est. Sanctificata denique fuit, ut idem vult Pelbartus, cùm in cęlum profectura, à Filio dilectissimo visitari, eique inniti meruit. Addiderim ego, ante quoque in ipso Spiritus Sancti in Die Pentecostes super Discipulos Domini adventu effusâ prorsus gratiarum omnium copiâ fuisse sanctificatam. Cùm enim, ut Franciscus Mayronius Tract. de Conc. B. V. docet *Sanctificatio non sit aliud, quàm missio Spiritus Sancti ad animam sanctificandā*; consequitur sanè in Missione illa Spiritus Sancti ad Collegium Apostolicum factâ, animam Deiparæ, præ cæteris omnibus, copiosiùs ob immensam illam propemodum, quâ universorum Conditorem utero suo cepit, capacitatem fuisse sanctificatam. Docet porrò idem Mayronius descendisse in instanti immaculatæ Conceptionis in Virginem ipsum Spiritum S. non ut eam ab aliquo peccato purgaret, cùm nulli unquam, neque originali fuerit obnoxia, sed ut haberet gratiam, eamque in ipsa confirmaret, ut ampliùs nec mortale, nec veniale committere peccatum unquam posset.

Stella una è 12. Coronæ B.V. est singularis Sanctificatio.

B.V. quinque vicibꝰ à Spiritu S. sanctificata.

Quid sit Sanctificatio?

22. Descendit denique Spiritus S. in Virginem, ut eam in Templum gloriæ suæ consecraret, quo tota, & undequaq; plane sancta, omni ex parte euaderet. Erat nimirum Virgo beata Domus illa Domini, quam in sublimi monte contemplatus est Ezechiel, de qua cap. 43. v. 12. ita loquitur: *Ista est lex Domus Domini in summitate montis. Omnis finis eius in circuitu Sanctum Sanctorum est*. Adeo enim Spiritus S. tam in primo ejus purissimæ conceptionis momento facta sanctificatione, quam in reliquis deinceps, eam omni Sanctimoniâ puritateq; repleverat, ut tota penitus in anima & corpore intus, & in circuitu esset sanctissima, & ipsa Sancta Sanctorum esse videretur. Qua in re Spiritus S. id egisse visus est, quod postea in designando Templo ejusdem Virginis Messanæ, in monte Caperrinæ hic idem fortassis Spiritus in columbæ specie fecisse memoratur. Scribit enim P. Melchior Hincoffer in Defens. Epist. B. V. cap. 60. ex Iosepho Bonfilio. & Tabulis Templi antiquissimis, fuisse in monte illo Caperrinæ Sacellum S. Gabrieli Paranympho Virginis dedicatum, juxta quod duo pauperes Eremitæ, ut pietati secreto vacarent sibi cellulas delegere. Vni ex his igitur, qui Nicolaus dicebatur Virgo beata, per quietem sese visendam exhibuit, mandavitque ut ad Senatum proficisceretur, ediceretque suo nomine à se locum illum delectum suamque voluntatem esse, ut Templum ibidem suo Nomini erigatur, consecretur. Nicolaus

Spiritus S. sanctificavit B. V: ut fieret Templum Domini.

B. V. in monte sibi Templum ædificari mandat Messanæ.

laus somnium ratus, admonitionem neglexit; cum ecce tibi insequenti nocte rursus ei apparet DEipara, & intentatis minis mandata jubet exequi. Vt porrò dictis fidem adstrueret, certam illi dat tesseram, Columbæ videlicet candidissimæ, quæ meridie de cœlis lapsa, aream Templi ædificandi suo volatu erat, designatura. His auditis Nicolaus primo mane jussa Virginis defert ad Senatum, ac Vrbis Strategum Nicolaum Palaciũ, qui intellecta Virginis voluntate ad condictam horam iter ad montem direxere, ibiq; circa meridiem, multis videntibus, Columba circumuolitans, locumque areæ Templi designans, jucundissimum omnibus, admiratione attonitis, edidit spectaculum, tandemque in sublime unde aduolauerat recepta est. Mox igitur juxta Columbæ designationem fundamenta, effossa humo, locari sunt cœpta, ipsâ Reginâ Constantiâ primum lapidem jaciente, cæterisque omnibus utriusque sexus certatim adnitentibus. Atq; ita factum est, ut breui substructio cresceret, & tandem in Templum tanta Sanctitate dignum consecraretur. Quæ omnia Divinæ Matri novo miraculo cõprobare placuit. cum enim puella quædam ex Reginæ Constantiæ aula visionem illam eluderet, diceretque non esse fidem habendam pannoso Monacho, qui eo commento suæ mendicitati, quæsitâ stipe consulere meditatus esset. Vix hæc illa protulerat, cum ecce tibi illico dolore cum ingenti, ei exarescunt brachia, unde magno cum ejulatu, suam culpam, monita à Nicolao deploravit, ac pristinæ tandem incolumitati restituta est. Porro observat idem Autor designationem hanc Templi circa illa fere tempora incidisse, quibus Nazarethana domus, in qua Verbum caro ope operaque Spiritus Sancti factum est, Angelorum ministerio in Dalmatiam, inde vero in agrum Picenum translata est; ad ostendendũ fortassis Templum hoc Columbæ, Spiritum Sanctum denotantis designatione fabricatum, similitudinem aliquam cum Domo illa habere, in qua animatum illud Virgineumq; DEI Templum ab eodem illo spiritu Divinissimo consecratum, tot annis habitavit; Nam in Domo quoque illa Columba Spiritus Sancti fuit, quando videlicet *Spiritus S. superuenit in Virginem, & virtus altissimi illi obumbrauit,* eamque totam sanctificauit, effecitque ut intus, & extra, in circuitu Sancta Sanctorumq; omnium esset sanctissima, uti jam memoratum est.

Aream Templi B. V. Columba circumvolitans designat.

Castigatur Puella à B.V. quę fabulosam narrationem Eremitæ fuisse dixerat.

Domus Lauretana à Spiritu S. sanctificata.

23. Sanctificationem hanc uti etiam illam in utero Matris, Virginis nostræ sacratissimæ innuere videtur Vaticinium Isaiæ c. 11. Egredietur Virga de radice Iesse, id est, linea generationis Regia, quæ in Iesse fuit radicata, ut idem interpretatur Pelbartus, *& Flos de radice eius ascendet,* scilicet V. Matris, *& requiescet super eum Spiritus Domini,*

B. V. flos de radice Iesse.

Eandem Virginis in utero Matris sanctificationem Virga Aaron figuravit, de qua Num. 17. dicitur, quod in tabernaculo, nimirum Matris S. Annæ utero floruerit dono Spiritus S. Quid enim hæc Virga Aaron notat aliud, quam Virginem nostram, quæ etiam de stirpe Aaron erat oriunda, utpote Elisabeth cognata, quæ erat de filiabus Aaron?

M. Virga Aaron in tabernaculo Materni uteri floruit.

Florẽ porro sanctificationi appropriari indicat Ps. 80. ubi de Messiæ Sanctitate mirificâ, qua olim floridus erat futurus æternus Pater loquens: *Super ipsum inquit autem efflorebit sanctificatio mea.*

24. Et vero consonum omnino rationi fuit, ut quæ Florem campi, & lilium convallium, rosamque illam sine spina Hierichuntinam, increatam videlicet Sapientiam erat paritura, illibatus Sanctimoniæ, ac puritatis flos in prima suæ conceptionis esset radice; eamque Filius DEI ab omni originali labe præservaret, cum ea alioqui peccati nota, atq; ignominia, quæ aspergeretur Matri, in Filium esset redundatura. Vnde decuit illum esse solicitum, ne quid hujusmodi dilectissimæ suæ contingeret Parenti. Quare præclarè Glossa verba illa Christi, Ioan. 19. expendens: *Mulier ecce Filius tuus; Christus,* inquit *docet ut à pijs filijs cura parentibus impendatur.* Si igitur Salvator summam curam gessit suæ Matris, uti gessisse super omnes filios hominum certissimum est, pro ea, qua semper illam complexus est charitate, quæ sane omnis alterius filialis dilectionis exemplar, regula, ac mensura extitit; curandum certe ei summa diligentia fuit, ne Mater tam dilecta ullâ peccati Originarij labe contaminaretur. Huic autem summæ maximæque dilectioni contrarium, ut summo calori, frigus admisceri minimè potuit. Cum igitur summè eam dilexerit Filius consequens sanè fuit, ut ea omnia ab illa amoliretur, quæ eam sibi reddere

Filij DEI solicitudo in Matre ab originali labe præservanda.

reddere possent odibilem, qualis est peccati originarij labes turpissima, quæ hominem ea commaculatum DEO ipsi nimium quantum reddit execrabilem. Accedit quod cum amare sit bonum velle, & amantis sit non modo amato bene velle, verumetiam ab amato omne malum amoliri, consequitur sane DEI Filium summum illi bonum voluisse, ac consecutive, ab illa malum originalis peccati, quod fons venenatus, & caput omnium malorum, quæ in mundum inundarunt extitit, avertisse. Per illud enim omnes in Adam morimur, nascimur natura filij iræ, æternum DEI beatifica Visione privati; quæ mala sane hujusmodi sunt, ut illis majora nulla mens excogitare possit; à quibus, ut Filius præservaret Matrem, quam rationi fuerit consonum nemo non videt.

Amor Filij DEI in Matre à peccato originali ea præservavit.

25. Neq; verò solum ab originaria labe præservavit, verumetiam insigni sanctitate donisque, ac charismatis in primo immaculatæ ipsius Conceptionis instanti decoravit, gratijsq; cœlestibus ceu fluentis adeo copiose perfudit, ut de illa Regius cecinerit Psalmista Psal. 45. *Fluminis impetus lætificat civitatem DEI, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Vbi per civitatem DEI & Tabernaculum communiter à Doctoribus, ac præsertim à Iacobo de Valenzia Episc. Christop. in Psal. 45. DEipara Virgo intelligitur. ait enim propriè Virgini MARIÆ conuenire illos versiculos, & ideo ab Ecclesia ipsi attribui. Verè enim in prima ejus sanctificatione, qua DEVS Altissimus lætificavit, irrigavit, & ornavit animam V. MARIÆ, flumine copiosissimo, & abundantissimo gratiarum, ac donorum Spiritus S. DEI Civitas facta est. Venit enim in illam cum suis donis, ac gratijs ipse Divinissimus Spiritus, inque ea, velut sua in Civitate habitavit. Quæ merito ita appellatur siquidem S. Aug. serm. 1. de Nativ. B. V. Ipsa fuit prima & principalis civis Civitatis DEI, & primum membrum, in qua civitate DEVS peramplius & perfectius habitavit primo in mente, deinde in carne. Et ideo ait, quod Festum Nativitatis Virginis jam pertinet ad istam Ecclesiam, cum ipsa sit principium Ecclesiæ, & hoc festum est exordium omnium Festivitatum novi testamenti. Vnde patet quod prius & per se hoc: *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem DEI;* verificatur de V.M. quæ fuit prima civis hujus Civitatis.

M. Civitas DEI propria in qua ab initio primo conceptionis habitavit.

B. V. prima & principalis Civis Civitatis DEI.

26. Lætificavit porrò atque irrigavit animam Virginis DEI filius copiosissimo flumine gratiarum, eum in finem, ut in ea habitaret per gratiam; Sanctificavit etiam totum ejus corpus, & animam, ut in ea habitaret per carnem, Humanitatem ex ea, hypostaticâ unione sibi sociatam, assumendo; atque ita facta est Tabernaculum Altissimi, ab eo tam effusa gratiarum omnium communicatione sanctificatum, non modo in humanitate illa, ex ipsius purissimis sanguinibus coalita, inhabitando, verumetiam in Virgineo, ipsius utero novem mensibus, summâ animi sui voluptate commorando.

Lætificata anima B. V. copioso gratiarum flumine, ut digna fieret Filij DEI Habitatio.

27. Quam ampla vero, quam larga hæc fuerit Virginis, quâ sanctificata est gratia, & in Filij DEI tabernaculum consecrata, audiendus est in primis S. Vincentius Ferrerius, qui locum illum iam citatum Psalmistæ interpretans ita loquitur: *Totum flumen Divinarum gratiarum effusum est super eam in sanctificatione. In sanctificatione aliorum Sanctorum infunditur una gutta gratiæ Divinæ: at vero in B.V. fluminis impetus. Vnde S. Bernardus: Cæteris per partes datur gratia Spiritus: MARIÆ vero totam se infudit plenitudo gratiarum. Propterea dicitur: Lætificat Civitatem DEI, Quia Angeli soli sanctificationem Virginis scientes gavisi sunt. O quale illorum fuit gaudium! Si enim gaudium est illis super uno peccatore pœnitentiam agente; quanto magis super V. MARIA! quæ nunquam peccauit, nec in ea per peccatum veniale unquam DEVS vel commotus est. Sanctificaverat enim Tabernaculum hoc suum Altißimus, & velut Cubile Regium exornarat.* Audiendus deinde de hac Divinæ gratiæ exuberãtia. S. Petrus Chrysologus ser. 143. *Singulis,* inquit ille, *gratia est se largita per partes, MARIÆ vero simul se totam dedit gratiæ plenitudo. Omnes, inquit Euangelista, de plenitudine eius accepimus. Vnde & David: Descendet sicut pluuia in uellus. Vellus cum sit de corpore, nescit corporis paßiones; sic Virginitas cum sit in carne, uitia carnis ignorat; Cœlestis ergo imber Virgineum in vellus placido se infudit illapsu, & tota Diuinitatis unda, bibulo se nostræ carnis celauit in vellere, donec per patibulum Crucis expressum terris omnibus pluuiam salutis effunderet.* Tum verba Gabrielis: *Gratia plena;* expendens; ut eius gratiæ undequaque sese omnem in partem diffundentis explicaret amplitudinẽ, sic

Totũ flumen gratiarum effusum est in sanctificatione B. V.

In B.V. totam Divinæ gratiæ se effudit plenitudo

sic in ejus excurrit elogia: *Hac est gratia, qua dedit cœlis gloriam, terris DEUM, fidem gentibus, finem vitijs, vita ordinem, moribus disciplinam. Hanc gratiam detulit Angelus, accepit Virgo, salutem sæculis redditura.* Denique S.Hieron. ser. de Assumpt. Virgineæ hujuscé gratiæ redundantiam paucis descripsit. *Verè gratia plena, per quā largo Spiritus S. imbre perfusa est omnis creatura.* Plenitudinē hanc gratiæ considerans Pelbartus sup. cit. cap. 4. ad eā expendēdā nos invitat: *O deuota anima pensa quam sancta, quā fœlix, quā gloriosa sit Virgo Maria, qua tantis gratiarum est sublimata fauoribus. O quam excellentissima est hac Regina, qua tantis virtutum insignijs est laureata. Omnes ad eam confugiamus, eam inuocemus, ut de eius plenitudine gratia participemus.*

Quanta Divinæ gratia stabilitas in B. V?

28. Aliam Virgineæ hujus gratiæ quam Virgo in instanti suæ immaculatæ conceptionis sanctificata est insinuat Propheta Regius excellentiā illis verbis, quæ prioribus attexuit. *DEUS in medio eius non commouebitur; adiuuabit eam DEUS mane, diluculo;* Et est gratiæ stabilitas. Postquam enim DEUS in medio hujus Virginei habitaculi sanctificati per gratiam, habitavit, numquam amplius inde fuit motus, & multominus recessit; imo multo magis ipsa Virgo fuit in gratia confirmata, nec unquam à sua Virginitate mentis, & corporis vel minimo peccato veniali fuit mota. Itaque sicut in primo instanti sui esse & infusionis animæ in corpus illud purisimum, quod instans Psalmista mane, ac diluculum, seu, ut interpraetatur Hieronymus, ortum matutinum Virgineæ hujus Auroræ appellat, Virginem sanctificando adjuvit, ne originali labe contaminaretur; ita in posterum semper in illa tanquam in suo sanctificato tabernaculo per gratiam habitando, eandem ab omni etiam veniali culpa præservavit, nec ab illa umquam vel ad momentum recessit. quin potius suâ præsentiâ id effecit, ut Sanctitas ipsius totius vitæ decursu usque ad fælicissimam illam corporis dissolutionem, majora indies caperet incrementa. Verè enim Domum istam DEI decebat Sanctitudo major, ac major in longitudinem dierum.

Quid sit mane & diluculum B.V.

29. Aliam congruentiam affert idem Iacobus de Valent. cur decens fuerit, ut præservaretur B. V. ab originarij peccati labe, & mox in ipso cōceptionis ipsius instanti sanctificaretur; quia nimirum ejus erat futurus filius, simul & legislator, qui in Decalogo Matrem honorari jussit. Legislatoris autem est prius facere, quam docere, ut ejus exemplo ceteri ad leges observandas provocentur. Cum igitur Christus Legislator utriusq; legis dederit præceptum de venerandis parentibus, certum profectò est quod idem ipse & servaverit. Non enim ut ipse testatur: Venit solvere legem, sed adimplere, Matth. 5. Et ideo Lucas c. 2. scripsit: Erat subditus illis. Si igitur Filius dilectissimam Matrem in vita veneratus est, qui fieri potuit, ut illam in prima sua origine tam turpi, tam enormi maculâ, qualis originalis est permiserit aspergi, cum ei sacratissimæ Matris ornandæ, ac decorandæ nec voluntas defuerit, nec potestas.

B.V. præservata ab originali peccato, qa futura erat Mater DEI, quam ab ipso honorari decuit.

30. Quod si DEUM ut hominum Creditorem consideremus, intelligemus profectò ab hoc debito, actu peccatum originale contrahendi DEI Matrem à Filio fuisse absolutam. Si enim omnis creditor potest alteri remittere debitum, multo profectò magis DEI Filius suæ dilectissimæ Matri. Cum igitur DEUS respectu totius humanæ naturæ sit Creditor, quia Adam cum tota sua posteritate commisso illo inobedientiæ peccato, factus est debitor, consequens sane est potuisse, imo, & voluisse dignissimam suam Matrem, quam tanta prosequebatur benevolētia absolvere ab hoc persolvendo debito, à subeundo jugo tam duræ servitutis Diabolicæ, ab inustione tam fœdæ, atque abominabilis notæ, ac maculæ qualis est Originalis. Sunt & alia quam plurima argumenta, ac congruentiæ, quibus hæc Virginis à peccato Originali, immunitas comprobatur, de quibus fusius Tomo sequenti. Hæc dixisse pro hoc loco sufficiat ad primam sanctificationem sanctitatemque Virginis comprobandam, quæ cum tam eximia fuerit, cogitandum vobis relinquo quam perfecta, omnibusque numeris absoluta euaserit in reliquis illis, de quibus Pelbartus meminit sanctificationibus, & maximè postrema illa, quam ex hoc mundo migratura, tanquam cumulum & mensuram bonam confertam, coagitatam atque supereffluentem accepit in sinum animæ suæ. Cum enim, ut communiter ferunt Contemplativi amoris intensissimi vehementiâ fuerit extincta DEIpara, & Sanctitas potissimū

DEUS Creditor remisit debitum suæ Matri actu cōtrahendi peccatum Originale.

M. amoris vehementiā mortua.

DEI

In B. V. summa Sanctitas, quia in illa summa Charitas.

DEI Charitate constet; Sanctitatem profectò hanc Virgineam planè perfectissimam, & vehementissimam ad instar mortis, quæ animam penitus à corpore separat, fuisse oportuit. De qua ipse Sponsus dedisse testimonium visus est, cùm in ejus elogium Cant. 8. excurrit: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut Infernus æmulatio, lampades eius, lampades ignis atq; flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem, nec flumina obruent illam.* Quibus verbis ingens sanè atque immensum Divini amoris incendium quoddam exarsisse in pectore Virginis describitur, quod nec maria, quæ multarum aquarum sunt congregationes, neque vastissima flumina, qualia sunt Ganges, Tigris, Euphrates, Dannubius, &c. extinguere valuissent.

M. Sancta Sanctorũ.

31. Ob hanc tam eminentem Charitatis, Sanctitatisque perfectionem dicta fuit DEIPARA à nonnullis SS. Patribus, *Sancta Sanctorum*. Audite S. Gregor. Nyssen. Hom. 1. in Cant. *In Sancto Sanctorum docemur quandam abundantiam & intensionem Sanctitatis per hanc vocem superlativam*. Audite & S. Bernard. Sen. qui *sicut*, inquit, *Filius MARIÆ est Sanctus Sanctorum, in quo erat ille preciosus Thesaurus, Tabernaculum DEI, Thronus DEI atq; Thalamus. Vbi ergo summa plenitudo humanæ & Angelicæ Sanctitatis est, ibi semper Virgo DEI Mater suæ Sanctitatis iecit fundamenta, ibi detinuit gradum, & plantam fixit, Vnde de se dicit: In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Idem Seraphicus Pater To. 3. ser. 7. parte 1. *Mater DEI*, inquit, *fuit per gratiam sanctificata, & facta sancta Sanctorum*. Quæ cùm Templi illius Hierosolymitani secretior, sacratiorque esset pars, in qua DEUS ipse sedens super Cherubin habitare, & reddere oracula, populumque illum Israëliticum in suis afflictionibus consolari dicebatur, figura fuit pulcherrima Virginis sanctissimæ, quæ verè Sancta Sanctorum omnium Regina extitit, ideòque Spiritus-sanctus fortassis locum illum ita denominavit, quod jam longè ante hæc sua dilectissima, sanctissimaque Sponsa summi DEI Filij Mater, omnibus Sanctimoniæ à se ornamentis decorata, ibidem esset habitatura, Divinamque quandam Sanctitatem loco illi, præsentiâ suâ allatura.

B. V. suâ Sanctitate Sancta Sanctorũ sanctificavit ibidẽ habitando

32. Hinc S. Germanus Archiepisc. Constant. Orat. in Præsent. B. Virginis asseruit DEIPARAM in interioribus Sanctis Sanctorum, singulari utique privilegio (quo postmodum & S. Iacobus gavisus est) mansisse, ambrosijs dapibus ab Angelo nutritam, donec ibidem commorata est.

M. ob insignem Sanctitatem in Sancta Sãctorum habitavit.

Quam Virginis in Sanctis Sanctorum attentè contemplans habitationem, admirabundus ibidem exclamavit: *Ecce signum certissimum futuræ ipsius gloriæ, Ecce principium sanctissimum Divinæ gratiæ ipsam obumbraturæ. Ecce beneficium splendidissimum eminentis in ipsa puritatis. Vbi enim non sæpè, sed semel dumtaxat quot annis Sacerdos Sion ingrediens rem sacram faciebat, eò ipsa inducitur à Parentibus, ut assiduè in sacris illis Divinæ gratiæ penetralibus commoretur. Quis tale quid unquam cognovit? quis vidit ullam fœminarum, quæ vel nunc, vel olim fuerit in interiora Sancta Sanctorum deductam fuisse; & quò vix ipsis viris accedere licebat ibidem habitare, atq; nutriri? Nonne manifestum est rerum maximarum atq; inusitatarum in ipsa aliquando perpetrandarum argumentum?* Idem asseruit Evodius primus post S. Petrum Antiochiæ Episcop. ut habetur apud Canisium lib. 1. cap. 2. *MARIA*, inquit ille, *trimula cum esset in Templo est præsentata, & ibi in Sanctis Sanctorum traduxit Annos undecim.* Similia refert Niceph. Hom. 1. cap. 7. *Virgo ut res Divina intacta & sacrosancta in Templi sanctiori loco, in adytis ipsis vivebat.* Georgius denique Nicomediæ Archiep. idem censuit, simulque insigne ipsius Sanctimoniæ Virginalis dedit testimonium Orat. de Præsent. *Oportebat*, inquiens, *Virginem non in Sanctis Sanctorum tabernaculis, sed in ipso cœlo cœli, in prima ætate educari eam, quæ his visibilibus fit latior, & puritate antecelluit.*

33. Sanctitatem porrò hanc sanè non tam illam à loco accepisse, quàm ipsi loco, suâ augusta præsentia contulisse atque auxisse crediderim. Quidquid enim ibidem visebatur Sancti, umbra Virgineæ Sanctitatis extitit. Quid enim Arca illa fœderis, quid Propitiatorium, quid Vrna aurea Mannâ cœleste continens, quid Virga frondens Aaron, atq; fructifera, quid tabulæ legis Mosaicæ digito DEI exaratæ, significabant aliud quàm ipsam Virginem DEIPARAM? quæ verè Arca Divinæ Charitatis, ac Sapientiæ auro fuit intus, forisq; contecta. Verè aurea ob puritatẽ, in qua æternum Verbum Manna dulcissimum 9. mensibus requievit. Verè Virga Virginitate florens, fœcunditate fructifera, quæ no-

Omnia quæ in Sancta Sanctorũ visebãtur, adumbrabant B.V.

 bis

bis dulcem Iesum benedictum Fructum ventris sui velut suavissimum amygdalum protulit. Verè denique Virgo sanctissima Tabula quædam Divinæ Legis extitit, in cujus utero dum ipse Legislator incarnari dignatus est, Legem suam ejus cordi præ omnibus Sanctis, de quibus Regius Psaltes concinit: Lex Dei ejus in corde ipsius, intimiùs atque profundiùs inscripsisse visus est. Quod si gemini illi aurei Cherubini qui erant juxta Arcam versis vultibus in Propitiatorium; gemini item illi prægrandes, ex linguo olivarum compositi, totique auro contecti, alis suis eamdem Arcam obtegentes loco illi Sanctitatem mutuati sunt; quantò magis ipsa non modò Cherubinorum, verum etiam omnium Hierarchiarum, atque adeò eminentissimorum Seraphinorum Regina, & misericordiæ Mater, cujus pietatis viscera, ipsaq; misericordia, auro charitatis contecta esse videbantur?

In corde B. V. lex Divina exarata.

M. Sanctitate redimita.

34. Quare minimè mirandum nobis est cum B. Laurent. Iustin serm. de Purificatione Virginis eam *Sanctitate redimitam, neminiq; Sanctitate conformem dicentem audimus: Erat MARIA Sanctissima*, inquit pijssimus Patriarcha, *profectò talis & tanta, ut illi minimè reperiretur similis. Erat, inquam, corpore Virgo, carne incorrupta, prole fœcunda, virtute perfecta, moribus composita; Sanctitate redimita, honestate conspicua, mente pura, corde ignita, animo suspensa, gratia plena, Sapientia perfusa, DEO coniuncta, Verbo propinqua, mysterijs Divinis imbuta.*

Sanctitas B. V. fuit dispositio ad Divinā Maternitatem.

35. Hâc Sanctitatis perfectione, ac gloriâ sibi ad sublimissimam Maternitatis Divinæ dignitatem, quasi viam stravisse, visa est Deipara, sibique eam meritò de congruo, ut loquuntur Theologi, promeruit. Audiendus hic S. Gregor. Thaumat. serm. 2. de Annunciat. *S. MARIA in carne dum esset, purissimam vitam, omniq; genere virtutum excultam, optimamq; supra humana natura consuetudinem gerebat, ideò æterni Patris Verbum carnem ex ea suscipere dignatum est, ut per quam carnem peccatum, in Mundum introivit, & per peccatum mors, per eandem carnem peccatum in carne condemnetur, & peccati tentator in sepultura sancti corporis vincatur.*

M. purissimam vitā omni genere virtutum exercitatam duxit.

36. Audiamus & S. Ioannem Damascenum qui Orat. 1. de Nativ. Sanctitate hâc suâ, atq; perfectione ait Cherubinorum, Seraphinorumq; puritatem longè transcendentem, non modò id consecutam, ut Dei Mater esse meruerit, verùm etiā ut Trinitatis ipsius quodāmodo Sacrosanctæ, pulcherrimo illo Trisagio toto terrarum Orbe celebraretur. *Tota*, inquiens, *Spiritus Thalamus est, gratiarum pelagus, tota pulchra, tota DEO propinqua. Ipsa namq; Cherubinos superans, ac super Seraphinos evecta, propinqua DEO extitit O miraculum miraculorum omnium maximè novum! Mulier Seraphinis sublimior effecta est.* Tum in ejus Sanctitatis, ac gratiarū ornamētis, quib⁹ velut auro, ac preciosissimis gemis, ad instar Salomonis Tēpli decorari in Incarnatione Verbi promerita fuit, contemplatione hærens attonitus, exclamat: *O Virgo Divinitus gratia DEI donata, Templum DEI sanctum, quod ille Princeps pacis Salomon construxit, ac inhabitavit, non auro, aut inanimatis lapidibus ornatum, verùm auri loco, spiritu fulgens, pro lapidibus autem preciosis Margaritam ingentis precij, Christum habens, illum*, inquam, *Divinitatis Carbunculum, quem, ut labia nostra tangeret, obsecrabat Isaias, ut hâc ratione purgati, ipsum cum Patre, ac Spiritu S. laudaremus, clamantes Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS exercituum. Sanctus DEUS Pater, qui in te, atq; ex te mysterium illud perfici voluit, quod ante sæcula præfinierat. Sanctus fortis Filius DEI, ac DEUS, qui te Unigenitam, ac Primogenitam hodie ex sterili Matre produxit, ut qui Unigenitus, ac Primogenitus erat omnis creaturæ, Unigenitus ex te Virgine Matre generatus, Primogenitus sit inter multos fratres, æquè videlicet, ac nos carnis, ac sanguinis à te particeps factus. Sanctus immortalis Spiritus S. qui Divinitatis suæ rore te, ita consecravit, ut ab igne minimè consumereris, quod Moysis rubus præsignabat.* Hæc Damascenus.

M. tota Spiritus S. Thalamus Gratiarū pelagus, tota Deo propinqua

M. Seraphinis sublimior effecta.

M. Templum Salomonis.

Christus Divinitatis Carbunculus.

M. Divinitatis rore ab igne præserv ata.

37. Audiamus rursus jam memoratum Thaumaturgum, qui serm. 1. de Annunc. causam reddens cur Deipara Gratiâ plena dicatur ab Angelo. *Quia*, inquit, *cum ipsa omnis gratiæ thesaurus reconditus erat, ex omnibus enim generationibus hæc sola Virgo sancta corpore, & spiritu extitit*; Quid verò hâc Sanctitate utriusque hominis sit promerita, mox subjunxit: *Solaq; fert eum qui Verbo omnia portat, & non solùm admirationem nobis parit Sanctissima illius in corpore pulchritudo, sed & virtutes animæ eius.*

In M. omnis gratiæ Thesaurus reconditus

Audiamus & devotissimum Venetiarum Patriarcham Iustinianum serm. de Nativ. B. Virginis. *Decebat prorsus*, inquit ille, *ut immaculata esset mente, & corpore sancta, plena gratia, mentis locuples, virtutum*

Quam decuerit Mariam esse immaculatam.

tutum universarum varietate decorata, quæ de cœlo suscepit Verbum, fide concepit Filium, illustravit Mundum, Manna pavit turbam fidelium, obumbrante Spiritu circumdedit Virum, ex se nobis protulit hominem DEVM, cum honore Virginitatis, cum integritate carnis, & fœcunditate prolis.

M. suâ Sãctitate facta digna Divinâ Maternitate.

38. Hinc S. Bernard. Senensis To. 2. ser. 51. art. 1. c. 1. ait à DEO ita sanctificatam Virginem, ut digna tantæ Majestati recipiendæ inveniretur. Postquam enim docuisset, fuisse in Deipara Sanctificationem Maternalem removentem culpam originalem, conferentem gratiam, removentem inclinationem ad peccandum tam mortaliter, quàm venialiter, mox attexuit: *Sanè DEVS ipse æternus sicut mira sua Sapientia creavit omnia, ac illam benedictam Matrem suam ita condidit & sanctificavit in tempore, sanctam elegit in sua æternitate & talem tam nobilitate naturæ, quàm perfectione gratiæ condidit Matrem, qualem eam decebat, habere suam gloriosissimam Maiestatem, quia in ea & de ea debebat sumere, quod in æternum sibi erat unitum unitate personæ, de quo exiret precium totius liberationis, iustificationis & beatificationis humanæ.* Et de hac Conceptione Anselmus: *Decebat, ut illius Conceptio de Matre purissima fieret, ex puritate, quâ sub DEO maior nequit intelligi, &c.*

Quâ reverentiâ B. V. Sanctitas prosequenda?

39. Quapropter S. Petrus Chrysologus serm. 141. Virginem hanc tam eximiâ puritate, Sanctitate, gratiisque cœlestibus exornatam, inque Templum Divinæ illius Majestati præparatam, jure merito, sacro quodam tremore, ac horrore, obsequio, ac humilitate, ad instar Regij Domicilij, ac Thalami, imò Divini cujuspiam Sacrarij venerandam esse censuit: *Quantum*, inquiens, *secretum cubiculi sit Regalis, quali reverentiâ, quo tremore locus habeatur, ubi ipsa Principis requiescit potestas, quam nulli extraneo, immundo nemini, nulli infideli pateat illuc, & permittatur accessus, quam munda, quam casta, quam fidelia ibidem præstolentur obsequia, imperialis aulæ manifestis docetur insignibus. quis ad ipsas palatij foris vilis, quis propinquat indignus? Certè ad thalamum Sponsi nisi satis proximus, nisi satis intimus, nisi bonæ conscientiæ, nisi laudabilis famæ, nisi probabilis vita, nullus admittitur.*

Notitia sui premittenda ante considerationẽ Dominicæ Incarnationis.

Intra thalamum verò ipsum Virginem DEVS capit solam, suscipitur sola Virginitas illibata. Unde ô homo his admonitus exemplis, æstima quis sis, quantus sis, qualis sis, & tunc demum cogita utrum possis Dominicæ Nativitatis penetrare secretum, utrum merearis ad illius pectoris cubiculum pervenire, ubi tota superni Regis, tota Divinitatis quiescit Maiestas, utrum debeas humanis oculis, corporeis sensibus Conceptum Virginis temerarius discussor attendere, utrum possis ipsas DEI manûs operantes sibi sacrum corporis templum intra alvum Genitricis audax, & curiosus arbiter intueri, conspectibus tuis absconditum a sæculis nudare mysterium? revelare tibi ipsi, Angelis invisibile Sacramentum? & ita cœlesti fabricæ præsidere, ut deprehendas liquido tu, quomodo DEVS penetrale clausæ carnis intraverit? quomodo corporis in illo venerabili utero præter Virginis conscientiam lineamenta pinxerit? quomodo præter concipientis sensum mansura sæculis ossa solidaverit? &c. Hæc Chrysol. de reverentia, quæ DEI Genitrici ob ejus Sanctitatem eximiam, velut cuipiam Sanctuario, in quo tam Sacrosancta operata sunt mysteria, exhibenda est.

Ipsæ Dei manûs sacrum sibi corpus in utero B.V. formaverunt.

40. Vt porrò hæc summæ DEI Parentis Sanctitas elucescat magis, majorique nobis semper sit venerationi, varias Sanctitasis definitiones, seù descriptiones consideremus; quas in Virgine locum habere intelligemus.

Quid sit Sanctitas?

Dionysius Areopagita DEI ter Opt. Max. Sanctitatem sic defin t. c. 12. de Div: Nom. *Sanctitas nil est aliud, ut more nostro loquar, quam puritas ab omni scelere libera itemq; omninò perfecta, & omni ex parte incontaminata munditia.* Ex hac definitione intelligemus profectò Sacratissimæ Virginis nostræ Sanctimoniam germanam, gemellamque quasi illi Divinæ extitisse. Siquidem ab originali peccato, singulari, nulli puræ creaturæ hactenus indulto privilegio præservata, & extincto omni penitus peccati fomite, nulli actuali unquam, vel lævissimæ culpæ fuit obnoxia, sed in prima statim in utero Matris adhuc facta Sanctificatione, Sanctificium, sive rei sacræ ædificium, seù Sacrarium hujusmodi ad inhabitandum DEI Filio, ope, ac opera increatæ illius Sanctitatis Spiritus Sancti, fuit præparatum, ut in illo adornando opes omnes suorum donorum, ac charismatum, omnesque gratiæ suæ thesauros profudisse inauditâ quâdam prodigalitate videretur.

Sanctitas B.V.D. Divinæ ferè quam simillima.

Quantæ Divinæ gratiæ opes profusæ in B.V cõdendæ?

41. Quæ Divinissimi Spiritus prodigalitas, suarumq; gratiarũ profusio adũbrata, ut in Filijs Israël, tã liberaliter, aurũ, argentum, hyacinthum, byssum, purpuram, coccumque bis tinctum, aromata, lapides onychinos, variasque gemmas preciosissimas, aliaque donaria mentis promptis-

promptissima atq; devota, ut Scriptura loquitur Exod. 35. comportantibus ad ornandum Tabernaculum illud, ac Sanctuarium, in quo Divina illa Majestas sedens super Cherubin habitatura, & responsa datura erat, ut Moyses obrui tantâ quodammodo prodigalitate se cernens, edicere, *& voce Praeconis cantari compulsus fuerit, ne ullus quicquam offerret ultra, in opere Sanctuarij, sicq; cessatum est à muneribus offerendis, eò quod oblata sufficerent & superabundarent*. Exod. 36. v. 7.

Tabernaculum fœderis figura B.V.

42. In ornando porrò hoc Virgineo tabernaculo Spiritus Sanctus non contentus dumtaxat dedisse Divinæ Matri formam spiritualis mundiciæ, dedit quoque virtutem honestè operandi, ad illam Sanctitatis, puritatisque Spiritualis Formam magis, magisque variarum virtutum exercitatione perficiendam. Præclarè enim Pater noster Amicus Tomo 7. Disp. 16. n. 96. definitionem illam explicans Dionysij, docuit Sanctitatem, quandam animi sanitatem esse. *Vnde sicut perfecta corporis sanitas*, inquit ille, *duo formaliter præstat constituere in primis corpus, in certa quadam humorum temperie; & simul illud expeditum reddere, ad exercenda munia animanti salubria: Ita hæc duo primo, & per se proportionaliter præstat animi Sanctitas, & illum mundum constituere à sorde, & labe peccati, per formam incompossibilem cum peccato, & simul illum expeditum reddere ad exercenda opera naturæ rationali consona. Vnde hæc duo in nobis præstat Gratia habitualis, quæ est perfecta Sanctitas accidentalis, reddere in primis seipsâ mundum animum à sorde peccati, & simul illum potentem facere ad operandum honestè, absq; defectu peccati.* Quod confirmat auctoritate Apostolica 1. Ioan. 3. verbis illis: *Omnis qui natus est ex DEO, per gratiam scilicet habitualem, quæ est forma regenerativa novæ creaturæ in Christo, peccatum non facit; ecce facultas rectè operandi, absq; peccato, quam tribuit gratia: quoniam semen ipsius in eo manet: Ecce formalis animi mundicies, quam simul cum potentia honestè operandi præstat gratia, ex eo quod sit semen, & participatio quadam increatæ Sanctitatis. Vnde addit, eum qui ex DEO per gratiam natus est, non posse peccare, nempè ex suppositione, quod maneat in ipso gratia DEI: Nam quam diu hæc in nobis manet, manet spiritualis mundicies, & expedita facultas operandi absq; peccato. Cùm enim Sanctitas conferat homini essentiam quandam, dignitatemq; Divinam, planè oppositam peccato, consequens sanè est ad huiusmodi essentiam sequi operationem illi proportionatam, illius Sanctitatis, quod nil aliud est quàm posse honestè & iustè operari absq; peccato, quod conservativum est Sanctitatis.* Igitur cùm Virgo Deipara à Spiritu S. tam excellenti Sanctitate, ac spirituali mundiciâ, labis omnis expertè dotata fuerit, atque exornata, & Divinæ consors naturæ effecta, consectarium profectò fuit, ut potentiam quoque quandam Divinam nacta fuerit ad benè, honestèque operandum, non modò ad formam illam incontaminatæ mundiciæ conservandam, verùm etiam assiduâ virtutum exercitatione perpoliendam, augendam, novisque colloribus quodammodo venustandam.

Sanctitas dat animæ spirituale mundiciã, & virtutẽ honestè operandi.

Sanctitas est animæ sanitas, dans illi facultatẽ benè operandi.

Gratia confert animæ mũdiciam, & potentiã rectè operandi.

43. Quibus exercitationibus, solita sibi intensiori semper diligentiâ peractis, quid Virgo perfectionis, Sanctitatis, puritatisque fuerit consecuta, quàm bellè sui corporis, animique tabernaculum ad inhabitandum Filio Dei præparaverit, quæ mens capere, quæ lingua exprimere sufficiat?

Audiendus hic S. Anselmus lib. de Excell. Beatissimæ Virginis cap. 3. *Nata igitur, & infantiles annos exuta, quam castè, quam sanctè, quam DEO dignè vitam instituerit, & institutam egerit, quis cogitatu, non dicam dictu queat coniecturare? Nulli deniq; dubium castissimum corpus, & sanctissimam animam eius funditus ab omni fuisse macula peccati, ingi Angelorum custodia protecta, utpote aulam, quam suus, omniumq; Creator DEVS, corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in sua persona unitate, ineffabili fuerat operatione suscepturus.* Quod Vir in Virginem pijssimus aptissimâ declaravit similitudine: *Et quid mirum*, inquiens? *Nam inter omnes usus obtinuit, si tamen cœlestibus ad terrena potest esse comparatio ulla, ut cùm præpotens aliquis, & persona dives aliquo vadit hospitaturus, ut cliententes præcurrant, ut locum muniant, mundent, ornent, & custodiant; quo venienti Domino suo aptus ad habitandum & congruus fiat. Quod si talis apparatus fit, pro adventu terreni hominis, & momentaneæ potestatis, qualis apparatus omnis boni putamus fiebat pro adventu cœlestis Regis, & æterni, in corde sacratissimæ Virginis, quæ illum non solùm erat in semet transitivè hospitatura, sed ex substantia sua factum hominem paritura.* Hæc S. Anselmus aptissimè.

M. corporis, animique puritas inestabilis.

B. V. velut Aula præparata inhabitationem summi Regis.

44. Porrò ut S. Antistes ostenderet nil in Sanctissima illa Virginis anima impuritatis quod Divinæ Majestatis oculos offendere aliquâ ratione potuisset,

exti-

extitisse, ejusdem Virginis præclarissima virtutum ornamenta, quibus dignum Filio DEI domicilium, ac thalamum deliciosissimũ adornavit commemorat.

Expendens enim verba illa sacrosancta, omnique veneratione dignissima; *Ecce Ancilla Domini*, &c. in illis velut quapiam auri, gemmarumque fodina preciosissimas pulcherrimasq; virtutes, quibus ceu lapillis animum Virgo decoravit suum, invenit, quarum admiratione perculsus exclamavit: *O fides DEO accepta! ò humilitas grata! ò obedientia omni sacrificio jucundius DEO oblata! quid ergo quod venientis DEI oculos offenderet in illa poteat residere, in qua tantarum virtutum insignia veniens invenit redolere? Certè solâ fide fertur Abraham DEO placuisse, & hoc quia credidit, ad justitiam illi deputatum fuisse. Super humiles autem, ac quietos, ac verba sua trementes, spiritum suum requiescere; & obedientiam pro sacrificijs malle se asserit DEVS. Cum igitur in ijs quæ tantopere DEO placent S. Virgo MARIA tam excellenter illi placuit, ut nequaquam crederet quis illâ aliqua ratione excellentius placere potuisse.* Concludit denique si ab omnis peccati Originalis vel actualis macula cor ejus mundatum non fuisset, nulla ratione Filium DEI ex illa incorporandum. In cujus incorporationis contemplatione defixus, sublimem Virginis admiratus puritatem, atq; excellentiam, ejus mentis uteriqúe munditiem, cum utero illo æterni Patris, sanctorum splendoribus, ineffabilique puritate circumdato conferre visus est. *Hic*, inquit, *se suberigat intentio mentis humanæ, & pro posse paucis intendat, quanti penderit omnipotens DEVS merita hujus B. Virginis. Intendat, inquam, & contempletur, videat & admiretur; unum Filium sibi consubstantialem, coæternum, omnipotentem ex sua natura sine initio DEVS Pater genuit, & per eum omnes creaturas visibiles, & invisibiles ex nihilo fecit. Hic igitur sibi tam unicum, quam dilectissimum & in omnibus omninò æqualem non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse B. MARIÆ unicum & dilectissimum & naturalem Filium. Nec ita ut duo essent, unus videlicet Filius DEI, alius Filius S. MARIÆ Virginis, sed unus idem ipse, qui Filius DEI in una persona esset Filius S. MARIÆ Virginis, & qui Filius S. Mariæ, unus & idem ipse esset in una persona Filius DEI.*

Placuit DEO in M. habitare quia humilitate obediẽtiâ, alijsq; virtutibus exornata fuit.

DEVS Pater magnificit MAriam, quâ voluit secum unicum suum Filium habere communem.

Tandem pulcherrimo hoc absoluto discursu, quo puritatem Virgineam absolutissimamque sanctimoniam, æterni Patris aliquo modo similem nobis ob oculos proponit, in illa admirabundus prorupit verba: *Quis hæc audiens non obstupescat; & quod Deus tale quid velle potuerit, non ultra omne, quod dici potest admirabile ducat.*

Mariæ puritas æterni Patris puritatem æmulata.

45. Eodem uti visus est argumento Angelicus Doctor 3. P. q. 27. art. 4. ad declarandum, Virginem DEIparam, ab omni prorsus vel levissimo actuali illibatam fuisse peccato, ex quo inferri potest etiam originali, quod gravius est sine dubio, quam veniale, cum hominem naturâ Filium iræ constituat, teterrimamque quandam labem, ac luem animæ aspergat, quæ malorum omnium, quibus mundus conflictatur, exitij origo, ac principium.

B.V. omni peccato veniali fuit libera.

Si enim Virgo sacratissima ab omni peccati labe depurata nõ fuisset, in eam increata illa sapientia nullo modo esset ingressa, *quia singulari modo Dei Filius*, *qui est Dei sapientia*, inquit ille, *in ipsa habitavit, non solum in animo, sed etiam in utero. Dicitur autem Sap. 1. in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

In M. habitavit cœlestis sapientia, ac proinde omni peccato libera fuit.

46. Agnovit Virgineam hanc puritatẽ omni peccati nævo liberam S. Ephræm Syrus, in sua illa ad Virginem pientissima oratione: *Immaculata & intemerata, incorrupta & prorsus pudica, atq; ab omni sorde, ac labe peccati alienissima, Virgo Dei sponsa, ac Domina nostra.*

B.V. ab omni sorde peccati alienissima.

De singulari hac Virginis DEIparæ puritate idem Angelicus Doctor in 1. Sent. D. 44. q. unica, art. 3. ad 3. *Potest*, inquit, *aliquid creatum inveniri quo nil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; & talis fuit puritas B. Virginis quæ à peccato originali & actuali immunis fuit.*

Puritas B. V. ab omni sorde originali libera.

Agnovit B. Albertus Magnus summam hanc in Virgine puritatem, in hunc fere modum ut refert B. Antoninus 4. P. tit. 15. cap. 20. ratiocinando, *Ibi major est puritas spiritualis, ubi maior est gratiæ participatio; sicut in corporibus puritas major, aut minor dicitur per accessum, vel recessum ad summè puram lucem: Sic aer purior est aquâ, ignis verò purior utroq;, quia magis accedit ad lucem, sic animæ dicuntur puriores quanto plus de luce supernaturali gratiæ participant. Sed in beata Virgine respectu purarum creaturarum fuit gratiæ lux in summo, ergo & appropinquatio ad Deum in summo, ac proinde puritas*

MARIA quia DEO propinquissima ideo purissima ad instar lucis.

Reginam, rege igitur nos, rege animam, rege corpus; en omnia mea tuo subjicio dominio, ac potestati. Protestor ò Domina cum tuo Bernardo, & dico animitus, dico medullitus: *Sub tuo Regmine ò Domina volo de cætero militare. Me totaliter Dominationi tuæ committo, ut plenariè me regas, nihil meæ insipientiæ dimittens de mei regimine. Quicquid enim mihi dimiseris, noveris miserrimè destruendum. Sed cùm plenus sim miseria, à vertice, usq; ad pedum plantas, & putrefactus, horrorem, fœtoremq; gravem exhalem, quomodo dignaberis me regere tam nobilis Creatura? At quoniam Regina es misericordiæ, nos qui sumus miseri, sumus utiq; necessariò tuæ misericordiæ subditi. Vnde fit, ut multum sis sollicita, de miseris, hos in tuos filios adoptasti, hos regere Domina voluisti. Nos ergo miseri tecum de cætero consolemur, tecum amodo Domina habitemus, te mentis visceribus amplectamur.*

13. Habemus in te Civitatem Refugij, habemus turrim munitissimam, de qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium. Nos igitur ò Mater gratiæ, ò Mater misericordiæ ab hoste protege, nos defende, nos armis tuæ potentiæ circumda, ne unquam Tartarei hostes nos expugnent, irrideant, & incaptivitatem redigant. Nonne cernis ut nobis die, noctuque insidientur, nonné cernis quanta rabie ad instar Leonum rugientium præparatorum ad escam nos assiduè impetant, & adeo impetant, ut respirandi nulla nobis permittatur facultas? Quare exaudi orationem meam, cum tuo Bonaventura tibi rursus supplicò Psal. 60. *super firmam petram stabilias mentem meam. Esto mihi Turris fortitudinis; me tuearis à facie crudelis vastatoris. Vt castrorum acies sis illi terribilis, & vivus corruat in profundum Inferni. Miserere mei Domina* (ejusdem servi tui verbis utor Psal. 15. quo facilius apud te gratiam inveniam & auxilium in tribulatione) *Miserere*, inquam, *mei Domina, quoniam conculcaverunt me hostes mei quotidie. Omnes cogitationes eorum in malum contra me. Excita furorem & memento belli, effunde super eos iram tuam, Innoua signa & immuta mirabilia, sentiamus auxilium brachij tui. Glorifica nomen tuum super nos, ut cognoscamus quoniam in sæculum misericordia tua.* Rogamus te iterum, atque iterum cum eodem tuo servo Psal 54. tibi canente: *Glorifica manum tuam & dexterum brachium tuum, ut prosternantur à nobis inimici nostri. Ad te clamamus Domina, ad te suspiramus: quia, ut tuus dilectus Filius Bernardus tibi loquitur; Vulnera sustinemus, plagas sentimus, quia inimicis undiq; circumdamur. Clamamus angustiati, miserijsq; infinitis oppressi. Clamamus cordis anxietate, doloris acerbitate, imò & erga te amoris immensitate. Quare ergo obdormis Domina? surge, adiuua nos. Clamamus ad te, ut nostram manifestemus necessitatem, quia clamare necessitas nos compellit. Citò, citò Domina subuenias clamanti, ne in manibus deficiam inimici. Curre, festina Domina, & nequissimum, infidelissimumq; servum ad te clamantem parcendo adiuua, & eripe de manu & periculis tui hostis. Si aliud te allicere Domina non deberet, nisi quia tuus hostis audet nos tuos seruos inuadere fraudulenter, deberes ad nos quamtocius festinare. Curre, & libera nos Domina curre ad eorum superbiā reprimendam. Curre ne dicant ubi est eorum Domina, de cuius clementia confidebant.*

14. Habemus in te inexhaustum omnium cœlestium bonorum, ac gratiarum thesaurum; dita ergo Domina diligentes te, & cordis nostri thesauros reple. Novimus Domina te esse liberalissimam, novimus te opulentissimam, varijsque virtutum gemmis exornatam; novimus largissimis tuis manibus cœlestes opes esse reconditas, atque concreditas, teque habitâ, habere nos Donum omnium donorum ditissimum, opulentissimum, ac præstantissimum. Hoc nos, hoc Virgo beatissima, in hac adhuc vita degentes beat, dum ad æternam gloriam nos prædestinatos esse, certiores reddit; hoc nobis est sempiternæ beatitudinis pignus; hoc nos beatorum, in hac adhuc lacrymarum valle gaudia prælibare facit, omniumque bonorum spiritualium replet ubertate.

15. Habemus in te denique Virgo sacratissima dono, ac munere planè Divino, habemus, inquam, Scalam, cui nixa mortalis infirmitas, ac imbecillitas ad cœli patriam possit facile pervenire. Trahe igitur nos post te, ut in unguentorum tuorum, suavissimarum nempe virtutum odorem currentes, vestigijsque tuis, insistentes in cœlum, te Duce introducamur, atque sanctissimæ Trinitatis conspectibus æternûm contemplandis, aliquando præsentemur.

16. Interim ego me tibi totum præsento, do, dico, addico, resigno, atque devoveo, quemadmodū tu teipsam Creatori tuo in Donarium æternum; tibique


bique cum tuo Iusto Landspergio famulo tibi devotissimo tuis pedibus provolutus clamo medullitus: *O clementissima V. M. ò pijssima desolatorum Mater, omnium consolatio, Regina misericordiæ, post Christum unica spes animæ meæ, ad te dulcissima confugio, ad benedictissima tua, ac Virginea pedum tuorum vestigia me totum, corpus & animam, velle, & posse, omnes necessitates, & euentus meos tibi resigno, tibi offero, ac commendo; & mihi ipsi omnibus modis renuncians, totum me dono maternæ curæ, ac custodiæ tuæ, eligens te hodie, ac in perpetuum in Matrem, ac Dominam meam. Itaq; per benedicta viscera misericordiæ tuæ, per pietatem & clementiam Virginei cordis tui, sub quo novem mensibus requieuit Filius tuus, obsecro te, noli me abijcere à misericordia tua, noli me spernere Virgo humillima propter innumera, ac enormia peccata mea, sed propter eum, qui pro me nudus expansis manibꝰ ante oculos tuos pepēdit me in Filiū accipe, non ponderans meam vilitatem, nec peccatorum meorum turpitudinem, sed Virginei pectoris tui clementissimam, indeficientemq; misericordiam. O tutissimum peccatorum refugium. O mulier virtutis & clementiæ. O puteus inexhaustæ pietatis, suscipe me tu cum S. Ioanne custode tuo, in Filium, dirige, & guberna me, protege, custodi, & libera me, ab omni peccato, ab omni malo, & ab omni quod tuo Filio displicet. Dono me tibi totum quantus sum, ò Donum nobilissimum atq; Divinissimum singulari ex DEI pietate mortalibus concessum; fac me, quæso de numero Filiorum tuorum, qui singulari privilegio cordi tuo profundius inscripti sunt, & qui magis sunt tibi deuoti. Dulcissima Virgo imprime tui amorem castissimum feruentissimumq; cordi meo, & impetra mihi, ut vita tua virtutes, quibus placuisti DEO, castitatem videlicet, humilitatem, mititatem, charitatem, ac misericordiam, reliquasq; omnes ita imiter, ut Filio tuo, tibiq; semper totus perfectissimè placeam. Impetra mihi, ò Dulcissima fœlicem mortem, quo in passione, ac morte, sanguineq; Filij tui purgatus, totusq; reconciliatus, illico post mortem, vitam illam ex singulari DEI Filij tui misericordia recipiam æternam.*

Oratio qua nos offerimus B. Virgini.

B.V. rogāda pro fælici morte.

AMEN.

AVE MARIA.





DISCVRSVS XXI.

Quod DEIPARA Virgo ſanctitatem ipſius Spiritus Sancti in ſe repræſentet.

Et ædificavit ſicut Vnicornium Sanctificium ſuum in terra.
Pſal. 77. v. 69.

I.

PRæclarè ſanè imò divinè hiſcè verbis Regius Propheta David Reginæ ſanctiſſimæ de ſua ſtirpe olim oriundæ, magnæ illius Dei Parentis ſanctimoniam celebravit. Prævidens enim luce Spiritus Sancti irradiatus, eam in Templum, in ſanctuarium, in ſancta ſanctorum, in ipſius denique Divinæ Majeſtatis domicilium ſacroſanctum, ipſius Dei Omnipotentis ter opt. terque Max. manibus infinitâ ſua ſapientia ad excipiendum Divinum illum, potentiſſimumque Monocerotem, qui de ſinu Patris in ſinum puriſſimum immaculatæ Virginis erat deſcenſurus, ædificandam, antro ſeu ſplæo Monocerotis mundiſſimo, eandem comparavit.

Maria Dei Sanctuarium, in quo Dei Filius velut Vnicornis habitavit.

Quæ Pſalmiſtæ verba expendens Venerabilis Beda ſuis in Pſal. 77. Commentarijs: *Ædificavit,* inquit, *Templum ſuum, ita mundum, ſicut eſt habitaculum Vnicornium. Vnicornis enim eſt animal caſtiſſimum. Vnde etiam non capitur niſi per veras Virgines, quia ad eas venit, & caput in gremium earum imponit, ac obdormit; diciturq́; habere mundiſſimum habitaculum.* Addit P. Quirinus de Salazar in Defenſ. Immaculatæ Concept. cap. 26. num. 13. Vnicornium à ſpelæo ſeu cavea in qua degit omne venenatum animal, omnia virulenta, odore, atque halitu ſuo procul abigere, ac necare.

Vnicornis eſt Animal caſtiſſimú.

Ex quo infert Deiparam Virginem ab omni prorſus labe, veneno, ac virulentia peccati, tam actualis quam originarij fuiſſe immunem, ſiquidē pſius Dei ſacroſanctis manibus, in ſanctuarium ſeu domicilium tremendi illius, fortiſſimique Monocerotis (qui ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium, cuiquè, & de quo in ſuo Cantico canebat Moyſes Deut. 39. *Cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipſis ventilabit gentes uſq́ ad extremum terræ*) ædificanda erat, ideoq; Sanctificium Vnicornis, quaſi ſanctum ædificium, ut ait Iacobus de Valentia, quod ſibi uni Dei Filius conſtruxit ad habitandum, appellata fuit.

Vis Monocerotis in cornibus mira.

2. Pater quoque Nicolaus Cauſinus lib. 7. Hierogl. 82. ex Pomerio & Vincentio refert, quod ipſa etiam docet experientia Monocerotis cornu præſentiſſimum eſſe contra omnēm vim venenorum Alexipharmacum. Vnde in Africa, ubi propter infinitam ſerpentum multitudinem ſæpe contingit pellucidos amnium liquores veneni tabe infuſcari, Monoceros admirabili illa quam gerit in cornu virtute, aquas expurgat. Hujus igitur veſtigia cætera animalia conſectari ſolent, & ad fontem quidem anhela ſiſtere, donec ille, intincto cornu labem aquarum eluerit, id ubi ſenſerunt, depoſito ſtatim omni metu ſalutaribus lymphis ſitim reſtinguunt. Quod ſanè quam bellè immaculatæ Virginis noſtræ Conceptioni quadret, nemo non videt. Cum enim illa fuerit Congregatio illa aquarum quam Devs initio mundi vocavit: Maria; cum ſit etiam fons hortorum puteus aquarum viventium fluentiū cum impetu de Libano cœlorum, & Divinus ille Rhinoceros Virginéis hiſcè

Monoceros ſuo cornu purgat aquas.

hiscé aquis quodammodo per Incarnationem sese totum immergere debuerit, potuit sanè omnipotentiæ suæ cornu Virginem ab omni, non modo originalis labis, verum etiam actualis cujuscumq; veneno præservare, utpote quæ increatæ illius Sanctitatis delecta erat in domicilium, ac Sanctuarium.

3. Qua ex consideratione admirabilis prorsus, incomprehensibilis, atque ineffabilis, soli Deo cognita deprehenditur Deiparæ sanctimonia, quam B. Patriarcha Laurentius Iustinianus serm. de Annunc. contemplans, nec mente sepire, aut verbis pro dignitate eloqui valens, jure merito, ita suam orsus est orationem: *Quoties intemeratæ Virginis MARIÆ prærogatiuam sanctitatis facundia humana conatur edicere (quoniam longè ab eius existit meritis) necesse est ut succumbat. Melius quippe silentio, quam locutione differitur, cum omnis laus eidem inferior sit. Quis ora huius Virginis gratiam sufficit enarrare? Ab ipsa namq; sui conceptione in benedictionibus est præuenta dulcedinis, atq; à damnationis aliena chirographo, prius sanctificata, quam nata. In ipso enim utero materno jam posita, super illam sanctificationis gratia effulsit, utpote ei, quæ electa erat ut pareret DEVM. Nouerat opus suum ille, qui fecerat, & quale futurum erat, certissimè agnoscebat. Hinc est quod Virginem ipsam tam largo imbre spiritus irrorauit. Erat planè sicut à carnis colluuione immunis, ita & ab omni peccati labe extranea. Degebat quidem in carne, conuersabatur supra carnem, carnisq; molestias nesciebat. Talis profectò erat ut nulli seruaretur usui, nisi Diuino. Quamobrem cum temporis plenitudo venisset, in quo Vniuersorum Conditor humanum genus redimere statuerat, hanc præ cæteris reperiens sanctiorem, sibi præcipuam delegit in sponsam, ipsam mente, ipsam corpore custodiuit intactam, ut esset de qua Verbum fieret caro, ac mulieris pudor per eam deleretur, ac culpa.* Hæc Iustinianus.

Mariæ laudes ineffabiles.

M. nulli usui serviebat nisi Divino.

4. Ejusdem Virginis perfectionem, ac sanctitatem S Germanus Archiep. Constant. orat. in Deipa. attentè considerans, eam rebus illis, quæ vel mente humana capi, vel lingua edici minimè possunt comparavit: *Si*, inquiens, *palmo metiri terram possumus, ac funiculo mare circumscribere, si cubitis cœlum continetur, & stellarum numerari copia potest, si guttæ pluuiæ, telluris q; gleba, ventorumq; impetus, atq; arenæ comprehenduntur, certè facile quod præ manibus est argumentum comprehendi poterit, DEI uirum Genitricis festus dies, atq; eius admiranda Virginis Perfectio.*

M. Sanctitas incomprehensibilis.

5. Hujus perfectionis atq; sanctimoniæ planè incomparabilis, B. Andreas Cretensis Hierosol. Episc. orat. de dormit. Virginis, perculsus admiratione, in illam erupit vocem *O Virgo Regina omnis humanæ Naturæ, quæ habes incomparabilem cum alijs appellationem, quæ solo DEO excepto es omnibus altior;* quibus sanè verbis tacitè insinuare voluisse visus est Deiparam, sanctitate omnibus reliquis Sanctis, Angelicisque ipsis spiritibus post Deum esse longè sublimiorem. Vnde hanc ob causam Venerabilis Hugo de sancto Victore, eam Auroræ splendore sanctitatis suæ, reliqua astra, quæ ille veteris Testamenti Sanctos, cæcam ignorantiæ atque infidelitatis noctem illuminantes, esse dixit, comparavit. Sic enim ille in Instit. Monast. serm. 34. *B. V. MARIA Aurora fuit, quia & præcedentis temporis, quod quasi nox fuerat, finis extitit & veræ lucis gratiæ, solisq; iustitiæ, qui ex ipsa progenitus est præventrix, & ante lucanum Sydus fuit. Totum namq; tempus quod ab Adam usq; ad eius ortum præcessit, quasi nox extitit; nox longa, obscura, frigida, otiosa, torpida, somniculosa, tacita, imo muta fuit. Nox absentia veræ lucis, longa, diuturnitate temporis; obscura, tenebrositate infidelitatis; frigida, defectu charitatis; torpida ab exhibitione boni operis; somniculosa, obliuione beatitudinis; tacita à voce verè confessionis; muta à cantico Diuinæ laudis. Exceptis quippe paucis personis, qui præcedenti tempore populum illum antiquum de suis prauitatibus castigabant, mysteriaq; futuri Saluatoris, Ecclesiæq; more Gallorum, die, nocteq; præcinentium prænunciabant, totus pene mundus silentio somnoq; premebatur. Quædam tamen astra suis radijs tempus illud irradiabant; quia sancti Patriarchæ. & Prophetæ, suis virtutibus ignorantiam populi illius illustrabant. Quorum radij, Aurorà apparente quodammodo offuscati sunt, quia in comparatione B. MARIÆ præcedentes Sancti paruam claritatem habuerunt. Quid enim fuit Innocentia Abel, Iustitia Noe, Fides Abrahæ, longanimitas Isaac, tolerantia Iacob, continentia Ioseph, mansuetudo Moysis, fortitudo Iosue, charitas Samuelis, humilitas Dauid, zelus Eliæ, abstinentia Danielis, eximia Sanctitas B. Ioannis, aliorumq; virtutes sanctorum in comparatione m B. Maria? Beata igitur V. M. vere aurora clarissima fuit, quæ suo magnifico iubare præcedentium Patrum claritatem minorauit.*

M. post Deum cũctis sublimior.

M. Auroræ splendore suæ Sanctitatis reliqua obfuscans sydera.

Sancti veteris Test. sydera in nocte Ignorantia.

Sancti in Comparatione B. V. parvã habent claritatem.

6. Hinc B. Dam. ser. de Assump. Virginis hujus

hujuscé Sanctitatis splendorem non modò Stellis, sed & Lunæ, imò ipsi Soli reliquos cœlestes ignes penitus quasi obtenebranti, ac delenti, contulit: *Sic Virgo*, inquit ille, *inter animas Sanctorum, & Angelorum Choros supereminens, & cuncta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit. Quantumlibet alia Stella reluceant, Luna tamen & magnitudine praeminet, & splendore. Sic utramq; Naturam Virgo singularis exuperat, & immensitate gratia, & fulgore virtutum. Porrò etsi Luna minores Stellas obscurat, non tamen denitus occultat: Sol verò, cui Virgo comparatur lucidiùs incandescens, ita sibi Syderum & Luna rapit positionem, ut sint quasi non sint, & videri non possint: Similiter & Virga Iesse veri pravia luminis, in illa inaccessibili luce perlucens, sic utrorumq; spirituum hebetat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.*

Sicut Luna & Sol reliquas Stellas luce supat: sic B. V. Angelos & Sanctos sanctitate.

7. Vnde crediderim illos Seraphinos reliquorum beatissimorum Spirituum Principes, qui juxta Virgineum hoc, Solium, in quo DEUS resedit trisagion concinentes, alis sibi ora, pedesq; obvelasse, quod Virgineæ Sanctitatis fulgor eorum oculos perstringere atque hebetare videretur. Hinc agnoscentes se illi nullâ ratione esse comparabiles, præ verecundiâ, ac reverentiâ, alis suam faciem, pedesque operiebant.

Seraphini visâ B. V. sanctitate faciem velant.

8. Neque verò mirum est MARIÆ Sanctitatem cum creaturarum omnium etiam Angelicarum sanctimoniâ, ac perfectione minimè conferri posse, siquidem ipsius increatæ Sanctitatis Spiritus Divinissimi, qui per excellentiam Sanctus, & ipsa Sanctitas vocitatur, viva quædam atq; expressissima Imago extitit.

9. Et licet à primo Immacultæ suæ Conceptionis instanti, omnibus Spiritus Sancti charismatis, donis, ac gratijs cœlestibus decorata, Divinam hanc Sanctitatem æmulata sit, in ipsa tamen æterni Verbi cum humana Natura, operâ Spiritus Sancti in ejus utero, per unionem hypostaticam, facta desponsatione, singulari quâdam ratione, tam Filij, quàm Spiritus Sancti Sanctiomoniam ob intimam cum utroque, omnis Sanctitatis Fonte, unionem imitata est. Præclarè enim Magnus Dionysius, de summo Bono loquens, ejusque effectibus lib. de Div. Nom cap. 4. *Bonum*, inquit, *quibuscunq; se perfectè insinuaverit, perfecta facit, & mera, atq; integra bona; ita planè, ut nil vel minima labecula illis admisceatur, nil quod desiderari possit inveniatur.* Quâ sanè in rê absoluta perfectio, ac sanctitas consistit.

M. Sanctitatem Verbi, & ipsius Spiritus S. repræsentavit; maximè in Incarnat.

10. Vnde B. Guerricus Abbas Ignatiensis serm. 4. de Purific. B. V. postquam dixisset, Filias Sion, animas videlicet justorum, aliqua semper labecularum suarum purgatione, sive per rorem, sive per ignem indigere; unde eas etiam in hac vita Dominus clementer emundare consvevit; mox hæc attexit: *Sed longè clementiùs & mitiùs purificata est illa, quam beatam pradicant Filia Sion, cui scilicet dictum est: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Hac nempè superna virtutis obumbratio, vera fuit purificatio MARIÆ, non ista qua quâdam mysticâ dispensatione tantum specietenus celebrata est. Hac planè fuit tota, ac vera Sanctificatio Matris, ac Filij, sicut & Angelus exposuit ei: Ideò, inquit, quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI. Antea namq; purificanda erat Natura mortalis, ut DEUM conciperet, non postea quam concepisset, cùm Sanctum Sanctorum concepisse, summa Sanctificatio sit, & ea, utpote quâ Mater ipsius Sanctitatis effecta sit, nihil sanctiùs esse possit.* Concludit tandem: *Omnium sanè purgationum*, inquiens, *quibus conditio reparatur mortalis, hac Beata Purificatio Virginis mitissima, ac fœlicissima fuit, nec potest esse nobis nisi admirationi.* Hæc Abbas pijssimus de modo quo Divinus ille Spiritus summum, æternumque Bonum, ipsaque puritas, ac substantialis Sanctitas DEIparam purificavit, ac sanctificavit.

B.V. purissima, nullâ Purificatione indiguit.

M. Sanctû Sanctorû concipiêdo summam Sanctificationem adepta.

Increatum enim hoc, summumque Bonum, ita se in Virginem insinuavit, ut in ejus tã mente, quàm ventre habitaverit, perfectamque, puram, ex integro bonam, ac Sanctam reddiderit.

11. Vnde & ipse Filius ob sanctimoniam tam Matri, quàm Humanitati communicatam, per excellentiam Sanctus Sanctorum dictus est. Et ipse similiter Divinissimus Spiritus eadem de causa, Virginem suâ obumbrando virtute, idem Sancti nomen sortitus est, ut observavit Rupertus Abbas, cùm ante, ut plurimùm non nisi, Spiritus DEI, Spiritus Domini in sacrarum literarum monimentis nuncuparetur. Sic anim ille commentarijs in Matthæum verba illa cap. 1. expendens. *Quod in ea natum est, de Spiritu S. est. Ante hac*, inquit, *Spiritus DEI, Spiritus Domini dicebatur, nec in toto veteri testamento invenies, Spiritus Sanctus. Ab hoc loco ferè primum sonuit, in auribus nostris hoc reverendum, & insigne vocabulum, proprium*

Christus Sanctus Sanctorû, quia Matrem, ac Humanitatê nostrã sanctificavit.

SpiritusS. sic dictus; quia Mariam sanctificavit.

proprium, ac absolutum, Spiritus Sanctus. Vbi Angelus ad MARIAM; Spiritus Sanctus superveniet in te. Et ad Ioseph: Quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est. Quam ob causam? Nisi quia (quod cum magna reverentia cogitandum est) maximè ex hoc opere, quod in MARIA operatus est, claruit hic Spiritus Domini, quod verè Sanctus sit. Quasi hinc significetur Sanctitas Humanitatis Christi, tam eximia extitisse, ut non nisi ab ipsa Sanctitate Personali condi potuerit. *Et hinc incipiat Spiritus Divinus appellari Sanctus,* ex quo aperuit in terris illum totius Sanctitatis Fontem.

Divinus Spiritus in Incarnatione Verbi vocatus est Sanctus

Licet enim & Pater, & Filius Sanctus sit, inquit idem Rupertus, *quia tamen tota Persona huius Operatio, non aliud nisi Sanctificatio est, ideò Sanctus, peculiari ratione Divinus hic Spiritus appellatus est. Sicut enim Pater omne quod factum est, per Filium fecit; sic omne quod sanctum est, per Spiritum suum sanctificavit. Quid enim est Spiritus eius nisi Amor eius? Et quomodo creatura quacunque rationalis aliter, nisi amando Creatorem, potuit unquam, vel potest sanctificari? Igitur quamvis & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater Sanctus, & Filius Sanctus sit, rectè tamen hac sola Persona, Spiritus Sanctus debuit nuncupari, cuius operatio propria, creaturæ Sanctificatio est; sine quo nec Angelus sanctus, nec homo sanctus est; quem non habens Angelus, Diabolus est; quem non habens homo, Antichristus vel membrum Diaboli. Huius Sanctificationis Summam esse, nemo est qui nesciat, id quod in Beata MARIA natum est, imò & Principium eiusdem operationis, id est, Sanctificationis illa conceptio est. Deniq; ipsa est prima, in quam iste Spiritus ille cum Dato supervenit, propter quod & dicitur Spiritus S.* Hæc Rupertus.

Tota Spiritus S. operatio Sanctificatio est.

Nulla creatura nisi amando Deum sanctificatur.

12. Et meritò sanè ob Sanctificationẽ Humanitatis, psiusq; Virginis Spiritus hic Sancti nomen sortitus est, qui priùs ob totius Trinitatis Sanctificationem à Seraphinis Sanctus prædicatus est. Vnde S. Augustinus eundem Spiritum vocat, *Vnitatem, Charitatem, & Sanctitatem Patris & Filij.* Et 11. de Civ. cap. 24. *ait Spiritum esse tamquam sanctitatem consubstantialem amborum, scilicet Patris & Filij.* Cùm igitur gloriosissimæ Virginis Sanctitas à duplici omnis Sanctimoniæ, & perfectionis cujuscunque fonte, ac radice per intimam tam Filij, quàm Spiritus Sancti, cujus castissimus extitit Sponsus, nexum, originem sortiatur, facilè sanè erit intelligere, quam perfecta, quam absoluta, & Divinæ illi Sanctitati extiterit quam simillima.

Spiritus S. est Vnitas, Charitas, & Sanctitas Patris & Filij.

13. Memorat P. Iustinus Michoviensis Ordinis Prædicatorum Vir eruditissimus To. 1. in Lit. Lauret. Dis. 138. n. 16. ex Ioanne Bapt. Fulgoso, in Pannonia juxta Sirmium Vrbem repertam Vitem, cujus pampini ex auro purissimo erant, quasi conflati. Hujus prodigij, cùm indagarent causam curiosius, Vitem illam, in Vena auri radicatam repererunt. Talis est nimirum Vitis nostra Virginea, quæ de se apertè prædicat Eccli 24. *Ego quasi Vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis;* Quæ cum radices suas in gemina illa auri purissimæ Divinitatis Filij, & Spiritus Sancti defixas quodammodo habeat, tota Aurea, tota pura, ac Sancta ad instar increati illius Auri, omnem etiam Angelicam puritatem longè transcendens, sit necesse est.

Vitis aurea reperta in Pannonia.

M. Vitis aurea, in vena Auri Divinitatis radicata.

14. Quam ob causam S. Greg. Thaum. ser. 2. de Annunc. Deiparam puritatis atque integritatis immaculatum simulachrum appellavit. *Et ideò,* inquit, *aspectum Angeli, sicut plures ex Prophetis non reformidauit, quoniam & affinitatem quandam & similitudinẽ vera Virginitas cũ Angelis habet.*

M. puritatis immaculatum simulacrũ.

Eodem sermone affirmat Naturam in Sanctificatione Virginei hujus Sacrarij stupore hæsisse attonitam: *Spiritus Sanctus,* inquiens, *in immaculatum Virginis Templum ingressus est, & sanctificata est mens eius simul cum membris; stetitq; Natura ex adverso cum stupore spectans Dominum Natura, præter Naturam, atq; adeò super Naturam rem admirabilẽ in corpore perpenetrantẽ.*

In Mariæ Sanctificatione Natura obstupuit.

15. Porrò ut nobis hæc Virginea Sanctitas Divinæ illius æmulatrix magis elucescat, quidnam Divina sit Sanctitas, necesse est, intelligamus.

Doctissimus simul, ac pijssimus Leonardus Lessius noster lib. 8. de perfectionibus Divinis cap. 1. Sanctitatem generaliter sic definivit: *Sanctitas est bonitas moralis, quæ generaliter nil est aliud, quàm perfectio morum in actu, vel habitu, quæ etiam in scripturis vocari iustitia solet.*

Quid sit Sanctitas?

Hanc bonitatem, seù perfectionem moralem, ait consistere in *Commensione cum lege æterna, secundùm quam operandum est.* Quemadmodum enim bonitas & perfectio naturalis alicujus creaturæ consistit in eo, quod sit suæ regulæ, atque ideæ commensurata, secundùm quam est facta; ita moralis perfectio, ac bonitas in commensione cum lege

Perfectio in quo cõsistat?

æterna, quæ mensura est omnis perfectionis, ac sanctitatis moralis, secundùm quam rationalem creaturam operari convenit. *Is enim*, inquit, *perfectus est, & sanctus, cuius affectus & mores exactè congruunt legi æternæ.*

Quid Sanctus sit dicendus?

16. Porrò Divina Sanctitas longè diverso, ac eminentiori modo, ab humanà intelligenda est; nimirum illam esse in Deo non accidentaliter, sed substantialiter; nec eam extrinsecus advenire, sed intrinsecus ab ipsa Divina essentia, ut substantialem proprietatem dimanare; nec eam conformem legi æternæ esse, ut aliquid ab ea diversum, atque distinctum essentialiter, ut in humana sanctitate contingit, sed idem penitus substantialiter, diversum tamen quid secundùm nostrum concipiendi modum. Vnde Divina hæc perfectio & Sanctitas, consummata, numerisque omnibus absoluta sit oportet, utpotè substantialiter unita, ac conformis, imò æternæ *illi* Regulæ, ut Theologorum more loquar, identificata. Cùm enim major vel minor Sanctitas, ex majori vel minori cum Deo conjunctione desumatur, summam profectò Dei Sanctitatem atque perfectissimam esse oportet, siquidem Divinum illud Numen sibi ipsi, tum per naturam, tum per affectum amoris, maximè conjunctum est.

Quid sit Sanctitas Divina?

17. Ex qua Lessij doctrina Virginæ Sanctitatis perfectio non obscurè intelligitur. Cùm enim & mores, universamque vitam suam, à primis illis immaculatæ suæ Conceptionis exordijs, legi æternæ, primæ illi omnis perfectionis, ac Sanctitatis normæ, sese per amoris affectum in dies singulos magis, ac magis quam arctissimè Divinæ conjungendo Majestati, fuerit commensa, seseque deinde in Filij Dei Conceptione, sua illi viscera, sanguinemque ad formandam, ope, ac opera Spiritus Sancti, Humanitatem, cui uniendus erat, subministrando, non modò Dei Filio, verùm etiam ipsi Spiritui Sancto, uberrimis omnis omninò veræ Sanctimoniæ fontibus, modò humanæ linguæ ineffabili, copulaverit; quis dubitare audeat magnam hanc Dei Matrem ad eminentissimum Sanctitatis apicem evectam, ad Divinam illam Sanctitatem quam proxissimè accessisse, & in se Divinorum morum, nec non bonitatis, ac perfectionis Divinæ pulcherrimam quandam Imaginem expressisse, Incarnato Verbo quā simillimā?

M. Filio, ac Spiritui S. unita summam Sanctitaté nacta.

18. Quemadmodum enim Humanitas Christi non modò sanctificatur formaliter à gratia habituali, accipiendo primarios effectûs formales gratiæ habitualis, uti est spiritualis mundicia ab omni sorde peccati, & facultas rectè operandi absque defectu peccati; verùm etiam sanctificatur formaliter ab ipsa increata substantiali Sanctitate, Verbi videlicet ipsius Divinitate, ut solitâ suâ perspicuitate explicat P. Amicus Noster Tom. 7. D. 19. n. 97. & 99. ita proportione quâdā dicere possumus Deiparam, non modò sanctificatam fuisse uniendo se per amoris affectum summo Bono, ejusque gratiam accidentalem participando, sed etiam Divinum Verbum, Sanctitatem illam substantialem purissimo suo utero, superveniente Spiritu S. & virtute Altissimi obumbrante, excipiendo.

M. Sanctitate accidentali, & substātiali sāctificata

19. De hac Virginis gloriosissimæ cum increata Sanctitate, in Verbi Incarnatione facta unione præclarè S. Bernardinus Senensis Apostolico suo stylo Tom. 2. ser. 6. flam. 2. *Summus*, inquit, *Mundi Imperator uxorem non habebat, & volens eam ducere, intellexit Virginem quandam esse pulcherrimam, sapientissimam, pudicam, humilem. Misit ad hanc Legatum Gabrielem, ad exquirendum eius consensum, eâ consentientiente perfectum est Matrimonium per verba de præsenti. Peracto hoc Matrimonio, tanta facta est inter eos unio, ut nunquam possint amplius à se invicem in æternum separari, quia facti sunt duo in carne una, & quos DEVS coniunxit, homo non separet. Sic fuit in Beata Virgine,* ait Seraphicus Pater, *quia per utriusq; consensum DEI & ipsius, facti sunt duo in carne una, & ipse DEI Filius assumpsit humanam carnem de carne ipsius Virginis gloriosæ.* Si igitur adeò Deipara fuit unita Verbo, ut idem quodammodo cum illo per carnis suæ Virgineæ communicationem extiterit, considerandum vobis reliquo, ad quam eximiam ex tantæ Sanctitatis conjunctione, sanctimoniæ perfectionem pervenerit.

Inter Verbum & Mariam summa Vnio facta per Incarnationem.

20. Quod si ejusdem Virginis cum ipso Spiritu Sancto familiarissimam, castissimamque unionem, quâ tantum peractum est mysterium, spectemus, intelligemus sanè Mariam in ipsam hujus Divinissimi Spiritus sanctimoniam, admirabili quâdā metamorphosi transformatā.

Audia-

Audiamus B. Petrum Cardinalem Dam. serm. 11. qui verba illa expendens: *Ave gratia plenaa, Dominus tecum;* reddensque rationem cur Dominus dicatur cum *MARIA; Quia*, inquit, *à DEO electam, & prælectam totam eam rapturus erat sibi Spiritus Sanctus; qui cùm sit ignis, rapit sibi, in se rem raptam transmutat.* Hanc Sanctimoniæ Virginalis admiratus excellentiam, & Divinæ illius, eximiam quandam nulli creaturæ hactenus concessam participationem esse intelligens, jure meritò B. Andreas Cretensis Episcop: Hierosol. DEI param omnis indefinitè omninò Sanctitatis thesaurum nuncupavit: *& Sancta*, inquiens, *& Sanctis Sanctior, & omnis Sanctitatis sanctissime Thesaure.*

M. à Spiritu S. velut igne in ipsum trāsmutata.

Timotheus verò Presbyter Hierosol. Orat. de Purific. B. V. Virginem appellat *Sanctissimam DEI Matrem, omni reprahensione, & noxâ maiorem;* vocat item *Virginem modis omnibus inculpatam, & Sacrosanctam.* Eandem ob causam, S. Ioan. Damasc. ora. 1. de Dormit. Deiparæ vocavit eam *Iustitiæ Fontem, ac Sanctitatis Thesaurum: Bonorum Donatricem, generis humani Ornamentum, omnis creaturæ Decus, ob quam verè beata effecta est;* per Sanctitatis, videlicet ipsius communicationem, quâ creatura rationalis prædita, veræ, æternæque beatitudinis gaudia adhuc in hac mortali degens vita prælibare videtur.

M. inculpata & Sacrosancta

21. Ob eximiam hanc Sanctitatem quam velut lucem pulcherrimam, etiam alijs communicabat Deipara, ipsius devotissimus Pelbartus Pannonius de Temisvar lib. 11. Stellarij P. 1. cap. 2. unam ex Stellis 12. quibus Sacrosanctus Reginæ cœlorum Vertex coronatur, esse dixit: *Singularem Sanctificationem;* quâ quatuor omninò vicibus sanctificata dicitur à Theologis. Et primò quidem in primo immaculatæ ipsius Conceptionis instanti in ipso Matris utero. Tum etiam cùm Spiritus S. supervenit in illam, & virtus Altissimi ipsi obumbrauit, Deique Filium concepit. Sanctificata item fuit, & incomprehensibili quoque aucta sanctimoniâ, cùm novem mensibus augustissima Incarnati Verbi in utero ejus commorantis præsentia dignata est. Sanctificata denique fuit, ut idem vult Pelbartus, cùm in cœlum profectura, à Filio dilectissimo visitari, eique uniri meruit. Addiderim ego, ante quoque in ipso Spiritus Sancti in Die Pentecostes super Discipulos Domini adventu effusâ prorsus gratiarum omnium copiâ fuisse sanctificatam. Cúm enim, ut Franciscus Mayronius Tract. de Conc. B. V. docet *Sanctificatio non sit aliud, quàm missio Spiritus Sancti ad animam sanctificandā;* consequitur sanè in Missione illa Spiritus Sancti ad Collegium Apostolicum factâ, animam Deiparæ, præ cæteris omnibus, copiosiùs ob immensam illam propemodum, quâ universorum Conditorem utero suo cepit, capacitatem fuisse sanctificatam. Docet porrò idem Mayronius descendisse in instanti immaculatæ Conceptionis in Virginem ipsum Spiritum S. non ut eam ab aliquo peccato purgaret, cùm nulli unquam, neque originali fuerit obnoxia, sed ut haberet gratiam, eamque in ipsa confirmaret, ut ampliùs nec mortale, nec veniale committere peccatum unquam posset.

Stella una è 12. Coronæ B. V. est singularis Sanctificatio.

B. V. quinque vicibꝰ à Spiritu S. sanctificata.

Quid sit Sanctificatio?

22. Descendit denique Spiritus S. in Virginem, ut eam in Templum gloriæ suæ consecraret, quo tota, & undequaq; plane sancta, omni ex parte euaderet. Erat nimirum Virgo beata Domus illa Domini, quam in sublimi monte contemplatus est Ezechiel, de qua cap. 43. v. 12. ita loquitur: *Ista est lex Domus Domini in summitate montis. Omnis finis eius in circuitu Sanctum Sanctorum est.* Adeo enim Spiritus S. tam in primo ejus purissimæ conceptionis momento facta sanctificatione, quam in reliquis deinceps, eam omni Sanctimoniâ puritateq; repleverat, ut tota penitus in anima & corpore intus, & in circuitu esset sanctissima, & ipsa Sancta Sanctorum esse videretur. Qua in re Spiritus S. id egisse visus est, quod postea in designando Templo ejusdem Virginis Messanæ, in monte Caperrinæ hic idem fortassis Spiritus in columbæ specie fecisse memoratur. Scribit enim P. Melchior Hincoffer in Defens. Epist. B. V. cap. 60. ex Iosepho Bonfilio. & Tabulis Templi antiquissimis, fuisse in monte illo Caperrinæ Sacellum S. Gabrieli Paranympho Virginis dedicatum, juxta quod duo pauperes Eremitæ, ut pietati secreto vacarent sibi cellulas delegere. Vni ex his igitur, qui Nicolaus dicebatur Virgo beata, per quietem sese visendam exhibuit, mandavitque ut ad Senatum proficisceretur, diceretque suo nomine à se locum illum delectum suamque voluntatem esse, ut Templum ibidem suo Nomini erigatur, consecretur. Nicolaus

Spiritus S. sanctificavit B. V. ut fieret Templum Domini.

B. V. in monte sibi Templum ædificari mandat Messanæ.

laus somnium ratus, admonitionem neglexit; cum ecce tibi insequenti nocte rursus ei apparet Deipara, & intentatis minis mandata jubet exequi. Vt porrò dictis fidem adstrueret, certam illi dat tesseram, Columbæ videlicet candidissimæ, quæ meridie de cœlis lapsa, aream Templi ædificandi suo volatu erat designatura. His auditis Nicolaus primo mane jussa Virginis defert ad Senatum, ac Vrbis Strategum Nicolaum Palaciũ, qui intellecta Virginis voluntate ad condictam horam iter ad montem direxere, ibiq; circa meridiem, multis videntibus, Columba circumuolitans, locumque areæ Templi designans, jucundissimum omnibus, admiratione attonitis, edidit spectaculum, tandemque in sublime unde aduolauerat recepta est. Mox igitur juxta Columbæ designationem fundamenta, effossa humo, locari sunt cœpta, ipsâ Reginâ Constantiâ primum lapidem jaciente, cæterisque omnibus utriusque sexus certatim adnitentibus. Atq; ita factum est, ut breui substructio cresceret, & tandem in Templum tanta Sanctitate dignum consecraretur. Quæ omnia Divinæ Matri novo miraculo cõprobare placuit. cum enim puella quædam ex Reginæ Constantiæ aula visionem illam eluderet, diceretque non esse fidem habendam pannoso Monacho, qui eo commento suæ mendicitati, quæsitâ stipe consulere meditatus esset. Vix hæc illa protulerat, cum ecce tibi illico dolore cum ingenti, ei exarescunt brachia, unde magno cum ejulatu, suam culpam, monita à Nicolao deploravit, ac pristinæ tandem incolumitati restituta est. Porro observat idem Autor designationem hanc Templi circa illa fere tempora incidisse, quibus Nazarethana domus, in qua Verbum caro ope operaque Spiritus Sancti factum est, Angelorum ministerio in Dalmatiam, inde vero in agrum Picenum translata est; ad ostendendũ fortassis Templum hoc Columbæ, Spiritum Sanctum denotantis designatione fabricatum, similitudinem aliquam cum Domo illa habere, in qua animatum illud Virgineumq; Dei Templum ab eodem illo spiritu Divinissimo consecratum, tot annis habitavit; Nam in Domo quoque illa Columba Spiritus Sancti fuit, quando videlicet *Spiritus S. superuenit in Virginem, & virtus altissimi illi obumbrauit,* eamque totam sanctificauit,

Aream Templi B. V. Columba circumvolitans designat.

Castigatur Puella à B. V. quæ fabulosam narrationem Eremitæ fuisse dixerat.

Domus Lauretana à Spiritu S. sanctificata.

effecitque ut intus, & extra, in circuitu Sancta Sanctorumq; omnium esset sanctissima, uti jam memoratum est.

23. Sanctificationem hanc uti etiam illam in utero Matris, Virginis nostræ sacratissimæ innuere videtur Vaticinium Isaiæ c. 11. Egredietur Virga de radice Iesse, id est, linea generationis Regia, quæ in Iesse fuit radicata, ut idem interpretatur Pelbartus, *& Flos de radice eius ascendet,* scilicet V. Matris, *& requiescet super eum Spiritus Domini.*

B. V. flos de radice Iesse.

Eandem Virginis in utero Matris sanctificationem Virga Aaron figuravit, de qua Num. 17. dicitur, quod in tabernaculo, nimirum Matris S. Annæ utero floruerit dono Spiritus S. Quid enim hæc Virga Aaron notat aliud, quam Virginem nostram, quæ etiam de stirpe Aaron erat oriunda, utpote Elisabeth cognata, quæ erat de filiabus Aaron?

M. Virga Aaron in tabernaculo Materni uteri floruit.

Florē porro sanctificationi appropriari indicat Ps. 80. ubi de Messiæ Sanctitate mirificâ, qua olim floridus erat futurus æternus Pater loquens: *Super ipsum inquit autem efflorebit sanctificatio mea.*

24. Et vero consonum omnino rationi fuit, ut quæ Florem campi, & lilium convallium, rosamque illam sine spina Hierichuntinam, increatam videlicet Sapientiam erat paritura, illibatus Sanctimoniæ, ac puritatis flos in prima suæ conceptionis esset radice; eamque Filius Dei ab omni originali labe præservaret, cum ea alioqui peccati nota, atque ignominia, quæ aspergeretur Matri, in Filium esset redundatura. Vnde decuit, illum esse solicitum, ne quid hujusmodi dilectissimæ suæ contingeret Parenti. Quare præclarè Glossa verba illa Christi, Ioan. 19. expendens: *Mulier ecce Filius tuus; Christus,* inquit *docet ut à pijs filijs cura parentibus impendatur.* Si igitur Salvator summam curam gessit suæ Matris, uti gessisse super omnes filios hominum certissimum est, pro ea, qua semper illam complexus est charitate, quæ sane omnis alterius filialis dilectionis exemplar, regula, ac mensura extitit; curandum certe ei summa diligentia fuit, ne Mater tam dilecta ullâ peccati Originarij labe contaminaretur. Huic autem summæ maximæque dilectioni contrarium, ut summo calori, frigus admisceri minimè potuit. Cum igitur summè eam dilexerit Filius consequens sanè fuit, ut ea omnia ab illa amoliretur, quæ eam sibi reddere

Filij Dei solicitudo in Matre ab originali labe præservanda.

reddere possent odibilem, qualis est peccati originarij labes turpissima, quæ hominem eâ comaculatum Deo ipsi nimium quantum reddit execrabilem. Accedit quod cum amare sit bonum velle, & amantis sit non modo amato benè velle, verumetiam ab amato omne malum amoliri, consequitur sanè Dei Filium summum illi bonum voluisse, ac consecutivè, ab illa malum originalis peccati, quod fons venenatus, & caput omnium malorum, quæ in mundum inundarunt extitit, avertisse. Per illud enim omnes in Adam morimur, nascimur natura filij iræ, æternum Dei beatificâ Visione privati; quæ mala sanè hujusmodi sunt, ut illis majora nulla mens excogitare possit; à quibus, ut Filius præservaret Matrem, quam rationi fuerit consonum nemo non videt.

Amor Filij Dei in Matrē à peccato originali eā præseruavit.

25. Neq; verò solum ab originaria labe præservavit, verumetiam insigni sanctitate donisque, ac charismatis in primo immaculatæ ipsius Conceptionis instanti decoravit, gratijsq; cœlestibus ceu fluētis adeo copiosè perfudit, ut de illa Regius cecinerit Psalmista Psal. 45. *Fluminis impetus lætificat civitatem DEI, sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Vbi per civitatem Dei & Tabernaculum communiter à Doctoribus, ac præsertim à Iacobo de Valenzia Episc. Christop. in Psal. 45. Deipara Virgo intelligitur. ait enim propriè Virgini MARIÆ conuenire illos versiculos, & ideo ab Ecclesia ipsi attribui. Verè enim in prima ejus sanctificatione, qua DEVS Altissimus lætificavit, irrigavit, & ornavit animam V. MARIÆ, flumine copiosissimo, & abundantissimo gratiarum, ac donorum Spiritus S. Dei Civitas facta est. Venit enim in illam cum suis donis, ac gratijs ipse Divinissimus Spiritus, inque ea, velut sua in Civitate habitavit. Quæ merito ita appellatur siquidem S. Aug. serm. I. de Nativ. B. V. Ipsa fuit prima & principalis civis Civitatis Dei, & primum membrum, in qua civitate Devs péramplius & perfectius habitavit primo in mente, deinde in carne. Et ideo ait, quod Festum Nativitatis Virginis jam pertinet ad istam Ecclesiam, cum ipsa sit principium Ecclesiæ, & hoc festum est exordium omnium Festivitatum novi testamenti. Vnde patet quod prius & per se hoc: *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem DEI;* verificatur de V.M. quæ fuit prima civis hujus Civitatis.

M. Civitas Dei propriá in qua ab initio primo cōceptionis habitavit.

B. V. prima & principalis Civis Civitatis Dei.

26. Lætificavit porrò atque irrigavit animam Virginis Dei filius copiosissimo flumine gratiarum, eum in finem, ut in ea habitaret per gratiam; Sanctificavit etiam totum ejus corpus, & animam, ut in ea habitaret per carnem, Humanitatem ex ea, hypostaticâ unione sibi sociatam, assumendo; atque ita facta est Tabernaculum Altissimi, ab eo tam effusa gratiarum omnium communicatione sanctificatum, non modo in humanitate illa, ex ipsius purissimis sanguinibus coalita, inhabitando, verumetiam in Virgineo, ipsius utero novem mensibus, summâ animi sui voluptate commorando.

Lætificata anima B. V. copioso gratiarum flumine, ut digna fieret Filij Dei Habitatio.

27. Quam ampla vero, quam larga hæc fuerit Virginis, quâ sanctificata est gratia, & in Filij Dei tabernaculum consecrata, audiendus est in primis S. Vincentius Ferrerius, qui locum illum iam citatum Psalmistæ interpretans ita loquitur: *Totum flumen Divinarum gratiarum effusum est super eam in sanctificatione. In sanctificatione aliorum Sanctorum infunditur una gutta gratiæ Diuinæ: at vero in B.V. fluminis impetus. Vnde S. Bernardus: Cæteris per partes datur gratia Spiritus: MARIÆ vero totam se infudit plenitudo gratiarum. Propterea dicitur: Lætificat Civitatem DEI, Quia Angeli soli sanctificationem Virginis scientes gauisi sunt. O quale illorum fuit gaudium! Si enim gaudium est illis super uno peccatore pœnitentiam agente; quanto magis super V. MARIA! quæ nunquam peccauit, nec in ea per peccatum veniale unquam DEVS vel commotus est. Sanctificaverat enim Tabernaculum hoc suum Altissimus, & velut Cubile Regium exornarat.* Audiendus deinde de hac Divinæ gratiæ exuberātia. S. Petrus Chrysologus ser. 143. *Singulis,* inquit ille, *gratia est se largita per partes, MARIÆ vero simul se totam dedit gratiæ plenitudo. Omnes, inquit Euangelista, de plenitudine eius accepimus. Vnde & David: Descendet sicut pluuia in vellus. Vellus cum sit de corpore, nescit corporis passiones; sic Virginitas cum sit in carne, uitia carnis ignorat; Cœlestis ergo imber Virgineum in vellus placido se infudit illapsu, & tota Diuinitatis unda, bibulo se nostræ carnis celauit in vellere, donec per patibulum Crucis expressum terris omnibus pluuiam salutis effunderet.* Tum verba Gabrielis: *Gratia plena;* expendens; ut eius gratiæ undequaque sese omnem in partem diffundentis explicaret amplitudinē,

Totū flumen gratiarum effusum est in sanctificatione B. V.

In B.V. totam Divinæ gratiæ se effudit plenitudo

sic in ejus excurrit elogia: *Hac est gratia, qua dedit cœlis gloriam, terris DEVM, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Hanc gratiam detulit Angelus, accepit Virgo, salutem sæculis reddidura.* Denique S.Hieron. ser. de Assumpt. Virgineæ hujuscé gratiæ redundantiam paucis descripsit. *Verè gratia plena, per quā largo Spiritus S.imbre perfusa est omnis creatura.* Plenitudinē hanc gratiæ considerans Pelbartus sup. cit.cap.4.ad eā expendēdā nos invitat: *O deuota anima pensa quam sancta, quā fœlix, quā gloriosa sit Virgo Maria, quæ tantis gratiarum est sublimata fauoribus. O quam excellentissima est hæc Regina, quæ tantis virtutum insignijs est laureata. Omnes ad eam confugiamus, eam inuocemus, ut de eius plenitudine gratiæ participemus.*

Quanta Divinæ gratia stabilitas in B.V?

28. Aliam Virgineæ hujus gratiæ quam Virgo in instanti suæ immaculatæ conceptionis sanctificata est insinuat Propheta Regius excellentiā illis verbis, quæ prioribus attexuit. *DEVS in medio eius non commouebitur; adiuuabit eam DEVS mane, diluculo;* Et est gratiæ stabilitas. Postquam enim DEVS in medio hujus Virginei habitaculi sanctificati per gratiam, habitavit, numquam amplius inde fuit motus, & multominus recessit; imo multo magis ipsa Virgo fuit in gratia confirmata, nec unquam à sua Virginitate mentis, & corporis vel minimo peccato veniali fuit mota. Itaque sicut in primo instanti sui esse & infusionis animæ in corpus illud purisimum, quod instans Psalmista mane, ac diluculum, seu, ut interpretatur Hieronymus, ortum matutinum Virgineæ hujus Auroræ appellat, Virginem sanctificando adiuvit, ne originali labe contaminaretur; ita in posterum semper in illa tanquam in suo sanctificato tabernaculo per gratiam habitando, eandem ab omni etiam veniali culpa præservavit, nec ab illa umquam vel ad momentum recessit. quin potius suâ præsentiâ id effecit, ut Sanctitas ipsius totius vitæ decursu usque ad fælicissimam illam corporis dissolutionem, majora indies caperet incrementa. Verè enim Domum istam DEI decebat Sanctitudo major, ac major in longitudinem dierum.

Quid sit mane & diluculum B.V.

29. Aliam congruentiam affert idem Iacobus de Valent. cur decens fuerit, ut præservaretur B.V. ab originarij peccati labe, & mox in ipso cōceptionis ipsius instanti sanctificaretur; quia nimirum ejus erat futurus filius, simul & legislator, qui in Decalogo Matrem honorari jussit. Legislatoris autem est prius facere, quam docere, ut ejus exemplo ceteri ad leges observandas provocentur. Cum igitur Christus Legislator utriusq; legis dederit præceptum de venerandis parentibus, certum profecto est quod idem ipse & servaverit. Non enim ut ipse testatur: Venit solvere legem, sed adimplere, Matth. 5. Et ideo Lucas c. 2. scripsit: Erat subditus illis. Si igitur Filius dilectissimam Matrem in vita veneratus est, qui fieri potuit, ut illam in prima sua origine tam turpi, tam enormi maculâ, qualis originalis est permiserit aspergi, cum ei sacratissimæ Matris ornandæ, ac decorandæ nec voluntas defuerit, nec potestas.

B.V. præservata ab originali peccato, qa futura erat Mater DEI, quam ab ipso honorari decuit.

30. Quod si DEVM ut hominum Creditorem consideremus, intelligemus profecto ab hoc debito, actu peccatum originale contrahendi DEI Matrem à Filio fuisse absolutam. Si enim omnis creditor potest alteri remittere debitum, multo profecto magis DEI Filius suæ dilectissimæ Matri. Cum igitur DEVS respectu totius humanæ naturæ sit Creditor, quia Adam cum tota sua posteritate commisso illo inobedientiæ peccato, factus est debitor, consequens sane est potuisse, imo, & voluisse dignissimam suam Matrem, quam tanta prosequebatur benevolētia absolvere ab hoc persolvendo debito, à subeundo jugo tam duræ servitutis Diabolicæ, ab inustione tam fœdæ, atque abominabilis notæ, ac maculæ qualis est Originalis. Sunt & alia quam plurima argumenta, ac congruentiæ, quibus hæc Virginis à peccato Originali, immunitas comprobatur, de quibus fusius Tomo sequenti. Hæc dixisse pro hoc loco sufficiat ad primam sanctificationem sanctitatemque Virginis comprobandam, quæ cum tam eximia fuerit, cogitandum vobis relinquo quam perfecta, omnibusque numeris absoluta euaserit in reliquis illis, de quibus Pelbartus meminit sanctificationibus, & maximè postrema illa, quam ex hoc mundo migratura, tanquam cumulum & mensuram bonam confertam, coagitatam atque supereffluentem accepit in sinum animæ suæ. Cum enim, ut communiter ferunt Contemplativi amoris intensissimi vehementiâ fuerit extincta DEIpara, & Sanctitas potissimū

DEVS Creditor remisit debitum suæ Matri actu cōtrahendi peccatum Originale.

M. amoris vehementiâ mortua.

DEI

In B.V. summa Sanctitas, quia in illa summa Charitas.

DEI Charitate constet; Sanctitatem profectò hanc Virgineam planè perfectissimam, & vehementissimam ad instar mortis, quæ animam penitus à corpore separat, fuisse oportuit. De qua ipse Sponsus dedisse testimonium visus est; cùm in ejus elogium Cant. 8. excurrit: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut Infernus æmulatio, lampades eius, lampades ignis atq; flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem, nec flumina obruent illam.* Quibus verbis ingens sanè atque immensum Divini amoris incendium quoddam exarsisse in pectore Virginis describitur, quod nec maria, quæ multarum aquarum sunt congregationes, neque vastissima flumina, qualia sunt Ganges, Tigris, Euphrates, Dannubius, &c. extinguere valuissent.

M. Sancta Sanctorũ.

31. Ob hanc tam eminentem Charitatis, Sanctitatisque perfectionem dicta fuit DEIpara à nonnullis SS. Patribus, *Sancta Sanctorum.* Audite S. Gregor. Nyssen. Hom. 1. in Cant. *In Sancto Sanctorum docemur quandam abundantiam & intensionem Sanctitatis per hanc vocem superlativam.* Audite & S. Bernard. Sen. qui *sicut*, inquit, *Filius MARIÆ est Sanctus Sanctorum, in quo erat ille preciosus Thesaurus, Tabernaculum DEI, Thronus DEI atq; Thalamus. Vbi ergo summa plenitudo humanæ & Angelicæ Sanctitatis est, ibi semper Virgo DEI Mater suæ Sanctitatis iecit fundamenta, ibi detinuit gradum, & plantam fixit, Vnde de se dicit: In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Idem Seraphicus Pater To. 3. ser. 7. parte 1. *Mater DEI*, inquit, *fuit per gratiam sanctificata, & facta sancta Sanctorum.* Quæ cùm Templi illius Hierosolymitani secretior, sacratiorque esset pars, in qua DEUS ipse sedens super Cherubin habitare, & reddere oracula, populumque illum Israëliticum in suis afflictionibus consolari dicebatur, figura fuit pulcherrima Virginis sanctissimæ, quæ verè Sancta Sanctorum omnium Regina extitit, ideòque Spiritus sanctus fortassis locum illum ita denominavit, quod jam longè ante hæc sua dilectissima, sanctissimaque Sponsa summi DEI Filij Mater, omnibus Sanctimoniæ à se ornamentis decorata, ibidem esset habitatura, Divinamque quandam Sanctitatem loco illi, præsentiâ suâ allatura.

B. V. suâ Sanctitate Sancta Sanctorũ sanctificavit ibidẽ habitando

32. Hinc S. Germanus Archiepisc. Constant. Orat. in Præsent. B. Virginis asseruit DEIparam in interioribus Sanctis Sanctorum, singulari utique privilegio (quo postmodum & S. Iacobus gavisus est) mansisse, ambrosijs dapibus ab Angelo nutritam, donec ibidem commorata est.

M. ob insignem Sanctitatem in Sancta Sãctorum habitavit.

Quam Virginis in Sanctis Sanctorum attentè contemplans habitationem, admirabundus ibidem exclamavit: *Ecce signum certissimum futuræ ipsius gloriæ. Ecce principium sanctissimum Divinæ gratiæ ipsam obumbraturæ. Ecce beneficium splendidissimum eminentis in ipsa puritatis. Vbi enim non sæpè, sed semel dumtaxat quot annis Sacerdos Sion ingrediens rem sacram faciebat, eò ipsa inducitur a Parentibus, ut assiduè in sacris illis Divinæ gratiæ penetralibus commoretur. Quis tale quid unquam cognovit? quis vidit ullam fœminarum, quæ vel nunc, vel olim fuerit in interiora Sancta Sanctorum deductam fuisse; & quo vix ipsis viris accedere licebat ibidem habitare, atq; nutriri? Nonnè manifestum est rerum maximarum atq; inusitatarum in ipsa aliquando perpetrandarum argumentum?*

Idem asseruit Evodius primus post S. Petrum Antiochiæ Episcop. ut habetur apud Canisium lib. 1. cap. 2. *MARIA*, inquit ille, *trimula cum esset in Templo est præsentata, & ibi in Sanctis Sanctorum traduxit Annos undecim.* Similia refert Niceph. Hom. 1. cap. 7. *Virgo ut res Divina intacta & sacrosancta in Templi sanctiori loco, in adytis ipsis vivebat.* Georgius denique Nicomediæ Archiep. idem censuit, simulque insigne ipsius Sanctimoniæ Virginalis dedit testimonium Orat. de Præsent. *Oportebat*, inquiens, *Virginem non in Sanctis Sanctorum tabernaculis, sed in ipso cœlo cœli, in prima ætate educari eam, quæ his visibilibus sit latior, & puritate antecelluit.*

33. Sanctitatem porrò hanc sanè non tam illam à loco accepisse, quàm ipsi loco, suâ augusta præsentia contulisse atque auxisse crediderim. Quidquid enim ibidem visebatur Sancti, umbra Virgineæ Sanctitatis extitit. Quid enim Arca illa fœderis, quid Propitiatorium, quid Vrna aurea Mannâ cœleste continens, quid Virga frondens Aaron, atq; fructifera, quid tabulæ legis Mosaicæ digito DEI exaratæ, significabant aliud quàm ipsam Virginem DEIparam? quæ verè Arca Divinæ Charitatis, ac Sapientiæ auro fuit intus, forisq; contecta. Verè aurea ob puritatẽ, in qua æternum Verbum Manna dulcissimum 9. mensibus requievit. Verè Virga Virginitate florens, fœcunditate fructifera, quæ no-

Omnia quæ in Sancta Sanctorũ visebãtur, adumbrabant B.V.

bis dulcem Iesum benedictum Fructum ventris sui velut suavissimum amygdalum protulit. Verè denique Virgo sanctissima Tabula quædam Divinæ Legis extitit, in cujus utero dum ipse Legislator incarnari dignatus est, Legem suam ejus cordi præ omnibus Sanctis, de quibus Regius Psaltes concinit: Lex Dei ejus in corde ipsius, intimiùs atque profundiùs inscripsisse visus est. Quod si gemini illi aurei Cherubini qui erant juxta Arcam versis vultibus in Propitiatorium; gemini item illi prægrandes, ex linguo olivarum compositi, totique auro contecti, alis suis eamdem Arcam obtegentes loco illi Sanctitatem mutuati sunt; quantò magis ipsa non modò Cherubinorum, verùm etiam omnium Hierarchiarum, atque adeò eminentissimorum Seraphinorum Regina, & misericordiæ Mater, cujus pietatis viscera, ipsaq; misericordia, auro charitatis contecta esse videbantur?

In corde B. V. lex Divina exarata.

34. Quare minimè mirandum nobis est cum B. Laurent. Iustin serm. de Purificatione Virginis eam *Sanctitate redimitam, neminiq; Sanctitate conformem dicentem audimus: Erat MARIA Sanctissima*, inquit pijssimus Patriarcha, *profectò talis & tanta, ut illi minimè reperiretur similis. Erat, inquam, corpore Virgo, carne incorrupta, prole fœcunda, virtute perfecta, moribus composita; Sanctitate redimita, honestate conspicua, mente pura, corde ignita, animo suspensa, gratia plena, Sapientia perfusa, DEO coniuncta, Verbo propinqua, mysterijs Divinis imbuta.*

M. Sanctitate redimita.

Sanctitas B. V. fuit dispositio ad Divinã Maternitatem.

35. Hàc Sanctitatis perfectione, ac gloriâ sibi ad sublimissimam Maternitatis Divinæ dignitatem, quasi viam strativisse, visa est Deipara, sibique eam meritò de congruo, ut loquuntur Theologi, promeruit. Audiendus hic S. Gregor. Thaumat. serm. 2. de Annunciat. *S. MARIA in carne dum esset, purissimam vitam, omniq; genere virtutum excultam, optimamq; supra humanæ naturæ consuetudinem gerebat, ideò æterni Patris Verbum carnem ex ea suscipere dignatum est, ut per quam carnem peccatum, in Mundum introivit, & per peccatum mors, per eandem carnem peccatum in carne condemnetur, & peccati tentator in sepultura sancti corporis vincatur.*

M. purissimam vitã omni genere virtutum exercitatam duxit.

36. Audiamus & S. Ioannem Damascenum qui Orat. 1. de Nativ. Sanctitate hâc suâ, atq; perfectione ait Cherubinorum, Seraphinorumq; puritatem longè transcendentem, non modò id consecutam, ut Dei Mater esse meruerit, verùm etiã ut Trinitatis ipsius quodãmodo Sacrosanctæ, pulcherrimo illo Trisagio toto terrarum Orbe celebraretur. *Tota*, inquiens, *Spiritus Thalamus est, gratiarum pelagus, tota pulchra, tota DEO propinqua. Ipsa namq; Cherubinos superans, ac super Seraphinos evecta, propinqua DEO extitit O miraculum miraculorum omnium maximè novum! Mulier Seraphinis sublimior effecta est.* Tum in ejus Sanctitatis, ac gratiarũ ornamẽtis, quib⁹ velut auro, ac preciosissimis gẽmis, ad instar Salomonis Tẽpli decorari in Incarnatione Verbi promerita fuit, contemplatione hærens attonitus, exclamat: *O Virgo Divinitus gratia DEI donata, Templum DEI sanctum, quod ille Princeps pacis Salomon construxit, ac inhabitavit, non auro, aut inanimatis lapidibus ornatum, verùm auri loco, spiritu fulgens, pro lapidibus autem preciosis Margaritam ingentis precij, Christum habens, illum*, inquam, *Divinitatis Carbunculum, quem, ut labia nostra tangeret, obsecrabat Isaias, ut hâc ratione purgati, ipsum cum Patre, ac Spiritu S. laudaremus, clamantes Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEVS exercituum. Sanctus DEVS Pater, qui in te, atq; ex te mysterium illud perfici voluit, quod ante sæcula præfinierat. Sanctus fortis Filius DEI, ac DEVS, qui te Vnigenitam, ac Primogenitam hodie ex sterili Matre produxit, ut qui Vnigenitus, ac Primogenitus erat omnis creaturæ, Vnigenitus ex te Virgine Matre generatus, Primogenitus sit inter multos fratres, æquè videlicet, ac nos carnis, ac sanguinis à te particeps factus. Sanctus immortalis Spiritus S. qui Divinitatis suæ rore te, ita consecravit, ut ab igne minimè consumereris, quod Moysis rubus præsignabat.* Hæc Damascenus.

M. tota Spiritus S. Thalamus Gratiarũ pelagus, tota Deo propinqua

M. Seraphinis sublimior effecta.

M. Templum Salomonis.

Christus Divinitatis Carbunculus.

M. Divinitatis rore ab igne præservata.

37. Audiamus rursus jam memoratum Thaumaturgum, qui serm. 1. de Annunc. causam reddens cur Deipara Gratiâ plena dicatur ab Angelo. *Quia*, inquit, *cum ipsa omnis gratiæ thesaurus reconditus erat, ex omnibus enim generationibus hæc sola Virgo sancta corpore, & spiritu extitit;* Quid verò hâc Sanctitate utriusque hominis sit promerita, mox subjunxit: *Solaq; fert eum qui Verbo omnia portat, & non solùm admirationem nobis parit Sanctissima illius in corpore pulchritudo, sed & virtutes animæ eius.*

In M. omnis gratiæ Thesaur⁹ recondit⁹

Audiamus & devotissimum Venetiarum Patriarcham Iustinianum serm. de Nativ. B. Virginis. *Decebat prorsus*, inquit ille, *ut immaculata esset mente, & corpore sancta, plena gratia, mentis locuples, virtutum*

Quam decuerit Mariam esse immaculatam.

tutum universarum varietate decorata, quæ de cœlo suscepit Verbum, fide concepit Filium, illustravit Mundum, Manna pavit turbam fidelium, obumbrante Spiritu circumdedit Virum, ex se nobis protulit hominem DEUM, cum honore Virginitatis, cum integritate carnis, & fœcunditate prolis.

M. suâ Sãctitate facta digna Divinâ Maternitate.

38. Hinc S. Bernard. Senensis To. 2. ser. 51. art. 1. c. 1. ait à DEO ita sanctificatam Virginem, ut digna tantæ Majestati recipiendæ inveniretur. Postquam enim docuisset, fuisse in Deipara Sanctificationem Maternalem removentem culpam originalem, conferentem gratiam, removentem inclinationem ad peccandum tam mortaliter, quàm venialiter, mox attexuit: *Sanè DEUS ipse æternus sicut mira sua Sapientia creavit omnia, ac illam benedictam Matrem suam ita condidit & sanctificavit in tempore, sanctam elegit in sua æternitate & talem tam nobilitate naturæ quam perfectione gratiæ condidit Matrem, qualem eam decebat, habere suam gloriosissimam Maiestatem, quia in ea & de ea debebat sumere, quod in æternum sibi erat unitum unitate persona, de quo exiret precium totius liberationis, iustificationis & beatificationis humanæ.* Et de hac Conceptione Anselmus: *Decebat, ut illius Conceptio de Matre purissima fieret, ex puritate, quâ sub DEO maior nequit intelligi, &c.*

Quâ reverentiâ B. V. Sanctitas prosequenda?

39. Quapropter S. Petrus Chrysologus serm: 141. Virginem hanc tam eximiâ puritate, Sanctitate, gratiisque cœlestibus exornatam, inque Templum Divinæ illius Majestati spræparatam, jure merito, sacro quodam tremore, ac horrore, obsequio, ac humilitate, ad instar Regij Domicilij, ac Thalami, imò Divini cujuspiam Sacrarij venerandam esse censuit: *Quantum, inquiens, secretum cubiculi sit Regalis, quali reverentiâ, quo tremore locus habeatur, ubi ipsa Principis requiescit potestas, quam nulli extraneo, immundo nemini, nulli infideli pateat illuc, & permittatur accessus, quam munda, quam casta, quam fidelia ibidem præstolentur obsequia, imperialis aulæ manifestis docetur insignibus. quis ad ipsas palatij foris vilis, quis propinquat indignus? Certè ad thalamum Sponsi nisi satis proximus, nisi satis intimus, nisi bonæ conscientiæ, nisi laudabilis fama, nisi probabilis vita, nullus admittitur.*

Notitia sui præmittenda ante consideratioñe Dominicæ Incarnationis.

Intra thalamum verò ipsum Virginem DEUS capit solam, suscipitur sola Virginitas illibata. Unde ò homo his admonitus exemplis, æstima quis sis, quantus sis, qualis sis, & tunc demum cogita utrum possis Dominicæ Nativitatis penetrare secretum, utrum merearis ad illius pectoris cubiculum pervenire, ubi tota superni Regis, tota Divinitatis quiescit Maiestas, utrum debeas humanis oculis, corporeis sensibus Conceptum Virginis temerarius discussor attendere, utrum possis ipsas DEI manus operantes sibi sacrum corporis templum intra alvum Genitricis audax, & curiosus arbiter intueri, conspectibus tuis absconditum à sæculis nudare mysterium? revelare tibi ipsi, Angelis invisibile Sacramentum? & ita cœlesti fabricæ præsidere, ut deprehendas liquido tu, quomodo DEUS penetrale clausæ carnis intraverit? quomodo corporis in illo venerabili utero præter Virginis conscientiam lineamenta pinxerit? quomodo præter concipientis sensum mansura sæculis ossa solidaverit? &c. Hæc Chrysol. de reverentia, quæ DEI Genitrici ob ejus Sanctitatem eximiam, velut cuipiam Sanctuario, in quo tam Sacrosancta operata sunt mysteria, exhibenda est.

Ipsæ Dei manûs sacrum sibi corpus in utero B.V. formaverunt.

40. Ut porrò hæc summæ DEI Parentis Sanctitas elucesat magis, majorique nobis semper sit venerationi, varias Sanctitasis definitiones, seù descriptiones consideremus; quas in Virgine locum habere intelligemus.

Dionysius Areopagita DEI ter Opt. Max. Sanctitatem sic definit. c. 12. de Div: Nom. *Sanctitas nil est aliud, ut more nostro loquar, quam puritas ab omni scelere libera itemque omninò perfecta, & omni ex parte incontaminata munditia.* Ex hac definitione intelligemus profectò Sacratissimæ Virginis nostræ Sanctimoniam germanam, gemellamque quasi illi Divinæ extitisse. Siquidem ab originali peccato, singulari, nulli puræ creaturæ hactenus indulto privilegio præservata, & extincto omni penitus peccati fomite, nulli actuali unquam, vel lævissimæ culpæ fuit obnoxia, sed in prima statim in utero Matris adhuc facta Sanctificatione, Sanctificium, sive rei sacræ ædificium, seù Sacrarium hujusmodi ad inhabitandum DEI Filio, ope, ac opera increatæ illius Sanctitatis Spiritus Sancti, fuit præparatum, ut in illo adornando opes omnes suorum donorum, ac charismatum, omnesque gratiæ suæ thesauros profudisse inauditâ quâdam prodigalitate videretur.

Quid sit Sanctitas?

Sanctitas B.V.D vinæ ferè quam simillima.

Quantæ Divinæ gratiæ opes profusæ in B.V cõdendâ?

41. Quæ Divinissimi Spiritus prodigalitas, suarumq; gratiarũ profusio adũbrata, ut in Filijs Israël, tã liberaliter, aurũ, argentum, hyacinthum, byssum, purpuram, coccumque bis tinctum, aromata, lapides onychinos, variasque gemmas preciosissimas, aliaque donaria menti

promptissima atq; devota, ut Scriptura loquitur Exod. 35. comportantibus ad ornandum Tabernaculum illud, ac Sanctuarium, in quo Divina illa Majestas sedens super Cherubin habitatura, & responsa datura erat, ut Moyses obrui tantâ quodammodo prodigalitate se cernens, edicere, *& voce Praeconis cantari compulsus fuerit, ne ullus quicquam offerret ultra, in opere Sanctuarij, sicq; cessatum est à muneribus offerendis, eò quod oblata sufficerent & superabundarent.* Exod. 36. v. 7.

Tabernaculum foederis figura B.V.

42. In ornando porrò hoc Virgineo tabernaculo Spiritus Sanctus non contentus dumtaxat dedisse Divinae Matri formam spiritualis mundiciae, dedit quoqne virtutem honestè operandi, ad illam Sanctitatis, puritatisque Spiritualis Formam magis, magisque variarum virtutum exercitatione perficiendam. Praeclarè enim Pater noster Amicus Tomo 7. Disp. 16. n. 96. definitionem illam explicans Dionysij, docuit Sanctitatem, quandam animi sanitatem esse. *Vnde sicut perfecta corporis sanitas*, inquit ille, *duo formaliter praestat constituere in primis corpus, in certa quadam humorum temperie; & simul illud expeditum reddere, ad exercenda munia animanti salubria: Ita hac duo primo, & per se proportionaliter praestat animi Sanctitas, & illum mundum constituere à sorde, & labe peccati, per formam incompossibilem cum peccato, & simul illum expeditum reddere ad exercenda opera natura rationali consona. Vnde hac duo in nobis praestat Gratia habitualis, qua est perfecta Sanctitas accidentalis, reddere in primis seipsâ mundum animum à sorde peccati, & simul illum potentem facere ad operandum honestè, absq; defectu peccati.* Quod confirmat auctoritate Apostolica 1. Ioan. 3. verbis illis: *Omnis qui natus est ex DEO, per gratiam scilicet habitualem, qua est forma regenerativa nova creatura in Christo, peccatum non facit; ecce facultas rectè operandi, absq; peccato, quam tribuit gratia: quoniam semen ipsius in eo manet: Ecce formalis animi mundicies, quam simul cum potentia honestè operandi praestat gratia, ex eo quod sit semen, & participatio quadam increata Sanctitatis. Vnde addit, eum qui ex DEO per gratiam natus est, non posse peccare, nempè ex suppositione, quod maneat in ipso gratia DEI: Nam quam diu hac in nobis manet, manet spiritualis mundicies, & expedita facultas operandi absq; peccato. Cùm enim Sanctitas conferat homini essentiam quandam, dignitatemq; Divinam, planè oppositam peccato, consequens sanè est ad huiusmodi essentiam sequi operationem illi proportionatam, illius Sanctitatis, quod nil aliud est quam posse honestè & iustè operari absq; peccato, quod conservativum est Sanctitatis.* Igitur cùm Virgo, DEIPARA à Spiritu S. tam excellenti Sanctitate, ac spirituali mundiciâ, labis omnis expertè dotata fuerit, atque exornata, & Divinae consors naturae effecta, consectarium profectò fuit, ut potentiam quoque quandam Divinam nacta fuerit ad benè, honestèque operandum, non modò ad formam illam incontaminatae mundiciae conservandam, verùm etiam assiduâ virtutum exercitatione perpoliendam, augendam, novísque colloribus quodammodo venustandam.

Sanctitas dat animae spiritualẽ mundiciã, & virtutẽ honestè operandi.

Sanctitas est animae sanitas, dans illi facultatẽ benè operandi.

Gratia confert animae mũdiciam, & potentiã rectè operandi.

43. Quibus exercitationibus, solita sibi intensiori semper diligentiâ peractis, quid Virgo perfectionis, Sanctitatis, puritatisque fuerit consecuta, quam bellè sui corporis, animique tabernaculum ad inhabitandum Filio DEI praeparaverit, quae mens capere, quae lingua exprimere sufficiat?

Audiendus hic S. Anselmus lib. de Excell. Beatissimae Virginis cap. 3. *Nata igitur, & infantiles annos exuta, quam castè, quam sanctè, quam DEO dignè vitam instituerit, & institutam egerit, quis cogitatu, non dicam dictu queat coniecturare? Nulli deniq; dubium castissimum corpus, & sanctissimam animam eius funditus ab omni fuisse macula peccati, iugi Angelorum custodia protecta, utpote aulam, quam suus, omniumq; Creator DEVS, corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in sua persona unitate, ineffabili fuerat operatione suscepturus.* Quod Vir in Virginem pijssimus aptissimâ declaravit similitudine: *Et quid mirum*, inquiens? *Nam inter omnes usus obtinuit, si tamen coelestibus ad terrena potest esse comparatio ulla, ut cùm praepotens aliquis, & persona dives aliquo vadit hospitaturus, ut cliententes praecurrant, ut locum muniant, mundent, ornent, & custodiant; quo venienti Domino suo aptus ad habitandum & congruus fiat. Quod si talis apparatus fit, pro adventu terreni hominis, & momentanea potestatis, qualis apparatus omnis boni putamus fiebat pro adventu coelestis Regis, & aeterni, in corde sacratissima Virginis, qua illum non solùm erat in semet transitivè hospitatura, sed ex substantia sua factum hominem paritura.* Haec S. Anselmus aptissimè.

M. corporis, animique puritas inestabilis.

B. V. velut Aula praeparata inhabitationem summi Regis.

44. Porrò ut S. Antistes ostenderet nil in Sanctissima illa Virginis anima impuritatis quod Divinae Maiestatis oculos offendere aliquâ ratione potuisset,

exti-

extitisse, ejusdem Virginis præclarissima virtutum ornamenta, quibus dignum Filio Dei domicilium, ac thalamum deliciosissimū adornavit commemorat.

Expendens enim verba illa sacrosancta, omnique veneratione dignissima; *Ecce Ancilla Domini*, &c. in illis velut quapiam auri, gemmarumque fodina preciosissimas pulcherrimasq; virtutes, quibus ceu lapillis animum Virgo decoravit suum, invenit, quarum admiratione perculsus exclamavit: *O fides DEO accepta! ò humilitas grata! ò obedientia omni sacrificio jucundiùs DEO oblata! quid ergo quod venientis DEI oculos offenderet in illa poteat residere, in qua tantarum virtutum insignia veniens invenit redolere? Certè solâ fide fertur Abraham DEO placuisse, & hoc quia credidit, ad justitiam illi deputatum fuisse. Super humiles autem, ac quietos, ac verba sua trementes, spiritum suum requiescere; & obedientiam pro sacrificijs malle se asserit DEUS. Cum igitur in ijs quæ tantopere DEO placent S. Virgo MARIA tam excellenter illi placuit, ut nequaquam crederet quis illâ aliqua ratione excellentius placere potuisse.* Concludit denique si ab omnis peccati Originalis vel actualis macula cor ejus mundatum non fuisset, nulla ratione Filium Dei ex illa incorporandum. In cujus incorporationis contemplatione defixus, sublimem Virginis admiratus puritatem, atq; excellentiam, ejus mentis uterique munditiem, cum utero illo æterni Patris, sanctorum splendoribus, ineffabilique puritate circumdato conferre visus est. *Hic*, inquit, *se suberigat intentio mentis humanæ, & pro posse paucis intendat, quanti penderit omnipotens DEUS merita hujus B. Virginis. Intendat, inquam, & contempletur, videat & admiretur; unum Filium sibi consubstantialem, coæternum, omnipotentem ex sua natura sine initio DEUS Pater genuit, & per eum omnes creaturas visibiles, & invisibiles ex nihilo fecit. Hic igitur sibi tam unicum, quam dilectissimum & in omnibus omninò æqualem non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse B. MARIÆ unicum & dilectissimum & naturalem Filium. Nec ita ut duo essent, unus videlicet Filius DEI, alius Filius S. MARIÆ Virginis, sed unus idem ipse, qui Filius DEI in una persona esset Filius S. MARIÆ Virginis, & qui Filius S. Mariæ, unus & idem ipse esset in una persona Filius DEI.*

Placuit Deo in M. habitare quia humilitate obediétiá, alijsq; virtutibus exornata fuit.

Deus Pater magnificit Mariam, quã voluit secum unicum suum Filium habere communem.

Tandem pulcherrimo hoc absoluto discursu, quo puritatem Virgineam absolutissimamque sanctimoniam, æterni Patris aliquo modo similem nobis ob oculos proponit, in illa admirabundus prorupit verba: *Quis hæc audiens non obstupescat; & quod Deus tale quid velle potuerit, non ultra omne, quod dici potest admirabile ducat.*

Mariæ puritas æterni Patris puritatem æmulata.

45. Eodem uti visus est argumento Angelicus Doctor 3. P. q. 27. art. 4. ad declarandum, Virginem Deiparam, ab omni prorsus vel levissimo actuali illibatam fuisse peccato, ex quo inferri potest etiam originali, quod gravius est sine dubio, quam veniale, cum hominem natura Filium iræ constituat, teterrimamque quandam labem, ac luem animæ aspergat, quæ malorum omnium quibus mundus conflictatur, extitit, origo, ac principium.

B.V. omni peccato veniali fuit libera

Si enim Virgo sacratissima ab omni peccati labe depurata nō fuisset, in eam increata illa sapientia nullo modo esset ingressa, *quia singulari modo Dei Filius*, *qui est Dei sapientia*, inquit ille, *in ipsa habitavit, non solum in animo, sed etiam in utero. Dicitur autem Sap. 1. in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

In M. habitavit cœlestis sapientia, ac proinde omni peccato libera fuit.

46. Agnovit Virgineam hanc puritatē omni peccati nævo liberam S. Ephræm Syrus, in sua illa ad Virginem pientissima oratione: *Immaculata & intemerata, incorrupta & prorsus pudica, atq; ab omni sorde, ac labe peccati alienissima, Virgo Dei sponsa, ac Domina nostra.*

B.V. ab omni sorde peccati alienissima.

De singulari hac Virginis Deiparæ puritate idem Angelicus Doctor in 1. Sent. D. 44. q. unica, art. 3. ad 3. *Potest*, inquit, *aliquid creatum inveniri quo nil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; & talis fuit puritas B. Virginis quæ à peccato originali & actuali immunis fuit.*

Puritas B. V. ab omni sorde originali libera.

Agnovit B. Albertus Magnus summam hanc in Virgine puritatem, in hunc fere modum ut refert B. Antoninus 4. P. tit. 15. cap. 20. ratiocinando, *Ibi major est puritas spiritualis, ubi maior est gratiæ participatio; sicut in corporibus puritas major, aut minor dicitur per accessum, vel recessum ad summè puram lucem: Sic aer purior est aquâ, ignis verò purior utroq;, quia magis accedit ad lucem, sic animæ dicuntur puriores quanto plus de luce supernaturali gratiæ participant. Sed in beata Virgine respectu purarum creaturarum fuit gratiæ lux in summo, ergo & appropinquatio ad Deum in summo, ac proinde puritas*

Maria quia Deo propinquissima ideo purissima ad instar lucis.

ritas

ritas in summo supra Angelos, etiam cum esset in vita.

47. Excellentissimam hanc Deiparæ, ac plusquam Angelicam deniq; agnovit Puritatem B. Guerricus Abbas Ignatiensis, qui ser. 4. de Purif. B. V. ostendens illam nullo modo legi Purificationis ob insignem sanctimoniæ, omnisque puritatis laudem fuisse subiectam, hanc attulit rationem: *Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ Virgo concepit, Virgo peperit, Virgoq; permansit, imo quæ ipso conceptu plene purificata fuit, si quid forte minus ante puritatis habuit? Quid inquam, mundandum habuit conceptus ille, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine, qui Fontem in quo Mundus immundus purificetur edidit, Fontem Domus David, qui hodieq; patet indefesseq; scatet in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Suscepit tamen Mater totius puritatis, purgationis legitimæ speciem, ut simul obedientissimæ humilitatis virtutem, & Euangelicæ purificationis insinuaret veritatem. Vbi nunc ille qui tam fallaciter, quam contumaciter præsumens de sanctitate, detrectat purgatoria pœnitentium remedia subire? Esto quod sanctus sit, numquid sicut sanctarum sanctissima, quæ sanctum sanctorum peperit Maria? Vtinam Fratres mei, utinam nos illam haberemus humilitatem in peccatis nostris, quam verè sancti habuerunt in virtutibus suis.*

B. V. eximiè sancta, nulla purificatione indiga.

M. Sanctarum sanctissima Sanctum Sanctorũ peperit.

Hæc Guerricus de puritate Deiparæ, qua duos illos omnis puritatis Fontes, Verbum nimirum incarnatum utero suo purissimo complexa, ipsumque Divinissimum Spiritum, cujus virtute fuerat obumbrata, æmulata est.

48. Quo ex discursu B. Guerrici facile intelligimus puritatem animi, ac sanctimoniam, ipsam denique Dei similitudinem ex virtutum habitibus resultantem, earundem exercitio, & præsertim humilitate profundissima, à Virgine fuisse comparatam. Hæ enim sunt lumen illud Divini vultus, de quo canebat David; *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Signa enim hæc & characteres Dominici vultus S. Greg. Nysse. ait, *esse Diuinas virtutes*, quibus in nobis Divini vultus similitudo exprimitur. Quos characteres, ac virtutum lumina gravissimus sapientum Epictetus, σύνβολα τοῦ θεοῦ, Dei symbola vocitaverat. Quæ symbola seu characteres S. Ambr. lib. de Abel. cap. 2. exponens illud Exod. cap. 1. *Constitui te Deum Pharaonis;* hortatur ad illa retinenda, reddensque rationem, cur Moyses Deus diceretur: *Quia, inquit, ad Dei similitudinem se, perfectæ virtutis ubertate formauerat.* Eisdem virtutum symbolis, seu characteribus, seu luminibus intellexit Aristoteles quoque lib. 7. Ethic. 1. in nobis Divinam efformari similitudinem cum dixit: *Ex hominibus fiunt Dij, ob virtutem Heroicam, & excellentem.* Idque probat Homeri imprimis authoritate, qui de Hectore insigni virtute conspicuo loquens: *Non videbatur*, inquit, *mortalis esse hominis Filius, sed DEI.* Deinde Laconum, qui insignis cujuspiam hominis virtutem admirantes supercilio sublato, θεῖαν ἄνδρα, hominem Divinum appellare sunt soliti.

Virtutes sunt lumẽ Divini vultus.

Moyses Deus Pharaonis dictus ob virtutes Divinas.

Virtutes sunt Dei Symbola.

Virtus Heroica atq; excellens homines Deos efficit.

Lacones hominem virtute præditum Divinum appellarũt

Denique Heraclitus Philosophorum sapientissimus Viros singularibus præditos virtutibus vocare consueverat: ἄνθρωποι θεοὶ, θεοὶ ἄνθρωποι: Homines Dij, Dij homines. Quod sagacissimum Viri prudentissimi pronunciatum Clem. Alexander 3. Pædag. c. 1. vehementer laudat, & dignitatem hanc communicatam hominibus in Divinam refert voluntatem, quæ vilissimos homunciones in Deum transformare non est dedignata. Ita denique D. Paulus virtute sua, quemadmodum D. Greg. Nyss. lib. de forma perfecti Christiani ait, *Numen adeo accuratè imitatus est, ut in se Dominum ipsum expressum ostenderit, quippe qui formam animi sui, in prototypon ipsum exemplarq; transtulerit.* Quod si sanctus Apostolus Deum, virtutum exercitio adeo imitatus est, ut formam animi sui in ipsum transtulerit, quid tandem dicendum de Virgine sacratissima, ob tam intimam cum Filio, Spirituque Divinissimo castissimo ejus Sponso unionem?

S. Paulus Deum suis virtutibus imitatus est.

Charitas maximè Sanctitatẽ B.V. auxit

49. Et licet virtutes omnes pulcherrimam illam sanctimoniæ, qua Virgo à primo conceptionis instanti induta est cycladem, artificio planè Divino contexuerint; contexta tamen potissimè fuit ab ipsa Dei charitate. Hinc S. Grego. Naz. Iambico 15. interrogans. Quid est sanctitas? Respondit; *cum Deo consuescere, seu cum Deo consuetudo; cum DEO amicitia, atque familiaritas.* Vnde Lessius loco supra citato; *Amor DEI*, inquit, *est sanctitas.* Atque ita mensura puritatis, ac sanctimoniæ cujuscunque animæ ex magnitudine familiaritatis, consuetudinis, & charitatis cum Deo pensanda erit.

Sanctitatis cycladem qua induta est B.V. in sua Concep. contexuit potissimũ Dei Charitas.

Porro excellentia Virgineæ in Deum charitatis pluribus Discur. 16. de virtute

ture hac ubi egimus demonstrata est: illud hic dixisse sufficiat, illam adeo perfectam extitisse, ut ipsorum Seraphinorum, qui ab incendio amoris nomen invenere, multis parasangis superaverit; nullumque amorem unquam repertum Matris in Filium & contra, qui huic posset comparari. Vnde S. Anselmus lib. de Excell. Virginis cap. 4. *Quam mirabilis*, inquit, *natura, & ineffabilis affectus amoris sit inter hunc talem tantæ Matris Filium, & hanc talem tanti Filij Matrem, perpendant hi saltem, quoquo modo, qui unico dilectionis feruore sese altrinsecus amant, Mater scilicet Filium, & Filius Matrem. Perpendat, inquam, aliqua bona Mater, quo affectu teneatur circa unicum & bonum Filium suum, & bonus Filius simili modo perpendat, qua pietate moueatur erga bonam & dilectissimam suam Matrem, & aliquatenus tentet, si quomodo in se conjectare valeat, amorem hujus bonæ Matris, erga verè bonum, & unicum Filium suum, & istius boni Filij erga verè bonam & dulcissimam Matrem suam.* Cumque postea dixisset Parentum cæterorum amorem inter Patrem & Matrem dividi, ait, Virginis amorem in Filium fuisse vehementissimum, ac intensissimum, quia non fuit divisus, eo quod illa sola absque Patre, ut hominem generaverit. Quo ex discursu sapienter infert: *Excedit itaq; omnes amores Parentum in Filios, aut Filiorum in Parentes, amor istius Matris in Filium suum, & istius Filij in Matrem suam.*

Amor inter Dei Filium & Matrē est omnino incomparabilis.

50. Quod si ita est, excedat etiam Virginea hæc puritas, ac sanctimonia cujusque creaturæ, quantumvis eminentissimam sanctitatem necesse est, cum, uti jam diximus amor, & sanctitas idem omnino sint. Vnde S. Ephræm, illum suum in laudem Deiparæ sermonem sic exorsus est: *Inuiolata, integra, planè pura, ac casta Virgo DEI Genitrix MARIA, Regina omnium spes desperatorum, Domina nostra gloriosissima eademq; optima, ac præcellentissima, sublimior cœlitibus, candidior solis radijs, ac splendoribus, honoratior Cherubin, sanctior Seraphin, & incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus gloriosior, præstantissimum orbis terræ miraculum, corona ob fulgorem inaccessa.* Hanc ob causam S. Greg. Thau. serm. 2. de Annunc. Deiparam rebus purissimis, ac mundissimis, ut sunt margaritæ, ac gemmæ, nix, & aurum, præsertim illud purissimum quo Arca intrinsecus extrinsecusque fuerat convestita conferre non dubitavit: *Fulgidissima*, inquit, *margarita in salutem totius terreni orbis progreditur, quoniam & tu sancta omni humana creatura gloriosior, ac purior, sanctiorq; effecta es, ac niue quidem candidiorem habens mentem, & quouis auro quantumuis probato purificatum magis corpus; Ventrem verò ad instar Throni lapidis Sarippbyrini ab Ezechiele c. 1. descripti.*

Quia Maria omnes tam Angelos, quam homines charitate excessit, excessit & sanctitate

Maria purior Solis radijs, & Seraphinis sanctior.

Maria Margarita fulgentissima

B.V. Mens nive candidior; corpus vero quovis auro purius.

Mariæ Venter Thronus Sapphyrinus.

51. Ob singularem sanctitatem hanc Virgo gloriosissima à Patribus, Sanctis omnibus, Angelisq; in gratia, donis cœlestibus, sanctitateque ante fertur. Hinc S. Ioannes Chrysostomus, in sua Liturgia cum negasset in tota rerum universitate aliquid esse, quod cum B. Virgine comparari queat, vocat eam tandem, *incomparabiliter gloriosiorem quam Seraphim.*

In ser. verò de Nativ. Virginis: docet nullum Sanctorum, ac ne quidem Angelorum cum Deipara in vitæ sanctimonia comparari posse: *Magnum*, inquit ille, *reuera miraculum fuit semper B. Virgo MARIA; Quidnam illa maius, aut illustrius ullo unquam tempore inuentum est? seu aliquid inueniri poterit? Hæc sola cœlum ac terram amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? Non Propheta, non Apostoli, non Martyres, non Patriarcha, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non deniq; aliud quidpiam inter creatas res, visibiles aut inuisibiles maius, aut excellentius inveniri potest.*

Maria sanctis omnibus longè sanctior.

52. Quid de S. Ioañe Damasc. qui orat. 1. de Dormit. B. V. Dei Matris & servorum Dei infinitum esse discrimen disertissimè asseveravit. Quid dicam de S. Anselmo, qui lib. de Excell. Virginis cap. 9. sua puritate meruisse, ut in Reparatricem Orbis assumeretur. *Pura enim Sanctitas*, ait, *& sanctissima puritas, pijssimi pectoris eius, omnem omnis creaturæ puritatem, siue sanctitatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut Reparatrix perditi Orbis dignissimè fieret.*

Inter B. V. & reliquos Sanctos infinitum est discrimen.

B. V. sua sanctitate est merita fieri Orbis perditi Reparatrix.

53. Quid memorem B. Card. Petrum Damiani qui serm. de Ass. Virgineam illam puritatem candori lucis æternæ, Filio nempe Dei comparare visus est. *Caro Virginis*, inquiens, *ex Adamo assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentia puritas in candorem lucis æternæ conuersa est.* Qui Candor lucis æternæ cum sit ipse ejus dilectissimus Filius, facile intelligimus Puritatem sanctimoniamque Virginis ei fuisse, quam simillimam, ac pene eandem. Vnde B. Arnoldus Abbas Carnot. ser. de laud. B. V. ex Matris

intima cum Filio unione colligit eamdem esse gloriam Matris cum Filio.

Vna est, inquiens, *Maria, & Christi caro, unus spiritus, una charitas, & ex quo dictum est ei: Dominus tecum, inseparabiliter perseverauit promissum, & donum. Vnitas diuisionem non recipit, nec secatur in partes. & licet ex duobus factum sit unum, illud tamen ultra scindi non potest, & Filij gloriam cum Matre, non tam communem judico, quam eandem.* Hæc ille.

Eadē gloria Filij cū Matre.

54. Quod si pijssimus Abbas ob admirabilem illam inter Matrem, & Filium unionē, eandem inter illos censet esse gloriā, quidni censuerit eandē quodamodo esse puritatem, sanctimoniam, virtutes denique omnes, uti jam dictum est. Siquidem S. Grego. Nyssenus Episcopus Homel. 9. in Cantica encomium illud Sponsi in laudem pronunciatum Sponsæ *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*, Cant. 4. de Divinis ejus virtutibus, quibus, velut vestimentis amiciebatur, atque exornabatur intellexit.

Divinis virtutibus B.V. velut vestibus amicta.

Vnde Sponsum sic loquentem introducit: *Talis est odor tuorum vestimentorum, ut sit similis thuri, quod DEI honori est dicatum. Tuum ò sponsa virtutum indumentum imitatur Diuinam Beatitudinem, siquidem puritate, ac impassibilitate, natura illi inaccessibili es assimilata.* Sic Nyssen.

B.V. puritate Naturæ Divinæ assimilata.

55. Quid Seraphicum Doctorem Bonaventuram commemorem? qui serm. 3. de B. Virgine celeberrimam illam S. Anselmi recolens sententiam: *Nempe decens erat, ut ea puritate, qua maior sub DEO nequit intelligi Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum daturus erat, &c. Quid*, inquit Vir pijssimus, *potest de ea dici sublimius? quid gloriosius? Hæc enim in tantum DEO proxima fuit, tantaq; sanctitate resplenduit, & sic in summo bonorum omnium culmen obtinuit, ut creatura aliqua non unita Verbo capax maioris boni non sit. Nam si maioris boni Creatura aliqua capax fuisset, quod Anselmus dicit verum non fuisset; scilicet quod Virgo Beata tanta puritate fulsisset, qua maior sub DEO, intelligi nequiret;* Hinc Angelicus Doctor in 4. D. 30. q. 2. ar. 1. quæstiuncula. 1. *in B. Virgine debuit apparare omne illud, quod perfectionis fuit.* Hinc S. Bernardus Epist. 74. ad Canonicas Lugdun. *Quod*, inquit, *vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virgini esse negatum.* Quare ex sanctis Patribus quamplurimi gloriosissimæ Dei Genitrici, non modo sanctorum omniū,

In B. V. debuit apparere omnis perfectio.

verùm etiam Angelorum, cujuscunque Hierarchiæ attribuunt privilegia. Audite jam citatum Cardinal. Damianum, qui postquam serm. 3. de Nativ. Virg. ostendisset gratiæ suæ plenitudine meritisque ad Redemptionem humani generis concurrisse Deiparam, subdit:

Et quid mirum si hæc ineffabilis Virgo in suis laudibus, modum humanæ vocis exuperat, cum & ipsam humani generis Naturam, excellentium meritorum dignitate transcendat. Non deniq; excellentissimus ille Patriarcharum numerus, non Iudex Apostolorum Senatus, non martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium Patrum, huic Beatissimæ Virgini poterit comparari.

B.V. omnē Naturam humanam excellentia meritorū transcendit.

Redditque rationem, *quia gratia plena ab Angelo est salutata;* qua gratia exornata, cœlesti planè puritate refulsit, ut nulli vel minimæ labeculæ in ejus mente fuerit locum invenire. *Quod rogo vitium*, inquit devotissimus Cardinalis, *in eius mente vel corpore sibi potuit locum vendicare, quæ ad instar cœli, plenitudinis totius Diuinitatis meruit esse sacrarium. In Christo enim sicut per Paulum dicitur, habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, nec mirum si cunctorum merita transcendit mortalium, quæ & ipsam super excedit celsitudinem Angelorum. Per hanc enim Beatissimam Virginem non solum amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo Angelicæ sublimitatis augetur, quia dum homo ad superna reducitur, illorum numerus, qui diminutus erat reparatur.* Hæc Damianus.

Maria Angelorum ruinas reparavit.

56. Quamobrem jure merito Ecclesia Tornacensi in antiquo suo Missali vocat Beatam Virginem omnium Sanctorum Kalendarium, quod eorundem in se cōplecteretur & virtutes & merita:

B.V. Omnium Sanctorū Kalendariū, qui illorū virtutes possedit.

Ingens humilis
Virgo nobilis
Virtute prædita.
Kalendarium
Habens omnium
Sanctorum merita.
Luce clarior
Cunctis serenior
Sola vocaris.

57. Quid referam sapientissimum Idiotam, qui in hac Virginea puritate, ac sanctimonia celebranda solito eloquentiorem pro suo in DEIparam affectu sese in sua de B. Virgine Contempl. cap. 2. ostendit. Quare summâ pietate Virginem alloquens: *Non defuit*, inquit, *tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum,*

Nihil sanctitatis vel humanæ vel Angelicæ defuit B. V.

non

non scientia Prophetarum, non Zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia, aut humilitas Virginum, in summa nullo genere vacasti virtutum, ò Virgo plusquam Beata. Quodcunque donum alicui Sanctorum unquam datum fuit, tibi non fuit negatum; sed omnium Sanctorum privilegia omnia habes in te congesta. Nemo æqualis est tibi, nemo maior te, nisi DEVS, nam Spiritus S. supervenit in te, & virtus Altissimi obumbrans tibi, quæ eras omni virtutum ornamento prædecorata, pulchritudinem, puritatem, Sapientiam, & omnium virtutum gratiam adauxit & splendorem. Miranda illa obumbratio Spiritus Sancti, quæ te, uno momento Templum DEI irradiavit, & decorem tuum manifestavit & auxit: Sicut Sol in semper ornatum Thalamum incidens, gloriam occultam repentè nobis ostendit, & illustriorem fecit.

Nullus æqualis est B.V. nullus major nisi Deus.

Vt verò puritatem hanc Virgineam in omnium peccatorum vel levissimorum vacuitate, Filijque imitatione consistere ostenderet; hæc attexuit: *Tota igitur pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati sive venialis, sive mortalis, sive originalis non est in te, nec unquam fuit, nec erit, sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum, cœlestiumque donorum, quantum enim distat inter odorem & gustum aromaticæ speciei, tanta est inter contemplationem tuam, & aliorum Sanctorum distantia. Sicut enim singularem activam à Christi Nativitate incepisti ducere vitam, videlicet eius humanam & Divinissimam naturam portare, lactare, lavare, pannis involvere, fovere, nutrire, levire, amplecti, osculari, cæteraque eidem humanitatis officia exhibere; sic & dulcedinem suæ Divinitatis tibi singulariter degustandam indulsit, quia tota pulchra eras, & macula non erat in te.*

B.V. ob Sanctitatē tota pulchra, nulla macula, vel originalis, vel venialis peccati aspersa.

58. Quid pientissimum Thomam de Kempis 3. Par. ser. 6. ad Novit. commemorem, qui virtutes omnes Sanctorum, ac Sanctarum tam veteris, quàm novi Testamenti, in Deipara congestas longè excellentiori, ac perfectiori modo reperiri affirmavit: *Recogitate*, inquiens, *diligenter antiqua Sanctorum Patriarcharum gesta, de quorum stirpe orta est Mater DEI MARIA, tamquam rosa inter spinas, sine spina. Sicut enim olim per multos Sanctos Viros, Patriarchas, & Prophetas, per Iudices, & Reges, per Sacerdotes, & Levitas, per Doctores, & Scribas, verbis, signis, & figuris prænunciatus est Christus DEI Filius, pro Mundi Redemptione nasciturus, & in Cruce passurus: ita convenienter satis, & sapienter ordinatione Divinâ præfigurata, & præconizata est Beatissima, ac devotissima Virgo MARIA per sacras illius temporis Virgines, per illustres Fœminas, per castas Viduas, per devotas Prophetissas, & per cæteras honestas Matronas in castitate viventes, atque ob pudicitiæ custodiam cum puellis suis in domibus, & cameris ab aspectibus Virorum inclusas. Hæc est reverà attestatione sanctarum Scripturarum omnium Virginum Virgo prudentissima, omnium Fœminarum pudicissima, omnium Puellarum speciosissima, omnium Matronarum honestissima, omnium Domicellarum venustissima, omnium Reginarum Regina nobilissima, in qua omnis decor Virginalis, omnis virtus moralis, omnis speculatio Theologalis, omnis devotio affectualis, omnis operatio virtutis, omnis perfectio Sanctitatis pariter conveniunt, inhabitant, & perfectissimè elucent, quæ nec ante similem, nec post se æqualem habet, nec habuit, nec habebit. Et sicut olim materiale Templum Salomonis, præ omnibus terrarum Templis decoratum, & latissimè nominatum, ac copiosissimè ditatum, magnificè à Regibus, & populis honorabatur, ita spirituale DEI Templum, quod est B. V. MARIA ab omni labe pura, super omnia Templa Sanctorum pravitet, & ideò ampliùs honorari debet & amari.* Hactenus Thom.

In B.V. omnes virtutes Sanctorum veteris & novi Test.

B. V. Virginū omnium prudētissima, ac pudicissima.

Vt Templum Salomonis præ omnibus alijs Templis erat illustrius; sic B.V. præ omnibus Sanctis excelluit.

59. Quid B. Patriarcham Iustinianum commemorem, qui sermone de Nativ. B. Virginis puritatem atque Sanctitatem illam, gratiæ ipsius plenitudini, quâ veluti Solis perfusa radijs Aurora totum illustravit Orbem, omnesque Sanctorum Stellas obfuscavit, adscribere visus est: *O Beata*, inquiens, *inter fœminas, cuius gratia hominum, ac Angelorum transcendit Naturam. Propterea Angelicus Nuntius de cœlo missus ad Virginem, tam officiosè eam salutavit: Ave gratia plena. In eius ortu lætati sunt Angeli, decantaverunt quoque laudes DEO, promulgata est pax humanæ speciei, cœpit aboleri opprobrium, fugatisque tenebris, quæ totum occupaverant Orbem, radios suos rutilans Aurora profudit, Solis quippè Iustitiæ irradiata fulgore placidum in se aspicientibus præbebat aspectum. Quæ enim sanctificata in utero, omnique originalis fuerat liberata contagio, gratiæ plenitudinem quam mente perceperat, protendebat exteriùs. Illam profectò in Matris utero adhuc recumbentem adamavit Verbum, sibique in Genitricem elegit.*

M. Aurora Solis Iustitiæ irradiata fulgore placidum in se aspiciētibus præbuit aspectum.

B. V. sanctificata in utero Matris, fuit à Verbo adamata.

60. Quare crediderim potissimum ob hanc puritatis, & Sanctitatis inter omnes Sanctos excellentiam, Deiparam jure merito vocari à Sponso Cant. 6. Vnicam Columbam, velut unicam inter

omnia volatilia Phœnicem Avem rarissimam: *Vna est Columba mea, perfecta mea, una est Matris suæ, electa Genitrici suæ.* Quæ verba expendens Rupertus Abbas lib. 6. in Cant. postquam explicuisset verba illa: Sexaginta sunt Reginæ, & octuaginta Concubinæ, & Adolescentularum non est numerus, dixissetque, varios Sanctorum Ordines hiscé designari, addidit tandem nullam ex illis Sanctorum animabus, Reginæ cœlorum posse cōparari: *Quid,* inquiens, *est hoc dicere, nisi quod etsi multæ sint fideles, & propter fidem, quæ per dilectionem in eis operatur, laudabiles, nulla tamen earum tibi similis est, sicut veraciter prædicamus, quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem. Nam Reginæ certè dicuntur illæ animæ, quæ perfectæ charitatis sunt, in eo videlicet, quod in eundem Dilectum tuum sequentes, nil terrenum, sed ipsum solum quærunt, nec propter metum gehennæ, sed propter amorem vitæ æternæ peccatum fugiunt, virtutemq; amando, iniquitatem oderunt.* Concludit tamen pijssimus Abbas: *Vna est Columba mea, una, inquam, est, & similem non habet. Omninò nec inter Reginas ulla huic similis est. Cui Matri suæ una? Cui Genitrici suæ electa? Nimirum Matri suæ Hierusalem una est, illi Hierusalem, quæ sursum est, quæ est Mater omnium nostrum, & Genitrici suæ, scilicet antiquæ Ecclesiæ electa est, Ecclesiæ Patriarcharum, & Prophetarum, ac Regum iustorum, quorum de carne progenita est, quorum secundùm fidem benedictionis, quæ ad illos repromissa erat, ianua, vel materia est, & illi Matri, & illi Genitrici unica, & electa est, quia nec inter Angelos, nec inter homines similem vel primam habet, vel sequentem habitura est. Verè Columba, quia gratia plena, verè electa, quia non solùm salva extitit, verùm etiam ipsam Salutem peperit.* Tandem ob hanc singularem Sanctimoniam, eam ab omnibus, tam Cœlitolis, quàm terrigenis laudatam, celebratamque asseruit: *Viderunt eam Filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, Reginæ & Concubinæ laudaverunt eam; Quibus contineri, ait, Virginis adimpletam Prophetiam: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; maximè ob singularem illam Sanctitatem, in qua vera hominis, tam inchoata in hac vita, quàm perfecta in æterna illa, beatitudo consistit. Nonné secundùm præsentem literam,* pergit Vir Virginis devotissimus, *& Generatio Reginarum, & Generatio Concubinarum, & Generatio Adolescentularum, nonné, inquam, omnes hæ generationes beatam dicent illam? Revera etsi impares meritis, attamen fide consimiles, ecce vident illam, ecce contemplantur illam unam, illam electam, & cum admiratione ineffabili, voces extollunt iugiter, ex omnibus locis suis, talem laudantes, talem beatissimam prædicantes, non solùm hic in isto exilio mortalitatis, ubi eam vident dominantem, & dominando possidentem Regnum Dilecti, eò videlicet iure, quo decet Matrem possidere Regnum Filij sui.* Sic ille.

Inter omnes Sanctos Maria est unica Columba Sāctitate.

Quæ animæ dicantur Reginæ?

M. Filia cœlestis Hierusalē.

M. Filia Ecclesiæ Patriarcharum, Prophetarum, ac Regum.

M. Beatā deprædicant omnes generationes.

Beati in cœlo fœlicem & beatā deprædicant Mariam.

61. Hanc denique Sanctitatis, puritatisque Virgineæ super omnes Sanctos excellentia Seraphicus Bonaventura ex ipsa Salutatione Angeli: *Aue gratia plena,* Plenitudiné supereminentiæ appellavit: *Plenitudo,* inquiens, *gratiæ, est plenitudo supereminentiæ, quâ aliquid dicitur cæteris præeminere; & hæc plenitudo fuit in Beatissima DEI Matre, quæ omnia dona, quæ alij Sancti acceperunt, in parte, ipsa omninò habuit in plenitudine. Nam sicut in capite sunt omnes sensûs: sed in alijs partibus corpore tantum est sensus tactus: Sic Domina nostra omnia habuit DEI dona, quæ in Sanctis alijs sunt divisa. Vnde dicitur, in plenitudine Sanctorum detentio mea. Et est sensus, totum teneo in plenitudine, quod alij Sancti tenent in parte.*

M. fuit gratia plena plenitudine supereminentię

Sicut in capite sūt omnes sensûs; sic in B. V. omnium Sanctorum pfectiones.

62. Imò ipsa Virgo adeò perfusâ gratiâ, adeò sancta est, ut Sanctitatem suam alijs Sanctis comunicet, eamq; suis apud Filium intercessionibus conservet. Vnde Hugo Cardin. de S. Charo ita loquentem illam introducit: Ego detineo Sanctos in plenitudine sua, ne minuatur, detineo Christum, ne eis peccantibus irascatur, detineo Dœmones, ne noceant, detineo virtutes, ne fugiant, detineo merita, ne pereant. Singularis est planè Virgo in tali detentione. Vnde ipse Dominus Isa. 49. ajebat: *Non est qui consurgat, & teneat me.*

Atque hæc de Dionysij Sanctitatis definitione, in quantum est Puritas ab omni scelere libera, dixisse sufficiat, quæ cùm in Virgine perfectissima, atque eminentissima fuerit, eminentissima atque absolutissima quoque Sanctitas omnium Cœlitum Sanctimoniam excedens extiterit, necesse est.

63. Quod si ex sententia Andronici, Sanctitas est virtus, quæ facit homines fideles, & servantes ea, quæ ad DEUM justa sunt. Quis, DEUS immortalis, hâc Virgine, sive respectu DEI, sive hominum, fidelior unquam extitit? Atq; ut de Fide Theologali taceam, quæ in ea fuit, uti & virtutes reliquæ, excellentissima, fides illa certè, quæ in promissis servandis

Sanctitas est virtus quæ facit hominem fidelem erga ea quæ ad DEUM justa sunt.

vandis attenditur (siquidem Divo Gregorio teste: *Tunc veraciter fideles sumus, si quod verbis promisimus, opere adimplemus*) in MARIA Sanctissima adeò resplenduit, ut DEO hominibusque eam redderet quam acceptissimam. Vnde tota Ecclesia hanc ejus fidelitatem admirata illi concinit: *Virgo fidelis*. Quam verò eximia, quam pulchra sit hæc virtus, vel per se spectata, indè sanè colligi potest, quod à Plat. lib. 1. de Legib. & Eusebio, qui ex eodem desumpsit lib. 12. de Præpar. Evang. cap. 1. præponitur cæteris virtutibus; Virumque fidelem auro omni, atque argento meliorem pronunciat, negatq; sine omnium virtutum satellicio, fidem perstare posse, si procella aliqua, aut turbo ingruat. Vnde addit fidem, perfectam, justitiam appellari posse. Eandem Seneca Philosophorum Sapientissimus Epist. 89. *Sanctissimum humani pectoris Bonum* vocitavit; quæ nullâ necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Cassiodorus denique lib. 2. Epist. 40. pulcherrimum fidelitatis pertexuit encomiam. *Cunctis*, inquiens, *laudibus preciosior fides, quam Divina diligunt, mortalia venerantur: Nam inter Mundi fluctuantes procellas, unde se humana fragilitas contineret, si nostris actibus mentis firmitas non adesset. Hæc inter socios amicitiam servat, hæc Dominis purâ integritate famulatur, hæc superna Maiestati reverentiam piæ credulitatis impendit: & si beneficium tantæ rei latiùs quæras, immutabilis fidei est, omne, quod benè vivitur;* Quæ fidelitatis encomia post Divinam illam, de qua canit David; *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & Sanctus in operibus suis;* Marianæ fidelitati, quâ se tã DEO, quàm hominibus fidelissimam semper exhibuit, aptari, ut per se clarum est, verissimè possunt. Adeò Divina, adeò admirabilis est; hæc Sanctissimæ hujus Virginis fidelitas.

M. fidelis in servandis promissis.

Fidelitas virtus præstantissima

Fidelitas omnium virtutum requirit satellicium.

Fidelitatis laudes.

64. Et verò quis eam in adimplenda promissione illa, quâ votum Virginitatis, dum adhuc Materno detineretur in utero, imò in primo Conceptionis instanti, accelerato rationis usu, ut aliqui volunt, votũ vovit DEO, & semp servavit. Quis, inquam, fidelitatem ejus non admiretur, non obstupescat? Proposita siquidem illi ab Archangelo Gabriële DEI Maternitatis dignitate, non priùs assentiri, voti religiosè memor, voluit; quam intelligeret, id totum absque Virginitatis dispendio peragendum;

M. votum Virginitatis in utero Matris adhuc existens, Deo vovit.

Vnde modestè, soliciteque sciscitatur ex Angelo: *Quomodo fiet istud quoniam Virum non cognosco?* In quibus verbis Sancti Patres, Virginem Sanctissimam, primam omnium, votum Virginitatis emisisse cognoscunt.

65. Audiamus Gregorium Nyssæ Epis. Orat. de Christi Nativitate: *Audi puræ Virginis vocem;* Angelus partum denunciat, at illa Virginitatem amplectitur, inquit ille: *Interdicta est mihi*, ait Virgo, *viri consuetudo, ut virum cognoscam, fieri non potest, quo pacto mihi continget? Si nuptiarum causa sumpta erat à Ioseph, quomodo Angelum de partu prædicentem, quasi re nova, & insolita, obstupefacta aversata esset, cùm prorsus speraret, se quoq; aliquando Matrem esse futuram? Sed quoniam DEO dicatam, ac consecratam carnem, velut sanctum quoddam Donarium intactam servari oportebat; Propterea etiamsi Angelus sit*, inquit, *ac de cœlo veneris, etiamsi supra hominem sit id quod apparet: attamen ut virum cognoscam fieri non potest. Quomodo Mater ero, absq; Viro? Iosephum enim Sponsum quidem novi, Virum autem non cognosco.*

M. prima omnium votum Virginitatis emisit.

Audiamus D. Augustinum lib. de S. Virginit. cap. 4. qui verba illa Virginis expendens: *Profectò non diceret Virgo quomodo fiet istud? Nisi se DEO Virginem ante vovisset; non quæsisset utiq; quomodo promissum sibi Filium fœmina paritura esset, si concubitura nupsisset.*

Audiamus denique B. Albertum Magnum, qui super Miss. cap. 82. *Beata Virgo est Mater omnium in Virginitate, quæ prima sine præcepto, consilio, vel exemplo Virginitatis munus DEO obtulit, per quod omnes Virgines per imitationem Virginitatis genuit.*

66. Hoc voto porrò, sicut ex puro DEI amore Virgo fidelissima Divinæ illi, summæque se consecravit Majestati; ita eodem amore succensa, solicitè, ac fideliter observare studuit, adeò ut ne DEI Matris, uti dixi, propositâ dignitate, votum infringere statuerit. Quod DEI Filius Fidelissimæ Virginis obfirmatæ voluntatis intuendo propositum, amorem amore, fidem fide, compensare decrevit. Atque ita amore in Virginem vehementissimo, castissimoque exardescens, novo, hactenusque inaudito miraculo, ac prodigio ipsius Virginitatem illæsam conservando, suam efficiendo Matrem dignissimam, fœcundavit.

67. Intellexit mutuum hunc fidelissimũ;

Ddddd 3 ferven-

ferventissimumque amorem inter Matrem, & Filium S. Anselmus Archiepisc. Cantuar. lib. de Excell. B. Virginis c. 4. *Ostendit ergo*, inquiens, *ipse prius amorem, quem habebat erga Matrem Virginem, & amorem, quo nullum putemus posse esse maiorem, Matrem suam fecit illam, & Virginitatem illi non ademit. Ecquidem hae duo ipsa iucundiùs amabat, scilicet Virginitatem & fœcunditatem. Virginitatem, quia hanc placere DEO, per omnia intelligebat; fœcunditatem, quia sine hac maledictionem legis, quæ adhuc carnaliter custodiebatur, incurrere metuebat. Vicit tamen in ea amor servandæ Virginitatis, & exclusit ab ea timorem incurrendæ maledictionis. Virgo itaq; & tenera, & delicata, Regali stirpe progenita & speciosissima totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, ut corpus & animam suam DEO Virginitate perpetuâ consecraret. Sciebat enim, quod quantò sanctiùs eam servaret, tantò sublimiùs ei. qui omnium castissimus, imò qui ipsa castitas est, appropinquaret. Amplectendo igitur quod acceptabiliùs Domino cognovit esse, legem superavit, sprevitq; maledictum datæ legit, & credidit reputans secum, illum, cui placere quærebat tanta Bonitatis, & tanta Sapientia, aut ante se, vel de se tutum consilium, ne quid peccati in istis subiret, inveniret; nec decepta est. Quis enim speravit in Domino, & derelictus est ab eo? Deniq; ubi tam sanctam intentionem eius, tam castum propositum eius, tam firmam fidem, constantem spem, & indeficientem vidit charitatem eius, misericordiæ suæ intuitu egit circa illam, ut nec Sanctitas intentionis eius frustraretur, nec castitas propositi eius violaretur, ne aut sanitas fidei infirmata à spei constantia titubaret, aut charitatis in ea plenitudo deficeret. Dedit ergo illi, ut & Virgo quod magis optabat, permaneret, & ut nemo illam à maledicto legis liberrimam dubitaret, fœcunda fieret. Et unde fœcunda? De illo, sine quo omnis fœcunditas in sterilitatem convertitur, & igni consumenda succiditur. Et revera dignum fuit, ut eo in Virginem superveniente, illa fœcundaretur, quæ paritura erat DEVM, per quem totus Mundus salvaretur.* Hactenus Anselmus de Virginis fidelitate erga DEUM, in voto Virginis servando.

M. insignis erga DEū Fidelitas.

M. totam intentionem, ac amorem suum ad hoc intendit, ut se totā DEO perpetuā Virginit. offerret.

68. Eamdem Fidelitatem Virgo erga DEVM ostendit, cum dilectissimo suo Filio semper adhæsit, nec unquam ulla tribulatione aut angustia, aut ipsa morte se ab illo separari passa est. Observavit videlicet Virgo fidelis, & Sapiens Sapientis dictum illud Sapientissimum Eccles. 6. *Si possides amicum, in tentatione posside illum.* Verè enim Virgo possedit amicum suum Christum benedictum Filium in maxima illa tentatione, quando ex præcepto Patris æterni in Cruce inter duos latrones, opprobriosissimo mortis genere mori jussus est, & tamen Virgo fidelissima in tam gravi tentatione constitutum numquam deseruit, sed semper constantissimè juxta Crucem stans, dum ultimum Spiritum exhalaret immota ad instar invictæ palmæ, constansque perseveravit; vt non immerito cœlestis Spōsus hanc ejus demiratus constantiam ei dixerit Cant. 7. *Statura tua assimilata est palmæ.*

B.V. quam fuerit Christi in summis angustijs fidelis.

B.V. juxta Crucem consistit constans animo erecto, velut Palma.

69. Quod si fidelitas elucescit in celandis amici secretis, ac consilijs, Salomone teste Prov. 11. *Qui fidelis, est celat amici commissum.* Quis fidelior Virgine nostra fidelissima fuit? quæ, licet aliæ mulieres in secretis servandis, dolijs Danaidum, plenæ rimarum, hac illacq; diffluentium sint quam simillimæ, adeo ut garrulitatis, ac loquacitatis earum probè conscius M. Cato sapienter pronunciarit: *Sæpe se in vita pœnituisse, quod arcani quidpiam fœmina credidisset;* hæc tamen Virilis Fœmina, quæ utero suo purissimo Divinissimum illum Virum circumdedit in arcanis Divinis conservandis semper fidelissima extitit, adeo ut cum Isaia potiori jure dicere potuerit: *Secretum meum mihi, Secretum meum mihi.* Vnde S. Evangelista Lucas non semel de ipsa scripsit: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Hinc Sponsus vittæ coccineæ labia ejus comparavit, Cant. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua Sponsa.* Quemadmodum enim vitta continet capillos ne diffluent, ita fidelitas Virginis, ejusque silentium Divina continebat arcana. Quod Virginis silentium quam gratum extiterit Sponso, ipse testatus est, dum ejus ingenuum pudorem, verecundiam laudans, eamq; cum silentij, grato connubio socians, mox attexuit: *Sicut fragmen mali Punici, ita gena tua, absq; eo quod intrinsecus latet:* Sive ut legêre septuaginta Interpretes, *Sicut cortex mali Punici gena tua, extra taciturnitatem tuam.*

B.V. silentium insigne in cōseruandis DEI secretis.

70. Fidelis quoque is censendus est, qui honorem Deo debitum non sibi usurpat, neque laudes ipsi proprias sibi attribuit. Quod fecisse vidimus DEIparam. Cum enim ipsam nimium quantum

B. V. fidelis in dando honore ipsi DEO.

quantum laudaret Elisabeth, laudes illas omnes in Creatorem, Dominumque universorum cui soli laus debetur, & gloria, devotissima voluntate convertit, magno spiritu Canticum illud modulando: *Magnificat anima mea Dominum, &c.*

M. erga homines fidelitas.

71. Iam quid de ejusdem erga proximum in promissis servandis dicemus fidelitate? De hac pleni sunt libri, hanc quotidiana deprædicant miracula, atque exempla, quæ luculentissimè Virginem semper in suis promissis extitisse fidelissimam demonstrant. Si enim illa apud Salomonem Prov. 8. sese diligentibus, ejusque vestigia consectantibus æternam beatitudinem, vitam immortalem, perennemque pollicetur salutem. *Beati*, inquiens, *qui custodiunt vias meas, Beatus homo, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotide, & obseruat ad postes ostij mei; Qui me inuenerit, inueniet vitam & hauriet salutem à Domino;* quotidiana certè docet experientia, felicissimique illius clientulorum ex hac vita discessus, eam stetisse promissis attestantur. Ipsa enim morientibus materna prorsus pietate, ac charitate assistit, animasque magna pace, & tranquillitate exhalantibus ad æternam beatitudinem plurimorum Beatorum spirituum stipata satellicio deducit felicissimè. Quod sanctus Bonaventura cum intelligeret, ardenter magnoq; pietatis sensu benignissimæ suæ Patronæ cōcinebat Psal. 24. *Ad te Domina leuaui animam meam in judicio DEI, tuis precibus non erubescam. Neq; illudant mihi Aduersarij mei, etenim præsumentes de te roborantur. Non praualeant aduersus me laquei mortis, & castra malignantium non impediant gressus meos. Collide impetum eorum in virtute tua, & cum mansuetudine occurre animæ meæ. Ductrix mea esto ad Patriam, meq; cætui Angelorum digneris aggregare.*

Maria fidelis hominibus in morte eis assistēs

72. Intellexit Virgineam hanc pietatē tribulatis exhiberi solitam S. Bernard. quando ser. 8. super qui habitat, illam plenam omnis consolationis sententiam edixit: *Ad omnem tentationem, ad omnem tribulationem, ad omnem deniq; cuiuscunq; necessitatem aperta est nobis Vrbs Refugij, sinus Matris est expansus. Parata sunt foramina Petræ, patent viscera misericordiæ DEI nostri. Hoc refugium, qui declinat, nil mirū si effugere non mereatur.* Intellexit denique hæc pietatis viscera à Deipara moribundis ostendi solere deuotissimus Thomas de Kempis, Canonicorum Regulariū S. Augustini lumen illustrissimum cum ser. 21. ad Nouit. eos est ad sedulum cultum Divæ Virginis adhortatus: *Eligite*, inquiens, *hanc Beatissimam Matrem Iesu præ cunctis parentibus, & Amicis vestris in Matrem specialem & aduocatam ante mortem, & salutate eam Angelica salutatione frequenter, quia hanc vocem audit valdè libenter.* Plura de hoc argumento qui volet, consulat Disc. 11. de Misericordia Deiparæ.

In omni tribulatione ad sinū B.V. & ad Vulnera Christi cō fugiendū.

B. V. ante mortem eligenda in amicā, & Angelica salutatione sæpius colenda.

73. Libet interim aliquot exempla recensere, quibus Virgo Deipara erga suos cultores, ac clientes, eam Angelica salutatione piè venerantes sese fidelissimam, præsertim verò in mortis articulo declaravit. Refert B. Alanus de Rupe ord. Prædicatorum illustre sydus Par. 5. in Psalt. cap. 64. fuisse in Regno Hispaniarum cujusdam potentissimi Comitis filiam, nomine Mariam, quæ ab ineunte ætate à parentibus edocta, ac etiam munusculis illecta, in dies singulos Psalterium illud Virginis 150. Angelicis salutationibus constans ita recitabat, ut primam quinquagenam ante prandium; alteram horis pomeridianis; ac tertiam denique junctis manibus, flexisque genibus antequam quieti sese dederet, maxima cum pietate persolveret. Cultum hunc gloriosissimæ Virginis etiam nuptui tradita numquam intermisit, verum alijs pietatis exercitationibus in honorem ejusdem Dei Matris cumulavit. Post singulas enim quinquagenas diverberationem, sibi 50. inflictis ictibus, addere fuit solita. atq; ita in Psalterio, & tympano Patronam suam fidelissimam laudare visa est. Accedebant his omnibus pietatis exercitijs altissimæ circa vitæ, passionis, ac mortis Christi mysteria contemplationes, singulorumque membrorum Deiparæ, singulis Angelicis salutationibus pientissimæ adorationes. Hunc precandi, Virginemque colendi modum cum aliquando cuipiam admodum Religioso Præsuli, à quo aliquot spiritualia documenta acceperat, summâ cum confidentiâ aperuisset, ita ad colendam Deipâram exarsit, ut mox ad cingulum Coronam Virginis appenderet, suæque Diocœsis oviculis, de miris Psalterij fructibus, magno spiritu, ac fervore verba faceret, quibus id demum consecutus est, ut tota illa civitas, mirifica devotione erga tam sanctam exercitationem exarserit; seseq; totam cultui; obsequioque Virginis manciparit. Comitissa

Maria Cōmitissa Hispana Psalterio à pueritia recitando B. V. intenta

Ad singulas Psalterii quinquagenas 50. ictus sibi infligit.

mitissa vero MARIA, ita Patronæ suæ benignissimæ experta est fidelitatem, ut ab illa certior, de incerta aliàs mortis hora fieri sit promerita. quæ ubi advenit, advenit & ipsa sanctissima misericordiæ Mater innumeris Angelorum Cœlitumque reliquorum concinentium choris, quos & alij audierunt, associata, animamque ipsius Solis instar radiantem, ad æviterna gaudia perduxit. Concludit tandem B. Alanus: His auditis laudate MARIAM DEIparam, in Psalterio Angelico, hujus MARIÆ exemplo, ut & vos una cum ipsa ad Regna cœlestia perduci mereamini.

Moriens Comitissa vidit B. V. Angelis sociatam ad se venire.

74. Idem B. Alanus cap. 63, aliud longè admirabilius Virgineæ fidelitatis recenset exemplum de nobili quadam fœmina Hispana, nomine Lucia, quæ à Saracenis Regnum Granatæ occupantibus, in captivitate 15. ætatis suæ anno abducta, marito immaniter trucidato, ipsaque barbarè, impieque habita licet gravida, Tyranno traditur. Ancillaq; ancillarum reliquarum facta, seruire cogitur.

Fœmina hæc hortatu Divi Dominici à primis annis cultui DEIparæ fuit addictissima, eamque salutationibus Angelicis, ipsius recitando Psalterium, magna pietate venerabatur. Non defuit clientulæ suæ Virgo fidelis in tanto vitæ utriusque hominis, prolisque ipsius discrimine. Vbi enim tempus partus advenit, quod plane in ipsum Dominici Natalis diem incidit, partus Virginei memor, in stabulum clam omnibus sese recepit, & acerbissimis, ut pote primi partus arctata doloribus, pro unico solatio DEI Matris Psalterio utebatur, & piè admodum quantum per intensissimos cruciatus licitum fuerat eidem persolvebat. Adfuit mox angustiatæ inquit idem B. Alanus Regina clementiæ, quæ sua viscera sibi servientibus claudere nescit, & obstetricis munere functa infantem excepit, abluitque. Adest illico Sacerdos specie venerabilis, ipse Christus Dominus mira luce fulgescens, eamdemque manibus, pedibusque, latereque sacrosancto ad instar stellarum evibrans, puerumque baptizat, eidemque Mariani nomen imponit. Sacro fonte abluto infante eum Virgo beatissima tradit Luciæ: *Ecce filia*, inquiens, *Filium tuum: confortare, & persevera: in posterum enim de cœlo tibi auxilium spondeo.* Accepto Filio Lucia; tam insignibus cœli favoribus recreata, illo in stabulo sacris contemplationibus Psalterijque recitationi intenta, exemplo DEIparæ usque ad diem ejusdem Purificationis permansit, miro pietatis in DEI Matrem adeo benevolâ semper exardescens affectu. Itaque diei illius illucescente Aurora adolescens quidã forma pereleganti cœlesti luce circumfusus eam invisit atque ita affatus est: *Quia non es purgata more Christianorum, prepara te, ut more fidelium purgeris.* Ad quem ipsa: *Domine*, inquit, *nec hic Ecclesia est, nec Sacerdos, nec populus fidelis.* Intulit mox Adolescens: *Imo vero. nunc ego te ducam ad Ecclesiam pulcherrimam, ubi videbis admiranda.* Quibus auditis illico Lucia, duce viæ iuuene illo, perexit, Ecclesiamque quandam admirabilem ingressa est, cui præ foribus SS. Anna, & Magdalena obviam factæ eam ad DEIparam deduxerunt. Quam illa benignè salutans: *Quia sæpius*, inquit, *per Psalterium præsentasti mihi Filium meum, nunc ego te quoq; ipsi præsentabo cum Filio.* Comparet interea Christus Dominus, qui ejus Filium specie Sacerdotis salutari tinxerat lavacro, Missamque solenni melodiâ accinentibus Angelis inchoavit. Vbi ad offertorium ventum est, B. V. Luciam offerre jubet cereum sibi datum, 15. lucernis mysteria totidem SS. Rosarij repræsentantibus exornatum. Oblato cereo, & ipsius Christi Domini manibus cœlesti pane refecta, à DEI Matre ad portam Templi deducta est; ad quam deinde conversa; *Tene*, inquit, *Filia quod accepisti, & in opere incœpto persevera, ducam enim modo te in terram tuam.*

B.V. Luciã sibi devotè Psalterium recitantem in captivitate consolatur.

Christus infantem Luciæ baptizat.

Atque ita circa horam decimam in Ecclesiam S. Iacobi de Compostella (erat enim compostellana licet postea maritum secuta inde discesserit) magna sui admiratione, ministerio sine dubio Angelico una cum Filio Mariano sese translatam fuisse reperit. Lucia tantis DEIparæ Virginis non ingrata beneficijs, nil antiquius habuit, quam ut cum Filio sese in solitudinem, sacris mysterijs Rosarij contemplandis intenta reciperet. Vbi cùm plures annos in Divinæ Matris servitio, Psalterijque devotâ recitatione exegisset, animam gloriosè, fœliciterque in præsentia DEIparæ exhalavit, quam illâ ingenti cum lætitia ad æviterna gaudia perduxit. Marianus interim ejus Filius in eadẽ solitudine, obsequio

Lucia in præsentia B. V. piè moritur.

sequio totus Virgineo mancipatus, virtutibus eximijs, Divinisque revelationibus clarus, Psalterio, exemplo Matris, assiduè Dei Parenti laudes modulans, magnaque cum pietate de more consalutans, ab eadem in mortis suæ articulo visitari meruit, inque ejus præsentia beato fine vitam terminavit. His recensitis B. Alanus narrationem suam hac aurea coronide insignivit: Ergo ò mulieres, ac parvuli, MARIAM Virginem, hoc instructi exemplo in ejus Psalterio laudate, semper ei dicentes: Ave MARIA, &c. Quod sane consilium si amplexi fuerimus, fideliterque Deiparæ hujusmodi pia obsequia detulerimus, fidelem illam quoque nobis tam in vita, quam in morte experiemur.

M. semper Psalterio & Salutatione Angelica veneranda, ut in morte propitiam habeamus.

74. Fidelitatem Virginis etiam hoc nostro sæculo in mortis articulo expertus est Adolescens Germanus Lutheri infectus labe, de quo suffraganeus Bambergensis Fridericus Fornerus, Doctor Theologus quadam sua Epistola ad amicum Monachij degentem scripsit Anno 1608. 4. Ian. Hic enim cum aliquando pro Concione intellexisset Deiparæ sedulos cultores, ac clientes male perire, salutisq; dispendium subire minimè posse, statuit deinceps diebus singulis in laudem ipsius salutationem Angelicam aliquoties recitare. Placuit Deiparæ Adolescentis hujusmodi pietas. Salutationes hæ, salutem ipsi omnino peperere. Virgo enim obsequijs illis se vinci minimè passa, pro consueta sua in omnes charitate, lumen ei tanquam re ipsa, ac nomine Illuminatrix ad perspicienda Catholicæ Religionis dogmata cœlitus infundi impetravit; quo ante mortem mirificè illuminatus, veritati manus dedit, & ejurata hæresi fidem Catholicam professus, ante obitum videre, benignissimo amabilissimoque vultu Deiparam suo lectulo adstantem meruit, in cujus manus sinumque animam fœlicissimè exhalavit; atque ita salutem devotè adprecando Virgini fidelissimæ, æviternam salutem consecutus est.

Lutheranus salutationem Angelicã recitans convertitur, & adstãte B. V. fœliciter moritur.

75. Ex quibus omnibus clare perspicimus gloriosissimam Dei Matrem hominum esse amicam fidelissimam, utpote quæ nos in tanto periculo salutis constitutos, dum animam agimus in conspectu ipsorum Tartareorum hostiũ verè Leonum rugientium præparatorum ad escam, non deserit, sed tuetur, sed pro nobis pugnat, ne absorbeat nos Tartarus, ne cadam⁹ in obscuras illas, atq; exteriores tenebras. Quare præclarè Vetus ille Poeta Ennius: *Amicus certus in re incerta cernitur.* Quod si verum est illud, quod Magnus Gregorius pronunciavit: *Nil certius morte, nil incertius horâ mortis;* profecto magna mortalium amica ostenditur Deipara, quæ in incerta hora mortis, discriminum plurimorum plenissima nobis adesse non dedignatur. Quod si verum etiam est pronunciatum S. Augustini lib. 83. qq. q. 71. *Nihil sic probat amicum quam oneris amici portatio;* Sane amicissima censeri debet Virgo nostra, quæ nos gravi moriendi necessitate, velut ingenti pondere oppressos, ac pene succumbentes, tam mira benignitate, charitateque sublevat. Quo circa potiori jure elogium illud atque benedictio, à Noemi attributa Boozio: *Benedictus sit Booz à Domino, quoniam eamdem gratiam, quam prœbuerat vivis, servavit & mortuis.* Ruth. 2. 10. debetur Deiparæ. Proinde merito illi ab omnibus dicendum: *Benedicta sit à Domino Domina nostra, quoniam eandem gratiam, quam prœbuerat vivis, sub sua illos protectione fovendo, servavit & morientibus, & mortuis, dum eos in utroq; statu, solita sua charitate à Tartareis hostibus defendit, deq; Purgatorij ergastulis potenter eripit.* Quare Lilij Gyraldi Amici pulcherrimum illud Hieroglyphicum aptissimè Virgini quadrat. Repræsentabatur hic olim specie Iuvenis pulcherrimi aperto capite, simplici erat amict⁹ tunica, in cujus extrema fimbriâ visebatur epigraphe: *Mors, & Vita.* Talis prorsus est Deipara, amor ejus in nos semper viret, vigetque & non senescit, simplex est, ac minime fucatus, honorat nos ultra omne nostrum meritum, dum nos lectulo affixos in tantis miserijs constitutos inviserè pijssimè nõ dedignatur, dum nobis deniq; & in vita & in morte fidelissimè patrocinatur.

Quis sit verus Amicus?

B. V. veri amici officio fungitur, dum nobis morientibus assistit.

M. benedicenda, quod morientibus assistat.

Amici synceri Hieroglyphicum.

76. Quod si fidelis is demum amicus censendus est, qui candidè, liberè aperteq; nos de nostris admonet erroribus, imperfectionibus, ac vitijs; eaque acriter reprehendit, fidelissima certè diceda erit Deipara, quæ suos sibi dilectos amicos, ac clientes sincerè increpare, ac corripere benignitate plane materna consuevit. Ita corripuit Catharinam Filiam B. Brigittæ, quæ cum affectu inordinato revisendæ patriæ tenere-

Amicus syncerus est qui errores alterius acriter corripit.

S. Catharina, S. Brigittæ Filia à B. V. reprehenditur, quod Matri non obedierit.

tur, Matrique obtemperare detrectaret, per quietem, visione quadam horrifica sui officij admonita est. Videre sibi visa est totum mundum conflagrantem, seque incendio illo horribili circumdatum adeo, ut nusquam posset evadere; tremefacta tam horribili spectaculo Catharina, undique circumspiciens conspicata est misericordiæ Matrem; ad quam recurrens: *O mea charissima Domina,* inquit, *adiuua me.* Cui Virgo: *Quomodo possum te iuuare, siquidem adeo feruenter desideras in patriam ad tuos amicos, & cognatos remeare? Negligis votum DEO tuo factum, facta ipsi mihi, Matri quoq; tuæ, & Patri spirituali inobediens.* In his angustijs constituta Catharina parere decrevit, & ad Deiparam conuersa: *O benignissima,* inquit, *Domina mea, libenter amplectar quidquid mibi iniunxeris.* Subintulit mox Deipara: *Esto ergo obediens Matri tuæ, & Patri spirituali. Ego vero ex parte mea hoc volo, ut facias, mihiq; placituram scias, si videlicet Matri tuæ obtemperaueris.* Vbi evigilavit Catharina, mox ad Matrem accurrit, flexisque genibus culpam deprecata est, quâ graviter Deum in primis, ejusque Matrem, ipsamque offenderat, spopouditque se in posterum sub potestate ejus usque ad mortem futuram: recensitaq; totius rei gestæ serie, Mater lætitia plena exclamasse fertur: *Hæc mutatio dexteræ Excelsi, sit ipse benedictus, qui diligentibus se omnia facit cooperari in bonum.* In Vita S. Cathar. c. 6.

M. voluntas est, ut obediatur Parentib9 etiam spiritualibus

S. Catharina Sen. à B.V. reprehensa, quod in orat. circũspexerit.

77. Eadem benignitate materna alteram illam Catharinam Virginem Senensem corripuit Deipara, cum aliquãdo Divinarum rerum contemplationi intenta, oculos curiosè tantisper alio convertisset, quæ reprehensio benignissima, eam in mente, animoq; Catharinæ sortita fuit vim, atque energiam, ut ubertim decurrentibus lacrymis, defectum illũ deplorarit, ut ipsemet B. Raymundus, qui ei fuit à confessionibus in ejus vita contestatus est.

78. Eadem amicâ fidelitate Virgo in quodam Cisterciensis Ordinis Religioso corripiendo, usa est, qui cum esset Medicinæ peritus, varijs antidotis, ac præservantibus medicamentis suam valetudinem, cuticulamque, nimia solicitudine curabat, eamque ob causam ad captandam fortassis auram frequentius divagabatur. Hunc Virgo benignissima pro affectu illo suo, quo totum illum sacrum complectitur Ordinem, acriter increpuit. Cum enim vice quadam psallentium Monachorum chorum esset ingressa, reliquisque omnibus ex aurea pyxide suavissimum quoddam Divina prorsus dulcedine conditum, refertumque Electuarium proprijs manibus magnâ charitatis significatione esset, illo neglecto impertita, & ipse quoq; sibi hujusmodi fieri gratiã expectaret, ad ipsum conversa dixit: *Tu meo Electuario non indiges, quia medicus es, & plurimas tibi impendis consolationes.* Hac ipse increpatione Virginis tam benignâ correptus, aliam longè vitæ suæ rationem inijt, dignumque se reddidit, quem misericordiæ Mater die quadam sibi sacra, suos more suo revisens filios, eosque cœlesti illo reficiens electuario, propius accederet, ac prætereà mirâ se affantem benignitate audiret. *Quia, te commendasti, tuisq; medicamentis, mea prætulisti, ecce de meo electuario, sicut & ceteris tibi impertior.* Quo degustato tanta suavitate, dulcedineque devotionis perfusus est, ut deinceps terrenã omnia non modo antidota, verumetiam delicias, vanitates, divagationesque aspernaretur, religiosæque quietis mirâ dulcedine delinitus, in sua cella velut Cœlo commorans, rerum Divinarum contemplationi totũ sese dediderit.

B.V. Monachũ de sua curanda valetudine nimium solicitum corripit.

B. V. electuarium, quod suis impertitur, dulcissimum.

79. Sensum hunc benignissimæ Virginis assequi visus est D. Bernardus, dilectissimus ejus Filius, qui de purissimo ejus lacte ubi semel degustasset curiosa hujusmodi, nimiâque solicitudine quæsita pharmaca aspernatus, graviter suos Monachos increpuit ser. 30. in Cant. ubi cum præmisisset exemplum Divi Pauli semetipsum, abnegantis, ac sensualitatem, nimiamque sui curam mortificantis dicendo Gal. 2. *Viuo ego jam non ego, viuit vero in me Christus;* docuissetque, animæ portionẽ, esse carnalem ejus affectum, & vitam quam administrat corpori; quam animam spernebat Paulus præ se, paratus pro Domino, non solum alligari, sed & mori in Hierusalem, & sic perdere animam suam juxta consilium Domini: Vbi inquam hæc, aliaq; similia præmisisset; tandem hæc magno spiritu subtexuit: *Quid vos hic dicitis, observatores ciborum, morum neglectores? Hippocrates & sequaces eius docent animas saluas facere in hoc mundo: Christus & eius Discipuli perdere. Quemnam nos è duobus sequi Magistrum eligitis? At manifestum se facit qui*

S. Bernardi gravis reprehensio in Religiosos de valetudine tuenda nimiũ solicitos.

Quinam sint Discipuli Christi, & qui Hippocratis.

qui si disputat: Hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori vel stomacho nocet. Profectò unusquisque quod à suo Magistro didicit, hoc in medium profert. Num in Evangelio legistis has differentias, aut in Prophetis, aut in literis Apostolorum? Caro & sanguis pro certò revelavit tibi hanc sapientiam, non Spiritus Patris. Est enim carnis ista Sapientia; sed audi quid de ipsa nostri Medici sentiant: Sapientia carnis inimica est DEO. Et Sapientia carnis mors est. Num Hippocratis, seu Galeni sententiam, aut certè de Schola Epicuri debui proponere vobis? Christi sum Discipulus, Christi Discipulis loquor. Epicurus atque Hippocrates, corporis alter voluptatem, alter bonam habitudinem præfert: Meus Magister utriusque rei contemptum prædicat. Animæ in corpore vitam, quam summo studio iste unde sustentet; ille unde & delectet, inquirit, atque inquirere docet: Salvator monet & perdere: Qui amat animam suam, perdet eam. Videsne hac sententiâ Magistri mei carnis Sapientiam condemnari, per quam utique, aut in luxum voluptatis diffluitur, aut ipsa quoque bona valetudo corporis, ultra quam oportet, appetitur. Quid verò prodest temperare à voluptatibus, & investigandis diversitatibus complexionum, ciborumque varietatibus, exquirendis quotidianam expendere curam? Legumina, inquit, ventosa sunt, Querelæ tepidorū Religiosorum circa cibos. *caseus stomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, pisces de stagno, aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt. Quale est hoc, ut in totis fluvijs, agris, hortis, cellarijs reperiri vix possit quod comedas? Puta te quæso Monachum esse, non Medicum, nec de complexione judicandum, sed de professione. Parce obsecro primùm quidem quieti tuæ, parce deinde labori ministrantium, parce gravamini domus, parce conscientiæ alterius, qui de tuo singulari ieiunio murmurat. Frustra quidam sibi blandiuntur de exemplo Pauli hortantis Discipulum non bibere aquam, sed modico uti* Vino utendum sed modico. *vino propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates. Qui attendere debent primum quidem Apostolum minimè sibi rem istam suadere, sed nec Discipulum aquæ exposcere sibi. Deinde non Monacho hoc intimari, sed Episcopo, cuius vita tenera adhuc & nascenti Ecclesiæ pernecessaria esset. Timotheus hic erat. Da mihi Timotheum, & ego cibo eum, si* Timothei præstantia *vis etiam auro, & poto balsamo. Cæterùm tu tibi ipsi dispensas misertus tui. Suspecta est mihi fateor tua ipsius in te dispensatio, & vereor tibi illud sub tegmine & nomine discretionis à carnis prudentia. Id te saltem volo admonitum esse, ut si tibi ista auctoritas Apostoli placet, de bibendo vino modico, quod ille adiunxit, non prætermittas.* Hæc Bernardus ad suos Religiosos, quæ quam conformia sint increpationi illa à Diva Matre, tam amicâ fidelitate benevolentiâque Monacho illi nimium sibi, suæque valetudini indulgenti ad omnium Religiosorum cautelam, eruditionemque factæ, nemo non videt.

80. Eâdem denique fidelitate Virgo Beatissima usa est hoc nostro etiam sæculo in corripienda singularitate Stephani Iustitij Ordinis Minimorum Oblati, ut vocant, qui An. 1612. 17. Sept. piè obijt. Cùm enim hic post diutinum oculorum dolorem omninò eorum usum perdidisset, & adverteret, se varijs impatientis animi motibus agitari, ut eis obviam iret, DEIPARAM in Advocatam elegit, varijs ei devotionis exhibitis obsequijs. In his cùm excederet, & maximè in abstinentia à victu, etiam naturæ necessariò, vice quâdam ei ad mensam accumbenti apparuit DEIPARA, eumque ita increpuisse memoratur: *Cur singularis es in ista mortificatione, & abstinentia tibi?* Cùmque respondisset, se id facere ad subijciendam spiritui carnē, & ut peccata sua expiaret, denique ad DEO placendum. Tum DEIPARA benignâ severitate: *Desine in posterum singularis esse: satius est te conformem cæteris vitam ducere.* Adeò porrò erat Virgini devotus, ac familiaris, ut aliquando è Templo egredienti occurrerit DEIPARA, eumdem blādè allocuta, suaviter deosculata fuerit ob Angelicam ipsius puritatem, ipsique varia DEI dona à Filio, ut Prophetiam, Scientiam infusam, ac miraculorum perpetrandorum gratiam. Kal. DEIP. 17. Septemb.

B. V. Religiosum in Refectorio singularem reprehendit

Stephani Iustitij virtutes.

B. V. eum amplectitur & osculatur ob Angelicā ipsius puritatem.

81. Quid de alijs ejus promissis fidelissimè servatis dicam? Celeberrimū est illud Eccle. 24. *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Quæ promissa quam fideliter Virgo fidelissima observet, luce meridianâ, evadit clariùs. Quis enim obsequio, ac cultui, ipsiusque celebrandis laudibus sese impendens, opiparo cuipiam symposio, ferculorum deliciosissimorum varietate apprimè instructo, harmonicisque concentibus exornato sibi adesse non videatur? in quo velut illa æternæ beatitudinis mensa, quo ampliùs absque ullo fastidio vescuntur, eò magis ipsorum esuries, ac fames exacuitur;

B. V. laudes similes lautissimo convivio, quod parit oblectationem.

cuitur; quò magis ab ubertate Dom⁹ Dei inebriantur, tantò magis sitibundi ad perennis illius vitæ fontem anhelant.

B.V. sitim atque esuriem nostram spiritualem suis gratijs explet

82. Sitim porrò hanc, atque esuriem, abundantiâ, atque plenitudine suarum gratiarum, in amatoribus, clientulisque suis videtur Virgo Beata exacuere, dum eis copiosissimè illas pro innata sibi liberalitate communicat. Audiendus hic S. Bernardus serm. de Nativ. B. Virginis, Maria, inquiens, *plena est gratia, & gratiam adhuc invenit, Digna prorsus invenire quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono: Sed quemadmodum scriptum est: Qui bibit me adhuc sitiet, petit superfluentiā ad salutem universitatis.*

In scribendis Mariæ Laudibus fœlicitas, ac facilitas.

83. Quare Vir quidam Religiosus, Virginique apprimè devotus, è sacra Cisterciensium Familia fassus est ingenuè, dum alijs rebus scribendis operam suam navaret, visum sibi quasi adverso flumine laboriosè admodum remigare; dum verò Virgineis laudibus celebrandis sese impenderet, perinde sibi esse, ac si Zephyris, Favonijsq; aspirātibus vela daret.

Qui B.V. obediunt, non confunduntur

84. In hiscé etiam Virgineis laudibus conscribendis impletur, & illa Deiparæ promissio: *Qui audit me, non confundetur, qui operantur in me, non peccabunt;* Seù, ut legunt Complutenses: *Qui obediet mihi non erubescet omninò: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Experiuntur enim omnes quicunque operam suam in Deiparæ extollendis encomijs posuerunt insignem animi puritatem, à peccatis omnibus præsertim gravioribus, remotissimam.

Sodales B.V. rubore & confusione digna obediendo Sodalit. legibus non committunt.

Eâdem experiuntur & hi, qui ejus legibus in Sodalitijs Parthenijs obediunt; qui non erubescunt omninò, hoc est, res dignas rubore & cōfusione, ope, auxilioque purissimæ, ac sanctissimæ Matris, non perpetrant, sed vitam omni labe puram traducunt.

Laudes B.V. elucidantes vitam æternam habebunt.

Experiuntur denique ejus laudum elucidatores, ac Præcones, Virginem fidelissimam promissum illud: *Qui elucidant me vitam æternam habebunt;* servasse fidelissimè, cùm eos post varios communicatos favores, ac gratias, amore planè Materno ad æterna gaudia pducit.

Fulbertus Episcopus Carnotēsis dum infirmaretur B.V. ipsi lac suum præbuit.

85. Testatur hoc Fulbertus Episcopus Carnotensis, Vir egregiâ Sanctitate, & Doctrinæ laude conspicuus, qui uti Cardinalis Cæsar Baronius To. 11. An. 1028. scribit, cùm in laudem Virginis librum concinnasset, ejus præconia celebrasset, Basilicam tantâ Matre dignā in ejus honorem construxisset, aliaque suæ in Deiparam piæ, ac devotæ voluntatis signa demonstrasset, cùm aliquando ex afflictā valetudine decumberet, eum pientissima Dei Mater lecto affixum invisit, & in singularis amoris signum (ò pietatem obstupescendam, omniumque gentium vocibus, ac literis celebrandam) Virginea ubera sugenda præbuit, tandemque æternæ fœlicitatis participem reddidit.

S. Ildephonsus à B.V. veste Sacerdotali donatur.

86. Testatur hoc Archiepiscopus Toletanus Ildephonsus, qui nocte quâdam quæ festum expectationis partus Virginalis præcedit, post innumeros alios cœlitus sibi, Virginis intercessione exhibitos favores, ac gratias, in præmium suæ in Deiparam pietatis, ac dilectionis, in remunerationem suorum laborum, quos in conscribendis ejus encomijs, ejusque defendenda, libro peculiari, perpetuâ Virginitate pluribus annis exantlavit, veste Sacerdotali, quâ inter sacrificandum utimur de cœli prompta thesauris, proprijs illis, omni acceptione dignissimis tantæ Matris manibus donari, ac tandem immortalitatis cyclade aureâ vestiri meruit.

Quomodo tempore mortis intercessura sit B.V. pro suis devotis apud Filium?

87. Crediderim sanè pro his, alijsq; hujusmodi suis devotis amicis, ac clientulis, qui ipsam dum viverent Angelicis Salutationibus, alijsque pietatis obsequijs, nec non librorum variorum lucubrationibus in ejus laudem exaratis, prosecuti sunt, sub vitæ finem, id dilectissimo suo dixisse Filio, quod suprà memoratus Thomas de Kempis ser. 21. ad Novitios memoriæ prodidit.: *Fili mi dilectissime, miserere animæ Famuli & Laudatoris mei, sicut tu benè nosti, & vidisti, de cuius ore Sancti Angeli sæpiùs devotæ salutationis gaudia nunciārunt, qui etiam ad laudandum Nomen sanctum tuum & meum plures secum fratres invitare consuevit. Hic est Notarius noster, scribens sanctos Libros, & Amator sanctæ Crucis, libenter orans, & Psalmos cantans, qui audito Nomine sancto tuo & meo, reverenter se solebat inclinare, & geniculando salutare. Transiens per viam, & videns à longè Crucem, memor Passionis tuæ, exhibuit tibi reverentiam, inclinando se ad Crucem. Cernens etiam in Ecclesia, vel alibi pictam Imaginem meam, vel te in sinu meo iacentem, aut sedentem, vel quasi mortuum inter brachia mea pendentem, genua flexit & adoravit, &c. Memor ergo esto horum, Fili Charissime mi, & da eis nunc invenire misericordiam coram te.*

88. Quid

B.V. Messanensib9 per Epistolam promittit benedictionem, & protectionem.

88. Quid jã de illis dicam Virginis promissionibus, quibus ad Messanenses tertia Iunij ætatis suæ Anno 62. scriptis literis spopondit Civitati illi *benedictionem, perpetuamq; protectionem: Ob quod vos*, inquit illa, *& ipsam Civitatem benedicimus, cuius perpetuam Protectricem nos esse volumus.* Promissionem hanc quânam ratione adimpleverit, fusè perscribit P. Melchior Hincoffer, suo illo libro, quo auteticam Epistolam hanc Virginis ad Messanenses datam, demonstrat, ubi & quam largas Vrbi illi hactenus benedictiones impertita sit Deipara, & quânam ratione Protectricem ejusdem varijs bellorũ, famis, contagiosæq; luis periculis, hostium, Barbarorumque insidijs, se præstiterit, copiosè, simul, ac eruditè declaravit; ex quibus hic aliqua breviter attigisse sufficiat.

Ex Patrocinio B.V. Messanensibus orta fœlicitas.

89. Vbi inter cætera, quæ singularem in Vrbem illam Virginis benevolentiam contestantur reponit, prosperam illius Fortunam, jugemq; felicitatem, nec non fœcundiorum ingeniorum educatione, acmentium inauita Religione retinenda constantiam: *Ego*, inquit, *altiora huius rei principia mecum reputo, quod nempè cœlesti nutu factum sit, eam Civitatem inter tot, ac tantas rerum vicissitudines, nunquam potuisse labefactari, quæ aliquando cultus Deiparæ Virginis extitura erat, perpetuum retinendæ constantiam, à tam præclara Epistola data tesserâ, domicilium; à qua neq; Fortuna tametsi volubilis repetere posset eam, quæ Divinitus ei destinata erat dignitatem. Post Tyrannorum enim Dominium, post varios Græcorum, ac Pœnorum motûs, Romani Consules, ac deinde Cæsares, ac multò post Gothi, Imperatores Græci, rerum in Sicilia sunt potiti. Tenuerunt eandem per ducentos Annos fermè Sarraceni, Hos Nortmanni debellàrunt, Nortmannos Suevi expulerunt; Suevos Galli expugnârunt, Gallis Aragonij suffecti sunt, à quibus tandem ad Austriacos translatum Regnum, hodie in Hispanorum fœlicitate, ac potentiâ conquiescit. Atq; in tanta varietate, ita semper steterunt res Messanenses, ut qaamvis interdum concussa, nunquam eatenus verti potuerint, quin semper maiores suis posteris, meliorem relinquerent Civitatem, tanquam nati ad eam gloriam Viri, quam ex Virginis protectione non solùm consecuturi erant posteri, sed etiam inde velut à novis Vrbis incunabulis per omnes Religionis ætates perpetuâ serie, ad hac usq; tempora propagaturi.* Commemorat deinde Messanensium antiquam militiæ rerum gestarum gloriam, quâ apud Romanos floruerunt, aliaque hujusmodi decora; quæ universa, nec non pleraque alia ante sæculum salutis patrata, præambula quædam, vel potiùs simulacra fuerunt ejus dignitatis, quam deinde contestatus Virginis amor, susceptæ semel in fidem Civitati, per omnes gloriæ gradûs conciliavit. Hic enim illis singularem illam in se pietatem, ac religionem instillavit. Hic illos in bello, ac pace, rebus afflictis, ac prosperis æquitate illâ generosâ animi, invictâque fortitudine obfirmavit, ita ut quilibet æquus rerum arbiter facilè judicare possit, tantam Vrbis laudem, fœlicitateq; ex repromissa illâ Virginis benedictione, ac protectione fuisse derivatã.

Messanâ dum à Gallis obsidetur, B.V. visa est in mœnibus, pro Civitate pugnans.

90. Ac in primis in promissa hac protectione Messanæ, fidelem se Virgo nostra, cùm sæpè alias, tum in arctissima illa Caroli Gallorum Regis obsidione ostendit. Cùm enim hic terra, mariq; Messanam obsedisset, acerrimèque mœnia Civitatis bellicis tormentis quatiendo, aliquot assultibus obsessos infestasset, incrudescente ex utraque parte conflictu; in ipso dimicationis ardore, subito fulgore Majestas Deiparæ Virginis supra muros Vrbis affulgens, candido spectabilis amictu in victoriæ signum, sed specie, atq; aspectu supra humanũ longè augustiore, pro Messanensibus bellatura, ad instar invictæ Bellonæ constitit.

Hâc præsentiâ Virginis Messanenses animati, magnam Gallorum stragem fecerunt, cùmque duo Viri primarij Regi adstantes telis icti, de repente exanimati corruissent, territus Rex præsentissimo periculo sese subtraxit, Gallique eum secuti fugam arripuere, quos eruptione facta generosi Messanenses persecuti sunt, eorundemq; opimis detractis spolijs triũphantes in Vrbẽ regressi sunt.

Messanenses circa festa B.V. ipsius protectionem experti.

91. Addit porrò P. Hincoffer rem memorabilem, Messanenses nimirum hujusmodi de hostibus victorias circa dies Beatissimæ Virgini sacros reportare fuisse solitos. Vnde postremâ die Præsentationis Deiparæ scribit Gallos devictos, castris cessisse. Die verò Virgineæ in cœlos Assumptionis gravissimè hostes Civitatem fuisse adortos, & oppugnantes Civitatem, fortissimè à Dei Matre expugnatos, ut etiam testatur Bartholomæus de Neocastro c.41. Hist. *Die 15. Augusti*, inquit ille, *hostes Pharios (id est Messanenses à freto Pharo sic dictos)*

dictos) impugnat, sed iuvante dexterâ Domini, devicti, & repulsi sunt hostes, relinquentes in campis plura corpora mortuorum, quos potentia Sacra Virginis Matris Christi, cuius gloriosam Assumptionem die illâ reverenter Pharij celebrabant, mirabiliter expugnavit. Audi quod in tota obsidione ista vix mortui fuerunt homines decem de Messanensibus; quod etiam mirabiliùs est, nulla de mulieribus ministrantibus necessaria bellatoribus tempore præliorum, cùm percussæ fuissent sagittis ballistarũ hostium, ex ipsis percussionibus mortua fuit.

92. Quod verò hæc omnia protectionis Virgineæ fuerint beneficia, idem Neocastro cap. 40. Hist. testimonio ipsorum hostium confirmavit. Ait enim potestate sibi factâ ab Alaymo Messanæ Gubernatore, & ab eodem assicuratos ad muros accessisse, atq; ita demũ locutos: *Viri Pharij per DEVM verum, & vivum, quem universæ creaturæ recolunt, & adorant, dicite nobis, quale continuè prodigium videmus, & apparet nobis apertè, quod quædam Mulier albis amicta, adstans super muros vestros, hinc inde discurrit, tenens in manibus velamina, ex quibus tempore præliorum cooperit muros vestros, (ecce Virginis promissam Messanensibus protectionem) quam cum videmus, omnes dirigemus, & spiritus pugnandi à nobis eripitur, nec stare possumus facie ad faciem contra Vrbem, & sagittæ arcuum veloces tamquam è cœlo descendentes in exercitum nostrum immissæ lethaliter corpora mortuorum transfixerunt, adeò quæsitis turbis exercitus invenitur inexcogitabilis numerus mortuorum; & iam pestis mortifera transit in reliquos, ita ut nisi castra recesserint, vix ager sufficiat sepulturis. His dictis, cùm clamaretur ad arma, recesserunt. Scito fili, quod Mulier illa quam dicunt Gloriosa Virgo S. DEI Genitrix est, quæ populum Pharium sibi devotum semper pietatis, & potentiæ suæ pallio protegit, & gubernat; & sagittæ illæ, cùm nos à DEO sumus quem sequimur, à pharetra Divini iudicij contra nostros hostes immissæ fuerunt. Non enim, nisi Christi potentia, pro nobis fuisset & pietas, Pharius populus de multitudine gentium inopinatam victoriam habuisset.*

B.V. Messanam protegens hostibus terrorem incutit.

B. V. tela cœlitus in hostes immittit, simul ac pestem.

93. Censet porro P. Hincoffer in illa toties repetita in dies apparitione, Deiparam subinde alio, atque alio schemate sese hostibus visendam exhibuisse, aliquando enim candidâ amicta cyclade, velamen manibus gestans, quo propugnantes obtegeret apparuit. aliquando succincto limbo, velut pugnæ intenta, tela manu vibrans conspecta fuit. aliquando denique sinistra Vexillum Cruce aurea in area rubenti insignitum gestans, (quæ olim insignia ab Arcadio Imperatore contra Bulgaros fortiter depugnantes Messanenses, indepti sunt) dexterâ vero sagittas in hostes retorquẽs visa est.

B. V. defendens Messanã, varia specie apparuit.

94. In illa quoque celeberrima Victoria, quam Rogerius de Lauria de valida, ac numerosa classe Caroli, pro Iacobo Aragonio pugnans reportavit, mira prodigia præcessere, ex quibus colligere licebat, rursus ope Virginis hostes debellandos. De his iterum idem Neo Castro lib. Hist. c. 100. & 101. *Audite, inquit, verbum mirabile, quod nocte illa, quæ scilicet pugnam præcessit, cum foret mare tranquillum, clamor è pelago veniebat cum strepitu, nec intelligi poterat sonus ejus, licet teneret cum æquore terra pacem, nec ab aëre ventus irrueret, naues perichitari videbantur stridor rudentium, & arborum, aures percutiens singulorum audiri de longè poterat, minæ maris tanquam ululatus dolentium mirabiliter sunt auditi. Et cum cœli foret tranquillitas, igneæ lampades volitabant ab aere, velut trabes ardentes. Tunc canes quasi gementes, amaros, & horribiles ululantus ediderunt, & tempestiui galli tristia populis cecinerunt. Nocte illa Comes Atrebatensis somno sepultus, voce magna exclamauit: Rex Carole accipe vasa, & gentem tuam, quia plus ea sustinere non possum, prius quam rursus perdantur à Siculis. Video Aquilas vorantes gentem tuam, & alij captiui ducuntur* A FŒMINA GRAVIS ASPECTVS. *Pharij quoq; per eos bello disposito, cum pocula & gaudia sumerent, cum ponto & superis pacem tenent.* Et quæ tandem fuit illa Fœmina gravis aspectus nisi Virgo beatissima? quæ sedulam Messanensium curam, protectionemque suscipiens illa nocte, Palladiamque quandam gravitatem, terrore decoro sociatam induens, die sequenti hostibus Messanensium reddita fuit tota formidabilis.

Fœmina gravis aspectus dicitur Deipara.

95. Neque vero Virgo Deipara, fervente bellorum turbine dumtaxat, verùm etiam grassante pestiferâ lue suos Messanenses protexit, maximè circa annum 1348. quo præter contagiosam tabem, Dœmones quoque teterrimorum canum prodigiosâ specie homines dilacerantium, tota urbe grassari visi sunt. Qua de re Michael de Placea Ord. Min. D. Franc. 1. Par. Hist. c. 29. ita scribit: *Apparebant in prædicta Ciuitate, Messana videlicet, Dœmones in figura Canis transformati, multa*

B.V. Messanenses à peste liberat.

Dçmones in specie canũ Messanenses invadebãt

multa damna Messanensium Corporibus inferentes; qui stupefacti, nemo est ausus domo egredi, tamen de communi assensu omnium, de voluntate Messanensis Archiepiscopi, Ciuitatem cum Litanijs deuotè circumire statuerunt. Et dum ingrederetur uniuersa plebs in Ecclesiam niger canis, manu ensem extractum deferens apparuit inter eos, & fremens irruit in eosdem, & omnia vasa argentea, lampades, & candelabra in altaribus existentia fregit, ac conquassauit. In cuius rei visione omnes semimortui in faciem se unanimiter prostrauerunt: sed dum post moram vires resumentes surgunt, dictum canem de Ecclesia egredientem intuiti sunt, quem nemo fuit ausus insequi, vel illi appropinquare. Messanenses hujusmodi mira visione territi, mirè facti sunt omnes timidi. Quapropter ad B. M. V. de Scalis per milliaria duo à Ciuitate Messana distantem, discalceatis pedibus cum processione Sacerdotali communiter ambulare statuerunt. Ad quam appropinquantes, Virgines omnes unanimiter deuotissimè genua flexerunt cum lacrymis, DEI, & B. V. clamantes subsidium, & ingredientes Ecclesiam deuotis orationibus, & Sacerdotali cantilena inclamantes: Miserere nostri DEVS; Imaginem Matris DEI sculptam, ibidem antiquitus constitutam, proprijs manibus apprehendunt, quam in Ciuitatem Messana elegerunt ingredi facere, putantes propter eius visionem, & ingressionem, Dœmonia è Ciuitate eijcere, & à tali mortalitate penitus liberari. Propter quod elegerunt quendam Sacerdotem idoneum, dictam Imaginem super Equo in brachijs suis honorificè apportare. Et reuertentes ad Ciuitatem cum Imagine, sacra DEI Mater, dum vidit & appropinquauit, adeo sibi exosam reputauit, & totaliter peccatis sanguinolentam, quod post tergum reuersa, non tantum intrare noluit sed illam abhorruit oculis intueri. Propter quod tellus aperta extitit in profundum, & Equus super quo DEI Matris ferebatur Imago, fixus & immobilis substitit sicut petra, & præcedere vel retrocedere non valebat. Quæ miracula populus intuens, mœstis suspirijs ululando, & crebris lacrymis B. V. deprecati sunt, ut de commissis eorum peccatis non sumeret recentem ultionem. Ad quorum preces Virgo Christi sacra Sponsa, humilibus eorum precibus sacras Domino porrexit petitiones; quapropter super tellurem clausam, quæ primum aperta extiterat, equus incedit. Et cum peruenisset ad portam Ciuitatis sacra DEI Mater, omninò recusabat ingredi; sed tandem pijs orationibus sibi porrectis, ad Ecclesiam Majorem Ciuitatis Messanæ, videlicet ad B. M. la Nuoua ingressa est: quam mulieres Messanenses pannis sericis, & jocalibus preciosis obruunt. Hæc ille.

Messanenses B.V. de Scalis in processione ad Civitatẽ deferunt, & à peste liberantur.

Equus B. V. Imaginem portans imotus ante civitatem subsistit.

96. Prosequitur deinde idem Hincoffer quanam ratione Deipara placata, ac reconciliata fuerit: Itaque peractis primum in Æde majori ceremonijs, inquit ille, sublata Sacerdotum humeris sacra effigies, praeuntibus Religiosis, ac Clero, comitantibus cęteris ad lustrandam Vrbem efferri cœpit. Nec mora continuo quacunque incessit, depulsa caligine, detersaque lue Civitas lucem, ac sanitatem aspexit; noxia temperies, in salutiferam momento conuertitur auram, diesque deinceps diluxere meliores. Neque ita multo post Messana nexu finitimarum Civitatum, atq; etiam Italiæ, reliquorumque Regnorum commercijs in pristinum statum fauente Virgine revocata est. Hujus beneficij tam eximij gratam recordationem hodie Cives voto obstricti recolunt, & institutâ ad Ædem Majorem, die S. Sebastiano Martyri sacro, interventu Magistratus, ac totius Cleri, populique supplicatione venerantur. Ex quibus omnibus facile colligimus Deiparam sanctissimam, ac fidelissimã esse juxta Andronici Sanctitatis descriptionem, utpote quæ promissam, suâ illa Epistolâ Messanæ benedictionem, ac protectionem, reipsâ cõpleverit, eamque oppositione quodammodo sui corporis, à tot periculis, hostiumque insidijs liberaverit.

97. Neque verò promissam Epistolâ suâ illa benevolentissimâ benedictionem, protectionemque suam Messanensibus Virgo servavit, â bellis, in insidijsque hostilibus, nec non pestifera contagione eos liberando, verum etiam à famis acerbissimo flagello eosdem eripiendo, quo aliquando percussi fuere Messanenses, ut qui semper fere prosperam experti fuere Fortunam, eandem etiam adversantem subinde experirentur. Præclarè enim idẽ P Hincoffer cap. 58. *Etsi*, inquit, *credam DEO opt. Max. cuius est humanarũ rerum procuratio, respiciente ad propensam Ciuium in Deiparam Virginem religionem, omnia fere semper prosperè procedere, secundaq; euenire, ut proinde Ciuitatis prospere semper, & quasi æquabilis perpetuaq; Fortuna per tot sæcula perdurarit: interdum tamen eadem Fortunâ paulo variante, in duriora tempora Ciues ita incidisse constat, ut non nisi juuante Virgine, & menti Ciuium lumen praeferente, rursum Ciuitas emerserit, & ad pristinum statum Fortunamq; sit reuersa.* Quod ille

B.V. fame laborantibus Messanensibus succurrit

ritas in summo supra Angelos, etiam cum esset in vita.

47. Excellentissimam hanc Deiparæ, ac plusquam Angelicam deniq; agnovit Puritatem B. Guerricus Abbas Ignatiensis, qui ser. 4. de Purif. B. V. ostendens illam nullo modo legi Purificationis ob insignem sanctimoniæ, omnisque puritatis laudem fuisse subiectam, hanc attulit rationem: *Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ Virgo concepit, Virgo peperit, Virgoq; permansit, imo quæ ipso conceptu plene purificata fuit, si quid forte minus ante puritatis habuit? Quid inquam, mundandum habuit conceptus ille, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine, qui Fontem in quo Mundus immundus purificetur edidit, Fontem Domus David, qui hodieq; patet indefessèq; scatet in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Suscepit tamen Mater totius puritatis, purgationis legitimæ speciem, ut simul obedientissimæ humilitatis virtutem, & Euangelicæ purificationis insinuaret veritatem. Vbi nunc ille qui tam fallaciter, quam contumaciter præsumens de sanctitate, detrectat purgatoria pœnitentium remedia subire? Esto quod sanctus sit, numquid sicut sanctarum sanctissima, quæ sanctum sanctorum peperit Maria? Vtinam Fratres mei, utinam nos illam haberemus humilitatem in peccatis nostris, quam verè sancti habuerunt in virtutibus suis.*

B. V. eximiè sancta, nulla purificatione indiga.

M. Sanctarum sanctissima Sanctum Sanctorũ peperit.

Hæc Guerricus de puritate Deiparæ, qua duos illos omnis puritatis Fontes, Verbum nimirum incarnatum utero suo purissimo complexa, ipsumque Divinissimum Spiritum, cujus virtute fuerat obumbrata, æmulata est.

48. Quo ex discursu B. Guerrici facile intelligimus puritatem animi, ac sanctimoniam, ipsam denique Dei similitudinem ex virtutum habitibus resultantem, earundem exercitio, & præsertim humilitate profundissima, à Virgine fuisse comparatam. Hæ enim sunt lumen illud Divini vultus, de quo canebat David; *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Signa enim hæc & caracteres Dominici vultus S. Greg. Nyssæ. ait, *esse Diuinas virtutes*, quibus in nobis Divini vultus similitudo exprimitur. Quos characteres, ac virtutum lumina gravissimus sapientum Epictetus, σύνβολα τοῦ θεοῦ, Dei symbola vocitaverat. Quæ symbola seu characteres S. Ambr. lib. de Abel. cap. 2. exponens illud Exod. cap. 1. *Constitui te Deum Pharaonis;* hortatur ad illa retinenda, reddensque rationem, cur Moyses Deus diceretur: *Quia*, inquit, *ad Dei similitudinem se, perfectæ virtutis ubertate formauerat.* Eisdem virtutum symbolis, seu characteribus, seu luminibus intellexit Aristoteles quoque lib. 7. Ethic. 1. in nobis Divinam efformari similitudinem cum dixit: *Ex hominibus fiunt Dij, ob virtutem Heroicam, & excellentem.* Idque probat Homeri imprimis authoritate, qui de Hectore insigni virtute conspicuo loquens: *Non videbatur*, inquit, *mortalis esse hominis Filius, sed DEI.* Deinde Laconum, qui insignis cujuspiam hominis virtutem admirantes supercilio sublato, θεῖον ἄνδρα, hominem Divinum appellare sunt soliti.

Virtutes sunt lumẽ Divini vultus.

Moyses Deus Pharaonis dictus ob virtutes Divinas.

Virtutes sunt Dei Symbola.

Virtus Heroica atq; excellens homines Deos efficit.

Lacones hominem virtute præditum Divinum appellarũt

S. Paulus Devm suis virtutibus imitatus est.

Denique Heraclitus Philosophorum sapientissimus Viros singularibus præditos virtutibus vocare consueverat: ἄνθρωποι θεοί, θεοὶ ἄνθρωποι: Homines Dij, Dij homines. Quod sagacissimum Viri prudentissimi pronunciatum Clem. Alexander 3. Pædag. c. 1. vehementer laudat, & dignitatem hanc communicatam hominibus in Divinam refert voluntatem, quæ vilissimos homunciones in Devm transformare non est dedignata. Ita denique D. Paulus virtute sua quemadmodum D. Greg. Nyss. lib. de forma perfecti Christiani ait, *Numen adeo accuratè imitatus est, ut in se Dominum ipsum expressum ostenderit, quippe qui formam animi sui, in prototypon ipsum exemplarq; transtulerit.* Quod si sanctus Apostolus Devm, virtutum exercitio adeo imitatus est, ut formam animi sui in ipsum transtulerit, quid tandem dicendum de Virgine sacratissima, ob tam intimam cum Filio, Spirituque Divinissimo castissimo ejus Sponso unionem?

Charitas maximè Sanctitatẽ B.V. auxit.

49. Et licet virtutes omnes pulcherrimam illam sanctimoniæ, qua Virgo à primo conceptionis instanti induta est cycladem, artificio planè Divino contexuerint; contexta tamen potissimè fuit ab ipsa Dei charitate. Hinc S. Grego. Naz. Iambico 15. interrogans. Quid est sanctitas? Respondit; *cum Deo consuescere, seu cum Deo consuetudo; cum DEO amicitia, atque familiaritas.* Vnde Lessius loco supra citato; *Amor DEI*, inquit, *est sanctitas.* Atque ita mensura puritatis, ac sanctimoniæ cujuscunque animæ ex magnitudine familiaritatis, consuetudinis, & charitatis cum Deo pensanda erit.

Sanctitatis cycladem qua induta est B.V. in sua Concep. contexuit potissimũ Dei Charitas.

Porro excellentia Virgineæ in Deum charitatis pluribus Discur. 16. de virtute

ture hac ubi egimus demonstrata est: illud hic dixisse sufficiat, illam adeo perfectam extitisse, ut ipsorum Seraphinorum, qui ab incendio amoris nomen invenere, multis parasangis superaverit; nullumque amorem unquam repertum Matris in Filium & contra, qui huic posset comparari. Vnde S Anselmus lib. de Excell. Virginis cap. 4. *Quam mirabilis*, inquit, *natura, & ineffabilis affectus amoris sit inter hunc talem tanta Matris Filium, & hanc talem tanti Filij Matrem, perpendant hi saltem, quoquo modo, qui unico dilectionis feruore sese altrinsecus amant, Mater scilicet Filium, & Filius Matrem. Perpendat, inquam, aliqua bona Mater, quo affectu teneatur circa unicum & bonum Filium suum, & bonus Filius simili modo perpendat, qua pietate moueatur erga bonam & dilectissimam suam Matrem, & aliquatenus tentet, si quomodo in se conjectare valeat, amorem hujus bonæ Matris, erga verè bonum, & unicum Filium suum, & istius boni Filij erga verè bonam & dulcissimam Matrem suam.* Cumque postea dixisset Parentum cæterorum amorem inter Patrem & Matrem dividi, ait, Virginis amorem in Filium fuisse vehementissimum, ac intensissimum, quia non fuit divisus, eo quod illa sola absque Patre, ut hominem generaverit. Quo ex discursu sapienter infert: *Excedit itaq; omnes amores Parentum in Filios, aut Filiorum in Parentes, amor istius Matris in Filium suum, & istius Filij in Matrem suam.*

Amor inter DEI Filium & Matrē est omnino incompa-rabilis.

50. Quod si ita est, excedat etiam Virginea hæc puritas, ac sanctimonia, cujusque creaturæ, quantumvis eminentissimam sanctitatem necesse est, cum, uti jam diximus amor, & sanctitas idem omnino sint. Vnde S. Ephræm, illum suum in laudem DEiparæ sermonem sic exorsus est: *Inuiolata, integra, planè pura, ac casta Virgo DEI Genitrix MARIA, Regina omnium spes desperatorum, Domina nostra gloriosissima eademq; optima, ac præcellentissima, sublimior cœlitibus, candidior solis radijs, ac splendoribus, honoratior Cherubin, sanctior Seraphin, & incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus gloriosior, præstantissimum orbis terræ miraculum, corona ob fulgorem inaccessa.* Hanc ob causam S. Greg. Thau. serm. 2. de Annunc. DEiparam rebus purissimis, ac mundissimis, ut sunt margaritæ, ac gemmæ, nix, & aurum, præsertim illud purissimum quo Arca intrinsecus extrinsecusque fuerat convestita conferre non dubitavit: *Fulgidissima*, inquit, *margarita in salutem totius terreni orbis progreditur, quoniam & tu sancta omni humana creatura gloriosior, ac purior, sanctiorq; effecta es, ac niue quidem candidiorem habens mentem, & quouis auro quantumuis probato purificatum magis corpus; Ventrem verò ad instar Throni lapidis Sarippbyrini ab Ezechiele c. 1. descripti.*

Quia Maria omnes tam Angelos, quam homines charitate excessit, excessit & sanctitate

Maria purior Solis radijs, & Seraphinis sanctior.

MariaMargarita fulgentissima

B.V. Mens nive candidior, corpus vero quovis auro purius.

Mariæ Venter Thronus Sapphyrinus.

51. Ob singularem sanctitatem hanc Virgo gloriosissima à Patribus, Sanctis omnibus, Angelisq; in gratia, donis cœlestibus, sanctitateque ante fertur. Hinc S. Ioannes Chrysostomus, in sua Liturgia cum negasset in tota rerum universitate aliquid esse, quod cum B. Virgine comparari queat, vocat eam tandem, *incomparabiliter gloriosiorem quam Seraphim.*

In ser. verò de Nativ. Virginis: docet nullum Sanctorum, ac ne quidem Angelorum cum DEipara in vitæ sanctimonia comparari posse: *Magnum*, inquit ille, *reuera miraculum fuit semper B. Virgo MARIA; Quidnam illa maius, aut illustrius ullo unquam tempore inuentum est? seu aliquid inueniri poterit? Hac sola cœlum ac terram amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? Non Propheta, non Apostoli, non Martyres, non Patriarcha, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non deniq; aliud quidpiam inter creatas res, visibiles aut inuisibiles maius, aut excellentius inveniri potest.*

Maria sanctis omnibus longè sanctior.

52. Quid de S. Ioañe Damasc? qui orat. 1. de Dormit. B. V. DEI Matris & servorum DEI infinitum esse discrimen disertissimè asseveravit. Quid dicam de S. Anselmo, qui lib. de Excell. Virginis cap. 9. sua puritate meruisse, ut in Reparatricem Orbis assumeretur. *Pura enim Sanctitas*, ait, *& sanctissima puritas, pijssimi pectoris tui, omnem omnis creaturæ puritatem, siue sanctitatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut Reparatrix perditi Orbis dignissimè fieret.*

Inter B. V. & reliquos Sanctos infinitum est discrimen.

B. V. sua sanctitate est merita fieri Orbis perditi Reparatrix.

53. Quid memorem B. Card. Petrum Damiani qui serm. de Ass. Virgineam illam puritatem candori lucis æternæ, Filio nempe DEI comparare visus est. *Caro Virginis*, inquiens, *ex Adamo assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuersa est.* Qui Candor lucis æternæ cum sit ipse ejus dilectissimus Filius, facile intelligimus Puritatem sanctimoniamque Virginis ei fuisse, quam simillimam, ac pene eandem. Vnde B. Arnoldus Abbas Carnot. ser. de laud. B. V. ex Matris

 inti-

intima cum Filio unione colligit eamdem esse gloriam Matris cum Filio. *Vna est*, inquiens, *Maria, & Christi caro, unus spiritus, una charitas, & ex quo dictum est ei: Dominus tecum, inseparabiliter perseveravit promissum, & donum. Vnitas divisionem non recipit, nec secatur in partes. & licet ex duobus factum sit unum, illud tamen ultra scindi non potest, & Filij gloriam cum Matre, non tam communem judico, quam eandem.* Hæc ille.

Eadē gloria Filij cū Matre.

54. Quod si pijssimus Abbas ob admirabilem illam inter Matrem, & Filium unionē, eandem inter illos censet esse gloriā, quidni censuerit eandē quodamodo esse puritatem, sanctimoniam, virtutes denique omnes, uti jam dictum est. Siquidem S. Grego. Nyssenus Episcopus Homel. 9. in Cantica encomium illud Sponsi in laudem pronunciatum Sponsæ *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*, Cant. 4. de Divinis ejus virtutibus, quibus, velut vestimentis amiciebatur, atque exornabatur intellexit.

Divinis virtutibus B.V. velut vestibus amicta.

Vnde Sponsum sic loquentem introducit: *Talis est odor tuorum vestimentorum, ut sit similis thuri, quod DEI honori est dicatum. Tuum ô sponsa virtutum indumentum imitatur Divinam Beatitudinem, siquidem puritate, ac impassibilitate, natura illi inaccessibili es assimilata.* Sic Nyssen.

B.V. puritate Naturæ Divinæ assimilata.

55. Quid Seraphicum Doctorem Bonaventuram commemorem? qui serm. 3. de B. Virgine celeberrimam illam S. Anselmi recolens sententiam: *Nempe decens erat, ut ea puritate, qua maior sub DEO nequit intelligi Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum daturus erat, &c. Quid*, inquit Vir pijssimus, *potest de ea dici sublimius? quid gloriosius? Hæc enim in tantum DEO proxima fuit, tantaq; sanctitate resplenduit, & sic in summo bonorum omnium culmen obtinuit, ut creatura aliqua non unita Verbo capax maioris boni non sit. Nam si maioris boni Creatura aliqua capax fuisset, quod Anselmus dicit verum non fuisset; scilicet quod Virgo Beata tanta puritate fulsisset, qua maior sub DEO, intelligi nequiret;* Hinc Angelicus Doctor in 4. D. 30. q. 2. ar. 1. quæstiuncula. 1. *in B. Virgine debuit apparare omne illud, quod perfectionis fuit.* Hinc S. Bernardus Epist. 74. ad Canonicas Lugdun. *Quod*, inquit, *vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virgini esse negatum.* Quare ex sanctis Patribus quamplurimi gloriosissimæ Dei Genitrici, non modo sanctorum omniū, verùm etiam Angelorum, cujuscunque Hierarchiæ attribuunt privilegia. Audite jam citatum Cardinal. Damianum, qui postquam serm. 3. de Nativ. Virg. ostendisset gratiæ suæ plenitudine meritisque ad Redemptionem humani generis concurrisse Deiparam, subdit:

In B. V. debuit apparere omnis perfectio.

Et quid mirum si hæc ineffabilis Virgo in suis laudibus, modum humanæ vocis exuperat, cum & ipsam humani generis Naturam, excellentium meritorum dignitate transcendat. Non deniq; excellentissimus ille Patriarcharum numerus, non Iudex Apostolorum Senatus, non martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium Patrum, huic Beatissimæ Virgini poterit comparari. Redditque rationem, *quia gratia plena ab Angelo est salutata;* qua gratia exornata, cœlesti planè puritate refulsit, ut nulli vel minimæ labeculæ in ejus mente fuerit locum invenire. *Quod rogo vitium*, inquit devotissimus Cardinalis, *in eius mente vel corpore sibi potuit locum vendicare, quæ ad instar cœli, plenitudinis totius Divinitatis meruit esse sacrarium. In Christo enim sicut per Paulum dicitur, habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, nec mirum si cunctorum merita transcendit mortalium, quæ & ipsam super excedit celsitudinem Angelorum. Per hanc enim Beatissimam Virginem non solum amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo Angelicæ sublimitatis augetur, quia dum homo ad superna reducitur, illorum numerus, qui diminutus erat reparatur.* Hæc Damianus.

B.V. omnē Naturam humanam excellentia meritorū transcendit.

Maria Angelorum ruinas reparavit.

56. Quamobrem jure merito Ecclesia Tornacensi in antiquo suo Missali vocat Beatam Virginem omnium Sanctorum Kalendarium, quod eorundem in se cōplecteretur & virtutes & merita:

B.V. Omnium Sanctorū Kalendariū, qui illorū virtutes possedit.

Ingens humilis
Virgo nobilis
Virtute prædita.
Kalendarium
Habens omnium
Sanctorum merita.
Luce clarior
Cunctis serenior
Sola vocaris.

57. Quid referam sapientissimum Idiotam, qui in hac Virginea puritate, ac sanctimonia celebranda solito eloquentiorem pro suo in DEIPARAM affectu sese in sua de B. Virgine Contempl. cap. 2. ostendit. Quare summâ pietate Virginem alloquens: *Non defuit*, inquit, *tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non*

Nihil sanctitatis vel humanæ vel Angelicæ defuit B. V.

non scientia Prophetarum, non Zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia, aut humilitas Virginum, in summa nullo genere vacasti virtutum, ò Virgo plusquam Beata. Quodcunque donum alicui Sanctorum unquam datum fuit, tibi non fuit negatum; sed omnium Sanctorum privilegia omnia habes in te congesta. Nemo æqualis est tibi, nemo maior te, nisi DEUS, nam Spiritus S. supervenit in te, & virtus Altissimi obumbrans tibi, quæ eras omni virtutum ornamento prædecorata, pulchritudinem, puritatem, Sapientiam, & omnium virtutum gratiam adauxit & splendorem. Miranda illa obumbratio Spiritus Sancti, quæ te, uno momento Templum DEI irradiavit, & decorem tuum manifestavit & auxit: Sicut Sol in semper ornatum Thalamum incidens, gloriam occultam repentè nobis ostendit, & illustriorem fecit.

Nullus æqualis est B.V. nullus major nisi Deus.

Vt verò puritatem hanc Virgineam in omnium peccatorum vel levissimorum vacuitate, Filijque imitatione consistere ostenderet; hæc attexuit: *Tota igitur pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati sive venialis, sive mortalis, sive originalis non est in te, nec unquam fuit, nec erit, sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum, cœlestiumque donorum, quantum enim distat inter odorem & gustum aromaticæ speciei, tanta est inter contemplationem tuam, & aliorum Sanctorum distantia. Sicut enim singularem activam à Christi Nativitate incepisti ducere vitam, videlicet eius humanam & Divinissimam naturam portare, lactare, lavare, pannis involvere, fovere, nutrire, lenire, amplecti, osculari, cæteraque eidem humanitatis officia exhibere; sic & dulcedinem suæ Divinitatis tibi singulariter degustandam indulsit, quia tota pulchra eras, & macula non erat in te.*

B.V. ob Sanctitatē tota pulchra, nulla macula, vel originalis, vel venialis peccati aspersa.

58. Quid pientissimum Thomam de Kempis 3. Par. ser. 6. ad Novit. commemorem, qui virtutes omnes Sanctorum, ac Sanctarum tam veteris, quàm novi Testamenti, in Deipara congestas longè excellentiori, ac perfectiori modo reperiri affirmavit: *Recogitate*, inquiens, *diligenter antiqua Sanctorum Patriarcharum gesta, de quorum stirpe orta est Mater DEI MARIA, tamquam rosa inter spinas, sine spina. Sicut enim olim per multos Sanctos Viros, Patriarchas, & Prophetas, per Iudices, & Reges, per Sacerdotes, & Levitas, per Doctores, & Scribas, verbis, signis, & figuris prænunciatus est Christus DEI Filius, pro Mundi Redemptione nasciturus, & in Cruce passurus: ita convenienter satis, & sapienter ordinatione Divinâ præfigurata, & præconizata est Beatissima, ac devotissima Virgo MARIA per sacras illius temporis Virgines, per illustres Fœminas, per castas Viduas, per devotas Prophetissas, & per cæteras honestas Matronas in castitate viventes, atque ob pudicitiæ custodiam cum puellis suis in domibus, & cameris ab aspectibus Virorum inclusas. Hæc est reverà attestatione sanctarum Scripturarum omnium Virginum Virgo prudentissima, omnium Fœminarum pudicissima, omnium Puellarum speciosissima, omnium Matronarum honestissima, omnium Domicellarum venustissima, omnium Reginarum Regina nobilissima, in qua omnis decor Virginalis, omnis virtus moralis, omnis speculatio Theologalis, omnis devotio affectualis, omnis operatio virtutis, omnis perfectio Sanctitatis pariter conveniunt, inhabitant, & perfectissimè elucent, quæ nec ante similem, nec post se æqualem habet, nec habuit, nec habebit. Et sicut olim materiale Templum Salomonis, præ omnibus terrarum Templis decoratum, & latissimè nominatum, ac copiosissimè ditatum, magnificè à Regibus, & populis honorabatur, ita spirituale DEI Templum, quod est B. V. MARIA ab omni labe pura, super omnia Templa Sanctorum pravitet, & ideò ampliùs honorari debet & amari.* Hactenus Thom.

In B.V. omnes virtutes Sanctorum veteris & novi Test.

B. V. Virginū omnium prudentissima, ac pudicissima.

Vt Templum Salomonis præ omnibus alijs Templis erat illustrius; sic B.V. præ omnibus Sanctis excelluit.

59. Quid B. Patriarcham Iustinianum commemorem, qui sermone de Nativ. B. Virginis puritatem atque Sanctitatem illam, gratiæ ipsius plenitudini, quâ veluti Solis perfusa radijs Aurora totum illustravit Orbem, omnesque Sanctorum Stellas obfuscavit, adscribere visus est: *O Beata*, inquiens, *inter fœminas, cuius gratia hominum, ac Angelorum transcendit Naturam. Propterea Angelicus Nuntius de cœlo missus ad Virginem, tam officiosè eam salutavit: Ave gratia plena. In eius ortu lætati sunt Angeli, decantaverunt quoque laudes DEO, promulgata est pax humanæ speciei, cœpit aboleri opprobrium, fugatisque tenebris, quæ totum occupaverant Orbem, radios suos rutilans Aurora profudit, Solis quippè Iustitiæ irradiata fulgore placidum in se aspicientibus præbebat aspectum. Quæ enim sanctificata in utero, omnique originalis fuerat liberata contagio, gratiæ plenitudinem quam mente perceperat, protendebat exteriùs. Illam profectò in Matris utero adhuc recumbentem adamavit Verbum, sibique in Genitricem elegit.*

M. Aurora Solis Iustitiæ irradiata fulgore placidum in se aspicientibus præbuit aspectum.

B. V. sanctificata in utero Matris, fuit à Verbo adamata.

60. Quare crediderim potissimum ob hanc puritatis, & Sanctitatis inter omnes Sanctos excellentiam, Deiparam jure merito vocari à Sponso Cant. 6. Vnicam Columbam, velut unicam inter

omnia volatilia Phœnicem Avem rarissimam: *Vna est Columba mea, perfecta mea, una est Matris suæ, electa Genitrici suæ.* Quæ verba expendens Rupertus Abbas lib. 6. in Cant. postquam explicuisset verba illa: Sexaginta sunt Reginæ, & octuaginta Concubinæ, & Adolescentularum non est numerus, dixissetque, varios Sanctorum Ordines hiscé designari, addidit tandem nullam ex illis Sanctorum animabus, Reginæ cœlorum posse cōparari: *Quid,* inquiens, *est hoc dicere, nisi quod etsi multæ sint fideles, & propter fidem, quæ per dilectionem in eis operatur, laudabiles, nulla tamen earum tibi similis est, sicut veraciter prædicamus, quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem. Nam Reginæ certè dicuntur illæ animæ, quæ perfectæ charitatis sunt, in eo videlicet, quod in eundem Dilectum tuum sequentes, nil terrenum, sed ipsum solum quærunt, nec propter metum gehennæ, sed propter amorem vitæ æternæ peccatum fugiunt, virtutemq; amando, iniquitatem oderunt.* Concludit tamen pijssimus Abbas: *Vna est Columba mea, una, inquam, est, & similem non habet. Omninò nec inter Reginas ulla huic similis est. Cui Matri suæ una? Cui Genitrici suæ electa? Nimirum Matri suæ Hierusalem una est, illi Hierusalem, quæ sursum est, quæ est Mater omnium nostrum, & Genitrici suæ, scilicet antiquæ Ecclesiæ electa est, Ecclesiæ Patriarcharum, & Prophetarum, ac Regum iustorum, quorum de carne progenita est, quorum secundùm fidem benedictionis, quæ ad illos repromissa erat, ianua, vel materia est, & illi Matri, & illi Genitrici unica, & electa est, quia nec inter Angelos, nec inter homines similem vel primam habet, vel sequentem habitura est. Verè Columba, quia gratia plena, verè electa, quia non solùm salva extitit, verùm etiam ipsam Salutem peperit.* Tandem ob hanc singularem Sanctimoniam, eam ab omnibus tam Cœlicolis, quàm terrigenis laudatam, celebratamque asseruit: *Viderunt eam Filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, Reginæ & Concubinæ laudaverunt eam; Quibus contineri,* ait, *Virginis adimpletam Prophetiam: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; maximè ob singularem illam Sanctitatem, in qua vera hominis, tam inchoata in hac vita, quàm perfecta in æterna illa, beatitudo consistit. Nonné secundùm præsentem literam,* pergit Vir Virginis devotissimus, *& Generatio Reginarum, & Generatio Concubinarum, & Generatio Adolescentularum, nonné, inquam, omnes hæ generationes beatam dicent illam? Revera etsi impares meritis, attamen fide consimiles, ecce vident illam, ecce contemplantur illam unam, illam electam, & cum admiratione ineffabili, voces extollunt iugiter, ex omnibus locis suis, talem laudantes, talem beatissimam prædicantes, non solùm hic in isto exilio mortalitatis, ubi eam vident dominantem, & dominando possidentem Regnum Dilecti, eò videlicet iure, quo decet Matrem possidere Regnum Filij sui.* Sic ille.

Inter omnes Sanctos Maria est unica Columba Sāctitate.

Quæ animæ dicantur Reginæ?

M. Filia cœlestis Hierusalē.

M. Filia Ecclesiæ Patriarcharum, Prophetarum, ac Regum.

M. Beatā deprædicant omnes generationes.

Beati in cœlo fœlicem & beatā deprædicant Mariam.

61. Hanc denique Sanctitatis, puritatisque Virgineæ super omnes Sanctos excellentia Seraphicus Bonaventura ex ipsa Salutatione Angeli: *Aue gratia plena,* Plenitudinē supereminentiæ appellavit: *Plenitudo,* inquiens, *gratiæ, est plenitudo supereminentiæ, quâ aliquid dicitur cæteris præeminere; & hæc plenitudo fuit in Beatissima DEI Matre, quæ omnia dona, quæ alij Sancti acceperunt, in parte, ipsa omninò habuit in plenitudine. Nam sicut in capite sunt omnes sensûs: sed in alijs partibus corpore tantum est sensus tactus: Sic Domina nostra omnia habuit DEI dona, quæ in Sanctis alijs sunt divisa. Vnde dicitur, in plenitudine Sanctorum detentio mea. Et est sensus, totum teneo in plenitudine, quod alij Sancti tenent in parte.*

M. fuit gratia plena plenitudine supereminentiæ

Sicut in capite sūt omnes sensûs; sic in B. V. omnium Sanctorum pfectiones.

62. Imò ipsa Virgo adeò perfusâ gratiâ, adeò sancta est, ut Sanctitatem suam alijs Sanctis cōmunicet, eamq; suis apud Filium intercessionibus conservet. Vnde Hugo Cardin. de S. Charo ita loquentem illam introducit: Ego detineo Sanctos in plenitudine sua, ne minuatur, detineo Christum, ne eis peccantibus irascatur, detineo Dœmones, ne noceant, detineo virtutes, ne fugiant, detineo merita, ne pereant. Singularis est planè Virgo in tali detentione. Vnde ipse Dominus Isa. 49. ajebat: *Non est qui consurgat, & teneat me.*

Atque hæc de Dionysij Sanctitatis definitione, in quantum est Puritas ab omni scelere libera, dixisse sufficiat, quæ cùm in Virgine perfectissima, atque eminentissima fuerit, eminentissima atque absolutissima quoque Sanctitas omnium Cœlitum Sanctimoniam excedens extiterit, necesse est.

63. Quod si ex sententia Andronici, Sanctitas est virtus, quæ facit homines fideles, & servantes ea, quæ ad DEUM justa sunt. Quis, DEUS immortalis, hâc Virgine, sive respectu DEI, sive hominum, fidelior unquam extitit? Atq; ut de Fide Theologali taceam, quæ in ea fuit, uti & virtutes reliquæ, excellentissima, fides illa certè, quæ in promissis servandis

Sanctitas est virtus quæ facit hominem fidelem erga ea quæ ad DEUM justa sunt.

vandis attenditur (siquidem Divo Gregorio teste: *Tunc veraciter fideles sumus, si quod verbis promisimus, opere adimplemus*) in MARIA Sanctissima adeò resplenduit, ut DEO hominibusque eam redderet quam acceptissimam. Vnde tota Ecclesia hanc ejus fidelitatem admirata illi concinit: *Virgo fidelis*. Quam verò eximia, quam pulchra sit hæc virtus, vel per se spectata, indè sanè colligi potest, quod à Plat. lib. 1. de Legib. & Eusebio, qui ex eodem desumpsit lib. 12. de Præpar. Evang. cap. 1. præponitur cæteris virtutibus; Virumque fidelem auro omni, atque argento meliorem pronunciat, negatq; sine omnium virtutum satellicio, fidem perstare posse, si procella aliqua, aut turbo ingruat. Vnde addit fidem, perfectam, justitiam appellari posse. Eandem Seneca Philosophorum Sapientissimus Epist. 89. *Sanctissimum humani pectoris Bonum* vocitavit; quæ nullâ necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Cassiodorus denique lib. 2. Epist. 40. pulcherrimum fidelitatis pertexuit encomium. *Cunctis*, inquiens, *laudibus preciosior fides, quam Divina diligunt, mortalia venerantur: Nam inter Mundi fluctuantes procellas, unde se humana fragilitas contineret, si nostris actibus mentis firmitas non adesset. Hæc inter socios amicitiam servat, hæc Dominis purâ integritate famulatur, hæc superna Maiestati reverentiam piæ credulitatis impendit: & si beneficium tantæ rei latius quæras, immutabilis fidei est, omne, quod benè vivitur;* Quæ fidelitatis encomia post Divinam illam, de qua canit David; *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & Sanctus in operibus suis;* Marianæ fidelitati, quâ se tã DEO, quàm hominibus fidelissimam semper exhibuit, aptari, ut per se clarum est, verissimè possunt. Adeò Divina, adeò admirabilis est; hæc Sanctissimæ hujus Virginis fidelitas.

M. fidelis in servandis promissis.

Fidelitas virtus præstantissima

Fidelitas omnium virtutum requirit satellicium.

Fidelitatis laudes.

64. Et verò quis eam in adimplenda promissione illa, quâ votum Virginitatis, dum adhuc Materno detineretur in utero, imò in primo Conceptionis instanti, accelerato rationis usu, ut aliqui volunt, votũ vovit DEO, & semp servavit. Quis, inquam, fidelitatem ejus non admiretur, non obstupescat? Proposita siquidem illi ab Archangelo Gabriële DEI Maternitatis dignitate, non priùs assentiri, voti religiosè memor, voluit; quam intelligeret, id totum absque Virginitatis dispendio peragendum;

M. votum Virginitatis in utero Matris adhuc existens, Deo vovit.

Vnde modestè, soliciteque sciscitatur ex Angelo: *Quomodo fiet istud quoniam Virum non cognosco?* In quibus verbis Sancti Patres, Virginem Sanctissimam, primam omnium, votum Virginitatis emisisse cognoscunt.

65. Audiamus Gregorium Nyssæ Epis. Orat. de Christi Nativitate: *Audi puræ Virginis vocem;* Angelus partum denunciat, at illa Virginitatem amplectitur, inquit ille: *Interdicta est mihi*, ait Virgo, *viri consuetudo, ut virum cognoscam, fieri non potest, quo pacto mihi continget? Si nuptiarum causa sumpta erat à Ioseph, quomodo Angelum de partu prædicentem, quasi re nova, & insolita, obstupefacta aversata esset, cùm prorsus speraret, se quoq; aliquando Matrem esse futuram? Sed quoniam DEO dicatam, ac consecratam carnem, velut sanctum quoddam Donarium intactam servari oportebat; Propterea etiamsi Angelus sit*, inquit, *ac de cœlo veneris, etiamsi supra hominem sit id quod apparet: attamen ut virum cognoscam fieri non potest. Quomodo Mater ero, absq; Viro? Iosephum enim Sponsum quidem novi, Virum autem non cognosco.*

M. prima omnium votum Virginitatis emisit.

Audiamus D. Augustinum lib. de S. Virginit. cap. 4. qui verba illa Virginis expendens: *Profectò non diceret Virgo quomodo fiet istud? Nisi se DEO Virginem ante novisset; non quæsiisset utiq; quomodo promissum sibi Filium fœmina paritura esset, si concubitura nupsisset.*

Audiamus denique B. Albertum Magnum, qui super Miss. cap. 82. *Beata Virgo est Mater omnium in Virginitate, quæ prima sine præcepto, consilio, vel exemplo Virginitatis munus DEO obtulit, per quod omnes Virgines per imitationem Virginitatis genuit.*

66. Hoc voto porrò, sicut ex puro DEI amore Virgo fidelissima Divinæ illi, summæque se consecravit Majestati; ita eodem amore succensa, solicitè, ac fideliter observare studuit, adeò ut ne DEI Matris, uti dixi, propositâ dignitate, votum infringere statuerit. Quod DEI Filius Fidelissimæ Virginis obfirmatæ voluntatis intuendo propositum, amorem amore, fidem fide, compensare decrevit. Atque ita amore in Virginem vehementissimo, castissimoque exardescens, novo, hactenusque inaudito miraculo, ac prodigio ipsius Virginitatem illæsam conservando, suam efficiendo Matrem dignissimam, fœcundavit.

67. Intellexit mutuum hunc fidelissimũ

ferventissimumque amorem inter Matrem,& Filium S. Anselmus Archiepisc. Cantuar. lib. de Excell. B. Virginis c. 4. *Ostendit ergo*, inquiens, *ipse prius amorem, quem habebat erga Matrem Virginem, & amorem, quo nullum putemus posse esse maiorem, Matrem suam fecit illam, & Virginitatem illi non ademit. Ecquidem hæc duo ipsa iucundiùs amabat, scilicet Virginitatem & fœcunditatem. Virginitatem, quia hanc placere DEO, per omnia intelligebat; fœcunditatem, quia sine hac maledictionem legis, quæ adhuc carnaliter custodiebatur, incurrere metuebat. Vicit tamen in ea amor servandæ Virginitatis, & exclusit ab ea timorem incurrendæ maledictionis. Virgo itaq; & tenera, & delicata, Regali stirpe progenita & speciosissima totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, ut corpus & animam suam DEO Virginitate perpetuâ consecraret. Sciebat enim, quod quantò sanctiùs eam servaret, tantò sublimiùs ei. qui omnium castissimus, imò qui ipsa castitas est, appropinquaret. Amplectendo igitur quod acceptabiliùs Domino cognovit esse, legem superavit, sprevitq; maledictum datæ legi, & credidit reputans secum, illum, cui placere quærebat tanta Bonitatis, & tanta Sapientiæ, aut ante se, vel de se tutum consilium, ne quid peccati in istis subiret, inveniret; nec decepta est. Quis enim speravit in Domino, & derelictus est ab eo? Deniq; ubi tam sanctam intentionem eius, tam castum propositum eius, tam firmam fidem, constantem spem, & indeficientem vidit charitatem eius, misericordia sua intuitu egit circa illam, ut nec Sanctitas intentionis eius frustraretur, nec castitas propositi eius violaretur, ne aut sanitas fidei infirmata à spei constantia titubaret, aut charitatis in ea plenitudo deficeret. Dedit ergo illi, ut & Virgo quod magis optabat, permaneret, & ut nemo illam à maledicto legis liberrimam dubitaret, fœcunda fieret. Et unde fœcunda? De illo, sine quo omnis fœcunditas in sterilitatem convertitur, & igni consumenda succiditur. Et revera dignum fuit, ut eo in Virginem superveniente, illa fœcundaretur, quæ paritura erat DEUM, per quem totus Mundus salvaretur.* Hactenus Anselmus de Virginis fidelitate erga DEUM, in voto Virginis servando.

M. insignis erga DEŨ Fidelitas.

M. totam intentionem, ac amorem suum ad hoc intendit, ut se totâ DEO perpetuâ Virginit. offerret.

68. Eamdem Fidelitatem Virgo erga DEUM ostendit, cum dilectissimo suo Filio semper adhæsit, nec unquam ulla tribulatione aut angustia, aut ipsa morte se ab illo separari passa est. Observavit videlicet Virgo fidelis, & Sapiens Sapientis dictum illud Sapientissimum Ecclesi. 6. *Si possides amicum, in tentatione posside illum.* Verè enim Virgo possedit amicum suum Christum benedictum Filium in maxima illa tentatione, quando ex præcepto Patris æterni in Cruce inter duos latrones, opprobriosissimo mortis genere mori jussus est, & tamen Virgo fidelissima in tam gravi tentatione constitutum numquam deseruit, sed semper constantissimè juxta Crucem stans, dum ultimum Spiritum exhalaret immota ad instar invictæ palmæ, constansque perseveravit; ut non immerito cœlestis Spõsus hanc ejus demiratus constantiam ei dixerit Cant. 7. *Statura tua assimilata est palmæ.*

B.V. quam fuerit Christi in summis angustijs fidelis.

B.V. juxta Crucem consistit constans animo erecto, velut Palma.

69. Quod si fidelitas elucescit in celandis amici secretis, ac consilijs, Salomone teste Prov. 11. *Qui fidelis, est celat amici commissum.* Quis fidelior Virgine nostra fidelissima fuit? quæ, licet aliæ mulieres in secretis servandis, dolijs Danaidum, plenæ rimarum, hac illacq; diffluentium sint quam simillimæ, adeo ut garrulitatis, ac loquacitatis earum probè conscius M. Cato sapienter pronunciarit: *Sæpe se in vita pœnituisse, quod arcani quidpiam fœmina credidisset;* hæc tamen Virilis Fœmina, quæ utero suo purissimo Divinissimum illum Virum circumdedit in arcanis Divinis conservandis semper fidelissima extitit, adeo ut cum Isaia potiori jure dicere potuerit: *Secretum meum mihi, Secretum meum mihi.* Unde S. Evangelista Lucas non semel de ipsa scripsit: *Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Hinc Sponsus vittæ coccineæ labia ejus comparavit, Cant. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua Sponsa.* Quemadmodum enim vitta continet capillos ne diffluent, ita fidelitas Virginis, ejusque silentium Divina continebat arcana. Quod Virginis silentium quam gratum exstiterit Sponso, ipse testatus est, dum ejus ingenuum pudorem, verecundiam laudans, eamq; cum silentij, grato connubio socians, mox attexuit: *Sicut fragmen mali Punici, ita gena tua, absq; eo quod intrinsecus latet:* Sive ut legêre septuaginta Interpretes, *Sicut cortex mali Punici gena tua, extra taciturnitatem tuam.*

B.V. silentium insigne in cõservandis DEI secretis.

70. Fidelis quoque is censendus est, qui honorem Deo debitum non sibi usurpat, neque laudes ipsi proprias sibi attribuit. Quod fecisse vidimus DEIparam. Cum enim ipsam nimium quantum

B. V. fidelis in dando honore ipsi Deo.

quantum laudaret Elisabeth, laudes illas omnes in Creatorem, Dominumque universorum cui soli laus debetur, & gloria, devotissima voluntate convertit, magno spiritu Canticum illud modulando: *Magnificat anima mea Dominum, &c.*

71. Iam quid de ejusdem erga proximum in promissis servandis dicemus fidelitate? De hac pleni sunt libri, hanc quotidiana deprædicant miracula, atque exempla, quæ luculentissimè Virginem semper in suis promissis extitisse fidelissimam demonstrant. Si enim illa apud Salomonem Prov. 8. sese diligentibus, ejusque vestigia consectantibus æternam beatitudinem, vitam immortalem, perennemque pollicetur salutem. *Beati*, inquiens, *qui custodiunt vias meas, Beatus homo, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotide, & obseruat ad postes ostij mei; Qui me inuenerit, inueniet vitam & hauriet salutem à Domino;* quotidiana certè docet experientia, felicissimique illius clientulorum ex hac vita discessus, eam stetisse promissis attestantur. Ipsa enim morientibus materna prorsus pietate, ac charitate assistit, animasque magna pace, & tranquillitate exhalantibus ad æternam beatitudinem plurimorum Beatorum spirituum stipata satellicio deducit felicissimè. Quod sanctus Bonaventura cum intelligeret, ardenter magnoq; pietatis sensu benignissimæ suæ Patronæ côcinebat Psal. 24. *Ad te Domina leuaui animam meam in judicio DEI, tuis precibus non erubescam. Neq; illudant mihi Aduersarij mei, etenim præsumentes de te roborantur. Non praualeant aduersus me laquei mortis, & castra malignantium non impediant gressus meos. Collide impetum eorum in virtute tua, & cum mansuetudine occurre animæ meæ. Ductrix mea esto ad Patriam, meq; cœtui Angelorum digneris aggregare.*

M. erga homines fidelitas.

Maria fidelis hominibus in morte eis assistēs

72. Intellexit Virgineam hanc pietatē tribulatis exhiberi solitam S. Bernard. quando ser. 8. super qui habitat, illam plenam omnis consolationis sententiam edixit: *Ad omnem tentationem, ad omnem tribulationem, ad omnem deniq; cuiuscunq; necessitatem aperta est nobis Vrbs Refugij, sinus Matris est expansus. Parata sunt foramina Petræ, patent viscera misericordiæ D E I nostri. Hoc refugium, qui declinat, nil mirū si effugere non mereatur.* Intellexit denique hæc pietatis viscera à Deipara moribundis ostendi solere deuotissimus Thomas de Kempis, Canonicorum Regulariū S. Augustini lumen illustrissimum cum ser. 21. ad Nouit. eos est ad sedulum cultum Divæ Virginis adhortatus: *Eligite*, inquiens, *hanc Beatissimam Matrem Iesu præ cunctis parentibus, & Amicis vestris in Matrem specialem & aduocatam ante mortem, & salutate eam Angelica salutatione frequenter, quia hanc vocem audit valde libenter.* Plura de hoc argumento qui volet, consulat Disc. 11. de Misericordia Deiparæ.

In omni tribulatione ad sinū B.V. & ad Vulnera Christi cō fugiendū.

B. V. ante mortem eligenda in amicā, & Angelica salutatione sæpius colenda.

73. Libet interim aliquot exempla recensere, quibus Virgo Deipara erga suos cultores, ac clientes, eam Angelica salutatione piè venerantes sese fidelissimam, præsertim verò in mortis articulo declaravit. Refert B. Alanus de Rupe ord. Prædicatorum illustre sydus Par. 5. in Psalt. cap. 64. fuisse in Regno Hispaniarum cujusdam potentissimi Comitis filiam, nomine Mariam, quæ ab ineunte ætate à parentibus edocta, ac etiam munusculis illecta, in dies singulos Psalterium illud Virginis 150. Angelicis salutationibus constans ita recitabat, ut primam quinquagenam ante prandium; alteram horis pomeridianis; ac tertiam denique junctis manibus, flexisque genibus antequam quieti sese dederet, maxima cum pietate persolveret. Cultum hunc gloriosissimæ Virginis etiam nuptui tradita numquam intermisit, verum alijs pietatis exercitationibus in honorem ejusdem Dei Matris cumulavit. Post singulas enim quinquagenas diverberationem, sibi 50. inflictis ictibus, addere fuit solita. atq; ita in Psalterio, & tympano Patronam suam fidelissimam laudare visa est. Accedebant his omnibus pietatis exercitijs altissimæ circa vitæ, passionis, ac mortis Christi mysteria contemplationes; singulorumque membrorum Deiparæ, singulis Angelicis salutationibus pientissimæ adorationes. Hunc precandi, Virginemque colendi modum cum aliquando cuipiam admodum Religioso Præsuli, à quo aliquot spiritualia documenta acceperat, summâ cum confidentiâ aperuisset, ita ad colendam Deipâram exarsit, ut mox ad cingulum Coronam Virginis appenderet, suæque Diocœsis oviculis, de miris Psalterij fructibus, magno spiritu, ac fervore verba faceret, quibus id demum consecutus est, ut tota illa civitas, mirifica devotione erga tam sanctam exercitationem exarserit, seseq; totam cultui, obsequioque Virginis manciparit. Co-

Maria Cōmitissa Hispana Psalterio à pueritia recitando B. V. intentā

Ad singulas Psalterii quinquagenas 50. ictus sibi infligit.

mitissa vero MARIA, ita Patronæ suæ benignissimæ experta est fidelitatem, ut ab illa certior, de incerta aliàs mortis hora fieri sit promerita. quæ ubi advenit, advenit & ipsa sanctissima misericordiæ Mater innumeris Angelorum Cœlitumque reliquorum concinentium choris, quos & alij audierunt, associata, animamque ipsius Solis instar radiantem, ad æviterna gaudia perduxit. Concludit tandem B. Alanus: His auditis laudate MARIAM DEIPARAM, in Psalterio Angelico, hujus MARIÆ exemplo, ut & vos una cum ipsa ad Regna cœlestia perduci mereamini.

Moriens Comitissa vidit B. V. Angelis sociatam ad se venire.

74. Idem B. Alanus cap. 63. aliud longè admirabilius Virgineæ fidelitatis recenset exemplum de nobili quadam fœmina Hispana, nomine Lucia, quæ à Saracenis Regnum Granatæ occupantibus, in captivitate 15. ætatis suæ anno abducta, marito immaniter trucidato, ipsaque barbarè, impieque habita licet gravida, Tyranno traditur. Ancillaq; ancillarum reliquarum facta, seruire cogitur.

Fœmina hæc hortatu Divi Dominici à primis annis cultui DEIPARÆ fuit addictissima, eamque salutationibus Angelicis, ipsius recitando Psalterium, magna pietate venerabatur. Non defuit clientulæ suæ Virgo fidelis in tanto vitæ utriusque hominis, prolisque ipsius discrimine. Vbi enim tempus partus advenit, quod plane in ipsum Dominici Natalis diem incidit, partus Virginei memor, in stabulum clam omnibus sese recepit, & acerbissimis, ut pote primi partus arctata doloribus, pro unico solatio DEI Matris Psalterio utebatur, & piè admodum quantum per intensissimos cruciatus licitum fuerat eidem persolvebat. Adfuit mox angustiatæ inquit idem B. Alanus Regina clementiæ, quæ sua viscera sibi servientibus claudere nescit, & obstetricis munere functa infantem excepit, abluitque. Adest illico Sacerdos specie venerabilis, ipse Christus Dominus mira luce fulgescens, eamdemque manibus, pedibusque, latereque sacrosancto ad instar stellarum evibrans, puerumque baptizat, eidemque Mariani nomen imponit. Sacro fonte abluto infante eum Virgo beatissima tradit Luciæ: *Ecce filia*, inquiens, *Filium tuum: confortare, & persevera: in posterum enim de cœlo tibi auxilium spondeo.* Accepto Filio Lucia; tam insignibus cœli favoribus recreata, illo in stabulo sacris contemplationibus Psalterijque recitationi intenta, exemplo DEIPARÆ usque ad diem ejusdem Purificationis permansit, miro pietatis in DEI Matrem adeo benevolâ semper exardescens affectu. Itaque diei illius illucescente Aurora adolescens quidã forma pereleganti cœlesti luce circumfusus eam invisit atque ita affatus est: *Quia non es purgata more Christianorum, prepara te, ut more fidelium purgeris.* Ad quem ipsa: *Domine*, inquit, *nec hic Ecclesia est, nec Sacerdos, nec populus fidelis.* Intulit mox Adolescens: *Imo vero. nunc ego te ducam ad Ecclesiam pulcherrimam, ubi videbis admiranda.* Quibus auditis illico Lucia, duce viæ iuuene illo, perexit, Ecclesiamque quandam admirabilem ingressa est, cui præ foribus SS. Anna, & Magdalena obviam factæ eam ad DEIPARAM deduxerunt. Quam illa benignè salutans: *Quia sæpius*, inquit, *per Psalterium præsentasti mihi Filium meum, nunc ego te quoq; ipsi præsentabo cum Filio.* Comparet interea Christus Dominus, qui ejus Filium specie Sacerdotis salutari tinxerat lavacro, Missamque solenni melodia accinentibus Angelis inchoavit. Vbi ad offertorium ventum est, B. V. Luciam offerre jubet cereum sibi datum, 15. lucernis mysteria totidem SS. Rosarij repræsentantibus exornatum. Oblato cereo, & ipsius Christi Domini manibus cœlesti pane refecta, à DEI Matre ad portam Templi deducta est; ad quam deinde conversa; *Tene, inquit, Filia quod accepisti, & in opere incœpto persevera, ducam enim modo te in terram tuam.*

B. V. Luciã sibi devotè Psalterium recitantem in captivitate consolatur.

Christus infantem Luciæ baptizat.

Atque ita circa horam decimam in Ecclesiam S. Iacobi de Compostella (erat enim compostellana licet postea maritum secuta inde discesserit) magna sui admiratione, ministerio sine dubio Angelico una cum Filio Mariano sese translatam fuisse reperit. Lucia tantis DEIPARÆ Virginis non ingrata beneficijs, nil antiquius habuit, quam ut cum Filio sese in solitudinem, sacris mysterijs Rosarij contemplandis intenta reciperet. Vbi cùm plures annos in Divinæ Matris servitio, Psalterijque devotâ recitatione exegisset, animam gloriosè, fœliciterque in præsentia DEIPARÆ exhalavit, quam illâ ingenti cum lætitia ad æviterna gaudia perduxit. Marianus interim ejus Filius in eadẽ solitudine, obsequio

Lucia in præsentia B. V. piè moritur.

sequio totus Virgineo mancipatus, virtutibus eximijs, Divinisque reuelationibus clarus, Psalterio, exemplo Matris, assiduè Dei Parenti laudes modulans, magnaque cum pietate de more consalutans, ab eadem in mortis suæ articulo visitari meruit, inque ejus præsentia beato fine vitam terminavit. His recensitis B. Alanus narrationem suam hac aurea coronide insignivit: Ergo ò mulieres, ac parvuli, MARIAM Virginem, hoc instructi exemplo in ejus Psalterio laudate, semper ei dicentes: Ave MARIA, &c. Quod sane consilium si amplexi fuerimus, fideliterque Deiparæ hujusmodi pia obsequia detulerimus, fidelem illam quoque nobis tam in vita, quam in morte experiemur.

M. semper Psalterio & Salutatione Angelica veneranda, ut in morte propitiam habeamus.

74. Fidelitatem Virginis etiam hoc nostro sæculo in mortis articulo expertus est Adolescens Germanus Lutheri infectus labe, de quo suffraganeus Bambergensis Fridericus Fornerus, Doctor Theologus quadam sua Epistola ad amicum Monachij degentem scripsit Anno 1608. 4. Ian. Hic enim cum aliquando pro Concione intellexisset Deiparæ sedulos cultores, ac clientes male perire, salutisq; dispendium subire minimè posse, statuit deinceps diebus singulis in laudem ipsius salutationem Angelicam aliquoties recitare. Placuit Deiparæ Adolescentis hujusmodi pietas. Salutationes hæ, salutem ipsi omnino peperere. Virgo enim obsequijs illis se vinci minimè passa, pro consueta sua in omnes charitate, lumen ei tanquam re ipsa, ac nomine Illuminatrix ad perspicienda Catholicæ Religionis dogmata cœlitus infundi impetravit, quo ante mortem mirificè illuminatus, veritati manus dedit, & ejurata hæresi fidem Catholicam professus, ante obitum videre, benignissimo amabilissimoque vultu Deiparam suo lectulo adstantem meruit, in cujus manus sinumque animam fœlicissimè exhalavit; atque ita salutem devotè adprecando Virgini fidelissimæ, æviternam salutem consecutus est.

Lutheranus salutationem Angelicā recitans converti tur, & adstāte B.V. fœliciter moritur.

75. Ex quibus omnibus clare perspicimus gloriosissimam Dei Matrem hominum esse amicam fidelissimam, utpote quæ nos in tanto periculo salutis constitutos, dum animam agimus in conspectu ipsorum Tartareorum hostiū verè Leonum rugientium præparatorum ad escam, non deserit, sed tuetur, sed pro nobis pugnat, ne absorbeat nos Tartarus, ne cadam⁹ in obscuras illas, atq; exteriores tenebras. Quare præclarè Vetus ille Poeta Ennius: *Amicus certus in re incerta cernitur.* Quod si verum est illud, quod Magnus Gregorius pronunciavit; *Nil certius morte, nil incertius horâ mortis;* profecto magna mortalium amica ostenditur Deipara, quæ in incerta hora mortis, discriminum plurimorum plenissima nobis adesse non dedignatur. Quod si verum etiam est pronunciatum S. Augustini lib. 83. qq. q. 71. *Nihil sic probat amicum quam oneris amici portatio;* Sane amicissima censeri debet Virgo nostra, quæ nos gravi moriendi necessitate, velut ingenti pondere oppressos, ac pene succumbentes, tam mira benignitate, charitateque sublevat. Quo circa potiori jure elogium illud atque benedictio, à Noemi attributa Boozio: *Benedictus sit Booz à Domino, quoniam eamdem gratiam, quam prabuerat vivis, seruauit & mortuis.* Ruth. 2. 10. debetur Deiparæ. Proinde merito illi ab omnibus dicendum: *Benedicta sit à Domino Domina nostra, quoniam eandem gratiam, quam prabuerat vivis, sub sua illos protectione fovendo, seruauit & morientibus, & mortuis, dum eos in utroq; statu, solita sua charitate à Tartareis hostibus defendit, deq; Purgatorij ergastulis potenter eripit.* Quare Lilij Gyraldi Amici pulcherrimum illud Hieroglyphicum aptissimè Virgini quadrat. Repræsentabatur hic olim specie Iuvenis pulcherrimi aperto capite, simplici erat amict⁹ tunica, in cujus extrema fimbriâ visebatur epigraphe: *Mors, & Vita.* Talis prorsus est Deipara, amor ejus in nos semper viret, vigetque & non senescit, simplex est, ac minime fucatus, honorat nos ultra omne nostrum meritum, dum nos lectulo affixos in tantis miserijs constitutos invisere pijssimè nō dedignatur, dum nobis deniq; & in vita & in morte fidelissimè patrocinatur.

Quis sit verus Amicus?

B. V. veri amici officio fungitur, dum nobis morientibus assistit.

M. benedicenda, quod morientibus assistat.

Amici synceri Hieroglyphicum.

76. Quod si fidelis is demum amicus censendus est, qui candidè, liberè aperteq; nos de nostris admonet erroribus, imperfectionibus, ac vitijs; eaque acriter reprehendit, fidelissima certè diceda erit Deipara, quæ suos sibi dilectos amicos, ac clientes sincerè increpare, ac corripere benignitate plane materna consuevit. Ita corripuit Catharinam Filiam B. Brigittæ, quæ cum affectu inordinato revisendæ patriæ tenere-

Amicus syncerus est qui errores alterius acriter corripit.

S. Catharina, S. Brigittæ Filia à B. V. reprehenditur, quod Matri non obedierit.

tur, Matrique obtemperare detrectaret, per quietem, visione quadam horrifica sui officij admonita est. Videre sibi visa est totum mundum conflagrantem, seque incendio illo horribili circumdatum adeò, ut nusquam posset evadere; tremefacta tam horribili spectaculo Catharina, undique circumspiciens conspicata est misericordiæ Matrem; ad quam recurrens: *O mea charissima Domina,* inquit, *adiuua me.* Cui Virgo: *Quomodo possum te iuuare, siquidem adeo feruenter desideras in patriam ad tuos amicos, & cognatos remeare? Negligis votum DEO tuo factum, facta ipsi mihi, Matri quoq; tuæ, & Patri spirituali inobediens.* In his angustijs constituta Catharina parere decrevit, & ad Deiparam conuersa: *O benignissima,* inquit, *Domina mea, libenter amplectar quidquid mihi iniunxeris.* Subintulit mox Deipara: *Esto ergo obediens Matri tuæ, & Patri spirituali. Ego vero ex parte mea hoc volo, ut facias, mihiq; placituram scias, si videlicet Matri tuæ obtemperaueris.* Vbi evigilavit Catharina, mox ad Matrem accurrit, flexisque genibus culpam deprecata est, quâ graviter Deum in primis, ejusque Matrem, ipsamque offenderat, spopondit que se in posterum sub potestate ejus usque ad mortem futuram: recensitaq; totius rei gestæ serie, Mater lætitia plena exclamasse fertur: *Hæc mutatio dexteræ Excelsi, sit ipse benedictus, qui diligentibus se omnia facit cooperari in bonum.* In Vita S. Cathar. c. 6.

M. voluntas est, ut obediatur Parentib9 etiam spiritualibus

77. Eadem benignitate materna alteram illam Catharinam Virginem Senensem corripuit Deipara, cum aliquã do Divinarum rerum contemplationi intenta, oculos curiosè tantisper alio convertisset, quæ reprehensio benignissima, eam in mente, animoq; Catharinæ sortita fuit vim, atque energiam, ut ubertim decurrentibus lacrymis, defectum illũ deplorarit, ut ipsemet B. Raymundus, qui ei fuit à confessionibus in ejus vita contestatus est.

S. Catharina Sen. à B.V. reprehensa, quod in orat. circũspexerit.

78. Eadem amicâ fidelitate Virgo in quodam Cisterciensis Ordinis Religioso corripiendo, usa est, qui cum esset Medicinæ peritus, varijs antidotis, ac præservantibus medicamentis suam valetudinem, cuticulamque, nimia solicitudine curabat, eamque ob causam ad captandam fortassis auram frequentius divagabatur. Hunc Virgo benignissima pro affectu illo suo, quo totum illum sacrum complectitur Ordinem, acriter increpuit. Cum enim vice quadam psallentium Monachorum chorum esset ingressa, reliquisque omnibus ex aurea pyxide suavissimum quoddam Divina prorsus dulcedine conditum, refertumque Electuarium proprijs manibus magnâ charitatis significatione esset, illo neglecto impertita, & ipse quoq; sibi hujusmodi fieri gratiã expectaret, ad ipsum conversa dixit: *Tu meo Electuario non indiges, quia medicus es, & plurimas tibi impendis consolationes.* Hac ipse increpatione Virginis tam benignâ correptus, aliam longè vitæ suæ rationem inijt, dignumque se reddidit, quem misericordiæ Mater die quadam sibi sacra, suos more suo revisens filios, eosque cœlesti illo reficiens electuario, propius accederet, ac præterea mirâ se affantem benignitate audiret. *Quia, te commendasti, tuisq; medicamentis, mea prætulisti, ecce de meo electuario, sicut & ceteris tibi impertior.* Quo degustato tanta suavitate, dulcedineque devotionis perfusus est, ut deinceps terrena omnia non modo antidota, verumetiam delicias, vanitates, divagationesque asperriaretur, religiosæque quietis mirâ dulcedine delinitus, in sua cella velut Cœlo commorans, rerum Divinarum contemplationi totũ sese dediderit.

B. V. Monachũ de sua curanda valetudine nimium solicitum corripit.

B. V. electuarium, quod suis impertitur, dulcissimum.

79. Sensum hunc benignissimæ Virginis assequi visus est D. Bernardus, dilectissimus ejus Filius, qui de purissimo ejus lacte ubi semel degustasset curiosa hujusmodi, nimiâque solicitudine quæsita pharmaca aspernatus, graviter suos Monachos increpuit ser. 30. in Cant. ubi cum præmisisset exemplum Divi Pauli semetipsum, abnegantis, ac sensualitatem, nimiamque sui curam mortificantis dicendo Gal. 2. *Viuo ego jam non ego; viuit vero in me Christus;* docuissetque, animæ portioné, esse carnalem ejus affectum, & vitam quam administrat corpori; quam animam spernebat Paulus præ se, paratus pro Domino, non solum alligari, sed & mori in Hierusalem, & sic perdere animam suam juxtà consilium Domini: Vbi inquam hæc, aliaq; similia præmisisset; tandem hæc magno spiritu subtexuit: *Quid vos hic dicitis, obseruatores ciborum, morum neglectores? Hippocrates & sequaces eius docent animas saluas facere in hoc mundo: Christus & eius Discipuli perdere. Quemnam nos è duobus sequi Magistrum eligitis? At manifestum se facit qui*

S. Bernardi grauis reprehensio in Religiosos de valetudine tuenda nimiũ solicitos.

Quinam sint Discipuli Christi, & qui Hippocratis.

qui si disputat: Hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori vel stomacho nocet. Profectò unusquisq; quod à suo Magistro didicit, hoc in medium profert. Num in Evangelio legistis has differentias, aut in Prophetis, aut in literis Apostolorum? Caro & sanguis pro certò revelavit tibi hanc sapientiam, non Spiritus Patris. Est enim carnis ista Sapientia; sed audi quid de ipsa nostri Medici sentiant: Sapientia carnis inimica est DEO. Et Sapientia carnis mors est. Num Hippocratis, seu Galeni sententiam, aut certè de Schola Epicuri debui proponere vobis? Christi sum Discipulus, Christi Discipulis loquor. Epicurus atq; Hippocrates, corporis alter voluptatem, alter bonam habitudinem præfert: Meus Magister utriusq; rei contemptum prædicat. Anima in corpore vitam, quam summo studio iste unde sustentet; ille unde & delectet, inquirit, atq; inquirere docet: Salvator monet & perdere: Qui amat animam suam, perdet eam. Videsne hâc sententiâ Magistri mei carnis Sapientiam condemnari, per quam utiq;, aut in luxum voluptatis diffluitur, aut ipsa quoq; bona valetudo corporis, ultra quam oportet, appetitur. Quid verò prodest temperare à voluptatibus, & investigandis diversitatibus complexionum, ciborumq; varietatibus exquirendis quotidianam expendere curam? Leguminа, inquit, ventosa sunt, caseus stomachum gravat, lac capiti nocet, potum aqua non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, pisces de stagno, aut de lutosa aqua mea penitus complexioni non congruunt. Quale est hoc, ut in totis fluvijs, agris, hortis, cellarijs reperiri vix possit quod comedas? Puta te quæso Monachum esse, non Medicum, nec de complexione judicandum, sed de professione. Parce obsecro primùm quidem quieti tuæ, parce deinde labori ministrantium, parce gravamini domus, parce conscientiæ alterius, qui de tuo singulari ieiunio murmurat. Frustra quidam sibi blandiuntur de exemplo Pauli hortantis Discipulum non bibere aquam, sed modico uti vino propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates. Qui attendere debent primum quidem Apostolum minimè sibi rem istam suadere, sed nec Discipulum æquè exposcere sibi. Deinde non Monacho hoc intimari, sed Episcopo, cuius vita tenera adhuc & nascenti Ecclesiæ pernecessaria esset. Timotheus hic erat. Da mihi Timotheum, & ego cibo eum, si vis etiam auro, & poto balsamo. Cæterum tu tibi ipsi dispensas misertus tui. Suspecta est mihi fateor tua ipsius in te dispensatio, & vereor tibi illud sub tegmine & nomine discretionis à carnis prudentia. Id te saltem volo admonitum esse, ut si tibi ista auctoritas Apostoli placet, de bibendo vino modico, quod ille adiunxit, non prætermittas. Hæc Bernardus ad suos Religiosos, quæ quam conformia sint increpationi illa à Diva Matre, tam amicâ fidelitate benevolentiâque Monacho illi nimium sibi, suæque valetudini indulgenti ad omnium Religiosorum cautelam, eruditionemque factæ, nemo non videt.

Querelæ tepidorũ Religiosorum circa cibos.

Vino utendum sed modico.

Timothei præstantia

80. Eâdem denique fidelitate Virgo Beatissima usa est hoc nostro etiam sæculo in corripienda singularitate Stephani Iustitij Ordinis Minimorum Oblati, ut vocant, qui An. 1612. 17. Sept. piè obijt. Cùm enim hic post diutinum oculorum dolorem omninò eorum usum perdidisset, & adverteret, se varijs impatientis animi motibus agitari, ut eis obviam iret, DEIPARAM in Advocatam elegit, varijs ei devotionis exhibitis obsequijs. In his cùm excederet, & maximè in abstinentia à victu, etiam naturæ necessario, vice quâdam ei ad mensam accumbenti apparuit DEIPARA, eumque ita increpuisse memoratur: *Cur singularis es in ista mortificatione, & abstinentia cibi?* Cùmque respondisset, se id facere ad subijciendam spiritui carnē, & ut peccata sua expiaret, denique ad DEO placendum. Tum DEIPARA benignâ severitate: *Desine in posterum singularis esse: satius est te conformem cæteris vitam ducere.* Adeò porrò erat Virgini devotus, ac familiaris, ut aliquando è Templo egredienti occurrerit DEIPARA, eumdem blādè allocuta, suaviter deosculata fuerit ob Angelicam ipsius puritatem, ipsique varia DEI dona à Filio, ut Prophetiam, Scientiam infusam, ac miraculorum perpetrandorum gratiam. Kal. DEIP. 17. Septemb.

B.V. Religiosum in Refectorio singularem reprehendit

Stephani Iustitij virtutes.

B. V. eum amplectitur & osculatur ob Angelicā ipsius puritatem.

81. Quid de alijs ejus promissis fidelissimè servatis dicam? Celeberrimũ est illud Eccle. 24. *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Quæ promissa quam fideliter Virgo fidelissima observet, luce meridianâ, evadit clariùs. Quis enim obsequio, ac cultui, ipsiusq; celebrandis laudibꝰ sese impendens, opiparo cuipiam symposio, ferculorum delicio sissimorum varietate apprimè instructo, harmonicisque concentibus exornato sibi adesse non videatur? in quo velut illa æternæ beatitudinis mensa, quo ampliùs absque ullo fastidio vescuntur, eò magis ipsorum esuries, ac fames exacuitur;

B. V. laudes similes lautissimo convivio, quod parit oblectationem.

cuitur; quò magis ab ubertate Dom⁹ Dei inebriantur, tantò magis sitibundi ad perennis illius vitæ fontem anhelant.

B.V. sitim atque esuriem nostram spiritualem suis gratijs explet

82. Sitim porrò hanc, atque esuriem, abundantiâ, atque plenitudine suarum gratiarum, in amatoribus, clientulisque suis videtur Virgo Beata exacuere, dum eis copiosissimè illas pro innata sibi liberalitate communicat. Audiendus hic S. Bernardus serm. de Nativ. B. Virginis, Maria, inquiens, *plena est gratia, & gratiam adhuc invenit. Digna prorsus invenire quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono: Sed quemadmodum scriptum est: Qui bibit me adhuc sitiet, petit superfluentiā ad salutem universitatis.*

In scribendis Mariæ Laudibus fœlicitas, ac facilitas.

83. Quare Vir quidam Religiosus, Virginique apprimè devotus, è sacra Cisterciensium Familia fassus est ingenuè, dum alijs rebus scribendis operam suam navaret, visum sibi quasi adverso flumine laboriosè admodum remigare; dum verò Virgineis laudibus celebrandis sese impenderet, perinde sibi esse, ac si Zephyris, Favonijsq; aspirātibus vela daret.

Qui B.V. obediunt, non confunduntur

84. In hiscé etiam Virgineis laudibus conscribendis impletur, & illa Deiparæ promissio: *Qui audit me, non confundetur, qui operantur in me, non peccabunt;* Seù, ut legunt Complutenses: *Qui obediet mihi non erubescet omninò: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Experiuntur enim omnes quicunque operam suam in Deiparæ extollendis encomijs posuerunt insignem animi puritatem, à peccatis omnibus præsertim gravioribus, remotissimam.

Sodales B.V. rubore & confusione digna obediendo Sodalit. legibus non committunt.

Eâdem experiuntur & hi, qui ejus legibus in Sodalitijs Parthenijs obediunt; qui non erubescunt omninò, hoc est, res dignas rubore & cōfusione, ope, auxilioque purissimæ, ac sanctissimæ Matris, non perpetrant, sed vitam omni labe puram traducunt.

Laudes B.V. elucidantes vitam æternam habebunt.

Experiuntur denique ejus laudum elucidatores, ac Præcones, Virginem fidelissimam promissum illud: *Qui elucidant me vitam æternam habebunt;* servasse fidelissimè, cùm eos postvarios communicatos favores, ac gratias, amore planè Materno ad æterna gaudia pducit.

Fulbertus Episcopus Carnotēsis dum infirmaretur B.V. ipsi lac suum præbuit.

85. Testatur hoc Fulbertus Episcopus Carnotensis, Vir egregiâ Sanctitate, & Doctrinæ laude conspicuus, qui uti Cardinalis Cæsar Baronius To. 11. An. 1028. scribit, cùm in laudem Virginis librum concinnasset, ejus præconia celebrasset, Basilicam tantâ Matre dignā in ejus honorem construxisset, aliaque suæ in Deiparam piæ, ac devotæ voluntatis signa demonstrasset, cùm aliquando ex afflicta valetudine decumberet, cum pientissima Dei Mater lecto affixum invisit, & in singularis amoris signus (ò pietatem obstupescendam, omniumque gentium vocibus, ac literis celebrandam) Virginea ubera sugenda præbuit, tandemque æternæ fœlicitatis participem reddidit.

S. Ildephonsus à B.V. veste Sacerdotali donatur.

86. Testatur hoc Archiepiscopus Toletanus Ildephonsus, qui nocte quâdam quæ festum expectationis partus Virginalis præcedit, post innumeros alios cœlitus sibi, Virginis intercessione exhibitos favores, ac gratias, in præmium suæ in Deiparam pietatis, ac dilectionis, in remunerationem suorum laborum, quos in conscribendis ejus encomijs, ejusque defendenda, libro peculiari, perpetuâ Virginitate pluribus annis exantlavit, veste Sacerdotali, quâ inter sacrificandum utimur de cœli prompta thesauris, proprijs illis, omni acceptione dignissimis tantæ Matris manibus donari, ac tandem immortalitatis cyclade aureâ vestiri meruit.

Quomodo tempore mortis intercessura sit B. V. pro suis devotis apud Filium?

87. Crediderim sanè pro his, alijsq; hujusmodi suis devotis amicis, ac clientulis, qui ipsam dum viverent Angelicis Salutationibus, alijsque pietatis obsequijs, nec non librorum variorum lucubrationibus in ejus laudem exaratis, prosecuti sunt, sub vitæ finem, id dilectissimo suo dixisse Filio, quod suprà memoratus Thomas de Kempis ser. 21. ad Novitios memoriæ prodidit.: *Fili mi dilectissime, miserere animæ Famuli & Laudatoris mei, sicut tu benè nosti, & vidisti, de cuius ore Sancti Angeli sæpiùs devotæ salutationis gaudia nunciarunt, qui etiam ad laudandum Nomen sanctum tuum & meum plures secum fratres invitare consuevit. Hic est Notarius noster, scribens sanctos Libros, & Amator sanctæ Crucis, libenter orans, & Psalmos cantans, qui audito Nomine sancto tuo & meo, reverenter se solebat inclinare, & geniculando salutare. Transiens per viam, & videns à longè Crucem, memor Passionis tuæ, exhibuit tibi reverentiam, inclinando se ad Crucem. Cernens etiam in Ecclesia, vel alibi pictam Imaginem meam, vel te in sinu meo iacentem, aut sedentem, vel quasi mortuum inter brachia mea pendentem, genua flexit & adoravit, &c. Memor ergo esto horum, Fili Charissime mi, & da eis nunc invenire misericordiam coram te.*

88. Quid

B.V. Messanensib9 per Epistolam promittit benedictionem, & protectionem.

88. Quid jã de illis dicam Virginis promissionibus, quibus ad Messanenses tertia Iunij ætatis suæ Anno 62. scriptis literis spopondit Civitati illi *benedictionem, perpetuamq; protectionem: Ob quod vos*, inquit illa, *& ipsam Civitatem benedicimus, cuius perpetuam Protectricem nos esse volumus.* Promissionem hanc quânam ratione adimpleverit, fusè perscribit P. Melchior Hincoffer, suo illo libro, quo auteticam Epistolam hanc Virginis ad Messanenses datam, demonstrat, ubi & quam largas Vrbi illi hactenus benedictiones impertita sit DEipara, & quânam ratione Protectricem ejusdem varijs bellorũ, famis, contagiosæq; luis periculis, hostium, Barbarorumque insidijs, se præstiterit, copiosè, simul, ac eruditè declaravit; ex quibus hic aliqua breviter attigisse sufficiat.

Ex Patrocinio B.V. Messanensibus orta fœlicitas.

89. Vbi inter cætera, quæ singularem in Vrbem illam Virginis benevolentiam contestantur reponit, prosperam illius Fortunam, jugemq; fœlicitatem, nec non fœcundiorum ingeniorum educatione, acmentium inauita Religione retinenda constantiam: *Ego*, inquit, *altiora huius rei principia mecum reputo, quod nempè cœlesti nutu factum sit, eam Civitatem inter tot, ac tantas rerum vicissitudines, nunquam potuisse labefactari, quæ aliquando cultus Deiparæ Virginis extitura erat perpetuum retinendæ constantiam, à tam præclara Epistola data tesserâ, domicilium; à qua neq; Fortuna tametsi volubilis repetere posset eam, quæ Divinitus ei destinata erat dignitatem. Post Tyrannorum enim Dominium, post varios Græcorum, ac Pœnorum motûs, Romani Consules, ac deinde Cæsares, ac multò post Gothi, Imperatores Græci, rerum in Sicilia sunt potiti. Tenuerunt eandem per ducentos Annos fermè Sarraceni, Hos Nortmanni debellàrunt, Nortmannos Suevi expulerunt; Suevos Galli expugnàrunt, Gallis Aragonij suffecti sunt, à quibus tandem ad Austriacos translatum Regnum, hodie in Hispanorum fœlicitate, ac potentiâ conquiescit. Atq; in tanta varietate, ita semper steterunt res Messanenses, ut qaamvis interdum concussa, nunquam eatenus verti potuerint, quin semper maiores suis posteris, meliorem relinquerent Civitatem, tanquam nati ad eam gloriam Viri, quam ex Virginis protectione non solùm consecuturi erant posteri, sed etiam inde velut à novis Vrbis incunabulis per omnes Religionis ætates perpetuâ serie, ad hæc usq; tempora propagaturi.* Commemorat deinde Messanensium antiquam militiæ rerum gestarum gloriam, quâ apud Romanos floruerunt, aliaque hujusmodi decora; quæ universa, nec non pleraque alia ante sæculum salutis patrata, præambula quædam, vel potiùs simulacra fuerunt ejus dignitatis, quam deinde contestatus Virginis amor, susceptæ semel in fidem Civitati, per omnes gloriæ gradûs conciliavit. Hic enim illis singularem illam in se pietatem, ac religionem instillavit. Hic illos in bello, ac pace, rebus afflictis, ac prosperis æquitate illâ generosâ animi, invictâque fortitudine obfirmavit, ita ut quilibet æquus rerum arbiter facilè judicare possit, tantam Vrbis laudem, fœlicitateq; ex repromissa illâ Virginis benedictione, ac protectione fuisse derivatã.

Messana dum à Gallis obsidetur, B.V. visa est in mœnibus, pro Civitate pugnans.

90. Ac in primis in promissa hac protectione Messanæ, fidelem se Virgo nostra, cùm sæpè alias, tum in arctissima illa Caroli Gallorum Regis obsidione ostendit. Cùm enim hic terra, mariq; Messanam obsedisset, acerrimèque mœnia Civitatis bellicis tormentis quatiendo, aliquot assultibus obsessos infestasset, incrudescente ex utraque parte conflictu; in ipso dimicationis ardore, subito fulgore Majestas DEiparæ Virginis supra muros Vrbis affulgens, candido spectabilis amictu in victoriæ signum, sed specie, atq; aspectu supra humanũ longè augustiore, pro Messanensibus bellatura, ad instar invictæ Bellonæ constitit.

Hâc præsentiâ Virginis Messanenses animati, magnam Gallorum stragem fecerunt, cùmque duo Viri primarij Regi adstantes telis icti, de repente exanimati corruissent, territus Rex præsentissimo periculo sese subtraxit, Gallique eum secuti fugam arripuere, quos eruptione facta generosi Messanenses persecuti sunt, eorundemq; opimis detractis spolijs triũphantes in Vrbẽ regressi sunt.

Messanenses circa festa B.V. ipsius protectionem experti.

91. Addit porrò P. Hincoffer rem memorabilem, Messanenses nimirum hujusmodi de hostibus victorias circa dies Beatissimæ Virgini sacros reportare fuisse solitos. Vnde postremâ die Præsentationis DEiparæ scribit Gallos devictos, castris cessisse. Die verò Virgineæ in cœlos Assumptionis gravissimè hostes Civitatem fuisse adortos, & oppugnantes Civitatem, fortissimè à DEI Matre expugnatos, ut etiam testatur Bartholomæus de Neocastro c.41. Hist. *Die 15. Augusti*, inquit ille, *hostes Pharios (id est Messanenses à freto Pharo sic dictos)*

dictos) impugnat, sed iuvante dexterâ Domine, devicti, & repulsi sunt hostes, relinquentes in campis plura corpora mortuorum, quos potentia Sacra Virginis Matris Christi, cuius gloriosam Assumptionem die illâ reverenter Pharij celebrabant, mirabiliter expugnavit. Audi quod in tota obsidione ista vix mortui fuerunt homines decem de Messanensibus; quod etiam mirabilius est, nulla de mulieribus ministrantibus necessaria bellatoribus tempore præliorum, cùm percussæ fuissent sagittis ballistarũ hostium, ex ipsis percussionibus mortua fuit.

92. Quod verò hæc omnia protectionis Virgineæ fuerint beneficia, idem Neocastro cap. 40. Hist. testimonio ipsorum hostium confirmavit. Ait enim potestate sibi factâ ab Alaymo Messanæ Gubernatore, & ab eodem assicuratos ad muros accessisse, atq; ita demũ locutos: *Viri Pharij per DEVM verum, & vivum, quem universa creatura recolunt, & adorant, dicite nobis, quale continuè prodigium videmus, & apparet nobis apertè, quod quædam Mulier albis amicta, adstans super muros vestros, hinc inde discurrit, tenens in manibus velamina, ex quibus tempore præliorum cooperit muros vestros, (ecce Virginis promissam Messanensibus protectionem) quam cum videmus, omnes dirigemus, & spiritus pugnandi à nobis eripitur, nec stare possumus facie ad faciem contra Vrbem, & sagittæ arcuum veloces tamquam è cœlo descendentes in exercitum nostrum immissæ lethaliter corpora mortuorum transfixerunt, adeò quæsitis turbis exercitas invenitur inexcogitabilis numerus mortuorum; & iam pestis mortifera transit in reliquos, ita ut nisi castra recesserint, vix ager sufficiat sepulturis. His dictis, cùm clamaretur ad arma, recesserunt. Scito fili, quod Mulier illa quam dicunt Gloriosa Virgo S. DEI Genitrix est, quæ populum Pharium sibi devotum semper pietatis, & potentiæ suæ pallio protegit, & gubernat; & sagittæ illæ, cùm nos à DEO sumus quem sequimur, à pharetra Divini iudicij contra nostros hostes immissæ fuerunt. Non enim, nisi Christi potentia, pro nobis fuisset & pietas, Pharius populus de multitudine gentium inopinatam victoriam habuisset.*

B.V. Messanam protegens hostibus terrorem incutit.

B. V. tela cœlitus in hostes immittit, simul ac pestem.

93. Censet porro P. Hincoffer in illa toties repetita in dies apparitione, Deiparam subinde alio, atque alio schemate sese hostibus visendam exhibuisse, aliquando enim candidâ amicta cyclade, velamen manibus gestans, quo propugnantes obtegeret apparuit. aliquando succincto limbo, velut pugnæ intenta, tela manu vibrans conspecta fuit: aliquando denique sinistra Vexillum Cruce aurea in area rubenti insignitum gestans, (quæ olim insignia ab Arcadio Imperatore contra Bulgaros fortiter depugnantes Messanenses, indepti sunt) dexterâ vero sagittas in hostes retorquẽs visa est.

B. V. defendens Messanã, varia specie apparuit.

94. In illa quoque celeberrima Victoria, quam Rogerius de Lauria de valida, ac numerosa classe Caroli, pro Iacobo Aragonio pugnans reportavit, mira prodigia præcessere, ex quibus colligere licebat, rursus ope Virginis hostes debellandos. De his iterum idem Neo Castro lib. Hist. c. 100. & 101. *Audite, inquit, verbum mirabile, quod nocte illa, quæ scilicet pugnam præcessit, cum foret mare tranquillum, clamor è pelago veniebat cum strepitu, nec intelligi poterat sonus ejus, licet teneret cum æquore terra pacem, nec ab aëre ventus irrueret, naues periclitari videbantur stridor rudentium, & arborum, aures percutiens singulorum audiri de longè poterat, minæ maris tanquam ululatus dolentium mirabiliter sunt auditi. Et cum cœli foret tranquillitas, igneæ lampades volitabant ab aere, velut trabes ardentes. Tunc canes quasi gementes, amaros, & horribiles ululantus ediderunt, & tempestiui galli tristia populis cecinerunt. Nocte illa Comes Atrebatensis somno sepultus, voce magna exclamauit: Rex Carole accipe vasa, & gentem tuam, quia plus ea sustinere non possum, priusquam rursus perdantur à Siculis. Video Aquilas vorantes gentem tuam, & alij captiui ducuntur* A FŒMINA GRAVIS ASPECTVS. *Pharij quoq; per eos bello disposito, cum pocula & gaudia sumerent, cum ponto & superis pacem tenent.* Et quæ tandem fuit illa Fœmina gravis aspectus nisi Virgo beatissima? quæ sedulam Messanensium curam, protectionemque suscipiens illa nocte, Palladiamque quandam gravitatem, terrore decoro sociatam induens, die sequenti hostibus Messanensium reddita fuit tota formidabilis.

Fœmina gravis aspectus dicitur Deipara.

95. Neque vero Virgo Deipara, sæviente bellorum turbine dumtaxat, verum etiam grassante pestiferâ lue suos Messanenses protexit, maximè circa annum 1348. quo præter contagiosam tabem, Dæmones quoque teterrimorum canum prodigiosâ specie homines dilacerantium, tota urbe grassari visi sunt. Qua de re Michael de Placea Ord. Min. D. Franc. 1. Par. Hist. c. 29. ita scribit: *Apparebant in prædicta Ciuitate, Messana videlicet, Dæmones in figura Canis transformati,*

B.V. Messanenses à peste liberat.

multa

Dæmones in specie canũ Messanenses invadebãt

multa damna Messanensium Corporibus inferentes; qui stupefacti, nemo est ausus domo egredi, tamen de communi assensu omnium, de voluntate Messanensis Archiepiscopi, Civitatem cum Litaniis devotè circumire statuerunt. Et dum ingrederetur universa plebs in Ecclesiam niger canis, manu ensem extractum deferens apparuit inter eos, & fremens irruit in eosdem, & omnia vasa argentea, lampades, & candelabra in altaribus existentia fregit, ac conquassavit. In cujus rei visione omnes semimortui in faciem se unanimiter prostraverunt: sed dum post moram vires resumentes surgunt, dictum canem de Ecclesia egredientem intuiti sunt, quem nemo fuit ausus insequi, vel illi appropinquare. Messanenses hujusmodi mira visione territi, mire facti sunt omnes timidi. Quapropter ad B. M. V. de Scalis per milliaria duo à Civitate Messana distantem, discalceatis pedibus cum processione Sacerdotali communiter ambulare statuerunt. Ad quam appropinquantes, Virgines omnes unanimiter devotissimè genua flexerunt cum lacrymis, DEI, & B. V. clamantes subsidium, & ingredientes Ecclesiam devotis orationibus, & Sacerdotali cantilena inclamantes: Miserere nostri DEUS; Imaginem Matris DEI sculptam, ibidem antiquitus constitutam, propriis manibus apprehendunt, quam in Civitatem Messanæ elegerunt ingredi facere, putantes propter ejus visionem, & ingressionem, Dœmonia è Civitate ejicere, & à tali mortalitate penitus liberari. Propter quod elegerunt quendam Sacerdotem idoneum, dictam Imaginem super Equo in brachiis suis honorificè apportare. Et revertentes ad Civitatem cum Imagine, sacra DEI Mater, dum vidit & appropinquavit, adeo sibi exosam reputavit, & totaliter peccatis sanguinolentam, quod post tergum reversa, non tantum intrare noluit sed illam abhorruit oculis intueri. Propter quod tellus aperta extitit in profundum, & Equus super quo DEI Matris ferebatur Imago, fixus & immobilis substitit sicut petra, & precedere vel retrocedere non valebat. Quæ miracula populus intuens, mœstis suspiriis ululando, & crebris lacrymis B. V. deprecati sunt, ut de commissis eorum peccatis non sumeret recentem ultionem. Ad quorum preces Virgo Christi sacra Sponsa, humilibus eorum precibus sacras Domino porrexit petitiones; quapropter super tellurem clausam, quæ primum aperta extiterat, equus incedit. Et cum pervenisset ad portam Civitatis sacra DEI Mater, omnino recusabat ingredi; sed tandem piis orationibus sibi porrectis, ad Ecclesiam Majorem Civitatis Messanæ, videlicet ad B. M. la Nuova ingressa est: quam mulieres Messanenses pannis sericis, & jocalibus preciosis obruunt. Hæc ille.

Messanenses B.V. de Scalis in processione ad Civitatẽ deferunt, & à peste liberantur.

Equus B. V. Imaginem portans imotus ante civitatem subsistit.

96. Prosequitur deinde idem Hincoffer quanam ratione Deipara placata, ac reconciliata fuerit: Itaque peractis primum in Æde majori ceremoniis, inquit ille, sublata Sacerdotum humeris sacra effigies, præeuntibus Religiosis, ac Clero, comitantibus cęteris ad lustrandam Vrbem efferri cœpit. Nec mora continuo quacunque incessit, depulsa caligine, detersaque lue Civitas lucem, ac sanitatem aspexit; noxia temperies, in salutiferam momento convertitur auram, diesque deinceps diluxere meliores. Neque ita multo post Messanæ nexu finitimarum Civitatum, atq; etiam Italiæ, reliquorumque Regnorum commerciis in pristinum statum favente Virgine revocata est. Hujus beneficii tam eximii gratam recordationem hodie Cives voto obstricti recolunt, & institutâ ad Ædem Majorem, die S. Sebastiano Martyri sacro, interventu Magistratus, ac totius Cleri, populique supplicatione venerantur. Ex quibus omnibus facile colligimus Deiparam sanctissimam, ac fidelissimâ esse juxta Andronici Sanctitatis descriptionem, utpote quæ promissam, suâ illa Epistola Messanæ benedictionem, ac protectionem, reipsâ cõpleverit, eamque oppositione quodammodo sui corporis, à tot periculis, hostiumque insidiis liberaverit.

97. Neque verò promissam Epistolâ suâ illa benevolentissimâ benedictionem, protectionemque suam Messanensibus Virgo servavit, â bellis, insidiisque hostilibus, nec non pestifera contagione eos liberando, verum etiam à famis acerbissimo flagello eosdem eripiendo, quo aliquando percussi fuere Messanenses, ut qui semper fere prosperam experti fuere Fortunam, eandem etiam adversantem subinde experirentur. Præclarè enim idẽ P. Hincoffer cap. 58. *Etsi*, inquit, *credam DEO opt. Max. cujus est humanarũ rerum procuratio, respiciente ad propensam Civium in Deiparam Virginem religionem, omnia fere semper prosperè procedere, secundaq; evenire, ut proinde Civitatis prospere semper, & quasi æquabilis perpetuaq; Fortuna per tot secula perduravit: interdum tamen eadem Fortunâ paulò variante, in duriora tempora Cives ita incidisse constat, ut non nisi juvante Virgine, & menti Civium lumen preferente, rursum Civitas emerserit, & ad pristinum statum Fortunamq; sit reversa.* Quod ille

B.V. fame laborantibus Messanensibus succurrit

ille contigisse refert, eo tempore, quo irato cœlo, ad eam rei frumentariæ devenerat angustiam, ut pro tenui victu, quid amplius in diem suppeteret, minimè superesset, & jam plerique egentes, qui alioqui publico instituto, velut centuriati ditioribus distribuebantur alendi, ægra macie corpora traherent, miserandumque spectaculum obvijs exhiberent, opulentioribus ipsis incommodè, grauateque suam familiam sustentantibus, ut in ea miseria tam enormi, nulla pristinarum opum, fortunæque prosperioris vestigia apparerent. Nil rebus tam afflictis supererat alud solatij quam ipsa Virgo ciuitatis Patrona, Consolatrix afflictorum, ad quam implorandam cum de more recurrissent, magna cum fiducia Messanenses, suis rebus desperatis, ac perditis succurrerunt. Indicta enim fuere tunc tam publica, quam priuata quamplurima Missæ Sacrificia, longoque ordine Cleri, Religiosorum, totiusque populi deductæ supplicationes, quibus totam fiduciam in Dei Matrem ejusdemque protectionem, ut tantis malis eriperetur se fixisse contestabatur.

98. Neq; vero spe sua frustrati sunt Messanenses. brevi enim conspecta fuit à longe ingens navis frumentaria, quæ ubi primum se faucibus freti passis velis immisit, spem miseris sublevandæ famis injecit. Verum secundiori pulsa vento, Messanâ post tergum relictâ, ab oculis penitus evanuit; quæ res Vrbi nimium quantum auxit mœrorem, ac calamitatem. Fuere sane, qui in luridis labantibusque corporibus, illud residuum spiritus, quod supererat ad aras in oratione quoad poterant prostrati, Domino, ejus Numen placaturi consecrarent. Hos inter fuere duo seniculi, qui dum in Templo B. Mariæ de Scalis coram Divæ effigie fame pene exangues votis, lacrymis, ac suspirijs sese mactant ecce tibi è fenestella per quam sanctimoniales cum sæcularibus loqui consuevere, vox prodigiosa gemitus interrupit: *Ecquæ*, inquiens, *causa malorum complorantes, & afflictos huc adegit?* Cui seniculi, eam vocem cujuspiam rati Monialis, ita respondisse feruntur: *Quin & tu nobis si vices noscas, illacrymeris: plangimus vitam sat diu frugaliter, honesteq; actam, non expectata mortis necessitate misere finiendam. En fame perimus, qui nullius fortunæ inuidebamus: spes erat tolerandi ad tempus mali, ni navis onusta commodum, incumbente vento, portum nostrum fefellisset. Cælum ipsum excidium Vrbis dissimulare dixisses; hinc nostræ lacrymæ, hinc malorum Ilium.* Quibus illa: *Æquo animo estote, nihil de Virginis ope diffisi; quin voti compotes gavisuri priusquam hodierni solis volvantur horæ; ante secundam supra vigesimam, navis illa, quam avectam querimini in hoc portu sistet:* Ad hæc replicant afflictissimi seniculi: *Sed qui id fieri queat, cùm jam prætervectura fretum, haud parum æquoris faventissimo flamine sit emensa; ut si sponte velit reditum moliri non possit?*

B.V. duos Senes fame tabescentes in Templo suo consolatur.

B.V. prædictio de adventu annonæ.

His dictis Templo aliquantum hilariores egrediuntur, animis ad omnem fortunam experiendam compositis, voluntatem suam, Divinæ conformantes. Vix Templo egressi, ecce Navim illam quæ ante Austri vehemẽtioribus impulsa flatibus oculos ipsorum effugerat, oborto postea ex adverso Circio, validiori quassari impetu repente cœpit, velisque implicatis, & versa antennâ, nisi cursum flectat mersione periclitari.

99. Quare nautæ mox Navim retorquent, & jam antea tentatas remetiuntur vias, velis, remisque contendentes, ne Messanæ portum teneant. Verum conflictu acerrimo Circij, Austrique facto, de salute dubij, tandem unanimi consensu decernunt, Messanam tanquam unicum tunc rerum suarum desperatarum refugium tenere.

B. V. Navim frumento onustã contrarijs vẽtis Messanam dirigit.

Atque ita prædictioni Virginis benignissimæ respondit eventus. Navis enim illa frumento onusta ante 22. diei horam portum ingressa, universam Civitatem afflictissimam recreavit, cunctis præsentissimam Deiparæ Patronæ suæ clementissimæ opem pleno ore deprædicantibus. At ubi intellectum, ex illis seniculis, quidnam eis in Templo B. V. de Scalis audire licuerit, non defuere, qui audito ex ordine rei successu, inquisierint, quænam fuerit tandem illa Sanctimonialis tam illustri clara vaticinio, quæ mœstos illos seniculos, atque adeò Messanẽses omnes, in tantâ calamitate consolata est. Ac in primis cùm ex Abbatissa quæsitum id esset, vehementer admirata est, tum reliquæ omnes quæ accitæ advenerant. Tandem nullâ vaticinij illius consciâ, agnitum est, vocem illam in Templo auditam, Oraculum fuisse Protectricis Deiparæ, quæ propter miseriam illorum inopum, & gemitum pauperum ad eos consolandos exsurrexerat.

Vnde

Vnde in ejus laudum amplissimarum omnium ora sunt resoluta præconia, Virginisq; benevolentissimæ fidelitatē, quæ promissam illam sacratissimâ suâ Epistolâ Messanensibus benedictionem, ac protectionem non voce dumtaxat, sed ipso facto præstiterit, deprædicarunt.

Messanensium erga B. V. gratitudo.

100. Neque verò Messanensis Vrbs tot, tantisque Virginis beneficijs ingrata extitit, sed ut loquitur idem Hincoffer, in sua ad totum illud Opus Mantissa n. 33. varijs monimentis publicis patrocinium Virginis repromissum Messanenses, per tempora testati sunt; sed nuper in instauranda nova Vrbe, unam ex multis ornatissimisque portis eâ memoriâ tali inscriptione insigniverunt:

D. O. M.

Porta Civitatis Messanensis B. V. dedicata.

Invictæ Orbis Reginæ, Sanctissimi Seruatoris nostri integerrimæ Parenti, ob susceptum Ciuitatis Patrocinium Chirographo sancitum, quo uno nobilior ornatu, in hostes munitior in dies assurgit. Tutelari Numini sua, seque, Vrbem, Portamq; MARIÆ Nomine insignitam, religiosissimè Dat, Dicat, Sacrat.

S. P. Q. M.

Sanctitas est Scientia colendi Numinis.

101. Quod si denique sanctitas ex sententia M. Tullij, li. 1. de Natura Deorum *est scientia colendorum Deorum*; quis hac scientia colendi Numinis, quis virtute Religionis clarior, quis eminentior unquam fuit, quam Virgo Deipara? Scientiam hanc, in ipso conceptionis immaculatæ instanti didicit Virgo Beata, quando ejus intellectus ad Devm clarè videndum visione intuitiua, & voluntas ad eum amandum, privilegio hactenus nulli puræ creaturæ pro præsentis vitæ statu fere concesso elevata est, ut P. Quirinus Salazar in defens. immaculatæ Conceptionis cap. 32. n. 47. diffusè ex Sanctis Patribus luculenterque probat. Cum enim Devm clarè uti est in se, ejusque Majestatem, Bonitatem, sapientiam, omnipotentiam, aliasque perfectiones viderit, non potuit sanè non summopere, eundem non summo cultu, veneratione que dignissimum censere, ob Divinæ Naturæ excellentiam, ac proinde non potuit non eundem, cultu, quo tanta Majestas digna est, non venerari, quo in actu Religionis virtus consistit. Vnde Antiquorum nonnulli, Religionem Dei cognitionem esse definiēre. Quem enim noveris cultu, veneratione que dignum, eidem sanè eandem non exhibere erit omninò impossibile.

Maria in instanti Conceptionis suæ Devm clarè vidit.

102. Cum igitur Virgo Sanctissima & in instanti purissimæ suæ conceptionis Devm clarè & intuitivè viderit, & in Verbi Increatione, ut vult S. Bernar. Senensis; & in partu Filij, ut asserit S. Antoninus: in ejusdem item Resurrectione, ut docet Villanova Archiep. Valentinus. Denique frequenter admodum & repetitis vicibus totius vitæ suæ sanctissimæ decursu, ut nobis B. Albertus Magnus, & Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis testatum reliquere apud eundem Salazar locis citatis. Cum inquam toties clarè, absque velo Divinæ Majestatis Beatissimam illam faciem fuerit contemplata, cumque & reliquas creaturas matutina & vespertina cognitione cognoverit, ut idem Beatus asseveravit Albertus, non potuit sanè debito cultu, ac reverentiâ tantam non venerari Majestatem.

Maria in Verbi Incarnatione, in ejus Nativitate, ac Resurrectione, & alias sæpe Deū clarè vidit.

103. Quod si clara Dei, ac beatifica visio, uti & unio hypostatica, perfectissima est sanctitas, imò omnis gratiæ, virtutis, & sanctitatis origo, ac fons uberrimus; cum excellentissimo lumine gloriæ (quo roboratus intellectus Devm clarè intuetur) fuerit toties irradiata, Deipara; cumque ejus in utero Vnio hypostatica Verbi cum humanitate peracta sit, sanctissimam professò, & fontem quendam copiosissimum post Devm, omnis sanctimoniæ, puritatis, & gratiæ, omniumque virtutum, ac ipsius, de qua loquimur Religionis, eam extitisse fatendum est.

Vnio hypostatica, & Visio beatifica est summa Sanctitas.

Atque ita dicendum erit cum Virgo Beatissima tam insigni scientia colendi Numinis, in illa cœlorum schola fuerit erudita, insignem prorsus virtutem Religionis adeptam, & in se virtutes omnes, ac gratias, modo planè Divino, creaturæ rationali nunquam hactenus concesso fuisse complexā, censendū est.

Hoc nobis insinuare voluisse videtur B. Petrus Card. Damia. serm. 3. de Nativ. B. Virginis cum dixit: *Quid sanctitatis, quid gratiæ, quid Religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius Divina gratia charismate plena fuit?*

M. nec Sanctitas, nec Religio defuit, quia plena gratia fuit.

Religio virtutes omnes in se cōtinet

104. Quod verò Religio virtutes omnes in sese contineat, testatur Philo in lib. de Charitate, quam etiam pietatem vocare consueuit: *Solent*, inquiens, *pietatem comitari virtutes reliqua, à qua non magis diuelli possunt, quam umbra à corpore, quod in sole versatur. Proinde quotquot ad nostram Religionem se conferunt, statim fiunt sobrij, continentes, verecundi, mites, jucundi, humani, graues, justi, magnanimi, virtutum amatores, contemptores voluptatum, ac pecuniæ: è diuerso quicunq; à sacris legibus deficiunt, eos videre licet intemperantes, imprudentes, injustos, leues, pusillanimes, irritabiles, mendaces, perjuros, cupedijs, potationibus rebusq; venereis deditos, ventri pendentes tributa, cum graui corporis, animiq; dispendio.* Idem Phil. virtute hac eo hominem provehi affirmat, ut qui ea excultus fuerit, etiamsi unus homo sit, ipsius Dei existimatione non minus honoretur, quam totus populus, Idque luculentissimis exemplis probat. *Quemadmodum enim in naui, gubernator confertur cum omnibus vectoribus: In Castris item Imperator cum omnibus militibus, adeo ut per hujus interitum, non minor, quam per juventutis stragem cladés accipiatur. Eodem modo etiam vir sapiens totius gentis dignitatem obtinet, quippe qui pietatem, seu Religionem habeat, pro munimento inexpugnabili.*

Religionis laudes

105. Quod verissime dici potissimum potest de Matre nostra honorificata, ac Religiosissima, quam Devs ter opt. Max. magis dilexit, ac honoravit, quam Ecclesiam universam, estque id planè nobis in mundo hoc, eximiâ sua in Devm Religione, ac Sanctitate cæterisque virtutibus Regina hæc cœlestis, quod Gubernator in navi; quod Imperator in exercitu, respectu creaturarum omnium, quibus universorum Creator, ob eximias ipsi à liberalissima sua dextera collatas gratias, ac virtutum decora, eam omnibus, partito invicem quodammodo imperio præesse, ac dominari voluit.

Religio similis Oculo.

106. Adeo hæc Religionis virtus præstans atque eximia est, ut eam Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 268. Religionē oculo, qui in capite pars est pulcherrima atque præcipua contulerit: *Quemadmodum*, inquiens, *in corpore valentior pulchritudinis pars, est oculorum pulchritudo: ita etiam in animo, præcipua pulchritudinis pars est* ευσεβεια, *seu pietas atq; Religio;* Quod si ita est rectè sanè Virginem gloriosissimam, egregiâ suâ in Devm Religione, reliquarumq; virtutum collegio, pulcherrimum, ac lucidissimum in orbe, velut in capite esse pronunciabimus ocellum; addiderim ego fulgentem in cœlo solem; quem S. Ambrosius lib. 4. Hexam. cap. 2. *Oculum dicit esse mundi, jucunditatem diei, cœli pulchritudinem, Naturæ gratiam, præstantiam creaturæ.*

107. Ex hactenus dictis luce meridiana clarius intelligimus, sanctitatem Virgineam, morumque perfectionem esse omnibus numeris absolutissimam, Dei esse ardentissimam charitatem, puritatem omni labe liberrimam, & tam in Devm, quam in homines sincerissimam fidelitatem, Religionem denique, omniumque virtutum, Divinarum gratiarum, ac charismatum collegium. Vnde Pater no... Corneli⁹ à Lapide Interpres scripturæ gravissimus, sanctitatem, omnem virtutem esse dixit, humilitatē, patientiam, castitatem, charitatem, obedientiam, & præsertim humanæ voluntatis cum Divina consonantiam: Præclarè enim S. Basilius verè magnus: *Tota sanctitatis summa*, inquit, *in Christiano est, ut sese in omnibus Diuinæ voluntati promptissimæ subiciat.* Quare jure merito S. Thaumat. serm. 2. de Annunc. Deiparam, *lucis indumentum* (quod æterna illa lux, atque increata sanctitas, ejus sanctimoniæ delectata pulchritudine, carnem ejus, velut indumentum Regiumque assumpserit paludamentum) *virtutisq; domicilium* appellavit. Quæ virtutes cum per se singulæ, venustissima sint cujuscunque animæ pulchritudo, quid de omnibus in Virgine simul collectis dicendum erit? Si enim ut canit S. Nazianzenus Theol.

Sanctitas est omnis Virtus, earumque collectio.

Sanctitas est cum Divina voluntate conformatio.

Maria lucis indumentū est, quia Lucē æternam carne vestivit.

Maria virtutis domicilium.

Solus Dius amor formosum reddit amantem,

Quam insignem formam, quam eximiam, Divinamque pulchritudinem, Devs immortalis, tot, tamque innumerabiles, ac infinitæ virtutes, gratiæque penè immensæ imò Divinæ in sanctissimam illam, innocentissimamque summæ Deiparentis animam inducturæ sunt?

108. Hanc ex tot virtutibus velut lympidissimis rivulis emanantem Deiparæ pulchritudinēm eâm undiq; cingentem, totamque exornantem considerans sponsus, admiratione defixus exclamavit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te:* Cant. 4. Quod si verò gratiam, ac sanctitatem, reliquasque virtutes Deiparæ consideremus, ut majus in dies singulos accepere incrementum,

nonne

nonne Divinam quandam Deiparæ gloriosissimæ intelligemus esse pulchritudinem, ex tanta virtutum, gratiarumque ubertate emanentem?

109. Quamobrem præclarè Doctissimus Suarius Tomo 2. in 3. Part. Disp. 18. ferm. 4. docuit Beatam Virginem in [illegible] ne vitæ pervenisse ad summam, & ut dicam, penè immensam gratiæ perfectionem, & intensionem. Quod probat ex varijs Sanctorum Patrum loquendi modis; Quorum aliqui dixere Virginem, gratiæ abyssum, ut Damascenus; qui abyssum hanc Sanctitatis imperscrutabilem prorsus esse animadvertens, post Divinam ejus contemplationem, dixit, attonitò similis: *Cernere hanc mihi videor Sanctis Sanctiorem, sacris sacratiorem, pijsq; pietate præstantiorem.* Hanc eâdem abyssi hujus considerans profunditatem S. Bonaventura in Spec cap. 5. exclamat: *Quis huius abyssi profunditatem, quis, inquam, MARIÆ immensitatem dimensus est?* alludens ad dictum Ecclesiastici cap. 1. *Altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profundum abyssi, quis dimensus est, nisi ipse qui solus illam, non solùm in gratia, & in gloria, sed & in misericordia, tam altissimam, tam latissimam, tam profundam, operatus est?*

M. gratiæ abyssus profundissima.

M. Mare gratiæ, ac Sanctitatis.

110. Ex Sanctis Patribus alij vocant eam; *Mare spirituale, ineffabile*, ut Epiphanius, Mare inquam habens Gemmam Cœlestem CHRISTUM, imò Thesaurum omnium gratiarum, ceù unionum, totiusque Sanctimoniæ incomparabiles divitias. Vnde Seraphicus Bonaventura cap. 3. Spec. *Considera charissimè*, inquit, *quod MARIA dicitur Mare propter affluentiam & copiam gratiarum. Vnde scriptum est; Ecclesiast. 1. Omnia flumina intrant in Mare. Flumina sunt charismata Spiritus Sancti. Omnia ergo flumina intrant in Mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in MARIAM. Flumen enim gratiæ Angelorum intrat in MARIAM, & flumen gratiæ Patriarcharum & Prophetarum intrat in MARIAM, & flumen gratiæ Apostolorum intrat in MARIAM, flumen deniq; gratiæ Martyrum, Confessorum, Virginum intrat in MARIAM: Vnde ipsa optimè potest dicere illud: In me omnis gratia, viæ & veritatis, & in me omnis spes vitæ & virtutis. Quid mirum si omnis gratia in MARIAM confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit? Ait enim B. Augustinus. Gratia es plena MARIA, quam apud Dominum invenisti, & hanc per totũ Mundũ effundere meruisti.* Hæc Bonav.

Omnia flumina gratiarum quæ sunt in Angelis & Iustis intrant in MARIAM.

111. Hinc Beatus Antoninus Florentiæ Archiepiscopus 4. Part. tit. 15. cap. 4. ad immensam hanc gratiarum omnium in Deipara plenitudinem, ac perfectionem, illud Geneseos cap. 1. à Deo pronunciatum edictum, aptavit; *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum; congregationesq; aquarum vocavit MARIA: Congregatis*, inquit, *omnibus gratijs Sanctorum in unum locum, scilicet in animam Virginis, appellavit eam MARIAM, quasi Mare gratiarum. Omnia enim flumina intrant in Mare, id est, omnes gratiæ in MARIAM.*

112. Epiphanius denique gratiam Sanctæ Virginis dixit esse immensam nostro videlicet concipiendi modo; Quam immensitatem contemplans Sanctus Anselmus, in illa prorupit verba lib. de Excell. B. Virginis cap. 8. *Quid amplius dicere possum Domina? immensitatem quippè gratiæ, ac gloriæ, & fœlicitatis, tuæ considerare incipienti, & sensus deficit, & lingua fatiscit.* Quæ enim vel mês capere, vel lingua edicere sufficiat infinitatem hanc Divinæ Gratiæ, ac Sanctitatis, quam Virgo totius vitæ decursu intensioribus semper virtutum elicitis actibus, nusquam interrupto cursu magnis passibus assiduè procedendo comparavit?

Gratia B.V. penè immensa.

113. Quâ in re siderum Principem imitata fuisse videtur Deipara, de quo Regius Propheta: *Exultavit ut Gigas ad currendam viam.* Psalm. 18 Quemadmodum enim Sol ab oriente in occidentem, summâ velocitate iter suum decurrit, lucem, caloremque intendit, ac multiplicat: sic Virgo gloriosissima ab instanti ortus, seù conceptionis, usque ad mortis suæ fœlicissimæ occasum Giganteis quibusdam passibus in sanctioris vitæ stadio, merita meritis, gratiam gratiæ, multiplicatis intensiorib⁹ semper virtutũ actib⁹, accumulãdo visa est decurrisse.

M. in virtutibus cursus, ac celeritas Soli similis.

114. Virgineos hosce gressûs tantâ cum celeritate, decoro, ac Majestate factos contemplans identidem Sponsus admiratione suspensus, pronunciavit: Cant. 7. *Quam pulchri sunt gressûs tui, in calceamentis Filia Principis?* Quæ verba expendens Rupertus lib 6. in Cant. colligit Virginem semper Dei Sanctissimam extitisse, dilectissimamque Filiam, nec unquam velut discalceatam Servam originalis peccati, aut ullius actualis jugo pressam, infœlicem Sathanæ servijsse servitutem. Sanctus verò Ambrosius & Theodoretus hanc Principis Filiam, Filiam

Progress⁹ B. V. in virtutibus causat Sponso admirationem.

M. Filia Principis, id est, Spiritus S.

liam esse ajunt, ipsius Spiritus Sancti, quem Regius Psaltes *principalem Spiritum*, per excellentiam vocitavit. *An non Ancilla*, inquit ille, *sive Ancilla Filia discalceatis pedibus incedit? Planè discalceatis, & propter hoc servilis arguitur conditionis, quia nuditas pedum, servilitatis est argumentum. Verùm de calceamentis hic agitur non corporis, sed Spiritus, in quo discalceatam esse animam, summa est ignobilitas, & plusquam servilis egestas.* Vt porrò ostenderet MARIAM, cujus nomen Dominam sonat, Evæ, (quæ serpenti assentiendo, justitiâ originali, quasi veste, calceamentisque privata miserrimam peccati servijt servitutem) fuisse planè oppositam, subiungit: *Idcircò Ancilla calceaneum serpens momordit, tu autem, ò Filia Principis benè calceata, caput serpentis contriuisti, tu maximè, ò Princeps, & Domina singularis dilecta, una Columba mea, una Genitrici suæ, videlicet generationi libera, generationi non carnis, sed fidei, quæ me Virum non de carne Viri, sed de Spiritu DEI concepisti, & peperisti.*

M. semper calceata, servitutê Diaboli, aut peccati nunquã servivit.

B.V. calceamenta sunt præservatio à peccato originali.

115. Quod si quispiam obrogare velit, quæ tandem sint hæc spiritualia Sponsæ calceamenta? Respondebit D. Gregorius Pontifex Maximus esse Sanctorum Patrum jam vitâ functorum, Sanctarumque Mulierum Saræ, Rachelis, &c. exempla, quarum egregijs virtutibus suorum affectuum pedes Heroina nostra calceando, gressibus pulcherrimis, atque giganteis sic incessit, ut cœlestem Sponsum in summam rapuerit admirationem, eundemque attonitò similem enunciare compulerit: *Quam pulchri sunt gressûs tui in calceamentis Filia Principis;* Quæ verba considerans Guilelmus Abbas: *Non simpliciter pulchri, sed cum admiratione; quam pulchri, inquit, sunt gressûs tui! quo excellens, & singularis gressuum eius pulchritudo signatur: Multæ enim sunt Filiæ Principis, per gratiam adoptionis, & omnes pulchrè gradiuntur, & omnium sunt pulchri gressûs in calceamentis. Verùm illa est excellenter Filia Principis, quæ est etiam Mater Principis. Non dicuntur simpliciter pulchri gressûs eius, ut cæterarum Filiarum Principis; sed quam pulchri; hoc est, quam puri, & mundi affectûs eius. Non enim pernicitate pedum, sed puritate affectuum ibat de virtute, in virtutem videns DEVM Deorum in Sion. Erat autem in eundo calceata, Sanctorum antiquorum exemplis informata; quid enim sunt precedentium exempla Patrum, nisi quædam tanquam ex pellibus mortuorum animalium spiritualia calceamenta? Deniq; præclara illa Filia Principis piâ veneratione simul, & amulatione, amplectebatur innocentiam Abel, obedientiam Abrahæ, mansuetudinem Moysis, humilitatem David, patientiam Iob, continentiam Danielis. His ergo & huiusmodi Patrum exemplis decentissimè calceata inattritis animi gressibus ibat de virtute in virtutem, & in æmulando virtutes Patrum, ipsos etiam Patres, quorum se æmulatricem gaudebat, præcipuâ puritate affectuum, & prærogativa actionum transcendebat.* Hæc pijssimus Abbas.

Calceamenta Sponsæ sunt virtutes veterũ Patrum, ac Mulierum Sanctarum.

M. quia est excellenter Filia Principis, ideò præ cæteris excellentiùs progreditur.

116. Si Cardinalem Halgrinum de hiscé sciscitemur calceamentis, deque totius hujus encomij sensu: Respondebit: *Hæc sunt verba Filij, qui ad laudes Matris consurgit iterum, ostenditq; quod meritò sit desiderabilis ad videndum; erat enim cincta bysso, & calceata hyacintho. Ideò verò dicuntur gressûs eius pulchri quia in calceamentis hyacinthinis resplendebant.*

Calceamenta Sponsæ sunt cogitationes & opera devotionis.

117. Si B. Alanum de Rupe Prædicatorũ Iubar clarissimum quæramus, quinã sint hi sive gressûs, sive calceaméta; dicet: *Gressûs tui gloriosa Virgo sunt nobilitas generis, integritas carnis, & mentis, fœcunditas deniq; prolis. Calceamenta sunt affectûs in meditationibus, effectûs in operationibus, profectûs in desiderijs, excessûs in gaudijs. Tu autem es principalis Filia Principis, DEI videlicet, qui est Princeps Principum, & Dominus Dominantium, qui te specialiter per gratiam genuit, specialiter informavit, ita tamen DEI Filia, quod & Mater intacta, vel per pedes, & gressûs intelliguntur mentales affectûs, qui omninò purgati, & decorati fuerunt in Incarnatione Christi: per calceamenta ergo figuratur Incarnatio Divina;* quia videlicet affectus Virginei in Incarnationis contemplando mysterio, nescio quâ Divinâ decorati sunt pulchritudine.

118. In eisdem calceamentis Verbi Incarnationem, cujus meditandæ Virgo extitit studiosissima, intellexit S. Ambrosius, cúm lib. de Instit. Virg. c. 14. dixit: *In hoc calceamento Humanitatis Christi, videlicet speciosè processit MARIA, quæ sine ulla commixtione corporeæ consuetudinis Auctorem Salutis Virgo generavit. Vnde egregiè Ioannes ait: Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti eius, id est, non sum dignus Incarnationis Mysterium comprehendere angustijs mentis humanæ, atq; inopis vilitate sermonis absolvere.*

Calceaméta B. V. sunt meditationes de Verbi Incarnatione.

119. Quod si obrogemus Moysen, quidnam sibi illa velint calceamenta? docebit sine dubio ea nil esse aliud, quàm brutos, animales, mortalesque rerum terrena-

terrenarum affectûs, quibus Sancti Prophetæ pedum affectûs liberos esse, solutosque Dominus desiderabat, Ex. 3. v. 5. *Solve*, inquiens, *calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est*, Vnde Sanctus Ambrosius lib. de obitu Valentiniani, ideò pulchros esse gressûs hujus Filiæ Principis in calceamentis arbitratur, *quia calceamenta, quæ ex mortuorum pellibus conficiuntur, pedibus substernuntur: Pulchrè igitur incedit ille, qui veteris, id est, iam mortui hominis affectus calcat*. Sic enim pedibus proculcati, nobis quandam ad Cœlos Scalam videntur conficere. Præclarè siquidem S. Augustinus ser. 3. de Ascensione: *Per vitia, & passiones nostras, si utiq; unusquisq; nostrum subdere ea sibi studeat, ac super ea stare consuescat, ex ipsis sibi gradûs construit, elevabunt nos, si fuerint infra nos. De vitijs nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus*.

Calceamenta sût affectûs animales, à quibus liber Moyses voce Domini esse jubetur.

Vitia pedibus nostris subdendo, & conculcãdo, Scalã nobis ad cœlum conficimus.

120. Audiendus hic quoque Cœlius Pannonius Sacri Ordinis S. Pauli primi Eremitæ insigne Ornamentum Comment. suis M. S. in Cantica; qui calceamenta hæc expendens Sponsæ: *Observa*, inquit *gressûs Filiæ huius Principis commendantur, sed non nisi in calceamentis; calceamenta fiunt ex pellibus mortuorum animalium, ut intelligeres gressûs non esse pulchros apud DEVM, nisi mortificatis carnis concupiscentijs: Mortificate*, ait Apostolus, *membra vestra, quæ sunt super terram*. Et iterum: *Spiritu, id est, ductu Spiritus, non dubium quin Sancti, ambulate, & desideria carnis non perficietis. Fides mortificat quæ est donum DEI iustificans hominem, cui nullum commercium est cum peccato, nec potest manere cum eo; absumit enim viva fides peccatum. Quid est quod vicit Mundum, ait Ioannes, nisi fides nostra? Vincit Mundum, vincit & carnem, vincit Diabolum, vincit & portas Inferi; in qua ambulavit Princeps Abraham, & Pater Filiæ huius, cuius gressûs pulchri sunt. Quare pulchri? à calceamentis pulchri, id est, à mortificatione concupiscentiæ carnis*. Hæc ille, de gressibus Sponsæ pulcherrimis, ejusq; pulchritudinis causa, quæ est concupiscentiæ mortificatio, quæ quia admodum difficilis atque ardua est, jure merito gressûs hi Sponsæ pulcherrimi, carnis concupiscentiam, mortales, terrenosque affectûs proterentes, stupendosque, atque Heroicos quosdam passûs in via Divini obseqnij facientes, Sponsum admiratione defigunt, eumqne exclamare cogunt; *Quam pulchri sunt gressûs tui in calceamentis Filia Principis!*

Gressûs Sponsæ non essent pulchri nisi carnis concupiscentias mortificaret.

121. Quod si ex Ezechiele Propheta inquiramns quænam sint hæc calceamenta? dicet sine dubio ea esse gemmas preciosissimas, coloris, inquam, cœlestis hyacinthos: *Et calceavi te hyacintho*. Ezech. 16. Moris siquidem fuit olim, ut Fœminæ nobilissimæ, & Virgines preciosissima calceamenta auro, gemmisque exornata gestarent, ut testatur Plinius lib. 9. cap. 35. in illisque auro, lapillis preciosissimis aquilas confectas gestarent, ut scribit Gregorias lib. 4. Vnde Godinus Curopal. de officijs Constantinop. scribens de ornatu Despotæ: *Calcei bicolores, coloris nempè purpurei, & albi, habentq; ad latera, & in utroq; calceaneo, seu calce Aquilas ex margaritis cõfectas*.

Calceamenta auro, gemmisq; ornata apud veteres.

In calceis ex margaritis confectæ Aquilæ olî gestabantur.

122. De hoc calceorum ornatu non videtur hic reticendus Clemens Alexan. qui lib. 2. Pædagogi cap. 11. scribit fœminas nobiles, clavis aureis suffixas calceorum gestasse soleas, quibus velut sigillis aliqua amatoria symbola, dum incederent, exprimebant: *Multa fœminarum*, inquit ille, *soleis quoq; amatorias salutationes imprimunt, vt vel per terram numerosè incedentes, meretricios spiritûs in incessu insculpant*. Colligitur hic denique calceorum ornatus ex Isaiæ Prophetæ Comminatione illâ cap. 3. facta Filiabus Hierusalem: *Auferet Dominus ornamenta calceamentorum*. Hebr. legit *Gloriam calceamentorum*. Pulchritudo igitur hæc, seu gloria calceamentorum Sponsæ consistet in vario gemmarum ornatu, quò vel aquilæ, vel columbæ, vel quodpiam aliud exprimebatur, sive ejus amoris, sive velocitatis in Sanctitate consectanda, symbolum; Quod si solo hyacintho, gemmâ, cœli colorem in se repræsentante, calceatam cum Ezechiele dicamus Sponsam, intelligemus sanè affectuum ejus pedes, ardentissimis rerum cœlestium calceatos esse desiderijs, quibus velut aquilarum, aut columbarum, quibusdam alis subvecta volitabat post Sponsum, inque ejus virtutum cœlestium odorem Giganteis planè gressibus non tam decurrebat, quàm volabat. Vnde nil mirum si pulchritudine, & celeritate horum passuum Sponsæ, ad cœlestia anhelatis delectatus Sponsus, dicat cum admiratione: *Quam pulchri sunt gressûs tui in calceamentis Filia Principis*.

Fœminæ nobiles olim amatoria symbola in calceis gestabât.

Hyacinthus gemma cœlesti coloris.

123. Si denique percontemur Sanctum Evangelistam Divæ hujus Virginis aman-

B.V. Mundum despiciendo atq; conculcando in Sanctitate proficiebat.

amantissimum Filium Ioannem quænam sint tandem hæc calceamenta in pedibus ejus? Respondebit sine dubio; *Luna sub pedibus eius;* Quod si Lunæ nomine, Mundi vanitas designatur, nil mirum, sanè quod gigantei illi Virginis passus, quibus Mundi vanitatem proculcando, in via Divini obsequij, atque adeò Sanctitatis, puritatisque procedebat, cœlesti Sponso conciliârint admirationem.

M. in sua Concept. imaculata Sathanam suis pedibus conculcavit, ut Lunam.

124. Quod si in Luna cum Sancto Bernardo, Mundi hujus Principem, ac Tyrannum intelligamus Sathanam, nil etiam vobis mirum videri debet, si Sponsus pulchritudinem hanc gressuum Sponsæ Sathanam pedibus in primo statim conceptionis instanti conterentis admiretur; Quâ de re præclarè idem Mellifluus Doctor serm. de verb. Apoc. ubi cùm præmisisset, stultum, ut Lunam mutari, ac proinde stultitiam omnem Mundi hujus hanc Virginem sapientissimam, quæ procul aberat à Collegio illo Virginum, fatuarũ, proculcasse; subdit: *Imò verò & unicus ille stultus, & totius stultitiæ Princeps, qui verè mutatus ut Luna, Sapientiam perdidit, in decore suo, sub MARIÆ pedibus conculcatus, & contritus miseram patitur servitutem. Nimirum ipsa est quondam à DEO promissa Mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura, cuius planè calcaneo in multis versutijs insidiatus est, sed sine causa; sola enim contrivit universam hæreticam pravitatem.*

Dœmon unicus stultus & stultitiæ Princeps, sub pedibus B. V.

125. Et verè si quis attentè consideret Immaculatam hujus Virginis sacratissimæ Conceptionem, in qua adeò Heroico, atque Giganteo planè passu venenosi illius, tortuosique Serpentis caput contrivit, ut non modò nulla originarij peccati labè fuerit respersa, sed ipso statim Conceptionis suæ momento, velut Sol in prima sui creatione gratiæ pulcherrimâ luce fuerit decorata, intelliget profectò, quam jure merito Sponsus primum hunc Virginis passum Sathanæ caput tam Heroicè proterentis, sit admiratus. Protrito siquidem ejus capite, adeò velociter in gratiæ Divinæ stadio decurrit Virgo Beatissima, ut omnium quotquot ab exordio Mundi usq; ad ejus finem extitere Sanctorum, gratiam, ac merita plurimis parasangis transcenderit. Hanc ob causam Sanctus Gregorius Pontifex Maximus, alijq; dixêre Patres Montem illum, per Immaculatam Conceptionem præparatum in Domum Domini exaltandum super verticem montium & collium, figurasse DEIparam, quia sublimem quemcunque verticem, ac cacumen perfectionis tam naturæ Angelicæ, quàm humanæ, erat quam longissimè excessura, adeò ut ubi perfectio tam Angelica, quàm humana desijt, ibi primum Mariana inchoata fuisse videretur.

Primus gressus pulcherrimus B. V. quo in hunc Mundum processit, est Conceptio immaculata.

126. Quod nemini sanè mirandum est. Si enim quilibet amoris Divini actus, ut ex communi Theologorum sententia docet Suarez Tomo 2. in 3. Part. disp. 18. sect. 4. novum gratiæ augmentum, secundùm totam latitudinem graduum, eorumque æqualitatem promeretur. Vnde quò intensior erit fervor ipsius actus, majùsque Divinæ gratiæ auxilium, quo ille elicitur, eò intensiùs & majùs erit ipsius gratiæ incrementum; Sequitur, ut quò est intensior, ac major habitus gratiæ, majùsque DEI auxilium, eò intensior, ac major sit fervor actus, qui à gratia illa habituali procedit, ac proinde intensiorem, ac intensiorẽ semper gratiam in infinitum promereatur. Quod si ita est, quæ mens capere, quæ lingua exprimere unquam poterit Divini amoris incendia, quæ in instanti Conceptionis, quod primus MARIÆ gressus vocitari potest, pectore illo sacrosancto æstuabant, cum se à Creatore benignissimo tot, tantisque gratiæ ornamentis, ac monilibus, velut Sponsam ipsius dilectissimam decoratam circumspiceret. Quis consequenter penetret quantitatem, ac intensiores gradus Divinæ gratiæ, quos ferventissimo illo primo amoris actu est promerita, qui fuit secundus quasi Virginis gressus, quo viam Sanctitatis fuerat ingressa; siquidem uti jam diximus intensior fervor actus, intensiorem habitum gratiæ generare consuevit. Et quoniam certissimum est habitualem gratiam in Virgine nunquam otiosam esse potuisse, sequitur ex multiplicatis amoris actibus, semper intensioribus, ac intensioribus, in infinitum quodammodò habitum gratiæ, in momenta singula intensiorem evasisse.

M. semper intensioribus virtutis actibus cumulavit gratiam.

127. Quod si Angeli unico instanti, ex nonnullorum Theologorum sententia gratiam, ac gloriam æviternam sunt promeriti; ad tantumque gratiæ, ac gloriæ gradum unico illo actu, specialiter provecti sunt Seraphini, ut nullum hominum quantumvis sanctissimum, quẽ adom-

Ad perfectionem Seraphicæ charitatis nullus purus homo, excepta B. V. potest attingere.

admodum probabiliter docent Theologi, sit reperire, qui licet plurimos exegerit annos hujusmodi Divini amoris actibus exercitatissimos, ad eorum sanctimoniæ perfectionem potuerit pervenire. Quid jam de sanctissima Dei dicemus Parente, quæ cum ferventioribus semper, ac perfectioribus Divini amoris actibus sese exercuerit, majorem sine dubio in dies singulos gratiam eam aquisivisse oportuit. Quod si primus ille in Immaculata sua conceptione gressus, ac incessus adeo celer, & expeditus fuit; secundus sane gressus, quem secundum amoris actum denominabimus, erit sine dubio duplo celerior, quam secundus, & consequẽter actus omnes, quos totius suæ sanctissimæ vitæ decursu exercitavit, usque ad suum, ex hoc mundo fœlicissimum exitum, semper seipsis, absque ullo termino facti sunt intensiores, intensioremque gratiam, augmentumque majus donorum cœlestium semper sunt sortiti. O gressus verè pulcherrimos, ò grassus verè Heroicos, ac Giganteos, quos jure merito ubi est contemplatus Sponsus pronuntiavit: *quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis Filia Principis!*

128. Celerrimos hosce, atque Giganteos prorsus gressus, quibus in via gratiæ, ac sanctitatis assiduè progrediendo divitias immensas munerum cœlestium sibi comparaverat, omnesq; creaturas tam Angelicas, quam humanas antecurrendo, superaverat, demiratus est etiam Salamon, quando eam virtutis hoc stadium decurrentem contemplans exclamavit Prov. 31. *Multæ Filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Quæ verba expendens Seraphicus Bonaventura cap. 2. speculi, postquam dixisset Mariam gloriosissimam à multiplici Væ variorum peccatorum, & ab ipso væ gehennæ fuisse liberrimam attexuit: *O quam longè ab isto væ multitudinis tormentorum, fuit in MARIA multitudo meritorum, & præmiorum, cui contra multa damnatorum mala in Inferno, jam DEUS præparauerat, multa bona in cœlo, ita ut nullus Angelus, nullus Sanctorum ei æquari possit, in multitudine, & congregatione bonorum cœlestium, juxta illud: Multæ Filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es uniuersas. Si Filias istas intelligamus sanctas animas, vel intelligentias Angelicas, nunquid non supergressa est diuitias Virginum, Confessorum, Martyrum, Apostolorum, Prophetarum, Regina Patriarcharum, Angelorum? quid enim de diuitijs horum omnium defuit? Hieronymus enim ait: MARIAM si diligentius aspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris, & gloriæ, quod in ea non resplendeat.* Idem sanctus Doctor cap. 8. ejusdem speculi, eadem verba põderans simul cum verbis Angeli; *gratia plena Dominus tecum;* cum dixisset, Dominum universalem, & opulentissimum esse cum Virgine, subintulit: *Ecce MARIA quantus Dominus, quam opulentissimus est, qui tecum est! Et quia Dominus opulentissimus, opulentissime est tecum, ideo tu es opulentissima, seu ditissima secum, ita, ut verè dici possit: Multæ Filiæ, &c. Filia Agnes, Filia Lucia, Filia Cæcilia, Filia Agatha, Filia Catharina, & multæ aliæ Filiæ, & multæ aliæ Virgines Sanctæ, multæ animæ justæ congregaverunt divitias virtutum, & gratiarum, diuitias meritorum, & præmiorum, sed MARIA uniuersis diuitijs supergressa est excellentissimè uniuersas.*

Maria Divitijs gratiæ, & Sanctitatis omnes Sanctos superavit.

Dominus opulentissimus cum M. ipsam fecit opulentissimã

129. Quod si quilibet actus Virginis hujus sacratissimæ in utero adhuc materno existentis fuit ab instar gressus cujuspiam celerioris semper, quam fuerit præcedens uti jam diximus, quid de alijs dicendum erit, quos fecit totius sanctissimæ suæ vitæ decursu? quæ meritorum, quæ gratiarum, ac donorum Spiritus Sancti, tanta tamque intensa frequentatione actuum, sibi comparavit incremẽta? Quid de altero illo gressu, quem fecit in primo suo in mundum ingressu dicam? Cum enim adhuc uteri materni angustijs detineretur usque rationis adeo polleret, ut ad videndam Divinam essentiam fuerit elevatus ejus intellectus, agnosceretque clarissimè innumera Creatoris, plena manu in se congesta beneficia, ac gratias; quanto devotionis ardore, Deus Immortalis, in Divinam Majestatem exardescens, gratias tam munifico largitori persolvere debuit? Actus hic amoris fuit nimirum gressus longè celerior prioribus, quia Spiritus Sancti habitualis gratia quotidiana semper sumens incrementa, majori, ac majori in dies eam velut singularem Dei Filiam agebat impetu, cum ut S. Ambrosius loquitur, *nesciat tarda molimina Spiritus S. gratia.*

B.V. in utero etiã Matris existẽs proficiebat in Sanctitate.

130. Hos in sanctiori vita assiduos progressus nascentis Virginis, celerimosque ejus ad instar quadrigarum Auroræ decursus, admiratus Salomon, cum illam in Spiritu hunc in mundum venturam prævidisset exclamavit: *Quæ est ista, quæ*

Mariæ progressus in virtute celerrimꝰ ad instar quadrigarũ Auroræ

qua progreditur, quasi Aurora consurgens? Vnde Rupertus Abbas, & Cardinalis Halgrinas per Auroram hanc progredientem, natam Virginem intellexere.

131. Quid dicam de celerrimis illis passibus, quos in via Domini sese in Templo, Dei servitio mancipatura, ac consecratura, adhuc trimula faciebat? Nonnulli ex contemplativis asserunt Virginem, indicibili quadam celeritate, absque ullius adminiculo quindecim illos Salamonij Templi gradus non sine Parentum adstantium admiratione ascendisse, ut hac ratione nobis ostendere velle videretur, quantis, quamque expeditis passibus in Dei obsequio promerendaque ejusdem gratia esset processura; & ad quam sublimes insuper gradus gratiæ, ac sanctitatis in dies singulos, agilitatem hanc Spiritus, amoris fervore, qui ejus pectore delitescebat abunde suggerente, conscensura.

B.V. in Téplo præsentata mirè assiduè in Sanctitate proficiebat.

Maria Tépli gradus trimula cum esset celerrime cõscendit.

132. Gressus hosce celerrimos promptissimamq; Deiparæ in Divinum obsequium, Deique gratia promerenda voluntatem, elegantissimè sane Religiosissimus descripsit Mantuanus lib. 1. Parthen. dum ita canit.

Ventum erat ad magni Templum sublime Tonantis
Quo ducunt ter quinq; gradus de marmore vivo.
Et jam porrectis curuabat prona lacertis
Serua manus, summum ad limen latura puellam;
Cum mox Virgineo conceptum pectore Numen
Adfuit, & retrahens prompta sinuata Ministra
Brachia, debilibus plantis, animoq; vigorem
Addidit, & supra ætatem fiducia creuit,
Protulit audaces sublata cyclade passus
In sublime volans Virgo, turbamq; relinquens:
Sicut ubi multa volitant ad littora puppes
Ocyus illa subit portum, qua mole minori
Labitur, & melius velis, & remige fertur.

Hos Virgineorum passuum volatus jure merito nobis ob oculos proposuit Mantuanus, ut ex his externis ad interiores illos intellectus, ac voluntatis gressus in Divinum amorem totaliter plenoq; cursu tendentes, penetraremus.

B. V. in Sancta Sanctorũ habitando mirè in sanctitate profecit.

133. Et quis tandem explicare queat celerrimos illos gressus, quos sancta sanctorum incolens in via sanctitatis, omnisque virtutis assiduâ rerum Divinarum contemplatione bonorumque operum exercitatione faciebat? Celerrimos hosce gressus in via virtutis, ac sanctimoniæ sanctus Ioannes Damasce: lib. 4. Fid. Ortho. c. 15. paucis comprehendisse visus est, cum dixit: *In domo Domini plantata, & impinguata spiritu, veluti oliua fructifera omnis virtutis habitaculum facta est, ut decebat eam, quæ in sinu DEVM exceptura erat.*

B.V. velut oliva fructifera crescés facta est omnis virtutis domiciliũ.

O quam veloces quam expediti fuerint hi Virginei gressus, qui virtutis tramitem decurrentes tam brevi temporis spatio totius virtutis viam emensi sunt. Celerrimos hosce gressus in gratiæ, ac sanctimoniæ stadio nobis insinuare visus est Angelicus Doctor, cum dixit 3. P. q. 7. ar. 10. *In matre DEI fuit gratia tali dignitati proportionata.* Et D. Augustinus lib. de natura, & gratia: *Inde nouimus tantam gratiam illi esse collatam, quia DEVM concipere meruit.* Cum ergo Divina Maternitas dignitas quædam infinita, atq; immensa sit saltem secundum quid, & terminativè quatenus terminatur in Deum, sequitur sane gratiam, qua ad tantam dignitatem Deipara est evecta, dum adhuc in Templo intra Sancta Sanctorum degeret, esse infinitam, atque immensam, non modo quia omnium creaturarum gratiam, ac sanctitatem superavit; verum etiam quia humano intellectui post gratiã unionis hypostaticæ, est impenetrablis. Hinc Cardinalis Halgrinus encomium illud Sponsæ considerans: *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua absq; eo quod intrinsecus latet;* *Dicitur*, inquit, *Mater speciosa propter ruborem verecundiæ, & candorem innocentiæ, absq; eo quod intrinsecus latet, soli DEO cognitum, nemini manifestum. Nam quanta sit species Beatæ Virginis, ille solus nouit, qui dedit.* Hinc Vener. Dionysius Carthusianus præclarissimè pronuntiavit: *Sanctitas Virginis major esse non potest; Non quia DEVS absolutâ sua potentia ampliorem, ne dum Virgini, sed alijs quoq; præstare possit, sed quia nec decet, nec utiq; fiet. Sanctitate igitur MARIÆ, major sub Filij sanctitate intelligi, & esse nequit, tum quia neque in præsenti vita eius sanctitatis magnitudo ad plenum comprahendi valeat.* (*Incomprahensibilis enim*, ut ait Ambrosius, *incomprahensibiliter operabatur in Matre.*) *Tum quia, post assumptionem hominis à DEO nihil præstantius conferri potest homini, quam ut DEI parens existat, atq; adeo alicui ampliorem gratiam conferri neq; decet, neq; continget; & rursus, quia MARIÆ gratia quodammodo juxta præostensa, infinita est.* Sic Carthusianus.

Gratia & Sanctitas B. V. est quasi infinita, quia ad infinitam dignitatem Divinæ Maternitatis fuit dispositio.

Sanctitas sub Filij Dei sanctitate major quam sit B.Virg. dari non potest.

134. Quod de illo Giganteo gressu dicam, quem fecit in via sanctitatis Virgo sanctissima, quando Annuntianti sibi Angelo Filij Dei in ejus utero peragendam Incarnationem, actum illum humilitatis, atque obedientiæ elicuit verba illa aurea enuntiando: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Actus humi-

Magnum progressum B. V. fecit Sanctitatis in Annunciatione.

humilitatis, ac obedientię, verè pulcherrimus verè celerrimus gressus fuit, quo non modo mortales omnes olim eximia sanctitate conspicuos, verum etiam Angelos, quam longissimè post se reliquit. Audite Seraphicum Bernardinum Senensem Tom. 2. ser. 51. art. 3. c. 1. *Virgo Beata in Conceptionis Filij DEI consensu plus meruit, quam omnes creaturæ, tam Angeli, quam homines in cunctis actibus, motibus, & cogitationibus suis. Nempe omnes, qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, nisi secundum varios status, & gradus gloriam sempiternam; Hæc autem Virgo in illo admirando consensu, meruit totalem fomitis extinctionem, dominiũ, & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum.*

M. in conceptione Filij quãtum promeruerit?

135. Audiamus, & alium Seraphinum Bonaventuram cap. 13. spec: similia pene in Virginis laudem alteri illi Seraphino accinentem: *Inuenimus,* inquiens, *Reginam Cœlorum supergredientem omnes sanctos in superabundantia meritorum, & præmiorum sine termino juxta illud: Multæ Filiæ congregauerunt diuitias; tu supergressa utiq; es certe in natura, supergressa es in gratia, supergressa es in gloria uniuersas filias, uniuersas animas, uniuersas intelligentias Angelicas, ô MARIA. Dico quod MARIA in natura supergressa est uniuersas Filias hominum dum quod natura non admittit, Virgo concepit, & Virgo peperit juxta illud: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium; & non solum hoc, quod Virgo Filium, sed etiam quod DEUM peperit super omnem naturam est. Ideoq; Beatus Hieronymus ait: quod natura non habuit usus nesciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana pauet cœlum, stupet terra, creatura etiam omnis miratur cœlestis, hoc totum est quod per Gabrielem MARIÆ diuinitus nunciatur, & per Christum adimpletur. Item supergressa est MARIA in gratia uniuersas animas sanctorum, dum non solum gratia plena, sed etiam superplena fuit, Teste Gabriele; qui prius dixit: Aue gratia plena, & postea subjunxit: Spiritus Sanctus superueniet in te. Si autem gratia plena fuit, ergo quidquid sibi superueniens, postea Spiritus Sanctus contulit, in hoc utiq; plusquam plena, in hoc certè superplena fuit. Vnde Beatus Bernardus: Veniente jam Spiritu Sancto plena sibi, eodem quoq; superueniente nobis superplena, & superfluens fit MARIA. Item supergressa est MARIA in gloria uniuersas intelligentias Angelicas. Ipsa enim est thronus ille sapphirinus, qui super firmamentum Angelicum exaltatus est,* Ezech. 1. *Propter hoc Beatus Bernardus ait: Ascendit plane MARIA super omne humanum genus, ascendit usq; ad Angelos, sed & ipsos quoq; transcendit, & cœlestem omnem supergreditur creaturam.* Tandem postquam pulcherrimos hosce, celerrimosque consideravit gressus sanctus Doctor, concludit: *Sic ergo charissimi MARIA egressa, & progressa, & ingressa, & supergressa est. Egressa,* inquit, *est nascendo ad vitam miserorum, progressa est proficiendo in gratia priuilegiorum, ingressa est perueniendo ad Regnum cœlorum supergressa est excedendo gloriam omnium Beatorum. Ecce igitur dulcissima Virgo Maria, ecce vere Dominus tecum sicut Sol cum Aurora progrediente.*

M. Sanctitate & gratia omnes sanctos supergressa.

B. V. superueniente in illam Spiritu S. gratiâ Divinâ super plena fuit.

B.V. in gloria supergressa est omnes Angelos.

B.V. Thronus Sapphyrinus, qui super firmamentum Angelicum est exaltatus.

B. V. miri in gratia DEI, alijsque priuilegijs progressus.

Intellexit hos Virginis in omni virtute, ac sanctitate post Filij DEI Incarnationem mirandos progressus B. Hieronym' ser: de Assump: dum eam cunctis Virginibus in sanctitate incomparabilem, solisque Divinis usibus ob gratiæ singularis plenitudinem mancipandam pronuntiavit: *Beata,* inquiens, *& gloriosa Virgo Maria, quamuis dudum incomparabilis esset uniuersis, quæ sub cœlo sunt Virginibus, ut decenter posset in se suscipere Diuinitatis admixtionem, salua utraq; natura, tamen cum gratia repletur, cum Spiritu Sancto perfunditur, cum virtute Altissimi obumbratur, fit preciosior meritis celsis, sublimior fastigijs, pulchrior sanctitate, gloriosior suorum prærogatiuis meritorum, ita ut nullis jam usibus sit ipsa eademq; mancipanda nisi Diuinis.* Hactenus S. Doctor.

B.V. meritorum eminentia.

Intellexit denique S. Gregor. Thaumat. ser. 1. de Annunc. in Verbi Conceptione mirificè DEIparæ nostræ auctam fuisse sanctitatem, cum in illa Gratiæ Thesaurum; qui partium, ut plurimum, auri nimirum, argenti, gemmarum hisq; similium aggregatione cumulari consuevit; reconditum fuisse affirmavit. Reddens enim rationem, cur Gratia plena dicta sit, intulit: *Quia cum ipsa totus gratiæ Thesaurus reconditus erat. In omnibus enim generationibus, hæc sola Virgo Sancta corpore, & spiritu extitit, solaq; fert eum, qui verbo omnia portat. Et non solum nobis admirationem parit sanctissima illius in corpore pulchritudo, sed & virtutes animæ eius.* Idem Sanctus Virgineæ hujus gratiæ plenitudinem explicans, Divinam gratiam in ea domicilium fixisse asseverat: *Tuum enim,* inquit, *verè est auere, & gaudere, quoniam tecum Diuina Gratia ut nouit, habitationem elegit; cum Ancilla Rex gloriæ, cum speciosa, speciosus forma præ Filijs hominum, cum impolluta, qui sanctificat omnia.* Sic ille.

In Maria totus Gratiæ thesaurus reconditus.

In Maria Diuina Gratia habitationẽ elegit.

130. Quid dicam de gressibus illis, quos

quos in via sanctitatis triginta annorum spatio cum dilectissimo suo Filio in Nazareth commorando faciebat? quam celeres, quam veloces eos fuisse oportuit, siquidem in Gigantem illum cœlestem exultantem, & currentem ad nos redimendos inque ejus Heroicas, Divinasque operationes intentos semper habens oculos ad eum magnis passibus sequendum, assequendumque mirificè accendebatur, tantisque ejus sanctimoniæ in semetipsa exprimendæ studijs, desiderijsque anhelabat, ut ne quidem interdormiendum à virtutum consequendarum studio desistere videretur.

Maria Filij exemplo proficiebat in virtutibus

137. Hoc sibi voluit D. Ambrosius, cũ varias sanctissimas, atq; perfectissimas Virginis actiones, atq; exercitationes enumeraret. *Et tamen*, inquiens, *cum quiesceret corpus vigilabat animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit* (ceu varios Divini amoris actus, quos de die se exercitaturam forte proposuerat) *aut gerenda pranuntiat*. Crediderim sanè in sanctissimæ vitæ dilectissimi Filij, ejusdemq; Diviniſſimarum actionum contemplatione, tantis ejus imitandi, atque assequendi æstuasse desiderijs, ut illis sponsæ verbis velut suis, se in illa præfiguratam cognoscens, uteretur: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*, Cant. 1. Quæ desideria Sponsæ expendens sanctus Bernar: ser: 21. in Cant.: *Cum*, inquit, *se rogat trahi, ostendit quid desit sibi non pecunia sed virtutis; Et quid mirum si indiget trahi, qua post Gigantem currit? qua comprehendere nititur eum, qui salit in montibus transilit colles? Velociter, ait, currit sermo eius, Non valet ex æquo currere non potest pari cum illo celeritate contendere, qui exultat ut gigas ad currendam viam, non potest suis viribus, & propterea rogat se trahi. Erit quando non indigebo tractore, inquit, quoniam voluntariè & cum omni alacritate curremus. Non curram ego sola, & si solam me trahi petierim, current & adolescentulæ mecum. Curremus pariter, curremus simul; ego odore unguentorum tuorum, illa meo excitata exemplo, atque hortatu, ac per hoc omnes in odore unguentorum tuorum curremus. Habet Sponsa imitatores sui, sicut & ipsa est Christi. Et ideo non ait singulariter curram sed curremus.* Hæc Bernard. de Sponsæ desiderijs in sanctitate progrediendi, currendiq; post cœlestem illum Gigantem; quam pro sua reverentia exauditã fuisse nil dubitandũ.

Mariæ cursus in virtutibus celerrimus quia post Gigantem currebat.

138. Iã si intensior habitus gratiæ majorem fervorem actui virtutis conferre consuevit, quid facies Sponsi hæc suavis tractio? (quam ego peculiare illud Dei auxilium dixerim, quod ad intensiorem eliciendam actum requiri asserit P. Salazar.) Addiderit sine dubio ad impulsum illum Spiritus Sancti vehementem, quem intensior gratiæ habitus ad celerius movendos in via virtutis gressus cõferre consuevit; addiderit, inquam, tractio Sponsi alas quasdam quasi igneas, quibus sublevata Virgo, non tam gressus summa celeritate glomerare, quam volare quodammodo videbatur.

Habitus gratiæ intensior majorem fervorem virtutis actui confert.

139. Igneas hascé alas tunc vel maxime Virgo sanctissima assumpsisse visa est, quando Spiritus ille Divinus omnis sanctitatis auctor in linguis igneis descẽdit super Apostolos, ac Discipulos, inter quos teste sancto Evangelista Luca Virginis Fidelissimo secretario, annumerata fuit Maria. Tunc, tunc Virginis charitas ardentissima, atque intensissima igneas assumpsit alas, tunc non tam accelerabat pulchros illos suos gressus, quam ad instar scintillarum volitabat; De ardentissima hac celerrimaque Deiparæ charitate, cujus impulsu tam celeriter in via virtutis gressus suos ponebat, ut volare videretur, eam admirans Sponsus, pronuntiavit: *Lampades eius, lampades ignis atq; flammarum*; seu ut legit Symachus, ad hujus motionis Divinæ ostendendam vehementiam: *Impetus eius, impetus ignis*; seu ut Arabicus ad ejusdem motionis declarandam volitanté quandam celeritatem: *Extensio alarum eius, sicut alarum ignis*. Atque ita donis, ac charismatis Spiritus Sancti præsertím vero ardentissimæ in Deum charitatis repleta Deipara, die illo fęlicissimo Pentecostes, velut Seraphinus quidã igneis hiscé amoris alis subvecta, flammas undique euibrando, in sanctitatis stadio volitare videbatur.

Maria alis igneis volabat post Sponsum.

Maria in Pẽtecoste alas igneas ad instar Seraphini acquisivit, quibus in via Sanctitatis volare videbatur.

140. Si enim de Cherubinis illis (*quibus aspectus erat, quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectum lampadarum*) *vaticinatus est* Ezech. 1. *Et animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*; quanto magis idẽ de Virgine tam inusitatis Divinæ charitatis exæstuãte incẽdijs dici poterat? Verè enim de Diuino hoc amore præclarè experientiã ipsã edoctus disseruit Beatus Iustinianus lib. de Casto cõn: cap. ultimo ad finem. *Praceps*, inquiens, *amor*

amor dilationem non patitur, moras nescit desiderio fruendi quod diligit. Nam ignitus amor semper meditatur nova, & insueta componit. Impatiens namq; cum sit, cogitare non desinit, quomodo ardentiùs diligat, diligatur dulciùs, fortiùs teneat, familiariùs conversetur. Nil secum amari vult, solus cordis concupiscit principatum. Nec à clamore vox, nec gemitus à corde, nec ab inquisitione sollicitudo, nec ab intimis conquiescit desiderij ardor, nisi per præsentiam Dilecti; qui namq; ferventiùs diligit, fatigatur vehementiùs, quamvis ipsum amoris immensitas, laborem considerare non permittat. Hæc Iustinian.

Natura Divini Amoris.

141. Quid dicam denique de ultimo illo, quem ex mortali hac ad immortalem vitam fecit gressu, dum tota, velut novella quædam Phœnix amoris concremata incendijs, totis præcordiorum affectibus, *quem olim suo fovit gremio*, ut loquitur Iustinianus, *desiderabat videre regnantem in cœlorum solio*; quotquot eliciebat in illa vitæ postrema periodo, hujusmodi amoris actus, totidem erant velocissimi, pulcherrimique Virginis gressûs, imò totidem unicæ illius, castissimæque Columbæ in cœlum volatus. Quem amoris gressum, ac volatum tantò oportuit esse velociorem, quantò magis tendebat ad finem, cùm juxta Philosophorum placitum: *Motus velocior in fine, quàm in principio esse consueverit.*

M. in extrema vitæ periodo, profectus in virtutibus

142. Adeò porrò intensus, ac vehemens ab intensissimo gratiæ, & charitatis habitu elicitus ultimus ille amoris actus extitit, ut vi suâ sanctissimam illam animam à purissimo corpore separaverit. Quare Beata Theresia revelavit, cuidam sui Ordinis devotissimo Religioso, Deiparam amoris impetu vitam abrupisse. Quod ubi ipsa intellexit petierit fortassis & obtinuerit ab ea simili amoris Divini vehementia à corpore separari, siquidem ita illam ex hac vita migrasse asseverant. Idem testatur Albertus Magnus, & Venerabilis Dyonisius Carthus.; quod etiam facilè colligi potest ex Guer. Abb. ser. 2. de Assumptione, cùm ait: *Languit timore tota vita, dolore in passione, amore in morte.*

M. vi amoris mortua

B. Theresia etiam vi amoris mortua.

143. Verùm ipsam Deiparam id B. Brigittæ lib. 6. Revelat. cap. 62. revelantem audiamus: *Paravi*, inquit, *me ad exitum*, (scilicet post discessum Angeli, obitum illi denunciantis) *circumiens omnia loca more meo, in quibus Filius meus passus fuerat. Cùmq; quodam die animus meus suspensus esset in admiratione Divinæ charitatis, tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tantâ exultatione, ut vix se capere posset, & in ipsa consideratione anima mea fuit à corpore soluta.* Quam resolutionem fuisse suavissimâ eadem Mater sanctissima S. Ioanni Evangelistæ revelavit, ut testatur eadem Sancta Brigitta lib. 4. Revel. cap. 23. dum Deiparam ita loquentem Ioanni introducit: *Tu es, quem DEO placuit vocare cum levissima morte de Mundo propinquiùs mihi. Ego enim quasi obdormivi in separatione animæ, & corporis, & evigilavi in gaudio perpetuo. Nec mirum, ego quippè amariùs præ cæteris in morte Filij mei dolui, & ideò placuit DEO, me de Mundo morte levissima separare.* Cujus separationis causam doctissimè explicuit Soarius Tom. 2. in 3. P. Disp. 21. sect. 1. qui postquam præmisisset: *Quamvis Beata Virgo mortua non fuerit, ui alicuius morbi corporalis, vi tamen amoris, & ardentissimi desiderij & intensissimæ contemplationis obijsse*; mox attexuit. *Fieri enim, inquiens, potest, ut mens tanta efficacia, & intensione in his actibus occupetur, ut velut destituat corpus, ita ut paulatim eius dispositiones remittantur, ac deficiant, ac tandem ob earum defectum non possit anima in corpore cõservari.*

Mortem suam qualis fuerit, Deipara revelavit S. Brigittæ

M. in contéplatione Divinæ Charitatis mortua.

M. morte suavissimâ quia Christo amarissimè commortua

144. Cum igitur tanto amoris impetu Matrem Filius ad se properantem pulcherrimis illis, velocissimisque passibus cerneret, laudaverit eos sine dubio, eiq; amanter dixerit: *Quam pulchri sunt gressûs tui in calceamentis Filia Principis!* Pulchri verè sunt hujus cœlorum Reginæ gressûs illi Divini amoris, eò quod sanctissimam ejus animam pulchritudine incredibili, ac planè Divinâ decoraverint; quæ animæ pulchritudo cùm in gratia atque charitate consistat, quantò intensior, majorque gratia, & charitas extiterit, tantò major, gratiorque ipsius animæ pulchritudo evadat, necesse est. Cùm ergo immensa quodammodo fuerit gratia Sanctissimæ Virginis, ut volunt Sancti Patres, immensam sanè, & Divinæ quam proximam interiorem pulchritudinem Deiparæ, quæ omnem sub Deo creatam puræ creaturæ venustatem superaret, fuisse oportuit. Ad quam, quia intensioribus, ac intensioribus semper actibus, velut celerrimis pervenit gressibus, jure merito vel ipsi Divinissimo Sponso tantam conciliavit admirationem, ut pronunciare debuerit: *Quam pulchri sunt gressûs tui in calceamentis Filia Principis!*

Pulchri sunt gressûs B V. ipsius videlicet virtutum actus, quia animam ipsius pulchram effecerunt.

145. Pulchri verè hi gressûs fuere, utpotè sanctæ voluntatis atque intellectus actiones, quibus velut pedibus incedens, interiori animæ pulchritudini in dies singulos summum decus addebat, ac ornamentum; additura semper in infinitum majùs, etiamsi myriades annorum supervixisset. Non enim credibile est, multiplicatis ipsius virtutis actibus Fontem illum inexhaustum Divinæ Bonitatis, undequaque naturâ suâ diffusivum, defuturum unquam fuisse, quin actûs illos tam intellectus, quàm voluntatis, velut gressûs in suæ Majestatis obsequio factos, observando, novâ semper gratiâ, ac consequenter majori pulchritudine internâ animum Virginis decorasset. Quare jure merito hos affectuum Virgineorum pedes, velut radices cujuspiam pulcherrimæ, atque fructuosissimæ Arboris Sancta Brigitta Oratione quartâ ex illis divinitus revelatis, æternum benedixit,

Pedes quibus M. in via virtutis incessit, sunt Intellect9 & Volūtas

O Domina mea Virgo prudentissima, inquiens, *laudentur æternaliter pedes tui sacratissimi, super omnes radices incessanter fructum afferentes: Sint pedes hi tui benedicti, qui DEI Filium gloriosum Fructum dulcissimum in tuo corpore inclusum portârunt, corpore tuo incorrupto existente, tuáq; Virginitate semper illæsa permanente. O quam honestè incedebant pedes tui sanctissimi! Verè de quolibet eorum vestigio Rex cœlestis consolatus extitit, & tota cœlica Curia gavisa fuit iucundissimè.*

M. pedes S. Brigitta benedixit.

146. Neque vero mira nobis illa gressuum Virgineorum celeritas videri debet, cum actibus intellectus, ac voluntatis, velut quibusdam pedibus peracta fuerit, constetque hujusmodi actus, utpotè spirituales, velocitatem quandam habere imperceptibilem. Vnde Claudianus summam currentis velocitatem, exprimere volens, cecinit:

B. V. ideò celeres gress9 fuere, quia fuerunt actûs intellectus & voluntatis, qui sunt celerrimi.

Non ita solicita mentis discurrit acumen.

147. Quamobrem jam in posterum mitari desinam, cùm audio Virginem hanc Sanctissimam Aaronicæ Virgæ ab amygdalo præcisæ à Sanctis Patribus comparari, de qua in lib. Num. cap. 17. stupendum planè legitur prodigium: *Invenit germinasse Virgam Aaron in Domo Levi, turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis, in amygdalas deformati sunt.* Iure merito hæc verba Sanctus Ephræm Syrus secum expendens, in illa prorupit verba: *O viridens Aaronis Virga. Virga enim verè extitisti, & Flos Filius tuus:* De Virginea hac Virga Sanctus Hieronymus præclarè: *Virga simplex, atq; purissima, & unione fœcunda, eum florem edidit, qui dicit in Canticis Canticorum: Ego Flos campi, & Lilium convallium.* De hac Virga inquit Ambrosius; *Hæc est Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpa fuit.* Quam ob causam Seraphicus Bonaventura, Virgam hanc admirabilem, stimulum quendam esse proficientibus in virtute, insinuare visus est; quis enim eam flores virtutum, fructûsque sanctorum operum tantâ celeritate maturantem, ad profectum faciendum in spiritu non accendatur? *Virgo MARIA*, inquit ille cap 12. Spec. *est Virga lignea, Virga florida proficientibus. De hac Virga dicitur in Num. quod Virga Aaron, quæ utiq; lignea fuit flores simul, & fructum habuit. Per flores virtutes signantur, quæ post transitum Diabolicæ hyemis in cordibus oriuntur: De his dicitur in Canticis: Iam hyems transijt, imber abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra. Transeat ergo hyems, transeat torpor, quo charitas refrigescit, & tunc iterum flores appareant virtutum. O quantis floribus Virgo florida abundavit, teste Beato Bernardo, qui ipsam alloquens ait: Tu Sanctorum areola aromatum, à cœlesti consita pigmentario, virtutum omnium floribus delectabiliter vernans. Sicut autem per flores virtutes, ita per fructûs opera virtutum signantur. Quando ergo in virtutibus, & in virtutum operibus per exempla, & merita MARIÆ proficimus, tunc Virga lignea, florida, & fructifera nobis est Virgo MARIA.* Hæc S. Bonavent.

M. Virga Aaron amygdalina in celeritate pficiendi.

Exemplo B. V. proficiendum in virtutibus.

148. Cùm igitur Virgo Deipara Virga Aaronis prodigiosa, Virga amygdalina extiterit, ut Sanctissimorum Patrum asseveratione constat, quid mirum si tantâ velocitate illam festinantem in via Sanctitatis, statimque in primo suæ Immaculatæ Conceptionis instanti, flores, frondes, ac fructûs pulcherrimos, sapidissimosq; omnis Sanctimoniæ producentem intueamur?

M. profectum in virtutibus celerem Virga amygdalina denotat.

Hinc in sacris literis Virga amygdalina Symbolum vigilantiæ, solicitudinis, atque celeritatis esse consuevit. Quamobrem apud Hieremiam Prophetam c. 1. ubi legit vulgatus: *Virgam vigilantem ego video;* legit Hæbreus; *Virgam amygdalinam;* legêre alij: *Virgam properantem, seu festinantem ego video.* Quemadmodum enim amygdalus præ cæteris arboribus evigilat, & solicita est, ut quamprimum flores, & fructûs proferat: Sic Virgo San-

Virga amygdalina vigilātiæ & celeritatis Symbolū.

Sanctissima reliquos Sanctos omnes, qui velut fructiferæ, atque amœnissimæ quædam arbores secus decursus aquarum illarum cœlestem Hierusalem lætificantium consitæ florent, ac fructificant, in producendis Sanctimoniæ floribus, ac fructibus quantocyus, maximis passibus in via virtutis decurrendo, antevertit.

149. Quam ob causam cœlestis Sponsus, ejus eximias Sanctitatis celebraturus laudes, non aliundè, quàm à pedibus, pulcherrimisque gressibus eas exordiri voluit. Noverat enim eos, suâ admirabili velocitate, quâ viam Domini decurrêre, uberrimam quandam, eorum encomiorum, quæ in Canticis celebrantur messem subministrasse; cùm ab eorum venustissimorum gressuum celeritate, uti jam diximus, Divinæ gratiæ incrementa, (quibus animæ pulchritudo constat) dependeant. Vnde quia Sponsus, quâ Deus est, nec gratiæ, nec gloriæ, cum accidentia sint, capax esse potest; ejus laudes extollere cupiens Sponsa eas non à pedibus (quia gratiam, ac gloriam, quam per suam essentiam plenè possidebat, gradatim eum consequi non erat necesse) sed à capite exorditur, quod est Divinitas, Fons nimirum, atque origo bonorum omnium, omnisque gloriæ, quâ immensa illa Majestas perfruitur. Sic enim Filiabus Hierusalem sciscitantibus qualisnam tandem esset suus ille Dilectus? Respondit Sponsa Cant. 5 eumque vivis depinxit coloribus: *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus: Caput eius aurum optimum. Coma eius sicut elata palmarum, nigra quasi corvus. Ocul: eius, quasi columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lota, & resident juxta fluenta plenissima.* Tandem cum genas, labia, manus, ac ventrem descripsisset, laudes omnes terminat in pedibus & cruribus: *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* At verò contra Sponsus suæ Sponsæ laudaturus pulchritudinem, à pedibus, pulcherrimisq; affectuum Sanctorum gressibus, utpotè ijs, qui tantæ pulchritudinis interiores causa extitere, sumit initium, idque singulari quâdam admiratione suspensus: *Quam pulchri sunt*, inquiens, *gressus tui in calceamentis Filia Principis! Iunctura femorum tuorum, ut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis*; tum reliqua sanctissima Sponsæ collaudans membra, Panægyrim universam in capite, Carmelo illud comparans, terminavit: *Caput tuum ut Carmelus*; innuere nobis perspicuè volens charitatis intensioribus, ac intensioribus semper affectibus, velut pulcherrimis, celerrimisque gressibus ad altissimum quendam perfectionis, ac eximiæ Sanctitatis Montem, qualis est Carmelus, pervenisse: imò in Montem quendam editissimum, amœnissimum, ac fructuosissimum, atque adeò in habitationem, ac domicilium Sanctissimorum Virorum Eliæ, atque Elisæi, reliquorumque Dei Servorum, vestigia illorum Prophetarum consectantium, evasisse: ut verè ingenuè fateri, summâ animi alacritate omnes illius mysteriosissimi Montis incolæ, quales revera sunt Religiosissimi Patres Carmelitani, valeant: *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te Sancta DEI Genitrix.*

M. pulchritudinis encomia cur non à capite sed à pedibus inchoata?

Christi Sponsi laudes cur à capite inchoatæ, & in pedibus terminatæ.

M. pfectâ in virtutibus ad Montem perfectionis conscendit.

150. Aliam Cælius Pannonius in suprà citato M. S. in Cant. diversæ hujus laudationis à capite, & pedibus causam reddit, humanæque simul voluntatis declarat nobilitatem: *Vide nunc mihi*, inquit ille, *differentiam encomiorum. Scriptum est suprà cap. 5. quia cum Sponsa delinearet Sponsum filiabus Hierusalem, à capite laudes eius cœpit: Sponsus verò hic à pedum pulchritudine Sponsam in primis commendat. Nec sanè sine Sacramento. Quippè Sponsæ intentio erat, ab eo laudem primam Sponso tribuere, quod præcipuum in ipso esset. Hoc autem DEVS est. Christi enim Caput DEVS est 1. Cor. 11. Id quod & Sponsus in Sponsæ commendationem facit. Quid enim preciosius in homine ipsâ voluntate, quâ movetur, graditurq; anima. A qua Scriptura Sacros DEI Prædicatores commendat, cùm dicit, Isa. 52. Quam pulchri super Montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis Salutem! Excussi quippè esse debent Prædicatori Evangelici pedes, id est, voluntas ipsa cum omni eius affectu, ab omni pulvere avaritiæ, & cæno luxuriæ, alijsq; vitiorum inquinamentis, quæ ornamenta potiùs vivæ fidei, & charitatis, & omnium virtutum in se desumere debet, ut sit speciosa.* Concludit denique morali documento, monetque hac in peregrinatione omnes calceatos, ac præparatos esse debere ad tolerandas adversitates, ac tribulationes, donec ad terram promissionis pertingamus. *Vnde*, inquit ille, *Prædicator veris laudibus extolli merebitur potissimum, si sit promptus sequi hilariter Dominum vocantem, in omnem eventum dispositionis eius. Sic*

Sicut Spōsa à re prīcipali orditur laudes Sponsi nempè capite; sic Sponsus à pedibus qui voluntatem notant.

Præcipuũ ornamentum hominis est voluntas qua movetur, & graditur anima.

& nos convenit calceatos esse pedibus, donec in hac peregrinatione sumus, id est, ut parati simus ad obediendum DEO, ad omnem iussum eius, sive sit adve...am carni, sive secus, dummodo fiat voluntas DEI in nobis. Sed vide mihi, quia populus ille in suis calceamentis diuturnius, & per magnos labores, & ærumnas, & vexationes à tribulatione malorum, & dolore intravit in terram promissionis. Sic & nos per multas tribulationes oportet introire in Regnum DEI. Vnde Christus Luc. 24. Nonné hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Quod de se dicit; de omnibus dicit. Parati ergo simus semper calceatis voluntatibus ad obediendum DEO, mortificantes nos & separantes ab omni terrenorum affectione ad imitandum in præparatione cum omni obedientia. Hæc Cælius; quæ sanè nobis declarant, ponuntque ob oculos, quam pulchra, ac speciosa fuerit Virginis voluntas, quæ ipsum omnis pulchritudini Auctorem habere meruit Laudatorem; quam etiam semper prompta & expedita ad omnem nutum Divinæ Majestatis, assiduâ actuum voluntatis, sese beneplacito DEI submittẽtis frequentatione, exsequendũ.

B. V. imitanda in præparatione ad obediendũ DEO, & progrediendũ in virtutibus

151. Vnde non contentus Sponsus commendare dumtaxat hujus Virginis Heroicos, ac Giganteos pedum gressûs, commendat & ipsorum pedum, femorumque juncturas; *Iunctura femorum tuorum velut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis.* Hæ juncturæ siquidem assiduâ in obediendo, sanctiorisque vitæ decurrendo tramite, exercitatione, ac cursu, adeò solutæ, agiles, facilesque evasere, ut preciosissimis Divinæ gratiæ monilibus, manu omnipotentis illius Artificis Spiritus Sancti fabrefactis ob habilitatem illam, facilitatemque exornari sint promeritæ, quo novis hujusmodi gratiæ auxilijs decorata, & quasi monita Sponsa, agiliori semper gressu virtutis callem posset decurrere. Cùm igitur & pedum omnes juncturæ adeò solutæ, atque ad currendum habiles, & gressûs omnes DEIparæ, adeò celeres extiterint, affectûs Divini amoris, reliquarumque virtutum quotidie intensiores ab ipso purissimæ Conceptionis oriente, usque ad ultimum vitæ sanctissimæ occasum eliciendo, quis dubitare poterit eam ad infinitam, immensamque quandam Sanctimoniam, Divinæ illi, Sanctissimi Spiritus, quam simillimam pervenisse?

B.V. in obediendo Divinæ voluntati facilitas atq; agilitas.

152. Vnde Sancti Patres penè Divinam, ac incomprehensibilem eam agnoscentes, soli DEO, soli Spiritui Sancto cognitam fuisse fatentur. Audiamus Divum Augustinum serm. de Assumpt: *Ineffabilis Sanctificationis gratia, quantum in corpore valuerit Virginis, illi soli notissimum, qui de ipsius natura Naturam suscepit, quam condidit.* Et paucis interpositis. *De tanta,* inquit, *Sanctitate loqui totum, ut est, impossibile est omni lingua humana.* Audiamus & Rupertum Abbatem lib. 3. in Cant. qui spiritualem pulchritudinem, ac Sanctitatem Virginis describens, ubi encomiũ illud recitasset: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es, oculi tui columbarum, absq; eo quod intrinsecus latet;* exclamat: *O Pulchritudo admirabilis, quam sic admiratur, & collaudat pulcherrimus Autor ipse pulchritudinis. Igitur oculi tui columbarum, & hæc vera pulchritudo est, absq; eoquod intrinsecus latet, quod solus in te DEVS videt, nobis autem, quia inexpertum, idcircò ineffabile est.*

M. Sanctitas soli DEO cognita.

Pulchritudo B.V. interior qui in nos latet, idcircò ineffabilis nobis est.

153. Denique Sanctum Bernardinum Senensem, qui Patris æterni fœcunditati Virgineam conferens, Sanctimonia quâdam Divina, perfectionumque Divinarum infinitate soli Spiritui Divino cognita DEIparam exornati debuisse, affirmavit; *Quod DEVS generet DEVM,* inquit ille Tom. 1. ser. 61. ar. 1. cap. 12. *nulla requirebatur in DEO dispositio, cùm ei ex natura conveniret, ut per viam naturæ intellectus produceret Verbum, per omnia sibi æquale, sed quod Fœmina conciperet, & pareret DEVM, est, & fuit miraculum. Oportuit enim, ut sic dicam, Fœminam elevari ad quandam æqualitatem Divinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum & gratiarum, quam æqualitatem creatura nunquam experta est. Vnde ut credo ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus Sancti, quæ in Beatam Virginem descenderunt in hora Conceptionis Divinæ, intellectus humanus, vel Angelicus nunquam potuerunt attingere. Et cùm Virgo diceret: quomodo fiet istud? Angelus respondit, se tantum mysterium ignorare, dicens: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quasi dicat: quod à me quæris ignoro, sed æterna Sapientia Doctor, qui sibi soli hoc altissimum mysterium reservavit, te per illuminatissimã experientiã edocebit.* Idem S. Pater clariùs ostendit Tom. 2. ser. 51. ar. 3. cap. 1. infinitam hanc DEIparæ perfectionem, ac Sanctimoniam à solo DEO comprehendi, dum ait: *Tanta fuit perfectio eius, ut soli DEO cognoscenda reservetur iuxta illud Eccli 1. Ipse creavit eam in Spiritu Sancto suo, vidit, dinumeravit.*

B.V. ad generandum DEI Filium disposita, p quandam infinitatẽ pfectionũ.

ravit.

rauit, & mensus est, scilicet ipse DEVS solus. Quam ob causam crediderim Beatum Andream Cretensem orat. 1. de dormit: Virg. sapientissimè pronunciasse; *Virginem tantum DEI solius esse laudare, qui in ea tot, tantaq; perpetrauit miracula.* Addit insuper. *Si quid quod nos superat, in ea Diuina operata est gratia, nemo miretur intuens, ad nouum, & inæstimabile, quod in ea peractum est mysterium, ab omni infinitate, infinities infinitè exemptum*; quibus verbis insinuare voluit pijssimus Antistes infinito Incarnationis mysterio, infinitam quandam gratiam, ac sanctitatem, seu dispositionem in Virgine præmitti debuisse.

Dei solius est B. V. laudare.

154. Quandoquidem igitur Virgo Beata assidua virtutum exercitatione, quasi continuo quodam, atque indefatigabili cursu ad tam sublimem sanctimoniæ, Diuinam illam Spiritus Sancti æmulantis, apicem euolauit, & ad instar Solis exultauit, semper ad arduam illam Sanctitatis viam Giganteis quibusdam passibus decurrendam, adeoque solicitè coram DEO ambulavit, ut quemadmodum sanctæ Brigittæ reuelauit Angelus in suo ser: Angel. c. 14. *pedes suos ne ad unum quidem passum moueri sineret, nisi prius discussisset, quæ utilitas inde proueniret*; ponamus illam ob nostræ mentis oculos, ejusque constantissimos ad sanctimoniæ perfectionem indipiscendam conatus imitemur. Ipsa velut Sol fulgentissimus luce sua mentibus ad virtutis cognoscẽdam perfectionem affulgescet nostris, ipsa calore suo, à quo ut sapientissimus ait Idiota *nemo est qui se abscondat*, animos ad virtutis amorem succendet, adeoque pijssimo, castissimoque hoc suo calore cordis nostri angustias, ac pusillanimitatem dilatabit, ut cum Regio Propheta, Deo canere sincerè possimus: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*, Psal. 118.

Maria in virtutum profectu imitanda.

Maria nũquam pedé mouit absq; spirituali utilitate.

155. Ponamus inquã nobis semper ob oculos Deiparam Virginem, dum in hac nostra peregrinatione inter tot discrimina, hostiumque insidias ambulantes vias arduas, ac periculosas, ad cœlũ tendimus: certoq; nobis persuadeam⁹, quia ad hoc data est huic mundo à benevolẽtissima DEI providentia, ut ejus consectemur vestigia. Verius enim de hac Maria Dominus per Prophetam Micheam c. 6. quam de Sorore Moysi locutus est. *Popule meus, quid feci tibi? aut quid molestus fui tibi? responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruientium liberaui te, & misi ante faciem tuam Moysem, Aaron, & Mariam?* Vere enim ante faciem nostram misit DEVS MARIAM, ut in eam ejusque passus toto hoc difficillimæ peregrinationis curriculo mentis oculos intendentes, sacratissima vestigia, ac gressus, quibus in via virtutis cucurrit obseruemus, & juxta Divi Bernardi ser. de verb. Apoc. consilium *eadem amplectamur*: *Amplectamur*, inquit sanctus Abbas, *Mariæ vestigia Fratres mei, & devotissima supplicatione illius pedibus prouoluamur; teneamus eam nec dimittamus eam, donec benedixerit nobis*; gratiamque à dilectissimo suo nobis obtinuerit Filio, tantis, tamq; velocibus itineribus progrediendi in via sanctitatis, quantis ipsa dum in hac mortali vita degeret properavit.

Maria nobis à DEO missa ut illam imitemur.

Mariæ vestigia amplectenda.

156. Ponamus nobis etiam ob oculos Moysen, & Aaron, quos etiam ante faciem populi Israëlitici de captivitate Ægyptiaca egredientis miserat Dominus, ut eorum consectantes vestigia, sanctissimosque mores observantes, à virtutis semita minimè aberrarent. Horum instar sit nobis unicus Christus summus Legislator, isque verè Sapientissimus cui nemo similis in Legislatoribus, summus Pontifex secundum ordinem Melchisedech. Hic nobis una cum sanctissima Virgine Matre, ante faciem, oculosque nostros jugiter obversetur; eorundemque vitam omnibus sanctitatis numeris absolutam contemplantes, ad currendum virtutis stadium, ea quæ retro sunt obliviscentes, accendamur; caveamusque ne unquam in via Divini obsequij subsistamus. Verissimum enim sanctorum Patrum præsertim sancti Bernardi Epist. 254. est placitum. *Nolle proficere non nisi deficere est. Inter profectum & defectum in hoc statu mortalis vitæ nil medium invenitur sed sicut corpus nostrum continuè, aut crescere, aut decrescere: sive necesse est spiritum proficere, semper aut deficere.*

Christus & Maria in hac peregrinatione ob oculos habendi, ut in virtute proficiamus.

Nolle proficere, est deficere.

Atque ut nunquam subsistamus aut torpescamus, ad hunc profectum in spiritu ad currendum hoc stadium sanctitatis excitat nos idem Vir S. exemplo Christi: *Ipse hominis, sæculiq; autor quandiu cum hominibus conuersatus est, nunquid stetit? Et quidem, teste scriptura; Pertransijt benefaciendo, & sanando omnes, pertransijt non remissè non pigrè, non lento gradu, sed quemadmodum scriptum est: Exultauit ut Gigas ad curren-*

Proficiendum semper exemplo Christi, qui nũquam substitit, sed pertrãsijt benefaciendo.

currendam viam à summo cœlo egressio eius. Exultauit verè,& cucurrit ad instar fortissimi, ac generosissimi Herois, ac Gigantis, magnisque passibus amore stimulante à summo cœlo properavit in Vterum Virginis, eisdemque velocissimis passibus tota vita,salvandi generis humani causa, ad instar cerui,capreæ, hinnulique contendit.

157. Vnde hanc ipsius hominibus benefaciendi demirata Sponsa celeritatem,quasi attonita concinebat. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorum,* Cant. 2. Quæ verba sanctus Gregorius expendens, dixit Christum quosdam quasi saltus,ad instar Cervi, hinnulique dedisse, dum de cœlo exilijt in uterum Virginis, de Vtero in præsepe, de præsepi ad Crucem, de Cruce ad Inferos,de Inferis ad Cœlos. O quam verè dixit David. *Velociter currit sermo eius.* Eosdem saltus pijssimis explicuit versibus Petrus de Riga, Vir Religiosissimus S. Bernardo Syncronus, uti reperi in ejus M. S. quod habetur in Bibliotheca Milstadiensi Equitum S. Georgij:

Christus ad benefaciendum nobis celer ad instar capreæ hinnuliq; cervorum.

Ad Sponsam veniens humilis factus Deus altus,
Ad terram quosdam demittit ab æthere saltus:
Venit ab excelsis saliens in Virginis aluum,
Virgineumq; decus fuit hac in Virgine saluum:
In breue præsepe salijt de ventre pudoris,
Vbera sugendo Diuini plena liquoris:
Hinc de præsepi Crucis in prænobile Lignum
Venit, & attriuit hostem moriendo malignum:
De Cruce præclara saltum dedit in monumentũ
Sustinuitq; sacrum mundi lapis ille talentum:
De tumulo,quo decubuit penetrauit Auernum;
Hinc redijt surgens solium petit ille supernum:
Transilijt montes & colles sic operando
Nam nullus Sanctus par extitit hunc imitando.

O quam verè totus attonitus contemplando hæc mirabilia Incarnati Verbi itinera, quæ summa magnanimitate ad instar formidandi cujusdam Gigantis confecerat exclamauit Abacuc. c. 3. *Aspexit, & dissoluit gentes,contriti sunt montes sæculi ab itineribus æternitatis eius.*

158. Post hunc Gigantem currendum nobis est cum Ecclesia IESV Christi Sponsa, quæ licet tam magnis passibus, tantisq; Divinæ gratiæ auxilijs præuenta cucurrit, quia tamen majoribus quotidie, ejus amore inflammata, proficisci contendebat ad Sponsum, supplex deprecabatur. *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Cant. 1.

Ecclesia desiderans proficere, trahi se post Sponsum rogat.

De hoc cursu Apostolus nos ad profectum excitans inquit: *Sic currite, ut comprahendatis*, bravium scilicet, quod idem Bernardus vult ipsum esse Christum. *Currentem*, inquit ille, *non apprehendit,qui & ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi. Ibi Christiane fige tui cursus,profectusq; metam,ubi Christus posuit suam. Factus obediens usq; ad mortem. quantumlibet ergo cucurreris, si usq; ad mortem non perueneris bravium,quod Christus est non apprehendes. quod si illo currente gradum tu sistis, non Christo appropias,sed elongas,timendumq; tibi est, quod ait David: Ecce qui elongant se à te peribunt. Itaq; si proficere,currere est; ubi proficere, & currere desinis; Vbi vero non currere ibi & deficere incipis.*

Brauium nostrũ est Christus.

159. Hanc ob causam Diuus nos monet Augustinus, ne unquam in profectu viæ spiritualis nobis complaceamus; complacentiam enim hanc nostram videri segnitiem: *Semper*, inquit ser. 15. de verbis Apostoli, *tibi displiceat, quod es, si vis peruenire ad id quod nondum es? Nam ubi tibi placuisti,ibi remansisti; si autem dixeris; sufficit,jam peristi. Semper adde,semper ambula; semper perfice, noli in via remanere, noli retro redire,noli deuiare. Remanet, qui non proficit; retro redit qui ad ea redit, qui ad ea reuoluitur unde jam abscesserat, deuiat, qui apostatat. Melius it Claudus in via,quam cursor præter viam.*

Christus quam proximè imitandus.

Idem supra memoratus Sanctus Bernardus eadem illa Epistola ad cursum hunc spiritualis profectus excitat nos Angelorum exemplo, quos viderat Iacob, in mysteriosa illa scala cœlos pertingente: *Vidit*, inquiens, *scalam Iacob,& in Scala Angelos ubi nullus residens,nullus subsistens apparuit,sed vel ascendere,vel descendere videbantur uniuersi, quatenus palam daretur intelligi inter profectum, & defectum in hoc mortalis vitæ statu nihil medium inueniri.*

Angelorũ exemplo proficiendum in virtute.

160. Ambulandum igitur nobis est, & magnis passibus ambulandum, & coram DEO non quomodocunque, sed solicite ambulandum, & justitiæ Sanctitatique aquirendæ vacandum. Vnde volens Dominus Abrahamo medium efficacissimum ad perfectionem, sanctitatemque obtinendam præscribere. *Ambula*, inquit, *coram me,& esto perfectus. Similiter Propheta Micheas c. 6. postquam litem populo Israelitico ob ingratitudinem intentasset: Audiant*, inquiens, *montes iudicium Domini,& fortia fundamenta terræ, quia judicium Domi-*

Ambulandum in via perfectionis coram Domino.

Lis DEI cum populo ingrato

Domini, seu ut legit Tigurina, *lis est Domino cum populo suo;* postquam illis varia beneficia, ut redemptionis, de seruitute Ægyptiaca, missionem Moysis, Aaronis, & Mariæ, quam ducem illius difficillimi itineris ipsis benignissimè concesserat, exprobrasset; & compunctus populus ad tantæ ingratitudinis improperium respondisset: *Quid dignum offeram Domino? curuabo genu DEO excelso? Nunquid offeram illi holocaustomata, & vitulos anniculos?* &c. Tandem secretum quoddam, mediumque efficacissimum ex Dei præscripto consequendæ sanctitatis eis proponit: *Indicabo tibi*, inquiens, *ò homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitè ambulare cum DEO tuo.* Idem nobis Dei voce dici arbitremur: *Dilige, & fac iudicium; Dilige misericordiam, & solicitè ambula cum DEO tuo:* Dilige, inquam, & fac judicium, seu justitiam; habeto voluntatem illam constantem, jus suum cuique tribuendi. Habet universorum Dominus jus in corpus tuum, jus in animam, voluntatem, in cor denique tuum: Redde igitur ipsi animam, redde corpus, redde cor, redde voluntatem, libertatemque universam. Dic cum sancto Ignatio Societatis Iesu Patriarcha glorioso, qui tot tamque innumeris Divinæ Bonitatis donis, ac beneficijs se undique circumdatum velut ignibus amoris animadvertens, his vehementer accensus exclamavit. *Suscipe Domine uniuersam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo mihi largitus es id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum; Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & diues sum satis, nec aliud quicquam ultra posco.*

Consiliū optimum quomodo proficiēdū in virtute.

Audi sanctum Augustinum, te ad hoc faciendum serio adhortantem dum verba illa Micheæ ser. 136. interpretaretur. *Quærebas*, inquit ille, *quid offeres pro te? offer te; quid enim Dominus quærit à te, nisi te? quia nihil in omni creatura terra fecit melius te; quærit te à te, quia tu perdideras te.* Hæc Augustinus.

Æschines se Socrati Magistro donavit.

161. Imitandus hac in parte gratissimus ille Socratis Discipulus Æschines nomine, qui ut scribit Seneca lib. 1. de benef. c. 8. cum pauper nihil haberet, Magistro donavit seipsum dicens: *Alij multum tibi dederunt, sed plus sibi reliquerunt; ego vero nil mihi reseruo.* Cui Socrates. *Quid ni tu mihi magnum munus dederis, nisi fortè parui te æstimas?* Quod illustre factum expendens Seneca exclamauit: Vicit Æschines hoc munere Alcibiadis parem divitijs animum & omnium Iuuenum opulentorum munificentiam. Vide quomodo animus inuenit liberalitatis materiam, etiam inter angustias. Videtur mihi dixisse: Nihil egisti Fortuna, quod me pauperem esse voluisti, expediam nihilominus dignum huic viro munus, & quia de tuo non possum de meo dabo. Ita sane unumquemque nostrum totum Deo beneficijs obstrictum agere decet, ut justi esse possimus.

162. Neque verò sufficit semel duntaxat sui hanc integram Deo ter opti: max: fecisse oblationem, facienda ea est quotidie, cum vero, ardentique desiderio, in charitate hac, qua nos Domino consecramus, magnis passibus progrediendi, addit proinde Propheta statim: *Solicitum ambulare cum DEO tuo.* Non est subsistendum, sed ambulandum omnino, & non quomodocunque sed solicitè, & cum Deo nostro; eo plane modo quo videmus Aulicos suis principibus, ac Regibus deseruire. Videre enim est hujusmodi homines suorum Principum nutus minimos, magna attentione obseruare; incuruare se quam possunt submississimè, in omnes partes sese contorquere, & contrahere, quasi abscondendo, atque si spina vel aculeo quopiam pungerentur. hæc enim omnia verbum Hebraicum eo loci adsignificat, quod Vulgatus Interpres vertit; Solicitè.

Solicitè cum Deo ambulandum in via virtutis.

163. Et verò magnus stimulus, atque incitamentum, ut solicitè ambulemus in virtute quotidie, magnis passibus progrediendo, nobis esse debet ipsa sanctissima Dei præsentia, nos ubicunque tandem locorum sumus, mille, imo infinitis oculis circumspectans: Hinc canebat David; *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dexteris est mihi ne commouear.* Quæ Dei præsentia licet columnas cœli, ipsosque Cherubin, & Seraphin, reliquamque cœli militiam faciat contremiscere, solet tamen suos seruos ingenti replere gaudio, ac lætitia. Vnde idem Propheta subdit: *Propter hoc lætatum est cor meũ, & exultauit lingua mea.*

Divinæ præsentiæ vis.

164. Quod si cogitemus etiam quantopere æterna illa, Dei Majestas pro nobis assiduè sua omnipotenti providentia vigilando sit sollicita, ma-

Dei solicitudo pro homine.

gnum nobis sane ad sollicitè alacriterq; in via Domini decurrendum calcar addiderit. Audiamus sanctum Augustin: cap. 10. medit: *Nihil aliud*, inquit sanctus Doctor, *agit DEUS, nisi ut mea saluti prouideat; & ideò totum ad mei custodiam occupatũ video, quasi omnium oblitus sit, & mihi soli vacare velit, semper præsentem se mihi exhibet Deus, semper paratum offert, quocunq; me verto me non deserit, ubicunq; fuero non recedit, quicquid egero pariter assistit, & in cunctis tandem actionibus perpetuus inspector.*
De hac sapientissima Dei sollicitudine gloriabatur Sponsa: *Dilectus meus mihi;* scilicet intendit, *& ego illi*, ut Sanctus interpretatur Bernardus: Quam solicitudinem idem Sanctus Pater expendens, quasi extra se positus exclamat: *Itané huic intenta est illa Majestas, cui gubernatio pariter, & administratio Vniuersitatis incumbit? & curam sæculorum ad sola transfert negotia, imo otia amoris, & desiderij hujus? Ita planè.* Tum concludit: *Ille mea liberationi intendit, ego illius honori, ille mea saluti, ego illius voluntati. Ille mihi, & non alteri, quia una sum columba eius.*

Idem mellifluus Doctor pientissimam hanc Dei erga nos solicitudinem magis enucleat ser. 2. de Pent. ubi expendens verba illa Psalmi: *Dominus solicitus est mei. Vides*, inquit, *quam verum dixerit ille; Dominus solicitus est mei. Pater ut seruum redimat, Filio non parcit: Filius seipsum libentissimè tradit; Spiritum Sanctum uterq; mittit, & ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Tandem bene considerata hac plusquam paterna totius sanctissimæ Trinitatis in humanum genus solicitudine, duritiam nostram increpat, quam Divini amoris ignis non emollit; *O duri*, inquiens, *& indurati, & obdurati Filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amor, qui pro vilibus sarcinulis tam preciosas merces expendit, quid ergo à te quærit, qui tanta solicitudine te quæsiuit, nisi solicitum ambulare cum DEO tuo?*

SS. Trinitatis in nos beneuolentia, ac solicitudo.

165. Solicitudinem porro hanc semper in via Dei progrediẽdi, menti nostræ indit Spiritus Sanctus, quo mystica illa Ezechielis repleta Animalia; *Non reuertebantur cum ambularent*, ut ait sacer textus, *sed unumquodq; ante faciem suam gradiebatur.* Quæ verba ponderans Sanctus Papa Gregorius Hom. 3. in Euang: *Sancti cum incedunt*, inquit, *minimè reuertuntur, quia sic à terrenis actibus ad spiritualia transeunt, ut ad ea, quæ reliquerunt, ulterius nullatenus reflectantur; quasi enim per quandam viam eis incedere est, mente ire semper ad meliora. Quo contra de reprobis dicitur, quia reuersi sunt corde in Ægyptum. Ante nos enim æterna sunt, post nos temporalia, quia & illa pergentes inuenimus, & ista recedentes, quasi post dorsum relinquimus.*

Ambulandũ in virtute exẽplo sanctorum animalium, quę nõ reuertebantur.

166. Hic Divinissimus Spiritus est Præceptor ille, de quo Evangelicus Propheta Isa. 30. vaticinando. *Et non faciet*, inquit, *auolare à te ultra Doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum; & aures tuæ audient verbum, post tergum monentis: Hæc est via ambulate in ea, & non declinetis, neq; ad dexteram, neq; sinistram.* Gratia enim excitans, illuminans intellectũ, inflammans affectum, vox est illa sanctissimi istius Præceptoris, & Doctoris, qui docet nos omnem veritatem. Gratia, inquam, illa nos in benedictionibus dulcedinis præveniens, viam virtutis, ac sanctitatis nobis quasi digito demonstrans, identidem quasi viua vox clamitat: *Hæc est via ambulate in ea.*

Spiritus S. est Præceptor sua inspiratione nos ad profectum incitans.

167. Doctor hic veritatis Sanctissimus, cuilibet perfectionis operi, ut numeris omnibus absolutum sit, senas, quasi Seraphin addere consuevit alas, quibus, quodammodo in cœlum subvectum gratissimum efficitur Divinæ Majestati. Has alas Pater noster Ludovic⁹ de Põte, vocat præsentiam Dei: Puritatẽ intentionis placendi Deo: Orationem præviam bono operi: Fiduciam in Deum, qui juvat ad perficiendum opus: Fortitudinem in rebus arduis ex corde ardenti: Perseuerantiam denique vsque ad finem, etiam in rebus difficillimis.

Alæ sex in quouis bono opere, ut gratum Deo sit, & in cœlum subuehatur requiruntur.

168. Hæ alæ sunt illæ, quas desiderabat David; *Quis mihi dabit, pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Columbam dixero Spiritum S. ejus vero alas; Gratiam prævenientem, & concomitantem. Hæ alæ sunt etiam aquilarum, de quibus Isa. 4. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, ut aquilæ, volabunt, & non deficient.* His alis anima fidelis subvecta in via Divini obsequij non tam progreditur, quàm volat, nec ullum finem proficiendi sibi potest constituere. Verissimè enim D. Bernardus Epistola ad Garinum Monachum: *Vera virtus finem nescit, tempore non clauditur: Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit satis est, sed semper esurit, sititq; justitiam, ita ut si semper viueret,*

Alæ columbæ sunt gratia Spiritus S. præueniens, & concomitans.

Nunquam à studio perfectionis desistendum.

ret, semper quantum in se est justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere, totis viribus conaretur. Non enim ad annum, vel ad tempus instar mercenarij, sed in æternum divino se mancipat famulatui. Audi vocem Iusti: In æternum non obliviscar iustificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me; Concludit tandem Vir sanctissimus, impossibile esse in via virtutis subsistere absque defectione, & retrocessione. O Monache, inquiens, non vis perficere? non: Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic, inquis, mihi vivere volo, & manere in quo perveni; nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis quod esse non potes? quid enim stat in hoc sæculo? Et certè de homine specialiter scriptum est: Fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Hæc S. Bernardus.

Subsistere in via perfectionis est deficere.

169. Alas hasce columbinas, piamque solicitudinem proficiendi in virtutibus indiderat Spiritus Sanctus purissimæ illi Virgini Sanctæ Ceciliæ, dum coram Angelo suo Custode, & in præsentia ipsius Angelorum Domini solicitè ambulans, tota orationi, ac contemplationi, corporis afflictationibus dedita propriâ suâ perfectione non contenta, aliorum etiam procurabat, sanctisque colloquijs ad fidem Christi, ad Martyrium accendebat, uti Valerianum Sponsum, Tiburtium, Maximumque, & alios innumerabiles. Quamobrem solicitæ Apiculæ ob dulcedinem charitatis in DEUM, proximumque transfusæ, eam Ecclesia comparans canit: Cæcilia famula tua Domine tibi quasi Apis argumentosa deservit.

S. Cæcilia Apis ob diligentiã proficiẽdi in virtutibus.

170. Talis solicitudinis plena Apicula fuit B. Aloysius Gonzaga noster, qui in Divinæ Majestatis conspectu adeò solicitè sese gerebat, majores in dies faciendo in virtute progressûs, orationis, ac meditationis assiduæ potissimum exercitio, ut nullam unquam mentis evagationem pateretur. Quod cùm Cardinalis Bellarminus vehementer miraretur, sciscitanti quinam id fieri possit? Respondit B. Adolescens: Mirari se potiùs quânam ratione quispiam in oratione distrahi posset, dum cogitat se in præsentia tantæ Majestatis consistere, ac cum ipso DEO loqui. Quod, uti & alia Auditores Rotæ in processu ejus Beatificationis discutientes, eidem titulum Angeli indidere, eam potissimam crediderim ob causam, quod velut Angelus coram DEO jugiter summâ cum reverentia, ac veneratione versaretur.

B. Aloysius velut apis mel perfectionis assiduè colligebat

B. Aloysius in oratione nullas distractiones passus

B. Aloysius Angelus appellatus, & quare?

171. Neque verò Divina duntaxat præsentia nos ad progrediendum in virtutibus, sed etiam Virginea summopere extimulare debet. Vnde S. Epiphanius lib. de laudib. Virginis eandem Multioculam, quasi nos, mortaliumque actiones omnes, innumeris circumspiceret luminibus, appellare non dubitavit.

M. præsentia nos ad virtutem æstimulare debet.

B. Amadeus Episcopus Lausanensis Angelicis illis Spiritibus, qui à plenitudine scientiæ nomem invenere, quosq; sacræ literæ plenos oculis, intus & extra fuisse dixêre, imò & ipsis Seraphinis, eandem DEI Matrem contulit. Idem fecit Guilelmus Abbas, ut alibi retulimus; Quia nimirum, & scientiæ plenitudine, & oculorum multitudine perspicacissimè mortalium actiones omnes intuetur, & ardore charitatis extimulata, veluti Seraphinus quispiam senis alis subvecta, ad opitulandum nobis in via perfectionis progredientibus advolat, calcar addit, opemque ne lassi in tam ardua, ac difficili peregrinatione deficiamus, ac concidamus viribus, porrigit. Hinc Magnus ille Imperator Leo Hom. 7. Cœlum quoddam terrarum Orbem circumvolitans, & gratiæ Divinæ imbribus illum irrigans, DEIPARAM esse dixit: Moratur in his etiam terrenis, & circumit, & magis ubiq; adest animatum illud Cœlum, omnium similiter curam gerens, beneficentiæ suæ guttas distillans, arentisq; vitæ nostræ constitutionem irrigans. Addiderim ego; Cœlum verè quoddam esse DEIPARAM, non modò quod terram hanc nostram circumeat, visitet, atque irriget, verùm etiam quod velut cœlum in hujus tenebriosi Mundi nocte, millenis suæ providentiæ oculis, ceù totidem lucidissimis Stellis nos, nostraque consideret, lucem porrigat, ac benignis gratiæ influxibus mirificos effectûs in hominum animis operetur.

Est B. V. Multiocula ad instar Cherubinorũ.

M. velut Cœlum nos circuit, ut nos videat, & gratiæ suæ imbribus aspergat.

M. velut Cœlum stellatum nos suis oculis cõsiderat, ac illuminat.

172. Quæ cùm ita se habeant, si Severinus Boëtius necessitatem quandam nobis benè operandi inditam censuit, ob Divinum illum intuitum cuncta penetrantem; memorabilemque illam pronunciavit sententiam: Magna nobis indita est necessitas benè faciendi, cùm simus ante faciem Iudicis cuncta cernentis. Multò sanè majorem inditura nobis est necessitatem velocissimis passibus in sanctioris vitæ tramite progrediendi ea consideratio, quod semper, & ante DEI cuncta cernentis, & DEIPARÆ multioculæ faciem consi-

DEI & MARIÆ præsentiã necessitamur ad benè agẽdum & perficiendũ.

consistamus, quæ laborem nostrum in tanto itinere conficiendo, considerans pro innata sibi charitate feret opem, alas addet, ut non modò post eam ad Sanctitatem indipiscendam, magnis passibus currere, verùm etiam volare possimus.

173. Consideremus identidem sanctissimæ hujus Virginis pulcherrimos illos, celerrimosque, & verè Heroicos, atque Giganteos, de quibus hactenus discursum est, passus, & admirabilem illam ipsius velocitatem in Sanctitate consequenda contemplantes, ad eundem virtutis cursum animemur. Imaginemur singulos hujus Virginis Beatissimæ gressûs illos pulcherrimos, atque velocissimos impressum nobis reliquisse singulare aliquod sui castissmi, atque ardentissimi in nos amoris symbolum; Imaginemur quolibet ipsius, nos admoneri passu: *Curre post me.* Nihil enim magis in votis est Virgini huic sacratissimæ, quàm ut nos dilectissimo in primis Filio, tum sibi in Sanctitate perfectissimè conformatos intueatur. Quis igitur æquissimis ipsius votis, ac desiderijs non aquiescat, quis post illam, ipsius Divinissimarum virtutum insistendo vestigijs, non currat velocissimè? O si gressûs hi pulcherrimi hujus cœlestis Principis Filiæ raperent oculos nostros. O si de unoquoque nostrum sanctiori modo dici posset illud, quod de Sandalijs Iudithæ scriptum est: Iudith. 16. *Sandalia eius rapuerunt oculos eius, pulchritudo eius captivã fecit animam eius;* quò tanta virtutum, Sanctimoniæque Virginalis pulchritudine rapti, & captivati, in hac sancta, ac fœlice captivitate Mundo, ejusque concupiscentijs mortui, Deo soli, Virginique vivere valeremus: O si quemadmodum hæc Virgo Beata ad singulos suos gressûs, vestigium quodpiam sui in nos amoris reliquit, sic nos ad singulos ferè passûs, ipsi Salutem (uti devotissimus ille Coloniensis Civis, teste Cæsario lib. 2. Exemp. cap. 12. factitabat) diceremus. Irremuneratos certè gressûs hos transire, Virgo Beata non permitteret, sed omnib⁹ cœli bonis locupletaret.

M. gressûs singuli nos ad cursum in virtute comonent

B.V. singulis suis gressibus symbolum sui in nos amoris relinquit.

174. Si enim quemadmodum dilectus Domini Iesu Discipulus docet Ioannes, qui pravorum dogmatum Satorem quempiam salutat, dicendo illi Ave, communicat operibus ejus malignis 2. Ioan: v. 11. quantò magis salutando Virginem, Deiparam gratiâ plenam, benedictam in mulieribus, comunicabit operibus ejus sanctissimis, infinitisque meritis; communicabit in plenitudine ipsius gratiarum omnium, communicabit denique in omnibus ejus benedictionibus dulcedinis, quibus eam pervenit Dominus, qui semper cum illa fuit, ita ut nunquam ampliùs ab illa recesserit, sed fuerit cum illa & in mente, & in ventre. Hanc suarum gratiarum communicationem salutantibus facturam se nobis Virgo ostendit, in jam memorato illo Coloniensi Cive, veste planè nuptiali ipsum amiciendo. Hic enim, cùm post suum ex hac vita discessum, vestitu splendidissimo decoratus sese nepti cuidam suæ visendum exhibuisset, licet in tota veste, maximè tamen inquit Cæsarius; *In caligis, & calceis scriptus erat per totum versiculus. Ave MARIA gratia plena, &c. quia, ut dixi, eundem versiculum deambulando frequentaverat, cruribus eius, & pedibus crebrius inscriptus apparebat.* Hæc Cæsarius.

B.V. salutans, communicat cum illa in plenitudine gratiæ, & omnibus benedictionibus.

B.V. ad singulos passûs quoad fieri potest salutanda.

175. Ad singulos igitur, quo ad ejus fieri potest gressûs, nobis ob mentis oculos versetur Maria, procuremusque ut memoriam nostram, ut loquitur Sanctus Damascenus, promptuarium Deiparę efficiamus, & vestigiorum ejus consectandorum cupidi oremus illam cum Propheta. *Perfice gressûs meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* O quam præclarè, simul, ac Paternè unumquemque nostrum monuit mellifluus Bernardus Hom. 2 super Missus. *In periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens, non devias, ipsam rogans, non desperas, ipsam cogitans, non erras, Ipsa tenente, non corruis, ipsa protegente, non metuis, ipsa duce, non fatigaris, ipsa propitia pervenis,*

176. O si affectum illum P. Ioannis Baptistæ Novati Ordinis Clericorum ministrantium infirmis illustrissimi Syderis, in Deiparæ eminentissimam Sanctimoniam, puritatemque plusquam Angelicam, cujus ille castissimo amore captus, se totum, vitamque suam illi devovebat, ac mancipabat, in nobis experiremur, & ad ejus consectanda vestigia nosipsos accenderemus! Libet hic ejus verba attenere, quo tanti Viri exemplo eminentiam Sanctimoniæ, puritatis Vir-

gineæ,

gineæ, privilegiorumque singularissimorum Divinitus ipsi communicatorum amore capti, ad eam imitandam pro modulo nostro excitemur. Sic igitur ille initio Tomi primi: *Eminentissima Virgini Mariæ semper immaculata, semper illibata, hominum, & Angelorum Domina, Regina, Imperatrici Monarchissa Potentissima; Filia, Sponsa, Matri DEI praelecta, predilecta; Restaurationis humana Cooperatrici, superbientem Tartarei Colubri cervicem calcanti, conterenti; Doctorum Doctrici: inter Martyres plusquam Martyri, Virginum Antesignana; ab ipso primo Conceptionis momento cœlestibus donis, virtutibus cunctis, Divinitus decorata, Sanctitatis Exemplo, Miraculorum Miraculo, singulari DEI Simulacro. A nemine satis, à solo DEO digna laudanda, omnium pijssima Matri; omnium ad omnia paratissimo Profugio, Ioannes Baptista Novatus seipsum supplici affectu venerabundus devovebat.*

P. Ioan. Baptistæ Novati Clerici Regularis in B. V. affectus.

B. V. à nemine satis, sed à solo DEO laudanda.

177. Eadem prorsus in Virginem pietate, ac veneratione, ad initium Tomi secundi simile ejus Sanctimoniæ, eximiarumque ejus virtutum, ac prærogativarum pulcherrimum contexuit elogium, seseque illi in mancipium obtulit, ac consecravit, quo ejus clementiæ, misericordiæque viscera, semper quidem, sed maximè in postrema illa, periculosissimâque vitæ suæ catastrophe experiri dignus haberetur. Ipsius verba sanè pijssima hæc sunt: *Diva MARIÆ Regibus Iuda Parentibus Magnis, Maiori Filia, Optima Viventium Matri; Maxima totius Orbis Regina semper Augustissima, Thesauris Sapientia, & Scientia DEI ditissima, Virgineo Candore, virtutum omnium Decore, Donis eximijs, Prærogativis singularibus, semper magis admiranda, plurimum adamanda, Hyperduliâ adoranda, Inclyta de Morte Triumphatrici rediviva, Gloriosis Aureolis redimita, Beatitate omnibus Sanctis maiori, solo quem peperit DEO Minori. Cuius in Empyreo potens Imperium agnoscunt Cœlites, Beneficum experiuntur Homines, Terrificum sentiunt Dæmones. Ego Ioan. Baptista Novatus, maiori quo possum submissi animi affectu, vires, ac labores meos dico, meq; ipsum iure Mancipij adstrictum, etiam sponte trado. Vnum Clementissima Domina, à te ardentissimè deprecatus, ut misericordi illo tuo Vultu, à quo quantumvis miserrimus sit peccator, si respicitur, non despicitur, me toto vita decursu, atq; extremò præcipuè contueare. Hinc enim firmiter mihi sperandum erit, ut tuas eminentissimas laudes, quas hic obscurè, & diminutè adumbravi, planissimè, ac plenissimè in cœlesti iubilo decantari audiam. Faxit DEVS.* Hæc Vir Religiosissimus, Virginique devotissimus.

M. Augusta, thesauris Sapiétiæ & Scientię DEI ditissima.

Bapt. Novatus se B. V. in Mancipiũ offert.

178. Cujus sanè in DEI param, ejusque Sanctimoniam, ac numeris omnibus absolutissimam perfectionem amor, ac veneratio jure merito nobis imitanda est, curandumque pro viribus, ut Virginem hanc sanctissimam, purissimamque, morum integritate, innocentiâ, perfectissimâque cordis, animique mundiciâ, separando nos ab omni carnis, ac spiritus inquinamento, æmulemur. Hoc enim revera est verè sanctificari, purumque reddi. Vnde Aloysius Novarinus ex Hieronymo Oleastro Ordinis Prædicatorum docet quod *sanctificare propriè Hebrais est separare, aut separari à pollutionibus, & applicari cultui Divino.* Cupimus igitur Sanctitaté Virginis nostræ Beatissimę Personalem illam Divinissimi Spiritus æmulantem, vitæq; ipsius puritaté in nobis repræsentare? sejungamus nos quam longissimè ab omnibus Mundi, carnisque illecebris, ac cupiditatibus, & ad illam tanquam omnis Sanctitatis Matrem, quæ ipsam increatam, substantialemq; Sanctitatem peperit, quam confidentissimè accurramus, & ex ejus castissimis uberibus, tamquam dilecti Filij lac puritatis omnis sugamus.

M. Sanctitas morũ puritase à nobis imitanda.

Quid sit Sanctitas?

Puritas ab uberibus purissimis B. V. sugenda.

179. Longè nimirum Virginea hæc Vbera, à reliquarũ Mundi hujus mulierum maledicto obnoxiarũ Vberibus differũt. Inebriant illa carnalibus concupiscentijs animum hominis, eique cor, mentemque auferunt; *Fornicatio enim & vinum, & ebrietas,* ut ait ipsa Veritas, apud Oseam cap. 4. v. 11. *auferunt cor; mentem* videlicet mortalibus ad libidinem illiciendo, easque dementando; unde sapienter è quodam, *Libidinis folles,* ardorem concupiscentiæ, velut ignis perflantes, atque accendentes, appellata sunt. At verò purissima Virginis nostræ Vbera, quæ ipsum omnis puritatis Fontem lactaverunt, amorem Sanctimoniæ, puritatisq; Angelicæ intuentibus aspirabant. Ita ut verè, *casti amoris folles* dici possint.

B. V. Vbera quæ Fontem puritatis lactaverũt puri, ac sancti Amoris folles.

180. Quod expertæ Adolescentulæ, innocentes nempè, & Virgineæ imitandæ puritatis studiosæ animæ, reipsa in se expertæ, palam professæ sunt, illi amanter concinentes: *Quia meliora sunt Vbera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Cant. 1. Et rursus: *Exultabimus & lætabimur in te memores Vberum tuorum super vinum.*

Vberum B. V. velut unguentorum mira fragrantia

num. Ipse enim Sponsus Cant. 4. v. 10. eorum vim, efficaciamque optimè expertus: *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ Soror mea, Sponsa, pulchriora sunt Vbera tua vino; & odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Vino verè meliora, & pulchriora sunt Virginis nostræ purissimæ Vbera, omnibusque aromatis, ac unguentis preciosissimis fragrantiora. Non enim illa huic vino, quod inebriat & dementat, & in quo est luxuria, sunt similia. Sed Vino illi, cujus similitudinē ipsi oculi Spōsi præseferebant: *Pulchriores sunt oculi eius vino.* Gen. 49. v. 12. vino, inquam, illi conferuntur, quod mentes hominum Divino amore inebrians, extra se ita ponit, efficitque, ut proculcatis carnalium voluptatum illecebris, ac Mundi divitijs, honoribus, ijsque omnibus quæ Mundus tantopere suspicit, atque admiratur, ad cœlestia illa numquam peritura bona, maximis desiderijs anhelent.

B.V. Vbera vino Divini amoris nos inebriant,

Oculi Christi, quia amore Divino inebriant, vino pulchriores

181. De horum Vberum, vinique differentia audiendus hic Rupertus Abbas, qui lib. 3. in Cant. miratur hanc Vberum Virgineorum cum vino comparationem: *Qualis tandem*, inquiens, *est ista comparatio, quid magnum est dicere pulchriora sunt Vbera tua vino? Nam in vino luxuria est, ut quidam amicorum ad nostras adolescentulas scribens, ait: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Magna res integritas uberum; nec satis laudatur hæc tam pulchra res, dum re maritali, sive coniugali pulchrior prædicatur, scilicet lactatione filiorum, quorum initium vinum est, id est, luxuria, quæ cum vino est. Sola Vbera tua pulchra sunt, cæterarum cuncta ubera fœminarum, ex quo id acceperunt, ut Filios suos lactare possent; etiamsi quid pulchritudinis priùs habuerunt, pulchra esse desierunt, ita ut ad ipsa quisq; lactentium veraciter dicat: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, scilicet in iniquitatibus Adæ, in peccatis Evæ. Nam ex illis iniquitatibus, ex illis peccatis cum cæteris malis, istud quoq; vinum venit, scilicet luxuriæ nimietas, per quam conceptus mulieris, adeò super numerum multiplicantur, ut in comparatione reproborum, electi pauci æstimentur.* Sic Rupertus.

Vbera Mulierum vino, in quo est luxuria comparantur.

182. Agnoverat Virgo illa Regio sanguine prænobilis, de qua B. Petrus Cardinalis Damiani Opusculo 47. cap. 1. Mulierum ubera concupiscentiæ carnalis magnam esse illecebram, lac libidinis irritamentum; unde cùm Virginitatem suam illibatam, cœlesti Sponso consecrare decrevisset, ut à se procos averteret, geminos pullos præfocatos inter ubera recondidit, qui putrefacti intolerabilem præsentibus fœtorum afflabant. Rem hanc fatetur se accepisse ab Agnete olim Imperatrice, postea Sanctimoniali; quæ quia à tanta Heroina est profecta, libet eam totidem verbis quibus sibi relatam ab illa, esse ait Damianus hic referre: *Postquam*, inquiebat Agnes, *Imperator Otto Berengario victor eripuit, captas illicò duas eius filias in Teutonicas partes exilio transmigravit. Quæ nimirum Puellæ, dum venusti vultus speciem, & insigni corporum pulchritudine Regiam referrent generis dignitatem, cœperunt multi Regni proceres Adelaidi Augustæ vehementer insistere, ut tam elegantis formæ decus, dotali sibi mererentur copulâ sociare. Quæ Puella dum omnes procos, æquâ prorsus dedignatione contemnerent, & mortale coniugium sanctæ superbiæ supercilio fastidirent, una illarum duos pulcinos suis uberibus supposuit, & tam diu inter vestem & carnem, donec omninò putrescerent, occultavit. Cùm conspiceret homines ad suum venire colloquium, laxabat occultè vestem, & naribus colloquentium gaudebat exhalare fœtorem. Cùmq; colloquentes ei, hanc quotidie narium paterentur iniuriam, tandem cessavit delusa sollicitudo quærentium; & Virgo Christi per simulatam carnis alienæ putredinem, inviolabilem sui corporis servavit integritatem. Vnde factum, ut utraq; postea eligeret Sanctimoniale propositum, & usq; ad finem vitæ Monasticum servarent irreprehensibiliter institutum.* Hæc Imperatrix. Ex quibus perspicimus, quantum sint reliquarum mulierum ubera venereæ cupiditatis lenocinium, quo delusi mortales eorum corda vehementissimis Cupidinis facibus, velut Babylonica quædam fornax exardescunt.

Factum illustre Regis Filiæ.

Vbera Mulierum quomodo adversus libidinem esse possint remedium

Agnetis Imperatr. cum Petro Damiani spiritualia colloquia.

183. At longè alia sunt Vbera Deiparæ inter mulieres benedictæ, quæ à Protoplastis, & à reliquis fœminis omnibus planè fœliciter degénerans, Vberibus suis purissimis non libidinem, sed castimoniæ amorem filijs hominum inhalabat. Vnde quod de Virginis facie cecinit Psalmista Seraphicus Psal. 58. rectè de Virginis illibatis Vberibus celebrare possumus: *Fons bonitatis tuæ inebriat sitientes, & aspectus faciei retrahit à peccato.* Audiendus de hiscé pudicissimis Vberibus B. Alanus in cap. 1. Cant. ubi: *Quæ delectabiliora*, inquit, *quæ meliora, quàm illa Vbera, quæ propinaverunt lac Christo,*

Vbera B.V. amore Divino inebriant, & retrahunt à peccato.

Christo, non ex libidinis fœditate sed Virginitatis fœcunditate? Talia optabat Christus ubere, a tali Vbere lac sugere, quod non caperet carnis lubricum, sed Virginitatis antidotum.

Vberum B. V. laudes.

184. Et sane si quod Virginitatis siue castitatis conseruādæ præseruatiuū ab impuritate Antidotum, aliquis inter juges carnis titillationes, satanæque tentationum incentiua assidue versans requirit, nullum profecto, post Eucharistiæ Sacramentum, quo puritatis omnis continetur Auctor, Vberibus Virgineis reperitur præsentius, atque efficacius. Vnde Vir in Deiparā devotissimus Aloysius Nouarinus Mulieres illas, quæ invisédæ Virginis desiderio peregrinabātur, ejus Vbera religionis gratiâ, quemadmodum S. Ignatius Martyr scribit ad Evangelistam Ioannem, contrectarent, credibile esse ait amorem castitatis, puritatisque imbibisse, & puriores, castitatisque servandæ studiosiores ad sua redijsse.

Mariā invisentes mulieres, ejusq; ubera tangentes puriores redibant.

185. Afflauerint illas sine dubio suauissimi illi Virgineæ puritatis velut fragrantissimorum aromatum, unguentorumque preciosissimorum odores, easq; traxerint ad currendum post eam, vestigiaque ejus Sanctitatis, reliquarumque Heroicarum ipsius virtutū consectanda.

Quemadmodum enim reliquarum fœminarum Vbera fœtorem memphytimque luxuriæ, ita Deiparæ, Virginitatis miram fragrantiam inhalabant. Virginitatis enim ea est, quæ inest floribus, aromatisque natura. Hinc Iulianus & Basilissa, ut à Deipara ejusque Filio ad amorem castitatis conseruandæ allicerentur media hyemis asperitate, qua nivibus, geluque rigebant omnia, veluti verno tempore, quo Annus est formosissimus, liliorum, rosarum, aliorumque florum suauissimorum fragrantia totum eorum completum fuit cubile. Vnde factum ut Virginitatis eum odorem esse intelligentes, mutuo consensu, ad purè casteque in posterum uniuersam suam vitam traducendam accenderentur.

Vbera aliarū mulierum memphytim luxuriæ, ubera vero B. V. odoré castitatis spirabant.

Virginitas suavitate odoris floribꝰ similis.

186. Hujusmodi cœlesti fragrantia non modo Virginis castissima Vbera, verumetiam tota quanta erat, exuberabat. Sensit S. Dionysius Areopagita hanc odorum Virgineorum suavitatem, cum inter reliqua mira, quæ in præsentia Deiparæ expertus est narrat Epistolâ ad Apostolum suum Paulum data: *Tanta etiam in me omnium odoramentorum superabundauit fragrantia, ut nec corpus infælix, nec Spiritus posset totius, ac tanta fælicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit spiritus meus tanta gloria Majestate oppressus.* Quem odorem Baptista Novatus non tam ex complexione naturali, ut Alexandro magno alijsq; nonnullis contigit, quam cœlesti munere singulari, originem habuisse censuit, quo mortales tā Divinum ejus odorem sentientes ad eam amandam, venerandamque, & ad desiderium cœlestis Paradisi, ipsiusque amœnitatis, deliciarumque inflammerentur.

Odorum mira fragrantia in B.V.

Odor B. Virgini datus Divinitus, ut mortales ad ejus piū amoré accenderentur.

187. Cū igitur Virgo gloriosissima omnis Sanctitatis puritatisque Mater sit, habeatque castissima Vbera mirâ Virginitatis fragrantiâ super omnes flores, aromata, ac preciosissima unguenta redolentia, animisque mortalium amorem castimoniæ ingenerantia, accurramus ad illam, uti dixi, tanquam Filij, & inebriemur ab uberibus ejus; ut pulchrā dilectione, cujus Mater est purissima abrepti, & quodammodo extra nos positi, impudicitiam omnem, turpesq;, ac fœdos amores detestemur, certo nobis persuadentes nos è Virgineis ejus uberibus perfectissimam Sanctimoniam, sive mentis corporisque puritatem, velut genuinos Filios hausturos. Exploratum enim est, Nutrices, mores suos, cū lacte in suos alumnos transfundere consueuisse. Hinc Salvianus lib. 5. de Prouidentia: *Nutrices*, inquit, *mores suos vel bonos, vel malos, in pueros quos alunt cum lacte transmittunt.*

Nutrices mores suos cum lacte in Infantes transmittunt.

188. Hinc Moyses infans, ut scribit Iosephus Hebræus Historicus, ac Lyranus impudicarum mulierum Vbera sugere cum Infans esset abhorruit.

Moyses impudicarū mulierum lac sugere detrectavit.

Hinc Rupertus puer, postea Tuitiensis Abbas Virgini addictissimus, ut ejus in Cantica attestantur commentaria, fœdarum mulierum lacte nutriri detractauit, utpote qui Virgineæ Sanctitatis lacte olim spiritualiter erat nutriendus. Quod & S. Catharina Senensis Virgo in Dei Matrem pientissima fecisse memoratur. Sperabat nimirum etiam illa uberibus Matris hujus sanctissimæ lac puritatis, quo Filius Dei, ipsa Divina Puritas est nutritus, ejusque Sanctimoniam amoremque aliquando hausturam. Vnde quid mirum illam Vbera Fœminatum impurarum fuisse tantopere detestatam? Venerat illi nimirum in mentem quid simile fortasse, quod Venerabilis

Rupertus lac impurarum mulierum abhorruit.

Item S. Catharina Senensis.

bilis Richardus à S. Laurentio memoriæ prodidit lib. 2. de laud. B. V. partic. 2. *Sacris Vberibus ministrauit lac DEI Filio Maria, quo pastus est ipse solus, nec puer alius inde bibit. Vnde ipse gloriatur Cant. 5. Bibi vinum meum cum lacte meo, Virginali videlicet, quod totum fuit meum; & propter hoc ipse designatur per Moysem Exod. 2. qui nullius alterius mulieris, quam Matris propria Mammas voluit sugere, sicut dicunt.* Quam preciosum hoc porro sit lac Virgineum atque venerandum; mox attexuit: *Ex hoc autem glorioso lacte nutritus est, & coagulatus ille sanguis, ex cujus effusione nostræ est Redemptionis precium persolutum, & in hoc sanguine continetur vita fidelium animarum; propterea sanguis iste Dominicus bibitur in Altari. Ad hæc Vbera dictauit DEI Filius fœdus nostræ salutis, unde ipsorum repræsentatio Christo exhibita, ipsum exhilarat, nostris iniquitatibus contristatũ. Hinc Isa. 11. dicitur: Delectabitur Infãs ab Vbere. Nutrit nos etiã Vbere duplici Mater misericordiæ, quæ sunt, Castitas carnis, & Benignitas cordis;* (addiderim ego Amorem ipsius in nos Virgineum, ex quo non modo castitatẽ, puritatemq; animi, corporisque sugimus) verum etiam virtutes reliquas, ac gratias, quibus sanctissima ejus anima divinitus decorata fuit. *Et ista ubera tanquam paruuli petimus ad sugendum, cum ei dicimus; Virgo singularis inter omnes mitis, nos culpis solutos, mites fac, & castos. Nota verba singula. Ad honorem illorum Vberum sua commendatione Filius nos inuitat Cant. 4. Quam pulchræ sunt Mammæ tuæ Soror mea, Sponsa! Id est, quantâ reuerentiâ, & honore extollendæ, & quanta dulcedine sunt amplectendæ! ut corde, & ore de ipsis dicatur. Beata Vbera quæ suxisti.*

Vberibus B.V. solus Christus pastus.

Ex B.V. lacte coagulatus est sanguis ille, quem bibimus in Altaris Sacraméto.

B.V. Vbera reuerenda.

Hinc S. Germanus in Theoria rerum Ecclesiæ: Crateras, inquit, Sanguinis Christi interpreteris, Mammas DEIparæ, salutare lætitiæ poculum, & tutelare, ac conseruatorium totius generis humani.

B.V. Vbera sunt crateræ sanguinis Christi, & lætitiæ pocula.

189. Quibus ex verbis Viri Virgini addictissimi discimus nos Vberibus Matris, Vulneribusque Filij in Sacramento Altaris, & puritatem, ac Sanctimoniam, pietatem, amoremque Divinum, ad impuri amoris in corde nostro exæstuantes flammas extinguendas sugere. Quare præclarè Clemens Alexandrinus lib. 1. c. 3. Pædagogi pronunciauit: *Aluisse, & lactasse amoris incitamenta plura habet.*

Hinc B. Card. Petrus Damiani Opusc. 47. ad suum Nepotem de Castitate, & medijs eam tuendi scribens, cap. 2. cui titulus: *Quod frequens Eucharistiæ susceptio est præsidium castitatis;* hortatur serio ad quotidianam Augustissimi hujus Sacramenti pro extinguendo ardore libidinis, frequentationem, propositoque exemplo pudicitiæ, Regiæ illius Filiæ, quod paulo ante ex ipso retulimus, ita loquitur: *Quamobrem pudeat, ò Fili vel vitio libidinis eneruiter, vel in cogitatione succumbere, de quo cernis infirmiorem & fragilem sexum, tantâ cum gloriâ triumphare; & ut frementem bestiam valeas, ut ita loquar ex agro tui juris expellere, satage Frater, te jam quotidie Dominici corporis & sanguinis perceptione munire. Videat occultus hostis labia tua Christi cruore rubentia, quæ territus perhorrescat, & mox in tenebrarum suarum latibula pauescendo diffugiat. Quod enim tu per visibilem panis, ac vini speciem suscipis, ille velit, nolit, Dominici corporis, ac sanguinis intelligit veritatem.*

Frequentatio Eucharistiæ est præsidium Castitatis.

Quotidie communicandum contra tẽtationes castitatis.

Ad quam ille comprobandam, Agnetis supra memoratæ Imperatricis ab ipsa allatis confirmavit exẽplis, dum ita prosequitur: *Porro tunc mihi Venerabilis Regina narrauit, quod nuper in Vormaciensi Ecclesia, dum longiori, per negligentiam tempore Eucharistia reseruata fuisset in pyxide, sola postmodum illic Caro fuerit reperta. Ita dum curiosus in eam multorum visus intenderet, nil aliud, quam veram, ac solidam carnem procul dubio indicaret. Reinaldus etiam Cumanus Episcopus dum adesset, quod sibi paulo ante contigerat enarrauit: Presbyter,* inquiens, *in Ecclesia cui deseruio, cum aliquando post Missam Eucharistiam detulisset ægroto, ut erat deses ac negligens, aliquantulum Dominici sanguinis remansit in calice, quod cum ille ad Ecclesiam rediens comperisset, & fastidio præpeditus noluisset accipere, mox calicem lauit, & in labrum marmoreum in quo erat aqua sanctifica, projecit. Et en, ò magnum Diuinæ virtutis indicium? illam labri partem, quam id quod effusum est de Calice, contigit, in sanguineum ruborem repente conuerti, ubi scilicet majores duæ guttæ sanguinis exprimuntur; sed neq; illa, neq; aliæ, quæ juxta videntur esse minuscula, nullo possunt studio vel ablui, vel abstergi, quo rubor impressi sanguinis aliquatenus valeat aboleri. Cum igitur purpureus ille cruor tam tenaciter hæserit in vase lapideo, quantum putamus jus sibi potestatis vendicat virtus illa cœlestis in pectore Christiano? His itaq; cœlestibus Sacramentis, Fili charissime te frequenter munire non differas, quibus videlicet Diabolicæ versutiæ, & subdulas machinationes repellas. Præcinctus erigere constanter, atq; robustus sta semper in acie, nec ignores indeficientem Aduersarium*

Hostia Sacra cõuersa in carnem visibilem.

Aliud SS. Eucharistiæ Miraculum.

Sanguis Christi ad hæret pectori visceribusque nostris.

Contra Demones Eucharistiâ nos munire debemus.

sarium contra te indefatigabiliter dimicare. Hæc Damianus.

190. Quibus sanè luculenter ostendit, carnem, sanguinemque Christi, qui ex Virginis purissimo lacte coaluit, præsentissimum esse adversus carnis titillantis illecebras, concupiscentiamque efficacissimum antidotum, ut proinde quotidie, quoad fieri potest hæc Vbera Virginea, Vulneraque sacratissima, si illæsi carnis exæstuantis flammas transire desideramus merito nobis sugenda esse intelligamus; si Sanctimoniã, sine qua nemo videbit DEVM, puritatemque haurire, eamdemque in cordibus nostris nutrire volumus. Quamobrem S. Bonaventura in Psalterio Virginem nostram immaculatam non immerito *Nutricem Sanctitatis* vocitauit; ex ejus enim uberibus puritatem, pietatem, Sanctimoniamque omnem, quotquot sancti hactenus extiterunt, & ad finem usque sæculi futuri sunt, tamquam ex uberrimis fontibus hauserunt, eamdemque cum excellentissimo sanctę perseverantiæ dono conservarunt. His enim Vberibus inebriati, & à sensuum illecebris, carnalibus concupiscentijs, voluptatibusq; abstracti, ad perennis vitæ fontem, ad fontes Salvatoris, qui ejus sacratissima sunt Vulnera, anhelarunt, ut in eis absconditi nullos libidinis ardores, insensibiles quodammodo eorum fælici haustu redditi, persentiscerent.

B. V. Nutrix Sanctitatis.

A B V. Vberib9 sancti suam Sanctitatẽ hauserũt, eamq; ad finem usq; conseruarunt.

191. Sunt nimirum Virginea Vbera similia dulcissimis Botris, ut Veritas ipsa, ipse ejus Sponsus asserit, non semel Cant. 7. *Assimilata sunt Vbera tua Botris. Et erunt Vbera tua sicut botri vineæ.* ex quibus videlicet mustũ expressum sicut est dulcissimum, ita & ad potenter inebriandum, mentemque extra se, omniumque terrenorum, mundique, ac carnis amorem ponendam, alienandamque, omniumque hujusmodi fœditatum oblivionem inducendam est efficacissimum. Quod & ipse Filius ejus dilectissimus, propriâ doctus experientiâ nobis insinuare visus est, cum ubera Matris, uti jam memorauimus Botros vineæ fuisse dixit. Quæ verba ponderans, attentius ut assolet idem Richardus lib. 5. ita de ejus misericordia erga peccatores, lacte materno, velut musto botrorum illorum inebriatũ, loquentem Matri introducit: *Recordabor, quod de te carnẽ sumpserim, quod lac de tuis uberibus suxerim, recordabor Incarnationis meæ mysterium. Et ista recordatiò tanquam vini potus, præsentis irritationis, & indignationis oblivisci me faciet, ne festinem ad ad vindictam; quod præuiderat Abacuc cap. 3. Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Addit idem Richardus aliam illius elogij Vberum DEIparæ ad misericordiam Christi erga peccatores, post carnem assumptam ex Virgine comprobandam, interpretationem: *Generaliter,* inquiens, *Vbera Virginis comparantur Botris vineæ. Ex uberibus enim exprimitur lac, & ex botris vinum, quod hominem lætificat, & inebriat, & facit obliuiosum, & facilem ad condonandum irrogatas sibi iniurias, & largum ad danda grandia. Omnino siquidem in hunc modum lac, quod sancta labia Domini expresserunt, & traxerunt à Maternis Vberibus ipsum delectauit, & quadam inenarrabili dulcedine inebriauit, ne recordaretur de cætero, sed facile nobis condonaret irrogatas sibi injurias, & largiter nobis daret gratias, & virtutes in præsenti, & in futuro gloriam sempiternam.*

B.V. Vbera Botri dulcissimi.

Vberibus B.V. velut botrorum musto DEI Filius inebriatus injuriarũ oblitus.

Vberibus B.V. DEI Filius factus liberalis ad dãda nobis grandia dona gratiæ.

192. Quod si B. V. Vbera Filio DEI, qui erat DEVS ultionũ Dominus, vindicans peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, & terribilis, ac ferox instar Rhinocerotis, qui suæ rigidissimæ justitiæ, indignationisq; cornibus ventilabat gentes, usque ad extremum terræ, qui irâ flammantibus oculis respiciens terram, faciebat eam tremere, coram quibus Iob se subsistere posse diffidebat, si inquam B. V. Vbera lacte suo exæstuantem illum ipsius furoris ignem extinguere, iram lenire, ac mitigare potuere; quanto magis concupiscentiæ in membris nostris regnantem, sævientemq; flammarum impetum obruent, & quasi affusâ frigidâ penitus restinguent, omnisque Sanctimoniæ puritatisque amorem in nobis accendent?

Si Vberã B. V. Filij DEI ardẽtẽ contra peccatores iram extinxerunt, multo magis ardorem concupiscentiæ.

193. Quod porro gloriosissima DEIpara Vberibus prædita sit non solum illis, quibus lactavit olim DEI Filiũ, sed & alijs, quibus lactat suos filio adoptivos, ac spirituales Fratres Christi, ejusque Membra lectissima, exploratum est apud Patres, & præsertim Guilelmum Abbatem, qui non semel eam habere Vbera spiritualia, ad lactandos sua pietate, ac charitate filios hominum asseuerauit, & maximè in commentario ad caput 7. Canticorum v. 11. ubi postquam Filium dilectissimum ad excolendos incultos, atque agrestes mortalium animos, ac præsertim gentilium inuitasset;

B.V. Vbera spiritualia pietas & Charitas.

Veni, inquiens, *dilecte mi egrediamur in agrum commoremur in villis, &c.* mox subjecit: *Ibi dabo tibi Vbera mea.* Quæ verba ille ita, Matrem introducens alloquentem Filium, interpretatur: *In Ecclesia gentium dabo tibi, quæ & in Ecclesia Iudæorum olim dedi tibi Vbera mea. Verè apud Iudæos dedi tibi Vbera corporalia ad pascendum te; porro in Ecclesia gentium dabo tibi Vbera mea spiritualia ad pascendos tuos. Spiritualiter enim pascam parvulos tuos lacte materna pietatis, qua te olim pavi lacte corporali pro veritate carnis. Deniq; pro eo, quod tibi sum Mater corporalis, ero tuis Mater spiritualis, materna charitate, quasi proprios parturiens filios, donec plenius formeris in eis; materna ibidem curâ nutriens eos, donec usq; in virum perfectum grandescas in eis. Totum autem hoc faciam, eos tibi assiduè commendando, & augmenta gratiarum eis, pijs à te precibus impetrando.* Quâ tam gratiosâ ad Filium facta pollicitatione quid grati⁹, quid fœlicius aliquid unquam nobis contingere potuit? Pollicetur hoc Virgo fidelis, & pollicetur Mater intemerata ipsi Vnico Filio, ipsi sempiternæ Veritati; & qui fieri potest ut nos fallat?

B. V. Mater nostra spiritualis nutrit nos, assiduè Filio commendando, & augmenta gratiarum impetrando.

Non fallet utique. Novit enim non vulgarem esse dignitatem Matris, proprios lactare Filios. Quod nobis Divus declaravit Ambrosius lib. 1. de Abrah. c. 7. ubi tractans de Sara, lactante Filium, quæ MARIÆ pulcherrimus typus extitit: *Provocantur*, ait, *Fœminæ meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos. Hæc enim Matrum gratia, hic honos, quo se proprijs commendent Viris. Deniq; eos plus amare filios solent, quos ipsæ Matres lactaverunt uberibus suis.* Hæc Ambrosius. Hujus sanè insignis dignitatis, ac gratiæ, hujus præcellentis honoris Matrem Salvatoris minimè oblitam fuisse arbitror, unde ut Sponso suo cælesti, Spiritui Sancto magis placeret, magisq; sese illi commendaret, non modo DEI Filium, verumetiam omnes reliquos spirituales Filios miro pietatis affectu lactandos alendosq; ꝑ materna sua charitate suscepit.

B.V. honori sibi ducit proprios lactare filios.

Matrũ dignitas lactare filios.

194. Accedamus ergo ad hanc Matrem Sanctissimam, de tanta multitudine filiorum lætantem syncerissimâ hac ipsius, amplissimâque â radice immensæ ejus charitatis proficiscente promissione animati, & non dubitemus, quin eam fidelissimam simus experturi. Accedamus ad illam tanquam parvuli, tanquam modo geniti infantes simplicitate, absq; dolo, & malicia, lac ipsius concupiscamus, & castissima ejus pietatis, amorisq; sugamus Vbera, certo nobis persuadentes, nos & Sanctimoniam, ac puritatem vitæ, morumque integritatem, ac innocentiam, amorem denique castissimum, pietatemque veram, & in ipsam, & in Filium hausturos, cum sit ipsissima Sancta & immaculata Virginitas, ipsa Sancta Sanctorum, ipsa Regina Sanctorum omnium, eorundemque omnis Sanctimoniæ, pulchritudinisque spiritualis fons & origo, ipse denique deliciosus cœlitum omnium amor; ad quam Virginem, ut S. Maximus loquitur collata, *omnis pulchritudo est deformitas, & omnis innocentia, peccatum.* Quia videlicet Virginea ipsius, animi præsertim pulchritudo Innocentia, Sanctitas, ac puritas, ut & reliquæ ipsius excellentiæ, ac prærogatiuæ Divinis fuere quam simillimæ, uti decursu totius hujus operis comprobatum est.

195. Cum igitur omnis bonitas, ac perfectio atque adeo & ipsa Sanctitas, ac pulchritudo natura sua sit amabilis, longè sane hæc DEIPARÆ Virginis, utpote increatæ illius æmulatrix erit amabilissima, quia in illa, uti supra Disc. 17. & 18. memoravimus omnis ratio Boni Honesti, Vtilis, ac Delectabilis, veluti epitome quadam comprehensa reperitur; adeo ut & nobis lugendi, ac deplorandi mortaliũ cæcitatem seges amplissima offeratur, quod hæc Mater verè amabilis, Mater pulchræ Dilectionis, quam generando, in ipsum Diuinum Amorem quodammodo transformari visa est, ob tantum Divinissimorum bonorum, ac donorum, ipsi profusâ liberalitate Divinitus communicatorum abundantiam, uti par est, non ametur. O si nobis intimis cordis medullis amor ille vehementissimus exardesceret in hanc Virginem Matrem, quo olim Beati Iacoboni præcordia in ejus dilectissimum Filium æstuarunt, ut proinde assiduè ora nostra genæque uberrimis manarent lacrymis, & requisiti hujuscé planctus causam, dicere cum sanctissimo illo Viro possemus: *Plango quia Amor Virgineus non amatur.* O si denique amore illo in DEIPARAM pectus nostrum deflagraret, quo olim Carolus S. Brigittæ Filius. De quo ipsa Virgo lib. 7. Revelat. cap. 13. contra calumniantem, animæq; ejus in hora mortis inhiantem Satanam ita contestata est: *Dum hæc anima*

B.V. Pulchritudo, & bonitas amabilis.

B. Iacobonus assiduè flebat, quod Amor non amaretur.

anima in corpore erat, magnam charitatem habuit ad me, revolvens hoc sæpius in corde suo, quod me DEVS suam Matrem facere sit dignatus, quodq́; super omnem creaturam me voluerit exaltare. Vnde ex hoc, tantâ charitate cæpit DEVM diligere, ut in corde suo diceret: In tantum ego gaudeo, quod DEVS Virginem MARIAM Matrem suam habeat super omnia charissimam, ut nulla creatura, vel corporalis delectatio in Mundo sit, quam ego in permutationem illius gaudij reciperem, imò illud gaudium omnibus terrenis delectationibus præferrem; & si possibile esset, ut ipsa in uno puncto vel minimo, à dignitate, in qua est, à DEO remotior fieri posset, ego magis in permutationem eligerem in profundo Inferni æternaliter cruciari; & iccircò sit ipsi DEO, pro benedicta gratia illa, & immensa gloria, quam dedit Matri suæ dignissima, infinita gratiarum actio, & gloria sempiterna. Ejusdem ardentissimi amoris beneficio, quo idem Carolus ferebatur in Virginem, in formidabili illa mortis periodo, id consecutus est, ut omnes maligni Spiritûs, stygijque tenebriones à lectulo moribundi arcerentur, frænante eorum audaciam ipsa DEIparâ. Vnde lamentanti Cacodæmoni de vi sibi, suisq; contubernalibus à DEIpara illata, ei ita respondit. *Hoc ego feci pro illa ardenti charitate, quam ipse habuit ad corpus meum* (quod videlicet esset ipsius Divinæ Majestatis domicilium) *item pro eo gaudio quod habuit, ex hoc quod ego sum Mater DEI. Ideò illam gratiam impetravi à Filio meo, ut nullus malignus spiritus ei appropinquaret.* Hæc Mater DEI, & misericordiæ, hominum Patrona fidelissima.

Carolus S. Brigittæ Filius quâ ardenter B.V. amaverit?

Carolus mallebat in Inferno æternum cruciari, quàm aliquid de dignitate B. V. decederet.

196. Quorum sanè vel sola cogitatio mortales omnes, nisi planè amentes, aut suæ salutis obliti sint, inducere deberet, ut summam hanc DEI Matrem, omnium Angelorum, Sanctorumque Reginam, omnis Sanctitatis, perfectionis, bonorumque omnium fontem, Cacodæmonum terrorem, ac flagellum, totius denique Christianitatis Propugnaculum, ipsiusque clementissimam Dominam, Matremque pientissimam, ut eam animitus, medullitusque amarent, affectuque ardentissimo complecterentur; quo tandem in hora illa, in qua de summa rerum, æternâque Fœlicitate, vel infœlicitate agitur eam propitiam experirentur. Quod ad me attinet, ego sanè honori, ac laudi ejus totam animam cum suis potentijs memoriæ, intellectus, ac voluntatis totum cor, totum corpus cum membris omnibus impendo, impendamque in posterum, cupioq; ut ejus amplificandæ gloriæ, dum spiravero, hæc omnia deserviant; eligo denique Inferorum incendijs, supplicijsq; mactari potiùs, quàm permittere, quod in me est, ut vel minimum ejus honori, dignitatique detrahatur. Novi enim benevolentissimam ejus indolem, quod non permissura sit unquam, ut quis hoc in illam ductus affectu æviternum peat. O si ardentissimos illos, tenerrimosque in ipsam experirer affectus, quos ipsius Seraphicus sentiebat Psalmista, illique toto corde concinere possem: *Domina mea quis similis tibi? quæ gratia & gloria superemines universos! Sicut exaltantur cœli à terra, sic tu præcelsior cunctis, & nimis exaltata. Vulnera cor meum charitate tuâ, fac me dignum gratiâ, & muneribus tuis, Fac Domina mea amantissima, ut concupiscentiâ tuâ cor meum inflammetur. Fac me desiderare honorificentiam, & gloriam tuam, ut per te recipiar ad pacem IESV Christi.* Psal. 82. Et quoniam vehementer desidero, ut non modò cor meum, sanctissimo amore tuo assiduè exæstuet, verùm etiam, ut mortalium omnium præcordia tuis flammis castissimis accendantur, ideò cum eodem illo tuo Seraphino ad te castissimè diligendam, cantu ipsius mortales omnes invitabo: *Exultate Dominæ Adiutrici nostræ, iubilate ei in lætitia cordis vestri; Accendantur affectûs vestri in illam, & inimicos vestros induet confusione. Imitemur humilitatem eius, obedientiam & mansuetudinem illius, Omnes gratiæ radiant in illa, capacissima enim fuit capacitas illius. Currite ad illam cum devotione sancta, & de bonis suis participabit vobiscum,* Psal. 80.

Quæ præmia in morte Carolus ob hunc amorem B. V. sit consecutus?

S. Bonaventuræ desideriū amandi B.Virg.

Ejusdem Bonavēt; desideriū ut omnes amēt B.V.

MEDITATIO XXI.



Considera Sanctitatem Sanctissimæ MARIÆ adeò eximiam, adeò Divinam esse, ut illi Spiritus Sancti, qui est ipsa essentialis Patris, & Filij Sanctitas, sit quam simillima, ita ut quemadmodum suâ charitate Spiritum hunc Divinissimum, sic etiam ipsâ suâ Sanctitate repræsentârit, Sanctuarium quoddam sacrosanctum effecta, in quo Sanctissima Trinitas Domicilium gratissimum sibi delegerat. O infinitam Divinæ Bonitatis effusionem, ò incredibilem

Divini Spiritus charitatem, qui adeò Virginem hanc ab æterno dilexit, ut eam donis innumerabilibus gratiæ suæ cumularet, ut suprà omnes creaturas, etiam Angelicas, super ipsos Seraphinos ipsam eveheret, nullaque creatura sub Deo, ipsâ sanctior reperiretur!

2. Iam nil mirabor ò Virgo Sanctissima, quod Seraphinus ille tuus Bonaventura tibi devotissimus te collaudans magno pietatis affectu cecinerit: *Te æterni Patris Sponsam omnis terra veneratur. Tibi omnes Angeli, & Archangeli, tibi Throni, & Principatus fideliter deserviunt. Tibi omnes Potestates, & omnes Virtutes cœlorum, atq; universæ Dominationes obediunt. Tibi Cherubin, & Seraphin exultantes assistunt. Tibi omnis Angelica creatura incessabili voce proclamat; Sancta, Sancta, Sancta MARIA DEI Genitrix, & Virgo.* Noverunt enim beatæ illæ mentes te super omnes illorum Hierarchias, gratiæ plenitudine, donorum cœlestium ubertate, animi puritate, & Sanctitate fuisse evectam. Ideò omnes Chori Angelici te suspiciunt, te venerantur, tibi deserviunt, tibi obediunt, tibi denique, tuum nutum observantes, summâ cum veneratione tanquam veræ totius Angelicæ Naturæ Reginæ assistunt. Tantùm denique Sanctitatem tuam suspiciunt, atque admirantur, ut non modò omnem Angelicam cujuscunq; tandem suç Hierarchiæ quam longissimè excedere, verùm etiam supremæ illius Majestatis, ac Divinitatis, ipsarumque Divinissimarum Personarum Sanctimoniæ, quam simillimam esse arbitrantes, Sacrosanctum illud Trisagion ter sanctam te esse, uti ipsam Sanctissimam Trinitatem quodammodo fatentes, absque ulla intermissione concinant. Sancta verè es Virgo MARIA, quia Pater æternus te sibi in suam dilectissimam, adoptione prorsus singularissimâ, adoptavit Filiam. Iterum Sancta es, quia DEI Filius te sibi in Matrem eligens, tantæ dignitati congruis gratiæ suæ decoravit ornamentis. Sancta denique es, quia Spiritus ille Divinus te in suam castissimam adsciscens Sponsam, Coronâ Sanctitatis, suorumque charismatum monilibus, preciosissimisque virtutum gemmis te mirabiliter exornavit, adeò, ut tota Spiritus Sancti Thalamus, gratiarum Pelagus, tota pulchra, tota DEO propinqua Cherubinos superans, ac super Seraphinos evecta, ut tibi devotus locutus est Damascenus, evaderes.

B. V. ab omnibus Choris Angelicis Sancta prædicatur.

In Cant. SS. Ambrosij & Augustini.

Orat. I. de Nativ. B. V.

O verè Sancta Sanctorum, quam æternus Pater infinitâ suâ Omnipotentiâ, atque arte prorsus Divinâ ita fabricavit, tantâque Sanctitate exornavit, ut dignus locus propitiatorij, Filij, inquam, DEI, qui est propitiatio pro peccatis nostris invenireris.

B.V. Sancta Sanctorum, in qua Propitiatoriū fuit.

3. O verè Sancta Sanctorum, quam DEI Filius summus ille secundùm ordinem Melchisedech Sacerdos ingrediens, in eaque novem mensibus requiescens, donisque omnibus Divinæ suç gratiæ cumulans, sanctissimâ suâ præsentiâ sanctificavit. O Sancta Sanctorum, in quam ipsa increata Sanctitas substantialis totius Sanctissimæ Trinitatis, Spiritus, inquam, ille Sanctissimus superveniens, teque velo donorum suorum, velut castissimam suam obumbrans, seù obnubens Sponsam, dignissimum suæ Divinæ Majestatis effecit Sanctuarium.

O si Virgo Sanctissima, Virgo verè totius Trinitatis nobilissimū Triclinium, ò si mihi in hoc sacrosancto Sanctuario, tibi animitus, medullitusque semper deserviendo, teque assiduè collaudando liceret sub tua protectione habitare, ut & ego Sanctus, omni peccati expiatus labe effici valerem! O si memoria mea, ò si cor meum, tuum effici mereretur promptuarium, ut anima mea, memoria mea, omnesque animæ meæ vires, una cum corde, & corpore sanctificatæ, omnique peccatorum macula expurgatæ, tua possessio fieri mereretur. En tibi Domina mea me totum trado, me tibi quantus sum offero, tibi me totum dedico, tibi me totum consecro, effice Virgo Sanctissima, ac pijssima per gratiam, quam invenisti, per misericordiam, quam peperisti, ut quemadmodum tu ornantissimum Sanctuarium, præclarissimumque totius Sacrosanctæ Trinitatis Triclinium, tuâ admirabili Sanctitate evasisti, sic ego pro modulo meo tuam, conscientiæ puritate imitando Sanctitatem, Divinæ in primis, deinde tuæ Majestati in corde meo apparem habitationem, ut tu habitando in me, & ego in te cum reliquis Christi fidelibus tibi cōcinere valeamus: *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te Sancta Dei Genitrix.*

4. Considera, quod licet hæc Virginea DEIparæ Sanctitas, in omnium virtutum, totiusque justitiæ aggregatione constiterit, constitit tamen in puritate illa

te illa animi limpidissima, ab omni scelere libera, atque incontaminata mentis mundicia, quâ à primo instanti Conceptionis, ab omni originarij peccati labè liberrima, Divinæ gratiæ dignissimum effici merita est domicilium. O si Virgo purissima, ò Virgo sanctissima, hanc animi tui puritatem mihi æmulari liceret, ò si anima mea ab omni peccati macula, minimoque nævo, tuo fideli patrocinio immaculata ante tui dilectissimi Filij, tuumque conspectum comparere, ejusdemque gratiæ particeps effecta, Templum, ac Sanctuarium, tantâ Majestate dignum posset evadere? Hoc quia debiles humanæ naturæ vires primorum parentum scelere labefactatas excedit, tibi supplico Virgo pijssima, ac benignissima, te obsecro per viscera tuæ infinitæ pietatis, ac misericordiæ, ut mihi copiosum gratiarum cœlestium, à dilectissimo Filio tuo fontem impetres, qui peccatorum meorum maculas eluat, animamq; meam ita puram, nitidamque reddat, ut Divinæ Majestatis aspectibus digna habeatur. Fac, fac ò Virgo purissima, cum tuo Bonaventura, te quæso, atque exoro Psal. 44. *Per tuam Sanctitatem peccata mea purgentur, per tuam integritatem mihi incorruptibilitas condonetur. Per tuam Virginitatem anima mea à Christo adametur, & illi amoris vinculo societur. Per tuam fœcunditatem ego captivus sim redemptus, per tuum partum Virgineum de morte perpetua sim ereptus. Per tuam Prolem dignissimam perditus sim restitutus, & de exilio miseriæ in patriam beatitudinis sim reductus. Sed ò pulcherrima mulierum* (ut cum tibi devoto Idiota loquar) *quâ temeritate audeo venire ad te formã absolutissimam Sanctitatis? Ego turpis cogitatione, & opere ad te mundã, ego immundus? Ad te immaculatam, ego maculatus? & non solùm maculatus, sed & vulneratus, imò non solùm vulneratus, sed etiam in conspectu tuo, & benedicti Filij tui mortuus propter innumerabilia peccata, quæ cogitatione, consensu, & opere, longis temporis spatijs contraxi, & ita animam per susceptionem sacri lavacri purificatam, multipliciter fœdavi, & vitiorum sordibus, inquinavi, adeò, ut abominabilis facta sit, & tibi, & Filio tuo superbenedicto; In tua autem pietate confidens, ò præbenedicta, conbenedicta, & postbenedicta Virgo MARIA, te supplici corde precor, ut anima mea pio compatiendo affectu apud misericordissimum Filium tuum intercedere digneris, quo eam immundam mundet: sicut ipsum puram fecit per babtismum, ita rursus hoc tempore reddat per pœnitentiam, & reconciliationis gratiam, ut tandem cum electis tuis vitam ad te, & superbenedictum Filium tuum laudandum, obtineam sempiternã.*

In Contemplat. cap. 2.

Interim te obsecramus ò Sanctissima Deipara (nã me, ut cum tuo loquar Damasceno) rursus ad te amor pertrahit, siquidem admirabili tuâ puritate, ac Sanctitate, interiorique animi pulchritudine, non modò Sanctitatem Spiritus Sancti, verùm etiam perfectionem, pulchritudinemque attributorum, Divinitatis, Personarumque Divinissimarum proprietates modò nulli hactenus Creaturæ vel humanæ, vel Angelicæ concesso æmulata es, adeò ut forma Dei, ut tuus itẽ Andreas Cretensis; Deo propinqua, (ut tibi dilectus ait Damascenus) modò intellectui humano penitus incomprehensibili evaderes, atque ita Deus veluti quidam in carne mortali inter homines ad illorum post Filii tui in cœlum abitum, consolationem degens, habereris; Te, inquam, obsecramus Virgo Divinissima, Virgo omni Divinitatis gloria post Filium tuum collustrata; ut formam hanc Divinitatis, Divinique Archetypi Imaginem, tuarum cœlestium virtutum coloribus in animis nostris depingas, adeòque ad vivum omnipotenti tuâ illâ dextera, exprimas, ut Dei Patris potentiam in superandis vitijs, ac peccatis; ejusdem misericordiam in pietatis affectu proximis exhibendo; Sapientiam item Filij in rebus cœlestibus æstimandis, ac discernendis; amorem Spiritus Sancti, in summo illo, æternoque diligendo Bono: Bonitatem denique in charitatis erga proximum largâ diffusione æmulari videamur. Fac nos ò Virgo Divinissimæ illi Naturæ, fac quam proximos, ac vicinissimos, ut illam, teque pariter penitiùs agnoscentes, atque ardentissimè amantes, laudemus cum Seraphinis cantantes animitus; *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS &c. Sanctus DEUS Pater*, ut tuus concinit Damascenus; *qui in te atq; ex te mysterium illud perfici voluit, quod ante sæcula præfiniêrat, sanctus fortis Filius DEI, ac DEUS, qui te unigenitam, ac primogenitam ex sterili Matre produxit, ut qui Unigenitus, ac Primogenitus erat omnis creaturæ; Unigenitus ex te Virgine Matre generatus, Primogenitus fit inter multos Fratres, æquè videlicet, ac nos carnis, ac sanguinis à te particeps factus. Sanctus Immortalis Spiritus S. qui Divinitatis suæ rore te ita conservavit, ut*

Orat. 1. de Nativ. B.V.

Orat. 1. de Nativ. B.V.

Ibidem.

ut ab igne minimè consummereris, quod Moysis Rubus præsignabat.

Et siquidem Sacrosancta Trias hiscé admirabilibus planè effectibus in te productis tantopere laudata est; effice Virgo Sacratissima tuis Sanctissimis meritis,& intercessione, ut eadem beatissima Trias, miserrimam nostram Triadem, memoriam videlicet, intellectum, ac voluntatem animæ nostræ gratiæ Divinæ muneribus, sibi, tibique assimilando, nosque Sanctitatis suæ, ac tuæ vivam Imaginem, Templumque efficiendo, laudes quoque Sanctitatis tuæ æviternum concinere, absque ulla quiete valeamus clamantes Sancta, Sancta, Sancta Virgo Deipara. Scio equidem Virgo Sanctissima, ò Virgo Deo simillima, quod sæpiùs in me velut gloriæ suæ Templo summus ille rerum Opifex Deus. Sanctitatis suæ, ac tuæ Imaginem erexerit, animamque meam super benedictus Filius tuus (ut cum tuo devoto Idiota loquar) *In Domum elegerit ad habitandam in ea per gratiam, ego tamen proditor, & falsus hospes illum ignominiosè eieci per peccatum: Adiuva me ergo pijssima Virgo MARIA, ut tuis precibus mundetur hæc misera domus ab omni peccato, & ora illum, ut in ea habitet hic per gratiam, & in futuro sæculo per suam præsentiam ad gloriam suam sempiternam.*


In Contemplat. de B.V. cap. 4.

5. Et quoniam legisse me memini apud Apostolum tuum Paulum Hebr. 12. v. 14. *Sequimini Sanctimoniam, sine qua nemo videbit DEUM;* quæ visio solis illis, qui Mundo sunt corde præditi reservatur, impetra mihi Virgo Sanctissima, atque purissima, ut hanc tuam sequar, imiterque Sanctimoniam, animique puritatem, quæ tam mirificè in te, velut purissimo, tersissimoque refulsit speculo, quo & hic dum in hac adhuc ærumnosa vita dego, intellectum illuminatum ad cognoscendum Deum, amandumque nanciscar, & tandem post hoc exilium in illa beata patria dilectissimi Filij tui Dei mei beantem faciem videam, eaque æviternum perfruar.

Novi equidem Virgo gloriosissima difficillimam esse Sanctimoniam hanc tuā, puritatemq; inter tot peccatorū fœces, scelerumque Mundi hujus inquinamenta, pestiferaque contagia, sectari, & imaculatam sese ab hoc sæculo nequam, ad extremum usque vitæ halitum custodire; tuâ tamen peculiari gratiâ, ac favore donum hoc tam singulare perseverantiæ in Sanctimonia, ac puritate facilè me consecuturum confido, si præsertim te tanquam Sanctitatis omnis, puritatisque Ducem, præ oculis habeam, te sequar, tuisque vestigijs inhæream, tuumque fidelissimum patrocinium, protectionemque semper quidem in omni vita, sed maximè in hora illa mortis, discriminis plenissima implorem, teque præsentem in postrema illa lucta, atque agone lectulo assistentem videre dignus habear, atque ita in Sanctimonia, puritateque perseverando ultimum meæ vitæ diem claudere promerear. Et quia in difficili illo ad alteram vitam transitu, sæpè morbi, ægritudinisque vi contingere solet, ut homo sui obliviscatur, rogo te nunc pro tunc ò Virgo benignissima, ut morienti mihi tanquam misericordiæ Mater assistas, meque sub pietatis tuæ pallio à facie inimici abscondas. Adsis mihi tunc ò Virgo tanquam Aquila magnarum alarum, & sub umbra illarum me à Cacodæmonum insidijs protege, & ad veram illam omnibus bonis, gaudijs & delicijs affluentem, ac nullo unquam fine terminandam fœlicitatem, te comitantibus Choris Angelicis, reliquorumque Cœlitum Ordinibus una cum meis fidelissimis, amantissimisq; Patronis tibi probè notis, miseram animam meam pro egregia illa tibi innatâ benignitate, ac misericordiâ, quâ in tuos clientulos ferri consuevisti deducere non dedigneris.

Amen.

AVE MARIA.



DISCUR-




DISCURSUS XXII.

Quod Virgo DEIPARA sit uniuersum SS. Trinitatis, creaturarumque omnium hujus Vniuersi Complementum.

Omnis consummationis vidi finem. Psal. 118.

1.



Tempus tandem est, ut post tam longam in hoc amplissimo Virginearum laudum Oceano, nauigationem vela contrahamus, & portui jam vicini, gratum, jucundumq; celeusma summæ cœlorum Reginæ, fulgidissimæ Cynosuræ nostræ tam benignâ luce hactenus menti nostræ affulgescenti, eâ qua par est grati animi significatione concinamus. Sit igitur pro fine, ac complemẽto totius hujuscé primi qualis qualis Opusculi, illud Hesychij Venerabilis Hierosolymorum Presbyteri, inter varia, eaque pulcherrima Virginis nostræ gloriosissimæ præconia, sit, inquam, hoc præ omnibus celeberrimum, atque præclarissimum: MARIA VNIVERSVM TRINITATIS COMPLEMENTVM; eoque toti huic libro supremum imponamus fastigium, ac complementum.

Maria Trinitatis Cõplemẽtum est gratũ ipsi Celeusma.

M. Trinitatis Complementũ est elogiũ ipsi9 inter omnia nobilissimũ.

Quod sanè hujusmodi est, ut inter alia resplendere, ac coruscare videatur:

Velut inter clara minores
Luna faces, quantũq; alios premit Hespero ignes.

M. Trinitatis complemẽtũ, est interpretatio Nominis B. V. sicut est alterũ: Gratia plena.

2. Est enim hoc Mariani Nominis, perinde atque illud aliud; *Gratia plena;* elegantissima interpretatio. Quemadmodum enim Congregationẽ aquarum, initio mundi, uniuersorum Dominus, ac Creator vocauit Maria; ita & Congregationem siue plenitudinem, siue complementum gratiarum vocauit: MARIA, inquit B. Albertus. Et quemadmodum Nomen, Gratia plena; quo Angelus Virginem dignissimè salutando, nouam ipsius Diuinæ Maternitatis dignitatem, statusque mutationem, ipsâ Nominis immutatione indicauit (quod etiam in Pontificum creatione ipsiusque S. Petri in Apostolorum Principem electione factum esse videmus: Tu vocaberis Cephas, ut docet S. Antoninus Tit. 15. cap. 14.) ita Nomen hoc, quo complementum Trinitatis DEIparam appellamus, est periphrasis, ac circumlocutio Mariani Nominis, summamq; plenitudinem omnium gratiarum, & DEI Matris indicat eminentiam; quod profectò nulli creaturæ, præterquam DEIparæ propriè conuenit, nulla enim pura creatum est plena gratiâ plenitudine superefflentiæ susceptiuè, præterquam B. V. quæ tantum suscepit, ut pura creatura magis suscipere non potuerit, ut idem loquitur Antoninus.

M. Gratiâ plena, est Nomẽ nouum, quod nouam dignitatẽ in Dei Matre designat.

3. Quod sanè Nomen perinde, ac MARIÆ, perinde atque alterum illud: Gratia plena, mirificos in animis nostris affectus pariat necesse est, adeo ut verè de hoc quoque dicere possimus Nomine præclarissimo, quod sapiens Idiota cap. 5. in Contempl. B. V. de MARIÆ Nomine ipsam alloquens protulit: *Tanta virtutis, & excellentiæ est tuum sanctissimum Nomen, Beatissima V. quod ad inuocationem illius Cœlum ridet, terra lætatur, Angeli congaudent,* Dæmo-

Virtus Nominis Mariani in cœlo, terra, & Inferno.

Dæmones contremiscunt, & Infernus conturbatur.

Encomium ergo hoc, inter omnia nobilissimum, ac venustissimum, Nomen Marianum velut in speculo nobis repræsentans, portui jam proximi, velut Celeusma uti diximus, jucundissimum pleno ore, sacratissimæ, omnique laude dignissimæ DEIparæ animitus, medullitusque concinamus; & quanam ratione fuerit hujusmodi Complementum, pro modulo nostro dispiciamus.

4. Omnia quidem magnæ DEI Matris, Virginisque gloriosissimæ laudum præconia, ac priuilegia grandia sunt, eximia, atque illustria sunt, nulloque modo, vel cum Angelicis, vel cujuscunque tandem creaturæ rationalis elogijs conferenda. Verùm hoc quod jam memorauimus, videtur cæteris omnibus excellentissimum. Quicquid enim reliqua omnia virtutis, gratiæ laudisq; in se collectum recondunt, hæc omnia Virgo DEIpara longè majori cum perfectione atque eminentiâ, absque ullo defectu, nævoque laude ista comprehendit. Vnde S. Germanus Patriarcha Constāt. Orat. de Zona B. V. *Omnia*, inquit, *tua admirabilia sunt, ò DEIpara, omnia ingentia, & aliorum vires superantia; propterea & patrocinium tuum maius est, quam intelligentiâ apprehendi possit.*

Omnia in B. V. sunt admirabilia, ingentia, & aliorum vires superātia.

5. Quare jure merito dicere, quis posset Virginem esse, Locum illum unū, in quem Dominus aquas omnes gratiarum, quæ & supra cœlum, & sub cœlo sunt jussit congregari, ita ipso præcipiēte: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, Gen. 1. Dicere etiam possumus illam esse Creaturam illam Vnicam, in qua reliquarum omniū excellentiam, ac laudem Vniversorum Opifex breui compendio visus est complecti. De qua Esdra Sacerdos lib. 5. Esdr. c. 5. cum DEO loquens pronunciavit: *Dixi, Dominator Domine, ex omni Syl-ua terra, & omnibus arboribus eius elegisti Vineam Vnicam: & ex omnibus floribus orbis elegisti tibi Lilium unum: & ex omnibus abyssis maris, replesti tibi Riuum Vnum: & ex omnibus ædificatis Ciuitatibus, sanctificasti tibimetipsi Sion: & ex omnibus creatis volatilibus nominasti tibi Columbam Vnā: & ex omnibus plasmatis pecoribus prouidisti tibi Ouē unā.*

B. V. locus Vnicus, in quo Dominus omnes gratias reposuit.

B. V. Creaturarum nobilissima, ac Vnica.

6. Quæ enim alia est Vinea hæc unica, quem Vitis illa quæ de semetipsa ajebat Eccli. 24. *Ego quasi Vitis fructificaui suauitatem odoris?* Et quodnam est Lilium illud Vnicum ex omnibus floribus electum, quam illa de qua canebat Sponsus in Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et quis est tandem Rivus ille unicus à DEO repletus, nisi hæc Virgo nostra, quæ rursus Eccli. 24. de se prædicabat; *Ego quasi trames aquæ immensa de fluuio, ego quasi fluuij Dioryx, & sicut aqua ductus exiui de Paradiso.* Quæ porro est Civitas hæc, quam Dominator Dominus inter alias sibi eam sanctificavit, nisi Virginea hæc animata Civitas, in qua ille ipse, qui eam condidit ipsam sanctificare in ipsa nasci, eamque incolere voluit, de qua canebat David Psalm. Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Ciuitate DEI nostri in monte Sancto ejus. Fundatur exultatione uniuersæ terræ mons Sion Civitas Regis magni. Et quæ est hæc Vna Columba? nisi hæc ipsa Virgo nostra, cui tanto cum amore loquebatur Sponsus Cant. 6. 8. *Vna est Columba mea, perfecta mea, una est Matris suæ, electa Genitrici suæ.* Quæ denique est Ovis hæc Vnica, quam sibi Dominator Dominus ex omnibus prouidit pecoribus, nisi mitissima Virgo DEIpara, quæ Agnum Dominatorem, mollissimo Humanitatis nostræ vellere circumdedit? Merito ergo Virgo nostra Vnica dici potest creatura, ex omnium reliquarum pulchritudine, ac perfectione composita; ita ut illi epigraphe illa aptissimè adscribi possit: *Erit Vnica mihi.* Et altera: *Pro omnibus una.*

M. Vitis unica.

M. Lilium Vnicum.

M. riuus aquæ exiens de Paradiso.

M. Civitas Sion, quam sibi Dominus sanctificavit.

M. Vnica Columba.

M. Ovis mansueta Agnum peccata mundi tollentem peperit.

7. Qua in re Virgo beatissima gemmæ illi Hexecontalithos appellatæ persimilis esse videtur, de qua Solinus: *Tantum lapide Vno gloriantur Athlantes, Hexecontalithon vocant, tam diuersis notis sparsum ut sexaginta gemmarum colores in paruo eius orbiculo deprahendantur.* De eadem gemma S. Isidorus Hispal. lib. 16. Orig. cap. 12. *Hexecontathilos in parua magnitudine multicolor. unde & hoc nomen sibi adoptauit. Tam diuersis enim notis sparsus est, ut sexaginta gemmarum colores in paruo eius orbiculo deprahendantur. Nascitur autem in Lybia apud Troglodytas.* Quare Virgineæ huic Gemmæ lemma illud ex Rutilio jure adscribi posset:

B. V. Gemma Hexecontulithos, quæ sexaginta gemmarū colores in se continet.

Natura hic posuit quidquid ubiq; fuit.

Et illud Claudiani Stiliconis laudes, omni ex parte, ut ipse adulabundus arbitrabatur, perfectissimas, celebrantis:

Etenim

In nullo mortaliũ perfectiones omnes reperiuntur, uti in B.V.

Etenim mortalibus, ex quo
Tellus cœpta coli numquam syncera bonorum
Sors ulli concessa viro: quem vultus honestat,
Dedecorant mores: animus quē pulchrior ornat,
Corpus destituit: bellis insignior ille;
Sed pacem fœdat vitijs: in publica fœlix,
Sed priuata minus. partitum singula quemque
Nobilitāt: hūc forma decens, hūc robur in armis
Hunc rigor, hunc pietas, illum solertia juris
Hunc soboles, castiq; thori. sparguntur in omnes
In te mixta fluunt & quæ diuisa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Verè enim Virgo gloriosissima pulchritudinem, ac perfectionem omnem in singulas creaturas dispersam, in se velut epitome absolutissima complexa est, ita ut quemadmodum gemma illa sexaginta gemmarum aliarum colores in paruo suo orbiculo continet, uti cœlum innumerabiles stellas: ita Virgo nostra, non sexaginta, sed omnium creaturarum venustatem, earumdemque laudes omnes comprehendit.

8. Inter quas jure Principem censuerim illam & reliquarum omnium cōpendium uti diximus à pientissimo in Virginem Hesychio ser. 2. de B. V. celebratam, quo eam Vniuersum Trinitatis complementum prædicavit.

Tanta enim plenitudine gratiarum, Divinorumque donorum, ac charismatum omnium completa, mensuram illam bonam, & confertam, & coagitatam & supereffluentem originalis justitiæ, in primo illo immaculatæ suæ Conceptionis instanti, nec non fœlicissimo Incarnationis Dominicæ die, excipiendo in Virginalis Vteri sinum, æternum, immensumque illud Verbum plenum gratiæ, & veritatis, de cujus plenitudine nos omnes accepimus, numeris omnibus absolutissimum simul accepit Sanctitatis Divinarumque perfectionum, in augustissima Triade relucentium, pro modulo suo complementum. Hinc pijssimus in Deiparam Bernardinus Bustius Ord. Seraphici Par. 9. Maria. ser. 2. Assimil. 8. vocat Dei Matrem Terram, in qua tota Trinitas scripsit tres mirabiles, ac Divinas proprietates. Pater enim scripsit suam Potentiam, faciens eam potentissimam; Filius suam Sapientiam, faciens eamdem sapientissimam; Spiritus S. suam clementiam, faciens eamdem ad sui similitudinem clementissimam; quas ille Divinarum Personarum proprietates atque attributa diffusè explicat, ostenditque hiscé Deiparam mirificum gratiarum, bonorumque omnium à Beatissima Triade accepisse complementum.

B.V. est Terra, in qua SS. Trinitas Potentiā, sapientiā, ac sanitatem.

9. Quamobrem crediderim eam à S. Thoma Doctore Angelico, & à B. Alberto Magno ejus Magistro: *Totius Trinitatis Nobile Triclinium fuisse vocitatam.* Quo elogio mirum quantum Virgo gloriosissima oblectatur. Vnde aliquando se eidem Alberto visendam exhibens, pro tam illustri titulo, illi gratias retulisse memoratur: *Gratias,* inquiens, *tibi ago bone Alberte, quia tali salutatione me salutasti, quali ab alio nunquam salutata fui.*

M. nobile Tricliniũ Trinitatis est titulus gratissimus, quo B.V. plurimum delectatur.

Nimirum encomium hoc, in quo tantopere sibi Virgo nostra complacet adeo sublime, adeo eximium, admirandumque est, ut prima facie terreat considerantis animum, obstupefaciat sensus, horroremq; totis artubus quodammodo inducat. Hoc est, quod nec mens capere, nec lingua effari, tantæ excellentiæ Majestatisque splendore perculsa, præsumit.

B. V. Alberto Magno egit gratias, quod primus eam illo titulo salutarit.

10. Cui enim unquam in mentem venire potuit, ut omnis bonitatis, ac perfectionis Oceanus, à quo in reliqua Divinitatis opera, omnis perfectio, velut rivulus, à perenni, immensoque fonte dimanauit, à creatura perfectionem, complementumque mutuaret?

Quis unquam sibi imaginari potuit supremam illam Naturam, Infinitè perfectam, quæ omnes perfectiones in tota entis latitudine imaginabiles, & inter se compossibiles, in se complectitur; & perfectiones quidem simpliciter simplices formaliter, alias verò eminenter, à creatura aliqua compleri, ac perfici posse? cum perfectum illud apud Philosophos, & Theologos, cui nihil deest, vocitetur. Nonné David plenitudinem hanc perfectionis, in suprema illa Majestate agnoscens dicebat? *Dixi Domino DEVS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges;* utpotè qui omnia, quæ mens humana siue Angelica excogitare potest, in se longe excellentiori ratione comprehendat, quam in seipsis sint. Vnde D. Dionys. cap. 3. de Divinis nom. *non quoquo pacto DEVS est Ens,* inquit, *sed simpliciter, & incircumscriptè totū in se Esse pariter ambiens, & preambiens;* De hoc eodem rerum omnium, perfectionumque universarum suâ in essentia complexu loquens Damascenus Diuinam illam Naturam pelago, in quod flumina omnia influant, comparavit:

Perfectũ est cui nihil deest.

Devs est Ens simpliciter, & incircumscriptè.

Kkkkk ravit;

rauit: *Vniuersum id, inquiens, quod est tanquam immensum quoddam & infinitum Essentia pelagus complexu hic continet.* Cum igitur æternum illud Numen sit Ens à se, actusque purissimus, ac perfectissimus, omnis expers compositionis, habeatque in se omnem essendi plenitudinem, quæ secundum D. Chrysostomi Definitionem hom. 6. in cap. 2. ad Colos. *est, quod aliud non capit;* qua tandem ratione fieri potuit, ut ei à natura quapiam aliquod adderetur complementum? Nonne ille, ut canit Prudétius Peristroph. hym. 10.

Essendi plenitudo est, quæ aliud non capit.

Excedit omnem mentis humana modum,
Nec comprehendi visibus nostris valet,
Extraq; & intra complet & superfluit?

11. Nonne ille est, de quo Apostolus Act. 17. *Non longe est ab unoquoq; nostrum: in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus;* ab ipso planè toti cum omni nostro esse, & quacunque perfectione, velut radij à sole dependemus? Vnde præclarè Marius Victorinus, in Genesim Devm alloquens cecinit.

A Deo in suo esse dependét omnia.

Nec vero est, qui virtute creata
Te vegetet motus, per quē sumus atq; mouemur,
Tu mens & sacra penitus substantia mentis;
Tu ratio, & planè prudens rationis origo.
Tu virtus, virtutis apex: atq; ipsa profecto
Tu vita, & genitor vitæ lucisq; profunda;
Tu lux vera DEVS tu rerum causa, vigorq;
A te principium traxit, quodcunq; repente
Ex nihilo emicuit, tantoq; auctore repletum
Vel vim mētis habet, vel formā in mēbra recepit

12. Et nihilominus tamen Hesychius censuisse visus est naturam hanc Divinissimam mare immensum attributorum, perfectionumque omnium aliquod, à D. Virgine accepisse complementum. Cum enim initio sermonis omnis grati animi linguam salutare debere Deiparam Virginem docuisset, variasque ejus laudes, easque pulcherrimas prædicasset: *Iste, inquiens, cognominat illam Matrem lucis, ille stellam vitæ, alius Dei Thronum appellat. Alius templum maius cœlo. Alius cathedram nec inferiorem cathedra cherubica. Alius hortum non seminatum, fertilem, incultum, Vitem uvarum feracem, valde florentem, intactam: Turturem mundam, Columbam impollutam. Nubem pluuias incorruptas continentem: Fodinam, unde prodijt lapis, à nullo incisus, totam terram contegens: Nauem mercibus onustam, nulloq; egentem gubernatore: Thesaurum locupletantem lucernam oris expertem, quæ à se ipsa jugiter ardebat.* Cum, inquam, eximia hæc encomia præmisisset; aureæ coronidis loco, postquam illam arcæ Noëticæ cótulisset, tandem; *Vniuersum Trinitatis Complementum, appellauit.* Sed Viri hujus, Deiparæ studiosissimi ipsa verba audiamus. *Alius dixit Arcam, Arcâ Noë latiorem, altiorem, longiorem, Illa erat animalium Arca, hæc arca vitæ: Illa corruptibilium animantium, ista vitæ incorruptibilis: Illa ipsum Noë, hæc ipsius Noë factorem portauit:* Illa duas & tres contignationes, & mansiones habebat, *hæc autem uniuersum Trinitatis complementum. Quandoquidem Spiritus S. adueniebat, & hospitabatur, & Pater obumbrabat, & Filius utero gestatus inhabitabat.* Tum uniuersum hoc Virginis concludens elogium: ut ostenderet illud, vel solum adinstar omnium esse, summamq; Virginis ob oculos nostros per illud poni dignitatem ita pronunciavit: *Vides, inquit, quanta, & qualis est DEIpara Virginis dignitas?*

M. Templum majus cœlo.

M. Hortus non seminatus, & tamé fertilis.

M. nauis mercibus onusta, nullo gubernatore indigens.

M. Thesaurus locupletans.

M. Arca Noe tres habens cótignationes, in quibus SS. Trinitas habitavit.

13. Quod sane præconium, inter omnes Virginis laudes, propemodum Divinas, est, uti diximus, eminentissimum atque pulcherrimum, omniumque reliquorum ducit agmen, utpote, quod nobis summam Dei Genitricis repræsentat Majestatem. Et quoniam, ut plurimum, quæ pulchra sunt, eadem & difficilia esse consuevere, difficile est, arduumque admodum, intelligere, quanâ ratione Virgo habuerit Vniuersum Trinitatis, alias uti ostendimus omni ex parte perfectissimæ, complementum. Varios hoc de re apud varios Sensus reperi, desumptos plerosque ex nostro Patre Hieronymo de Florentia, & Quirino Salazar Comment. In C. 8. Prou. u. 23. n. 300. quos Pater Iustinus Michoviensis ordinis Prædicatorum insigne ornamentum. To. 1. in Litani. Lauret. D. 81. n. 18. 19. laudat, & Auctorum in illis ingenij acumen suspicit, docetque, quod B. V. non intrinsecè compleat Devm trinum, & unum, sed quia perfectissima existens inter puras creaturas, quodammodo complet S. S. Trinitatem. In illa namque Pater æternus, suam omnipotentiam, Filius sapientiam, Spiritus Sanctus bonitatem, si non expleuerunt, & exsatiarunt, certè elevarunt, & relaxarunt. Vel etiam Complementum S. S. Trinitatis dici potest, quia Divinas Processiones, atque origines B. V. in se ipsa tam perfectè adumbravit. Vt inter tres Personas Divinas, noui quidam, & temporales respectus,

Iustinus Dominicanus cé-set B. V. activũ esse complementum Trinitatis

Variæ elogij illius B. V. interpretationes variorum.

ctus, ex ipsius generatione resultarent. Hæc Iustinus & plura alia.

14. Idem sensit Laurentius Cardosus Ordinis S. Francisci, in sua Villa Regia, cum P. Ioanne Maria Zamora Cappucino, de perfectione Deiparæ lib. 1. c. 15. & P. Ioannes Baptista Novatus Clericus Regularis Ordinis Ministrantium Infirmis, quem consulé To. 2. de Emin. B. V. c. 7. 9. 18. quæ explicationes omnes, licet ingeniosæ sint, ac doctæ, non videntur tamen ad mentem Hesychij, (pace tantorum Virorum dixerim) accessisse; non enim ille videtur asserere Deiparam universum SS. Trinitati dedisse Complementum, etiam extrinsecè, sed potiùs ipsam, à SS. Trinitate universum perfectionum, virtutum, ac gratiarum accepisse Complementum. Quod & Græca vox πλήρωμα & verba sequentia declarant, quibus hujuscé Complementi Trinitatis reddit rationem, ostendens ab augustissimis illis Personis SS. Trinitatis, Deiparam, gratiarum, virtutumque omnium accepisse potiùs, per earundem ad se adventum, quam illis dedisse complementum: Postquam enim præmisisset: *Illa, videlicet Arca Noë, duas & tres contignationes, & mansiones habebat;* mox subjecit; *hæc autem universum Trinitatis Complementum: Quandoquidem & Spiritus S. adveniebat, & hospitabatur, & Pater obumbrabat, & Filius utero gestatus inhabitabat.* Quo loquendi modo Doctissimus Presbyter satis ostendit, ex Divinarum Personarum tribus in contignationibus animatæ hujus Arcæ inhabitatione, mansione, & velut gratissimo in ipsa commorantium hospitio, universarum gratiarum, perfectionumque omnium accepisse, à SS. Trinitate Complementum. Æternus siquidem Pater in ipsa omnibus virtutibus, donisque, tam naturæ, quàm gratiæ odornanda, totam quodammodo Omnipotentiam exeruisse visus est, adeò, ut ipsa quoque tam ingentia in se agnoscens divinitus sibi concessa munera, dulciter modulata fuerit: *Quia fecit mihi magna qui potens est;* Filius quoque totius Sapientiæ suæ; Spiritus Sanctus totius suæ Bonitatis quasi profudit thesauros: ille quidem, ut eam Sapientissimam, sibique simillimam: Hic verò ut optimam, pientissimam, misericordiæque visceribus plenissimam efformaret. Tota denique Augustissima Trias, hoc Opus admirabile, ita elaboravit, ut universum illi cœlestium munerum, gratiarumque suarum communicaverit Complementum; ut ita velut altera Pandora omnium Deorum muneribus, ac perfectionibus ornata, atque cómpleta in hoc Orbis terrarum amphitheatro, omnium oculis spectanda, magnâ totius Naturæ, & Gratiæ admiratione produceretur, simulque exclamari de ipsa posset:

Cœlone peractum
Fluxit Opus?

Mens Hesychij.

M. Complementū Trinitatis habuit p inhabitatione Divinarum Personarum, quæ illam suis gratijs cōpleverunt

M. velut altera Pādora donis cœlestibus, ac divinis ornata in Orbis theatrum inducta.

M. Opus cœleste.

15. Dicendum igitur ex mente Hesychij Deiparam passivum potiùs, ut ita dicam, quam Activum fuisse Trinitatis Complementum, quo gratijs omnibus, Divinisque perfectionibus, pro mercede quodammodo tam commodi, tamque deliciosi Triclinij, atque hospitij impleta, atque condecorata fuit. Licet etiam dici possit, Deiparam Trinitatis Complementum esse, eò quod voluntates ipsius & decreta fuerint, ab illa completa. Cùm enim ab æterno Deus Pater mundum scelere Protoplastorum collapsum suâ Omnipotentiâ reparare, Filius suâ Sapientiâ redimere, Spiritus Sanctus suâ bonitate, ac clementiâ sanctificare decrevisset, Virgo beata, assensum in Incarnationem, ejus in utero purissimo peragendam, verbis illis humillimis præbendo: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum;* voluntatesque, ac decreta Divinarum Personarum ita complendo, Complemetum quoque augustissimæ Trinitati dedisse visa est.

B. V. Cōplementū facta Trinitatis, voluntates, ac decreta illius cōplendo.

16. Hoc sensisse crediderim S. Cyrillum Alexandrinum, cùm serm. contra Nestorium in Concilio Ephesino habito Virginem alloquens per illam Trinitatem glorificari pronunciavit: *Tu es preciosa Margarita Orbis terrarum, tu Lampas inextinguibilis, Corona Virginitatis, Sceptrum Orthodoxæ fidei, Templum indissolubile, continens eum, qui nusquam contineri potest Mater & Virgo; per te Trinitas sanctificatur.* Verè enim Trinitas sanctificata est per Virginem, dum Divinissimo Operi Incarnationis, quod totius Trinitatis extitit, consentiendo, ac cooperando, miram Sanctissimarum illarum Personarum verè omnis Sanctitatis Fontium, Sanctitatem Mundo etiam in se ipsa patefecit.

M. preciosa Margarita Orbis terrarum.

Per Mariā Trinitas quomodo sanctificatur?

17. Cùm enim Sanctitas, ut alias sæpiùs ex Magno Areopagita docuimus, nil sit aliud, quâ Puritas ab omni scelere libera, itemque incontaminata mundicia, rectè per Virginem sanctificata Trinitas

Quid sit Sanctitas?

B.V. per suam immaculatã Concept. sanctificavit Trinitatem.

nitas dici potest, dum illam in primis ab omni originalis peccati labe præservatam, puritate plusquam Angelicâ, atque eâ, quâ major sub DEO nequit intelligi, decorari voluit. Atque ita agnita est Trinitas Beatissima à toto Mundo Sancta, quod tantæ, tamque eximiæ Sanctitatis Auctor extiterit, nemo enim dat quod ipse non habet saltem virtualiter, ac eminenter. Sanctificata deinde dici potest per eandem Virginem Trinitas Sanctissima, dum tantâ cum puritate, & mentis, corporisque integritate DEI Filium, in Virgineo suo Vtero, obumbrante Spiritu S. concepit, pepetitque, Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore. Ex hac enim Virgineæ puritatis, ac Sanctitatis tam eximiæ cognitione, pronum est de augustissimæ Trinitatis, à qua velut inexhausto fonte, luminumq; Patre bona cuncta, ac dona procedunt, Sanctitate, ac puritate, conjecturam facere, quamque purè & sanctè, in splendoribus Sanctorum, sive Sanctitatis ex utero ante Luciferum, ex omni æternitate dilectissimum suum generet Filium, & ambo simul quantâ cũ incorruptione, ac mundicia, substantialem illam spirent Sanctitatem, Spiritũ videlicet Divinissimum. Cùm enim antequam in Vterum Virginis Verbum æternum descenderet, decrevisset Trinitas Mundo (in quo, præsertim extra Israëliticum populum exigua erat DEI cognitio) suam Sanctitatem, aliasque perfectiones declarare, mox DEI Filio humanitatem nostram ex purissimis Virginis sanguinibus ope Spiritus S. coalitum, assumente oculis omnium mira lux Divinæ puritatis, ac Sanctitatis, ut & reliquarum perfectionum infulsit.

B. V. Virginali suo, Sanctissimoq; Cõceptu sanctificavit Trinitatẽ.

Ante Incarnatio obscura fuit notitia SS. Trinitatis

18. Atque ita postquam in Vteri Virginalis Solio DEI Filius tanquam Rex gloriosus consedit, mirificè toto terrarum Orbe notitia Sanctissimæ Trinitatis, ejusdemque Sanctitatis propagata fuit, quod totum factum est per Virginem, quæ Divinæ voluntati decernenti Sanctitatem suam, aliasque perfectiones creaturis manifestare, suam conformando, seseque Ancillam Domini exhibendo, Trinitatisq; voluntatem complendo, eidem quoque Complementum dedisse visa est. Quod nobis illi duo Seraphini indicasse visi sunt, dum Dominũ Vniversorum super Solium excelsum & elevatum sedentem contemplantes, pulcherrimum illud Trisagion modulati sunt. Eò enim verè ostendêre, quod licet ab æterno Trinitas Sancta, purissimaque extiterit, maximè tamen Sanctitas, puritasque ipsius Mundo plusquam Cimmerijs tenebris sepulto, illuxerit, cùm in Virgineo, animatoque Solio immensa illa Filij DEI Majestas exinaniens semetipsam, & paulò minùs ab Angelis minorans consedit. Tunc enim creaturæ omnes tam miram Trinitatis Sanctitatem, agnoscentes, Seraphinorum vocibus suas consocianres, concinere jure potuere meritissimo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEVS exercitnum, plena est omnis terra gloriâ eius.* Isa. 6.

M. Ancillam Domini se exhibendo, & consentiendo in Incarnationem sanctificavit Trinitatem.

Filius DEI in Solio Vteri Virginei residens, Trinitatis Sãctitatem per Seraphinos Mundo manifestavit.

19. S. Epiphanius Orat. de laud. B. V. videtur asserere DEIparam Complementum esse Trinitatis, ex eo quod luce sibi Divinitus infusa, mortales ad cognoscendum SS. Triados arcanum juxta Nominis sui ethymon illuminaverit, eisque lucem tanquã ex recõdito Thesauro Divinæ despensationis prompserit, ut Trias Sacrosancta toto Orbe sanctificaretur, sive sanctissima in rebus omnibus prædicaretur: *Praclara Puella Maria,* inqt ille, *beatũ nomen interpretatur Illustrata, utpotè qua illustrata sit a Filio DEI, & cũctos ad fines terra credentes Trinitati illuminaverit. Sancta enim Puella Virgo MARIA, & Sponsa Trinitatis, & Thesaurus dispensationis planè arcanus;* in quo videlicet gratiarum, ac perfectionum omnium divitias, ac Complementum cum alijs etiam dispensandas recondidit, atque ita aliquâ ratione Complementum aliquod extrinsecum Trinitati dedisse visa fuit.

B. V. illuminavit omnes fines terræ, ut Trinitatem agnoscerent, & glorificarent.

20. Complementum hoc Sanctitatis per Virginem quodammodo impertitum Trinitati, ejus decreta, ac voluntates, uti diximus in Archangeli Annunciatione complendo, agnovisse visus est S. Damascenus Orat. 1. de Nativ. dum eam Incarnationi Verbi consentiendo, Templum factam Divinitatis admiratur, exclamatque: *O Virgo Divinitus gratiâ DEI donata, Templum DEI Sanctum, quod ille Princeps pacis Salomon spiritualiter construxit, ac inhabitavit, non auro, aut inanimis lapidibus ornatum; verùm auri loco Spiritu fulgens; pro lapidibus autem preciosis Margaritam ingentis precij Christum habens, illum, inquam, Divinitatis Carbonem, quem ut labia nostra tangeret, obsecrabat, ut hâc ratione purgati, ipsum cum Patre, ac Spiritu Sancto laudaremus clamantes Sanctus, Sanctus, &c.*

M. Templum veri Salomonis.

Tùm

Per Mariã voluntas Divinarũ Persona-rum de redimendo Mundo ad impleta, earumque Sanctitas declarata.

Tum ut ostendat per Virginem voluntatem Divinarum Personarum de generis humani Salute perficienda, fuisse adimpletam, Sanctitatemque illarum toti Mundo patefactam, mox hæc attexuit: *Sanctus DEVS Pater, qui in te, atq; ex te Mysterium illud perfici voluit, quod ante sæcula præfinierat. Sanctus, fortis Filius DEI, ac DEVS, qui te Vnigenitam, ac Primogenitam hodie, ex sterili Matre produxit, ut qui Vnigenitus, ac Primogenitus erat omnis creaturæ, Vnigenitus ex te Virgine Matre generatus, Primogenitus sit inter multos fratres, æquè videlicet, ac nos carnis, ac sanguinis à te particeps factus. Sanctus immortalis Spiritus, qui Divinitatis suæ rore te ita conservavit, ut ab igne minimè consumereris. Nam hoc quoq; Moysis rubus præsignabat.* Hæc Damascen.

Quibus profectò egregiè ostendit nõ modo Virginem gloriosissimã esse Complementum Trinitatis, ejus voluntates, ac decreta de salvando homine adimplendo, sesèq; illis perfectissimè conformando; verum etiam Complementum esse Trinitatis Sanctissimæ, ipsius dona, ac gratias, cœlestia charismata, Divinas denique in se ubertim, largâ manu à singulis Divinis Personis distributas, recipiendo perfectiones.

21. Hoc porrò gratiarum Complementum, quod à Beatissima Triade accepit Virgo nostra Sanctissima, aptè, piè-que describit S. Bernardus, serm. de S. Maria, singulis Personis munera Virgini impertita attribuendo. Postquam enim dixisset Deiparam esse Arcam gratiæ, Arcam Noë; addidit illam quoque Arcam veteris testamenti esse, singulari opera, atque industria à Divinissimis augustissimæ Trinitatis Personis elaboratam. *Arca*, inquit, *testamenti typum tenet Sancta DEI Genitricis. Illam fecit Bezeleel; istam condidit Emmanuel; Bezeleel, Ooliab in opere Socium habuit, & Virgo quoq; Virginum condita, praelecta præservata, & ornata per Spiritum Sanctum, & eius omnipotentem Filium fuit. Bezeleel interpretatur Vmbra DEI, Ooliab protectio mea. Prior ille Spiritus Sancti, iste verò typum tenet Filij. De isto dicitur ad MARIAM in Conceptione Filij Beatissimi: Virtus Altissimi obumbrabit tibi; Item ad Iosephum: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim ex ea natum est, de Spiritu Sancto est. Iste verò ad Patrem clamat in Psalmo: Protege me à facie impiorum qui me afflixerunt. Item de eodem; De ventre Matris meæ tu es Protector meus. Item; tanquam prodigium factus sum multis, & tu Adiutor fortis. Bezeleel ergo cum Socio Arcam testamenti fabricabat; Sancta quoq; Trinitas Virginem sibi sanctificavit, ac Templum Sanctissimum consecravit, hospitiumq; mundissimum sibi præparavit, Thalamum quoq;, de quo Sponsus præ filijs hominum speciosus ad publicum procederet, decenter præornavit. Neq; enim Pater abesse potuit, ubi eius Spiritum & Filium cooperari voluit. Quæcunq; enim Pater fecit hæc eadem similiter & Filius facit. Neq; enim Filius potest à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. De Spiritu quoq; legitur in lib. Psalmorum: Verbo Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Apostolus quoq; de tribus Personis ita: Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia ipsi gloria. Pater ergo in consecratione Virginis exhibuit charitatem. Pater lumen exhibuit rationis, Filius cinerem humiliationis, Spiritus Sanctus oleum dilectionis. Pater exhibuit Potentiam; Filius Sapientiam, Spiritus Sanctus omnium virtutum Gratiam. Pater auctoritatem contra peccatum; Filius humilitatem contra Mundum; Spiritus Sanctus charitatem erga DEVM, & proximum; Filius carnis mortificationem, Spiritus Sanctus compunctionem; Pater cœlestium contemplationem. Filius docuit eam Divina operari, Spiritus Sanctus amare, & amari, Pater cœlestia contemplari. Filius eam erudijt, Spiritus eam provehit, Pater eam perficit; Filius eam purificat, Pater eam honorificat. Hæc dicens, opera, vel dona Trinitatis non divido, sed fideliter inseparabilia assero; sicut enim in essentia unitas, ita in operatione identitas.* Hæc S. Bernard. de varijs donis, gratijs, Divinisque perfectionibus, quibus Personæ illæ beatissimæ animam Virginis Sanctissimam creantes, beârunt, eique bonorum omnium impertitæ sunt Complementum.

M. Arca à Filio & Spiritu S. per Bezeleel & Ooliab figuratis fabricata.

Vbi Filius & Spiritus Sanctus operatur, ibi & Pater

Dona & gratiæ singulares à singulis Divinis Personis Mariæ cõmunicatæ.

22. Hæc nimirum est non solùm Arca Testamenti, sed etiam nova illa Eva, quam ipse Vniversorum Conditor, absque ulla Angelorum, aut alicujus alterius creaturæ auxilio, Omnipotentiâ, Sapientiâque suâ, veluti quibusdam brachijs Giganteis, futurum Incarnato Verbo dignissimum Domicilium ædificavit. Audiendus hic S. Augustinus lib. 9. de Gen. ad literam cap. 15. qui trutinans verba illa Gen. 2. v. 22. *Ædificavit Dominus DEVS costam, quam tulerat de Adam in Mulierem*, sic loquitur: *Iam videamus ipsa Mulieris formatio, quæ mystica etiam ædificatio, B. Virginis videlicet, dicta est; quemadmodum*

B. Virgo nova Eva à Deo ipso condita absq; auxilio Angelorum.

admodum facta sit. Natura quippè Mulieris creata est, quamvis ex virili, quæ iam erat, non aliquo motu iam existentium naturarum. Angeli, autem nullam creare possunt naturam. Solus enim unus cuiuslibet naturæ seu magna, seu minima Creator est DEVS, id est, ipsa Trinitas Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Aliter ergo quæritur quemadmodum separatus est Adam, costaq; eius sine ullo doloris sensu à corporis compage detracta sit. Hæc enim fortasse dicantur potuisse per Angelos fieri, formare autem vel ædificare costam, ut mulier esset, usq; adeò non potuit nisi DEVS, à quo universa natura subsistit, ut ne illud quidem carnis supplementum in corpore viri, quod in illius costæ successit locum, ab Angelis factum esse crediderim.

Eva prima omnium Mater à solo DEO absq; ulla ope Angelica fomata.

Tandem ad finem capitis, ut omnem opem Angelicam à conditione primæ mulieris excludat, ita concludit: *Quale ministerium DEO exhibuerint Angeli in illa Mulieris efformatione, quis audeat affirmare? Certissimè tamen dixerim, supplementum illud carnis in costæ locum, ipsiusq; corpus fœminæ, & animam, conformationemq; membrorum, omnia viscera, sensus omnes, & quidquid erat, quo illa, & creatura, & homo, & fœmina erat non nisi in illo opere DEI factum, quod DEVS non per Angelos, sed per semetipsum operatus est.* Hæc S. Doctor, quibus sanè verbis secundæ Evæ, verissimæ omnium viventium Matris eximiam præstantiam declaravit, utpotè quæ à sola augustissima Trinitate non è terra condita, quemadmodũ Protoplastus, ut nil terreũ quodammodo suspicemur in Virg. sed ex ejus costa, ut ipsius solidam, virilemque agnosceremus fortitudinem; Mulieremque illam fortem esse sciremus, quàm tam anxiè quæritabat Salomon, atque clarè perspiceremus eam à sui Creatoris liberalissimis manibus omnium virtutum, gratiarum, perfectionumque accepisse Complementum.

B.V. secũda Eva à DEI Omnipotentia, ac Sapientiâ velut manibus formata, omnibus gratijs, virilique fortitudine exornata.

23. Idem hoc Complementum verbum illud: Ædificavit; nobis indicat. Verè enim increata illa Sapientia, secunda augustissimæ Triados Persona in hac secunda Eva primæ moribus planè opposita, ædificavit sibi Domum, excidit columnas septem, ut de cœlis à Regalibus sedibus veniens, præparatũ sibi tantâ Majestate dignissimum reperiret Domicilium. In quo ædificando quantos, quamque prodigos, Divinâque suâ Magnificentiâ dignos sumptus profuderit, quis comprehendat? Sufficiat nobis audisse: sibi cœlestem illam Sapientiam Domum ædificasse.

M. Domus æternæ Sapientiæ facta mira DEI magnificentia, sumptuumque profusione.

24. Hinc B. Guerrius Abbas Ignatien. serm. 1. de Annunc. non modò Palatium tantæ Majestatis ad Incarnati Verbi, Regis Regum, Domini Dominantium habitationem ædificatum, verùm etiam Regale ipsius Solium eam agnoscẽs: *Bonus planè Sermo*, inquit, *& consolatorius, omnipotens Sermo tuus Domine hodie à Regalibus Sedibus venit in Vterum Virginis, ubi etiam sibi Sedem Regalem extruxit. Regali siquidem ex progenie Virgo electa est, generositatis quidem Regiæ nobilis proles, sed virtutis Regiæ nobilior indoles, ut æterno Regi, Filio Regis, Materna quoq; nobilitas Regium honorem defenderet, & venientem à Regali Sede Patris. Regalis etiam Thronus in Aula Virginali Reginæ susciperet Matris. In ipsa quippè, & ex ipsa Sapientia ædificavit sibi Domum, in ipsa, & ex ipsa paravit sibi Thronum, cùm in ea, & ex ea corpus aptavit sibi, ita ad omnia perfectum, & congruum, ut & Domus ei sit ad quiescendum, & Thronus ad iudicandum, quod primò Tabernaculum ei fuit ad pugnandum, & Cathedra ad docendum.* Idem pijssimus Abbas serm. 2. de Annunc. B. Virginis Domum æternæ Sapientiæ DEI paratam in Verbi Incarnatione, in purissimo ejus Vtero peracta, factam intelligens: *Hodie*, inquit, *Sapientia sibi ædificare cœpit Domum corporis nostri in Vtero Virginis, & ad ædificandam unitatem Ecclesiæ angularem Lapidem de monte sine manibus abscidit, dum sine opere humano de corpore Virginali carnem sibi nostræ redemptionis separavit. Ab hoc ergo die, Dominus virtutum nobiscum, Susceptor noster DEVS Iacob, quia hodie Domini est assumptio nostra, ut habitet gloria in terra nostra.*

In B. V. DEus sibi Sedem Regalem extruxit.

B. V. DEI Filio fuit Domus ad qescendũ, Thronus ad judicãdum, Tabernaculum ad pugnandum, & Cathedra ad docendum.

Christus angularis Lapis abscissus de monte Virginis Matris sine manibus operis humani.

25. Idem virtutum, perfectionumque omnium à Sanctissima Trinitate Deiparæ communicatum Complementum, locus, nempè Paradisus, locus, inquam, voluptatis, deliciarumque plenissimus, in quo condita prima illa Mater memoratur, nobis indicat. Quemadmodum enim Hortus illè, in quo primus Adam positus fuerat, ut operaretur, & custodiret illum, rebus omnibus ad deliciandum fuit instructissimus, ita ut nil in eo ad perfectam; quæ in hac vita haberi queat, Beatitudinem desiderari posset: Sic Virgineus hic, animatusque Paradisus, in quo secundus Adam de cœlo cœlestis novem mensibus humanitatis nostræ amictus Paludamento habitavit,

MARIA in Incarnatione Verbi velut Paradisus omnium virtutum floribus cõvestita.

ravit, mirificis virtutum floribus, sapientissimisque fructibus, rebus denique omnibus ad honestè sese oblectandum idoneis fuit ornatissimus, adeo ut mille benedictionum terra hæc Paradisiaca accepisse à SS. Triade, tum visa fuerit complementum.

M. Benedicta terra, quæ fructum vitæ parturit universis.

26. Vnde idem Guerricus serm. 2. *Nunc*, inquit, *benedicta Terra in opere Redemptoris, quæ remissionem peccatorum, fructumq; vitæ parturit universis, & filijs Adæ præjudicium originalis dissoluit maledicti. Prorsus benedicta illa terra, quæ omnino intacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore cœli Saluatorem germinat, & mortalibus panem Angelorum, alimoniam vitæ æternæ ministrat. Hæc igitur terra, quia inculta erat, videbatur esse deserta, sed erat optimo fructu referta: videbatur esse solitudinis Eremus, sed erat Paradisus beatitudinis. Plane hortus deliciarum DEO, Eremus cuius campi germinant germen odoris, plane desertum refertum, de quo Agnum dominatorem terræ Pater emisit. Isa. 16.* sic ille.

M. Terra intacta, nec fossa, nec seminata de solo rore cœli germinauit Salvatorē.

M. Paradisus Beatitudinis.

27. Vere Virgo Paradisus fuit beatitudinis recepto hoc illo cœlesti, purissimoque Adam vero DEO, qui de seipso quondam ajebat Moysi; *Ego ostendam tibi omne bonum*; Paradisus, in quam fuit beatitudinis, quia sicut hæc Seuerino Boetio teste, est status omnium bonorum aggregatione perfectus, & juxta Aristotelem, desideriorum complementum; Sic sane uterus Virginis, uti dicitur; *acervus tritici vallatus lilys*; ita acervus virtutum, perfectionum, bonorumque omnium, puritate tam animi, quam corporis, velut candidissimis floribus circumseptus, in quo adeo DEI Filius habitare sibi complacuit, adeoque jucundè deliciatus est, ut se in horto concluso, ex quo sibi exire non liceret, habitare crediderit; Hinc inter reliqua Virginis Matris elogia pulcherrima, illud ipsi attribuit, ingeminando: *Hortus conclusus soror mea Sponsa, hortus conclusus* Cant. 4. In horto denique hoc Paradisiaco DEI Filius commorans sicut Matri virtutum, bonorumque omnium, manu liberalissima, profusissimaq; communicare dignatus est complementum, sic & ipse tantum desideriorum suorum, fælicitatisq; suæ quodammodo reperit complementum, ut inde, ex utero nempe Matris, se quasi vi extractum, auulsum æterni Patris imperio fateretur, paratus ibidem, velut in deliciosissimo ejusdē Patris sinu æviternūm commorari

M. Paradisus recipiens secundum Adamum accepit omne bonū

B.V. sicut acervus tritici vallatus lilijs, ita acervus virtutū, ac perfectionum omnimoda puritate, ac Virginitate circumseptus dici potest

M. Hortus conclusus, ex quo verbum æternum ipsa delectatum exitū quodammodo invenire non poterat.

28. Quæ Divini Verbi, ut & reliquarum Personarum in Virgine DEI paracommoratio miram gratiæ affluentiam, velut tribus exundantibus rivis in benedictam illam animam influxit; qua Gratia Virgo decorata non modo omnibus cœli bonis, ac donis, verum etiam Divinæ consors naturæ, super omnes rationales, etiam Angelicas creaturas modo plane singulari fieri, & in Deam quamdam, si ita fari licet Deiformitate actuū, ut loquitur S. Antoninus Archiep. Florentinus transformari merita est.

Quam ob causam Apostolorum Princeps 2. Pet. 1. dona gratiæ maxima, & preciosa promissa vocat, per quæ Divinæ efficimur consortes naturæ, Filij DEI, & cohæredes regni cœlestis. Quibus profecto donis gratiæ cum Virgo beatissima per inhabitationem, mansionemq; beatissimarum illarum Augustissimæ Triados Personarum copiosissimè, ac singularissimè locupletata, atque completa, omnique peccati labe præservata fuerit, consequitur sane illam speciali quadam ratione Divinæ naturæ effectam consortem, DEI atque adeo SS. Trinitatis in se Imaginem similitudinemque præ se tulisse, atque ita velut è vestigijs ostendisse se ab eadem Triade omnibus Divinę gratiæ muneribus fuisse completam.

Divina gratia B. V. singulari modo fecit Divinę consortem Naturæ.

29. Divina porro hæc similitudo Divinæque naturæ consortium quanam ratione acquiratur, vel ipse Magnus Plato insinuare visus est. Cum enim in Theæteto docuisset malum, siue peccata apud DEO locum habere non posse, sed ea naturam mortalem, regionemque inferiorem necessario circumire, suadet omnino conandum mortalibus, ut hinc ad Deos, quam celerrimè effugiant. Hanc verò peccatorum fugam, ait in hoc consistere, ut DEO similes pro viribus evadamus, quod utique fit per gratiam, quæ peccatum formaliter ab hominum animis eliminando, Divinam statim pulchritudinem similitudinemque, ceu venustissima quędam animarum forma, introducit. Concludit tandem similitudinem hanc Divinam in virtutibus, ac sanctitate consistere, quibus decoratus animus, DEVS quidam in carne mortali esse videtur: *DEO*, inquit ille, *similes efficit tum prudentia, tum justitia simul, ac sanctitas*. Cum enim liberalissima DEI omnipotentis dextera qualitatem illam omnes naturæ limites excedentem infun-

Qua ratione DEI similitudo in nobis exprimēda docet Plato.

Peccatorum fuga DEO assimilemur.

DEO similes nos faciunt virtutes.

infundit, nempe gratiam, simul infundit etiam Charitatem, fidem, spem, reliquasque virtutes, Cardinales, ac Morales, quibus exornatus animus, per potentiã illam, quam vocant Theologi, Obedientialem, ad tantam subvehitur dignitatem, ut homo Filius Dei non solum nominetur, sed reipsa per adoptionem fit.

30. Neque verò contenta est Trinitas Sanctissima accidentalem hanc animæ Sanctitatem infundere, vult omnino, ut mox etiam ipsa substantialis, nempe Spiritus S. per realem verissimamque sui præsentiam adveniat. Cum enim Divinissimus Spiritus Auctor, fons, & origo sit gratiæ, ac sanctitatis omnis profluuium, animam illam, quam infundit, ipse quoq; ingreditur, eandemq; Templum quoddam suæ Majestatis, imo & reliquarum SS. Triados personarum ob essentiæ unitatem efficit, nosque omnibus cœli bonis locupletatos sibi arctissimè uniens, ac constringens, adeo suæ Divinæ facit consortes Naturæ, ut in Devm quodammodo transmutati esse videamur.

Cum accidentali Sanctitate quæ est Gratia, advenit etiã substantialis ipse Spiritus S. in animam.

31. Quod si Divina Gratia tantas vires in natura humana nobilitanda ostendit; quantas Devs immortalis, in Dei Matre exornanda, cœlestibus charismatis cumulanda, omnibus perfectionibus complenda exeruisse censendum est, cum in illa nullum prorsus peccati vel minimi obstaculum, sed perfectissimam à primis suæ immaculatæ conceptionis initijs, ipsius Dei Imaginem, & similitudinem, ac præterea immensam quandam cœlestium donorum capacitatem in profundissima ejus humilitate invenerit, quibus illa decorata, imo deificata quodammodo super omnem rationalem creaturam incomparabiliter Diuinæ consors Naturæ effecta est.

M. ubertate Divinæ gratiæ singulariter Divinę naturæ consors effecta.

32. Quod si eadem Divina Gratia suum Auctorem, ac Fontem, ipsum Spiritum S. videlicet, & SS. Trinitatem in creaturam illam, quam infundit secum introducit, ipsiusque tantæ Majestatis dignissimum efficit domicilium; eamdemque in Devm quodammodo transformat; quanto magis Gratia illa exuberantissima, ac plenissima, quam Archangelus Mariam invenisse contestatur? cum hæc, admirandæ illi Gratiæ Vnionis hypostaticæ, qua Dei Filius Naturam humanam sibi sociauit, atque Deificauit, quam simillima esse videatur? Quemadmodum enim Personalis hæc Vnio, quæ est gratia plane singularis, ac gratiarum omnium Princeps, Humanitatem nostram Verbo substantialiter consocians, eandem virtutibus, Divinisq; perfectionibus, ac omnibus, cœli thesauris copiosissimè locupletat, ac complet, adeoque admirabiliter operatur, ut nimirum Devs homo, & homo Devs efficiatur: Sic Gratia Spiritus S. animam, quam afficit, suaque pulchritudine condecorat, bonis implet spiritualibus, omnibusque Spiritus S. donis, ac charismatis, eamq; in Devm quasi transformat, adeoque Divinæ deuincit Majestati, ut per nullam unquam humanam vim, ac potentiam jam semel à Spiritu S. Deificata ab ejusdem, nisi sponte velit separari possit amplexu. Vnde præclarè S. Basilius ser. de Spiritu S. ad comprobandum Spiritum S. verè esse Devm, eo potissimum utitur argumento, quod suâ gratia Sanctos inhabitando, Deos efficiat; dictum enim est illis à Deo: *Ego dixi: Dij estis, & Filij excelsi omnes: Necesse enim est,* inquit Basilius, *Diuinum esse spiritum, & ex DEO esse, qui Dijs Diuinitatis est causa.*

Gratia similis Vnioni Hypostaticæ.

Gratiam amittere non possumus si non velimus.

Spiritus S. est Devs, quia homines sanctificando Deos efficit.

33. Quod si Spiritu S. filios adoptionis per gratiam efficiendo Deos, Devm se esse comprobavit; multo sane magis, Dei Matrem suis charismatis, donisque exornando, eandemque sua Divina præsentia inhabitando totamque Deificando, inque suæ Divinæ Majestatis sacratissimum Templum, totiusque Sanctissimæ Trinitatis nobile Triclinium consecrando, ac denique ipsi complementum omnium gratiarum, tribuendo, incomparabiliter suam Diuinitatem effusissimamque bonitatem, ac communicationem largissimam manifestauit.

In Maria sanctificãda, & ornanda Spiritus S. se Devm esse ostendit.

34. Mirificam hanc Spiritus S. qua inter filios Dei inprimis Deipara, tum nos reliqui adoptamur, Gratiam S. Ambrosius Epist. 38. ad excellentiam ejus declarandam, *Diuinam appellat cognationem. Quid illud*, inquiens, *attexam, quod hominem DEVS Diuinæ facit consortem Naturæ? Vnde non immerito quidam ait: Cujus & genus sumus. Dedit enim nobis de cognatione sua, rationabili scilicet Natura, ut quæramus illud Diuinum, quod non longè est ab unoquoq; nostrum, in quo viuimus, mouemur, & sumus.* Quod si quævis fidelis anima, Divinæ gratiæ beneficio, habet cum ipsa Divinissima illa Majestate cognationem;

Gratia est Diuina cognatio.

Gratia dat hominibus cum Deo cognationẽ.

& quam tandem Virgo nostra habebit, quæ plena gratia, absque ullius peccati vel minimi Væ & Domino sēper sociata, ac benedicta denique in mulieribus, ob Divinam potissimum Maternitatem salutatur?

35. Divinæ hujuscé cognationis, siue deificationis, intimæque cum Deo unionis, ac transformationis Theologorum Lumen Suarez luculentam adfert causam lib. 12. de Deo Trino, & uno c. 5. n. 12. *Quia*, inquiens, *dona gratia, vi sua, & quasi connaturali jure postulant realem, ac Personalem præsentiam DEI in anima, per talia dona sanctificatam; quia si per impossibile fingamus Spiritum S. non esse alias realiter præsentem intra animam, eo ipso quod anima talibus donis afficeretur, ipsemet Spiritus S. veniret ad eam, per præsentiam Personalem, & maneret quamdiu gratia in illa duraret.* Quod ipsum duabus luculenter comprobat similitudinibus; Altera Theologica: *Simili modo*, inquit, *Verbum præsens Humanitati Christi, quam videlicet Deificat, ut si per impossibile ante non fuisset illi præsens, jam per Vnionem hypostaticam illi fieret personaliter & intimè præsens.* Altera Morali; *Quia*, inquit, *per gratiam fit perfectissima amicitia, inter DEVM, & hominem, quæ postulat præsentiam amici, puta Spiritum S. qui manet in anima amici sui, ut illi intimè uniatur, in eoq; tanquam in Templo suo resideat, colatur, ametur, & adoretur.* Hinc Saluator per SS. Eucharistiæ sumptionem, suique in anima fideli inhabitationem hanc in DEVM transformationem fieri declarauit, cum dixit Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo.* Qua sanè mutua mansione intelligitur non modo intima amantis cum amato transformatiua unio, verumetiā omnium bonorum Divinorum communicatio, ac complementum donorum gratiarumque omnium à Deo in hujusmodi verè fœlicem animam, ac maximè Virginis nostræ gloriosissimæ, provenientium.

Si Spiritus S. per impossibile non esset realiter animæ præsens, veniret tamen per præsentiam personalē cum Gratia.

Gratia facit cū Deo amicitiā, hæc autē postulat præsentiā amici.

36. Quam ob causam crediderim illam à B. Laurentio Iustiniano Venetorum Patriarcha lib. de Casto Connub. cap. 9. cum thalamo, sive solis justitiæ Tabernaculo, quod non modo ejus luce, omniumque gratiarum radijs, verum etiam ipsa solari præsentia fuit decoratum. Explicans enim Regij dictum Citharædi: *In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo.* Psalm. 18. Postquam dixisset Thalamum hunc Solis æterni esse MARIAM, in cujus Vtero Verbum æternum humanam Naturam, velut Sponsam, personali Vnione sibi castissimè sociavit; *Merito*, inquiens, *talis eligitur Thalamus, in quo Diuina celebrentur Mysteria*; postquam inquam hæc præmisisset, mox dona cœlestia, singularia priuilegia, eximias prærogativas, ineffabilium denique bonorum cœlestium, quibus, velut opulentā tam grati hospitij mercede divinitus remunerata est, attexit complementum: *Erat*, inquiens, *B. V. Thalamus puritate nitidus, moribus ornatus, omni præditus Sanctitate, floribus aspersus, virtutibus decoratus, fragrans castitatis odore, charitate feruens, Virginitate redolens, pollens humilitate. Ipsa est gloriosa Domina, & beata fœmina innupta, & fœcunda, Mater, & Virgo, Ancilla, & DEI Genitrix, quæ culpam abstulit, & dedit gratiam, quæ contulit mundo pacem, hominibus Deum. Ipsa effecta est Porta cœli, Paradisi Ianua, stella maris, solatium mundi, peccanti refugium, naufraganti portus, auxilium periclitanti, erranti via, desperanti salus, mundi interuentrix, interemptrix peccati, Diaboli terror, & spiritualibus nequitijs pauor. Ipsa est Tabernaculum testamenti, Arca fœderis, Templi propitiatorium, Thronus DEI, Virga florida, Nubecula leuis, Hortus conclusus, Signatus fons, Porta clausa, Columba immaculata, Rosa redolens, Lilium candens, flos nitens, Virgula fumans, Oliua virens Vitis fructificans, Cupressus se attollens, Palma frondens, Terebinthus se expandens, Campus germinans, Terra pullulans. Est etiam ipsa Virgo gloriosa, Aurora surgens, Lucifer rutilans, Lunā pulchrior, Sole splendidior, auro purior gemmis preciosior, balsamo suauior, margaritis charior, nectare dulcior, omni harmoniā delectabilior. Hæc est Virgo pudicissima, quæ chirographum aboleuit decreti, & Protoparentum abstulit opprobrium, quæ arenti sæculo stillicidia gratiæ irrorauit, & ipsum fœcundā dilatauit fruge, quæ pereunti mundo, & aquarum diluuio inundanti, portum salutis aperuit.*

M. Thalamus & Tabernaculū Solis justitiæ.

Præclaræ B. V. laudes.

M. Solatiū mundi, peccanti refugium, naufragāti portus.

M. interemptrix peccati, Diaboli terror.

M. gēmis, & margaritis preciosior, nectare dulcior, omni harmonia delectabilior.

M. Mundo peccatorū diluvio pereūti portū salutis aperuit.

37. Vt ostendat porro pijssimus hic in Deiparam Patriarcha radicem, ex qua tot, tantaque cœli munera, gratiarum privilegia in ipsam emanarunt, innuit esse, ipsam Sanctissimarum Triados Personarum benevolentiam, amoremq; quo stimulante, tot ei dotes animi, tot virtutum, charismatumque cœlestium contulerunt decora, ut Pater æternus, uti etiā ante diximus, inexhuastum illum suæ infinitæ

Fons gratiarū, quæ B. V. impleuerunt, est ipsa SS. Trinitatis in illam beneuolentia.

finitæ omnipotentiæ; Filius inperscrutabilis sapientiæ; Spiritus S. immensæ suæ Bonitatis thesaurum exhausisse, in eamq; profudisse visi sint, quo revera universũ augustissimæ Trinitatis, tot ab illa tamq; admirabilia Divinarum perfectionum, attributorumque recipiendo ornamenta, esset complementum. Vnde laudes ipsius ita prosequitur: *Hæc nempe est Virgo sanctissima, quæ virtutum omnium ornata decore, & gratiarum plenitudine, atq; donorum cœlestium irradiata fulgore, cœlorum Regem, suo ad se traxit odore, nimio namq; innocentiæ, ac castitatis respersa candore, tanquam præ cæteris sanctior, DEI Mater efficitur. Hæc quidem propter humilitatis meritum, & ferventissimum charitatis affectum, ab Altissimo adamatur, eligitur à Verbo, fœcundatur à Spiritu S. Divina prole; præponitur Angelis, omniq; cœlesti præfertur militiæ;* utpote in quam SS. Trinitas non modo omnium Angelicarum Hierarchiarum, verumetiam omnium reliquorum Cœlitum beatorum merita, gloriamque congessit, ipsiusque animam fœlicissimam ita cœli donis cumulavit, ut revera jure meritissimo dici posset Vniversum Trinitatis complementum.

SS. Trinitas in ornãda B.V. suos thesauros quasi exhausisse visa est.

Dona B. V. à Divinis personis concessa.

38. Tandem concludit totum hoc tam insigne Virginis elogium, innuens causam proximam, ob quã B. Trinitas tot gratijs eam compleverit, docetque Divinam esse Maternitatem, ad quam tam eximiam, tamq; eminentem dignitatem capessendam jure merito tot, tantarumque virtutum, gratiarumque velut præviarum dispositionum requirebatur cõplementum. *Quem enim*, prosequitur idem Patriarcha, *cæli capere nequeunt, & omnis natura miratur, MARIA mente concepit, concepit in ventre, gestauit in utero, lacte nutrivit, fovit gremio, brachiis amplexata est. Dignum quippe fuit, ut esset Mater, & talis Mater Vnigeniti DEI, Plasmatoris omnium, Conditoris sæculorum. Quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratiæ, quidquid & gloriæ, totum fuit in MARIA. Magna cum nascitur, maior cum concipit; ubiq; sancta, ubiq; plena, ubiq; immaculata; sancta quidem mente, & corpore, plena gratia & virtute, immaculata Verbo, & Sponso.* Hæc B. Iustinianus, quibus sanè luculenter ostendit postquam Virgo sempiterni justitiæ Solis, obumbrante Spiritu Divinissimo, effecta est thalamus, ac Tabernaculum, vere effectam esse, tot munera cœlitus accipiendo, universum Trinitatis complementum.

M. tot donis ornata, ac Completa, quia erat in Matrem DEI electa.

39. Simili ratione S. Macharius Hom. 45. ostendere volens pulchritudinem spiritualem in animam induci per gratiam, quam ille solari radio comparat, atque à Solis splendore eamdem pulchritudinem mutuari. Et sanè rem totam, quam hactenus explicuimus de Thalamo, ac Tabernaculo solari, attigisset, si per gratiam non modo solis lumen, verumetiam ipsam Solis sphæram in animam immigrare pronunciasset. Sed verba ipsa hujusce Viri sancti audiamus, qui cum præmisisset; DEVM potiri quidem creaturis omnibus, societatem vero contrahere voluisse cum solo homine, in eoque conquievisse, mox annexuit: *Vides cognationem DEI cum homine, & hominis cum DEO. Quapropter sagax, & prudens anima, cunctas percurrens creaturas, sibi quietem ipsa non reperit, nisi in Domino solo: nec Domino complacuit in ullo præterquam in solo homine. Si explices oculos ad Solem, Circulum ejus reperies in cœlo, lumen autem & radios in terram vergere, & ad terram tendere, vim omnem lucis, & splendorem: Sic etiam Dominus sedet à dextris Patris, oculum autem suum extensum habet in corde hominum in terra degentium, ut auxilium ejus excipientes, illuc ubi ipse est extollat. Quoniam*, inquit, *ubi ego sum, illic & minister meus erit.* Sic ille.

Gratia DEI Solis lumini similis.

Anima cũ ctas percurrens creaturas sibi in uno solo DEO locũ quietis reperit.

40. Cui doctrinæ pulcherrimæ si addiderimus non solum DEI Filium, ad dexteram residentem Patris, verumetiam ipsum Patrem, & Spiritum S. velut unum in substantia atq; essentia fulgentissimum Solem, Divinæ gratiæ jubar in Cor Deiparæ evibrasse, ipsumq; totum Divinitatis Solem in illam, velut Solis Regiam, propriumque suæ Majestatis domicilium immigrasse, nullo sanè negotio intelligemus illam universum gratiarum perfectionumque omnium Complementum accepisse. Cum ad has obtinendas donorum Spiritus S. divitias, plenitudinem gratiæ, vel unica Persona Filij in uterum ejus ingrediens, per se sufficientissima extiterit. Vnde Rupertus Abbas in cap. 1. Ioann. illa verba ponderans: *Plenum gratiæ & veritatis*, ita exclamauit: *O magnum præconium, magnum & fidele testimonium. Quærebas cujusmodi esset illa Vnigeniti gloria? Aurum est, aurum verum, dignum nostræ captiuitatis precium. Homo iste diues, & nobilis de thesauro Altissimi prodijt, corpusculum eius sacculus est auri preciosi, tene illum dum rescinditur per* imu-

Sol Divinitatis in Maria inhabitans eam totã gratiæ suę luce complevit.

Corpus Christi, sacculus auri preciosi.

injuriam mortis, & apprehende quod in illo est talentum gratiæ, & veritatis; vel quanti eadem gratia & veritas sit ponderis, idem Evangelista, Baptistæ testimonio declarat: Gratia & veritas per IESVM Christum facta est. Hæc ille.

41. Idem hoc virtutum, gratiarumque omnium Complementum, quod super omnes Angelos, reliquosque Cœlites à sanctissima Trinitate accepit Virgo Deipara in Verbi potissimum Incarnatione, ostendit amictus ille Solaris, quo eam S. Ioannes dilectus Christi Discipulus, Virginisque Filius Apoc. 12. circumdatam contemplatus est: *Signum*, inquiens, *magnum apparuit in cœlo; Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus eius, & in capite eius Corona Stellarum duodecim.* Licet enim Mulier illa in sententia Doctissimi, ac Religiosissimi Cælij Pannonij Sacri Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ, aliorumque, denotet Ecclesiam, significat nihilominus ipso etiam assentiente, & ipsam Virginem gloriosissimam Deiparam, velut membrum principalissimum post Filium, qui caput ejusdem Ecclesiæ ab Apostolo vocitatur: *Sunt*, inquit Cælius, *qui præsentem locum Sanctæ DEI Genitrici tribuant, velut ipsa sit hæc Mulier amicta Sole, quæ Christum gestavit in utero, & carne indutum peperit, ut non rarò etiam sermones suos incipiant in eiusdem commendationem ab hoc themate. Donemus hoc; fit enim sæpè, ut quæ de æterna DEI Sapientia scripta sunt, Sacræ Genitrici sine iniuria tribuantur. Quandoquidem ipsa Virgo Mater de suo corpore, amictu pulcherrimo, illibatissimaq; carnis eum vestierit, lactaverit uberibus, ulnis gestaverit, atq; multam eius curam habuerit, ut non illiberali consilio honorem sibi propriè debitum in scripturis, eidem communem fecerit: Sicut illud: Ab initio, & ante sæcula. Et: Dominus possedit me &c. Eodem modo & hic locus Scripturæ quota sui portione eidem tribuitur, quæ nobilissima est portio Ecclesiæ. Quæ equidem tunc in primis amicta Sole fuit, quando Virtus Altissimi eam obumbrabit, illumq; intra Vterum concepit, qui intra omnia, extra omnia, super omnia, & infra omnia existit incomprehensibilis, Salomone attestante; Cœli, & cœlorum cœli illum capere nequeunt. 3. Reg. 8. Cui Luna sic sub pedibus fuit, ut à nemine hæc rerum mutabilium cupido ita calcari potuerit, ac contemni, tametsi Paulus arbitratus sit omnia, ut stercora. Duodecim autem Stellæ quæ in capite eius emicant, insignia sunt virtutum, quibus præstat in cœlestibus, ob perfectionem numeri duodenarij.* Sic ille.

M. ob plenitudinem & Complementū gratiæ Mulier amicta Sole.

Mulier amicta Sole in Apoc. notat B.V. & Ecclesiam.

Quia DEI Sapientia carnem de Virgineis Sanguinibus coalitam assumpsit, ideò laudes sibi debitas in Scripturis communes illi fecit.

42. Constituto igitur, quod Mulier illa Apocalyptica nobis repræsentet DEIparam, jure ob Complementum illud omnis gratiæ, ac Sanctitatis ipsi à SS. Trinitate, in æterni Verbi, ejus purissimo Vtero factam Incarnationem, concessum, super omnes Angelicas mentes, hominesque justos, dicetur Sole amicta. Quemadmodum enim in sempiterno Iustitiæ Sole complacuit omnem plenitudinem gratiæ inhabitare, ita sanè recipiendo eundem Virgo tabernaculo sive thalamo Vteri sui Virginalis, de illa ipsius plenitudine gratiæ participare oportuit, & ab ipsa Sanctissima Trinitate eam, velut nobilissimum, atque ornatissimum Triclinium inhabitante, omnium cœlestium munerum, Divinarumque perfectionum, quantum humana Natura capax esse potest, præ reliquis Beatis accipere Complementum. Cùm enim Solaris hic amictus ei concessus fuerit à Filio in grati animi significationem, ob carneam illam ex purissimis ejus sanguinibus coalitam vestem, quam in ipsius Vtero delitescens, suæ circumdedit Divinitati, necessarium profectò fuit, ut omnes quodammodo liberalitatis, in Matre, gratijs omnibus complenda excederet limites, eamque eminentiâ virtutum, ac meritorum super omnes Beatos, ob tam eximiam sibi exhibitam Charitatem, eveheret.

M. Amicta Sole à Filio, quia prius ipsa carne suâ vestivit Filium.

Quam ob causam ei familiariter dicebat S. Bernard. ser. de verb. Apocal. *Quam familiaris ei facta es ò Domina, quam proxima, imò quam intima fieri meruisti, quantam invenisti gratiam apud DEVM! In te manet, & tu in eo; & vestis eum, & vestiris ab eo. Vestis eum substantiâ carnis, & vestit ille te gloriâ suæ Maiestatis, vestis Solem nube, & Sole ipsâ vestiris. Deniq; coronavit eum Diademate carnis nostræ, & vicissim ab eo meruit coronari, siquidem in capite eius Corona Stellarum 12.*

B.V. Sole vestita, quia ipsa eundem vestivit nube suæ carnis.

43. Quod porrò hâc superabundanti gratiarum plenitudine, quâ ceu Stellis coronata omnes rationales creaturas incomparabiliter excesserit, ipse Solaris amictus nobis indicat. Quemadmodum enim Sol reliquos Planetas, omniaque cœli sydera, & magnitudine, & splendore, velut ipsorum Princeps luculentissimus, à quo omnem illam, quâ pollent lucem, splendoremque mutuantur, infinitis propemodum superat intervalli:

Sol, gratiæ B.V. est Symbolū.

vallis: ita sanè & Virgo Regina omnium Angelorum, reliquorumque Cœlitum, qui sicut Stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates, gratiarum suarum, meritorumque luce eos omnes transcendet. Eamdem ob causam Lunam pedibus calcare perhibetur, ut intelligamus quod Cœlites etiam excellentiores, sint quantumvis magni velut Luna (quæ licet pulcherrimus sit Planeta, tetræque noctis venustissimum, argenteâ suâ luce, ornamentum, reliquasque suo nitore, Stellas plurimum excedat) Virgini tamen nullo modo sunt comparandi, verum sub ejus pedibus, ut Luna abijciendi, tanquam hi, qui ante ejus conspectum nec possint, nec debeant apparere. Quod intellexit B. Petrus Cardin. Dam. serm. 3. de Assumpt. B. V. qui Virginis merita splendori Solis Lunæ, Syderiumque conferens, cùm de Sole dixisset: *Hic lucidiùs incandescens, ita sibi Syderum, & Lunæ rapit positionem, ut sint, quasi non sint, & videri non possint;* mox subtexuit: *Similiter & Virga Iesse veri prævia luminis, in illa inaccessibili luce perlucens, sic utrorumq; Spirituum Angelicorum, videlicet, atq; humanorum habetat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.* Quare nil mirum si Luna Syderum Regina tantâ luce Virginis perstricta, ac pudefacta, sese sub ejus pedibus abscondat, suæ lucis plenitudine, cum Complemento virtutum omnium Deiparæ sese minimè ausa comparare.

Vt Sol suâ luce reliqua sydera longè superat; sic B. V. suæ gratiæ plenitudine omnes Sanctos.

Omnes Sancti pedibus B. V. ut Luna subjecti, ob ipsius excellentem, copiosamq; gratiam.

44. Quod si adhuc Coronam illam in capite Mulieris 12. Stellis contextam attentiùs contemplemur, clariùs adhuc Virginearum gratiarum, meritorumque Complementum, inter omnes Cœlites longè sublimiùs enitescet. Idem enim Cælius duodenas illas Stellas, duodecim Apostolos esse intellexit, quorum virtutes, quia longè majori splendoris plenitudine in Virgine refulsere, minutæ quædam Stellæ, respectu Solis, quo ipsa amiciebatur fuisse videbantur. Blasius Viegas noster in cap. 12. Apoc. sect. 7. ijs Stellis duodecim non modò Apostolos, verùm etiam omnes Viros Doctrinâ, ac Sanctitate præcellentes, ait denotari, eò quod numerus duodenarius perfectionem & universitatem contineat, & Viri hujusmodi ex veneratione, ac cultu Virginis, eximium honorem, velut Coronæ quæpiam Regium Verticem circumdantes nanciscantur. Vnde S. Bernardus sermone citato de Stellis illis caput Deiparæ ambientibus, ajebat: *Non tam ornant illam, quàm ornantur ab illa,* utpotè quæ eos velut Sol Stellas gratiarum, meritorumque luce transcendit.

Stellæ 12. in Corona B. V. sunt Apostoli, & alij Viri Sancti & docti.

45. Vnde devotissimus Bernardinus Bustius Par. 11. Mar. serm. 2. Par. 4. introducit Apostolos in Deipara ad cœlos proficiscente agnoscentes præ se, reliquisque Cœlitibus plurima virtutum decora, Sanctitatis prærogativas, gratiarum omnium denique Complementum. Quare illam ibidem ita humiliter alloquuntur: *De nobis Virgo dicitur quod simus Sal terræ, Lux Mundi, Lucerna ardens, & Civitas super Montem posita. Tu autem tanquam optimus Sal terræ quamplurimos à peccati putredine præservasti, & DEO insipidum hunc Mundum condijsti, & velut fulgentissima Lux Mundi ad DEI cognitionem illuminasti, eius tenebras abstersisti. Tu tanquam Lucerna ardentissima ad DEI amorem multos inflammasti, frigidumq; Mundum Charitatis igne accendisti. Tu velut Civitas super Montem posita viscera, Sinumq; misericordiæ tuæ omnibus aperuisti. Cùm sis ergo Apostolorum Magistra, ac Gubernatrix in eorum Collegio demorare:* Quibus Deipara Virgo: *Non relinquam vos, inquit, orphanos sed continuè videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Ego enim sum tanquam Plantatio Rosæ in Hiericho, quæ Civitas Lunam sonat, & Apostolorum denotat congregationem, qui ipsam Ecclesiam plantaverunt. Quilibet vestrum fuit Rosa speciali aliqua gratia quâ florebat, ac redolebat in Mundo. Ego autem fui tanquam Plantatio Rosæ, quia in me universaliter omnes gratiæ sunt, quæ in vobis singulares extiterunt. Vos ergo estis Rosæ redolentes coram DEO: ego verò Plantatio Rosæ, quæ inter vos non loco, sed gratiâ familiariter commoror. Maneo enim cum Petro per Humanitatis & Divinitatis Filij mei cognitionem. Quia ipse dixit: Tu es Christus Filius DEI vivi. Cum Paulo per altam contemplationem, siquidem aiebat: Nostra conversatio in cœlis est. Eph. 3. Cum Andrea per præcordialem ad Crucem devotionem, quam tam piè salutavit, cùm ad eam esset suffigendus. Cum Iacobo sum per vitiorum supplantationem, ac evitationem. Cum Ioanne per Virginitatis conservationem. Virgo enim electus à Domino, Virgo in ævum permansit. Cum Thoma per fortium operum aggressionem. Ipse enim alijs Apostolis dixit Ioan. 11. Eamus & nos, & moriamur cum illo. Sum cum Iacobo Alphei per singularem in utero Sanctificationem. Cum Philippo per specia-*

Apostolorũ preces ad Virginẽ pro ea in suo ordine retinenda.

Apostolorum tituli longè, aptiùs B. V. cõveniunt.

M. Plantatio Rosæ in Hiericho, id est, in Ecclesia.

Singulorũ Apostolorum perfectiones singulares quibus tamen B. V. præeminet.

specialem cum Filio meo familiaritatem. Cum Bartholomæo per ferventem orationem. Vnde clamabant contra eum Dæmones: Bartholomæe incendunt nos orationes tuæ. Cum Matthæo cum terrenorum despicientia. Cum Simone per mandatorum DEI promptam executionem. Cum Thadæo deniq; per munditiam & puritatem. Vnde in Historia Ecclesiastica vocatur Corculum, quasi cordis Cultor. Hæc ille.

46. Ex quibus clarè perspicimus virtutes, ac singularia privilegia meritorum, quæ in singulos Apostolos erant sparsa, ac divisa, in DEIPARA, ipsâ attestante, fuisse collecta. Vnde jure merito pleno ore, universum gratiarum omnium, ac præsertim Apostolicarum, absque ulla comparatione à Sanctissima Trinitate eam accepisse Complementum, ubique prædicandum est.

47. Hinc B. Albertus Magnus Tract. super Missus, dum probaret DEIPARAM verecundiâ fuisse exornatam: *Ipsam,* inquit, *habuit, cui nullum defuit bonum, cuius pura creatura capax fuit.* Et alibi ut ostenderet omnium Sanctarum Mulierum virtutes in Virgine præclarissimè resplenduisse: *Quicquid,* inquit, *fuit boni in mulieribus, hæc omnia excellentissimè habuit; fuit enim Virgo Virginum, Mater DEI, & Mater, & Virgo,*

B. V. omnium Sanctarum Mulierum virtutibus exornata.

48. Hanc eamdem ob causam Sanctus Gaudentius Brixiensis Episcopus Tract. 9. ad Neoph. DEIPARAM dixit Figuram, & Imaginem, imò Librum omnes Sanctos Patriarchas, & Prophetas repræsentantem: *Matrem Domini,* inquit ille, *figuraliter accipe Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum, Iustorumq; omnium plebem, unde originem suam carnis nostræ, Dominus traxisse in Evangelijs perhibetur. Liber enim generationis IESV Christi scribitur, Filij Abrahæ, & sequentia reliquorum.* Quasi dicere voluisset: Quemadmodum Liber generationis Christi, dicuntur Sancti illi à quibus Dominus traxit originem: Sic Virgo DEIPARA Liber quidam generationis Christi appellari potest, quia omnium illorum Sanctitatem, perfectionē, gratiarumq; longè excellentissimè in se expressit plenitudinē. Vnde paucis intercalcatis, de ipsa loquens, eā quasi definijsse visus est. *Hæc,* inquiens, *Mater Domini generatio Patriarcharum, & Prophetarum intercessu pro nobis gentibus apud æternum Filium DEI.* Hinc D. Hieronymus serm. de Assumpt. *MARIAM si diligenter aspicias,* inquit, *nihil virtutis, nihil speciositatis, nihil candoris, gloriæq;, quod ex ea non resplendeat. Et ideo benè circumdant eam flores rosarum, & lilia convallium, ut virtutes virtutibus fulciantur, & formositas decore castitatis augeatur.* Hinc Richardus à Sancto Laurentio lib. 4. de laudib. B. Virg. dixit DEIPARAM universarum virtutum margaritis adornatam. *Ipsa enim erat,* inquit ille, *Vas auri solidum ornatum omni lapide precioso. Iaspide scilicet Fidei, Hiacyntho Spei, Carbunculo Charitatis, Saphyro Contemplationis, Sardonyche Martyrij; Topazio universæ virtutis, & omnimodæ pulchritudinis, reliquisq; lapidibus, quibus reliquæ virtutes designantur.*

M. Liber generationis IESU Christi, omnium illorum Iustorum virtutes complectentes.

M. omnibus virtutum gemmis exornata.

49. His similia habet Iacobus de Valent. Episcopus Christopolitanus in Cant. B. V. dum docet omnes omninò hominum status meritorum sublimitate, gratijsq; à Virgine quam longissimè fuisse superatos, & discussu facto per singulos tandem ita concludit: *Non solùm in merito omnes hominum status excessit, sed etiam omnium Angelorum. Nam licet fuerit Angelis æqualis, imò longè eminentior in puritate* (addiderim ego) *superavit tamen celsitudinem omnium Angelorum in charitate, & Divinæ Maternitatis dignitate,* ut inquit Augustinus, *& ideò MARIA meruit Hierarchiam non solùm super omnes status hominum, sed etiam omnium Angelorum, in potioribus bonis Christi Filij sui, eò quod per quandam excellentiam meruit, & adepta est Coronam gloriæ suæ super omnes status, & omnes conditiones hominum & Angelorum. Ideò in eius Assumptione illi canit Ecclesia: In omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor. Quid dicit Virgo Maria: Ego quæsivi requiem vitæ æternæ in omnibus statibus & ætatibus, & in omnibus conditionibus, & operationibus meritorijs. Sed quia in omnibus merui Coronam vitæ per excellentiam super omnes homines, & Angelos, ideò morabor in æternum in hæreditate Domini, id est, in potioribus bonis Filij mei, super omnes ordines & Hierarchias omnium hominum & Angelorum. Et sic eadem illi cantat Ecclesia: Exaltata est Sancta DEI Genitrix super Choros Angelorum;* Sic Præsul Religiosissimus.

B. V. omnes omnium hominum status meritorum sublimitate, ac gratijs transcendit.

50. Vbertinus denique Casalius Ordinis Seraphici lib. 4. Arb. vitæ. c. 41. cui titulū inscripsit; *IESVS Fons reseratus;* censuit IESUM potissimum erga Matrem suam dilectissimam Fontem omnium gratiarum, donorumque cœlestium; æternæque gloriæ consequenter reseravisse,

Mariæ Iesus fontem suarū gratiarum potissimū reservavit

rasse, eique omnium creaturarum, tam Angelicarum, quàm humanarum, Complementum virtutum, perfectionumque omnium, ac gloriæ, profusissimâ liberalitate communicasse: *Meritò*, inquit ille, *glorificatione MARIÆ Matris DEI dixerim Fontem Divinitatis IESV plenariè reseratum: Ipsa enim tantùm accepit de DEI gloria, quantùm est pura creatura donabile in æternum, & proportionabiliter plùs ei, quàm omnibus alijs creaturis simul sumptis est datum. Sicut enim cæteris in via per partes dantur gratiæ; sic in MARIA se totam effudit gratiæ plenitudo. sic & in patria Divinæ gloriæ participatio quodammodo per partes datur, sed MARIA totam penetravit Divinitatis Abyssum, & quantùm est possibile creaturæ sine personali Vnione luci illi increatæ est immersa. Quod si consideretur occursus in cœlis Trinitatis beatæ ipsi factus, in quo Pater æternus excepit illam ut Filiam, Filius ut dilectissimam Matrem, Spiritus Sanctus ut Sponsam, apparebit, quod ipsa per se inæstimabiliter plùs participat de gloria Trinitatis beatæ, quàm omnis alia pura creatura simul sumpta. Firmiter enim tenet Ecclesia, quod ipsa est super omnes Ordines Angelorum exaltata; ac per hoc quod non alius, quàm infra ipsam ad sedem Luciferi assumetur, quia de hominibus omnis Angelorum ruina suppletur, sed nulli dubium est, quin B. V. in hora, quâ fuit facta Mater DEI, habuerit plùs de substantialitate gratiæ, quàm unquam habuerit aliqua creatura. Quid super hoc addidit capacitatis & plenitudinis, per supervenitionem immensurabilem Spiritus Sancti Maternæ generationis inæstimabilis amor? sed quantùm superaddit in gratia, tantùm superaddit in gloria. Nihil ergo est gratiæ & gloriæ in creatura inferiori simul sumpta, quod nō sit in ea multò excellentiùs secundùm doctrinā Dionysij qua docet quod omnia dona inferiorū præcellentiùs à superioribus Angelis habentur. Vult enim Dionysius quod omnia inferiorum Ordinum dona in superioribus sint in tanta præcellentia, ut quasi non sit comparatio, quin potiùs omnes superiores Ordines inferioribus comparantur, ut circumferentia ad centrum. Quod si ita est, cùm Virgo gloriosa sit super omnem ordinem, ac per hoc faciat ordinem per se, qui non patitur propter dignitatem incommunicabilem, multitudinem Personarum, sequitur quod ipsa ad omnes inferiores ordines Angelorum & hominum simul sumptorum improportionabiliter est prælata. Quicquid ergo est gloriæ DEI, amoris, & fruitionis in omni inferiùs glorificata natura, tam Angelica, quàm humana, multò præcellentiùs est in Virgine Matre DEI: & quantùm gradus Materni amoris, & dignitatis requirit, tantùm super omnes participat DEI gloriam, & fruitionem inæstimabilem, ad quam nullus attingit etiam gradu multum inferiori. Nec hic attendas aliorum numerosam multitudinem, quia hoc nihil facit ad rem maioritatis gloriæ substantialis, quia in spiritibus idem est maiùs, quod meliùs; quin plùs est de substantiali gloria in uno Seraphin, quam si in infinitum per impossibile multiplicarentur secundùm numerum Angeli inferioris Ordinis. Nullus autem Ordo est in cœlo, qui tantum super ordinem immediatè sibi coniunctum, quantum Materna dignitas & gloria Virginis Matris superat Ordinem Seraphicum, & omnem creatum inferiùs.* Quod Vir hic in Virginem pientissimus exemplo Ecclesiasticæ luculenter comprobavit Hierarchiæ; tandemque ita concludit, ostenditque ab Incarnati Verbi uberrimo fonte Deiparam omnis gratiæ, gloriæque accepisse Complementum: *In glorificatione ergo sacratissimæ Virginis MARIÆ Matris DEI*, inquiens, *facta est ultimata reseratio fontalis Divinitatis IESV, ut nunquam tantùm debeat reserari infra illam, in omni alia simul sumpta creatura.* Hæc Vbertinus.

Gloria B.V. incōparabiliter major quàm aliorum Sanctorum, ob Complementū gratiæ quæ semen est gloriæ.

M. cœlos intranti occurrit SS. Trinitas, eamq; honoravit ob ipsius meritorū plenitudinem.

B.V. in hora quâ facta est Mater DEI, habuit plus de substātialitate gratiæ, quam unquam aliqua habuerit creatura.

Omnia inferiorū Ordinum dona sunt in superioribus cum præcellentia.

M. omnibus Angel. Cœlitibusq; Superior, omnium gratiam & gloriam simul complexa.

In B.V. glorificatione facta fōtalis & ultimata reseratio Divinitatis Iesu.

51. Vbi notandum illud quod dicit de reseratione Divinitatis Iesu, extendendum quoque ad reliquas Divinas Personas, quæ ut communem habent essentiam, ac Divinitatem, sic etiam communicationem, sive reserationem, quâ nullum suorum bonorum, gratiarumque fontem ita copiosè, quemadmodum gloriosissimæ Virgini reserârunt, nulli tantùm suarum perfectionum Complementum communicârunt. Vnde idem Vbertinus cap. 39. tractans de occursu Divinarum Personarum, in cœlis facto in adventu Virginis, ait Spiritum Sanctum omnem gratiam olim communicandam Sanctis, atque electis, omnesque suæ gratiæ operationes in ea velut Officina reclusisse: *Occurrit illi, & ipse Spiritus Sanctus*, inquit Vir Deiparæ addictissimus, *recognoscens Fornacem sui amoris, & mirificæ operationis suæ Officinam; in qua, & de qua fabricatum fuit Corpus mundissimum Filio DEI, & nova infusa anima, & utrumq; simul tamquam Humanam unam Naturam integram, ac perfectam in Persona Filij DEI univit. Ostendit deniq; Spiritus Sanctus expressè omnibus Sanctis, & electis suis quod in hac Officina, & per hanc fabrefecit, quidquid in gratia mirificum operatur, & quod*

Spiritus S. omnem gratiā olī Sanctis communicandam in B.V. velut Officina reclusit.

M. Fornax amoris Spiritus S. & mirificæ ejus operationis Officina.

& quod in hac totum ignem virtuosæ suæ operationis reclusit, & quicquid unquam dare disposuit alicui Creaturæ. Sic igitur tota Trinitas uniformi, & concordi voluntate hanc inæstimabilem Virginem ostendit esse suam sponsam, incommunicabilis charitatis, cœli Reginam, inattingibilis dignitatis, Mundi Dominam imparticipabilis potestatis. Electorum omnium piam Genitricem inexsiccabilis, sive inexhaustæ pietatis. Omnium DEI hostium conculcatricem triumphalissimam insuperabilis strenuitatis. Omnium denique Thesaurorum cœlestium Dispensatricem largifluam pro suæ complacentia voluntatis.

Maria cōculcatrix, & Triumphatrix hostium insuperabilis.

52. Et licet fons ille Divinitatis Iesu reseratus Virgini dederit in cœlo universum gloriæ complementum; reseratus tamen etiam hic in terris in primo immaculatæ Conceptionis instanti, totiusque vitæ ipsius decursu, ac præsertim in Incarnatione Verbi ejus in purissimo utero peracta, dedit abundantius gratiæ complementum, toti mundo, ac præcipue suis clientulis, ac devotis dispensandum. Tunc enim Pater æternus suum mittendo Vnigenitum, in quo uti diximus, complacuit omnem plenitudinem gratiæ habitare, & Divinissimum spiritum, velut geminos donorum cœlestiū, gratiarumque omnium fontes, ita illam omnibus charismatis compleuit, ut de ejus superesfluētia, ac redundantia, omnis rationalis adimpleta fuerit creatura.

FonsDivinitatis Iesu Virgini reseratus maxima iu Incarnatione Verbi dedit illi omniū gratiarum complementum.

53. Filius enim DEI, ac Spiritus S. sunt aquæ illæ, quæ de cœlesti Libano in corpus, animamque Virginis, velut humilitatis profundissimum puteum fluxerunt. Quam ob causam encomium illud ipsius celebrauit Sponsus, Cant. 4. *Fons signatus Soror mea Sponsa; Fons hortorum puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Fons verè signatus singulariter est DEIpara, adeo ut semper in plenitudine gratiarum, omnisque sanctitatis inter creaturas omnes rationales ostenderit se esse singularissimam. Quare præclarè in illud Sponsi encomiū Rupertus li. 4. in Cant. *Vnde*, inquit, *Fons signatus? vel quo, aut quali signaculo signatus? Nimirum ex eo, quod Spiritus S. superuenit in te, & Virtus Altissimi obumbrauit tibi. Ipse Spiritus S. signaculum est hujus fontis, signaculum pectoris tui. Vnde mens tua nulli vitio, nulli spirituali nequitiæ fuit unquam penetrabilis.*

Filius, & Spiritus S. sunt aquæ illæ, quæ de cœlesti Libano in B. V. cum impetu influxerunt.

SpiritusS. est signaculum pectoris B.V.

54. Non solum Fons hic Virgineus signatus est Sigillo Spiritus S. sed & Vnigeniti Filij DEI. Vnde Sigillum hoc P. Delrio noster in Cantica, ex Guilelmo, ait esse *Virginitatis perpetuæ, habens imaginem sponsi cœlestis, ex impressione annuli eius, de quo sancta quædam anima: Annulo*, inquit, *sub arrauit me Dominus meus Iesus Christus. Nempe tunc sigillum Virginitatis imagine sponsi insignitur, cum anulo amoris ejus imprimitur, & tamdiu sponsi seruat imaginem, quamdiu Virginitas sponso custoditur. Verum si gloria humana, vel quid aliud, præter sponsum quæratur, in eodem sigillo Imago sponsi cœlestis illico obliteratur. Sigillum autem, quo signatus erat fons ille, de quo nobis, saluo eodem sigillo salus manauit, tam altè fuit impressum, tam profundè cœlestis sponsi Imaginem imbiberat, ut nullo modo Imago posset obliterari, sicut nec ipsū sigillum poterat temerari. Nihilominus sicut saluâ cerâ, potest per eam aqua exsudare & penetrare: sic ex hoc fonte, saluo sigillo riuus emanauit, de quo Eccli 24. dicit sponsus: Ego quasi fluuius Dorix, & quasi aqua ductus exiui de Paradiso. De veteri, & terreno Paradiso fluuius egrediebatur ad illum locum voluptatis irrigandum, qui post in 4. capita diuidebatur. De isto nouo, & cœlesti Paradiso flumen illud egressum est, de quo legitur: Fluminis impetus lætificat ciuitatem DEI, quod inde diuiditur in 4. Euangelia. Fluuius ille Christus est, Paradisus Vterus Virginis, quem Spiritus S. tantâ gratiarum abundantia perfudit, ut Filio DEI fieret Hortus deliciarum, & voluptatis; inde exiuit fluuius Doryx rapido charitatis cursu, totum mundum sapientiæ suæ fluentis perfundens.* Sic Delrio.

M. Fons signatus sigillo Spiritus S. & Filij DEI.

M. Fons signatus sigillo Virginitatis habente Imaginem Sponsi.

55. Ob eandem gratiarum plenitudinem, quam in suos clientulos longæ lateq; diffundit, fons est Hortorum Virgo nostra, rigando eos, ut interpretatur idem Guilelmus; *puteus aquarum viuentium, continendo eos. Continet enim sibi abyssos vitæ, & in mortalium gaudiorum sed non ita continet sibi, ut non effundat in alios. Effundit Angelis, & hominibus participationem pro captu singulorum; Angelis quidem torrentem voluptatis, hominibus in hac peregrinatione riuulos sanctitatis, & sanitatis, donec & ipsi ciues effecti inebrientur ab ubertate domus ejus, & torrente voluptatis eius potentur. Sic tamen effundit, ut non minus contineat. Sicut propter Angelos, & homines dicitur fons hortorum. (Nam & Angeli sunt Horti Dominici, Horti cœlestes, & deliciarum, referti suauissimis obedientiæ fructibus; quos ad beate viuendum perenniter rigat fons vitæ; & electi homines in terra horti sunt Dominici, quos ad viuendum bene quotidie irrigat fons vitæ, ad fructum justitiæ)*

M. Fons Hortorū; id est animarum, in rigando illas.

M. gratiarum complementū acceptum à Filio, & Spiritu S. Angelis, & hominibus communicauit.

stitia) sic & Puteus aquarum dicitur propter multos vitam participantes, & eum in quo est vita; licet unica sit aqua viua, scilicet IESVS ipsa Vita, de qua scriptum Apoc. 22. Qui sitit veniat, qui vult accipiat aquam vitæ gratis. Aquæ hæ dicuntur cum impetu fluere de Libano, id est, de monte Candoris, nempe à Patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, cum impetu, hoc est copiosè, siue sine personarum acceptione, atq; delectu. Hæc fere Guilelmus de Virgineæ plenitudine gratiæ, quâ velut puteus completa; adeo exuberans extitit, ut eam postea ceu fons non modo cum hominibus verumetiam cum ipsis Angelis communicarit, eosque velut cœlestes hortos copiosissimè asperserit.

Mons Libani seu candoris est Pater luminum.

56. Quare Rupertus Abbas lib. 4. in Cant. postquam Deiparam aquarum viuentium puteum appellasset, agnoscens ab illius plenitudine gratię, ac perfectionis, uniuersum Ecclesiæ tam cœlestis, quam terrestris fuisse irrigatum Paradisum, eam sic affatus est: *Sicut in initio fons ascendebat de terra, irrigans uniuersam superficiem terræ, sicut,* inquam, *fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita: sic ex te, ò amica, ò terra benedicta, fons ille ascendit, qui apud DEVM erat, & vera lux erat, sicut scriptum est: Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Fons, inquam, ille ascendit ex te, non principium habens ex te, sed ex corde Patris, per occultas vias cum omnibus aquis viuentibus veniens in te, & æternum sapientiæ fontem siue puteum faciens in te, atq; hoc modo ascendit ex te. Ad quid ascendit? Vtiq; ad irrigandam superficiem terræ, ad excolendam Ecclesiam per uniuersum orbem terræ. Ad hoc egreditur fluuius de loco voluptatis, scilicet ad irrigandum Paradisum, ad hoc, inquam, ex te, ò Voluptas, siue locus voluptatis DEI, initium accipiet Sanctum Euangelium, ut per uniuersum mundum spiritualem irriget Paradisum.* Hæc Rupertus.

M. Fluvius Paradisi plenitudine suarum gratiarum velut aquis Hortum Ecclesiæ tã militantis, quam triumphãtis irrigauit.

57. Ex quibus intelligimus, Deiparam, accepto à SS. Trinitate gratiarum complemento in Incarnatione Verbi factam non modo Puteum aquarum viuentium de cœlorum Libano in illam defluentium, donorum cœlestium thesauros copiosissimos in se recondendo, verum etiam Fontem Hortorum, easdem gratiarum aquas in animas velut cœlestis Sponsi Hortos diffundendo, & cum eis de supereffluenti sua plenitudine communicando.

58. Hæc porro gratiarum plenitudo, siue Complementum in Dei para quantum fuerit, quæ mens capere, quæ lingua vel Angelica effari valeat?

M. Plenitudo gratię incomprehensibilis.

Certè Venerabilis Dionysius Richelius Ord. Carthusiani Sydus lib. 2. de Præcon. & Dignit. Deiparæ cap. 18. disertè pronunciauit: *Tanta est Maria plenitudo gratiæ, ut ne ipsa quidem eamdem plene videre valuerit, nisi Dei essentiam contemplans. Hac nempe gratiæ ipsius altitudo in eo consistit, quod veri, omnipotentisq; Dei Mater vera facta est, quæ ut opinor comprehendi nequit, nisi ipsa, Donum DEI, videatur per speciem Maiestas.* Hæc Dionysius.

Ipsa B. V. gratiæ suę plenitudinem in Diuina Essentia cõprehendit.

59. Hinc P. noster Didacus de Celeda, Vir pietate in Virginem, eruditioneque insignis, in sua figurata Iudith præclarè dixit inter cætera B. V. elogia illud esse celeberrimum, quod nemo mortalium, ne perspicacior quidem Angelus plene eam valeat comprehendere, quanta ejus sit dignitas, quanta excellentia, licet ipsi Cherubini à plenitudine scientiæ nomen habentes mentis aciem exacuant. Solus Pater Devs Virginis est conscius, inquit Rupertus in cap. 1. Ioannis. Hinc Pelbartus de Themisuar Deiparæ studiosissimus lib. 11. P. 2. c. 12. ob complementum hoc gratiarum omni creatæ menti incomprehensibile, quo à SS. Trinitate fuit dotata, inter 12. illas stellas, quæ ipsius sacrosanctum coronant verticem unam *Incomprehensibilitatem* vocitavit. *Quia*, inquit, *perfectiones gratiarum, & plenitudinis excellentiæ nobis alijs creaturis sunt incomprehensibiles. Nam sicut Diuinæ perfectiones omni intellectui sunt incomprehensibiles, sic perfectiones gratiarum, quas Virgo suscepit in Filij DEI conceptione, soli Diuino intellectui, Christo, sibiq; fuere comprehensibiles;* clara videlicet illa in Verbo visione.

Dignitatẽ B. V. ne perspicacior quidẽ Angelus comprehendit.

Stella in corona Virginis est incomprehensibilitas, qua comprehendi nõ possunt perfectiones gratiarum ipsius

60. Hinc B. Andreas Cretensis Orat. 1. de dormit. B. V. præclarè, ut alibi etiam diximus, pronunciauit; *Dei solius esse pro dignitate DEIparam laudare.* Hinc denique B. Thomas de Villanoua ser. 3. de Natiu. expendens illud: *Fecit mihi magna qui potens est. Sed quæ magna,* inquit? *Nescio an ipsamet valuit suam comprehendere magnitudinem.* Quare cum idem S. Antistes ser. 3. quæsijsset; Cur Evangelistæ Virginis gesta, vitam, sanctitatem, posteritati minimè commendarint? Respondit sapientissimè; *Euangelistas siluisse propterea, quia Virginis gloria magis cogitari*

Dei soliꝰ est B. V. pro dignitate laudare.

gitari poterat, quam describi. Additque omnia collegisse, cum ex ea natum dixerunt IESVM, sufficereque hoc ad ejus plenam Historiam: *Quid amplius,* inquit ille, *quid ultra requiris in Virgine? sufficit tibi quod Mater Dei est. Vbi ergo totum erat, pars scribenda non fuerat, ne forte putares, quod scriptum non erat, eidem forsitan defuisse.*

61. Et licet hæc verissima sint, plenitudo tamen hæc siue Complementum gratiæ ex profunditate Virginei hujuscé putei aliqua ratione deprehendi, ac penetrari potest. Quam ego profunditatem, dixerim Humilitatem DEIparæ, qua se Mater DEI effecta, adeo in abyssum sui nihili abjecit, atque demisit, ut sese Ancillam Domini esse professa sit coram Angelo: *Ecce,* inquiens, *Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Atque ita puteus hic profunditate, siue capacitatem quandam, ut ita dixerim, abyssalem atque immensam sortitus est, quam immensâ infinitaque quadam gratia, velut aquis viuentibus, tam ab Incarnato Verbo, quam â Spiritu S. atque adeo â tota Augustissima Triade ita infundi oportuit, ut non modo repleri, sed & exundare undequaque (cum Divinæ Gratiæ mensura sit Humilitas) videretur. Præclaré enim Richardus Victorinus cap. 26. in Cant. de humilitate gloriosissimæ Virginis loquens enunciavit: *Quia Humilitas est locus gratiæ DEI, adeo ut tantum gratiæ capax sit aliquis, quantum fuerit humilis; sicut virtutem hanc perfecté, & totam possedit, ita totam eam gratia impleuit, totamq; decoravit.* Vt denique intelligeremus humilitatem, gratiarumque plenitudinem, quam Virgo tantopere sese demittendo consecuta est miram animæ ipsius induxisse pulchritudinem ita includit: *Hæc est ergo interior pulchritudo mentis.*

Plenitudo siue complementū gratiæ B. V. deprehenditur ex profunditate humilitatis.

Humilitas est locus gratiæ Dei

62. Quamobrem videre mihi videor ad verba illa humillima Virginis: *Ecce Ancilla Domini,* abyssum quandam inscrutabilē in ejus anima reseratam esse, & immensum quoddam Vacuum, quod nulla re creatâ compleri posset. Vnde factum, ut duo illi increati omniū gratiarum, munerumque Divinorum, ac bonorum fontes, uti ante diximus, Verbum & Spiritus S. â Patris æterni pectore, velut loco voluptatis procedentes, magno amoris impetu, pleno quasi gurgite cum omnibus suis charismatis in sinum sese infuderint Virgineum, eamque profundissimum, plenissimumque aquarum viuentium Puteum, imo gratiarum immensum effecerint Oceanum.

Humilitas B.V. quoddam Vacuū, quod solo Incarnato Verbo impleri potuit.

Hinc de Incarnato Verbo loqués Apostolus Eph. 4. 50. *Descendit ut impleret omnia.* De utroq; vero nimirum Verbo, ac Spiritu Divinissimo B. Iustinianus Patriarcha Venetorum ser. de Annunc. *Tantum,* inquit, *Altissimo Virginis hujus consensus placuit, ut mediante illius prolatione verborum, repente Spiritus Sancti percurrente virtute, Verbum fieret caro, & Virgo DEI existeret Genitrix, ut videlicet immensus caperetur, impassibilis pateretur, & incircumscriptus teneretur.*

63. Nec immerito capacitatem seu profunditatem quandam immensam hujuscé Virginei Putei asseveramus, siquidem æterni Patris Verbum est DEVS ille, qui olim dixit apud Hier. c. 23. *Cælum & terram ego impleo:* Spiritus quoque Divinissimus est DEVS ille, de quo Salomō Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum;* qué tamen Virgo sinu suo complexa est. Ex quibus consequitur profunditaté capacitatemq; hanc Virginis omni cœlo terraque atque adeo toto Vniuerso longè esse ampliorem, utpote quæ DEVM ipsum totius Vniuersi Conditorem, qué nulla capere potis est creatura, utero suo comprehendit. Hinc vastitatem hanc profunditatemque hujuscé Putei contemplans Ecclesia, in illud prorupit epiphonema: *Sancta & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Quare præclaré S. Chrysologus serm. 142. *Angelus miratur aut fœminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per fœminam, stupet Angelus totum DEVM venire intra Virginalis uteri angustias, cui tota simul angusta est creatura.*

B. V. immēsa quædam capacitas, quæ imensum DEVM utero suo cōplexa est.

64. Quod si capacitas quædam immensa cœlum, terramque longè, latéque exuperans reperitur in DEIpara, consequenter quoque uniuersum illud complementum gratiæ, ipsi â SS. Trinitate infusum, â quo plena gratia per Archangelum prædicatur, quodammodo imensum infinitumque sit necesse est: *Immensum enim Vas,* inquit S. Bonauentura in Speculo cap. 5. *non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo est plenum. MARIA autem Vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui cœlo major est continere potuit. Quis est cœlo major? Certè ille, de quo Salomon ait: Si cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificaui? Non*

M. Vas immensum eo quod illum, qui cœlo, & terra major est cōprehendit.

utiq;

utiq; domus per Salomonem ædificata DEUM capere potuit. Tandemque concludit: *Tu ergo immensissima MARIA capacior es cœlo, capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Si ergo MARIA tam capacissima fuit ventre, quanto magis mente? & si capacitas tam immensa, fuit gratiâ plena, oportuit certè quod gratia illa, quæ tantam implere potuit capacitatem, esset immensa.* Quis ergo immensitatem MARIÆ potest mensurare? Hactenus Bonauentura.

Maria cœlo totoq; Mundo capacior.

65. Quare meritò B. Patriarcha supra memoratus Iustinianus eodẽ ser. de Annunc. in plenitudinem imẽnsam Virgineæ hujus gratiæ, quam prædicauit Angel⁹, præclarissima excurrit encomia; *Magna, inquiens, profectò Mariæ gratia, exuberans, atq; completa, quæ cœlis dedit gloriam, terris genuit DEUM, gaudium præstitit Angelis, sæculoq; pacem refudit.* Et rursus verba illa expendens Angeli: *Inuenisti gratiam apud DEUM: Non qualemcunq;*, inquit *sed à sæculis inauditam, cunctis mirandam, efferendam supra modum, quæ hominum, & Angelorum excedit gratiam. Gratiam deniq; istam tantam esse ait, ut per eam prolem concipiat, quæ salutem adferat, præstet veniam, lucem infundat, remedia conferat, vitam donet, & cœlorum viam patefaciat.* Quæ sanè omnia DEI dona cum valoris sint propemodum infiniti, atq; immensi, eaque à Virginis DEI paræ, quam apud DEUM invenit, causentur, gratia, meritò inferre possumus eamdem quoque infinitam esse propemodum, atq; imẽnsum.

Laudes gratiæ B. V.

66. Vnde sapientissimus Idiota cap. 6. in Contemplat. Gratiam hanc quam Virgo ab Angelo inuenisse memoratur, docet adeo exuberantem fuisse, ut non modo compleret animam, sed in corpus ipsum etiam redundaret: quare miro pietatis affectu ita illam alloquitur: *Inuenisti gratiam apud DEUM ò dulcissima Virgo, gratiam, inquam, corporalem, quia fuisti Vas innocentiæ purissimæ sine macula, & labe, & Virginitatis primipila, sine corruptione fœcunda, sine fastidio grauida, sine dolore puerpera. Inuenisti quoq; V. MARIA gratiam spiritualem, quia fuerunt in tua mente deuotio humilitatis, reuerentia pudoris, magnitudo credulitatis, martyrium cordis. Inuenisti deniq; V. MARIA gratiam cœlestem, quia fuerunt in te, originalis labis præseruatio, Angelica salutatio, Spiritus S. superuentio, & Filij Dei cõceptio.* Exponens tandem modum, quo gratiam hanc tam plenam, tam immensam inuenit DEIpara, eamdem cum Eua, quæ gratiam sibi, nobisque perdidit, conferendo, ita prosequitur: *Sed qualiter* inquiens, *ò fœlicissima Virgo MARIA istas gratias inuenisti? Certè ò superbenedicta V. M. sicut Eua gratiam amisit per superbiam, inobedientiam, curiositatem vanam, sic tu è diuerso gratiam inuenisti, quæ futura eras omnium humillima, obedientissima, & in DEI scientia solidissima.* Sic Idiota de multiplici à B. V. inuenta gratia.

B. V. gratia pene infinita redundabat etiam in corpus.

Sicut Eua per superbiã nobis gratiam amisit, sic Maria per humilitatẽ inuenit

67. Ob istud gratiarum omnium, quæ tam in Angelis, quam reliquis hominibus justis extitere, à SS. Trinitate DEIparæ communicatum Complementum, meritò nonnulli eam Mannæ compararunt, quod ex D. Ambrosio hausserunt sine dubio, qui comment. in Psal. 21. ita loquitur: *Quin potius ipsam MARIAM Manna dixerim, quia est subtilis & splendida, suauis, & Virgo, quæ velut cœlitus veniens, cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit, quẽ qui manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non potest.* Varij quoque, dulcissimique saporis Manna agnovit esse Virginem Petrus Riga in Exodum illis versiculis:

B V. Manna omnẽ Sanctorũ suavitatẽ continens

Quod Vermẽ Mãna parit, hæc est gratia magna;
Vermis enim Christus, Manna Maria fuit:
Nec vermis coitum, nec nouit Virgo Maritum
Nec venit hic coitu, nec coit illa Viro.
Vrna tenet Mãna, & Virgo Dominũ parit Vna,
Quæ Florem peperit, flore manente suo.

B.V. Manna Vermẽ, id est, Christum pariens.

Et jure sanè meritò Virgo nostra Manna dicitur. Nam ut reliquas rationes missas faciamus, quemadmodum Manna omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem in se habuit, ut loquitur Sapiens Sap. 16. ita Virgo nostra omnium Angelorum, Cœlitumque internam pulchritudinem, virtutum perfectionem, morum suauitatem, omne denique delectamentum, quod ex beatifica DEI Visione percipiunt, in se longè majori cum excellentia, atque affluentia complexa est.

68. Hujus gratiarum plenitudinis, sive complementi, quod DEIpara à SS. Triade sortita est, radicem, originem, & præcipuum fundamentum ait S. Bernardinus Senensis To. 2. serm. 51. art. 3. c. 1. fuisse humilitatem, qua se in Ancillam Domini obtulit, ut & nos ante diximus. *Tunc enim*, inquit ille, *Virgo Beata in conceptionis Filij DEI consensu plus meruit, quam omnes creaturæ tam Angeli, quam homines, in cunctis actibus, motibus, & cogitationibus suis.*

B. V. consensu in Incarnatione Verbi plus merita, quam omnes Angeli, & Sãcti reliqui

Quod

Quod Ioannes Carillus in Historia Virorum Illustrium III. Ordinis S. Francisci cap. 2. scribit B. Ioannæ fuisse revelatum: *Cum Ancilla DEI,* inquiens, *in die Annunciationis Anno Domini 1508. contemplationi vacaret, multa cognouit mysteria, in quibus unum, quod B. V. plus in illa hora obediendo voluntati DEI, & verbis Angeli fidem adhibendo meriti habuit, quam omnes Angeli meruerunt, cum obedientiam DEO dederunt, & plusquam omnes Martyres certaminibus suis, & plusquam omnes Confessores, ac Virgines in omnibus pœnitentiæ operibus, & Virginali puritate, quam seruarunt.*

B. Ioannæ facta revelatio de plenitudine gratiæ B. V.

69. Alia ejusdem plenitudinis gratiæ sive complementi super omnes Angelos, ac Iustos radix, ac causa, orta ex præcedenti est Spiritus Sancti obumbratio atq; eminentissima illa, eodem puncto temporis collata Virgini Divinæ Maternitatis dignitas. Audiendus hic S. Amadeus Hom. 3. qui librans verba illa Archangeli: *Spiritus S. superueniet in te; In alios Sanctorum venit,* inquit, *in alios veniet, sed in Te superueniet, quia præ omnibus, & super omnes elegit te, ut superes universos, qui ante te fuere, ac post te futuri sunt, plenitudine gratiæ. Implevit quidem Abel tantâ innocentiâ, ut innocens manibus, & mitis corde de manu fratris necem susciperet. Tua verò innocentia millia nocentium, innocentiæ reddidit, ac saluti. Transtulit Enoch, sed caro quam generabis cùm assúpta fuerit de terra, omnia trahet ad se. Implevit Abraham fide, & obedientiâ profuturâ posteritati; sed fide tuâ & obedientiâ Mundus salvatus gratias agit. Implevit Moysen, & legis, non gratiæ Latorem instituit: tibi autem tribuens non Legislatorem, sed gratiæ & gloriæ Largitorem. Adscivit David in Prophetam & Regem; sed ille tibi scribit, & Filium tuum, Dominum suum nominat. Quid plura memorem? omnes superas, præes universis, non solùm hominibus, sed & summis Cœlorum Virtutibus. Hinc est quod gloriosiùs præ illis Nomen hereditabis; nam cùm alius dicatur Angelus DEI, alius Propheta, alius Præco, & quisq; suo censeatur nomine, pro ordine, & dignitate, tu singulari, & speciali nomine appellaberis Mater DEI; & ideò Mater Salutis, Mater gratiæ, Mater misericordiæ.* Hæc Amadeus, quibus sanè exuberantem gratiarum, meritorumque plenitudinẽ Virginis, ex Divinæ Maternitatis dignitate pullulantem, præ omnibus Angelis, reliquisque Cœlitibus æquè veteris, ac novi testamenti, insigniter declaravit.

Spiritus S. obumbratio fuit causa Cõplementi gratiarum in B. V. præ reliquis Sanctis.

B. V. præest universis non solùm hominibus, sed etiam cœlorum Virtutibus.

70. Idem fecit S. Anselmus, ut refert Raynaudus noster in ejus operibus auctis de alloquijs Cœlestibus num. 21. ubi sic loquitur: *Habet Orbis Apostolos, Patriarchas, Prophetas, Martyres, Confessores, Virgines bonos, & optimos adiutores, quos ego supplex orare concupisco. Tu verò Domina omnibus his adiutoribus melior, & excelsior es, quia istis & alijs Sanctis omnibus, etiam Angelicis Spiritibus, nec non Regibus, & potestatibus Mundi, divitibus, pauperibus, Dominis, Servis, maioribus, ac minoribus Domina es. Et quod possunt omnes isti tecum, tu sola potes sine illis omnibus. Huius porrò tantæ potestatis causam, Divinam esse docet Maternitatem:* *Quare,* inquiens, *hoc potes? Quia Mater Salvatoris nostri, Sponsa DEI, Regina cœli & terræ; omniumq; elementorum.*

B. V. omnibus Cœlitibus plus potest apud Filiũ, quia ejus Mater est.

B. V. potentia præ cæteris Sanctis orta ex Divina Maternitate.

71. Ob eandem hanc gratiarum, ac perfectionum, quæ in omnibus Sanctis Angelis, Cœlitibusque reliquis, reperitur plenitudinem, ac Complementum divinitus concessum Virgini, crediderim meritò, à Sanctis Patribus animatum quoddam Cœlum, quod nobis dulcissimum Manna pluit, fuisse vocitatam. Quemadmodum enim Cœlo Empyreo, non modò Angeli, reliquique cum omnium gratiarum plenitudine continentur Cœlites, ipsaque Trinitas Beatissima, perfectionum omnium in Deipara Complementum: sic profectò hæc eadem omnia in illa, tanquam spiranti cœlo, ac specialiter Divinum Verbum ejus in utero caro factum, velut Manna suavissimum; in quo sicut omnem plenitudinem gratiæ, quæ in reliquis Cœlitibus dispersa est, complacuit habitare; sic eandem quoque longè majori, cum affluentia in Virginem Matrem, pro singulari illa, quâ eam complectitur charitate, transfundere libuit.

M. Cœlum Empyreũ SS. Trinitate Angelos, reliquosque Cœlites cum eorũ gratiæ plenitudine continens.

72. Audiendus hic Venerabilis Rupertus Abbas lib. 1. de Gloria & honore Filij hominis, qui verba illa ponderans Evangelistæ: *Pariet autem Filium: Solenne est,* inquit, *& illud hic perpendere, quia B. MARIA Cœlum istud est, de quo fuerat præscriptum: Et ianuas cœli aperuit, & pluit illis Manna ad manducandum. Psal. 77. Si enim cuiuslibet iusti anima Cœlum est, quantò magis hæc singularis DEI Habitatio, sive Sedes? Quot autem, vel quæ sint Ianuæ huius Cœli, quas Dominus DEVS aperuit? Duæ; altera mentis, altera ventris. Ianuam mentis DEVS aperuit, quia Beata hæc credidit, quæ dicta sunt ei. Ianuam ventris aperuit, quia sine Viro Virgo concepit, Virgo peperit, & post*

B. V. Cœlũ est quod Manna pluit.

Anima iusti Cœlum est.

B.V. intacta Virginitate peperit.

partum Virgo permansit. Quis enim alius, nisi DEUS Ianuam ventris sic aperuit, ut & pareret, & Virgo permaneret? Hæc enim est Porta Ezechielis cap. 44. clausa, per quam Dominus DEUS Israël ingressus est per eam. Cùm ergo dicit Propheta: Ianuas cœli aperuit, & pluit illis Manna ad manducandum, non est intelligendum Manna, quod Patres antiqui in deserto manducaverunt, sed illud de quo loquitur Christus: Ego sum Panis vivus qui de cœlo descendit. Et de isto tempore dixit Spiritus S. per David: Panem Angelorum manducavit homo. Itaq; quando Virgo peperit Filium, tunc Ianuas cœli Dominus aperuit, & & pluit nobis Manna ad manducandum, Panem Cœli, Panem Angelorum.

Christus Minutam quod apparuit in solitudine instar pruinæ.

73. Docet denique Panem hunc Cœlestem esse Minutam illud quod apparuit in solitudine, ubi ros operuisset superficiem terræ in similitudinem pruinæ. Exodi 16. v. 14. Vbi enim Spiritus S. supervenit in Virginem, & velut ros eam suâ exuberanti gratiâ fœcundavit, effecitque ut in solitudine Vteri Virginalis, nulli Viro unquam pervij appareret Minutum, quod cùm vidissent Filij Israël, dixerunt ad invicem; Manhu? quid est hoc? tunc verè Panis Angelorum de cœlo nobis præstitus est, tunc Panem Angelorum manducavit homo, omne delectamentum in se habentem. *Spiritus Sanctus*, inquit Rupertus, *supervenit in B.V. qui in Scripturis per rorem significatur.*

Spiritus S. est Ros.

Et hoc fuit utiq; rorem iacere in solitudine, visceribus infundi Virginis solitariæ, nulliq; Viro perviæ. Ille uterum Virgineum Cœlitus irroravit, non de sua substantia, sed de naturali humore ipsius incorruptæ carnis. Tunc in eadem solitudine apparere Minutum, hoc fuit adesse in eodem secreto Verbum subtilissimum, atq; fortissimum, quod eidem se humori miscuit, tanquam coagulum. Vnde sicut filij Israël dixerunt ad invicem; Manhu? ita & nos multò magis dicemus quid est hoc? Dicamus & propter hoc: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus Fructus ventris tui, quia videlicet Mulier omnis concipiens, de amore viri concipit; tu sola de amore DEI, id est, de Spiritu S. concepisti. Sic ille.

Omnis mulier de amore Viri cócipit, sola B.V. de amore DEI nempè Spiritu Sancto concepit.

74. Cùm igitur Virgo DEI para Cœlum quoddam Empyreum extiterit, in se augustissimam Trinitatem, & Angelorum omnium, Cœlitumque reliquorum perfectiones, nec non ipsius Salvatoris, qui Manna, & vivus Panis Angelorum est, plenitudinemque gratiæ, omnemque ipsius saporis complectens suavitatem, quis asseverare dubitabit eam universum Trinitatis esse Complementum, Opusque quoddam singulare atque eximium, in quod omnium reliquorum suorum operum florem, pulchritudinem, perfectionemque congessit? Nimirum Mundus quidam est mundissimus atque pulcherrimus ex omnium creaturarum defloratione, venustateque compositus; Cœlum & Terra ornatissima est Virgo nostra, de quib' Moyses Gen. 2. *Perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum.* Opus deniq; est DEI proprium, quod quia virtutum, perfectionumque omnium habuit Complementum, jure de ipso dicere possumus, quod de cœli, terræ, creaturarumque omnium creatione idem Legislator pronunciavit: *Complevitq; DEUS die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.*

M. Mundus perfectissimus ex omnium creaturarum pulchritudine compositus.

M. Opus DEI singulare ab ipso omnibus gratijs completum.

75. Ob hanc operum Divinorum perfectionem in Deipara collectam, jure merito B. Albertus Magnus Tract. super Missus eam Sabbato contulit, ostenditque ipsam omnibus illis diei septimæ benedictionibus fuisse completã: *Prima benedictio*, inquit Albertus, *est illa, qua benedixit DEUS diei septimo, in quo requievit ab omni opere quod patrarat. Est autem ista benedictio, operis consummatio, à peccatis vacatio, æternæ requiei præfiguratio. In Beata Virgine fuit perfectè operum consummatio; quando omnia creata in uno Homine uniuntur, in Humanitate videlicet Christi, uni Creatori; & Primum, nempè Verbum quod est Alpha, rerumq; omnium Principium, fit ultimum, nempè homo, qui in opere sex dierum ultimus conditus est; & Vltimum primum, dum homo unione illâ hypostaticâ in utero Virginis fit DEUS. Non est enim perfectio motus vel operis, nisi in Circulo, cùm videlicet extrema inter se uniuntur, qualia sunt DEUS & homo. In Beata item Virgine est vera à peccatis cessatio. In eius enim voluntate peccatum nullum fuit, & verò nec inesse potuit. Hæc deniq; requies non solùm fuit æternæ signum, sed & causa. Sic igitur Dies septima benedicta est propter Sabbatum diei recreationis: cùm excellentiùs sit Sabbatum diei recreationis sive restaurationis, maiorem quoque huius posterioris Sabbati benedictionem esse oportuit. In omnibus enim requiem quæsivit, & in ipsa sola invenit, in qua invenit omnia quæcumq; quæsivit, unde & in tabernaculo eius requievit. Hæc est enim vera Sion, quam elegit Dominus in habitationem sibi; ibi sua requies in sæculum sæculi; ibi*

B. V. est Dies Sabbati omnibus DEI benedictionibus cópleta.

In B.V. fuit perfecta operum DEI consummatio cum Verbum caro factũ est, & primum cum ultimo est unitum.

In Circulo quomodo facta operis cósummatio

ibi habitavit, quoniam elegit eam. Sic ferè Albertus & verè. Verè enim invenit in ea collecta, quæcunque quæsivit in alijs creaturis sparsa. Ipsa enim est Mundus specialissimus, ut Sanctus loquitur Bernardus ser. de B.M. quem sibi Deus condidit, & in Sanctitate & Iustitia fundavit. Ipsa denique est, quæ, ut ait B. Arnoldus, creaturis constat omnibus; quicquid enim Creator justus distributor singulis contulit, Matri adornandæ congessit.

76. Idem B. Albertus, ut ostendat totius Universi perfectionum Complementum esse in Maria, esseque Opus Dei proprium, creaturarum omnium, tam cœlestium, quàm terrestrium venustate, condecoratum; censuit eam fuisse cœlo, & terrâ, quæ in principio Deus creavit figuratam. *In principio,* inquit; *DEUS creavit Cœlum & Terram, id est, Beatam Virginem, quæ Cœlum, & Terra fuit.* B. V. per Cœlum & Terram, quæ Deus initio Mundi côdidit, fuit figurata. *Id est cœlestem simul, & terrestrem duxit vitam Angelicam, & humanam habuit conversationē. Cœlum item & Terra fuit, quia purissima Virginitate, & fœcundissimâ Maternitate Virgo & Mater simul fuit. Cœlum deniq; & Terra fuit, quia simul, & altissimâ dignitate, & infimâ humilitate prædita fuit.* Quare cum audimus Moysem loquentem: Complevitq; Deus die septimo Opus suum quod fecerat; intelligamus Deiparam diem hunc septimum esse, in quem reposita est omnium operum Dei consummatio. B.V. Opus à Deo côpletum, & consummatum. Intelligamus denique esse Opus proprium digitorum Dei, quod Angelorum, Cœlitumque gratijs omnibus complevit, in quo sibi adeò complacuit, ut in ea sola, præ reliquis creaturis, singularem sibi requiem, Sabbatumque invenerit.

77. Quare S. Bonaventura cap. 3. in Spec. huic Operi Dei pulcherrimo, ac perfectissimo huic Cœli, Terræque compendio, atque augustissimæ Trinitatis proprio, elegans illud Solis encomium apud Siracidem Eccli. 42. *Sol illuminans per omnia respexit, & gloria Domini plenum est opus eius.* Deiparæ attribuere non dubitavit: *Sol illuminans,* inquit, *est Maria, pulchra ut Luna per gratiam, electa ut Sol per gloriam. Gloria enim Domini plenum est Opus eius. Opus Domini excellentissimum est Maria; hoc Opus sicut fuit plenum gratia Domini in Mundo, sic plenum est gloria Domini in Cœlo. Sic ergo illuminans Maria in gloria sua rutilans, per omnia respicit, quia per Angelos, & omnes Sanctos gloria sua illuminationem extendit.* M. velut Sol est Opus Dei excellentissimum. Idem Doctor Seraphicus cap. 7. *Antonomasticè,* inquit, *Opus Domini mirabile est Maria, de qua Eccli. 43. Vas admirabile Opus excelsi. Verè Opus admirabile, quia nunquam invenitur simile. Unde de hoc dicitur: Non est factum tale Opus in universis Regnis.* 3. Reg. 10. *Non utiq; in Regno cœlestium, terrestrium, & inferorum. Nam præter assumptam à Verbo Naturam nullum est opus, nulla est creatura, in qua tanta Divina gloria materia reluceat, sicut in Maria.* Hæc Bonavent. M. Opus Domini est Antonomasticè. M. Opus Domini admirabile, cui nunquam invenitur simile, in universis Regnis.

78. Quâ profectò Deiparæ cum Sole comparatione, innuere nobis Vir Dei Matris studiosissimus voluit, quod quemadmodum nobilissima creaturarum Lux primò dierum omnium condita, in Solem velut Vas nobilissimum, ac preciosissimum fuit infusa, ex quo postea Lumen omnibus cœli luminaribus distribueretur: Sic Virgo Beata Divinæ gratiæ luce, ad instar Solis, Vasis capacissimi à Sanctissima Triade ejus Artifice repleta extitit, ut de sua plenitudine omnibus Sanctis, qui Stellis denotantur, communicaret. Lux in Solem velut in Vas infusa, ut inde reliquæ Stellis splendor communicaretur. Unde æternus Pater loquens de Matre Messiæ, in qua velut Throno lucidissimo, ac purissimo per Incarnationem consedit, Davidis ore Psal. 88. pronunciavit: *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo.*

79. Ob idem illud virtutum omnium, ac charismatum à Sanctissima Trinitate adeò profusâ liberalitate communicatum Complementum crediderim eamdem gloriosissimam Deiparam pulcherrimæ illi Iobi Filiæ Cornustibij nuncupatæ, fuisse comparatam. M. ob gratiarum plenitudinem, ac complementum similis filiæ Iobi, quæ Cornustibij dicebatur. Hæc enim ita dicta fuit, ut Pater noster Caspar Sanchez in Iob interpretatur, quod ob eximiam quâ pollebat venustatem, cornu (hoc enim olim oleum, unguenta, preciosa &c. continebantur) sive pyxis, sive scriniolum quoddam aureum ad stibium, cerussam, purpurissum, quibus mulieres ora, vultûsque pingere, ac fucare ad speciem suam Mundo ostentandam consueverunt, esse videretur, eademque pigmenta, ad pulchritudinem in alijs conservandam distribueret.

80. Hujusmodi Cornu stibij, imò longè excellentior, nec ullo modo cum illa terræ filia conferenda est Maria. In hanc enim Trias Beatissima, non fucata illa pigmenta, sed venustatem universam cœli & terræ, atque adeò Florem pulchritudinis creaturarum totius universi, gratiarumque omnium, quæ verissima sunt In B.V. velut Cornustibij omnium creaturarum venustatê collocavit.

sunt species animæ, Complementum velut in eburneâ quandam pyxidem, vel aureum quodpiam scriniolum contulit, ut ipsius gratijs creaturæ rationales venustarentur, Divinoque ipsius propè modum decore exornarentur. Vnde idem Religiosissimus Pelbartus lib. 11. P. 2. cap. 10. unam ex Stellis duodecim Diadema Virginis componentibus vocavit Ornatum, quo omnes Mundi creaturæ in homine decoratæ sunt. *Quia de carne Virginis benedicta,* inquit, *totum decus, ornatusq; Mundi perficitur. Quid enim venustiùs, aut ornatiùs in Mundo videri potest, quàm Virginem esse Matrem, & quidem ipsius DEI?* Quare aptè illam vocitavit S. Damascenus *Humanæ Naturæ Venustatem, mulierum Ornamentum.*

Vna ex Stellis 12. Coronæ B.V. vocatur Ornatus, quem illa omnibus creaturis communicavit

81. Et licet Divinâ suâ Maternitate mirum decus, formamque Virgo nostra Mundo attulerit, attulit tamen potissimum summum, admirabilemque Ornatum Venerabili Eucharistiâ, illâ enim idem Corpus Christi, quod de Virginis utero sumptum est, & idem Deus, eadéq; anima, idē sanguis purissimus cōtinetur; Vnde idem Pelbartus ex S. Ambrosio: *Omnia hæc eadem sunt in Sacramento, quæ fuerunt in Virginis utero. Et quia totus ornatus, & decus Ecclesiæ, pondusq; Sacramentorum eius constitit in hoc Sacrosancto Sacramento Eucharistiæ, in quo DEVS præsentialiter, & corporaliter, ipse, inquam, Dominus eius totus habitat nobiscum, usq; ad consummationem sæculi. Alia deniq; Sacramenta etiam ad hoc, tanquam ad finem ordinantur. Ideò B. V. totam ornavit, ac decoravit Ecclesiam, quia in Eucharistia eius portio corporis, purissimiq; sanguinis, de quibus Christi Corpus formatum est, ad totius Ecclesiæ ornatum, decorem, fidem, vitamq; æternam consequendam Mundo donata est. Hic est enim Panis vitæ, de quo si quis manducaverit, vivet in æternum, aiebat ipsamet Veritas Christus.*

B. V. per Eucharistiā mirificum Mundo attulit Ornatum.

82. Ornatum hunc spiritualem in creaturam ratione præditam, ab Eucharistica, Virgineâque carne redundare, eique omnium gratiarum tribuere Complementum, agnovit etiam Dionysius Richelius lib. 1. de Præcon. B. Virg. cap. 21. qui afferens causas, ob quas Virgo nobis diligenda est, inter reliquas apportat hanc: *Adhuc autem caro Christi, quæ verè est cibus, quo anima nostra sustentatur, & alitur, & æterna nobis vita præstatur, quo renovatur gratia (quæ est verus animæ ornatus) fovetur devotio, culpa dimittitur, misericordia impetratur. Hæc nobis Maria quantum confert, quantum impendit, quam utilis, quam necessaria est. Verùm tamen ipsa à te, ò Virgo, ad nos descendit; quippè quæ ex benedicto, Virgineoq; tuo utero est assumpta. Hâc ipsâ nempè carne, quam ex sacratissimo tuo ventre Christus suscepit, spiritum nostrum cibat, sanat, atq; confortat.* Sic Dionys.

B.V. nobis diligenda, quia per ipsam habemus corpus & sanguinē Christi in Eucharist.

83. Ex assidua augustissimi hujuscé Sacramenti, Agnique immaculati participatione ornatum hunc animæ accepit B. Agnes Virgo virtutibus omnibus ornatissima. Vnde gloriabatur: *Iam corpus eius corpori meo sociatum est, & sanguis eius ornavit genas meas. Cuius Mater Virgo est, cuius Pater fœminam nescit. Ipsi sum desponsata, cui Angeli serviunt, cui pulchritudinem Sol & Luna mirantur. Ipsi soli servo fidem, ipsi me totâ devotione committo. Dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus preciosis, tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus, ac coruscantibus gemmis. Annulo suo subarrhavit me Dominus meus IESVS Christus, & tanquam Sponsam decoravit me Coronâ. Induit me Dominus cyclade auro textâ, & immensis monilibus ornavit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum repromisit.* Quæ sanè præclarissima ornamenta desumpta, pleraque ex S. Ambrosio lib. 4. Epist. 34. spiritualiter intelligenda sunt; quid enim cyclas illa aurea, quam charitatem denotat, quę est nostra vestis nuptialis? quid coruscantes gemmæ? nisi eximias virtutes? quid inaures margaritis distinctæ, quam obedientiam, humilitate, modestiâ, mansuetudine decoratam? Quid annulus nisi fidem, quam Sponsa Dilecto suo inviolatam debet Sponso? Quid deniq; imcomparabiles illi promissi thesauri, quam omnium gratiarum affluentiam, donorumque cœlestium Complementum, quod in hoc Augustissimo continetur Mysterio, nobis per Virginem communicato; quod cum ipsa priùs in Verbi Incarnatione, habitationeque Sanctissimæ Trinitatis, ejus effecta nobile, ut diximus, Triclinium, & assiduâ totius vitæ decursu, pientissimâque ejus frequentatione, acceperit, adeò omnibus cœli bonis, ac divitijs completa est, ut eadem etiam in alios copiosissimè redundaret.

S. Agnes beneficio SS. Eucharistię mira aquisivit gratiæ ornamenta.

84. Neque verò gloriosissima Virgo Deipara creaturis rationalibus dumtaxat ornatum hunc eximium, perfectionemq;

B. V. omnibus totius Vniuersi creaturis ornamentũ dedit.

numque omnium dedit ipsa jam plena, ac superplena Complementum, verùm etiam omnibus pro innata sibi benignitate, quæ toto hoc Vniverso, continentur creaturis. Vt sicut ipsa in sui creatione de omnium flore, ac decore illo, quem initio suæ conditionis habuerunt, participavit, ita jam Protoplastorum scelere labefactatis, ac deturpatis, pristinam formam, atq; venustatem, illis quodammodo restitueret. Completo enim hoc proprio suo opere DEUS, uti supra memoravimus, *perfecti quoq; sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum*, ut loquitur Moyses Gen. 2. In ipsa enim, velut mystico mundissimo, ac virtute capacissimo Mundo, & Cœlum, & Terra, & Sydera, ac Planetæ, omnis denique ornatus eorum dum comprehenduntur, perfectâ ipsâ, atque completâ, omnis creatura numeris omnibus absolvatur, ac compleatur necesse est.

B. V. perfecta omnibus creaturis perfectionem tribuit.

85. Licet enim supernus Artifex omnia in pondere numero, & mensura condiderit, ejusque perfecta sint opera, utpote bona valde, adeo, ut nec addi, nec demi quidquam illis possit, videbatur tamen quoddam illis deesse ornamẽtum, nescio quis color, nescio quæ gratia, & ultima quædam, quasi linea, manusque postrema, quæ venustis, ac præstantibus DEI operibus ultimum afferret complementum. Hanc nos ultimam lineam, coloremque pulcherrimum jure dixerimus gloriosissimam esse Virginem Deiparam, quam sicut Venerabilis Hesychius citato ser. 2. de DEIP. *Virginem mulierum egregiam, è Virginibus electam, præclarum Naturæ nostræ ornamentum, & gloriam luti nostri appellauit;* ita sanè eamdem totius creaturæ egregium decus, insigne ornamentum, & ultimam, eamque subtilissimam æuiterni Artificis lineam Apelleæ illi, de qua Plin. lib. 35. Nat. Hist. cap. 10. & nos diffusius Disc. 8. duas alias; Naturam videlicet humanam, atque Angelicam inter secantem persimilem, nuncupare potuit, dum in se perfectiones omnes, ac ornamenta tam naturæ humanæ, quam Angelicæ, longè excellentiori ratione est complexa, ut ita majus adhuc decus, ac ornamentum, majorque gloriæ splendor in creaturas omnes redundaret.

M. subtilissima æterni Artificis linea, qua totum uniuersum, venustatũ ac perfectum est.

Natura humana omnium creaturarum compendium.

86. Cum enim natura nostra anachephaleosis, ac compendium sit creaturarum omnium, habens in se esse commune cum cœlis, ac elementis; vitam vegetantem cum plantis; sentientem, cum animalibus; rationalem, cum Angelis; consequitur sanè, ut ad Diuinitatis consortium MARIA Virgine, dum mater DEI eligitur, evectâ, & Humanitate Christi in ejus utero ad Vnionem hypostaticam assumptâ, assumatur etiam tota humana natura, & tantæ, tamque eximiæ dignitatis fiat particeps, ultimamque suam perfectionem sortiatur. Vnde Regius Vates Propheticis oculis Virginem hanc gloriosissimam perfectissimis, ac consummatissimis DEI operibus postremam manum, pulchritudinemque afferentem contemplans, gaudio gestiens exclamavit: *Omnis consummationis vidi finem.*

Humanitas Christi dum ad Vnionem hypostaticam assumitur, nobilitantur omnes creaturæ.

Verè enim omnis consummatissimi, ac perfectissimi DEI operis Finis est MARIA; non modo quia propter eam totum hoc Vniuersum fuit conditum, ut alibi dictum est, verum etiam, quia ipsa fuit finis creaturarum omnium, quæ nescio, quo siue complemento, siue ornamento se destitutas animaduertentes in illam velut in finem maximis, ac propensissimis desiderijs ferebantur. Vnde Pelbartus Pannonius de Themisuar, Ordinis Seraphici lib. 11. Stell. Par. 2. c. 9. cui hunc præfixit titulum: Quod totius mundi perfectiones B. V. consummauerit; præclarè docuit à Deipara creaturas omnes postremum mutuatas fuisse suarum perfectionum complementum: *Omnes*, inquiens, *natura, & totius mundi perfectiones Virgo sacra ultimâ suâ perfectione compleuit, & consummauit. DEVS quippe licet omnia fecerit perfecta sicut uniuscujusq; natura exigebat. Dei enim perfecta sunt opera, ut dicitur Deut. 32. ultima tamen perfectionis consummationem in mundo usq; ad partum Virginis distulit, & soli Virgini consummandam reseruauit. Omnia namq; Entia, secundum S. Bernardinum unum Ens nobilissimum appetebant: viuentia, unum nobilissimum viuens: sentientia, unum nobilissimum sentiens: conceptiones nobilissimum conceptum; Natiuitates, optimum nascibile: Rationalia singularissimum rationale: Spiritualia excellentissimum spirituale. Breuiter deniq; omnes creaturæ appetebant unum quoddam optimum, purum, creatum. His sic existentibus imperfectis, eo quod omnia appetunt naturaliter bonum aliquod primum, & optimum, ad quod omnia ordinantur, quia entia nolunt male disponi, ut docet Philosophus 3. Topicorũ & 10. & libr. 12. Metaphysicæ provisum est mundo de una Fœmina, super*

Maria Finis, & perfectio ultima omnium creaturarum.

Vltima perfectio creaturarum Mariæ fuit reseruata.

Omnes creaturæ tanquam ultimam perfectionem desiderabant B. V.

na, super omnes benedicta, quæ unico suo partu præoptimo omnibus rebus in mundo summam, & ultimam perfectionem adduxit. Quanta porro hæc perfectio uniuerso superaddita extiterit, specificat, dum hæc attexit: *Benedicta V. in Filij DEI Incarnatione tantam mundo consummationē perfectionis adduxit, ut ulterioris perfectionis non sit capax. Nec DEVS potest ordinariâ potestate ipsum perficere ulteriori perfectione. Imo si ipse Pater, vel Spiritus Sanctus de fœmina nasceretur, nihil accresceret orbi, quia quidquid nobilitatis, quidquid Diuinitatis, & quidquid æternitatis est, totum in orbem diffusum est, & productum, per Virginem, in æterno illo supposito, quod Beatissima Virgo generauit.* Hæc Pelbartus ex S. Bernardino.

Maria adeo eximiam perfectionem attulit Vniuerso, ut ulterioris capax non sit.

87. Ex quibus sané colligitur Deiparam æternum generando Verbum, amore nostri hominem factum, Naturam humanā, & in ea creaturas omnes, quarum est compendium, ad eminentissimam unionis hypostaticæ dignitatem euexisse, eique tantam perfectionem, nobilitatemque attulisse, ut majoris capax esse nequiret, cum omnis creatura, in humana Natura, Personæ sociata Verbi contineatur. Quod cum pelagus adeo immensum bonorum, ac perfectionum omnium sit, ut illi nil addi possit, merito consequitur, Naturam humanam, quæ Verbo in utero Virginis unita fuit, nil amplius perfectionis desiderare posse, cum fonti perfectionis omnis, Verbi nimirum Diuinitati, tam arcto vinculo hypostaseos fuerit colligata.

Maria Mater DEI effecta, creaturas omnes nobilitauit.

88. Quare jure merito Cardinalis Cajetanus 3. par. q. 1. art. 1. Incarnationem, Elevationem totius Vniuersi in Divinam personam vocitauit, ut supra notavimus. Additq; actione hac Deum toti Vniuerso se summo modo communicasse, dum incarnatus est. Licet enim uniuersorum Creator, & Dominus, uti discurrit Doctor Angelicus opusc. 60. benignitatem suam magnam ostenderit in creatione, conjungendo se rebus omnibus per præsentiam; majorem, justis uniendo se per gratiam; maximam tamen ostendit in Incarnatione cum unitus est Christo homini, ac per consequens generibus singulorum, ut ipse loquitur, in unitate personæ. Ex qua unione ingens decus, ac gloria in uniuersam prorsus creaturam, Protoplastorum scelere vitiatam, ac labefactatam redundasse oportuit.

Incarnatio est elevatio totius Vniuersi in Diviná Personam.

Natura humana scelere Protoplastorū vitiata, per Mariā reparata est.

89. Hinc D. Areopagita Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierar. c. 2. p. 2. creaturas Deificatas quodammodo & in Deum transformatas, per mysterium hoc fuisse censuit: *Ipse,* inquiens, *eximiæ benignitatis gratiâ ad nostra infirma descendere dignatus est, nosq; sibi jungendo, atq; asserendo, ad instar ignis, quos accenderit, juxta singulorum aptitudinem sibi similes facit. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri.* Et cap. 3. p. 3. postquam de primorum parentum lapsu fecisset mentionem, mox de Diuina bonitate, per Incarnationem nobis communicata innumerisque privilegijs, ac gratijs toti Vniuerso impertitis hæc attexuit: *At vero Diuinæ illius Bonitatis infinita clementia, benignissimè omnino prouidentiam nostri nec sic quidem omisit, per se ipsam operari, sed nostrorum omnium naturæ verè sine peccato particeps facta, nostræq; humilitati inserta absq; confusione ulla, & maculatione integerrimæ Diuinitatis suæ, ejusdem nobis Diuinitatis consortium, utpote jam congeneis, hoc est ejusdem cum illo Natiuitatis, utpote eius in Spiritu effecti fratres, largita est, suorumq; bonorum participes declarauit, & nostri cœcitatem animi, Diuino atq; opulentissimo impleuit lumine, deformitatemq; nostram Diuinis speciosissimisq; suis exornauit muneribus, nosq; fœdissimis passionibus, perniciosisq; liberauit inquinamentis, insinuans quo pacto mundo superiores euadamus, cœlestemq; nobis conuersationem sternens, per quam illi, pro viribus similes efficiamur.* Et paucis interiectis: *Societatem nostram, qua sibi jungeremur beneficentissimè excogitauit, nostra humilia Diuinis suis excellentijs jungens, ut illi tanquam membra corpori congruamus, perq; vitā syncera, ac Diuinæ similitudinem compaginemur. Vitijs enim ab ipsius Diuinissimis membris separamur, nec eius viuere vitā possumus.* Sic Dionysius.

Incarnatione Verbi creaturæ Deificatæ.

Devs infinita sua Bonitate in Incarnatione nobis prouidit.

Beneficia Incarnatione Verbi humano generi præstita.

Vitijs à membris Christi separamur, nec ejus vita viuere possumus.

90. Qui sanè dum humanam naturam Protoplastorum scelere deformatam, Divinis, preciosissimisque à Deo exornatam asserit fuisse muneribus, inque Divinitatis admissam consortium, ultimum sine dubio complementum illam accepisse purissimo in Virginis utero, in quo, velut thalamo, æterno Verbo desponsata, & copulata fuit, agnovit. Quantum porro honorem natura nostra hinc fuerit sortita, Baptista Mantuanus Poëta Religiosissimus sacri Ord. Carmelitani expressit, dum sic cecinit lib. 2. Parthen:

Sub hypostasin unam

Naturæ

Cœlites ob Incarnationem Verbi humanū genus immensè diligunt.

Naturæ coiere duæ; quæ copula Diuos
Gentis in immensum nostræ conuertit amorē.

Hinc S. Petrus Chrysologus ser. 148. præclarissimè infideles Incarnationem Verbi impijssimè improbantes, ac blasphemantes redarguens, pronunciauit. *Virgo parit manens Virgo, non est consuetudo, sed signum, non est ratio, sed virtus; auctor est, non natura, non est commune, sed solum: Diuinum est non humanum. Cesset ergo inanis Philosophiæ labor. Nasci Christum non fuit necessitas, sed potestas. fuit honor, injuria non fuit: sacramentum pietatis fuit, Deitatis non fuit detrimentum; fuit reparatio salutis humanæ; imminutio substantiæ non fuit hoc Diuinæ.* Tandemque paucis inter positis mirificè honoratam humanitatem nostram, in eaque omnem omnino creaturam unione illa cum Verbo admirabili ostendere volens, sic concludit: *Ergo quod Creator in creatura sua, quod DEVS inuenitur in carne, creaturæ honor est, non Creatoris injuria.*

Incarnatione Humana Natura honorata.

91. Eundem naturæ nostræ uniuersæq; creaturæ, per Incarnationem in utero Virginis peractam, exhibitum agnouit honorem S. Ioannes Damasc. orat. 2. de Natiuitate B. V. dum humanitatem nostram pullo Asinæ ad vitem, ipsum videlicet DEI Filium denotantem, alligatam fuisse asserit, ut brutis affectibus depositis, Diuinæ naturæ, ac similitudinis consors euaderet. Vaticinium enim illud Iacobi Patriarchæ de Iuda, Christi personam referente Gen. 49. v. 11. *ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem ò fili mi asinam suam;* sic est interpretatus: *Quanam hæc est Vitis*, inquiens? *Is nimirum, qui clamat in Euangelijs: Ego sum vitis vera. Pullus autem ipsius nos esse possumus, qui ipsi uniti sumus, ac veluti quodam firmissimo vinculo per assumptam humanitatem conjuncti. In qua Diues ille suscepta carnis nostræ paupertate, quod suum erat, nobis extrema penuria laborantibus, impertitus est. Vnde nos Dij propter eum facti sumus, ipse autem nostri causa homo extitit. Pullus hic asinæ, altiori sensu intelligi potest vocata ex gentibus Ecclesia sanctissima. Nos enim reuera pecudes eramus rationis expertes, donec ipsummet Verbum, ac sapientia ad nos veniens bruta vecordiæ nostræ velum sustulit, nostraq; nuditate Diuina sua sapientia vtiliter obtecta rationalem nobis vestem imposuit desuper contextam per totum, atq; præstantius, quam verbis exprimi potest, nos non secus, ac pullum quendam Salutaris sui nexu deuinxit, terrenaq; cum cœlestibus copulauit.*

Asinus alligatus Viti est Humanitas nostra unita Verbo.

Hæc Damascenus.

92. Vt porro Virgo sanctissima ostenderet quanto Naturæ nostræ nobilitandæ, ac numeris omnibus perficiendæ, eamque brutis affectibus expoliandi teneretur desiderio, ubi primum Incarnatum Verbum nobis edidit, id pannis inuolutum in præsepi, inter paleas, inter bruta animalia, homines brutis affectionibus obnoxios, denotantia, collocavit, ut Sapientiam illam æternam degustantes, rationales euaderent. Qua de re audiendus Hesychius Presbyter Hieros. ser. 2. de Deipara. *Libens*, inquit ille, *reconditur in præsepio, ut qui sunt pecuini, accurrant, & reperiant* λόγον *id est sermonem, rationemq; in præsepio constitutam, ut ex eo dignitatem recipiant rationalem, ut qui currunt ad paleam, frumentum nanciscantur, ut bestiarum more festinent arbitrantes se inuenturos in præsepio manipulos hordei, panemq; verum manducaturos, alimentum vitæ, cœnam lucis, escam lætitiæ, incorruptionis dulcedinem, unde oritur notitia regni, arrha adoptionis filiorum, cœlorum hæreditas, societas cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto.* Sic ille.

Cur Christus inter animalia in præsepio reclinatus?

93. De honore hoc, ac dignitate plane Diuinissima humanæ naturæ, per Virginis conceptum sacrosanctum restituta, qua vere ultimum adepta fuit complementum, absolutissimamq; perfectionem, piè simul, ac deuotè B. Andreas Episc. Hieros. ser. de Annunc. pronunciavit. *DEI Filius, nostrâ assumptâ substantiâ, eam in semetipsum transformauit restituens naturæ imaginem, ac primam dignitatem, quam ad primorum parentum inobedientiam amiserat, quæ rursus inducta consedit in cœlestibus super omnem Principatum, Potestatem, ac Virtutem, super omne nominatum tam in hoc sæculo, quam in futuro.* Qua cum mortalibus unione, id humana natura assecuta est, ut quæ fuerat ante Protoplastorum vitio adeo deformis, ut ipsa deformitas videretur, DEI Filio, qui decor Patris, splendor paternæ gloriæ, cādor lucis æternæ nuncupatur, unita, euaderet sponsa longè pulcherrima. Vnde idem pientissimus Antistes; *Miserationum*, inquit, *Pater, humanam deformitatē in unico suo, atq; Vnigenito Filio sibi despondit, cujus mysterij Gabriel minister fit & Nuncius. Hodie Pater omnis gloriæ, humani generis calamitatem misertus est, corruptamq; in Adamo naturam proprijs oculis intuitus est. Hodie misericordiæ largitor viscerum suorum optimorum abyssum reuelat, ac naturam nostram, misericordia*

Natura humana à Verbo assumpta ad primam dignitatem redijt.

Incarnatione Verbi naturæ humanæ deformitas sublata.

Incarnatione Verbi Natura humana Dei misericordia velut mari perfūditur

cordia sua instar Marinum perfundit, quæ multa aqua conteguntur. Quibus verbis egregiam humanæ naturæ, & consecutivè omnium creaturarum dignitatem ostendit, ac gloriam, imo & felicitatem quandam incomprehensibilem, dum humanitatem nostram, mari immenso Divinæ misericordiæ, cœlestium gratiarum, ac charismatum infusam fuisse memorat; quibus sanè omnem creaturam absolutissimum complementum accipere necesse est. Vnde quid mirum eundem S. Antistitem, incredibili gaudio naturam humanam tantis gratijs affluentem, perfusam asseverasse? *Quodnam vel fuit, vel continget unquam humano generi,* inquit ille, *majus gaudium isto, dum naturam Divinam participat, arctaq; cum DEO conjunctione unum cum eo fit, secundum unitatis, adeoq; essentia rationem. Quid vero admiratione magis dignum, quam DEI videre descensum ad uterum usq; Mulieris pertingentem. O rem incredibilem? DEVS intra membra Mulieris, cuius cœlum thronus est, & terra scabellum pedum ejus, DEVS in utero, qui Patri suo coæuus cœlos inhabitat? Et quid aliud præter opinionem nobis accidere potuit, quam DEVM sub hominis specie apparere, ut tamen de propria Deitate ei nihil decedat? Tum etiam universam videre naturam humanam, cum Plaste suo conjunctam, ut totus Diuinus reddatur homo, qui primus sub peccatū cecidit.* Hæc Andreas.

Magnum gaudiū hominibus ex nostra Humanitate unita Verbo exortum.

94. Ex qua Humanitatis nostræ cum Plaste suo conjunctione, quale quantumque mediante Deipara perfectionis omnis complementum fuerit sortita, quæ mens capere, quæ lingua pro dignitate valet edicere? Sufficienter satis idem Auctor pro modulo suo edixisse aliquo modo visus est, cum ex hac cum Deo naturæ nostræ unione, totum hominem Divinum redditum pristinæq; dignitati restitutum esse memoravit; quæ sane gratia planè singularis infinitâ totius generis humani gratiarum actione dignissima est.

Per Mariā totus homo Divinus est redditus.

95. Hinc D. Anselmus lib. de Excellentia B. V. cap. 9. accuratè contemplans: *Quas,* inquit, *laudes quasué gratiarum actiones, non solum humana natura, sed omnis creatura huic sanctissimæ Virgini debet? Pura enim sanctitas, & sanctissima puritas pijssimi pectoris eius omnem omnis creaturæ puritatem, siue sanctitatem transcendens, incomparabili puritate hoc promeruit, ut perditissimi orbis benignissima fieret Reparatrix. Vnde quid laudis pro tam ineffabili bono ipse per eam reparatus Mundus ei verè debeat, æstimare nullatenus sufficit.*

Omnes creaturæ sunt B. V. obligatæ.

Natura humana per Deiparā reparata.

96. Idem S. Antistes ibidem, specialiter explicare pergit imprimis beneficia Virginis humanæ naturæ Diuinæ similitudini restitutæ, quæ perfectionis omnis, decoris, ac ornamenti, absolutissimum per illam adepta fuit complementum: *Nota,* inquit S. Antistes, *omni sæculo loquar; & de quo, ad quid provecti sumus hujus Dominæ meritis pro posse edicam. Itaq; natura mea ad similitudinem Dei ab initio creata fuit, quatenus indesinenter, ipso DEO frueretur, ejusq; gloriam sine omni corruptione, & mutabilitate aliquando potiretur. Hoc tam grande bonum natura statim in primis hominibus perdidit, & in huius mundi miserias infœlix, & præceps ruit, dehinc in æternas miserias decurso vitæ labentis articulo multo infelicius ruitura. Transierunt multa sæcula, & damnationis illius immanitas super omnes filios hominum semper in deterius est roborata. Hæc enim DEI summi sapientia summa, in massa creationis humanæ invenit, per quam, ut disposuerat, in mundum veniens, tam luctuosæ perditioni subveniret, donec ad istam, de qua loquimur, Virginem ventum esset. Sed hæc mox ubi in mundum per humanæ generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute & substantia perfectè resplenduit, ut illam ipsa sapientia DEI verè dignam judicaret, per quam in hominem veniens, non modo reatum primorum hominum sed & totius mundi peccata deleret, nec non damna cœlestis patriæ illuc hominem deducendo redintegraret. Quis igitur ista perpendens æstimare queat, quâ laude digna sit, quæ tantorum beneficiorum sola, præ cunctis effici meruit Mediatrix? Liberati ergo, quâ detinebamur servitute resurgimus in gloriam, quam in primo parente perdidimus, imo in ampliorem, quam vel ipse in se, vel nos in ipso amisimus. Qui etenim adhuc etiā in carne mortali per fidem ad amissam gratiā, seu patriam tendimus, in filiationem DEI per benedictum Filium benedictæ Matris Mariæ transivimus, eundemq; filium eius nobis Fratrem accersimus. A morte enim resurgens nos fratres suos appellavit, & quod ad Patrem suum, & ad Patrem nostrum, & ad DEVM suum, & DEVM nostrum esset ascensurus familiari affectu nobis intimari præcepit. Quod igitur tantum Patrem, & tantum fratrem sortiti sumus, utiq; B. MARIÆ adscribere debemus, cuius integerrima, & benedicta fœcunditate in tantam dignitatem surreximus: quam quidem dignitatem nostra natura nequaquam adepta fuisset, si illius B. Mariæ fœcunda Virginitas DEVM de sua substantia non genuisset. Cum*

Homo ad similitudinem Dei conditus, ingens bonum aquisiuit.

Per M. similitudo Diuina in homine deformata; reformata est.

B.V. damna cœlestis patriæ, hominem illuc deducendo redintegravit.

Per M. liberati à seruitute peccati, resurgimꝰ in gloriā, quam in primo parente perdidimus.

Per Mariā Christum Fratrem nostrum sortiti sumus.

igitur

igitur tam inæstimabili dignitatis honore, etiam in huius Mundi squalloribus degens per pia Matris DEI MARIÆ merita humana natura sit exaltata, quali gloriâ decorabitur, cùm hunc ipsum fratrem suum eius Omnipotenti Patri coæqualem in sua Maiestate regnantem aspexerit, eiusq; regni cohæres existens perpetuâ, & incommutabili glorificatione ante vultum eius præsens constiterit? Hæc S. Anselmus de gloria, quam humana Natura, mediante Deiparâ, in cujus utero concepta, Personæque Verbi copulata, ac Deificata, consecuta est.

Natura humana p B.V. in Regno cœlorum mirè in Christo exaltata.

97. Nunc de universarum creaturarum dignitate, ac honore, qui beneficio ejusdem Virginis in illas redundavit, eundem Sanctum Præsulem disserentem audiamus cap. 10. ubi cùm dixisset omnes rerum species, omnemque creaturam, tam cœlestem, quàm terrestrem ad sui Creatoris laudem, ac gloriam conditam, Protoplastorum reatus immanitate vulneratam fuisse, ac confusam, quod homini peccatori teneretur deservire, ac proinde ejus imperium detrectasse. *Quia jus*, inquit, *nullum in his, quæ DEI sunt, iuste debet habere, qui voluntati eius pravis actibus non vetetur contraire. Ad obsequium siquidem hominis iusti, non iniusti cœli lumen, syderum motus, aër, terra, reliquaq; elementa condita fuerant. Omnes igitur rerum formæ, informi quâdam & contumeliosâ obfuscatione tegebantur, eò quod ipsis, qui DEVM incessanter assenderant, ministrare ac subdi sine intermissione cogebantur.* Postquam, inquam, has creaturarum miserias, calamitatesq; deplorasset, mox de Matre misericordiæ humanas hascé sublevante miserias, hæc attexuit: *Duravit autem hæc in rebus, ac substantiis, iniuria quousq; venit in carnem illa, de qua loquimur, B. V. MARIA. At ubi venit ipsa, in seq; Filium DEI incorporavit, pristinamq; dignitatem in DEO, qui nascebatur, humana Natura recuperavit. nihil ultra confusionis, aut injuriarum alicui rerum speciei resedit, imò libertatem patriæ creationis suæ confestim recipere meruit.*

M. cœli, terræque creaturas omnes renovavit, atq; perfecit.

Humana Natura in Humanitate Christi de B. V. nati, pristinam dignitatem recuperavit.

Idem S. Doctor suavissimum hoc argumentum cap. 11. pertractans, humanæ dignitatis, honorisque recuperationem totâ Deiparæ universorum Instauratrici adscribere non dubitavit; dum hæc subjecit inter alia, quæ ibi videri possunt: *Verùm in cognitionem DEI homine per hunc Agnum, qui tollit peccata Mundi revocato, omnis etiam alia creatura in statu suæ conditionis, & honore proprij, congenitiq; decoris est revocata. Huius igitur tanti boni effectum illi censemus profectò imputandum, per cuius Virgineum uterum is venit in Mundum, qui & humanam naturam in tanta dignitatis excellentiam, suâ Sapientiâ revocavit, & omnem simul creaturam, privilegio amissi honoris mirâ dispensatione redonavit.* Concludit tandem ostendendo creaturas omnes, Deiparæ summè esse obstrictas, eò quod illâ mediante reparatæ, inque pristinam, imò longè excellentiorem dignitatem restitutæ, Deique Verbo hypostaticè unitæ ultimam nactæ sint perfectionem, ac Complementum: *Quid ergo*, inquiens, *huic Virgini Beatissimæ, Dominæ nostræ omnis tam rationalis, quam irrationalis creatura jure debeat, qui valet, ex his, quæ paucis perstrinximus, dilatato sensu advertat. Vtiq; cuncta quæ DEVS bona, & utiliter fecit in eo statu, in quo condita fuerant, esse desiiterunt, & per hanc Beatissimam Virginem in statum pristinum revocata sunt, & restituta.* Vide plura apud eundem Anselmum, de dignitaté hac, atque perfectione per Virginem gloriosissimam, tam humanæ Naturæ, quàm universæ & cœlesti, & sublunari creaturæ restituta.

Omnis creatura rationalis & irrationalis B.V. plurimum iure debet

98. Quid porrò mortales Deiparæ Virgini, ob hanc naturæ nostræ in pristinum restitutionem, reparatamque dignitatem, ac perconsequens creaturæ omnes debeant, Venerabilis Dionysius Richel. lib. 1. de Præc. & Dignit. B. V. c. 21. pulchrè, in particulari declarat, ostenditque nos ei peculiari amore obstrictos esse debere: *Naturæ lex id exigit, & ratio dictat, vt hoc quispiam amet, per quod persistitur, & bonitatem, beneficiaq; sortitur. Porrò quo plura suscipit, eò ardentiorem illius amorem erga benefactorem esse, aquum est. Iam igitur cerne quæ per MARIAM bona humanum genus adeptum est, si cupis, quâ, & quantâ charitate nobis amanda sit agnoscere. Nimirum quid proderat per DEI Verbum creari, aut esse, si per MARIÆ Filium reparari, & benè esse non contigisset? Mallem ò Domina fateor, per Patris verbum non esse creatus, quàm creatus, per tuum Filium, non esse reparatus, atq; renatus. Per MARIAM itaq; ab immortali morte liberor, & ad amissam cœlestem, æternamq; Beatitudinem reducor. Omnis nostra in ea salus; per MARIAM initiata, & per MARIÆ Filium consummata est. Deniq; per MARIAM humana Natura, quæ olim omni vilitati, contemptibilitati, atq; miseriæ subiacuit, incomparabilem honorem, & præstantissimam, Deiformemq; dignitatem*

B.V. singulariter amanda ob Naturam humanam instauratã.

Per Mariã ob immortali morte liberamur & ad beatam vitam reducimur

sortita est, quippè per quam super omnem Angelicam altitudinem, omnemq; creaturam, usq; ad Hypostaticam Verbi Unionem exaltata, atq; assumpta est. Non est deniq; in quo hominem Angelus despiciat, aut, ut in praecedentibus saeculis, se ab ipso adorari permittat, dum in eo, qui omni creatura solus verè adorandus est, non sua Natura, sed nostra substantia formam cernit, ac veneratur. O Domina excelsa, quam tibi hominum genus obligatum est, quantum te diligere, atq; honorare tenetur?

Angelus ab homine se amplius adorari non permittit, quia DEI Filium Humanitati nostrę unitum cernit.

99. De hac humani generis, omnisque creaturæ per DEIPARAM gloriosissimam factâ instauratione præclarè S. Gaudentius Brixiensis Episcopus illibatam DEI paræ Virginitatem defendens, à redintegratione Mundi per ejus purissimum partum factâ, duxit argumentum Tractatu 9. ad Neophytos: *Qui sine corruptela Matris*, inquiens, *conceptus creditur, cur non etiam sine corruptela editus præsumatur? Incorrupta Virgo peperit, quod intacta Virgo concepit. Integritatem nascendo violare non potuit, qui venerat redintegrare naturam.* Hinc Sergius Hieropolitanus DEIPARAM, *corruptionis interitum*, appellare non dubitavit.

Christus qui venerat ad integrandā Naturam, integritatē Matris nascens, violare nō potuit.

M. corruptionis interitus.

100. De eadem humanæ naturæ dignitate per Virginem restituta, audiendus quoque Doctor illuminatus Ioannes Taulerus Ordinis D. Dominici, qui ante 300. circiter annos floruit. Hic ser. de Nativite Beatæ Virginis sic loquitur: *In Virgine MARIA Domina nostra munda, pura, & sancta restitutum est, quod in Paradiso perditum fuit, præclarissima videlicet Imago, ad DEI Patris Imaginem facta, sed perdita in Paradiso. Voluit enim DEUS, ut Virgo hac Sanctissima una secum, membra sua omnia in suam regeneraret, ac reduceret originem, & ex immensa quâdam misericordia per eum ab æterna nos voluit relevare, & eximere abysso, in quam omnes cecideramus.*

Per Mariā restitutū est omne, id quod in Paradiso fuit perditum.

101. Quod Mysterium B. Bernardinus Senensis intelligens Tomo 3. ser. 6. art. 3. cap. 3. præclarè docuit ad consensum DEIPARÆ de concipiendo DEI Filio eliciendum totam Angelicam naturam fuisse suffragatam, utpotè, quæ noverat Conceptum illum Divinissimum in summam ipsorum utilitatem, & gloriam, imò & in omnes alias creaturas redundaturum, earumque ruinas reparaturum. *In illa hora*, Incarnationis videlicet, inquit Pater Seraphicus, *tota Angelica curia, seu Hierarchia totis desiderijs & conatibus intendebat in Virginem, suo ministerio adiuvandam, ad tantum opus debitè suscipiendum, atq; perficiendum. Ei hoc tam apud DEUM totis viribus, pro hac re orando, quàm etiam in ipsam secundùm proportionem Hierarchici ordinis influendo. Omnes siquidem Seraphini tale adiutorium suscipientes à DEO, illud influebant in Cherubinos: Cherubin in Thronos; Throni in Dominationes; Dominationes in Virtutes; Virtutes in Potestates; Potestates in Principatûs; Principatûs in Archangelos; Archangeli in Angelos; Angeli in Gabrielem, Gabriel in Virginem benedictam, qui velut Legatus totius Angelica Hierarchia ad ipsam mittebatur.* Hæc fere Bernardinus.

Omnes Angeli cooperati sunt ad cōsensumM. in Incarnationem eliciendū.

M. ruinas Angelorū suo consēsu reparavit.

102. Idem cap. 4. docet ad Virgineum illum consensum eliciendum concurrisse omnium Sanctorum Patrum merita, ac desideria, qui à primis Mundi incunabulis, nil magis in votis habebant, quàm, ut Verbum æternum humanitatem nostram, & in ea omnes res creatas, in utero Virginis, velut Regio thalamo hypostaticè sibi uniret, ac desponsaret, hominemque, atq; adeò totum Mundum de captivitate Sathanica liberatum, Divinitatis consortem efficeret, atque ita suis, ac Divinis perfectionibus ultimum ipsi adderet Complementum. Unde cap. 2. idem Pater in Virginem pientissimus, ut ostendat quantopere Virgo DEIpara hanc insignem, Divinamque humanæ naturæ, creaturarumque omnium perfectionem, ac Complementum desiderârit, docuit virtutum omnium Virginearum, gratiarumque plenitudinem ad conceptum Filij DEI auxilium præstitisse; quia videlicet etiam virtutes ipsæ quodammodo perfectiores erant futuræ per Verbi Incarnationem. *Omnis enim mens sancta, atq; discreta*, inquit ille, *tunc tantò fortiùs accingitur & colligitur, & erigitur ad dignè timoratè, & impeccabiliter opus aliquod peragendum, quantò opus ipsum novit, sanctiùs esse, altiùs & Diviniùs, maioriq; circumspectione, omnimodáq; perfectione indigens, adhoc ut dignè fiat, DEOq; acceptius evadat. Cùm igitur concipere DEUM, fieriq; Matrem DEI noverit Virgo Sanctissima, dignitatem esse eminentissimam, Opusq; longè Divinissimum, sine dubio oportuit eam ad eliciendum illum consensum, ex intimis medullis omnium suarum virium, virtutumq; totalibus conatibus se accingere, ac disponere, atq; aperire voluntatem ad tantam, tamq; singularem, atq; inusitatam Gratiam dignè, & omninò impeccabiliter consensu illo prom-*

Ad consēsum B. V. in Incarnationem omnium antiquorū Patrum merita cōcurrerunt

Omnes Virtutes, ac Gratiæ B.V. ad eliciendum ejus consensum in Incarnationem concurrerunt.

promptissimæ suæ voluntatis Divinæ, per omnia acquiescente suscipiendam. Qui sanè tam expeditus consensus perinde processit à voluntate Virginis, atq; prægrandis lapis vehementissimo bellica alicuius Machina impulsu eiaculari consuevit. Sic ferè Bernard.

103. Quis neget igitur Virginem hanc gloriosissimam, assensu tam prompto, exertis quodammodo omnibus suis virtutibus in Conceptum illum Divinissimum, tam humanæ naturæ, quàm creaturis omnibus postremam addidisse perfectionem, ac Complementum? Hoc nimirum nobis illa innuere visa est apud Salom. 8. Prov. dum gloriabatur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Seu, ut legunt septuaginta Interpretes: *Dominus creavit me ad opera sua*, intellige, redintegranda, perficienda, atque complenda in esse videlicet Naturæ, Gratiæ, ac Gloriæ. Quæ Virgo B. ita perfecit, ut ulteriore perfectione minimè indigerent. Ad hoc nimirum Virgo nostra Sanctissima nata & ficta, videbatur, Quod Sanctus Ioannes Damascenus agnoscens Orat. 1. de Nativit. B. Virgin. sic eam est allocutus: *Non tuiipsius causa, ò Virgo progenita es, sed ut Orbis universi saluti administram te præberes, atq; antiquum DEI Consilium, hoc est, Incarnationis Verbi; ac nostræ Deificationis per te impleretur.* Quam ob rem idem S. Doctor sæcula inter se decertasse censuit, quodnam ipsius ortu gloriaretur: quia per illam & se, & creaturas ipsis coexistentes renovandas, ac redintegrandas, perficiendas, atque complendas esse noverant. *Certabant*, inquit Damascenus, ipsam Virginem alloquens, *inter se sæcula, quodnam ortu tuo gloriaretur. Verùm eorum contentionem, profinitum DEI, à quo sæcula facta sunt, cōsilium superavit, ac postrema facta sunt prima, dū ipsis fœlici fato Nativitas tua obtigit.*

M. creata & nata ad totius Orbis reparationem.

M. sibi nō fuit nata, sed alijs ut prodesset.

Sæcula pro Nativ. Mariæ certabant, ut per ipsā renovarentur.

104. Vt porrò idem Damascenus Virginis nostræ, ac per consequens in eâ creaturarum omnium, ipsâ mediante, dum DEI Mater effecta est, acquisitam excellentiam, dignitatemque ostenderet, hæc subtexuit: *Sanè res omnes dignitate excessisti: Ex te enim sola summus ille Opifex partem suscepit, hoc est massæ nostræ primitias. Caro ipsius ex carne tua, & sanguis, ex sanguine tuo, & lac è mammillis tuis suxit DEVS noster, labiaq; tua labijs Divinis unita sunt.* Vnde tantam DEIparæ, in eaque humanæ Naturæ ad unionis hypostaticæ dignitatem evectæ, idem S. Pater, nec intellectu comprehendere, nec lingua eloqui valens, gloriam, tantarum rerum perculsus, admiratione exclamavit: *O miracula mentis captum, atq; orationis facultatem excedentia! O DEO chara Filia, Parentum Decus, quam generationes omnes, ut à te dictum est, benedictam prædicant! O Sanctissima, ò DEO digna Filia! Humana naturæ venustas, primigeniæ Matris Evæ correctio, mulierum ornamentum!*

M. creaturas omnes dignitate superavit.

Ex Maria DEI Filius carnem assumens, Naturam humanam nobilitavit.

M. Naturæ nostræ Venustas.

105. Verè Diva Virgo nostra parentum suorum, nostrorumque omnium, atque adeò sæculorum Decus est, verè humanæ naturæ venustas est, verè correctio Evæ est, verè Mulierum omnium ornamentum est. Ipsa enim in lucem prodeunte velut ex fructu dulcissimo, atque pulcherrimo naturæ humanæ, velut arboris nobilitas atque præstantia nobis elucescit. Licet enim hæc, antequam Virgo nasceretur, utpotè scelere Protoplastorum corrupta, nil aliud, quàm tribulos, spinas, fructúsque mortis amarissimos produxerit: ubi tamen Virginem hanc DEO dignissimam protulit simul nobis sapidissimum vitæ Fructum communicavit, reliquamque sæculorum seriem condecoravit. Verè DEIpara humanæ naturæ est venustas. Cùm enim hæc primorum parentum peccatis denigrata, atque deformata ad instar esset Æthiopissæ; hæc Virgo speciosior Sole, & super omnem dispositionem Stellarum, earundemque luce purior, illi adeò mirificam indidit venustatem, ut æterni Regis nuptijs dignissima haberetur. Vnde tandem suæ hypostaseos unione eam sibi devincire, variorumque donorum, & charismatum cœlestium monilibus, ut pulcherrimam Sponsam exornare non est dedignatus, ut ita variâ hâc pulchritudine Sāctissimæ suæ Matri similis quâ homo evaderet. Hinc quæ de Ecclesia cecinit Salomon Cantic. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, &c.* eadem in Virginem Sancti Patres majori energiâ deflexerunt. Hinc Seraphici Ordinis Bernardinus Bustius Epistolâ ad Sixtum IV. Summum Pontificem in laudem Virginis cecinit, par. 3. Marial. ser. 4. p. 3.

Humanæ naturæ nobilitas ex Maria cognoscitur.

Humana Natura post lapsū Adæ facta Æthiopissa, sed à verbo assumpta, facta est pulcherrima Spōsa.

Candidior niveo rutilans Regina decore,
Et radijs cedit clara Diana tuis.
Luna suum perdit tecum sociata nitorem,
Atq; comes nullum Sol tibi lumen habet.

M. Lunâ & Sole splendidior.

106. Et licet Virgo Sanctissima, to-

tam humanam naturam vario illo virtutum ornatu venustaverit, eique omnis ornatus dederit Complementum, Virginitate tamen suâ plusquam Angelicâ, votoque illo, nunquam ad illa sæcula audito, quo eam intactam, illibatamque conservare decreverat, eandem reddidit longè venustissimam. Quâ de re audiendus Rupertus Abbas lib. 6. in Cant. qui elogium illud Sponsi expendens: *Sicut cortex Mali punici, ità gena tua, absq; occultis tuis;* singularem Virginis purissimæ demirans pudicitiam, exclamavit: *Tu ò Dilecta Naturã cõdecorasti, quæ genas tuas ad nullius viri aspectum sublevare prima proposuisti, soliq; Creatori mente, & corpore humilis, Duce, ac Magistro Spiritu S. sapienter inclinasti.* Hæc Rupertus, ex quibus colligitur, quod Virgo nostra purissima verè primæ Matris nostræ infœlicis Evæ correctio, mulierumq; omnium, imò & universarũ creaturarum pulcherrimum extitit Ornamentum, absolutissimumque Complementum. Quemadmodum enim Eva superbiâ, atque inobedientiâ suâ omnem, per summum nefas fœdaverat, atque corruperat creaturam, sic contra Virgo nostra humillimo suo in Conceptionem Filij Dei consensu eandẽ creaturam pristino nitori, imò longè excellẽtiori restituit integritati, eiq; omnib⁹ retro sæculis tantopere desideratum addidit, uti diximus, Complementum?

M. generũ pulchritudo ad instar corticis mali Punici.

M. voto Virginitatis emisso, Naturam humanam condecoravit.

107 Quâ de re consulendus Pelbartus, qui inter reliqua Mariæ & Evæ antitheta duodecim, illud postremum numeravit lib 5. Stell. P. 1. art. 1. cap. 4. Sciebat Deus, inquiens, quod Eva foret peccati initium, ex quo culpa in omnes posteros redundaret, in eaque per peccatum habitaturus esset Diabolus, iccircò statuit, ut hæc benedicta Virgo esset nobis initium omnis boni, ac salutis, in qua habitaret Deus, & quæ plena esset gratia, & omni Sanctitate, de cujus plenitudine, redundaret gratia in omnes filios Adæ per generationem, & filios Mariæ per adoptionem Christi, ac regenerationem. Hinc Anselmus: O Fœmina mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, Angeli reparantur, Inferna evacuantur, homines salvantur. O Fœmina plena, & superplena gratiâ, de cujus plenitudinis redundantia reviresciit omnis creatura. Tandemque ita concludit Pelbartus: Sic igitur patet, quomodo Deus præordinavit ab æterno ortum Benedictæ hujus Virginis in Mundum, ut per ejus partum idem Mundus repararetur. Vide igitur ò peccator, quantùm Mariam debes diligere, quantùmque revereri, per quam Deus ab æterno salvare animam tuam disposuit. O quantâ devotione debes ei servire, quam si Matrem misericordiæ à Deo tibi præstitam non haberes, ab æterna morte, per tuam Matrem Evam inducta nunquam esses liberatus. Hæc ille. Quæ sanè nobis indicant non modò per Mariam nobis esse redditam vitam, ac salutem, verùm etiam plenitudine, ac Complemento ipsius gratiarum totum refloruisse Mundum, universamque mirificè tam Angelicam, quàm humanam decoratam fuisse creaturam.

Sicut Eva fuit initiũ omnis mali: sic Maria omnis boni.

Maria à manda, quia per eam Deus ab æterno nos salvare dispofuit.

108. Erat nimirum Deipara Horologium illud Achaz, de cujus stirpe fuerat descensura, ut etiam Discursu 20. memoravimus, in quo sempiternus Iustitiæ Sol descendit decem lineis, novem Angelorum Choros, Naturamque simul humanam denotantibus, ut interpretatur S. Antoninus Titulo 15. cap. 19. Par. 6. Verè novem Angelorum Chori, & ipsa Natura humana subtilissimæ quædam videntur Apellis, Protogenisque lineæ, quæ in Virgine miram pulchritudinem sunt adeptæ. Quemadmodum enim decem illæ lineæ, licet Virgineo hoc Horologio continerentur (Angelicam siquidem, humanamque perfectionem, uti superiùs dictum est, omnem Virgo Sanctissima est complexa) nescio tamen, quo adhuc nitore, perfectioneque carere videbãtur, antequam in ejus utero ille, scilicet sempiternus Iustitiæ Sol, fieri caro dignaretur, eandemque Divinâ luce irradiaret. At ubi primum de Sinu Patris in Sinum Virginis Splendor ille Paternæ gloriæ sese insinuavit, velut lucidissimus Sol, & toti Horologio illi Virgineo, decemque ipsis lineis Divinum addidit Splendorem, Ornamentum, Complementum. *Signum illud,* inquit S. Antistes, *datum fuit in sanationem & remissionem peccatorum non unius hominis, sed totius humani generis infirmi ad mortem, ut fuit Ezechias, ostenditq; quod cùm Sol Iustitiæ, Filius altissimi retrocederet decem lineis, tunc sanaretur homo. Novem lineæ sunt novem Chori Angelorum, recti ante DEUM; decima linea est humana Natura. Reversus ergo Sol est quasi retro, quando paulò minus ab An-*

M. Horologium Achaz Sole illuminatum, lineisque Naturæ Angelicæ atque humanæ insignitum.

Christus velut Iustitiæ Sol totum genus humanum sanavit.

ab Angelis minoratus, mortalis factus, formam servi accipiens, habitu est inuentus, ut homo subsistens sic in decima linea. Horologium deniq́, ad cuius decimam lineam reuersus est sol, est B. MARIA, à Rege Achaz descendens, quæ in se perfectionem omnium ordinum Angelicorũ, hominumq́ habuit. Sic Antoninus.

109. Quam ob rem merito Cardinalis Halgrinus alijque Patres Incarnationem Iridi, seu arcui cœlesti mirifica sua pulchritudine cœlum, elementaque, atque adeo universam creaturam coronanti, ac decoranti compararunt. adeo ut Romanus Poëta cecinerit: *Iri decus cœli.* Vnde Angelus ille Apocalypticus ut intelligeremus Incarnationis gloriam in naturam etiam Angelicam redundasse, in capite suo Iridem velut coronam gestabat; *Vidi,* inquit Apostolus Apoc. 10. v. 1. *Angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius.* Vt nimirum ostenderet se mysterium illud summa in veneratione habere, idemque in vertice capitis gestare, per quod natura Angelica non solum summam erat sortita dignitatē, verumetiam suarũ ruinarũ promerita fuerat reparationem. Iure porro Incarnatio Iridi conferri cōsueuit. Sicut enim hæc tunc efformatur, cum sol nube roscidâ leuique miscetur, ut ait Aristoteles 3. Meteor. sect. 2. ita Incarnatio facta fuit, cum æternus Sol justitiæ nubi illi rore, gratiaque plenæ, omnique peccati gravitate vacuæ, Virgini nempe sanctissimæ, in ejus uterum purissimum descendendo, nostramque humanitatem sibi sociando, absque ulla sui mutatione commixtus est. De qua nube jam pridem vaticinatus est Isaias cap. 19. v. 1. *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.*

Incarnatio similis Iridi.

Angeli Incarnationem in capite gestare videtur præ reverentia.

Iridis compositio, ex solis radijs, & nube roscida

Maria Nubes levis.

Ascendit verè super nubem leuem uniuersorum Dominus, cum in uterum Virginis, velut suæ Majestatis vehiculum siue quadrigam, ac ferculum aureum descendere, Ægyptum hujus mundi plusquam Cimmerijs scelerum tenebris involutum visitaturus, eundemque miserationum suarum irradiaturus lumine, non est dedignatus. Qua sanè immensæ suæ benevolentiæ demonstratione, non modo uniuersæ creaturæ benignissimus Creator reparavit damna, verumetiam eandem, mediante Virgine, nouâ perfectione, eaque excellentissimâ, suæ videlicet Divinitatis participatione cumulauit, atq; ita desideriorum omnium ipsi dedit complementum.

110. Videbatur sane creatura Apellis Venus illa imperfecta, cui nemo postremā manū imponere audebat: *Oris enim præstantia,* ut ait Tullius, *reliqui corporis imitandi spem adimebat:* At ubi Virgo nostra supremum totius Vniuersi, sinu suo complexa est Artificem, in hac spaciosissima mundi, tam cœlestis, quam sublunaris tabulâ consensu suo illo humillimo; quot verbis, tot quasi lineis, opus reddidit absolutissimum.

Natura humana Venus quedā Apellis Imperfecta, quam B.V. consensu suo cōsūmavit

Vnde licet quoad perfectionem ordinéq; naturæ sapienter Moyses prægrandi huic mundi Tabulæ Epigraphen illam, qua opus absolutissimum demonstratur: *DEVS creauit;* appinxerit: quoad esse tamen Gratiæ, ejusdemq; perfectionem spectat, aptius quadrasset illa, quam etiā Apelles & Polycletus, teste Plinio, suis operibus præfigebant; Faciebat; seu DEVS creabat: quo significaretur restare adhuc aliquid perficiendum, quod tandem aliquando Virgo nostra potentissima, DEI Mater effecta, erat perfectura, cunctæque creaturæ extremam manū impositura, quod tunc felicissimè est peractum, quando Verbum in ea est Caro factum. *Tunc enim,* ut ait illuminatus Doctor Thaulerus serm. de Annunc. *perfectissimè cum uniuersis viribus suis in suam se verterat originem pauper, pura, deuota, Diuina, magisq́ cœlestis, quam terrestris creatura. Erat enim cœlum DEI in Spiritu suo, Paradisus DEI in anima sua, palatium DEI in corpore suo, Diuinitatis transradiata claritate, ita ut nullum esset medium inter DEVM, & ipsam.* Quam sanè adeo miram, adeo Divinam Deiparæ gloriam, ac in DEVM transformationem in reliquas cœli terræq; creaturas redundare oportuit. Tanta porro tamque eximia est hæc gloriosissimæ nostræ Virginis Deiparæ, quam in perficiendis consummandisq; totius uniuersi Creaturis consecuta est, laus, ac dignitas, ut ipsam D. Bernardinus Sen. To. 1. ser. 61. ar. 1. c. 9. inter illas 12. stellas hujus Cœlorum Reginæ caput coronantes numerare, eamque Consummationem appellare non dubitaverit.

Operibus DEI perfectis merito apponitur: DEVS creavit; non creabat.

M. totis viribus suis in Deū, velut suam se vertit originem.

Maria fuit charitatis transradiata claritate.

Stella in Corona Mariæ est creaturarum consummatio atq; perfectio.

111. Neque vero solum creaturis totius Vniuersi decoris, ac perfectionis consummationem, siue complementum addidit Deipara, verumetiam ipsi Christi IESV sacratissimæ Humanitati, quæ nodus quidam atque epitome est creaturarum omnium. Audiendus hic idem S.Ber-

B. V. Humanitati Christi pulchritudinis dedit complementū.

S. Bernardinus To. 1. serm. 61. art. 1. c. 9. Vbi postquam de perfectionibus, creaturis omnibus additis, uti supra memorauimus, disseruisset, hæc quæ plurimum ad rem nostram faciunt, luculentissimè superaddit: *Nec Virgini magnum est, quod perfectionibus orbis ultimam perfectionem addiderit, cum & ipsi Vniuersitatis Auctori nonnullas perfectiones adiunxerit, puta æterno Principio inceptionis exordium. Æternitati Diuinæ, temporalem periodum; Infinitati immensæ, quantitatem corpoream: speciei æternæ, pulchritudinem nouam. Pro quibus omnibus scriptum est: Omnis consummationis vidi finem;* qui scilicet est B. V. Maria. Sic ille. Audiamus, & Rupertum Abbatem, qui lib. 1. in Cant. Mutua illa inter Matrem, & Filium expendens elogia. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra; Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* Cant. 1. eandem à Virgine pulchritudinis corporeæ, ac temporalis perfectionem æternæ illi superadditam fuisse censuit, dum inhunc modum Matrem cum Filio colloquentem introducit: *Dicis mihi sponse: Ecce tu pulchra es: Et ego dico tibi; Ecce tu pulcher es. Ex quo ego pulchra facta sum, ex eo & tu, qui semper pulcher fuisti, pulchrior factus es. Nam verè in eo pulchritudinem tuam adauxisti, quod cum Deus esses, homo dignatus es fieri. Hinc tu pulcher, & decorus. Ita pulcher, ut sis ipsa substantia pulchritudinis, ita decorus, ut sis ipsum decus humani generis. Quod ergo ego pulchra sum, totum tibi attribuendum est. Neq; enim Virga floris, sed flos Virga pulchritudo est.* Hactenus Rupertus.

Maria Filio corporalem pulchritudinem addidit, &c.

Ex Matris pulchritudine Christus corporis formam mutuatus.

Dei Filius pulchritudinem suã auxit cum homo factus est.

112. Dum igitur B. V. sempiternæ illi Pulchritudini, quæ est Notionalis perfectio Filij, ut Angelicus docet Doctor 1. parte q. 39. art. 8. creatam temporaneamque, Humanitate nostrâ venustissimâ, illum circumdando, illi superaddidit, quid aliud, quam complementum quoddam pulchritudinis Dei Filio adjunxisse visa est? Vnde idem Filius Homo factus, ipsaque humanitas, Decor, ac pulchritudo à sacris literis, Patribusque nuncupatur. Isa. 35. v. 2. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron. Ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem DEI nostri.* Vbi per decorem Carmeli, & Saron, qui sunt montes Iudææ; & decorem Dei nostri, intelligitur Messias, qui cum sit velut facies æterni Patris pulcherrima, pulchritudinem suam, decusq;, Humanitatem de Iudaica stirpe assumendo, toti illi populo communicavit. De Humanitate cecinit David Ps. 8. *Dominus regnauit, decorem indutus est.* Ad quem locum allusit Alcuinus Deiparam alloquens: *Vterum tuum ò Domina velut sacratissimum DEI Templum totus mundus veneratur. Quia in eo salus mundi initiata est. ibi decorem indutus est Dei Filius, ac prælecta Sponsa Ecclesiæ formosus in stola candida exultanter occurrit.* Sic ille.

Humanitas nostra est decor, & Pulchritudo Filij Dei.

Vterus B. V. sacratissimum Dei Templũ.

113. Quod vero humanatus Dei Filius pulchritudinem suam à Matre fuerit, velut vestem pulcherrimam mutuatus, insinuare nobis visus est Regius Psaltes Psal. 41. dum cecinit; *Ex Sion species decoris eius.* Quasi dicere voluisset: Si quis pulchritudinem Messiæ nostri adeo eximiam contemplans admiratur, intelligat is ex illa animata Sione, *in qua in pace factus est locus eius, & habitatio;* ex Matre, inquam, sanctissima, ac venustissima, in qua velut Vrbe Regiâ, velut Dei Metropoli, ut eam B. Andreas Cret. orat. 2. de dormit. appellat, novem mensibus habitavit, accepisse, ut toti orbi, ob tam singularis pulchritudinis perfectionem euaderet admirabilis. Vnde legit Flaminius. *Ex Sion perfecta pulchritudine splendebit;* Resplenduit quidem Dei hujusce nostri decor, ac pulchritudo ex cœlis, ex Planetis, sole, luna, ac stellis: Resplenduit ex Hierarchijs Angelicis; Resplenduit ex Filijs hominum ad ejus imaginem, similitudinemque conditis; Resplenduit ex mundo hoc sublunari, ex florum, fructuum, reliquarumque creaturarum specie, ac varietate; verum multo excellentius, ac nobilius emicuit ex Matre, quæ ipsius Humanitati perfectam, consummatamque pulchritudinem communicavit. Quare Masotettus apud Genebrardum in Psal. legit apposite. *Ex Sion consummatio pulchritudinis: Deus manifestè splendebit;* quasi dicat: Pulcher est Deus noster in Angelis, pulcher in cœlis, pulcher in stellis, pulcher in creaturis omnibus. Effulget Divina pulchritudo in Elementis, quæ Architas Tarentinus Divinæ naturæ specula vocitavit. Effulget, ut diximus in cœlis, quos libros apertos, ac expansos vocant Basilius, Ambrosius, Origenes, reliquiq; Patres, in quibus Dei magnalia perfectionesque, licet intueri. Resplendet in hac Vniuersi machina, in qua sub ænigmate, ac speculo, ut ait Apostolus, Divina pulchritudo nobis repræsentatur.

Dei Filius corporeã pulchritudinem à Matre mutuatus.

Ex Maria in Christo pulchritudo corporalis resplenduit.

Elementa sunt Divinæ Naturæ specula.

At vero

At vero in Virgine nostra non obscurè, non ænigmaticè, sed manifestè resplenduit, & ita quidem perfectè, ut Deo ipsi pulcherrimo, qua homo est, addiderit novum eximiæ pulchritudinis complementum; ex illaque velut animata Sione enituit consummatio pulchritudinis ejus. In ipsa enim cum Deus, atq; adeo Divina pulchritudo manifestè, ut d. e. splenduerit, eamdem, per consequens Humanitati Christi communicari necessarium fuit.

114. Pulcherrimam porro fuisse Christi Humanitatem, vel inde perfacile colligimus, quod non modo à Matre pulcherrima processerit, verumetiam quod ejus primarius, ac principalis Auctor fuerit ipse Divinissimus Spiritus, qui cū sit bonitas ipsa, est per consequens & ipsa pulchritudo, cum hæc eodem nomine gaudeant apud Græcos. Cum enim, S. Dionysio Areop. teste, optimi, ac pulcherrimi sit optima, ac pulcherrima facere, optimus sanè, ac pulcherrimus Spiritus S. optimum, ac pulcherrimū Christi corpus pulcherrimo optimoque conceptu de Virgine pulcherrima efformavit. Accedit, quod sanctissima Christi anima ab instanti creationis, quo unita est corpori, Deum clarè viderit. Vnde consequitur lumen illud gloriæ pulcherrimum in ipsum corpus redundasse, & toto ore oculisque emicuisse.

Spiritus S. primarius auctor pulchritudinis Christi Humanitatis.

115. Et jure sanè merito Humanitas, Decor, & Pulchritudo Dei Filio superaddita appellatur. Quemadmodum enim, si pulchro alias viro pulchra quoque, ac preciosa, aureis fimbrijs exornata vestis circumdetur, longè majorem illi gratiā affert, ac venustatem. Sic Dei Filio, qui est ipsa Substantialis, ac Notionalis Pulchritudo, pulcherrima, omniumq; creaturarum gratiosissima, Humanitate, velut Regio quopiam aureoq; paludamento nouus decor, nova venustas superaddita fuit. Non solum enim Humanitas Christi Sacrosancta vestis est, verumetiā ipsa Virgo Deipara, ex cujus purissimis sanguinibus, velut aureis staminibus est contexta. Audite B. Andream Cretensem Hierosol. Antistitem orat. 2. de Dorm. B.V. in ipsius encomia decurrentem: *Tu es à Deo contexta Purpura Indumentum Regale; Amictus à Deo variatus: Aurea specie Diplois. Verbi Purpura, quæ intelligentiā percipitur, & quæ nominari nequit tinctura. Tu es non manu factum Regis Diadema, ejusdemq; Thronus excelsus.* Humanitas, inquam, in Virginali utero assumpta vestis est pulcherrima, & vestis illa sacerdotalis, quam Poderem vocat Ioannes Apoc. 1. qua summus in lege veteri Sacerdos amictus, Numen mundo propitiari erat solitus, in qua totus erat descriptus orbis terrarum, Sap. 18. v. 24. *In Veste Poderis totus erat orbis terrarum;* quo significabatur, in Humanitate Christi, pulchritudinem omnem, tam cœli, quam terræ, atque adeo totius Vniversi fuisse comprehensam, & Pulchritudini illi increatæ, novam eamque mirificam accessisse venustatem, mediante Virgine, in cujus visceribus, ope, operaque Spiritus S. vestis illa pulcherrima flore creaturarum omnium contexta fuit. Cum enim mundus ipse in se sit pulcherrimus (unde mundus à mundicia, & κόσμ@ ab ornatu dicitur) creaturæ quoque ipsæ, quibus constat, pulcherrimæ sint necesse est. Vnde Boëtius lib. 3. de Consolat. Philosophiæ Vniversum hoc, juxta pulcherrimam Ideam, quam in sua Divinissima mente, summus ille efformaverat Opifex, ad instar cujusdam Mundi muliebris, qui ornamentis varijs, ijsque venustissimus constare consuevit, conditū esse intelligens, Pulchrum appellavit.

Filius Dei per se pulcher, homo factus, veste humanitatis nostræ amict9 redditus pulchrior.

MariaRegale indumentum Aurea Diplois, Verbi Purpura.

Maria superni Regis Diadema.

Humanitas Christi est Vestis Poderis Sacerdotalis.

Pulchrum pulcherrimus ipse.
Mundū mēte gerens similiq; in imagine formās.

116. Et sanè jure merito hanc pulchritudinis Humanæ perfectionē à Virgine Dei Filio communicatam fuisse, hoc ipso quod Mater ejus fuit dignissima, nobis persuadere debemus, siquidem illa interna pulchritudine, adeo exornata fuit, ut mirificè redundaret in corpus, essetq; omnis humanæ pulchritudinis admirabile ornamentum. Hoc nimirū intellexit Richardus Victorinus, cum dixit: *Quia in corde eius amor Spiritus S. singulariter ardebat, ideo in carne eius mirabilia faciebat, in tantum, ut de ea nasceretur Deus & homo.* Cum igitur Philosopho teste lib. 2. de anima, & lib. 1. Physicorum à natura ipsa insitum sit animalibus sibi simile, nisi aliquod obstet impedimentum procreare, sequitur Filium Genitrici similem generari. Cum ergo Virgo nostra à Spiritu Sancto passim in Canticis pulcherrima mulierum, speciosa, & suavis in delicijs vocitetur, & ab ipso Filio in suum domicilium, sapientiā, omnipotentiaque ejus infinitā sit ædificata, sine dubio eam ornamentis omnibus, quæ

Mariæ spiritualis pulchritudo, in corpus redundavit.

in creaturam quampiam cadere possint, decoravit. Quod Bernardinus Bustius Ord. Seraphici par.2. Marial. ser.4. par.2. argumento ad hominem confirmavit. *Dicite mihi, ò devoti Christiani, si quis ex vobis posset formare illam, quam electurus esset in Sponsam, nonne illam omni formâ, & decore relucentem effingere conaretur? Deus ergo cum ante sæcula hanc sanctissimam Puellam sibi in Sponsam elegerit, profectò omni speciositate fulgentissimum fecerit necesse est.* Quod si ita est, pari certè formâ decorus, si non majori, utpote Divinæ formæ sociatâ, Filius extitit. Qui à Regio Vate speciosus forma præ filijs hominum, celebratur: & à S. Agnete, ejus pulchritudo Solem, Lunamq; vincere credebatur, cũ dixit: *Ipsi sum desponsata, ipsi Soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo, cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur.* Verissimè cecinit Prosper lib. Epigram: citatus à Bustio:

Ex miris operum signis ostenditur Auctor,
Auctoremq; suum condita quæq; canunt.

Maria Spō sa pulcherrima, quia ab ipsa æterna Sapientia, cō dita in Sponsam.

Opus ergo Virginis sanctissimæ Filius pulcherrimus, Matrem pulcherrimam fuisse fatetur; & contra. Quod etiã præclarissimè Seraphicus nobis contestatus est Bernardin⁹, Senensis To.1. ser.61. ar. 2. c.11. Vbi B. V. cum Deo Creatore comparans. *Deus,* inquit, *suæ imaginis decorem impressit in hominem; sed gloriosa MARIA impressit in eum imaginem suam. Nam sicut ipsa erat omnium mulierum pulcherrima, sic IESVS pulchrior est, & speciosior forma præ filijs hominum.*

117. Tantam porro Humanitatis Christi pulchritudinem fuisse testantur nonnulli Ascetici, ut hanc ob causam impij illi, ac scelerati Carnifices faciem ejus velaverint in passione, quò liberius in eum desævirent, crudelitatemque rabidam exercerent. *Fulgor enim ipse, ac Majestas Divinitatis occulta,* inquit, D. Hieronymus lib. 1. c. 9. in Matthæum, *quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnete lapide, & succinis hæc vis esse dicitur, ut annulos, & stipulas, & festucas sibi copulent, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat.* Ne ergo corda illorum, pulcherrima Christi facies emolliret, eorumque rabiem mitigaret, & eos ad pietatem inflecteret, nefarium consilium, ejus vultum speciosissimum contegendi inierunt. De vi illa attractiva, qua pulcherrima Christi pollebat Humanitas audiamus Doctorem melli-

Cur vult⁹ Christi à Iudæis velatus in Passione.

fluum ser. 1. *de omnibus SS. Prædicantem Dominum de civitatibus, & castellis populi sequebantur, quorum salvabat animas, sanabat corpora, & adhærebant ei affatu pariter, & aspectu illius delectati, cujus nimirum vox suavis, & facies decora, sicut scriptum est: speciosus forma præ filijs hominum diffusa est gratia in labijs tuis. Talis est quem nos sequimur, cui adhæremus, totus desiderabilis, in quem non solum populi, sed & ipsi Angeli Sancti desiderant prospicere. Quid vobis suavius apponemus? Nimirum hæ sunt deliciæ Angelorum. Gustate proinde, & videte quoniam suavis est Dominus. Et huic suavitati, huic sapori, huic sapientiæ, quæ trahitur de occultis, omne quod desideratur non valet comparari. Quid enim? Miraris in sole splendorem; in flore pulchritudinem; in pane saporem; in terra fœcunditatem? Sed à DEO hæc omnia donata sunt, nec dubium quin & multo amplius reservaverit sibi, quam dederit creaturis.* Sic Bernard.

Christi vis cordium attractiva.

Creaturarum pulchritudo est à Deo, & in eo eminentius resplēdet.

118. De eadem hac Humanitatis sacratissimæ pulchritudine præclarè Richardus à Sancto Laurentio lib.12. par.4. in qua cum Christum pulcherrimo flori contulisset, decoremque ejus faciei talem extitisse, qualem in monte Thabor Discipulis illis tribus patefecit, asseruisset hæc attexuit: *De pulchritudine Dominicæ faciei dicit Aelredus Homilia de puero IESV duodenni: Credo in illo speciosissimo vultu tantam gratiæ cœlestis elegantiam refulsisse, ut omnium in se converteret aspectum, auditum erigeret, excitaret affectum.* De eadem Christi formæ elegantia eundem mellifluum Bernardum Homil. 3. super missus est, audiamus, qui velut apicula circa hunc elegantissimum Florem circumvolitans, ejusque mella delibans, cũ dixisset, illum non esse speciosum fructũ, sicut alij fructus, sed sicut dicitur speciosus forma præ filijs hominum, sic dicendum speciosam præ fructibus universis. Mox subdit: *Si enim ille fructus mortis, non solum suavis fuit ad vescendum, sed etiam delectabilis aspectu, quanto magis hujus vitalis fructus debemus credere vivificum decorem!*

Christi duodennis pulchritudo.

119. De hac Salvatoris pulchritudine circumfertur Epistola quædã Lentuli, quæ citatur à jam memorato Bernardino, qui eam ad verbum refert, aitq; Octaviani Augusti tempore solitum fuisse scribi à provinciarum Præsidibus sivè ministris ad Senatum, populumque Romanum, si quid in orbe novum accidisset, Lentulumque ea tempestate officium aliquod publicum obeuntem ejusmodi

Epistola Lentuli de Christo ad S. P. Q. N.

modi de Salvatori pulchritudine dedisse literas: *Apparuit temporibus istis homo magnæ virtutis nominatus IESVS Christus, qui dicitur à gentibus Propheta veritatis, quem eius Discipuli vocant Filium DEI, suscitans mortuos, & sanans languidos. Homo quidem statura procera, vultu venerabilis, quem intuentes possent diligere, & formidare. Capillos habens coloris nucis avellanæ, & præmaturæ, & planos ferè ad aures: ab auribus crispos, & aliquando fulgentiores, ab humeris ventilantes, discrimen habens in medio capitis iuxta morem Nazaræorum; frontem planam & serenissimam, faciem sine ruga, & aliqua macula, quam rubor moderatus venustat. Nasi & oris nulla est prorsus reprehensio. Barbam habet copiosam & impuberem, capillis concolorem, non longam, sed bifurcatam. Aspectum habet maturum, oculis varijs, & claris. In increpatione horribilis, in admonitione blandus & amabilis; hilaris servata gravitate; nunquam visus est ridere, flere autem sic. In statura corporis erectus, manûs habens & brachia visu delectabilia, totus deniq; speciosus præ filiis hominum.* Hactenus Epistola Lentuli, quæ à S. Epiphanij, & Nicephori descriptionibus non multum discrepat. De ejusdē porrò veritate vix videtur ambigendum.

120. Eximiam denique Humanitatis Filij DEI pulchritudinem à DEIPARA illi communicatam, extitisse, nobis declarant ipsi Angeli, qui ejus assiduo intuendæ, ac contemplandæ nimium quantùm flagrant desiderio. Vnde Apostolorum Princeps ait: 1. Petr. 1. *In quem desiderant Angeli perspicere:* Quibus persuasus verbis Sophronius Patriarcha Orat. de Nativ. Christi ait mirificè oblectatos fuisse Angelos, videndo Infantem DEVM Vniversorum Dominum reclinatum in præsepio, ideòque abundanti exilientes gaudio cecinisse: *Gloria in excelsis DEO, &c.*

Pulchritudinem Christi Angeli aspicere desiderant

121. Imò Philippus Solitarius lib. 3. Dioptræ cap. 3. tam ardens in Angelis videndæ pulchritudinis Christi asserit esse desiderium, ut voluntate, nòn quidem absoluta, sed conditionata, si DEO placeret, foretque possibile, expetant intueri, non modò in humana, sed & in Angelica Natura DEI Filium, ut sic ipsorum natura ad hypostaticæ unionis dignitatem assumpta, dignior, pulchriorque effecta ab omnibus adoraretur, ac glorificaretur. Cùm igitur tanta Humanitatis Christi sit venustas, ut etiam ipsi eam in sua Natura, si fieri posset, intueri concupiscant Angeli; quis ambiget eam, ut eximiam quampiam quasi perfectionem, Complementumq; ad Divinam illam DEI Filij pulchritudinem, beneficio Virginis accessisse?

Angeli expetunt videre DEI Filiū non modò in humana, sed etiam Angelica Natura si fieri posset.

122. Nec contenta Virgo DEIPARA rebus omnibus, quæ hoc Vniverso continentur, & ipsi etiam Sacrosanctæ Christi Humanitati decoris, ac ornatus, eam mirificè venustando, dedisse Complementum, dedit etiam mystico Christi Corpori, quod est Ecclesia, cujus post ejus Caput videlicet Sponsum Divinissimum, Membrum est nobilissimum, ac principalissimum. Vnde Sancti Patres eam collo, quod immediatè succedit capiti, nempè Christo, de quo Sponsa Cant. 7. *Caput eius aurum optimum,* totumque corpus eidem conjungit, cibum, vitalesque spiritûs, omnemq; capitis influxum membris omnibus communicando, comparârunt.

B.V. Membrum principalissimum Ecclesiæ post Christum, totam suo decore venustavit.

123. Hoc porrò collum quam venustum, quam ornatum sit, ex Divini Sponsi laudibus facilè est perspicere, in amoris Cantic. ac in primis ex c. 1. v. 9. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis; collum tuum sicut Monilia.* Ac rursus Cant. 4 v. 4. *Sicut Turris David Collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium.* Et cap. 7. v. 4. *Collum tuum sicut Turris eburnea.* Quæ sanè elogia nobis clarè indicant Virginem Beatam ornamentis suis gemmeis Christo Capiti, quod est aurum optimum, fuisse quam simillimam, ac preciosissimam, simulque & mirâ formæ, ac præsertim spiritualis elegantiâ præditam, & eam facilè reliquis communicare potuisse, utpotè quæ non uni Monili duntaxat, sed plurimis; non ebori simpliciter, sed eburneæ planè Turri, plurimo ex ebore cōpactę, atq; ędificatę assimilatur.

B.V. Collum eburneum & gemmatū totius Ecclesiæ.

124. Vt verò intelligeremus decorem hunc spiritualem à DEIPARA Ecclesiæ communicatum, ab eadem custodiri, ac conservari insuperabilemque fortitudinem per eandem nobis donari consuevisse, quo Tartareorum hostium insidijs eam labefactare, ac deturpare conantibus resistere possimus, jure eam Davidicam Turrim propugnaculis, varijsque clypeis, omnique fortium armaturâ, ac panopliâ instructissimâ appellat. Verè enim virtutum, gratiarumque ornamenta à Virgine Ecclesiæ impertita, nisi ipsa nos suo, apud Filium patrocinio,

ac Munimine protegat, facilè rapinæ, assiduè nos impugnantium Cacodæmonum patebunt.

125. Virgo ergo gloriosissima ut ostendatur à Sponso singularissimum esse Ecclesiæ Decus, atque Ornamentum, vocat eam Collum eburneum non ornatum extrinsecus monilibus, sed ex eisdem quodamodo compositum, ipsamq; totam ejusdem Ecclesiæ esse Monile quoddam preciosissimum, atque ornatissimum. Hinc S. Bernardus ser. 41. in Cantic. elogium hoc contemplando Sponsi, ita loquitur: *Solet ornari collũ monilibus, non ipsis comparari. Sed hoc illa faciunt, quibus quia de proprio non inest decor, aliunde necesse est, ut mendicent, unde se speciosas mentiantur. Nam Sponsæ collum ita in seipso formosum, & tam decenter quasi natura formatum est, ut extrinsecus non requirat ornatum. Quid enim opus est peregrinorum fucos adhibere colorum, cui propria, & tanquam innata sufficit pulchritudo, in tantum, ut ipsorum quoq; quæ ad ornandum quæruntur monilium possit adæquare nitorem? Hoc nempè intelligi voluit, qui minimè quidem à collo, ut assolet, pendere monilia, sed ipsum potiùs esse sicut Monilia dixit.* Hæc Bernard. quibus sanè ostendit luculenter Sponsam Deiparam externis ornamentis, margaritis, unionibus torquibus, ac monilibus nec ullo prorsus Mundo muliabri ad decorem sibi conciliandum indiguisse, facta ipsa sibi Divinitus Ornamentum, Monile, ac inæstimabile Margaritum.

B. V. magnum est totius Ecclesiæ Ornamentũ.

B.V. aliunde adscitis ornamétis non indiget, cùm ipsa sibi sit ornamentum, quasi à Natura donatum.

126. Vel etiam dicere possumus tantis gratiæ ornamentis opertam fuisse Deiparam, ut quod in illa naturale est, totum præ gemmarum, unionum, ac margaritarum spiritualium, quæ virtutes sunt, multitutine contegeretur, totaque ab ipsa Gratia, ejusque donis composita fuisse videretur, idemque illi spiritualiter contigisse, quod in Lollia Paulina Plinius lib. 9. cap. 35. se vidisse memorat: *Lolliam Paulinam, quæ fuit Caij Principis Matrona, ne seriò quidem, ac solemni cerimoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam Sponsalium cœna vidi smaragdis, margaritisq; opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisq; quæ summa quadringenties sestercium colligebat.* Idem Plinius initio capitis de Margaritis loquens, luxumque Romanorum perstringens, ad operimentum hoc gemmeum fœminarum allusit, cum dixit: *Parum scilicet fuerat in gulas condi maria, nisi manibus, auribus, capite, totoq; corpore à fœminis, iuxta, virisq; gestarentur. Quid mari cum vestibus?* Eo deniq; luxus hic margaritarum processit, ut non suffecerit fœminis vestire se, atque operire gemmis, margaritisque, nisi pedes etiam eisdem calceassent: *Neq; enim gestare iam margaritas, nisi calcent, ac per uniones etiam ambulent, satis est*, ait idem Auctor.

Quod erat Naturale in B. V. totũ à Gratia velut gémis, ac monilibus operiebatur.

Lollia Paulina smaragdis ac margaritis se penè totam opiebat.

Fœminæ antiquitus margaritis calceos ornabant, easque calcabant, & per uniones ambulabant.

127. His itaque similibus Divinæ gratiæ margaritis, gemmis, ac monilibus tota undique decorata, ac operta gloriosissima Cœlorum Regina, primum illum Angelum omnibus Naturæ, Gratiæque donis à suo Creatore liberalissimè exornatum, repræsentare visa est. Hujus pulchritudinem Ezechiel Propheta miris coloribus depinxit c. 28: 13. *Tu Signaculum similitudinis plenus Sapientiâ, & perfectus decore, in delicijs Paradisi DEI fuisti: omnis lapis preciosus operimentum tuum, Sardius, Topazius, & Iaspis; Chrysolithus, & Onyx, & Berillus, Sapphyrus, & Carbunculus, & Smaragdus: Aurum opus decoris tui. Perfectus in vijs tuis, à die conditionis tuæ.* Quibus sanè verbis ostendit Propheta Sanctus primum illum, pulcherrimumque Angelum thesaurum fuisse quemdam divitiarum Dei, simulque preciosissimum auro, gemmisque Divinitus fabrefactum Monile, omniumque reliquarum cœlestium Hierarchiarum Ornamentum. Quod tam insigne decus, quia contra Creatorem suum typho superbiæ tumefactus, sese erexit, ejusque Dominio sese subducere attentavit, perdidit; unde factum, ut illud idem humillima Virgo nostra inveniret, eisdemque margaritis, ac gemmis, imò longè pluribus, ac preciosioribus, ut potè ad eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem evecta, totiusque Universi Regina creata, atque electa, tota operiretur, & inæstimabile quoddam, unicumque Cœlestis Paradisi Monile, innumeris virtutum distinctum lapillis fulgentissimis esse videretur. Unde S. Epiphanius lib. de laudib. B. Virginis præclarè pronunciavit: *Sponsa cœlestis Maria est Cœlum, Templum & Thronus Divinitatis, & inexplicabile Paradisi Monile.*

Primi Angeli pulcherrima ornaméta.

B.V. ornamenta primi Angeli per superbiã amissa suã humilitate recupavit.

B.V. inexplicabile Monile Paradisi.

128. Agnovit hujusmodi Divinorum charismatum gemmis ad instar primi Angeli opertam, ac condecoratam Virginé in Verbi Incarnatione, cùm Dei Mater effecta est, S. Epiphanius Orat. de laudib.

laudib. B. V. cùm eam Aureæ Coronæ, Regali preciosissimis lapillis distinctæ contulit: *Corona Regia preciosissimum habens lapidem, & gemmis similem Christum;* qui illi ad instar omnium gemmarum, ac margaritarum extitit, eamque totam quāta est operuit, ut ei vices pro data sibi Humanitatis Coronâ ac veste redderet. Vnde idem S. Antistes ibidem eam vocavit: *Purpuram Regiam, quæ cœli, terræq; Regem induit, universale corporis indumentum purpuram referens.*

M. Corona Regia virtutum gemmis distincta.

Christus Gema est Mariæ, instar gemarum omnium.

129. Opertam similiter agnovit virtutum Angelicarum gemmis S. Bonaventura, cùm illi Psal. 58. velut potentissimæ totius Mundi, ornatissimeq; Reginæ, ac Protectrici ita modulatus est: *Eripe me de inimicis meis Domina Mundi, & exsurge in occursum meum Regina pietatis. Aurum obrizum in ornamentis tuis, Sardius & Topazius in Diademate tuo, Iaspis, & Amethystus in dextera tua, Berillus & Chrysolithus in sinistra tua. Hyacinthus, & Achates in pectore tuo, Carbunculi scintillantes in monilibus tuis. Sapphyrus & Smaragdus in digitis tuis.* Quæ sane ornamentorum descriptiones omnes primi illius omnium Angelorum Principis simillimæ sunt, indicantque Deiparam ob profundissimam ipsius humilitatem spolijs ipsius fuisse opertam, atque convestitam, impletumque fuisse illud, quod in figura insigni illi Heroinæ Iudithæ contigerat, Iud. 15: v. 14. *Porrò universa quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt, dederunt Iudith in auro, & argento, & vestibus, & gemmis, & omni supellectile tradita sunt omnia illi à populo.*

130. Vt ostendat igitur cœlestis Sponsus Sponsam suam Divinitus, etiam primi Angeli spolijs, gemmis, ac divitijs, omnibusque ornamentis totam fuisse coopertam, nullumq; fucatum, ascititiumúe ornatum in se habere, sed totam quanta est, esse ipsum ornatum, decoremque gemmeum, nec indigere Monilibus, cùm ipsa tota sit Monile, ait, collum ejus eburneum, esse sicut monilia, ornamenta videlicet, totius sive Angelicæ, sive humanæ Naturæ, quibus ipsa in se decorata, totam exornat, ac venustat Ecclesiam.

M. nullo Indiget Monile cùm ipsa tota Monile sit.

131. Audiendus hic Paulus Scherlogus noster in Cant. Cùm Christus ipse Caput esset, inquit ille, omnem plenitudinem habens, eo prætermisso quod inexhausta esset divitiarum vena, ad genas transit, quibus significari Deiparam

Mariam arbitramur nobilissimam Ecclesiæ portionem. Hanc verò intuetur tot cumulatam opibus, ut præ gemmarum multitudine obruta lineamenta vultûs, & colli Sponsæ videantur, ut discerni vix possint: sic quasi in Virgine quod Naturale erat, velut à cœlestium gratiarum diluvione absorptum est. Spiritus enim Sancti charismatis, quibus Deo amabilis reddita est, ad Sanctitudinis apicem attigit, eoque processit, ut non solùm in donis gratiæ, & gloriæ superaverit, Angelorum, hominumque singulos divisivè intellectos, sed universos pariter simul, & collectivè sumptos. Quod etiam luculenter comprobavit Theologorum Decus Suarez Tomo 2. in 3. Par. Discur. 18. ser. 4.

B.V. suis gratijs superavit omnes Angelos & Sanctos etiam collectivè simul sumptos.

132. Quod Virginis privilegium ipsa nobis Monilis vox indicat, quam Thomas Cisterciensi Aurum gemmis exornatum ad colli, pectorisque Ornamentum, definivit. Quemadmodum igitur aureum Monile varijs preciosissimis lapillis exornatur, corporique mirificum decorem, venustatemque tribuit: Sic Virgo cœli Monile præstantissimum gratijs singularibus, perfectionibus eximijs, tam Angelorum, quàm reliquorum Cœlitum decorata, mystico Ecclesiæ Sponsæ Christi Corpori pulchritudinis, ac perfectionis omnis exhibet Complementum.

Quid sit Monile?

133. Hæc eadem Monilia, quibus Sponsa composita quodammodo perhibetur, ingentem ipsius divitiarum spiritualium copiam, ac thesauros, gazasque incomparabiles nobis indicant, quibus Virgo Divinitus locupletata, totam quoque Ecclesiam ditare, atque exornare contendit. Vnde Cœlius Pannonius Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Vir æquè pietate, ac literis insignis, elogium hoc Sponsæ in M. S. suo in Cant. interpretans, ait etiam totius Ægypti, & Pharaonis, quemadmodum & primi Angeli spolijs fuisse ornatam, ac locupletatam: *Perstat, inquit ille, in metaphora, quam superius adhibuit, assimilans Sponsam equitatui, seu Exercitui populi Israëlitici, quem in medijs ferè curribus Pharaonis servavit; quem cùm submersisset cum omni exercitu, aquis reductis super eum, quidquid supellectilium erat in universo exercitu, aurum, argentum, lapides preciosi, vestes, & alia, DEI voluntate id omne in littus eiectum, postero die populus legit maximâ cum lætitia. Vnde etiam in immensum fuit ditatus, & ornatus. Ex quibus*

Monilia Sponsæ ingentes ejus spirituales divitias indicant.

Sponsa ornata spolijs & divitijs Pharaonis & Ægyptiorum.

bus deniq; spolijs ornamenta quoq; tabernaculi iuxta praeceptum Domini fuere confecta. Collum ergo tuum quantum ad illum populum est, sicut Monilia, id est, auro, argentoq; & lapidibus preciosis ornatum ex omnibus thesauris, & divitijs Aegyptiorum. Sic Caelius.

134. Ex quibus sanè colligimus, quod cùm Virgo nostra, cœli opibus, donisque Divinitus fuerit locupletata, easdem illas tam opulentas gazas toti Ecclesiæ liberalissimè pro ingenita sibi benignitate communicasse. Illius enim verba sunt illa Proverb. 8. *Mecum sunt divitia & gloria, opes superba, & iustitia. Melior est enim fructus meus auro, & lapide precioso, & genimina mea argento electo. In vijs iustitia ambulo, ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.*

B. V. suas cœlestes opes, ac ornaméta Ecclesiæ communicat.

135. Neque verò solùm spirituales divitias Virgo Beata Ecclesiæ commudivat, ut mentis candorem, animique puritatem, verùm etiam fortitudinem ad generosæ resistendum Infernalium hostium insidijs, fortitudinem, inquam, inexpugnabilem, quam nobis solidum ebur, os elephanti videlicet candidissimum, simul, ac validissimum denotat. Est nimirum Virgo Ecclesiæ puritas & candor, decus, ac ornamentum, est denique ob gemmarum, ejus virtutes denotantium precium, ac varietaté Monile Paradisi, etiam hujus terrestris, ut modò loquebatur Epiphan. planè inexplicabile, est ejusdem robur, ac firmamentum, est Turris eburnea, Turris Davidica, Turris fortitudinis à facie inimici: est, ut uno verbo complectar, ultima perfectionis linea, & virtutum omnium Complementum.

B. B. Eburneum candorem, ac puritaté, simul & fortitudinem Ecclesiæ cómunicat.

136. Et licet Sacratissima Deipara singularé pulcherrimum, atque inæstimabile, uti diximus, Ecclesiæ sit Monile, Decus, Ornamentum, incomparabiles opes, ac divitiæ, ac thesaurus denique quidam infinitus; Sacris tamen, Religiosisque Ordinibus, ac potissimum ijs, qui se peculiaribus studijs ejus cultui, atque obsequio mancipârunt, est vel maximè. Ab illa nimirum Decus omne, ac splendorem mutuati sunt; ab illa spiritualibus divitijs locupletati, ab illa cœlestium gratiarnm, charismatum Spiritus S. virtutumque omnium accipere Complementum. Quemadmodum enim Virgo Sapientissima, ac potentissima Religiones Sacras, secundùm Filium ipsa quodammodo condidit, sic easdem in suo esse miro pietatis affectu conservat, bonis, donisque cœlestibus auget, suis gratijs venustat, ac demum virtutum, ac perfectionum suarum, tanquam supremâ manu ductis lineis, universum dat mortalibus Complementum.

B. V. Religionibus omnib9, & maximè illis, quæ sub ejus patrocinio degũt est decus, ac pfectio

B. V. post Filium Religiones condidit.

137. Quod eam abundè præstitisse in Ecclesia agnoscens Sponsus, mirificè sibi complacere in ea visus est, dum ei ita cecinit Cant. 4. *Emissiones tua;* addunt Hebræi; *Ex ore; Paradisus malorum Punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri cum Nardo, Nardus & Crocus fistula, & cinnamomum, cum universis lignis Libani, Myrrha & aloe, cum omnibus primis unguentis.* Ore enim suo Sacrosancto, Sapientiâque plenissimo, consilijs, atque adhortationibus suis efficacissimis Virgo Deipara in primitiva Ecclesia Religionis Paradisum, in communi illa vivendi ratione, in qua omnes credentes erant, habitabantque pariter, & habebant omnia communia collaudantes Dominum Act. 2. plantasse in terris visa est. Quod Venerabilis asserit Dionysius Richelius in 1. sent. Dist. 16. q. 2. agens de Sapientia, Scientiaque, quâ mirificè ultra mortales omnes, ipsosque Angelos pollebat Virgo nostra. Scribit enim Hierosolymis erectum fuisse Collegium Virginum sub Magisterio atque institutione Deiparæ; *Quotidie, inquit, seu tempore opportuno edocuit felicissimum illud Collegium centum viginti Virginum, eius obsequio atque regimini deputatarum.*

Religiosi Ordines sunt B. V. Emissiones.

B. V. instituit Cœnobium 120. Virginum Ierosolymis

138. Quod Petrus Spinellus noster admodum verisimile esse arbitratur. Siquidem tria illa Evangelica consilia, Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ, quibus Religionis status, ac substantia continetur, mox ac Spiritus S. in Mariam & Apostolos, reliquosque Discipulos, in Cœnaculo Montis Sion congregatos, descendit, in mores induci, atque exerceri cœperunt, ut patet in Paupertate præsertim, inque spontanea bonorum abdicatione. De qua S. Lucas Actorum cap. 4. *Nec quisquam eorum qua possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant precia eorum, qua vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.*

B. V. docuit Evangelica cõsilia fideles ãplecti

139. Suadendo ergo Virgo nostra Sapientissima Virginibus illis, alijsque fidelibus, Divinissimo illo repleta Spiritu, ut proculcatis omnibus Fortunæ bonis,

bonis carnis illecebris,proprijsq; voluptatibus, honorúq; umbris,ac vanitatib⁹, communem vitam ducerent, & paupertatem,castitatem, obedientiamq; ultro amplecterentur, quid aliud egisse visa est,quam ex ore illo suo benedicto Paradisum.ipsaque Mala Punica, purpureo Regioque paludamento Coronâque insignita,emittere. Quæ sanè pulcherrimi sunt typi,figuræque,Religionis excellentiam, venustatemque adumbrantes.

Verè sacræ Religiones omnes,ac præsertim illæ quarum Auctrix,ac fundatrix est Deipara,quales sunt sacer Ordo Carmelitanus,Cistercienfis, Servorum B. V. alijque quorum Disc.18. meminimus sunt amœnissimi Paradisi,& cœlestis Regis, ac Reginæ Viridaria,sunt denique Mala Punica, quæ suo decore orbem Vniversum ipsamque mirificè venustant Ecclesiam.

Religiones sunt Mala Punica.

140.Paradisus sane,isq; pulcherrim⁹ est Religio. Quemadmodū enim Paradisus in toto terrarum orbe erat parua quidē terræ pars excultissima,delicijsq; omnib⁹ refertissima, præ reliquis omnibus desiderabilis, atque expetibilis. Sic sane sacra Religio est locus quidem honestissimæ,ac liquidissime voluptatis, est status omnium bonorum aggregatione perfectus,adeo vt æternam beatitatem nobis hic in terris repræsentare videatur.

Quod enim gemā est in aureo quopiam anulo,hoc est Religio in terrarum orbe.

Verè Religio est gemma preciosissima; est Hyacinthus coloris Cœlestis, est Sapphyrus siue parvum cœlum quodpiā stellis insignitum,est deniqúe ardentissimâ Dei, proximique charitate flagrans Carbunculus.

Religio est gemā preciosissima,

141. Hinc Platus noster lib. 2.de Bono status Relig. cap.14. postquam multa de jucunditate,siuè bono delectabili, quod Status Religiosus hominibus conferre consuevit disseruisset, tandem illum Paradiso siue loco voluptatis, delicijs omnibus redundanti cum S. Antonino conferre non dubitavit. *Quemadmodum enim locus ille erat totus gaudij, & voluptatis, ac deliciarum,*inquit ille, *ipsius DEI, tanti, tamq; sapientis Artificis manu consitus, ut homines in eo fœlicissimam vitam agerent; Ita ab eodem Autore DEO condita est quævis Religio (addiderim ego, etiam ab ipsius Dei Magna Matre, præsertim illa, quæ ipsius peculiari cultui est consecrata) Tanta enim res nec ab alio inueniri,quam à DEO potuit, nec ab alio nunc quoq; conseruari potest. Illius enim inventum, ac donum est ista viuendi ratio tam sancta, tamq; salubris; ab eo,& in uniuersum hoc votorum consilium, & deinde in unoquoq; animus,ac desiderium huius disciplinæ, ab eodem perseuerantia,& victoria in tentationibus, ab ipso etiam Regulæ, & instituta, deniq; ab illo omnia. Ex quo illud etiam apparet, quam perfectum,atq; absolutum, omniq; bonorum copia affluens esse oporteat id opus, quod à Diuinæ sapientiæ, tantæq; bonitatis fontibus emanauit. In illo quidem Horto,atq; elegantissimo Viridario plantauerat DEVS omne arborum genus pulchrum visu, & gustatu suaue, ne quid ei in omni delectationis genere deesset. Hic vero sua quoq; est spiritualium fructuum copia,qui multo jucundius oculos, ac palatum mentis demulceant. Hic enim illa conscientiæ integræ, ac pacata securitas, hic lumen mentis, quo Diuinæ res manifestantur, hic orationis, & contemplationis solatia, hic tam multa alia, & genere varia, & dignitate præstantia. Neq; vero deest Lignum vitæ,quod S. Antoninus,Gratiam interpretatur,quod & Status hic non ex Natura,sed ex Gratia fluit,& in eo tam multæ sunt, tamq; faciles viæ ad gratiam hauriendam, & quotidie magis adaugendam. Quin & illud quoq; conuenit,quod erat in illo summa temperies aeris,nullus immodicus calor,nullum frigus nimium,non fames,non sitis,non febris,non alia corporis incommoda, quæ si ad animum transferantur, respondent ijs in Religione ea omnia perturbationum, omniumq; cupiditatum tranquillitas,cum ita mens temperetur,atq; instituatur,ut turbidis illis æstibus vacans, in uno, atq; eodem æquabili tenore perseueret: qui status si corpori jucundus fuisset quanto erit jucundior animo?* Hæc Platus.

Religio est Paradisus terrestris.

Religio uti est à Deo inuenta, ita & ab eodē conseruatur.

In Paradiso Religionis Lignū vitæ est Diuina Gratia.

Aëris temperies in Paradiso notat in Religione cupiditatū tranquillitatem.

142. Neque verò solum Religio Paradisi terrestris,verumetiam cœlestis nobis in terra speciem repræsentat. Vnde B. Laurent. Iustin. lib. de perfectione Monast. c. 6. *In humanis rebus,*inquit, *& in hac peregrinatione nihil tam efficaciter gerit in se Imaginem cœlestis Patriæ,quam Monastica conuersatio,& congregatio Divino cultui dicata. Sicut enim in cœlo incorruptio maximè viget: In cœlis enim neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli DEI, inquit ipsa Veritas Christus,* Matth. 21.

Religio est speculum Paradisi cœlestis.

143. Quam ob causam S. Hieronymus docet Paradisum terrestrem figuram fuisse gloriæ cœlestis beatorum. Interpretans enim verba illa Dei. Isa. 65. *Secundum dies Ligni erunt dies populi mei; & opera manuum eorum veterascent electis meis.* Siue ut 70. Interpp. legunt: Secundum dies Ligni vitæ dies populi

populi mei; opera laborum suorum veterascere facient electi mei; sic loquitur: *Æterna erit habitatio, atq; plantatio justorum, ut dies vitæ populi mei, diebus vitæ Ligni comparentur*, de quo Psal. 91. dicitur: *Iustus ut palma florebit, quotidie triumphans de adversarijs, & insigne victoriæ præferens. At juxta 70. Lignum vitæ intelligimus, quod in Paradiso situm est, ad quod ne extenderet manum suam, ut viueret, ejectus est de Paradiso, ne in peccato positus, & necdum sua delicta cognoscens comederet ex eo, & impœnitētiæ desperationisq;, ac superbiæ morte moreretur.* Hęc Hier.

Quibus clarè ostendit, Dominum de fælicitate loqui cœlestis patriæ, quæ similis erit illi, quam protoplasti in Paradiso terrestri de Ligno vitæ comedentes, nulla unquam morte terminassent.

144. Religiones denique sunt mala Punica rubicunda, & coronata. Quemadmodum enim hæc multitudinem in se purpureorum simul unitorum continent granorum; ita Religiones arctissimæ ignitaque charitate sibi devinctorum, moribusque pudicissimis præditorum continent Religiosorum. Quæ mala Punica Regio Diademate redimita optima Mater efformauit Natura, ad indicandum quid in illis operetur gratia Divina, quæ homines licet mundo despectos, ac contemptibiles, DEI misericordiâ, ac miserationibus coronat; ut merito quisque ex eorum cœtu cum Psalmista concinere valeat: *Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra te sunt Nomini sancto eius. Benedic anima mea Dominum, & noli obliuisci omnes retributiones eius; qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Vnde sapienter idem Platus lib. 2. cap. 16. Religiosam dignitatem cum Regia conferens, Religiosos Reges quosdam coronatos, Regibus terrenis longe nobiliores, ac potentiores varijs ostendit argumentis, quæ apud ipsum videri possunt.

Religiones velut mala Punica misericordia DEI coronantur.

Religiosi dignitate ipsos Reges superant.

145. Et licet hæc omnibus conueniant Religionibus, quæ verè totius Ecclesiæ atq; adeo orbis uniuersi pulcherrimam sunt decora, venustissima sunt ornamenta, in eum finem à DEO, cooperante DEIpara, in mundum emissæ, ut amœnissimum, & terrestrem, & cœlestem hic repræsentarent Paradisum, totumq; Vniuersum perfectione sua venustarent, suisque cœlitus acceptis donis, ac charismatis ultimum ipsi adderent complemētum. Licet inquam hæc omnibus Religionibus quadrent, nescio tamen, quæ peculiari ratione, minimæ huic Societati nostræ Diuino plane munere Virginisque beatissimæ fauore aptissimè congruant; ita ut reuera dicere possimus eam esse à Virgine Matre emissum in hunc mundum Paradisum, ac Malum Punicum cum reliquis aromaticis illis fruticib⁹ verissimas eius virtutes denotātibus. Scitum enim est, ut alibi fusius ostendimus, S. Patriarchum nostrū Ignatium, cujus nos omnes sumus Filij, totum à Virgine efformatum. Scitum eam constitutiones scribenti, velut Illuminātricem, juxta ejus Nominis ethymon, ipsi adstitisse, eique plurima sensa plane Divina dictasse. Scitum in ecstasi illa Manresiana octiduo absque cibo potuque perduranti spiritualia Exercitia, ad excolendas animas tam mirè conducentia suggessisse. Scitum denique Societatis hujus, DEIparam, eo fine potissimum fuisse Auctricem, ut immaculatam ejus Conceptionem deprædicaret, ejus honorem, toto terrarum orbe propagaret, & contra ipsius adversarios voce, scriptisque propugnaret, tanto denique ipsius Nominis gloriæque passim amplificandæ amore exardesceret, ut non modo IESU, verumetiam MARIÆ Societas ob arctissimam illam, quæ ad invicem inter ipsos intercedit unionem jure dici posset.

Religiones sunt Ecclesiæ, & totius Vniversi decora, & ornaméta.

Societas IESU Paradisus, & Malum Punicum à B.V. emissum.

B. V. S. Ignatiū ad omnē virtutem, ac pietatem efformās, simul in illo Societatem efformavit.

B. V. S. Ignatio scribenti constitutiones adest: Exercitia suggerit.

146. Vnde Vir doctissimus Erycius Puteanus Orat. de Purif. B. V. Lovanij habita ad Sodales Parthenios: *Societas illa IESV est*, inquit, *quam cum nomino, satis laudo. Illa victrix hæresum, Pharus virtutum, perfectio sæculi, gloria disciplinarum, Pedissequa Christi, Arx Ecclesiæ, Alumna DEI, & tamen ut Societas duraret, Sodalitas B. V. accessit; ut IESV Nomen reluceret, MARIÆ adjunctum est. Penes Societatem esse Sodalitas debuit; à IESV Athletis Mariæ cultus propagari. In Societate Maria est, ut in Sodalitate quoq; IESVS esset. IESVM colunt, Nomineq; possident, qui Sodalitatem dirigunt: MARIAM colunt, & peculiari studio asserunt, qui in Societatem adscripti sunt. Vt videtis Sodales, Filius sine Matre esse non potest, nec sine Filio Mater.* Hæc ille.

Societatis IESU laudes.

Societas IESU cum Sodalitate B.V. cōjuncta.

147. Hinc Burghesius noster in Soc. Virgini sacra cap. 1. cui titulum hunc præfixit: *Societatem IESV, Sanctissimæ quoq; DEI Matris Sodalitatem censendam*; inter alia quibus ostendit Societatem foetum purissimum, emissionemque esse Virginis

Societas Iesu est simul Sodalitas Mariæ.

nis propriam, ob mutuam inter Filium, Matremque charitatis nexum, hæc apportat: *Vna igitur est Filij, & Matris Aula, una familia. Societas IESV, atq; Sodalitas Mariæ. Qui Filio famulatur, & Matri est in obsequijs. Qui Matrem pio cultu prosequitur, & Filium, quo præcipuè gaudet, obsequio demeretur, quos Filius in fidem, & patrocinium suscepit, hos & Diua Mater sua cura, ac tutela concreditos ducit.*

Societas IESV & Sodalitas Mariæ una Aula, una familia, ob unionem Filij cum Matre.

Capite verò tertio, ut ostendat eandem DEIparam Societatis nostræ esse Auctricem non solum in Filio suo IESV, quem ipsa mundo peperit, verumetiam in ipso Ignatio, quem illa in tam eximiũ, spiritualemque virum efformavit, uti diximus, ita loquitur: *Hunc igitur Parentem nostrum, si sanctissima Mater in spiritu peperit, & nos omnes, qui in eius pectore, velut in Abraha lumbis posteritas omnis, continebamur, peperisse credenda est; Si quantus fuit Ignatius, totus DEIparæ Virginis Opus fuit, tantãq; rem ejus ope potissimum, & inchoauit, & perfecit, quin tota Societas, à sancta Matre in suo Parente, & condita, & præformata sit, ambigi non potest. Non enim IESV modo primarij Ducis, & Auctoris, sub cujus Augustissimo militat signo Societas; verum & Ignatij sub eo Duce Vexilliferi, quo in ea colligenda usus est Administro, spiritalis Mater existet, Mater, inquam, utriusq; Fundatoris, & Auctoris hujusce Ordinis nostri. quare & nos Filiorum habebit loco, maternâq; suâ curâ reget, ac prouidentia tuebitur, quos in Christo primum IESV, tum in Beato quoq; genuerit, atq; educarit Ignatio.* Atque hæc ad ostendendum Societatem Emissionem partumque esse DEIparæ, dixisse sufficiat, qui plura volet ipsum Burghesium ibidem consulat.

B.V. Societatē habet loco filiæ eamq; materna cura regit.

148. Quantum porrò Virgo nostra fœlicissimo hoc suo Partu superius illud infælix miserumque Sæculum tot tantisq; infandis planè hæresibus infame, ac deforme honestarit, nobilitarit, venustaritque, ut & reliquas hujusce Vniuersi Creaturas, res est per se luce meridiana luculentior. Certè Henricus Spondanus in Ecclesia Gallicana Præsul literis, pietateque clarissimus in suis Annalibus ad Ann. 1539. cum retulisset quantam stragem, animarumque cladem Hæresis Lutherana, & schisma Anglicanum perpetrasset, sæculumque illud, præsertim verò in florentissima olim Germania, atq; Anglia deformasset, num. 9. hæc attexit: *Quam cladem reparauit DEVS hoc eodem Anno institutione florentissimæ Societatis, quæ terrori esset Inferno, consolationi orbi, directioni animis, fulcimento Fidei, Firmamento Ecclesiæ. Et qui posset aliter cum sit Societas Iesu, in quo est omnis plenitudo gratiæ? Panagyrim non agimus. Nota sunt eius opera, labores, solicitudines, studia: ex fructibus eius, juxta Magistri verbum cognoscere licet, quantum mundo emolumentum attulerit, in conuersatione gentium, instructione populorum, extirpatione vitiorum, confusione hæresum. Præsentem autem nonum & 30. Annum huius sæculi ei quasi Natalem illuxisse narrat ejus Historiæ accuratus Scriptor Nicolaus Orlandinus, cum ut describit Ignatius eius Auctor, ac Socij plurima atq; præclara pietatis opera Venetijs, Romæ, alijsq; Italiæ Ciuitatibus edidissent, & inter se statuissent, ut quem sibi Ducem, in hominum quærenda salute, suarumq; actionum omnium delegissent exemplar, quiq; Romam eunti Ignatio apparens, eum se in suum patrocinium fidemque recipere his verbis: Ego vobis Romæ propitius ero; testatus esset Christus Iesus, ejus quoq; Nomen potissimum assumerent, ac cœtus instituendus, Societas Iesus vocaretur: Quod quidem humilitatis, non arrogantiæ causam vanè obijciunt Heretici, aliiq; eius Osores, à quam plurimis sæpe disputatum, demonstratumq; est; & cum Romanus Pontifex, Concilium generale, uniuersaq; Ecclesia eam denominationem approbarit, dementiæ est, non sapientiæ ea de re aliquid ulterius ambigere, &c.* Sic ille.

B.V. sæculum superius hæresibus deforme per Societatē reformavit.

Spondani de Soc. IESV laudes.

S. Ignatio Societ. IESV Nomine ob humilitatē insignivit

Idem Præsul sapientissimus recensens persecutionem quandam Parisijs adversus Societatis Scholas excitatam Añ. 1565. ita conclusit: Nullus fuit unquam Ordo, inter cunctas Religiosorum Sodalitates, qui plures passus sit per universam orbem controuersias, & oppugnationes, nec qui gloriosius eas ubique superavit. A Domino proculdubio factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Verèque possumus de eo, ac confidenter dicere nullum esse in Ecclesia utiliorem, dum contineantur privati Socij, ut sapiant ad sobrietatem.

Nullus Ordo inter omnes religiosos tot persecutiones passus atq; Societas, ex sent. Spondanus.

149. Quantum porro minima hæc Societas nostra, vel solo augustissimo hoc IESV nomine, sicut & altero MARIÆ, dum ejus Sodalitas appellatur, decore, pulchritudine, alijsque ornamentis, nec non spiritualibus divitijs aucta fuerit, difficile admodum est pro dignitate explicare. Notissimum omnibus est magnum illum Patriarchã Abraham, quod Divini Nominis Iehova singulari DEI in

se benevolentiâ, unicam aspirationis literam He, Dei Filium, qui est Spiritus oris nostri, Thren. 4. nostrique cordis respiratio repræsentantem aquisijsset, ingentibus cœli bonis auctum, ac locupletatum fuisse adeo, ut S. Hieronymus præclarè dixerit: *Quam literam de suo Nomine communicari voluit DEVS cum nomine Abraham, ut ostenderet non modo se bona sua impertiturum ei, verumetiam seipsum:* Quod si ita est, quibus tandem cœli donis minimam hanc suam Filiam, auxisse credêdus est Deus Pater, cui non unicam literam, sed totum sui dilectissimi Filij Nomen impertiri non fuit dedignatus?

Abraham una literâ Divini Nominis auctus, bonis omnibus locupletatur.

Societas Iesv Nomine insignita, multis cœli bonis aucta.

150. Sane in jure Cæsareo legimus aliquos, quod alterius Nomen amoris ergo gestarint, magnis privilegijs opibusque fuisse locupletatos. Vnde lib. Cum Filius §. Pater D. de Legat. 2. Sempronius quidam sic loquitur: *Sempronio nepoti meo plus tribuas in honorem mei Nominis.* Lycon etiam Astyanax testamentum in hæc verba condidit; *Quæ in Vrbe, & Ægina habeo Lyconi fratri præcipua do, quod is Nomen ferat nostrum.* Hinc Augustus Cæsar, ut refert Suetonius, ingentem pecuniam Tyberio, & Liviæ legavit. Hinc in L. facta §. si in danda D. ad Trebellia dicitur, quod *Non inutilis est Nominis ferendi condicio.* Et L. hoc jure §. ultimo D. de Donat. jubentur dari ducenti aurei illi, qui spopondisset, imo jurasset alterius fere Cognomen. Quod si Ius Cæsareum præ cæteris locupletari jubet eum, qui alicujus terræ filij nomen gestarit; & quibus tandem cœli bonis, ac divitijs augeri digna censebitur hæc parua Dei Filia, quæ Nomen illud augustissimum æterni Patris Filij gestare digna fuit? Illius vocem illam de hujusmodi cœli donis gloriantis ob Iesv Nominis gestata insignia esse crediderim, Psal. 22. *Deduxit me super semitas justitiæ propter Nomen suum.* Verè enim, quod in hac ærumnosa, ac periculosa peregrinatione per semitas justitiæ Sanctitatis, ac illibatæ puritatis, magnis passibus inoffenso, pede ad suam, proximique consequendam salutem progrediatur, id totum acceptum referre debet huic benedicto Nomini Salvatoris. Vnde secundum paraphrasin Euthymij merito dicere potest: *Propter hoc, quod Nomine DEI vocor, tot in me Deus beneficia congessit.* Quare nos omnes hujus tam sanctæ, tam Deo gratæ Matris Filij merito usurpare possumus illud Isa. 64. *Ab initio Nomen tuum super nos;* uti etiam aliam paraphrasin Procopij: *Nostri igitur miserere, quos Nomen tuum exornat. Hæreditas enim tua nuncupamur. Id ergo Nomini tuo largire, ut apud gentes non blasphememur.* Ex quibus omnibus in bonam spem adducimur, quod misericordiarum Pater, & Devs totius consolationis, dum Filiam hanc suam, Nomine amantissimi sui Filij exornat, ac venustat, reseraturum quoq; illi misericordiæ suæ viscera, ejusque miserias, quas humana secum fert fragilitas, bonitatis suæ effusissimâ communicatione sublaturum, novisq; in dies cœli donis, ac charismatis eam pro sua pietate cumulaturum.

In jure Cæsareo alterius nomê gestantes privilegijs affecti

Quod Societas prosperè progrediatur venit à Iesu Nomine

Devs tot beneficia in Soc. côgessit propter Iesv Nomen.

Misericordia Dei Patris nobis expectâda, qui Nomine ejus Filij insignimur.

151. Idem sperandum omnino factura m ipsam Dei Matrem Mariam, siquidem hæc eadem Iesv Societas, Sodalitas Mariæ nuncupatur, uti diximus. Cum enim Nomen ejus Tetragramaton sit, Divinoque illi, ui etiam, & energia, quam simillimum, Illuminatam, ac Illuminatricem simul adsignificans, & ipsa quoque sit pijssima Misericordiæ Mater, omnino sperandum nobis est, ipsam dum in Mundo hoc plusquam cimmerijs tenebris circumsepto vias salutis ingredimur, Lucernam pedibus nostris futuram, illuminaturamq; tenebras nostras, simulque bonis omnibus, spiritusque divitijs, virtute hujusce sui Augustissimi Nominis animas nostras aucturam, pietatis denique suæ largissima nobis viscera exhibituram. Verissimè enim sapiens ille pronunciavit Idiota in Prol. contêpl. B. V. *Inuenta MARIA, inuenitur omne bonum,* Honestum scilicet, Vtile, Delectabile; *Ipsa enim diligentes se diligit, & seruientibus sibi, seruit.*

Mariæ Nomê Tetragramaton Divino simile sua bona largitur, qui illud gestant,

Maria est nobis omne bonû.

152. Mariæ nimirum Matris summi Boni Nomen est illud, de quo Salomon Prover. 22. *Melius est Nomen bonum, quam divitiæ multæ.* & Eccles. 7. *Melius est Nomen bonû, quam unguenta preciosa.* Vbi Venerabilis Richar. à S. Laur. lib. 1. de laud. B. V. cap. 2 *MARIÆ Nomen,* inquit, *longè melius, quam divitiæ corporales, quia melius angustiam releuat paupertatis, & dolori peccatorum melius medetur, quam unguenta.* Pauper es? *confuge ad Nomen MARIÆ, quæ tibi pauperrima exhibetur. quod si deuote attendas, quod de hac paupertate exaltata est etiam super Angelos, jam non erit tibi onerosa paupertas. Peccator es? ad Nomen MARIÆ confugias, ipsum solum*

M. Nomê Opulentû & melius quam diuitiæ multæ.

M. Nominis invocatio utilis.

solùm sufficit ad medendum. Nulla enim pestis tam efficax, nulla sic hæret, quæ ad Nomen MARIÆ non cedat continuo, ut patet exemplo Theophili. Iustificatus es? sed fortè tentaris super vires, & eò ampliùs tentatoris times insidias, quantò te ab eo expugnatum aliquando recordaris? Recordare quod Turris fortissima sit Nomen Dominæ nostræ; ad ipsam confugiet peccator in tentatione, & etiam qui peccavit, & salvabitur. Hæc ille.

Nomen B. Virg. Turris fortissima contra hostes.

153. Ex quibus sanè colligimus, quot, quantisque bonis tam animi, quàm corporis, gratiæque divitijs incomparabilibus IESUS, & MARIA suis Nominibus Societatem hanc locupletârint, Spiritus Sancti donis, ac charismatis exornârint, ac venustârint, virtutibus denique omnibus perfecerint. Quare jure merito ob hæc tot, tantaq; bona, eã Paradisum à DEipara emissum, uti diximus, ad hoc venustandum Vniversum esse pronunciamus. Longum foret, & ab instituto nostro alienum, singula quæ in Paradiso reperiebantur persequi. Suffecerit aliqua præcipua, extremis quasi digitis attigisse. Inter præcipua Paradisi ornamenta jure merito numerandum videtur Lignũ vitæ, quod ad vires, pristinumq; vigorem conservandum, arcendumq; senium, ac mortem, ad annandum, deniq; ac perennandum, à DEO plantatum fuisse certum est. Et quod tandem est hoc vitæ Lignum in isto Societatis nostræ Paradiso, quod nos à languore virium, spiritali senio, vetustate, interituque præservat? Hoc ego jure dixerim, (ut frequentationem Sacramentorum, jugeque atque assiduum Missæ Sacrificium, quod quotidie ex præscripto Regulæ Sacerdotes celebrare tenentur, sileam) est quotidiana Votorum, spiritusque, eaque duplex matutina, ac vespertina inter meditandum vitã Christi, Renovatio, quam S. Xaverius suis tanto studio inculcare conabatur, uti lib. 6. vitæ ipsius cap. 13. videre est, ubi inter reliqua vitam piè, sanctæque traducendæ monita Ioanni Bravio, alijsque Socijs cœlesti planè Sapientiã præscripta, hæc habet: *Iam tibi auctor sum quotidie sub meditationem Vota paupertatis, castitatis, obedientiæ renovandi, quo vix ullum est hominibus DEO sacratis tutiùs contra Diaboli, intestiniq; hostis impetus munimentum. Quocirca antiquissimum habebis quotidie salutaribus hisce armis munire pectus. Pomeridianis autem horis, post curatum corpus, tantundem ferè temporis iteratio matutinæ meditationis absumet, eamq; pariter excipiet instauratio votorum.* Hæc ille.

Quid sit Lignum vitæ in Paradiso Societatis?

Votorum renovat, in Societ. est Lignũ vitæ.

S. Xaverius suadet vota bis in die renovanda.

Votorum renovatio arma salutaria.

154. Et licet singuli instaurationem hanc votorum privatim, diebus penè singulis instaurent Socij, publicè tamen solenni ritu, ex S. Patriarchæ nostri institutione, bis quotannis, præmissâ tridui recollectione, ac solitudine, exemplo videlicet Israëlitici populi, qui ivit viam trium dierum in solitudinem, ut immolarent Domino DEO suo. Exod. 3. v. 18. præmissa, inquam, tridui solitudine, ad inquirendum in seipsum, generalemque confessionem de erratis illius semestris fructuosè peragendam ante Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, renovantur; quo à vetustate, senioque animi præservati, in pristino vigore, ac flore in fervore illo Spiritus quem initio hausimus conservemur. Præclarè enim in Imagine primi sæculi Societatis nostræ lib. 1. cap. 10. Auctor ille sapientissimus: *Alta illa Ignatij mens, quæ nihil non perspexit, videbat in rebus humanis nihil magnum esse & durare, nihil tam firmum, quod paulatim exedendo, non perimerent tempus & vetustas. Neq; enim opera solum manu facta, & ipsam Naturam, sed etiam virtutem & animorum robur, ipsa dies paulatim carpit, & velut occulta teredine sensum fallente, enervat tandem, atq; consumit. Itaq; adversus hanc quoq; temporis violentiam armavit suorum virtutem, ut quamvis illud vincat omnia, hanc tamen expugnare non posset. Armatura hæc, Votorum renovatio est, &c.*

Tridui solitudinem ante votorum renovationem exemplo Israelis præmittit Societas.

Cur bis in Anno publicè vota in Societate renovantur?

155. Et quia inter varia languorem, vetustatem, defectumque virium interioris hominis inducentia, oblivio illa obligationis, quâ nos DEO in holocaustum emissis votis consecravimus, esse consuevit; cùm homo Hebraicâ linguâ *Enos*, hoc est, obliviosus dictus sit, opportunè votorum iteratâ renovatione vitio huic execrando, & ingratitudini, quæ ventus urens exsiccans, rorem Divinæ misericordiæ appellatur à Bernardo, admodum affini, ac cõgenito, obsistitur. Verè enim ut idem loquitur Auctor: *Inter vitæ sanctioris pestes, haud scio an nulla sit nocentior, & tamen occultior, quàm status, ac muneris sui oblivio. Hæc enim velut profunda virtutis omnis, ac pietatis est sepultura, exitiumq; animi fermè adfert, antequam sentitur; nec enim se nisi ipsis quas facit cladibus prodit. Hanc tam capitalem religionis hostem procul arcet, renovata simul cum votis memoria* dignita-

Vota renovantur propter oblivionẽ obligationis quâ sumus DEO adstricti.

Homo Hebraicè vocatus Enos, id est, obliviosus

Pestis gravissima vitæ sanctioris est oblivio suæ obligationis DEO factæ.

dignitatis, ac vitæ Religiosæ.

156. Hinc Sanctus Patriarcha noster Part. 4. const. cap. 4. inter reliquas renovationis Votorum causas, affert detestandam hanc oblivionem, quâ primæ nostræ oblationis, ac sacrificij, fideique Deo Creatori nostro datæ per summum nefas memoriā deponimus. Sic enim ille. *Ad devotionis augmentum, & ad excitandam, quâ DEO obstricti sunt obligationis memoriā, & ad maiorem Studentium in sua vocatione confirmationem, bis annis singulis simplicia vota emiserunt, congruum erit renovare.* Vbi S. Pater vult Renovationem hanc fieri non solùm ad tollendam noxiam illam hominibus cum nomine quasi congenitam oblivionem, detestandamque ingratitudinem; verùm etiam ob duos alios fines mirè utiles, nempè devotionis augmentum, & ad majorem in nostra Vocatione confirmationem.

Tres causæ renovationis votorum à S. Ignatio allatæ.

157. Devotio porrò hæc non consistit in dulcedine quâdam, & suavitate ex rerum piarum exercitatione emanante, sed in ea quam Angelicus Doctor definit 22. q. 82. a. 1. promptam, expeditam, & ardentem animi alacritatem, quæ inimica tarditati, & negligentiæ, incitato quodam, ac pleno vigoris impetu perrumpit quidquid naturæ segnities reformidat, & quidquid in Divino obsequio arduum occurrit. *Devotio dicitur*, inquit ille, *à devovendo; unde devoti dicuntur, qui seipsos quodammodo DEO devovent, ut ei se totaliter subdant. Propter quod & olim apud Gentiles, devoti dicebantur, qui seipsos Idolis devovebant in mortem, pro sui exercitus salute, sicut de duobus Decijs Titus Livius narrat. Vnde devotio nihil est aliud quàm voluntas quædam promptè tradendi se, ad ea quæ pertinent ad DEI famulatum. Hinc Exo. 35. dicitur, quod multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissimâ, ac devotâ primitias Domino.* Ex qua promptitudine, ac Deo famulandi alacritate, ardoreque animi consequitur illa stabilitas in semel arrepto Religiosæ vitæ proposito, ac complexa Religionis Cruce, in qua tribus illis votis, ceù clavis nos spontaneè tam hilari resolutione connximus, ut revera quisque qui ad hanc renovationem votorum sese ritè, uti à Majoribus præscriptum est, disponit, eam fortitudinem, mentisque stabilitatem, quâ pollebat Apostolus, sit fortiturus, ac dicturus dilatato, ardentique corde, atque animo: Quis nos separabit à Charitate Christi, tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an persecutio, an gladius? Certum sum enim, quod neq; mors, neq; vita, neq; ulla creatura me poterit separare à charitate, quæ est in Christo. His similes profectò affectûs, Religiosꝰ ille, qui triduo Divina, peculiari diligētiâ, ardoreq; meditatus cōscientiā suā ad unguē exploravit, clarèq; pspexit suā erga Creatorē tot nominibus obligationem, expenditq; attentius suorum Votorum, quam legit formulam, sentiat intimè reque ipsa experiatur necesse est. *Siquidem Meditatio*, ut idē Angel. docet Doctor art. 3. *est causa devotionis, in quantum per illam homo concipit Divinam Bonitatē, eiusq; beneficia, & suos defectûs, ob quos indiget, ut DEO innitatur, inq; ipso stabiliatur. Hoc auxilio nitebatur David Psal. 120. Levavi oculos meos in montes, unde venit auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum &c.*

Quid sit devotio?

Meditatio est causa devotionis.

158. Sanè Seneca Philosophus lecto dumtaxat Sextij, nescio cujus libro, adeò illuminatus, accensusque fuit, tantam animi fortitudinem, atque constantiam, mentisque stabilitatem expertus, ut Epist. 65. hæc posteritati mandâric: *In quacunq; positione mentis sum, cùm lego Sextium, libet omnes casus provocare, libet exclamare: Quid cessas Fortuna, congredere paratus sum; illius animum induo, qui quærit ubi se experiatur, ubi virtutem suam ostendat:*
Spumantemq; dari, pecora inter inertia votis
Optat Aprū, aut fulvū descendere monte Leonē:
Libet aliquid habere quod vincam, cuius patientia exercear.

159. Quod si Vir Ethnicus unius libri lectione tantam, tamque exaggeratam animi fortitudinem, mentisque indeptus est constantiam, stabilitatemque planè inexpugnabilem: & quid tandem experietur in se Religiosus Societatis crebra hac votorum suorum cum reliquis ei annexis iteratione, formulæque illius quæ plena ardoris est, lectione?

160. Hanc ego formulam meritò dixerim Lapillum illum, quem Echinus imminente gravi maris tempestate arripit, ne turbinibus, marisque jactationibus excutiatur, de quo ita Sanctus Ambrosius lib. 5. Hexam. capite 9. *Echinus animal maritimum, exiguum vile, ac despicabile, plerumq; index futuræ tempestatis, aut tranquillitatis nuncius solet esse navigantibus. Deniq; dum procellam ventorum præsenserit calculum validum arripit, eumq; velut subur-*

Formula Votorum lapillus quo Echinus utitur in maris tempestate, ne excutiatur.

suburram vehit, & tanquam Anchoram trahit, ne excutiatur fluctibus. Iamq; non suis se librat viribus, sed alieno stabilit, & regit pondere. Quo indicio nautæ, velut signo futuræ perturbationis fugam capessunt, & sibi præcavent, ne eos imparatos turbo improvisus inveniat. Quis Mathematicus, quis Astrologus, quivé Chaldæus sic potest, syderum cursus, cœli motus & signa comprehendere? Discimus in tentationibus Lapidem Christum arripiendum, ut Mundi huius fluctibus non demergamur.

Echini sagacitas in prævidenda maris tempestati.

Sit igitur nobis hæc votorum renovatio, illaque ipsorum Formula velut Anchora, quâ in Diaboli excitatis tentationibus, velut procellis, ac turbinibus mens nostra in Deo fundetur, ac stabiliatur. Sit nobis deniq; uti diximus hæc Votorum renovatio Lignū vitæ, quâ humidum radicale Divinæ Gratiæ, concupiscentiæ innato nobis calore deperditum reparetur, & spiritualis juventus nostra in suo vigore veluti nectare, atque ambrosiâ conservetur.

161. Eamdem vim, atque energiam vitam spiritualem in nobis conservandi habere crediderim quotidianas Mysteriorum Vitæ Christi, ejusque Matris Sanctissimæ Meditationes, ac præsertim illas prolixiores, quas quotannis continuis octo, decemúe diebus usurpamus, quæ revera nobis Arbor vitæ esse videntur. Si enim Christus Sapientia æterna, ejusque Mater miseris mortalibus sunt Arbor vitæ, uti de utroque loquens, secundum Richardi à S. Laurentio interpretationem, fatetur Salomon Proverb. 3. *Lignum vitæ est omnibus qui apprehendunt eam, & qui tenuerint eam beati*: certè & attenta rerum præclarissimè ab ipsis in vita gestarum consideratio eamdem vim arboris vitæ habeat in animis nostris, necesse est. Quemadmodum enim dupliciter Arbor illa sustentabat vitam hominis, ut docet Pererius noster, inprimis instar reliquorum fructuum consumptum humorem naturalem vi caloris resarciendo. Deinde humorem naturalem imminutum, ac deperditum redintegrando pari puritate, ac synceritate ei quam primam habuerat in ortu hominis, ipsum etiam calorem naturalem ita corroborando, ut etiamsi continenter agendo, ut fit nonnihil pateretur, beneficio tamen illius fructus ita confirmabatur, ut non flaccesceret, unde senectus proveniret, sed natura humana pristinum illum initio à Deo acceptum vigorem, viriumque robur conservaret: ita planè hæ de vita Christi, ejusque Matris sacræ commentationes consumptum in nobis humidum radicale Spiritus nostri, quod est Gratia, ardore cupiditatum, quæ in membris nostris exæstuant deperditum instaurant, ejusdemque rationis, ac puritatis, cujus erat primus ille, quem primò in Societatem ingressu habueramus calorem naturalem, qui est Charitas, corroborando reponunt, efficiuntque ut vigor Spiritus non flaccescat, sed suum juventutis florē illibatum semper conservet.

Meditationes de vita Christi, & B. V. sunt nobis lignū vitæ

Exercitia spiritualia quotannis iterata cō sumptum humidum radicale instar ligni vitæ reparant.

162. Quare jure merito dicere quis posset hæc Spiritus exercitia hominibus Societatis Nectar esse, quod Suidas ideò sic dictum, eò quod illud bibentes νέους, id est novos, ac Iuvenes faciat: sive à, νη, & κτείνω, quod sonat non interficio, quasi morti, ac interfectioni Nectar potantes obnoxij minimè forēt. Eadē dici possunt, nostra Ambrosia, quod nos primigenio illo Spiritus fervore reddant quasi im̄ortales. Hæc appellare denique possemus celebratum illum ab Homero florem Moly qui morbis; venenis, ac veneficijs præsentissimum erat antidotum, de quo Plin. lib. 25. c. 4. Hinc Homerus in Odyssea K introducit Mercurium Moly florem tanquam Remedium eximium, ut ipse vocat, donantem Vlyssi contra omnia lethalia Circes venena, quo ab interitu præservari possit.

Exercitia spiritus sunt nobis Nectar & Ambrosia.

De Flore hoc ab eodē Mercurio Vlyssi communicato, deque ejus energia venustè Ovid lib. 14 Metam:

Pacifer huic dederat florem Cyllenius album
Moly vocant superi, nigrâ radice tenetur:
Tutus eo, monitisq; simul cœlestibus intrat
Ille domum Circes, & ad insidiosa vocatus
Pocula &c.

Exercitia spiritus nobis sunt Flos Moly contra vitiorum venena.

Tuti sanè nos quoque hac rerum cœlestium commentatione, velut flore Moly, velut præservativo antidoto, adversus omnium vitiorum venena lethifera præmuniti intramus ad quamvis hominum, etiam impurissimorum conversationem, & inde tuti, illæsique, etiam cum bono animarum lucro abscedimus.

163. Dici etiam potest recessum hunc nostrorum annuum, ad vacandum spiritualibus exercitijs esse, Nili quandam copiosissimam inundationem qua Ægypti conteguntur, ac fœcundantur arua, ut abundantiore aquarum redundantia irrigata uberiores, lætitioresque fructus

Exercitia spiritualia similia Nili inundatini qua arua fœcundantur

fructûs in vitę æternæ horrea convehant. Quare unusquisque nostrum secretiori cubiculi sui reconditus solitudine, ac silentio jure usurpare potest illud quod Emblemati Nili undequaque sese per arua longè, latèque diffundentis Auctor primi sæculi Societatis lib. 1. præfixit lemma:

DVM CONDOR FOECVNDOR.

164. Neque verò media hæc dumtaxat tam utilia, tamque efficacia ad sese in suo virore, ac vigore conservandam usurpat Societas, usurpat & alia, quæ licet prima fronte aspera, ac minùs æqua videantur, sunt tamen mirè ad spiritum fovendum, hominesque nostros in officio continendos peridonea, inter quæ est crebra visitatio, & consueta illa personarum prævaricantium, atque improbarum, quo bono Nomini Ordinis nostri consulatur, dimissio. Quemadmodum enim Vniversornm Conditor benignissimus quamdiu Protoplastus noster primigeniam innocentiam, morumque integritatem illibatam conservavit, Paradisi incola extitit, & mox ubi Dei jussa, per summum nefas est transgressus, ex illo amœnissimo deliciarum loco ab eodem Creatore exturbatus est: Sic Societatis supremum Caput ipse Præpositus Generalis, pro plenitudine illa scientiæ Cherubicam imitante, quam de personis habet Societatis, re maturo consilio expensâ, hujusmodi homines, ut ex hoc Religionis Paradiso dimittantur Domini decernit exemplo; de quo Moyses Gen. 3. v. 23. *Et emisit*, inquit, *eum Dominus DEVS de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram*: Quæ profectò sententia jure comparari potest romphææ illi ignitæ, quâ Cherubinus quodammodo Adamum percussum, inde abire compulit: Vnde ibidem dicitur: *Eiecitq; Adam, & collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim & flammeum gladium, atq; versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Hæc enim Adæ ejectio vel immediatè à Deo ipso, vel mediante Cherubino flammeum gladium vibrante facta est, ut docet Benedictus Fernandius in cap. 3. Gen. sect. 42. Vnde Procopius: *Adamus*, inquit, *flammante & versatili gladio è Paradiso eiectus est.* Atque ita hac etiam in parte minima Societas nostra Paradisum, Divinamque Iustitiam imitatur, quâ homines improbi, veluti putrida membra, ne alia sana inficiant, resecantur.

Dimissio hominum inutilium conservat Societatē.

Dimissio ex Societ. est flāmeus gladius.

Cherubinus Adamum flammeo gladio è Paradiso expulit.

165. Quare aptè hic usurpare possumus, quod Ioan. Mauburnus Abb. in suo Roseto de Religiosissimo Carthusiensium Ordine pronunciavit: *Si in singulis domibus per singulos annos invisitatione excessûs, tam in capitibus, quàm in membris ritè corrigerentur, non tanti defectûs & scandala, aut dissolutiones suborirentur. Impunitas namq; excessuum, incentivum præstat, & casum vitiorum. Patet istud in sacra Carthusiensium Religione, quæ maximè stetisse invenitur, præter cæteras Religiones, ob strenuam, ut fertur, visitationum observantiam, iuxta illud:*

Per tria Sil, Sol, Vi, Carthusia permanet in Vi: Quasi diceret per silentiū, solitudinem & visitationem Carthusien: se in suo vigore conservant. Hinc Gregor. XIV. consilium hoc Societatis laudavit atque approbavit, & omnem illam votorum obligationem tollendi potestatem denuò Anno 1591. confirmavit; *Eam*, inquiens, *ratam & intactam esse volumus, tanquam rem magni Momenti ad Societatis puritatem, & conservationem retinendam.*

Carthusiensis Ordo se in primo vigore conservavit solitudine, silentio, Visitatione.

166. Quod profectò dum facimus primigeniam illam puritatem, animique integritatem, quam ab ipsis nascentis Societatis hausimus initijs conservamus, dum hujusmodi sordes, ac quisquilias eijcimus. Præclarè Humbertus V. Generalis Ordinis Prædicatorum, Vir pietate, ac Sapientiâ cœlesti clarissimus: *Oportet*, inquit, *ut Religio despumetur, ad hoc, ut in sua puritate servetur; ubi nulla est despumatio, est impuritas multa.* Hinc ejusdem Sacri Ordinis P. Ludovicus Granatensis Vir Religiosissimus, dimissionem hanc instrumentum illud, quo evacuatur, purgaturque navium sentina vocitavit. Hinc alij Societatem mari comparant, quod putrida cadavera eijcit. Quare idem revera rursus dici potest de nobis, quod Iacobus Cardinalis de Vitriaco de Venerabili PP. Carthusiensium Ordine pronunciavit: *Carthusianæ Religionis rigor districtionis, tanquam fornax Spiritus S. aurum purgans, & scoriam ex argento separans, falsos fratres diu retinere non potest. Vnde cella comparatur mari, quod morticinum quantocius poterit proijcit.*

Dimissio est Religionis despumatio.

Societas mari similis quod cadavera eijcit.

167. Dimissionem hanc denique jure appellare possumus falcem agricolæ vites putantis, quo feraciores fructus producat. Verissimum enim est, quod Veritas ipsa pronunciavit: *Ego sum Vitis vera, & Pater meus agricola est; omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum,* & om-

Dimissio falx agricolæ vites putantis.

& omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructuum plus afferat. Nimirum Societas nostra Vitis est, in IESVM, velut alteram Cœlestis Paradisi Vitem feracissimam insita, quæ beneficio ipsius, apportat fructus mirificos, dum cœlestis agricola per suos ministros Vitem hanc putat, inutilesque palmites resecat, unde nobis semper tempus putationis, quocunque tandem anni tempore advenit. Hæc denique Societas, in IESVM inserta, atque insita, est Vinea illa, de qua Dominum canebat David Ps. 79. *Plantasti radices eius, & implevit terram. Operuit montes umbra ejus, & arbusta ejus Cedros DEI. Extendit palmites suos usq; ad mare, & usq; ad flumen propagines ejus.* Quæ sanè Vinea longe, lateque toto orbe non ad ultimam Thulem, sed ad antipodas ad nouũ orbem, ad sola terrarum ultimarum dilatata, si hac falce, palmitumque hujusmodi inutilium destituta esset resectione, & quem tandem fructum, suo referret Domino? Quare bellè idem sæculi Primi, Societatis Auctor rem hanc indicavit, dum Emblemate quodam Vitem ab agricola falce purgatã, hoc præfixo lemmate, repræsentat:

Societas Vitis in in veram Vitẽ Christũ inserta facit bonos fruct9

Vineæ Societatis ãplitudo.

NIL DABIT INDE MINVS.

Vnde fructuum Vitis hujus ubertatem, quæ ex hac palmitum precisione subsecuta est demirans, sic eã alloquitur:

Sed tu, fabor enim, Lojolæ ò clara propago,
Vinea, nos simili fertilitate beas.
Vndiq; diffusis comples virtutibus orbem;
Nulla tuis usquam fructibus ora caret.
Tempore quemq; suo resεces, licet undiq; ramũ,
Si qua fides viti est, nil dabit inde minus.

Societas per dimissionem putata & purgata uberiores fructûs reddit.

168 Hæc deniq; Viti huic Societatis nostræ putatio adeo congruit, adeo cõnaturalis est, ut eam vel ipso nomine indicare, ac mandare videatur. Si enim literas hasce: SOCIETAS IESV transposueris, pulcherrimum hoc Anagramma confeceris:

Societatis Iesu Anagramma.

VITIOSA SECES.

Ad quod faciendum nos sanctus invitat Bern. ser. 58 in Cant. ponderans dictum Sponsi: *Tempus putationis aduenit: Ad vineas ergo excolendas ducitur*, inquit ille, *quæ ut possint uberioribus fructibus, respondere colonis, ante omnia necesse est sarmenta sterilia proyci, succidi noxia, putari superflua. Et Vineas quidem animas esse, vel Ecclesias, alias dictum est. Ad eas reuisendas, corrigendas, instruendas, saluandas Anima perfectior inuitatur, quæ tamen id ministery sortita est, non sua ambitione, sed vocata à DEO tanquam Aaron;* quales sunt reuera Vineæ, sive Societatis hujuscé Præpositi, qui mira vigilantia excubant, *ne vitijs virtus suffocetur*, ut loquitur idem Bernardus. *Vnum*, addit, *in tanto discrimine consilium est, obseruare diligenter, & mox ut renascentium capita apparebunt, promptâ seueritate succidere. Non potest virtus cum vitijs pariter crescere. ergo ut illa vigeat, ista crescere non sinantur. Tolle superflua, & salubria surgunt.* concludit tandem; *Demus ergo operam putationi.*

Societati semper tempus est putationis

Virtus cũ vitijs crescere nequit.

169. Eamdem hanc improborum amputationem atque à nobis dimissionem jure quispiam argenteum, aureumvé quoddam Dentisscalpium vocare posset, quo dentes à putredine purgantur, & in suo nitore, puritateque conservantur. Notissimum est ab eodem D. Bernardo Religiosorum Ordines dentibus Sponsæ, oviumque comparari: qui inter reliquas proprietates habent illã; quæ mirè Ordini nostro congruit, quod carnem intra se, id est carnales, sensuique deditos homines pati nequeat. De his igitur dentibus Sponsæ sic disserit Bernardus, serm. 64. ex Paruis, explicans illud Sponsi Dilectæ suæ attributũ elogium Cant. 4. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* Quæ omnia bellè Ordini etiam nostro conveniunt, uti videbimus: *Dentes isti lacte candidiores sunt*, inquit: *Quippe Sponsæ sunt, cuius speciem concupiuit Altissimus, quæ non habet maculam, neq; rugam. Cum enim tota candida sit, candidior probatur in dentibus. In his aliquid arcanum significatur.* Tum eorum varijs proprietatibus recensitis, ita prosequitur: *Hujusmodi dentes ego arbitror homines Monasticæ professionis; qui viam compendiosiorem, & securiorem vitam eligentes, de toto Ecclesiæ corpore, quod candidum est, candidiores esse videntur. Quid enim illis candidius, qui totius immundicias spurciciei euitantes, cogitationum, sicut actionum peccata deplorant? Quid fortius illis, quibus tribulatio, pro solatio; contumelia, pro gloria; inopia, pro abundantia ducitur? Isti carnem non habent quia in carne, carnem obliti, audiunt ab Apostolo Rom. 8. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu. Corio carent, quia nitorem, & distensionem mundanarum solicitudinum non habentes, in pace, in id ipsum dormiunt, & requiescunt. Nil morari intra se patiuntur, quia nec modicum quidem offendiculum tolerabile reputant, aut intra se, aut in Conscientijs singulorum,*

Dimissio aureum Dentis-scalpium; quo dẽtes purgãtur;

Homines sensui deditos non fert Societas.

Ordines Religiosi sunt candidi Dentes Spõsæ;

Dẽtes car nem non habẽt, nec aliquid carnis intra se esse patiuntur; quia Religio carnales abhortet, & eijcit.

Hinc

Hinc est illa vestra opportuna importunitas, qua tam sæpe fatigatis nos, ut multocies etiam cum necesse non sit, multum in his diei expendatis. Non est dolor, sicut est dolor eorum, quia nihil tam horrendum est, ac horribile, sicut murmur, ac dissensio in congregatione. Clausi sunt labys ne videantur, sic & nos materialibus vallis circumcingimur, ne sæcularium oculis, & accessui pateamus. Indecens est si appareant, nisi interdum forte ad risum, quia nihil turpius quã Monachus per urbes, & castella discurrens, nisi cum illa coegit, quæ operit multitudinem peccatorum. Charitas enim risus est, quia hilaris est. Læta quidem, non tamen dissoluta. Toti corpori masticant cibum dentes, quia ipsi pro toto Ecclesiæ corpore, videlicet tam vivis, quam mortuis orare sunt constituti. Nullum inde saporem habere debent, nullum sibi gloriam assignare, sed dicere cum Propheta: Non nobis Domine non nobis, sed Nomini tuo da gloriam. Non facile consumuntur, quia quanto annosiores, tanto ferventiores, & eo rapidius currunt, quo vicinius appropinquant ad palmam. Per ordinem positi sunt. Ubi enim aliquid ordinatum est, si hic non est, ubi cibus, & potus, vigilare, & dormire, laborare, & quiescere, ambulare, & sedere, & cætera omnia in numero, & mensura, & pondere constituuntur? Superiores, & inferiores sunt, quia inter nos Prælati, & subditi sunt; & sic superiores inferioribus junguntur, ut inferiores à superioribus non discordent. Cum autem inferiores moveantur, superiores nunquam moveri debent, quia etsi subditi quandoq; turbentur, Prælatorum est in mente composita perdurare. Sicut greges tonsarum inquit. Quam bene Monachi (idem dicamus nos de Iesuitis) tonsis ovibus comparantur, quia revera tonsi sunt, quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum in proprietate relictum est. Quæ ascenderunt de lavacro. Lavacrum baptismus est, de quo ascendit, qui ad celsitudinem vitæ perfectioris intendit. Descendit autem, qui se vitæ mancipat inhonestæ. Omnes gemellis fœtibus; quia & verbo pariunt, & exemplo, & sterilis non est in eis, quia nullus est infœcundus. Hæc Bernard.

Religiosorum clausura.

Religiosorum occupatio est orare pro vivis, & defunctis.

Ordo mirus in Religionibus

Superiores, & subditi dentibus notantur.

Quibus profecto suis coloribus mirificè minimam hanc Societatem nostram descripsit, & maximè in eo, quod nihil intra sese alienum à se patiantur, sed mox excutere, dimissione illa jam inde à primis suis pene incunabulis consueta enitatur, quo totum corpus in suo vigore, bonaq; habitudine primigeniaq; integritate conservetur. primamque illam Protoplastorum originalis justitiæ atque innocentiæ, quæ in Paradiso floruit puritatem quodammodo repræsentet; ac proinde Religio hæc nostra jure vocari possit emissus à Virgine in hanc lucem pulcherrimus terræ Paradisus.

Societati dentium Sponsæ proprietates conveniunt.

170. Eadem hæc Societas jure etiam dicitur Malum Punicum à Virgine huic mundo, ad eundem venustandum emissum. Per hoc enim sicut, teste Ludovico Alchazar nostro, urbes, ac Regna, ita quoque Religiosi ordines, ac speciatim Societas nostra, quæ Monarchiâ regitur, per coronã hujus fructus, denotatã, repræsentatur. Hinc Gilbertus Abbas in Cant: sacra Religiosorum cœnobia Malis Punicis comparavit. Et sane merito nos Ordinem nostrum Malum esse Punicũ emissum à Virgine asseveramus. Quemadmodum enim fructus hic admirabilis Corona Regia redimitur, & cortice purpureo velut paludamento contegitur: sic Societas Reginæ cœlorum patrocinio coronatur, atque protegitur. Unde S. Ephrem Syrus illam nostram Coronam, gloriam, ac gaudium appellavit. Et quemadmodum Malum Punicum sub sua Corona Regia coccineoque cortice, rubentium granorum ingentem, arctissimè sibi junctorum nobis ostendit, pulcherrimo ordine digestam multitudinem; ita Societas nostra selectissimarum personarũ verecundiæ, pudicitiæque venusto quodam rubore suffusam, intimeque mutuo amoris vinculo sibi astrictam, sub Regia Corona, ac paludamento, protectione videlicet IESU Regis nostri, & MARIÆ Reginæ ejus Matris repræsentat, cohortem ad Mundi, totiusque Inferni potentiam debellandam. Unde S. Xaverius Indiarum Apostolus lib. 2. Epist. scribens ad S. P. Ignatiũ ab hoc amore mutuo descripsit Societatem. Cum enim præmisisset suum de Nostris indulgenter, ac benignè habendis judicium: *Aptos*, inquiens, *& idoneos ad Societatem benevolè, ac leniter tractandos, ut charitate devincti, in ea conserventur, & virtutibus, & meritis augeantur, præsertim vero cum in hisce locis tantum ærumnarum Christi Domini nostri causa perferant;* ubi, inquam, hæc præmisisset, ita Societatem nostram definivit atque descripsit: *Et sane mihi videtur Societas IESUS nihil est aliud, quam Societas amoris, atq; concordiæ, à qua profecto acerbitas, ac timor servilis longissime abhorret;* Quæ sane sancti Patris sententia est sapientissima. Noverat enim primarium hujus Societ. Ducem, IESUM, ut &

Societas IESU Malũ Punicum emissum à B. V.

Societas IESU, & Societas amoris ajebat S. Xaverius.

ut & Matrem ejus MARIAM totos esse Amores, & ipsius Charitatis, virtutum omnium Reginæ, amantissimos. Vnde quid mirum si Societatem amoris, Societatem nostram prædicauit? Quam ego charitatem, Societatis jure dixerim Coronam, qua velut Malum Punicum peruenustè coronatur, totique orbi non vulgarem decore suo parit admirationem, ipsique Ecclesiæ venustatem. Quæ profecto nobis, si sub corona, & protectione IESV, ac MARIÆ securi viuere desideramus summo studio complectenda est, eorundemque tot, tamque illustribus charitatis nobis relictis vestigijs insistendum. Præclarè enim Magnus iste Areopagita Dionysius nos monuit lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. *Oportet nos si ad illius, scilicet IESV Societatem aspiramus Diuinam ipsius in carne vitam intueri assiduè, sanctumq; ipsius impeccantiam imitando pro viribus, ad sacratiorem habitum, exactissimamq; recurrere intelligentiam, ita enim conuenientem nobis Societatem ad similem consortium largietur.* Ad Charitatem hanc fortasse fraternam oculum habuerit, Vir ille nobilis, qui ex Vrbe domum reversus Anno prioris sæculi 63. quæsitus à nonnullis, quid vidisset Romæ pulcherrimum? respondisse memoratur: *Societatem IESV.* Ex Annis 1563. Adeo eximiæ hujus charitatis Sociorum splendor oculos ejus perstrinxerat.

Charitas est Aurea Corona Societatis

Charitas, & aliæ virtutes vitæ Christi Societati imitandæ.

Res olim Romæ visa pulcherrima, Societas Iesu

171. Ob hanc mutuam, quæ inter nos velut in Christo Fratres intercedit, charitatem, censent aliqui, ut est Rutilius Benzonius Episc. Lauretanus, Ioachimū Abbatem Florensem, Ordinis S. Benedicti insigne jubar, ac ornamentum, sub Philadelphiæ Angelo in cap. 3. Apoc. par. 1. fol. 83. de Ordine nostro tanquā fraternæ charitatis studiosissimo illud celeberrimum protulisse Vaticinium: *Oportet Ecclesiam concipere nouum quendam spiritualem intellectum, siue etiam promissionis filios, & prolem præ cæteris spiritualem, hoc est ipsum Ordinem, quem designat Iesus, qui videlicet Ordo præ multis alijs, qui præcesserunt eū, amabilis, & præclarus, infra limitem quidem secundi status initiandus est, hoc est in tempore sexto, si tamen usq; adhuc non est in aliquibus initiatus, quod tamen adhuc mihi non constat, quia initia semper obscura, & contemptibilia sunt; multiplicandus vero, & dilatandus in tertio illo statu sæculi, qui in tempore nouissimo futurus est.* Et infra paucis intercalatis: *Qui quidem Ordo à sexto tempore secundi status accepturus est suum initium, sed in tempore magis tertij consequuturus est augmentum. Magna sunt nimis hæc mysteria, & diligenti scrutatione pensanda.* Hæc ille. Vbi observandum ex Viegas in Apoc. Primum statum à Ioachimo illum intelligi, qui fuit ab Abrahamo, sive à Iacob usque ad Ioan. Bapt. Secundum à Ioanne usque ad tempus plenitudinis Gentium, aut conversionis Israël, aut ad sua circiter tempora, atque ita finem secundi status non plane definit. Tertium denique inde usque ad finem Mundi. Sextum vero tempus, vel sextam ætatem secundum aliam suam diuisionem facit à Christo, usque ad finem mundi, in quo duo posteriores status includuntur.

Per Angelum Philadelphiæ Societas IESV figurata.

Prophetia Ioachimi Abbatis de Societate IESV.

172. Ob eandem fraternam charitatem atque unionem, quæ in Societate veluti Malo granato repræsentatur, aliqui Vaticinium illud, quod S. Vincentius Ord. Prædic. clarissimū sydus lib. de Instructione vitæ spirit. circa finem posteritati mandavit nobis applicant. Sic igitur ille: *Tria sunt à nobis singulariter, & quasi assiduè meditanda. Primum Christus Crucifixus, Incarnatus. Secundum status Apostolorum, & Fratrum præteritorum nostri Ordinis, & hoc cum desiderio, ut illis conformemur. Tertium status Virorum Euangelicorum futurus. & hoc debes die, noctuq; meditari, scilicet statum pauperrimorum, simplicissimorum, & mansuetorum, humilium, abiectorum, Charitate ardentissima sibi conjunctorum, nihil cogitantium, aut loquentium, nec saporantium nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum, nec de hoc mundo curantium, suiq; oblitorum, supernam DEI, & beatorum gloriam contemplantium, & ad eam medullitus suspirantium & ob ipsius amorem semper mortem sperantium, & ad instar Pauli dicentium: Cupio dissolui, & esse cum Christo, & innumerabiles, ac inæstimabiles thesauros diuitiarum cœlestium, & super dulces, & mellifluos riuos diuitiarum, suauitatum, & jucunditatum, & super omnia mirabiliter expansos, & super infusos. Et per conuersationes debes imaginari eos ipsos, ut cantantes Canticum Angelorum, cum jubilo citharizantium in citharis cordis sui. Hæc imaginatio ducet te plusquam credi potest in quoddam impatiens desiderium aduentus illorum temporum.* Hæc S. Vincentius; quæ nos in nobis, ut pote omnium minimi minimè reperimus licet Viri graues pro suo in nos affectu, hæc omnia Societati nostræ applicuerint. Quare

Prophetia S. Vincentij de Societate Iesu, ut aliqui volūt.

P. Blasij Viegas circa laudes Societatis modestia.

P. noster Blasius Viegas praeclarè pro sua modestia circa hoc Vaticinium pronunciavit: *Sunt sane hac ita magna, & praclara, ut ob eorum magnitudinem summa sit arrogantia velle quempiam eorum partem vel minimam sibi assumere, magnaq; prater modum fuerit illorum pietas, qui tam praclarum Vaticinium posse in nostram Societatem cadere sibi in animum induxerunt.*

Alia Prophetia Ioachimi Abbatis de Societate

173. Idem Ioachimus interpretans visionem illam Ioannis cap. 14. Apoc. *Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam;* vaticinatur futurum Ordinem Iustorum, cui datum sit perfectè imitari vitam Filij hominis, collecturúq; in aream Domini ultimam messem, qui bene dicitur, inquit, sedere super nubem propter contemplationem. Futurum denique ait Ordinem hunc perfectorum Virorum seruantium vitam Christi, & Apostolorum. Hoc etiam Vaticinium Rutilius Benzonius Societati nostrae attribuit, cum rubore nostro, neque enim tali dignamur honore. Conemur interim pro modulo nostro, IESV adjuvante, sub cujus signis militamus, elogia tam insignia factis repraesentare, ac praesertim vitam, actiones, virtutes, ardentemque charitatem Filij hominis, quam verè auream Coronam Ordinis nostri, ceu Mali Punici esse censuerim, ut paulo ante memoraui. Et hoc fortassis fuerit Diadema illud magni splendoris, quod habuisse in capite P. Balthasarem Alvarez suum Confessarium vidit S. Teresia, toto tempore ipsius sacri; quod illa audiebat. Denique falcem illam acutam dicere possumus esse Dimissionem; quâ velut falce inutiles palmites in Vite tolluntur, ut reliqui plus fructuum adferant.

P. Balthasar Aluarez ob charitatē, coronâ aureâ redimitus in sacro.

174. Hanc porro Coronam post IESVM inclytum Ducem nostrum, à Matre pulchrae dilectionis nobis impositā fuisse existimandum est; Convenientissimum quippe fuit, ut quemadmodum illa Societatem, velut Paradisum, ac Malum Punicum in lucem emisit, sic eandem praeclarissimo hoc fraternae charitatis diademate vere aureo, vere Regio coronaret, eique omnium perfectionum, ac virtutum Charitate hac, quae Regina virtutum praedicatur à Patribus, daret complementum. Nimirum MARIA, ipsissima est Charitas, ut eam S. Nyssenus appellat, sicut & ipse ejus Filius IESVS, qui cum sit DEVS, est ipsa quoque Charitas. Nam DEVS Charitas est. Cum igitur Amores hi dulcissimi atque Divinissimi tantopere hanc dilexerint Societatem, velut charissimam Filiam, eam quoque sibi similem in charitate facere voluisse visi sunt. Amor enim aut similes inuenit aut facit. Conspirarunt profectò coelestes hi Amores voluntate propensissima atque ardentissimâ in ornando, perficiendo, ac venustando hoc tam insigni opere, quod ipsi Divino plane magisterio inchoarunt. Nam, quemadmodum Auctor Primi Societatis Saeculi lib. 1. cap. 5. loquitur: *Amantium inter se studia non tendunt in diuersum; ut idem protinus amet uterq;, satis est amor alterius; rapit is secum amici animum, ac vota quocunq; fertur. Nec enim animos tantum inter se jungit, sed eosdem facit; ita ut nec possint velle contraria, & tamen amare. Vt enim unica voluntas à se diuelli non potest, nec potest non amare, quod amat: ita nec verè inter se amantium affectus dissidere potest, quia unus, quia idem est. Et hic dulcissimus amoris fructus est, imò ipse amor, idem velle, idem amare. Quid vero mutuo amore conjunctius quam* IESVS, *&* MARIA? *Ergo Societatem, quam amat* IESVS, *amat* MARIA. *Cui* IESVS *est propitius, propitia est* MARIA. *Quam* IESVS *fovet, tuetur, suam vocat; fovet, tuetur, suam vocat* MARIA. *Certè cum* IESV *suo beneficijs in illum certat, & ita quidem, ut quamvis superare illum benefaciendo non possit, ejus tamen beneficia vel impetrando, vel ad Societatem transmittendo, faciat sua.* Tandem pulcherrima hac, vereque aurea coronide, acclamatoria gratiosum hunc suum cōcludit discursum: *Foelix ergo Societas, in quam tam dulcis certaminis fructus redundat, cui, ut benefaciant, certant* IESVS, *&* MARIA. *Parum dixi: Societas* IESV *quanta quanta est beneficium est* MARIAE, *quia* MARIAE *debet Ignatium, & in Ignatio se totam.* Haec ille perelleganter, & ad spiritum suavissimè planè, ac sapidissimè; Quare hoc duplici amore, & misericordia IESV, & MARIAE, quasi aureâ corona redimita Societas jure concinere potest: cum alijs, uti supra diximus, Religiosis ordinibus: *Benedic anima mea Dominum, & omnia qua intra me sunt Nomini sancto eius, qui coronat te in misericordia, & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum.*

IESVS, & MARIA in ornanda Societate cōspiratse visi sunt.

Corona charitatis à Matre pulchrę dilectionis Societati donata post Christum.

Societas tota quanta est beneficiū est MARIAE.

175. Quod si ipsum primarium Societatis Auctorem IESVM, ut Filius est

MARIAE

MARIÆ consideremus, hunc etiam præter iam dictam Charitatem debemus MARIÆ, utpotè quem illa nobis, & in totius Mundi Salutem edidit, nosque omnibus cœli bonis locupletavit, exornavitque, ita ut revera possimus dicere Virginem hanc gloriosissimam, quemadmodum toti Universo, sic etiam minimæ hujus Societati, decus, ornamentum, venustatem, verbo, perfectionum omnium donasse Complementum; & illud quidem copiosum, adeò, ut & cum reliquis abundè, ad DEI gloriam amplificandam communicare possit, uti verè communicat, & toti huic, & novo etiam Orbi ad usque sola terrarum ultimarum. Quod quam plurimis comprobari potest testibus.

176. Hos inter prima fit S. Teresia Virgo æquè Sapientissima, ac Sanctissima, quæ de bonis hiscé cœlitus Societati tantâ copiâ cõmunicatis cũ participasset, DEI dona in se collata ita prædicavit: *Fuit propter maius bonum meum, ut ego cognoscerem & tractarem cum gente adeò sancta, qualis est Societas IESV. Laudatus sit Dominus quod mihi dederit gratiam obediendi meis Confessarijs, qui quasi semper fuerunt isti benedicti homines Societatis IESV. Habitabam propè illos, gaudendo valdè quod tractarẽ frequenter cum illis, quia tantum cognoscendo Sanctitatem illorum conversationis, erat magnus profectus, quem anima mea sentiebat; cæpit postea anima mea sentire manifestam meliorationem, sicut nunc dicam.* Ex vita S. Ter. Romæ impressa 1601.

S. Teresiæ de Societate IESU opinio.

177. Eumdem animum erga Societatem ostendit eadem hæc Sancta in quadam Epistola data An. 1568. ad Christophorum Rodriquez de Moya, cùm ille erigere cuperet Cœnobium Discalceatarum Virginum, in idque suas filias ipse inducere, eâ tantum lege, ut Societatis directioni tam filiæ, quàm reliquæ illius Monasterij Virgines subjacerent, cui Sancta Teresia ita respondit: *Homines Societatis IESV sunt mei Patres, quibus post DEUM debet anima mea bonum omne, si quod habet. Filiabus tuis afficior ex eo, quod intelligam eas cum Patribus istis agere solitas, nec enim quavis, Spirituales licet sint, illico conveniunt nostro Instituto, nisi quibus illi à Confessionibus sunt, quales sunt propemodum omnes Monasteriorum nostrorum Alumnæ: neq; memini ullam recepisse me, quæ non esset illorum filia, quadoquidem eæ præsertim nobis aptæ sunt. Equidem gratias ago DEO, quod eorum qui me genuere Patrum Spiritus meæ in Cœnobia, ab iisdem transfusus sit. Itaq; Reverendissimus Generalis noster nuper hac transiens, ita præcepit; ut Patres Societatis exhortationes haberent ad nostras, nec ullius auctoritate prohiberi possent, absolverentq; passim confiteri cupientes. Obstare quidem Constitutiones eorum, non vetare tamen, quo minùs interdum id fiat, nobisq; inter agendum rectè consulant; quod faciunt magno cum fructu. Desiderium tuarum filiarum, ut novum illud Cœnobium tuum Patrum curæ subjiciant, idem & meum est. Scito tamen illos id non admissuros, esset licet Principũ fœminarũ, qualia modo vellent, ex hoc multa haberent, adeòq; quod optas fieri non potest. Benedictus sit DEVS, habere nos præ alijs libertatem agendi cum Patribus istis, quam nec auferet ullus unquam, nec aufert.*

S. Teresia ait se post DEUM Societati debere bonum omne.

Generalis Patrum Carmelitanorum de Societate nostra opinio.

178. Eadem S. Teresia experientia docta, quot bonis spiritualibus ex conversatione nostrorum Patrum fuerit locupletata atque completa mirificè affecta fuit erga P. Balthasarem Alvarez suum Confessarium; unde interrogata à quadam sua Moniali; an sibi expediret cum Sancto isto Balthasare agere? respondit: *Magna DEI erga te esset misericordia; nam talis est, cui anima mea præ alijs omnibus plùs debet in hac vita, & qui præ alijs adiuvit me, ac direxit in via ad pfectionẽ.*

179. Neque verò Virgo hæc in DEUM pientissima affectum hunc in Societatem cum vita terminavit, quin imò auxit. Multis enim annis post mortem apparens cuidam famulæ DEI sibi admodum devotæ probatæ virtutis, ac fidei, volens ipsam in quadam magna afflictione solari, inter alia multa hæc verba ei dixit: *Et ego sum Filia Societatis; habui in ea Confessarium, quem nunc in cœlo & agnosco & veneror.* Quod intellexit de P. Alvarez. Nam etsi alios quoque ex Societate Confessarios habuit, hic tamen diuturnior fuit, ipsamque magna cura præ alijs juvit, ad præcelsa sua desideria executioni mandanda; & de quo ipsa gloriabatur, quod Confessarium & Magistrum eum habuerit.

S. Teresia jam in cœlis beata fatetur se esse Societatis Filiã.

A quo inter innumera alia cœli lumina, illud singularissimum hausit, quod ei initium intimæ, & majoris cum Domino familiaritatis, & arctissimæ necessitudinis extitit, ut legêre est in vitâ P. Balthasaris. Quâ de re luculenter R.P. Joannes à IESU MARIA Discalceatus n Compendio Vitæ ejus lib. I. cap. 10. *Sub id tempus, inquit, eius Confessarius Abulâ di-*

P. Balthasar Alvarez quibus documentis S. Teresiam erudierit ad melius proficiendum in spiritu.

là discessit; quod eam, non parum afflixit ratam vix alium ex sententia successurum. Adfuit tamen alius ex eadem Societate, qui cùm animadverteret, B. V. Teresiam pro ingenij nobilitate ijs, à quibus diligebatur amicitiæ professione, vicem rependere, quæ affectum erga Divina diminuere posset, suadere cæpit, ijs necessitudinibus nuntium remmitteret. Res subaustera visa est; obtendebat enim ingratitudinem. At Pater ille orandum dixit, & Spiritus S. Hymnum per dies aliquot, ad lucem impetrandam iniunxit. Avidè rem aggressa est, & die quâdam cum pro re longiùs orasset, subitaneo raptu, quem usque ad id tempus experta non fuerat, propè sensibus alienata in animæ centro audivit verba hæc: Nolo iam cum hominibus sed cum Angelis familariter verseris. Quæ sanè verba cordi Virginis robur tantum indiderunt, ut quod annis plurimis, navitate multa, consilijs opportunis nequiverat, momento uno peregerit. Hinc clementissimus DEUS eam alloqui cæpit, & creberrimè consuevit. Sic ille.

Particularibus amicitijs à Religiosis nuncius remittendus.

S. Teresiæ profectus in virtutibus postquã amicitijs privatis valedixit.

De affectu peculiari Sacræ hujus Virginis in Societatem nostram ob spiritales fructûs, quos ex nostrorum conversatione degustavit, singularemque profectum in virtutibus, intimaque cum Deo unione, quam experta fuit, vide in Gloria S. Ignatij cap. 19.

180. De eodem perfectionis, virtutumque omnium Complemento Societati à Deipara adeò copiosè impertito participavit S. Carolus Cardinalis Boromæus, siquidem, ut reliqua brevitatis amore sileam, exercitijs illis spiritus (quæ S. Ignatius dictante B. V. uti suprà diximus, in secessu illo suo Maresano, post octo dierum in ecstasim raptum, in quo etiam creditur Ideam hanc condendæ Societatis accepisse Divinitus, conscripsit) sub nostrorum Patrum directione non semel animum excoluit, ac in primis quidem in Domo Professa Romana antequam primum Missæ Sacrificium Deo offerret. Deinde ubi cerimoniâ solenni, prima Deo libamina, ut publicæ pietati serviret. Eadem iteravit cùm ab avunculo evocatus Romam disposuit se pro Anno Iubilæi, ad ejus recipiendam gratiam. Iturus in Sabaudiam ad visitandam Sacram Christi D. N. Syndonem, P. Franciscum Adornum Socium esse voluit, ut eo in spiritualibus exercitijs directore uteretur. Aliam peregrinationem inchoaturus ad Montem Varallũ Mysterijs Dominicæ Passionis ornatum, eundem P. Adornum adesse voluit, ut ab eo in vitæ suæ spiritualibus exercitationibus dirigeretur, & puncta meditationis dictarentur. Vltimo denique Mense ante mortem Sanctis hiscé exercitijs ad postremam illam luctam animum suum exercere voluit eodem Francisco Adorno directore, cujus obedientiæ sese ut regeretur, subjecit tanquam homini sanctæ vitæ, & multæ experientiæ in rebus Spiritus, & regimine animarum. In quo sacro secessu, magnâ cum humilitate, & charitate Sanctus Cardinalis ante diem ferebat Lumen P. Adorno, ut is deinde excitaret familiam, quæ eadem spiritualia exercitia jussu Cardinalis ibidem faciebat. Tandem in postremis vitæ suæ horis usque ad ultimam periodum in qualibet re requirebat consilium Patris Adorni, & dependebat in omnibus, ab ejus obedientia, tanquam Patris sui spiritualis, qui etiam morienti adstitit, Crucifixum in manu tenens, resque Divinas in memoriam revocans. Terminata hâc miserâ vitâ fœlicissimè S. Cardinalis, postquam P. Adornus Domum concessisset, eadem ei nocte sese visendum exhibuit, Pontificio refulgens habitu, vultu læto, & gloriâ splendidus, Patremque Adornum ita affatus est: *Dominus mortificat, Dominus vivificat. Ego benè habeo; & tu etiam cito me sequeris.* Atque ita intra paucos Menses P. Adornus vitam hanc mortalem cum meliori, atque æviterna gloria, magnâ opinione Sanctitatis commutavit. Plura qui volet de Sanctissimo hoc Antistite, Societatis operâ mirificè virtutibus exculto, Gloriam S. Ignatij cap. 21. consulat, quo in libello cap. 20. similiter ostenditur quantum Sanctissimus Vir ille Philippus Nerius Congregationis Oratorij Fundator in Religiosa perfectione, Sanctitateque Confessarij Societ. Iesu industria, & S. Patris Ignatij consilijs, cujus vel solo aspectu recreabatur, profecerit.

S. Carolus Boromeus sæpiùs iteratis S. Ignatij exercitijs mirè in Spiritu profecit.

S. Carolus Boromeus ultimo Mẽse ante mortem fecit spiritualia exercitia.

S. Carolus post exercitia spiritualia præsente P. Adorno nostro sanctè moritur.

Post mortem S. Carolus P. Adorno apparet gloriosus.

181. Neque verò Viri pij Religiosi, ac Sancti, de hac Divinæ Gratiæ copia, ac Complemento perfectionis, quam Virgo Sanctissima Societati communicare dignata est, partici cipârunt, verùm etiam Civitates ac Regna, Viri Principes, Reges, Imperatores. Inter Civitates memoria certè dignissimum est, quod Asculum in Piceno nostrorum Patrum indu-

S. Philippus Nerius S. Ignatij consilijs & Cõfessarij nostri opera in Sanctitate profectus.

industriâ, ac labore excultum ad Paulum V. Pont. Max. Anno 1613. Kalend. Octob. in laudem nostri Ord. perscripsit. *Beatissime Pater, si vestra Beatitudo posset videre mutationem morum, quæ in nostra Civitate facta est, postquam ad nos venerunt Patres Societatis IESV, ipsummet Asculum non amplius agnosceret. Senes antiqua odia posuerunt, iuniores novas amicitias inierunt, gladijs & pugionibus precarij libri, atq; corona successerunt, & sanguis discordiarum conversus est in lacrymas pœnitentium. Vbi antea otiosorum hominum conventus fora occupabant, nunc piè celebrant Ecclesias, & institutas à Patribus Congregationes frequentant: in quibus, qui ante odio dissidebant, amicè conveniunt, & mutuis humanitatis, charitatisq; officijs inter se certant, ut non recenter in gratiam redijsse, sed verâ, ac diuturnâ amicitiâ coniuncti fuisse videantur. Illa quoq; sunt admiratione digna; obedientia filiorum in parentes, parentum amor in liberos. Quæ omnia, ut nova apud nos agnoscimus, sic ea Patrum educationi, assiduoq; labori grati accepta referimus, & hic humi prostrati &c.*

Civitas Asculana à Societ. exculta dat Paulo V. illustre de illa testimoniū.

182. Experta est Bavaria universa hoc virtutum Complementum Societatis, quod illi B. V. impertita est, cùm se eruditam cœlestibus Disciplinis, & hæresum passim tota Germania vagantium, præservatam veneno, Societatis curâ, ac vigilantiâ conspexit. Vnde de novis Bavariæ duobus illis Apostolis, qui ei velut sydera in caliginosa errorum nocte illuxerant Sapientissimus Bavariæ Dux Albertus dicere erat solitus: *Petrus Canisius & Paulus Hoffeus ipsi nos docuerunt legem tuam Domine,* ut refert P. Alegambe lib. de Script. Societ.

Bavaria opera Societatis, ab Hæresi præservata.

Petrus Canisius, & Paulus Hoffeus Apostoli Germaniæ

183. Eamdem Societatis industriam deprædicavit idem Dux datis ad Generalem Iacobum Laines literis, expertus miros suorum subditorum in pietate Sociorum operâ factos profectus: *Ex literis*, inquit ille, *quas Anno ad te proximo dedimus, satis, ut remur, constat, quid de universa Instituti vestri ratione nobis persuasum; quantum inde labenti Christianæ rei commodi polliceamur. Nec sanè nos spes ista fefellit unquã illi enim ipsi de Societate vestra, quos nuper ad nos misisti jactis fœliciter fundamentis, publicis concionibus & privatis etiam adhortationibus, rem fortiùs tentant. Quassatos vineæ Domini muros ita sine intermissione reficiunt, ut non modo furiosus ille Aper egregiè ab uvis arceatur, sed vineam ipsam seminibus noxijs, & sentibus perpurgatam, spes sit puriorem conservari haud difficulter posse. Ex his vestris Seminarijs primitivæ Ecclesiæ faciem iam iam contueri, incredibili gaudio gestimus.*

Alberti Bavariæ Ducis literæ ad Iacobum Laynes Generalē, de laudib. Sociorum eam Vineam excolentiū.

Quis enim, nisi sit ipse quoq; communi, qui totum propè Christianum per Orbem grassatur, morbo infectus, non lætetur ex animo, insanam hæreticorum pertinaciam, summâ eruditione, innocentiâq; vitæ tuorum tandem infringi. Verè igitur & meritò tibi gratulamur talium filiorum Parenti; in quibus reviviscentis Religionis, extirpandarumq; hæresum una firmissima spes consistit.

184. Quid jam de Christianissimis Gallorum, potentissimisque Regibus dicam? Longum foret commemorare singula, quæ illi de Societate, (ejus industriam in promovenda toto illo florentissimo Regno, pietate, virtutes egregias; perfectionémque experti, senserunt. *Certè Carolus IX. inquiebat se unicum Iesuitarum Collegium pluris facere, & pro Religionis, & pro Regni amplificatione, quam omnium munitissimam totius Mundi Arcem, seq; Iesuitas, & pro subditis fidelissimis agnoscere, huiusq; Societatis incrementum, ad gloriam quoq;, & Maiestatem Regni & populi Gallicani pertinere.*

Regum Christianissimorū de Societate opinio.

185. Audiamus & Henricum IV. illū verè, ac cognomento Magnum; qui datis ad Rupellenses, 606. literis ita Societatem commendavit: *Experti pluribus in Vrbibus Regni nostri probitatem, capacitatem, atq; modestiam Patrum Societatis IESV, qui in omni consuetudine moribus, atq; doctrina sat liquido ostendunt, nihil se nisi unam DEI gloriam habere præ oculis.* Quantò porrò senserit Societatem toti Ecclesiæ esse emolumento atque adjumento, clarè ostendit, cùm 1607. ita inter reliqua ad VI. Societatis Congregatione Generalē datis literis perscripsit. *Se commune Societatis nostræ bonum inseparabiliter cum ipsius Ecclesiæ bono conjunctum arbitrari. Vnde factum, ut Clerus & nobilitas in Comitijs generalibus Regni Parisijs An. 1615. postulantium illa audita sint voces. Ingentes fructûs, ac singularia officia, quæ Patres Societatis IESV tum in Religione Christiana propaganda, tum juventute bonis moribus, & scientijs informanda &c. olim præstiterunt, & nunc etiam præstant in Ecclesia Catholica; & nominatim in hoc Regno nos omnes adducunt, &c.*

Henrici IV. Regis Galliarū & VI. Cōgregatione Generalem literæ in laudem Societatis

186. Quid demum de fœlicissimæ recordationis Augustissimo Ferdinando Secundo dicam, qui ab ineunte ætate in studijs, & in reliqua totius vitæ conversatione, vel maximè Societatis nostræ

Ferdinandi II. Imperatoris in Societatem benevolētia.

virtutum, ac perfectionum ipsi Divinitus à DEI Matre impertitũ Complementum, earundem participatione expertus, propensissimâ benevolentiâ, insigni munificentiæ sociatâ, animitus complexus est? Amantissimi hujusce animi testes sunt illæ literæ, quas cùm adhuc esset Archidux, ad VI. Congregationem Generalem misit 1608. *Ego pro meo erga vos Reverendi admodum Patres, favore, & ab ineunte ætate benevolentiâ, atq; observantiâ, elaboro, ne in vestræ eximiæ Religionis tuendâ & augendâ dignitate, mea opera, uel studium, vel officium ullum desiderari unquam possit. Amo enim vos, & unicè diligo, ita ut vestras calamitates, infortunia, & rerum omnium vestrarum acerbitates, proprias meas esse prorsus existimem: & ideò Collegia vestra, quæ partim à meo Serenissimo, & Charissimo Parente Carolo, partim à me, in meis Provincijs erecta, & aucta sunt, ut meas proprias facultates, & familias tueri, amplificare, & ornare non desinam.*

Ferdinãdi II. Literæ ad VI. Cõgregationem datæ ejus amoré in Soc. cõntestantes.

187. Mira omninò sunt, quæ de Principis hujus in Societatem amoris affectu, ac gratitudine, & factis ipsis, & verbis ostensa, æternitati mandavit ejus Confessarius P. Guilelmus Lamormayni lib de ejus Virtut. cap. 25. Vbi postquam ejus in Societatem benevolentiam factis ipsis, fundatione nimirum tot Collegiorum, munificentiâ planè Cæsarea contestatam descripsisset, hæc attexuit: *A Societate ipse, Parentum, ac suâ voluntate, literis & pietate institutus, suos fratres, ac filios ab eadem voluit institui. Sibi, ac liberis omnibus è Societate homines, à Confessionibus & Concionibus, qui servirent, elegit, eosdem quotidie, sibi, ac suis ad aras in aula voluit operari; eosdem deprecatores apud DEVM accedere, dum graviùs aliquid immineret, ad ipsos divertit frequentissimè. Familiarissimè cum ijsdem sæpè pransus, ac cœnatus, nullam omisit eum Ordinem vel tuendi, vel exornandi occasionem. Vulgo etiam iactatum est, Ferdinando tangi oculos, & pupillam, cùm Societas tangeretur; non posse ullum Societatis hostem censeri, qui Ferdinandi hostis non esset; Qui Ferdinando benè vellet eum benè velle Societati.*

Ferdinãdi oculi & pupilla tãgi videbantur, cùm Societas tãgebatur.

Ferdinando Filio 3. Maij Anno 1634. in castra proficiscenti primo loco & quidem sponte, ac motu proprio Societatem ardenter commendavit. Respondenti opus non esse commendatione, cùm eam spontè amaret, æstimaretq; subintulit: Imò verò illam tibi iterum, & etiam, atq; etiam commendo. Protegas illam nonminùs contra hostes apertos, quam contra fictos amicos. Decursu temporis deprehendes multos in eum Ordinem amorem iactare, qui non amant, & tamen deberent. In eiusdem commendationem dixit aliquando: Si liber essem, ut Fratres mei hodie sunt, Societatem IESV hodie ingrederer. In ejusdem laudem reversus Francofurto Gracium iam Cæsar, & in Collegij Refectorio à Ioanne Carolo primogenito, dulcissimæ, & fœlicissimæ memoriæ, & Ferdinando Ernesto hodie Cæsare, Filio, eleganti oratione salutatus, inquit: Spero meos Filios Societatem amaturos Si egerint, fœlices erunt, & beati. Quid multa? dignatus est non semel eam Matrem suam compellare, (utpotè à qua jam inde à primis annis lac pietatis, ingenuasque disciplinas præclarissimis virtutibus sociatas imbiberat) *Nullum deberem finem facere beneficia Ferdinandi in nos deprædicandi, quia ille nullum unquam finem fecit benefaciendi.* Denique ut ostenderet quantum Societatem suspiceret, atque adamaret, amorem hunc, bonamque de ipsa æstimationem quasi testamento filijs reliquit, dum in codicillo, postquam egisset de restituenda, atque servanda Fide Catholica, commendassetque Personas Ecclesiasticas, eorumque bona, ac fundationes, ut protegerent & propugnarent. Tandem ut indicaret in particulari quantopere illi foret cordi Societas, ita concludit: *Ante autem omnia seriò, singulariq; ex zelo ipsi commendamus pervenerabilem Societatem IESV, eiusq; Patres vel ob id maximè quod illi suâ doctrinâ, charæ iuuentutis institutione, vitâq; exemplari in Christiana Catholica Ecclesia, non solùm in his interioris nostræ Austriæ Provincijs, sed Regnis nostris omnibus, omnibusq; nostris Prouincijs, imò toto Orbe Christiano multum, benè, utiliter operatur, in conseruandâ, promovendâq; Catholicâ Religione, fideliter omninò & præ alijs adlaborant: contra verò ingratus hic, malusq; Mundus eos, præ cæteris odit, ac psequitur; ut proinde maiori protectione, aut auxilio, assistentiâ indigeãt, dignięq; sint. Hæc omnia supra dictos nostros heredes, & successores syncerè præstituros confidimus. Est verò hæc una ultima, nostra intentio, & voluntas.* Sic ille verè candidissimo ex pectore, velut alter Cycnus morti vicinus amantissimè modulatus est.

Ferd. II. in testamẽto suo suis hæredibus commẽdas Soc.

Ferdinãdo Filio commendat impensè Societatẽ.

Quam propensissimam tanti Cæsaris in nos voluntatem expendens Auctor Primi sæculi Societatis lib. 1, cap. 10. ita scripsit; Atque hæc sunt Augusti Cæsaris, Parentis verè pij verè Christiani Ferdinandi novissima verba, quibus quo esset in DEVM, in Ecclesiam, in Societatem,

in po-

in posteros animo, & qualem cuperet hæreditatem suis filijs unam præ omnibus securè transmittere, ostendit liquido satis. Sed hæc ille dederit amori suo, necessitati certè non dedit. Ipse jam pridem sanguis integerrimi Patris, ipsa indoles invictissimi Cæsaris, ipse, si ita loqui fas, Ferdinandi II. Genius transfusus in Augustam, Austriacamq; prolem, sic eam instituit, nihil ut in Ferdinando III. nihil in Leopoldo Parentis optimi, & Maximi requiras. Æstimant nimirum illi pro ea, qua ingenij claritate pollent, Societatis labores, ac industriam in excolenda, toto orbe terrarum vinea Domini, ac præsertim in suis Provincijs; experiuntur quantum Societas de virtutum, ac perfectionum suarum divinitus accepto complemento cum ipsis communicaverit, eosdemque & literis, & pietate ornaverit, unde fit, ut ex illi prout nobilissima, ac generosissima illorum fert indoles, Societatem IESU vicissim sua propensissima benevolentia exornent; fauoribus amplissimis promoveant atque amplificent, eique in omnibus occurrentibus difficultatibus, & auxilio, & protectioni sint.

Ferd. III. in affectu erga Societatem à Patre non degeneravit.

189. Ex his omnibus hucusque dictis perspicuè inferimus, gloriosissimam Virginem DEIparam inprimis ab augustissima Triade uniuersum accepisse gratiarum, ac perfectionum omnium complementum; deinde illud idem in omnes totius Vniuersi, prout cujusque fert capacitas transfudisse creaturas, eisdem mirum decorem, miram conferendo venustatem, quas inter jure principem locum obtinet Sacratissima IESV Domini nostri Humanitas, quæ cum rerum omnium, ac in primis essentiam, tum vitam vegetantem, sentientem, atque intelligentem habentium nodus sit, atq; compendium, hæq; omnes in purissimo DEIparæ utero, ad dignitatem eminentissimam Vnionis hypostaticæ in Christi Humanitate de purissimis Virginis sanguinibus ope, operaque Spiritus S. efformata, fuerint euectæ, ac quodammodo DEIficatæ, consequitur profectò Virginem beatissimam acceptum à sacrosancta Trinitate pulchritudinis, perfectionumque omnium complementum, cum reliquis totius Vniuersi creaturis, pro innata sibi liberalitate, ac munificentia effusissimè communicasse, & velut Concham rore Divinarum gratiarum plenam

B.V. accepto à SS. Trinitate gratiarũ, ac perfectionum omnium complemento, de plenitudine sua, cũ omnibus creaturis communicavit.

de superefflueti copia, in illas largè profudisse, eisque postremam decoris, omnisque pulchritudinis lineam, manumq; imposuisse. Inter quas pòst sacratissimam Humanitatem Christi, jure totam Ecclesiam, tum omnes Religiosos Ordines, ac præsertim eos, qui vel nomine Mariano sunt insigniti, vel peculiari ejusdem fundatione, ac protectione gloriantur; inter quos minimam Societatem nostram jure numerandam censuimus; quæ tota est, post IESVM, Opus, & Emissio Virginis DEIparæ, ab eadem virtutibus, ac perfectionibus omnibus ita exornata, ut jure dici possit ab ipsa, pro modulo suo, gratiarum accepisse complementum, quo illa vicissim repleta, velut puteus aquarum viventium; suam imitando Auctricem, facta est fons Hortorum, animarum videlicet, atq; Ecclesiarum, variorumque tam Infidelitatis, quam Christianitatis populorum; quos omnes opitulante, ac patrocinante Virgine, ipsa, ex senticetis, dumetis, vastisque solitudinibus, ac desertis erutos, ita excolit, ita doctrinæ suæ fluentis irrigat, atque infundit, ut cœlestis Regis Viridaria; & terrestris Paradisi Horti amœnissimi esse videantur.

190. Agnoscimus denique gloriosissimam Virginem DEIparam minimæ hujus Societatis, tanquam Filiæ DEI, per gratiam adoptionis pulcherrimum, ac preciosissimum esse Monile, quo & monetur ad virtutem, & munitur contra omnium tam visibilium, quam invisibilium hostium insidias; Hoc Monili mirâ gratiâ venustatur, decore quodam inexplicabili exornatur, in eademque, ejus patrocinio conseruatur. Hoc denique Monile Virgineum est illi omnium bonorum, fælicitatisque post DEVM causa, perinde atque olim dirum illud Monile Hermiones Argiæ Polynicis conjugi omnium ærumnarum calamitatumq; occasio. Nam ut canit Stat. 2. Thebaidos.

B. V. pulcherrimũ est Societatis Monile, quo ad virtutẽ monetur, contra hostes munitur, & simul exornatur.

Hermiones Monile calamitatum fuit variarum causa.

Non hoc Pasithea blandarum prima Sororum
Non Decor, Idaliusq; Puer, sed Luctus, & Ira,
Et Dolor, & totâ pressit Discordia dextrâ.

191. Atq; ita ob hujus decoris, fælicitatisque, quam à DEI Matre Societas accipit conservationẽ, jure ipsi illud sacræ Carthusiensis familiæ à B. Alano de Rupe in ejus laudem ante 464. annos celebratum elogium applicare possumus. Sic igitur ille lib. de Vtilit. Psalt. B. V. Gaude, & lætare ô Religio Carthusiana,

Tu

Tu enim sacrosanctum Romanæ Ecclesiæ, imo & B. V. filia es prædilecta. Tu preciosissimis privilegiorum monilibus per eandem Matrem præfulges exornata. Tu à tempore primæ Nativitatis tuæ, nunquam maculam in gloriam tuã per deformitatem nosceris dedisse. Quod quam merito dixerit Vir hic sanctissimus nemo non videt. Hæc siquidem sacra Religio à primis incunabulis nullam hactenus passa est reformationẽ, quia primogeniam illam spiritus formã, interioremq; pulchritudinem nunquã, Divinâ opitulante gratia deformavit.

Carthusi-ensium elogium à B. Alano celebratũ.

Quod nobis quoque patrocinante Virgine, & gratiam à Filio impetrante, ut vigilantes nostri sint superiores, mediisq; illis supra memoratis, ad Societatem in sua puritate conservandam opportunè utantur, eventurum speramus.

192. Ex hactenus memoratis facile est cuique colligere inter omnia Divinæ Virginis nostræ encomia, quæ in SS. Patrum tam Græcorum, quam Latinorum monimentis, posteritati mandata repeRiuntur, nullum esse hoc, uti sæpius diximus nobilius, nullum excellentius, ac Divinius, cum dicimus Deiparam Virginem nostram beatissimam, ac sacratissimam, Vniuersum sacrosanctæ Trinitatis esse Complementum. Adeo ut merito de hoc Venerabili Presbytero dicere possimus id, quod B. Hieron. de Origene præfatione in Cantica, ejus in librum hunc, celebrans lucubrationes: *Cum in omnibus omnes, in hoc seipsum superauit Origenes.* Cum enim pulcherrimæ sint omnes, ac celeberrimæ laudes illæ, quas duobus illis sermonibus Hesychius attulit in Virginem pientissimus, nulla tamen est hac illustrior, ac dignior, nulla plenior, ac exuberantior, utpote, quæ compendio quodam admirabili Deiparæ universa complexa est elogia. Vnde in ejus laudem cani potest illud: *Cedro digna locutus.* Sententia verè niueis signanda lapillis; Encomium, ac Monimentũ verè

Origenes in Cõmentarijs Canticorum seipsum superavit.

Maria cõplementũ Trinitatis est elogium inter omnia præstantissimum.

Horat. lib. 4. Car. Ode. 30.

Ære perennius,
Regaliq; situ Pyramidum altius
Quod non imber edax, non aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.

M. Complementũ Trinitatis elogium perenne.

Sententia denique:

Quam nec Iovis ira, nec ignes
Nec poterit ferrũ, nec edax abolere vetustas.

Ovid. lib. 15. Met.

De encomio hoc jure dici potest, quod Martialis lib. 14. Epig. 68. de Tito Livio in membranis exarato:

Pellibus exiguis arctatur Livius (dicam ego Hesychius) *ingens*
Quem mea non totum Bibliotheca capit.

M. Complementũ Trinitatis, est elogium Angelis incõprehensibile.

Imo nec omnes humanæ Angelicæque mentes. Cum enim Augustissimum Triados arcanum, omni creatæ menti sit incomprehensibile, hoc quoq; ejusdem complementum, quo Virginem ipsa omnibus cœli donis, ac gratijs, privilegijs, ac prærogativis complevit impenetrabile eidem intellectui, ob supra memoratas rationes sit necesse est.

193. Quæ cum ita se habeant, cum sanctissimam hanc omnibus veræ sanctimoniæ universæque perfectionis Christianæ numeris absolutissimam Virginem Augustissimæ ipsius Trinitatis ob plenitudinem gratiarum, ipsi ab eadem communicaturum, Complementum esse agnoverimus eam nobis, velut omnis virtutis, ac honestatis speculum ob oculos, ad imitandum proponamus, eamdẽ medullitus obtestantes, ut quæ à liberalissima, atque profusissima Sacrosanctæ Trinitatis dexterâ digna fuit accipere perfectionum omnium complementum, illudq; creaturis omnibus totius Vniuersi, ac in primis Angelicæ, Humanæque Naturæ communicare, suam in illis, velut altera Semiramis excelsis Montibus, vivam spirantemque suis virtutibus exprimendo Imaginem, nobis quoque vilissimis homuncionibus ex luto, cinereq; compositis, & mihi imprimis miserrimo, ipsius clientulo, ac demum huic qualiquali operi ultimum suo favore, gratia, uberrimaq; benedictione dare non dignetur complementum. Dabit illa sine dubio, & huic Trinitati nostræ, animabus à principio creationis impressæ, pro innata sibi benignitate, ac munificentia complementum, nosque ad sui Imaginem tam eximijs, Diviuisque virtutibus expressam Archetypæque illi, quam simillimam reformabit, utpote, quæ post Incarnationem Verbi, ut idem B. testatur Albertus Tr. super missus, *facta est formalis nostra recreationis, seu renouationis causa,* quæ nostra summa, ac singularis est gratia, atque perfectio. *Quia omnibus,* inquit ille, *sua Deiformissima conuersationis luce, speculum est, ac exemplar, reuersionis à tenebris, & directionis conuersionisq; ad prima lucis contuitum.* Qui sanè cum circa

Maria Dei formissima conversatione est nobis speculũ omnis virtutis.

circa summum Bonum versetur, omniũ imperfectionum illico effugabit tenebras, adeoq; mentes, animosque collustrabit nostros, ut summi illius, æterniq; Boni, ac Pulchri, ipsiusque etiam Virginis, virtutumque agnitâ pulchritudine, castissimi amoris ignibus exardescamus. Oculos igitur intentos semper in hoc lucidissimum omnis virtutis, omnis perfectionis Speculum, per quod veri Iustitiæ solis mentibus nostris splendor illuxit, habeamus; si verè sancti, si omni ex parte perfecti, si absolutam consummatamque virtutem, gratiarumque omnium Complementum indipisci, ejusque maternam benevolentiam, protectionemque experiri desideramus. Audiendus hic Seraphicus Doctor Bonauent. In stimulo Diu. Amoris cap. 7. *Matrem DEI, & peccatorum, seruus DEI tanquam bonus, & deuotus Filius in omnibus pro posse studeat imitari. Hoc semper habeat pro Regula generali, ut Virginis MARIÆ semper vestigia simpliciter imitetur, cujus appetit suffragia postulare, quia tunc procul dubio se ei tanquam Matri veraciter exhibebit: & ipsa eum tanquam suum Filium veraciter adjuuabit, & quæ dignè ab ea petierit illi dabit; & in omnibus necessarijs ad salutem simpliciter ministrabit, & tandem in cœlesti gloria illum apud se feliciter collocabit.* Hactenus S. Doctor.

Seruo Dei sit hæc Regula generalis, u B.V. vestigia imitetur.

Idem ut faciamus desiderat S Hieron. *Ipsa enim*, inquit, *ser. de Assumpt. est Forma disciplinæ Christi, & exemplum.* Ideo hortatur: *Imitamini, quam amatis Beatam, & gloriosam Virginem, amate quam colitis, & colite quam amatis, quia tunc eam verè colitis, & amatis, si imitari velitis toto corde, quã laudatis.*

M. Forma Disciplinæ, & Exemplum.

194. Hanc igitur Virginem sanctissimam omnis sanctimoniæ perfectionisq; Regulam semper in nostris actionibus omnibus nobis ob oculos proponamus. Senecæ Philosophorum sapientissimi consilium datum Amico suo Lucilio animitus complectẽtes: *Accipe clausulam Epistolæ*, inquit ille Epist. 11. *& quidem utilem, ac salutarem.* Accipiat & meus Lector, totius hujuscé libri clausulam, eandemq; verè fructuosissimã. *Aliquis Vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc mi Lucili Epicurus præcepit, custodem nobis, & Pædagogum dedit. Nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O fœlicem illum, quem non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat! O fœlicem qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoq; eius se componat, atq; ordinet. Qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus. Elige igitur Catonem. Si hic tibi videtur nimis rigidus, elige remissioris animi Virum Lelium, elige eum cujus tibi placuit, & vita, & oratio, & ipsius animum ante te ferens, & vultus, illum semper tibi ostende vel custodem, vel exemplum. Opus est, inquam, al quo ad quem mores nostri se ipsi exigant. Nisi ad Regulam, praua non corriges.* Sic ille. Sit igitur Virgo hæc sacratissima omnis honestatis Speculum morum nostrorum Regula, ut eos corrigamus; Illam non ut virum aliquem bonum, sed tanquam summi Boni Parentem optimam eligamus, & semper ante oculos habeamus, ut sic tanquam eâ vidente omnia, utpote quæ à S. Epiphanio, Multiocula dicitur cuncta faciamus. Illa nobis custos, illa Pædagogus sit, illa nobis in actionibus omnibus testis sit. Illam animus noster vereatur; ejus mihi credite auctoritate secretum nostrum sanctius fiet. Est enim hæc fœmina illa gravis aspectus, quæ in mænibus Messanensibus ab hostibus civitatem obsidentibus tela contorquens, & pallio suo vrbem protegens visa est, uti Disc. 21. dictum. Fœlix sane, ac ter beatus, quem aspectus, & cogitatus tã sanctæ Matris emendat, cuius deniq; memoria suavissima illum componit, ordinatq;. Experietur profectò is, qui ita comparat⁹ est, uberrimos in se pietatis, virtutisq; omnis fructus, experietur re ipsâ, à DEI parâ sibi communicatum gratiarum, bonorumque omnium Complementum.

In exemplũ quod semper intueamur & reuereamur proponendus Vir grauis

B.V. tanquam Multiocula, & velut Mulier grauis aspectus ante oculos habenda.

EPILOGVS TOTIVS OPERIS AD DEIPARAM.

IAm tandẽ ad te, Virgo gloriosissima æterni illius Principij, Finisq; beatissimi, illius Alpha & Omega, magni, ingentisq; illius Circuli complectentis omnia, ac te velut Principẽ, ac Reginã inter omnia. Ad te Matrem Incarnati Verbi, quod in utero tuo purissimo quodamodo quadrari voluit, ut esset Lapis Angularis faciens utraq; unum. Ad te inquã, Pa-

rentem ejus dignissimam sese nostra cõvertat oratio, tibique si quid hoc opere, gloriâ, ac Majestate tua dignum elucubratum est, tanquam Illuminatrici, tanquã inexhausto Divinarum illuminationum Fonti, ut te tuus Andreas Cretensis appellavit, acceptum referat. Qui enim fieri potest, ut homo, ex humo suam trahens originem, humi repens, domos luteas inhabitans, cujus intellectus ad tam sublimia, Divinaque tua encomia, velut noctuarum oculi ad lumen solis caligare consueverunt, penetranda, proque dignitate enodanda sufficiat? Quod si contra, Domina mea benignissima, aliquid minus tua Majestate, tuaque illa infinita pene, immensaque laude, honorificentiaque dignum, in medium prolatum est (quod necesse est omnino contingere ijs, qui de te aliquid dicere aggrediuntur, ut idem pijssimus inquit Andreas) tu quæ pietatis, misericordiæque Mater es, pro ingenita tibi benignitate, ac facilitate, veniam largire, ac promptissimæ, tibique devotissimæ voluntatis obsequium boni consule; simulque effice, ut laudes istæ, quibus pro modulo nostro te honorificare conati sumus, sint nobis iter ad sempiternas laudes, quibus te, una cum dilectissimo Filio unico Salutari, ac Redemptore nostro in cœlis, nunquam terminandis laudum præconijs celebraturi sumus. Fac ò Virgo beatissima, ut Divinitatem ejusque perfectiones, quas in te velut Speculo, ac ænigmate hic contemplati sumus, revelatâ tandem facie, faciem quoque tuam gratiarum plenissimam, post exantlatos hujus miseræ vitæ labores, ac ærumnas intueamur, in eamque inaccessibilem lucem transformemur. Hoc unicum laborum nostrorum præmium, hoc unicum à te, quæ ipsius es augustissimæ Trinitatis, copiosissimâ atq; effusissimâ eius donorum, gratiarumque receptione Complementum, desideriorum nostrorum exoptamus vicissim complementũ. Quod omni prorsus remotâ dubitatione, eximiâ tuâ illâ freti charitate, ac munificentiâ nos consecuturos speramus. Verissimè enim idem tibi addictissimus pronunciavit Antistes: *Solet sanctissima, ut quæ semper est munificentissima, maxima reddere, pro minimis.* Vnde cum minimum hoc nostrum tam intellectus, quã voluntatis, velut duo minuta, tibi prompto, hilarique animo detulerimus obsequium, confidimus omnino maxima, eaque amplissima, hic in primis Divinæ gratiæ, deinde sempiternæ felicitatis præmia, pijssimis tuis apud dilectissimum Filium tuum precibus, ac patrocinijs obtenturos, teque una cum eodem Filio, benedicto ventris tui fructu, sine fine contemplaturos. Accepimus hactenus ò Domina nostra, insignis hujuscé tuæ, ac plane maternæ charitatis, ac munificentissimæ liberalitatis non pauca, nec parua pignora hiscé annis, quibus nos hascé tuas laudes pro modulo nostro ad gloriam tuam propagandam lucubrantes, in tot Hæreticorum machinationibus, tumultibus, atque insidijs, in tantis passim grassantis, ac sævientis epidimiæ periculis, bellorumque undique frementium turbinibus, prosequi non es dedignata. Experti sumus manum tuam illam potentissimam in tantis angustijs, ærumnis, ac calamitatibus à nobis avertendis. unde confidimus in reliquo etiã opere, quod in posterum lucubrandum superest, nos benignissimam te misericordiæ Matrem experturos. Tu enim Virgo es Sulamitis, tu Pacifica nostra apud Filium, totum mundum cum ipso pacificando, ac reconciliando; impetra igitur pacem nobis etiam hiscé afflictissimis temporib⁹, ut hac potiti, tanto studiosius dilectissimo tuo Filio, ac tibi in libertate spiritus, serviamus. Tu Mater es cunctorum viuentium, tu vita, tu omnium post Christum Christianorum salus. Tolle igitur mortalitatem, tolle morbos, omnesq; humani generis labes, ac pestes, ut viuentes, te, cum dulcissimo Filio tuo, & in hac miseriarum valle, & in æviterna illa fælicitate collaudemus medullitus, benedicamus animitus, tuasque misericordias in æternum cantemus.

Orat. 2. de Dorm. B. Virg.

Maria solet maxima reddere pro minimis.

M. Sulamitis pacem corã Deo reperiens, & cum eo reconcilians peccatores.

En ad te, ò Virgo, summâ cum fiducia tanquã pientissimam totius Ecclesiæ, nostræque hujus minimæ Societatis Matrem, ac Protectricé benigissimam confugimus, teque obsecramus, ut tu quæ utriusque hujuscé corporis mysticiCollum es eburneum, collum varijs charismatum Divinorum, virtutumque gemmis, ac preciosissimis Monilibus exornatum, imo totum coopertum, nos cum capite nostro Iesv, totius hujus Societatis Antesignano, quam arctissimè unias, atque conjungas, ut te mediante, ejus vitales spiritus, cœlestes nempe gratias, quibus tanquam membra vegetamur in

nos

nos deriventur, ejusque vitâ spirituque animemur, ac viuamus. Precamur etiã, ut de charismatum, donorumque cœlestium, ac virtutum tuarum gemmis, ac monilibus, quibus tota Divinitus es conveſtita, dum auguſtiſſimæ Triados effecta es Triclinium, ac virtutum omniũ Complementum, precamur, inquam, ſummâ, uti par eſt, animi demiſſione, ut de tantis, tamque infinitis cœli bonis, ac theſauris, quibus largiſſimè à cœleſti Sponſo locupletata es, nobiſcum participare, pro tibi ingenita facilitate, ac benignitate non dedigneris.

Te deprecamur inſuper, ut non modo nobis tua dona, ac chariſmata, verumetiam temetipſam, (SS. Trinitatem, quæ etiam ſe cum ſuis gratijs, mortalibus per realem præſentiam communicat) imitata, nobis dare, per aſſiduam tui validiſſimi auxilij, fideliſſimique patrocinij, ac protectionis aſſiſtentiam, ſolitâ tua in nos benevolentiâ complaceas. Digneris ò Virgo pientiſſima minimæ hujus Societatis tanquam charæ DEI Filiæ gemmatum quoddam, ac baccatum eſſe Monile, quo ad tuas praclariſſimas æmulandas virtutes, te aſſiduè præ oculis habendo, moneatur, & velut amoris tui caſtiſſimi admotis facibus, ad tua conſectanda veſtigia, inflammetur. Eſto quoq; illi Monile, quo aduerſus Angelicæ caſtitatis, ac puritatis, quam profitetur, hoſtes muniatur; & in hac, tantâ cum laude, tam animi, quam corporis ſui hactenus ſeruatâ munditia, in poſterum ſemper tuo munimine, velut Monili cuſtodiatur, muniatur. Eſto illi ò Domina mea potentiſſima Turris eburnea, candorem illum, ſoliditatemq; caſtimoniæ, quam Draco Tartareus, mundus, & caro cũ eo conſpirantes labefactare conantur contutando; tu quæ jam inde à primis immaculatæ Conceptionis tuæ initijs, ejus caput contriviſti, contere eum cum ſuis aſſeclis ſub pedibus noſtris, ut eorum machinationibus, techniſque, tua luce, quę Illuminatrix noſtra es, detectis, conatibus eorumdem, viribuſque, tuâ ope delumbatis, ac fractis, majori cum alacritate, ac libertate ſub vexillo Crucis IESV Chriſti tui Filij militemus, Infernoque tam opima animarum ſpolia detrahamus, eique velut glorioſa trophæa in æviterno illo gloriæ cœleſtis Regno conſecremus. Eſto deniq; nobis, ò Virgo, Heroina inviſtiſſima, Regina potentiſſima, eſto inquam nobis Turris David, qui dicitur Manu fortis, tu quoq; in tantis Hæreticorum, undiq; contra Eccleſiam Catholicam frementium, atque ſævientium inſidijs, perditiſq; conatib⁹ eſto tu quoq; manu fortis, & ut de te vaticinatus eſt Salomon, *manus tuas mittas ad fortia*, apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adjutorium noſtrum; Dic Domina, dic animæ meæ: Salus tua ego ſum. Hæc tua protectio non poteſt accidere tibi difficilis, quia Turris es ædificata cum propugnaculis, undique mille clypeis es circumſepta, omniumq; fortium panopliâ, atque armaturâ circumvallata. Et quis ergo in te Domina non confidat, quis hoſtes hoſce perhorreſcat? Horum certe conſideratione ita animor, ita inflammor, ut cum Parente tuo Davide manu forti auſim libere dicere: *Si conſiſtant adverſum me caſtra non timebit cor meum; ſi exſurgat adverſus me prælium, in hac ego ſperabo.* Agnovit tuam hanc invictam fortitudinem, ac potentiam idem Sponſus cum pulcherrimum illud, tuarum virium, roboriſque conſcius, celebravit elogium: *Equitatui meo in curribus, ac de curribus Pharaonis triumphanti videlicet, aſſimilavi te amica mea;* Cant. 1. Vbi animum illum tuum fortiſſimum, ac generoſiſſimum, cum Angelicorum ſpirituum de Pharaone Tartareo, Infernalibuſq; Ægyptijs triumphantium magnanimitate, ac robore contuliſſe placuit, ut te tanquam eorum Reginam, longè fortiorem in ſuppetijs, auxilijſque nobis, quallibet in neceſſitate porrigendis futuram oſtenderet. Eandẽ nobis erga te fiduciã verba illa tua ingerunt amabiliſſima, melle, ac fauo dulciora: *Ego murus, & Vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* Cant. 8. Sperandũ igitur benè nobis, bene ſperandũ S. Eccleſiæ, ſperandum huic tuæ minimæ Societati, cujus tu ſicut Auctrix, ac fundatrix poſt Filium extitiſti, ita quoque protectrix, ac conſervatrix es futura. Hanc ob cauſam te cum Filio loquentem nobis audire videmur: *Ego ero illi murus ignis in circuitu eius.* Eſto igitur nobis murus ignis, qui Divino nos amore incendat, ſimulque inflammet in circuitu inimicos noſtros: *O utinam ſicut fluit cera à facie ignis, ſic Divina vi, atq; omnipotentia liqueſcant, & convertantur, vel pereant duri, ac blaſphemi peccatores à facia tua.* Eſto nobis murus aheneus, eſto nobis murus adaman-

mantinus, ò Virgo, murus, inquam, qui nulla unquam vi hostili labefactari possit. Muro hoc tuæ protectionis inexpugnabili circumcinge nos Domina, & armis tuæ potentiæ protege nos semper. Esto nobis denique Mater benignissima, Turris fortitudinis à facie inimici. Vere tua illa Materna Charitas, tua illa Pietas, duo ubera sunt, quibus lactamur, Turres sunt, quibus propugnamur, atq; protegimur. Sed quid ego de tua charitate, ac pietate nos protegéte loquor? ipsum solum Nomen tuum, sicut & Filij tui Iesv, est nobis Turris fortissima, qua munimur, & super hostes nostros exaltamur: est lac suavissimum, quo nutrimur, ita ut te verè Munimentum quo roboramur, Nutrimentum, quo sustentamur, in omnibus nostris tribulationibus, atque angustijs; ac demum in justo supremi Iudicis furore, atque indignatione, coram ipso pacem nobis reperientem, siue Pacificam experiamur; O experiamur, & in posterum hæc, aliaque tua subsidia, dum in hac miseriarum valle peregrinamur à Domino; quo tandem immundi hujus mundi, ac Tartarei hostis, totiusq; Inferni superatis persecutionibus, atque insidijs, pleni meritis, deq; Complemento illo tuo omnium gratiarum participantes, immortalis fælicitatis, ac gloriæ immarcessibili illâ legitimè certantibus debitâ Coronâ, quæ tu nobis, velut Malis Punicis post Devm, ipsa es, æviternûm in cęlesti illa beataq; patria coronemur.

Interim in hujuscé nostræ syncerissimæ in te fiduciæ, contestationem, liceat nobis, verbis illis siue amantissimi tui Sponsi, siue Angelicorum spirituum te contemplari anhelantium, peramanter compellare: *Reuertere, reuertere, Sulamitis Pacifica nostra, pax & centrum cordis nostri, iubilus, & gaudium summum post DEVM, lætitia, & exultatio nostra, reuertere, reuertere, ut intueamur te.* Ostende nobis faciem tuam, tuam, inquam, illam secundum Divinam Imaginem, ac similitudinem, Divinitatem ipsam quodammodo augustissimæ Trinitatis spirantem, nobis retege faciem, formamque spiritualem; *ut anima velut rudes adhuc Discipulæ,* uti tres illi pij Patres apud Theodoretum loquuntur, *eam contemplantes, tibi sese conforment, tuaq; integerrimæ, sanctissimaq; vitæ formam suis moribus repræsentent,* teq; una cum SS. Triade, quæ te suarum gratiarum, perfectionumque omnium, ceu suum Templum, ac Triclinium inhabitando, voluit esse Complementum, nunquam intermorituris laudum præconijs, in æviterna illa Beatitate celebremus.

AMEN.

AVE MARIA.

Omnia ad majorem DEI ter Optimi, terq; Maximi, ejusque Virginis Matris gloriam.



A Solis ortu, usque ad occasum sit laudabilis omni horâ, Immaculata Conceptio B. Mariæ Virginis.

Omnia judicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ submitto.

Errata Corrige

Errata	Corrige
Fol. 2. n. 2. l. 28. panegyrum	panegyrim
2. n. 3. l. 15. benegnitatem	benignitatem
2. n. 3. l. 16. quotidi	quotidie
3. n. 6. l. 15. vrbis	verbis
3. n. 6. l. 40. irrepræhensam	irreprehensam
3. n. 6. l. 49. secundm	secundus
4. n. 8. l. 8. preconia	præconia
4. n. 9. l. 18. referitssi.mos	refertissimos
5. n. 10. l. 25. plenitudinam	plenitudinem
5. n. 55. lin. 22. admitatione	admiratione
7. n. 18. l. 9. totiusqne	totiusquè
7. n. 18. l. 7. preconia	præconia
7. n. 18. l. 33. conedet	concedet
7. n. 18. l. 38. almo parens	alma parens
8. n. 19. in marg. suns	sunt
8. n. 19. in marg. desrti	diserti
9. n. 23. in marg. Orietis	Orientis
9. n. 23. l. 17. atquæ	at quæ
9. n. 23. l. 36. insinitarum	infinitarum
9. n. 24. l. 14. perfecti	perfectio
10. n. 25. l. 34. dignitatrm	dignitatem
10. n. 27. l. 20. æternũ	æternum
10. n. 27. l. 22. honoti	honori
10. n. 28. l. 18. copiosins	copiosiùs
11. n. 32. l. 27. Virginæi	Virginei
11. n. 34. l. 6. hyacenthum	hyacinthum
12. n. 35. l. 27. raueum	raucum
12. n. 35. l. 46. eum	cum
12. n. 35. l. 52. nebis	nobis
14. n. 39. l. 28. deniquè	denique
14. n. 39. l. 26. eamdem	eandem
15. n. 2. l. 7. angelicam	angelicum
16. n. 4. l. 30. vittus	virtus
18. n. 12. l. 10. qua	quæ
19. n. 15. lin. penult. stiterit	steterit
20. n. 17. l. 54. recedivo	recidivo
22. n. 23. in marg. mirifcata	mirificata
23. n. 27. l. 21. Matram	matrem
23. n. 27. l. 35. Filinm	Filium
ibid. l. 36. inqnam	inquam
24. n. 28. in marg. cosiliatrix	conciliatrix
24. n. 29. l. 22. intet	inter
24. n. 30. in marg. chatitatem	charitatem
24. n. 31. in marg. amaram	amatam
25. n. 31. l. 24. identitarem	identitatem
25. n. 32. l. 9. commertium	commercium
25. n. 33. in marg. gloriam	gloria
26. n. 35. l. 34. earnis	carnis
29. n. 45. l. penult. cuput	caput
3[illegible]. n. 49. l. 23. Interpætes	interpretes
121. n. 16. l. 12. excellentissimam	excellentissimum
122. n. 20. l. 8. prædictum	præditum
124. n. 25. l. 51. assimulatur B. Virginem	assimilatur B. Virgo
172. n. 35. l. 3. adde	vocitans
179. n. 58. l. 4. deflectãnt	flectant
199. n. 119. l. 36. scandenti	scandentis
204. n. 132. l. 36. Virginis	Virgini

Errata	Corrige
Fol. 250. n. 84. l. 8. impedat	impendat
254. n. 5. l. 2. epithalamiun	epithalamium
279. n. 75. l. 13. Dialo	diabolo
281. n. 81. l. 2. fortitudide	fortitudine
281. n. 82. l. 3. leg re	legere
296. n. 43. l. 7. pauperes	puerperas
322. n. 30. l. 14. post fulgoribus adde plena	
343. ad marg. Vos	Vas
400. l. 42. post gratuitis, adde in Baptismo	
464. n. 4. l. 7. filijsq;	filijq;
464. n. 5. l. 12. inqu t	inquit
468. n. 15. l. 51. liberabat	librabat
470. n. 22. l. 2. doresq;	doloresq;
471. n. 24. l. 52. amaritudinem	amaritudinũ
473. n. 30. l. 38. in Cœli	in Cœlo
474. n. 31. l. 20. eVrbo	Verbo
474. n. 31. l. 35. confessum	consossum
475. n. 37. l. 19. soi us	solus
480. n. 49. l. 30. affectuóue	affectuóse
483. n. 56. l. 40. præmisset	præmisisset
483. n. 56. l. 48. perfecto	profecto
483. n. 59. l. 9. testus	testatus
487. n. 2. l. 8. Martyrũ	Martyrum
490. numerum 2.	numerum 3.
491. n. 3. l. 17. atollitũ	attollitur
492. n. 5. l. 21. ob similem	absimilem
497. n. 18. l. 7. præsentissimã	præsentissimũ
500. n. 25. l. 48. mensuram	mensura
502. n 29. l. 17. altario	altari
503. n. 32. l. 14. profector	profectò
504. n. 36. l. 13. Altere	Altare
505. n. 37. l. 26. precisiori	preciosiori
506. n. 41. l. 29. festina	festiua
506. n. 43. l. 22. refrigerebãt.	refrigerabãtur
507. n. 44. l. 13. ationem	actionem
511. n. 55. l. 21. illic	illi
511. n. 56. l. 21. cooperatum	cooperatam
517. n. 4. l. 15. τὸ πνεῦπα	τὸ πνεῦμα
518. n. 6. l. 7. moderi	morderi
519. n. 9. l. 8. noscet nosceret. lege nosset	
519. n. 10. l. 30. fuctus	tactus
520. n. 11. l. 25. ora sua	ore tuo
523. n. 19. l. 22. quendam	quædam
523. n. 19. l. 33. pullæ	puellæ
523. n. 20. l. 17. postr mã	postrema
526. n. 26. l. 41. quasiin	quasi in
548. n. 80. l. 33. Socientis	Societatis
584. numerus 49.	deleatur
648. numerus 93. & 94.	deleatur
667. numerus 8. & 9.	deleatur
680. numerus 51.	deleatur
686. numerus 64.	deleatur
710. n. 9. l. 12. eæm	post eam
711. n. 11. l. 4. appenpens	appendens
712. n. 13. l. 7. inffabilis	ineffabilis
713. n. 15. l. penult. holocaustam	holocaustum n. 16. l. ult. Altissimu Altissimus.

fol. 811. n. 16. in fine Personarum verè sanctitatis fontium. Intellige non in re plurium ad extra, sed in modo. Spiritus S. enim sanctitatis fons est per appropriationem. Filius in carne per meritum; Pater ex se. Idem est de tribus rivis. *fol.* 815. n. 28. Et rursus *fol.* 823. n. 53. ubi dicitur de fontibus & aquis.

fol. 812. l. 28. post mundiciã; sic ponendum: substantialem illam communicando sanctitatem, ut unum principium, spirent Spiritum Divinissimum.

Ibid. l. 23. post sanctè, adde: Pater

818. l. 3. thesaurum exhausisse, intellige negativè, quia nil simile unquam factum.

815. n. 29. l. 6. Deo — Deos

Reliqua prudens Lector corriget.



In Dies Festos Beatissimæ Virginis
Index Pro Concionatoribus.

In Festo Immaculatæ Conceptionis B. Virginis.



In Festo Nativitatis B. V.

In Festo Præsentationis B. Virginis.

In Festo Annunciationis.

In Partu Virginis, seu Nativitate Christi.

In Purificatione B. V.

In Paschate.

In Pentecoste.

In Assumptione B. V.

In die Parasceue.

Die Commemorationis Animarum fidelium Defunctorum.

Dominica I. Adventus.

Index

INDEX RERUM, QVÆ HAC PRIMA PARTE MVNDI MARIANI CONTINENTVR.

Litera D. Discursum; Litera N. Paragraphum denotat.

Al-

Ange-

S. Ber-

Canticum

Chri-

Corona.

SS. Cosmas & Damianus

Creatura.

Cultus B. V.

D.

Dæmones

Dea.

Delphicum Oraculum.

Devotio.

DEUS.

Diadema.

Dies.

Dionysius Areopagita

Sunt

Ttttt Fili-

Ipsius

M. Ho-

Ioa.

In

Quia præsens Opus totum ex Virginis laudibus coaluit, ad evitandam confusionem, libuit ejusdem celebriora elogia, in certa quædam Capita redigere, numerisq; distinguere, quo faciliùs Lector, id quod optat, invenire valeat.

1. *Maria Patrem æternum respiciens.*

2. *Maria Filium respiciens.*

M. Hu-

Sicut

3. MARIA Filium patientem respiciens.

M. Mar-

4. *MARIA Filium Redemptorem aspiciens.*

Per

M. ta-

9. *MARIA Advocata nostra.*

M. an-

M. Lu-

§. MARIÆ Dulcedo & Suavitas.

Cha-

M. Fons

M. In-

23. *MARIÆ Laudes.*

M. lau-

D. 11

24. MARIÆ Lux.

25. MARIA Mater.

26. *MARIÆ Maternitas.*

27. *MARIÆ Misericordia.*

M. vi-

28. *MARIA Mundum respiciens.*

29. *MARIA Mortem nostram respiciens.*

M. pro-

Ib. MARIÆ *Nativitas.*

S. MARIÆ Potentia.

peccata,

34. *MARIÆ Præeminentia & Magnitudo.*

M. Vas

35. *MARIA Peccatores respiciens.*

M. in

38. MARIÆ Profectus in virtutibus.

39. MARIÆ Pulchritudo.

M. pul-

Cur

eruditi

45. MARIÆ Sanctitas, & Puritas.

46. *MARIÆ Sodalitia.*

Novi.

Pater

Prom-

Sene-

In

Vbe-

Ver-

Vnio

F I N I S.

Soli DEO, ejusq; Matri Sacratissimæ MARIÆ, nec non S. Patriarchæ Nostro Ignatio, & Francisco Xaverio, Sanctisq; omnibus sit honor, & gloria in sæcula.

A Solis ortu, usque ad occasum sit laudabile Sanctissimum Sacramentum.





